$1,00 John C. Watts

5

MATTHIÆ FLACII, ILLYRICI,
CATALOGUS TESTIUM VERITATIS,

Qui ante

NOSTRAM ÆTATEM

PONTIFICI ROMANO, ET PAPISMI ERRORIBVS reclamârunt, pugnantibusque ſententiis ſcripſerunt.

OPUS INSIGNE, & IMMORTALITATE

dignissimum, variâque rerum, hoc præſertim tempore ſcitu dignissimarum, cognitione refertum; in quo præter alia, multi utiles Libelli, atque Opuſcula Veterum aliquot Scriptorum, Pontificii ævi, ſitu eruta; multæ etiam Hiſtoriæ proferuntur, quarum pleræque nuſquam alibi extant.

ACCVRATA NVNC RECENSIONE IVXTA editionem ipſius Autoris Argentinenſem anni 1562. exhibitum, priſtinæque integritati redditum, additis nonnullis Notis, nec non Editionibus, quæ haberi poterant; unà cum AUCTARIO Opuſculorum ac Teſtimoniorum, quà editorum, quà ineditorum, eoque ſeorſim edito, & Indice Rerum ac Verborum toto Opere memorabilium copioſo.

1. Reg. 19. v. 18. Rom. 11. v. 4.

Reliqua mihi ipſi feci ſeptem millia virorum, qui non incurvarunt genu imagini Baal.

Hieron. Epiſt. ad Evagrium Col. 511. T. 2.

Si auctoritas quæritur, Orbis major eſt Urbe.

Francofurti, Anno 1666.

AMPLISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS VIRIS, CONSVLIBVS, SENATVI, ET RELIQVAE DEI Ecclesiæ, inclytæ urbis LVBECENSIS, perpetuam sinceræ veritatis Domini conservationem optat Matth. Flacius Illyricus.

PRæclarè definit Aristoteles civitatem, quòd sit cœtus hominum ex diversis vitæ generibus collectorum, sibimet sufficiens ad commodè beatèque vivendum. Cui definitioni & communis sententia ac sermo hominum consentit, qui subinde integram justèque magnitudinis civitatem describentes dicere solent, Omnia ibi, quæ homini necessaria sint, reperiri haberique posse. Ac sanè ista definitio & laus etiam civitatibus Germaniæ, quæ Liberæ vocantur, & sunt, meritò attribui debet. Nam ibi plerunque tanta est rerum & artificumvarietas ac copia, cōfluentibus undiq; eò industriis hominibus, pacis, justitiæ, ac libertatis studio, tanquam benè constituta Politia: tantum etiam studium gubernatorum in conquirendis necessariis toti cœtui, rebus ac hominibus, ut vel in mediocri civitate reperias, quæ sæpe in integro Principatu consequi nequeas. Quæ sanè longè præclarissima Liberarum civitatum laus ac decus est. Verùm Aristoteles & alij (ut Scriptura loquitur) terreni homines, sicut corpoream aut temporariam quandam beatitudinem sibi propositam habent: ita etiam carnalia solùm bona, organa ac commoda, ad eum finem consequendum in constituenda sua illa civitate aut politia conquirunt. At CHRISTVS noster Rex, verorū ac futurorū bonorum Ecclesiæ aut civitatis suæ Hierusalem unicus author, sicut spiritualem fœlicitatem beatitudinemve suis proponit, acquirit & parat: ita etiam spiritualia organa, media adminicula & ministros eidem præparat cœlitusq; largitur. Quare 1. Cor. 12. & in sequentibus capitibus, ac Ephes. quarto, varii ministri, ac veluti artifices, eorumque opera recensentur, quos Christus sedens, ac potenter regnans, ad dexteram patris, benignissimè donat Ecclesiæ suæ, in ejus ædificationem: quæ spiritualis constructio ac exædificatio præclarissimè ibidem depingitur. Verè sanè dici posset, Christum hoc quoq; tempore instaurati Evangelii valdè varios ministros, dona ac opera ad perfectam absolutamq; exædificationem istius spiritualis civitatis, suis subditis largitum esse. Inter quæ mihi illa tria potissimùm adhuc deesse dudum visa sunt; Nempe succincta quædam sacrarum literarum expositio, aut (ut vùlgò vocant)

cant)

cant) glossa, quæ non abduceret sua prolixitate lectorem à sacris literis (quod plerique Commentarii nunc vitii habent, dum nusquam non Locos communes molesta repetitione inculcant, aut etiam in aliquas sibi blandientes cogitationes evagantur) sed ad eas tanquam mystagogus quidam adduceret, ea verò deberet constare primùm indicatione summæ aut scopi totius scripti ac partium: deinde, distributione partium majorum ac minorum: postremò, & singularum obscurarum sententiarum, phrasium ac verborum brevi expositione. Secundò, separata & plena aliqua Hebrææ linguæ, ac præsertim phrasium & vocum, quæ suos idiotismos etiam in alias linguas ac versiones transvehunt, illustratio, eruditis regulis comprehensa. Postremò accurata ac plena historia, quæ omnium temporum inde à Christo nato formam Ecclesiæ & religionis plenè perfectèque evolveret ac illustraret: ne quis nobis sub prætextu ignotæ antiquitatis, vel Papatum, vel alios errores & abusus obtrudere posset. Hisce ego curis longo jam tempore sum sollicitatus & gravatus, sæpèque à Deo ardentibus gemitibus, votis ac precibus optavi, ut vel aliquot saltem horum beneficiorum per me si non prorsus, conferre suæ Ecclesiæ, at saltem promovere velit. Quod quidem ille supra omnem meam spem, ac penè etiam votum, in Historia Ecclesiæ præstare cœpit: in quo illud quoque planè mirabile manifestumque divini consilii ac præsentiæ indicium est, quòd licet ego primus & cogitaverim de eo tam præclaro conatu, & ejus ideam delineaverim: tamen ille postea alios in id Opus suo spiritu excitavit, & veluti in vineam messemúe suam immisit, qui omnia rectius ac plenius cogitaverint, constituerint, & nunc cum maxima ejusdem cœlestis patris benedictione in eadem versentur: ut dubium non sit, hoc opus feliciter ad finem perventurũ, si modò necessariis sumptibus nõ destituetur. Pertinet porrò ad istam Historiam etiã illa, vel summis viris maximè necessaria pars, ut ostẽdatur semper fuisse etiã regnante potenter in ipso Dei templo Antichristo, septem piorum millia, qui genua Baali isti aut abominandæ potius desolationi, non incurvarunt. De quo etiam ipsemet Helias suo tempore anxius dubitabat, cruciabaturque. Hanc igitur partem, conquisitis undique ex bibliothecis raris historiis, & variis scriptis actionibusque ingenti labore, maximo sumptu, nec parva temporis jactura, denique etiam subeundo gravissima pericula, collegeram, edideramque ante complures annos; sed nunc multo auctiorem, emendatioremque evulgo. Quod Opus commendarem Christiano lectori, si vel indigeret commendatione, vel me etiam facere eam deceret. Illud igitur solum dico, multas gravissimas ac utilissimas historias, & etiam

integra ſcripta hîc inſerta eſſe, quæ nuſquam alioqui in impreſſis libris reperiantur, nec facilè aliunde quàm ex hoc ipſo ſcripto reperiri queant. Vt verò hoc Opus ac commodum piorum ſatis benignè feliciq; conatu divinitùs Eccleſiæ præſtatur: ita, ut & in illis aliis duobus aliquid cum fratribus meis promovere efficereque poſſim, omnes boni piique Deum ardenter orabunt. Bona enim ibi quoq; ſpes me fovet ac conſolatur, ſi modò piorum precibus apud Deum, ex quo fonte omnia bona profluunt juvabimur. Verùm quemadmodum præclarè dicitur, non minorem eſſe virtutem, quàm quærere, parta tueri: ideo neſcio quomodo præcipuè cruciant & occupant me, aliosque ſinceros ac fidei Chriſti doctores, iſtæ variæ corruptelæ, errores, peſſimi quorundam conatus, ſcandala & damna Eccleſiæ, quæ totam inſtauratam religionem ac Eccleſias uno impetu evertere conantur: quibusque omni ſtudio ac ratione reſiſtendum ac repugnandum eſt, ut modò cæleſte depoſitum integrum ac illæſum (ut id Deus per Lutherum aliaque ſua organa nobis commendavit) cuſtodire, & poſteris quoque tradere queamus. Hinc fit, ut minus pro voto in aliis præclaris ac ſalutaribus conatibus progredi queamus. Huc accedit quoque iſta horrenda & extremè deteſtanda hominum impietas, ſacrilega ingratitudo, vel potius induratio ac ſubverſio, ut plerique videntes videre nolint, & audientes audire recuſent, propalàm monſtratos errores, & lupos ovilla veſtitos, eorumque refutationes: ut niſi quaſi perpetuis ſcriptis, & veluti clamoribus opportunè & importunè excitentur & perturbentur nihil proficiatur. Quòd ſi una aut altera inſtitutione contenti eſſent, & ubi ſemel errores agnoviſsent, magno zelo in veritate permanentes ab illis abhorrerent, facilius profectò expeditiusq; addo & fructuoſius certamen contra ſeductores haberemus. Vobis vero, Viri ampliſs. prudentiſsimiq;, hoc Opus maximo labore ac ſumptu confectũ, dedicare ob plures cauſas volui, quarum nunc duas tantum recenſebo. Nam primùm, ſemper ſingulari quadam benevolentia Liberas civitates, ob graviſsimas rationes, ſum proſecutus: quòd in iis ſolis omnes bonæ ac neceſſariæ humano generi artes & artificia reperiantur, quòd ibi adhuc jus & æquabilis quædam libertas vigeat, quòd in illis potiſsimum literis ac eruditioni locus honosq; habeatur: & denique, quòd illic honeſtas ac diſciplina ad huc aliqua ſuperſit. quæ ingentia decora apud pleroſq; Centauros ac potentes fermè prorſus abolita, extinctaq; ſunt: ubi unius aut alterius ſuperbi, tyrannici, petulantis, aut rapacis Achitophelis arbitrio, reliqui mortales inſtar humi repentium vermium, vel graminis, aut etiam luti, pedibus proculcantur, neglecta omni humanitate, jure

ac justicia. Sæpe mihi, de Liberis Germaniæ civitatibus cogitanti, in mentem venit illud laudatiſsimum Lacedæmoniorum dictum, qui, ſtultè ac ſceleratè ſuadentibus aliis Græcis, ut Athenæ, mater omnium bonarum artium, eruditionis, & recti æquiq; regiminis, funditùs delerentur: reſponderunt, Se non poſſe ferre ut alter oculus Græciæ effoderetur. Verè enim, Liberæ civitates oculi & ornamenta Germaniæ ſunt, ac (ſicut Xenophon dicit) officinæ & FONTES bonorum ut ſi uſquam adhuc aliqua expetenda vita in hac vita eſt, ea profectò potiſsimùm in Liberis civitatibus reperiatur. Quas qui homines vel deletas, vel etiam oppreſſas, ſuaq; libertate privatas eſſe cupiunt: ij omnium ingratiſsimi, propriam patriam, ac veluti matrem ipſam Germaniā exoculare, & in longè triſtiſsimam faciem redigere conantur. Altera cauſa eſt, quòd non ſine ſingulari gaudio pectoris mei, & divinæ bonitatis admiratione cerno, Deum omnino adhuc velle in iſtis Saxonicis civitatibus ſibi aliquam Eccleſiam colligere, ac veram doctrinam conſervare. Quòd tum in præterita cribratione, tempore ardentiſsimæ perſecutionis interim ac Adiaphororum benignè fecit: tum & nunc denuò facit, cum alii aliis erroribus ac corruptelis neglecta agnita, accepta, confeſſaq; veritate, temerè aſſentiuntur & applaudunt. Quibus tamen conſtanter Eccleſiæ, Doctores & Politiæ Saxonicæ editis ſcriptis & mandatis reſiſtunt. Accipite igitur, Viri eximii, hoc noſtrum Opus, animumq;, benigno faventiq; pectore: & cùm alias omnes bonas utilesq; artes liberales ac mechanicas, tum verò præſertim veram ſinceramq; pietatem omni ſtudio juvate, fovete, ac promovete: verbiq; Dei & clavium caſtigationem patienter in timore ejus ſuſcipite ac tolerate: ut & filius Dei à vobis hoſpitio ſuſceptus, viciſsim & in hac & altera vita vos regat, protegat, ac felices beatosq; efficiat. Verè enim beatus ille eſt, ac erit, qui huic Domino ac potenti in prælio ſuas portas aperuerit, eum oſculatus fuerit, in eum confidet, ac illi in timore ac tremore ſerviet. Sed è converſò, væ illis, qui contrà frementes ac blaſphemantes, eius jugum à ſe excutere, & funes proijcere conabuntur. Eos enim ille in die iræ ſuæ, ut teſtacea vaſa, ferreo ſceptro horribiliter concutiet & comminuet. Dominus JESVS regat ſuo ſancto Spiritu vos, aliasq; Saxoniæ honeſtiſsimas civitates, ad gloriam nominis ſui, veritatis conſervationem, & Eccleſiæ ſuæ utilitatem, miſericorditer: Amen. Ienæ, Calend. Ianuarij, Anno Domini M. D. LXII.

(Obiit: Anno: 1575. æt. 54. Fr.)

MA-

MATTHIAS FLACIVS ILLYRICVS Christiano Lectori æternam in Domino salutem.

INGENTI proculdubio mœrore, ac etiam tentatione concussus, afflictusq; fuit sanctus Dei vir Helias, Achabi Regis Israelitici tempore, cum oppresso extinctoq; verò Dei cultu, & pulsis, aut ad defectionem pertractis, compulsisve, vel etiam occisis plerisq; omnibus veræ pietatis cultoribus idololatrici furores maximo cum Regis, Reginæ, & procerum applausu ac favore per totum Regnum viverent. Contra quoq; proculdubio seductores, eorumq; sectatores, non tantum læti, sed etiam confirmati ac constabiliti in suis erroribus, tanto omnium ordinum, præcipuè potentiorum in idololatrias consensu & studio, fuere. Quare Helias, licet omnibus, iisq; excellentissimis virtutibus ornatissimus, & spiritu Dei plenissimus, tamen tanta quasi conspiratione seu consensu ad idololatriam, veluti animo victus ac prostratus, mortem à Deo flagitat: sive, ne tam tetrum execrandumq; rerum statum spectare diutius cogatur: sive etiam, quia omnes suos labores, pericula, doctrinam, ac miracula irrita ac sine fructu abire sensit: sive deniq; ne etiam cum aliis in tanta tentatione & tenebrarum hora ac potestate in errorem abducatur. Verùm consolatur eum Deus, ac, ut vivere velit, confirmat potissimùm ea ratione, quòd indicat, multa adhuc rectè & cum ipso sentientium millia superesse, quæ divinitùs, ne in idololatriam consentiret, sint conservata. Magna proculdubio in tanta afflictione, clade, & animi dolore fuit ea consolatio pientissimo Dei prophetæ, cum & suos labores, certamina ac pericula frustra non fuisse, & tam multos adhuc pios unanimiter cum eo Deum utramq; pietatem celebrare, certò cognovit. Talis tristissimus rerum status ac (ut Christus eum vocat) hora potestatis tenebrarum, & cribratio, proculdubio sæpe in Ecclesia Dei accidit: sed tamen ea tentatio & consolatio potissimùm semel tantùm descripta est, non tam propter Heliam, quàm ad perpetuam Ecclesiæ Dei consolationem. Qua quidem consolatione sæpissimè pios sese confirmasse, solatosq; esse, dubium non est: sicut & de Paulo cap. Rom. 11. legimus. Nobis quoq; eadem consolatio hoc tristi tempore cum primis est utilis ac necessaria, quam quidem non solùm ex hac Heliæ historiola, Deiq; testimonio quærere ac petere debemus, sed & ex ipsa rerum experientia, omniumq; temporum historia; nam Papistæ, de sacrarum literarum scuto ac testimonio diffisi, perpetuò nobis hoc fermè sophisma obganniunt: Vera Ecclesia ac Religio sunt perpetua, falsæ verò Ecclesiæ & Religiones subinde variè mutantur & transformantur. Iam ex omnibus scriptoribus & historiis constat, nostram Ecclesiam & Religionem, quæ à Romano Pontifice dependet, esse valde antiquam, diuturnam, atq; adeò inde à Christi & Apostolorum temporibus originem habere, ac veluti per traducem ordinariamq́ue successionem propagatam esse. Vestra verò nova est, nuper ante XXX. annos à Luthero *orta & instituta. Igitur nostra Ecclesia ac Religio, hoc est, Romana, & non vestra, vera ac genuina est. Huic sophismati verisimiles & admodum plausibiles amplificationes adjiciunt, cum clamitant & importunè quærunt, an nos tot sanctis patribus sapientiores doctioresq; simus? an nos omnes illos damnemus? Nec adversarii tantùm in suis scriptis sic sophisticantur, sed & Satan ipse haud raro talia ignita, venenataq; tela in corda conscien-*

conſcientiamq; puſillorum Chriſti, magna vi contorquet. Hoc ſophiſma verè quidem diſſolvere atq; deſtruere eſt perfacilè; nempe negata perpetuitate adverſariæ doctrinæ & Eccleſiæ, item noſtræ novitate. Verùm ut etiam veriſimiliter, ac cum approbatione & aſſenſu auditorum retorqueatur, retundaturq;, eſt ſanè perdifficile. Plerunq; enim accidit, vel quia Evangelium Chriſti verè abſconditum mundo myſterium eſt, vel, quia veritas crebrò premitur duriſſimè, pauciores eam, & plures mendacium ſequuntur: vel deniq;, quia non adeò, ſicut plerunq; falſæ Religiones (ut ita dicam) pompoſa eſt, omniumq; ſeſe oculis oſtentat & ingerit: fit inquam ob haſce & plures conſimiles cauſas, ut cum à Deo excitati Doctores, veram doctrinam, & in primis Evangelium Chriſti concionantur, contrarioſq; errores inſectantur, omnium fermè judicio novam quandam doctrinam ac prius inauditam afferre, & veterem receptiſſimamq; oppugnare videantur: maximoq; cum auditorum applauſu, hoc nomine accuſentur & damnentur. Sic Prophetarum tempore contenderunt idololatræ, ſe in Bethel & alibi velle ac debere ſacrificare: ubi ſanctiſſimi Patres Abraham, Iſaac, Jacob, & alii ſacrificaverunt, & non Hieroſolymæ tantùm: contenderunt item contra eoſdem à Deo miſſos viros, Religionem potiſſimùm in ſacrificiorum copia, ceremoniarumq; obſervatione conſiſtere, non in cordis ſincera pietate, multò minùs in Meſſiæ vera cognitione. Novum item ac planè blaſphemum videbatur toti populo, cum prophetæ concionarentur, Deum everſurum eſſe gentem illam, civitatem ac templum: item Deum repudiatis Judæis, gentiles pro ſuis complexurum. Sic & Chriſti ac Apoſtolorum tempore ſeſe Phariſæi de Moſe præceptore, deq; Patrum vetuſtis ſanctionibus & obſervationibus jactabant, proramq; & puppim, quod dicitur, ſalutis noſtræ veræq; Religionis in aſſiduitate ſacrificiorum, ſtudio ceremoniarum, & mediocri diſciplinæ ſeu ſeu honeſtiori vitæ cura ponebant: eamq; vetuſtiſſimam Religionem eſſe, magno aſſenſu multorum affirmabant. Contrà verò Chriſtum, qui traditiones Patrum ſpernebat, ceremonias ſacrificia non magnifaciebat, deniq; totam pietatem in vera cordis ad Deum converſione, in morbi noſtri Meſchiæque medici ſolida agnitione eſſe contendebat, novitatis, blaſphemiæ ac impietatis atrociſſimè accuſabant. Cùm verò ille de ſua vetuſtate contenderet, ac diceret, ſuam doctrinam Moſe vetuſtiorem eſſe, quin & ipſum Abrahamum ſua opera ac merito, ſeu ſui agnitione eſſe ſervatum: tunc planè in furorem agebantur, lapidibusque, non jam argumentis cum eo certare, eumque opprimere volebant. Adeò illi & de ſuæ doctrinæ vetuſtate, & de Chriſti novitate, certi ſibi eſſe videbantur. Quare ſicut tunc temporis Prophetis, Chriſto, Apoſtolis perdifficile, & fermè impoſſibile fuit, gloriationem vetuſtatis impiæ Religioni ac Doctoribus adimere, odioſamque novitatis maculam à ſua doctrina amovere: ita nobis quoque jam eſt. Cauſæ verò eæ ſunt, quas ſuprà indicavi. Prima: quia plerunque veritas multipliciter premitur, & quaſi latitare cogitur. Secunda: quia pauci eam amplectuntur, paucioresque verè intelligunt. Ultima: quia non ita conſpicitur, omniumque oculos in ſe convertit, ſicut Pontificia turba cum ſuis crucibus, triplicatis coronis, tam variis galeris: tam precioſis ornatibus, tam prodigioſis veſtibus, & diſcoloribus cucullis, tantis boatuum ululatibus, tantis campanarum tonitruis, totque demum ac tantis pompis, triumphis & opibus: ita ut cùm etiam adſit vera Religio ac doctrina, ob humilem inconſpicuamque ſpeciem vix adeſſe ſciatur aut ſentiatur. Veruntamen opponimus huic veriſimili, nimiumque plauſibili

sibili sophismati, primùm, clarum expressumque Verbi divini testimonium, quod te-
statur, eos esse verum Dei cœtum sive Ecclesiam, qui vocem ejus audiunt, amplectun-
tur, & custodiunt: & non eos, qui persequuntur, & blasphemant. Sic enim ille qui
est ipsissima veritas, via & vita, inquit: Oves meæ vocem meam audiunt. Iohannis
decimo. Item: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui sermonem Dei audiunt, ac
faciunt illum. Lucæ octavo. Item: Si quis sermonem meum servaverit, venie-
mus cum Patre ad eum, & mansionem apud eum faciemus, &c. Item: Dedit eis
potestatem filios Dei fieri, quotquot receperunt eum. Johannis primo. Item toties
repetit: Qui crediderit, salvus erit: qui verò non crediderit, jam damnatus est.
Quæ omnia filii Dei testimonia, & alia infinita, sine ulla ambiguitate testantur, eos
esse vel fieri Deo dilectum cœtum, qui ejus unicum filium audiunt: & contrà, eos
esse turbam rejectam ac damnatam, qui vocem filii Dei contemnunt ac persequuntur.
Jam nihil facilius est probare, quàm nos quidem in nostra doctrina, ipsius Dei verbum
sequi & amplecti: adversarios verò contrarium facere, quippe qui in plurimis Arti-
culis aut sententiis non tantùm contemnant verbum Dei, sed etiam blasphemo ore ca-
lumnientur, ajentes esse obscurum, ambiguum, flexiloquum, præbere causam omnibus
hæresibus ac schismatibus. Perspicuè ergo necessarioque argumento concludimus,
nos nostramque Religionem, quoniam Dei expressam vocem sequitur, esse verum Dei
cœtum, veramque ejus Religionem: & contrà, adversarios, quoniam aliud Evange-
lium prædicant, esse anathema maranatha. Deinde opponimus & ipsam experien- 2.
tiam, quæ testatur, semper fuisse non paucos, sed plurimos doctores & auditores, qui no-
biscum, & non cum adversariis senserint. Taceo enim jam Patriarchas, Prophetas,
Christum & Apostolos: quorum, ut diximus, doctrinam sine ulla ambiguitate sequi-
mur, illud certè propalàm manifestum est, primitivam Ecclesiam circiter ducentis à
nativitate Domini annis, prorsus nostræ conformem in Religione fuisse, & pla-
nè ex diametro ab adversariis nostris dissensisse. Pòst sub trecentesimum circiter
Domini annum, cœperunt quidem paulatim errorum & abusum quorundam, qui
jam in Papatu grassantur, semina in Ecclesia spargi: non tamen ea tanta ac tam perni-
ciosa fuêre usque ad sexcentesimum fermè Domini annum, ut non nostræ potius ea
Religio, quàm Papisticæ consenserit, ejusque formam retulerit. Qui illius ætatis
scriptores seu Patres diligenter legit, ut Hieronymum, Augustinum, Ambrosium,
Hilarium, Chrysostomum, &c. facile animadvertit, eorum sententiam in plerisque
Articulis cum nostra doctrina congruere: etiamsi interdum aliquid incautius decla-
mantibus, ut fieri solet, exciderit, quod adversarii contra authoris mentem pro
se adversus nos torquent. Nec illi tantùm doctrinam nostræ consentientem reti-
nuerunt, sed etiam sæpe illa ipsa quasi semina ac vitia præsentium errorum non leviter
taxant, insectantur & damnant: quod in hoc meo Catalogo subinde ostendo. Post
sexcentesimum Domini annum, crescente etiam Pontificiis regno: subinde ita religio

facta est deterior, ut augescentibus quotidie erroribus & abusibus, indies minus ac minus pristinæ in ea sinceritatis integritatisque remanserit. Nec tamen propterea Deus rejecit populum suum, sicut Paulus inquit: sed semper sibi septem, & etiam plura piorum millia servavit, qui illis pullulantibus, crescentibus & grassantibus erroribus restiterunt, ac contradixerunt, non tantùm verbis ac calamo, sed & sanguine ipso, ac martyrio suo. Ne verò id fingere temerè, aut mentiri audacter videar, abundè exemplorum sequens Libellus ex authenticis authoribus recitat, atque ob oculos ponit: quæ hic repetere, nimium ociosi, tempusque sibi ac aliis malè perdentis esset. *Ut enim propius ad nostrum institutum accedamus: ob hoc ipsum in hoc scripto omnes eos, quantum quidem fieri potuit, collegi, qui aliquo modo testimonium* ante Lutherum *veritati Christi contra errores & furores Antichristi dederunt, adversariorumque erroribus, officii neglectioni, & perditissimæ vitæ contradixerunt ut re ipsa ac experientia ostenderem, semper fuisse multa piorum millia*, quæ aut ab omnibus, aut à plerisque erroribus Romani Baalis abhorruerint, eis contradixerint, & ad Dominum ardenter pro liberatione ex tanta captivitate gemuerint. *Etsi autem non paucos ejusmodi verioris sententiæ testes recenseam, eorumque testimonia adscribam: tamen non est difficile conjicere, ubi unus Doctor rectius sentiens fuerit, ibi quoque plurimos auditores, quorum nomina ac confessiones literis mandatæ non sunt, extitisse. Facile item est conjicere, præter hosce doctores aut testes veritatis, plurimos alios quoque fuisse, qui vel metu scribere, monumentisque tradere, ob maxima pericula, nihil ausi sint, vel etiam si quid scripserunt, idipsum piorum scriptorum aut temporum injuria, aut adversariorum fraude ac tyrannide perierit: sicut in multis adhuc extantibus libellis legitur, adversarios summo studio id egisse, ut omnia scripta contra suos errores, tyrannidem & impuritatem vitæ conscripta penitus abolerent. Ex hisce ergo ipsis historicis testimoniis abundè probari potest, semper fuisse non pauca millia piorum, rectiusque communi turba sentientium, & vel totum Papatum, vel partes aliquas ejus unà nobiscum damnantium: quandoquidem & ipsa rerum edax vetustas multa talia consumpserit, & Antichristus cum suis sectatoribus summo studio talia oppresserit, & denique unus Doctor multos plerunque discipulos auditoresq; habuerit. Quare falsissimum est Papistarum sophisma, qui nobis nostræq; religioni odiosam novitatis notam, sibiq; vetustatis decus attribuere violenter conantur: quandoquidem & primitiva Ecclesia* fermè trecentis à Christo annis, penitus nobiscum sentiens, à Papatus erroribus, abusibus & tyrannide penitus aliena fuerit: *& in ea quæ postea sequuta est, cum jam semina istarum abominationum pullulare inciperent, plerique ac præcipui doctores eisdem restiterint: & denique regnante jam ac florente* Antichristo Romano, *cum suis desolationum abominationibus; nihilominus semper aliqui, iiq; non pauci doctores & auditores ubique fermè terrarum, eisdem non*

tantùm

tantùm genua incurvare noluerint, sed etiam seriò ac constanter voce, scriptis, & denique sanguine ac martyrio suo repugnarint, ab eisq; se totamq; Dei Ecclesiam liberari toto pectore optaverint, ac ex imis præcordiis gemuerint. Hæc jam breviter in præsens Opus præfari volui, ac simul omnes pietatis amantes orare, ut hunc nostrum conatum & boni consulant, & tum precibus, tum similium Historiolarum conquisitione ac indicatione promoveant. Plurima enim ubique acciderunt, si quis modò tum Bibliothecas veteres excutiat, tum seniores percunctetur, num usquam audierint ante hæc tempora fuisse, qui aliquos errores & abusus Papatus reprehenderint. Quod reliquum est, oro Patrem Domini nostri JESU CHRISTI, ut Ecclesiæ suæ clementer adsit, omnes errores & scandala de medio tollat. Novit certè ipse, qui omnia novit, me semper optasse, & hodie optare, omnia legitimè in Ecclesia fieri, secundum verbum ac voluntatem viventis Dei: nec me ullo modo præsertim in rebus Religionis, violenta, aut etiam carnalia consilia probare.

)()(2 ELOGIA

ELOGIA ET CENSURÆ DE Catalogo Testium Veritatis.

MATTHIAS FLACIUS IN HOC CATALOGO, UBI agit de *THOMA BRADWARDINO*, sub finem.

NObis hoc Opere probandum desumsimus; nempe semper fuisse plurimos Pios ac Eruditos quoque non paucos, qui grassantibus in Ecclesiâ erroribus, scandalis & abusibus repugnaverint; sed propemodum frustra, vincente majore ac deteriore parte meliorem & minorem. Quò minus verò id appareat, etiam illud in causâ est, quod talia scripta ac monumenta subinde sunt à Pontificiâ cohorte suppressa, aut etiam prorsus abolita.

WOLFGANGUS WISSEBURGIUS, THEOLOGUS Basileensis, in Præfatione *Antilogiæ Papæ*, quâ de corrupto Ecclesiæ Statu & totius Cleri Pontificii perversitate aliquot veterum Autorum Tractatus edidit, adjutus auxilio Flacii, cujus tamen nomen supprimit, nosque id habemus ex hoc Catalogo Veritatis Flacii, cùm aliquoties meminit, *se curasse edi* illos Autores.

P*Apisticæ deceptiones non nuper cœperunt damnari, sed nullo non tempore fuêre, qui stulti illius Pastoris (quem Dominus in terrâ suscitaturum per Prophetam minitatur) mendacia & imposturas animadverterent, atque* scriptis *etiam* publicis *notarent saltem, si non omninò proscinderent.* De fructu & usu horum scriptorum in publicum proferendorum disserit.

D. ÆGID. HUNNIUS QUÆST. ET RESPONS. DE ECCLESIA Christi pag. 165.

POssumus nos ostendere, qui sub Antichristi Regno fuerint ad reclamandum erroribus Synagogæ Pontificiæ mirabiliter excitati, inter quos maximè insignes sunt *Iohannes Hussius* & *Hieronymus Pragensis*, in Satanæ conciliabulo combusti. Similiter *Divus Bernhardus*, *Johannes de Wesalia*, *Petrus Waldus*, & hunc secuti *Waldenses*; inprimis etiam *Hieronymus Savanarola*, testis ac servus Iesu Christi fidelis, qui ob sincerioris fidei professionem à bicorni bestia crematus est, ut Hæreticus, aliique longè plures, qui in *Catalogo Testium Veritatis* recensentur; partim à purpuratæ & sanguine Martyrum temulentæ Babylonis satellitibus suppressâ illorum nomina ad notitiam nostram non pervenerunt.

ADRIANUS REGENSVOLSCIUS lib. 3. Histor. Ecclesiast. Sclavonicarum Ecclesiarum. p. 353, 354.

MAtthias Flacius Illyricus, in Illyrico sive Sclavonicâ Istriæ conterminâ, Albonæ oppido an. 1520. nat⁹, Basileæ primò; dein Tubingæ, ubi usus est hospitio popularis sui Matthiæ Garbicii, Græcæ Linguæ Professoris; pòst VVitembergæ in studiis pietatis versatus, Linguæ sanctæ in Academiâ Professor; dehinc flagrante bello Germanico, Magdeburgum profectus, Ienæ tandem Theologiam professus an. 1557, sed ob motam cum Victorino Strigelio de Libero arbitrio controversiam, dimissus post quinquennium; denique Ratisbonæ, Antverpiæ, Francofurti ad Mœnum, Argentorati exulans aliquot annis, obstinatus dogmatis sui, de Peccati substantia, semel professi defensor; cæteroquin *immortali nomine* ob *Clavem Scripturæ, Centurias Historiæ Ecclesiasticæ Magdeburgenses, Catalogum Testium Veritatis &c.* dignissimus.

CONRADUS LAUTENBACHIUS IN PRÆFAT. VERsionis Germanicæ Catal. Verit. pag. 17. edit. Francofurt. 1573.

ES ist leichtlich zu gedencken / dieweil ein einziger Mann (Matth. Flacius) ein solche grosse Anzahl der treuen Zeugen Christi / die mehrentheils offentlich geprediget / und Schrifften hinder sich gelassen / hat können zusammen lesen / wie viel werden dann wol sonst gemeiner Leuth unter dem vollen Bapsthumb gewesen seyn / die sich für Forcht nicht haben herfür thun dörffen / uñ in keine Historien auffgezeichnet worden. Dieweil dann in diesem Catalogo Testium Veritatis nicht allein auß Heiliger Schrifft / sondern auch auß vielen alten Lehrern / Scribenten / Concilien / und Historien / genugsame Zeugnuß der Warheit wider das Bapsthumb eingeführet werden / haben sich fromme Christen nicht allein zu belustigen / sondern auch hierauß zu sehen / auff was faulem Grund das gantze Bapsthumb stehe / und zu mehrerer Bestättigung ihres Glaubens wahrzunehmen / daß D. Luther / und diejenige / so ihm GOtt zu Mitgehülffen zugeordnet / nicht auß Vorwitz oder Ehrgeitz / wie ihm fälschlich zugemessen wird / auch nicht zum ersten das Bapsthumb gehasset und angefochten / sondern daß sie ein Christlicher Eyfer und Liebe der Warheit dahin getrieben; auch sonst die Bäpstische Irrthumb von vielen gutherzigen Christen vor etlich hundert Jahren seyen angefeindet und widerlegt worden. Damit aber diese gute und fleissige Arbeit Herrn M. Matthiæ Flacii nicht allein dem Lateinischen Leser / sondern auch vielen frommen Leyen in Teutschland nutz möchte werden / so habe ich mich auff deß Autoris, und sonst vieler gutherzigen Christen Bitt und Begehren unterstanden / diesen Catalogum auß dem Latein in unsere Teutsche Sprach zu bringen. Ich bin zwar offt müde und überdrüssig über dieser Version worden / weil das Buch ziemlich groß / nicht einerley stylum und gewisse Art zu reden hat; mich auch schwer ankommen / das Pfäffische / Münchische und verlegene Latein / deßgleichen die Bäpstische / Sophistische und Außländische Terminos zu verteutschen / und muß frey bekennen / wann ich nicht von gelehrten Leuthen / und sonderlich von

dem Authore in etlichen Stücken Bericht empfangen/ hätte ich diese Version noch wol eine Weil ersitzen lassen.

IOHAN. GERHARDVS CONFESS. CATHOLIC.
lib. 1. gener. part. 1. c. 4. titulo, *de Doctrinæ in Rom. Ecclesiâ corruptione*, p. 130.

E*Cquis verò enumerare posset Querelas de Corruptelis Vitæ & Morum* (de Doctrinæ corruptione antea p. 96. seqq. egerat variis testimoniis Veterum,) *quæ tum ante Lutherum, tum ætate Lutheri publicè in Ecclesiâ sonuerunt? Integrum omninò librum ex ejusmodi querelis complere possemus, si speciatim eas recensere velimus ex Bernhardo, Joachimo Abbate, Joanne Saresberiensi, Hugone de S. Victore, Honorio Augustodunensi, Vbertino à Casali, Marsilio Patavino, Alvaro, Pelagio, Nic. de Clemangis, Brigitta, Joh. Gersone, Platina, Mantuano, & aliis longè plurimis, quorum testimonia pleraq;* Catalogus Testium Veritatis, & Iohannes VVolfius in Lectionibus suis memorabilibus *magno numero adducunt.*

D. PETRVS HABERKORNIVS CONTRA IOD. KEDDIVM & Forerum Disp. 10. p. 395, 399, 400, 403, 404.

SVb Papatu etiam integri Tractatus contra Papæ politicum Regnum, Curiæ, ut & Ecclesiæ Romanæ turpissimos abusus, errores varios, defectiones ab antiquâ veritate, scandala & peccata, scripserunt, eaque acerrimè reprehenderunt, & originem novorum inventorum depinxerunt, & Papistarum errores & abusus masculè nobiscum rejecerunt, quos vide in Catalogo Testium Veritatis, & in Centenariis VVolfii Icti, Viri egregii. Forerus quidem dicit, Catalogum T. V. esse *plenum apertis mendaciis, & Catalogum Testium falsitatis* esse; at si accusasse sufficeret, quis innocens foret? Ac de *falsitatibus* illis respondebitur, *ubi nominabuntur*, quæ sunt ejusdem Foreri verba, quæ meritò ei obvertimus. Ipse Autor illius Catalogi jamdudum illam accusationem confutavit, ex *authenticis autoribus* sua recitans atque ob oculos ponens; sicut etiam semper ad ipsorum Autorum libros proprios provocat, ex quibus illa, quæ narrat, transumsit. Quin Ictus VVolfius, Dresserus, aliique, qui tamen omnia pensiculatè examinârunt, eadem postea repetunt, & ex iisdem Autoribus pleniùs retexunt. Iesuita quoque Schererus Honorium Augustodunensem valdè laborat nobis è manibus eripere, & Aventinum extenuare & elevare, sed Iesuitæ veritatem Catalogi illius labefactare nequeunt, utut omnem eâ in re lapidem moveant. Perstat adhuc Catalogi nostri ἀξιοπιστία, neque illam Iesuitæ evertere possunt.

IACOBVS THOMASIVS SCHEDIASMATE HISTORICO de Theologiâ Mysticâ, Hæresi Gnosticorum &c. pag. 62.

COnstat *Berengarium de S. Cœna* idem sensisse, quod Calvinum. Ideo discipulis hujus valdè carum est Berengarii nomen. Quem ea propter & Simon Goulartius *Flacii Catalogo Testium Veritatis* inserendum putavit, unà cum pluscu-

lis aliis ejusdem sententiæ Patronis, quorum apud Flacium nec vola compareс, nec vestigium. Neque verò pro eo zelo, quo constanter est complexus orthodoxiam in Certamine Eucharistico Flacius, unquam hos tales in Catalogo suo ferre potuisset, aut horum ψευδερμηνείας pro testimonio Veritatis allegasset. Vt adeò minimè dissimulanda sit ista *Goulartii in Opere alieno tam audax iniquitas*, præsertim nullo discrimine Flacianis testibus suos immiscentis.

SIMON GOVLARTIVS EPISTOLA AD OTTHONEM à Grünrad, Consiliarium Palatinum Anno 1597. Kal. Febr.

EDitus est ante aliquot annos *Catalogus Testium Veritatis*, ex Veterum scriptis historicis & dogmaticis ab Illyrico, Antiquitatis Ecclesiasticæ curioso indagatore, collectus, cujus ea mens fuisse videtur, ut tantisper, dum Historiæ omnium fructuosissimæ, nempe de Ecclesiæ Christianæ statu à sanctorum Apostolorum seculo ad Annum M. D. XVII. corpus absolutum (*Magdeburgenses Centurias intelligit*) formaretur, partem illam pii Lectores aspicerent, quæ demonstrat, ante Baptismi jacta fundamenta, deinde postquam in Dei populum tyrannidem exercuit, & in ipso Christi templo sedem suam collocavit perditionis Filius, multa piorum millia seculis omnibus extitisse, qui puram doctrinam retinuerunt, Ecclesiæ εὐταξίαν amaverunt, & quando Papismus invaluit, genua Baali seu abominandæ sti desolationi, arcano quodam, sed justo Dei judicio, tandem superbè in loco sancto sese attollenti, genua minimè incurvârunt, ut putidam Pontificiorum jactantiam retunderet, qui de perpetuo, ubique & apud omnes, in doctrinâ & disciplinâ Tridentini Concilii decretis confirmata, consensu gloriantur.

IOH. LAMPADIVS MELLIF. Hist. part. 3. p. 303.

ILlyricus de Ecclesiâ non malè meritus, edito Catalogo Testium veritatis, & adornatis Centuriis Ecclesiasticis Magdeburgicis.

MELCHIOR ADAMI IN VITIS Theologorum p. 475.

SVâ laude defraudandus non est M. Flacius ob egregia scripta, quibus aut Antichristi regnum oppugnatum, aut Theologiæ studia studiososve ivit adjutum; ommendantur enim ex illis primùm *Cleris S. Scripturæ*; deinde *Centuriæ Ecclesiasticæ Historiæ*; tertium locum facilè obtinet *Martyrologium* seu *Catalogus Testium Veritatis*.

MICHAEL BVSCHIVS PROFESSOR IVRIS ET HISTORIARVM Franequeranus de Naturâ ac Iure Bonorum Ecclesiasticorum Memb. 1. p. 171.

DE Monachorum totiusque Cleri dominandi libidine fraude, rapacitate & effrænâ licentiâ ubertim testatur Catalogus Testium Veritatis.

INDEX EXPVRGATORIVS BELGICVS

pag. 5. edit. Antuerp. Ann. 1571.

POntificii recentiores, Romaniq; Inquisitores, observantes, Catholicos Veteres multa & in doctrinis & in moralibus sibi adversa tradidisse, occurrendum censuerunt σοφῷ φαρμάκῳ, scribentes: *Quum* in Catholicis veteribus alijs *plurimos feramus errores, & extenuemus, excusemus, excogitato commento* (en Censorũ fidem!) *persæpe negemus, &* commodum *iis* sensum affingamus, *dum opponuntur in Disputationibus, aut in Conflictionibus cum Adversariis, non videmus, cur non eandem æquitatem & diligentem recognitionem mereatur Bertramus,* (& quis alius?) *ne Hæretici ogganniunt nos Antiquitatem pro ipsis facientem exurere & prohibere.* Hoc emplastrum judiciosè imponunt Belgici Censores & Expurgatores, qui Philippi II. & Ducis Albani auctoritate ac consilio Expurgatorium Indicem concinnârunt. Alio & diverso judicio Censores Hispanici, nodum Gordium secantes, unâque liturâ delentes Bertramum, unaque alios, qui è veteribus ἀνόμοια loquuti fuêre. *Deleatur*, inquiunt, *tota Epistola Udalrici, Episcopi Augustani, de Cœlibatu Cleri. Item totus liber Bertrami Presbyteri de Corpore & sanguine Domini penitùs auferatur.* Hæc severioris notæ Censores in Indice expurg. Hispan. Cardin. Quirogæ edit. Madriti 584. in fine literæ O; vel edit. Genevens. Nõ verò aliud nobis nunc occurrit aptius responsum, quàm quòd olim Gentilibus, eodem modo agentibus, Arnobius dedit: INTERCIPERE SCRIPTA, ET PUBLICATAM VELLE SUBMERGERE LECTIONEM, NON EST DEOS DEFENDERE, SED VERITATIS TESTIFICATIONEM TIMERE, lib. 3. adv. Gentes.

GISBERTVS VOETIVS IN BIBLIOTHECA THEOLOGIÆ Studiosi lib. 1. c. 8. p. 69, 70.

HIstoria Ecclesiastica est triplex; *Antiqua* à Pappo conscripta; *Intermedia* apud Plesseum in Mysterio; & *Nova*, tùm ante Reformationem, tùm post. Theologiæ intermediæ ætatis specimen aliquod dedit Thomas Iamesius, in Capitibus inter nos & Pontificios controversis; reliqua desumi possunt ex Plessæi Mysterio Iniquitatis usque ad seculum decimum. Sanior Theologia à decimo seculo usque ad tempora Reformationis duplex est, alia separatorum à Papatu, uti VValdensium apud Ioh. Paulum Perrinum; & VViclefistarum atque Hussitarum apud *Illyricum in Catalogo*, & Plesseum in Mysterio, inprimis in editis eorum Confessionibus, Apologiis, Liturgiis & Constitutionibus Ecclesiasticis; alia non separatorum, *Testium* scilicet *veritatis apud Illyricum* & Plesseum. Vtique Theologiæ & Intermediæ & Novæ nos indicium ferimus in Diplomate de vi veritatis in medio Papatu. *Eundem Catalogum* Testium Veritatis *commendat lib. 2. Append. 1. p. 597, 598. & Appar. special. p. 653. & 661.*

TESTES VERITATIS, QUI ANTE nostram ætatem vixerunt; sive Catalogus Scriptorum, qui Papæ ante Lutherum reclamarunt.

I. SANCTUS PETRUS.

INjuriam fecero, satis scio, divo Petro, si eum vel Papam, vel horum Paparum antecessorem, præcipuè autem si eum istius pestilentiæ sedis quasi fundatorem authoremq; fuisse dixero; nam quid de ejus Romano vel Episcopatu vel Papatu sentiendum sit, alibi satis prolixè, præsertim autem in *Historia Sextæ Carthaginensis Synodi*, declaravi. Verùm quandoquidem Pontificii omnino volunt, Petrum quasi *choragum*, *præcentorem aut præsultorem suum esse*; & solet aliquando Deus non bona, sed & mala quoque secutura, etiam in sanctis suis depingere; sicut eruditi quidam non ineptè scribunt, Christum suo somno in periclitante navi significare voluisse, sic aliquando in summa rerum difficultate ac periculo Ecclesiæ, Episcopos profundum somnum molliter in cervicali opulentiæ bonorum Ecclesiæ dormituros esse. Cum igitur verisimile sit, in Petri quoque quibusdam factis, aut etiam peccatis, Romanorum Episcoporum vitam regimenque depicta, & veluti præfigurata esse; cumque adversarii tanto studio omnia, si quæ in commendationem ejus usquam in sacris literis vel verè, vel verisimiliter tantum dicta sunt, coacervant & deprædicant; non absurdè, nec inutiliter mihi facturus videor, si hîc statim initio omnia ea colligam, recenseamque, in quibus Petrus non tantum peccasse, sed & *Romanos Papas quasi præfigurasse, depinxisseq;* videri meritò possit.

Cur de S. Petro statim initio agat.

Primùm, negari non potest, Petrum humilis generis & conditionis, illiteratumque fuisse; Sic & Papæ plerunque ex infima fece, paulatim malis artibus ad eam tyrannidem perveniunt, & plerunque indoctissimi asini fuerunt. Non turpe 1.

quidem

quidem illud Petro fuit, nec ei exprobrandum; quandoquidem omnes homines
Act. 10. perinde ad Dei imaginem conditi ſumus, & in omni conditione ac vitæ genere homines Deo placere poſſint; & Deus etiam nullius momenti homunciones ampliſſimis donis ornare, & ad prædicationem Evangelii idoneos facere poſſit & ſoleat, præſertim verò in Apoſtolis & Prophetis id fecit; & denique illi non ad hujus mundi opes, potentiam ac regnum, ad quæ tum generis nobilitas, tum induſtria inſignis, tum etiam literæ aliæque bonæ artes ac exercitia à teneris ſuſcepta, ſunt neceſſaria. Verùm turpe Papis eſt, quod & illiterati indoctique ad tantam functionem regiminis totius Eccleſiæ (cum jam non perinde linguarum aliaque dona ad miniſterium neceſſaria, nobis ut olim immediatè donentur, ſed ſtudio ac labore addiſcenda ſint) & ignobiles ad imperium orbis terrarum ſibi rapiendum præcipiti ambitione ferantur. Turpe etiam, quòd obliti penitus ſuorum incunabulorum, ſuarumque ſordium, mox ut *triplicem illam coronam* ſuſceperunt, in tantum faſtum ſuperbiamque erumpunt, ut etiam Regibus ac Cæſaribus planè barbarica tyrannicaque inſolentia, fœtidos ſuos pedes exoſculandos obtrudere non vereantur; cum
1. Pet. 2. tamen Deus etiam per ipſum Petrum, cujus ſucceſſores eſſe, vel videri potius volunt, eos omnibus Magiſtratibus ac Regibus parere & ſubeſſe juſſerit.

2. *Secundò*, ambitione ac cupiditate potentiæ laboraſſe aliquoties Petrum, negari non poteſt; nam ut taceam alias contentiones, de primatu ſæpius cum aliis Apoſtolis ſuſceptas, ſolus audet objicere Chriſto, *ſe ipſius cauſa omnia reliquiſſe*; & certum præmium, quod ille tunc carnale ſomniabat, poſtulare ac ſtipulari, cum nihil *niſi miſeriam paupertatemq́ reliquiſſet.* Qua Petri imbecillitate proculdubio ſignificatum eſt, eos Epiſcopos, qui de Petri ſucceſſione gloriantur, conſimili, imò verò *infinitis partibus* majore ambitione laboraturos.

3. *Tertiò*, non intelligens Petrus myſterium paſſionis Chriſti, ac beneficium, inde ad genus humanum perventurum; ſed totus in cogitatione, ſpe, ac cupiditate hu-
Matth. 15. manæ potentiæ, quam ex regno Meſſiæ ſperabat, immerſus, objurgat audacter Chriſtum, quòd ad patiendum pro humano genere ſit paratus. Verùm Chriſtus eum repellit graviter, objiciens ei inſcitiam & contemptum rerum divinarum, cupiditatemque humanæ potentiæ, (hoc enim verbum φρονεῖν valet, ſi quis id diligentius expendat) qua ſcandalo ſit etiam ipſi Domino. Quare etiam *ſatanam* eum vocat, & à colloquio ſuo repellit. Quam hiſtoriam adverſarii, quod ſtatim
Matth. 16. illam aliam ſecuta eſt, ubi ipſi volunt, primatum Petro ac Papis traditum eſſe, vel in primis ſumma diligentia obſervare deberent; quo inde certò animadvertere poſſent, quòd etiamſi Petro aliquod privilegium, ac aliquis primatus, ut vocant, datus fuiſſet, tamen non ita datum fuiſſe, ut *Satanas* fieri, ac à Chriſto rejici non potuerit. Quare & hæc tam perverſa Petri ambitio, & rerum divinarum tum ignorantia tum negligentia, ac ipſiſſimus ſataniſmus, ut eum Chriſtus vocat, tam repentè illam egregiam laudem conſecutus, haud dubiè ſignificavit, Romanum

Epiſcopum,

Episcopum, quòd primus, ac *privilegiorum Petri hæres esse volet*, mox futurum rerum cœlestium ignarum ac contemptorem, humanarumque opum potentiæ ac voluptatum studiosum, futurum etiam scandalo Ecclesiæ Dei, & ipsissimum satanam à Domino IESU modis omnibus rejiciendum ac repudiandum.

Quartò, in ipsa passione (ubi in primis futuræ Ecclesiæ Dei calamitates depictæ sunt) Petrus est primùm perperam devotus, seu pius. Non vult se à Christo lavari; quo proculdubio significata est ista Papistarum perversitas & impietas, qui nō solo Christi merito lavari ac mundari, seu justificari volunt, sed suis quibusdam lotionibus ac meritis. Deinde ibidem Petrus grandia de sua constantia jactat, ac Christo omnibusque Apostolis pollicetur: & tamen paulo pòst, cùm periculum adest, minus nihilo præstat. Talis fuit semper Ro. jactantia, qui grandia quidem de se jactarunt, & tamen nihil boni Ecclesiæ Dei in summis difficultatibus præstiterunt. 4.

Quintò, in periculo parat Petrus gladios, parum Domini verba ac mandatum intelligens; quin & pugnare ferro pro Christi carnali regno contra ejus voluntatem conatur. Quo haud dubiè indicatum est, & Papam Romanum, commentitium Petri successorem, olim duos gladios, *Politicum* & *Ecclesiasticum*, sibi contra Christi voluntatem rapturum esse; sicut etiam eum ipsum typum in sese quidem Papa completum esse voluit, qui una die Cæsaris, altera proprio habitu, cum duobus gladiis sese spectandum præbuit, & proclamari jussit: Ecce *duo gladii*. Eodem etiam illo facto significatum est, Papam non confessione, aut doctrinæ puritate, sed *gladii violentia*, suam Ecclesiam, seu cœtum adjuvare ac tueri conaturum. 5.

Sextò, in ipso periculo, qui antea *grandia* de sua constantia, erga Christum amore & fidelitate jactaverat, paulo pòst ne vigilare quidem vel unicam cum ipso horam potest; sicut ei Christus nominatim duriter exprobrat. Quare etiam paulo pòst *unius ancillulæ voce* perterrefactus, *ter grandi perjurio Christum abnegat.* Quo nimirum evidentissimè præfiguratum est, Romanos Episcopos, qui sese *Petros* esse jactitant, Christum Dominum, etiamsi non verbis, at certè reipsa penitus abnegaturos, ab eoque defecturos esse. 6.

Deniq; etiam post acceptum Spiritum S. subinde sua quædam peccata, suosque lapsus quosdam prodit. Iam enim *vocationem gentium* non intelligit, eoque *cœlitus singulari visione* rectius eruditur à Deo. Iam turpiter *simulans se ab Ethnicorum consortio abhorrere, non recto pede ad Evangelii synceritatem incedit, & tantum non eam turpiter prodit.* Quare acriter à Paulo objurgatur, & in viam quasi magna quadam vi manuque apprehensa trahitur. Demum etiam parum acriter pseudoapostolorum perversitati ac impietati restitit, qui de Petro tanquam suo præceptore, majorisque authoritatis Apostolo cæteris, coram omnibus Ecclesiis gloriabantur; hacque quasi umbra nominis ejus adjuti, puritatem Evangelij Christi, Pauliq; authoritatem labefactabant & convellebant.

Quapropter ita à Paulo ille Petri primatus rejicitur, retunditur ac abjicitur, ut ille planè neget, se in ulla parte Petrum pro suo superiore agnoscere; nec se ab eo didicisse Evangelium; nec jus docendi petiisse; nec denique quicquam penitus ab eo habere. Quin potius se Petrum Antiochiæ enormiter perniciosèque errantem, rectius edocuisse, & graviter coram omnibus objurgasse, sèque solum plus Petro & aliis laborasse. Quare in simili quæstione, in prima ad Corinthios severiter pronunciat & monet Paulus, neminem debere vel de Petri, vel de aliorum homuncionum nomine, tumere ac gloriari; sed de solo Christo, qui solus pro nobis mortuus passusque sit, ac nos de peccato, morte & inferis redemerit; non de Petro, aut aliis Apostolis, quantumvis celebribus aut laudatis.

Hæc de Petri tum gravissimis lapsibus, tum imbecillitatibus ac infirmitatibus, jam hic dicere volui; cùm ideo, quòd Antichristus cum sua turba, tam solicitis articulis computat Petri laudes, si quæ ex Evangelica historia ei vel verisimiliter solum tribui possunt, easque omnes in se hæreditate ac successione quadam necessariò transisse, sèque ipsissimum Petrum esse contendit: ut pari ratione etiam tetros ejus lapsus, gravissimaque probra, ob quæ ab ipso cordium cognitore Domino *satan* vocatus est, ad se pertinere, hæreditateque aut successione pervenisse statuat; tum ideo, quòd verisimile est, Deum in vero Petro fictitiorum istorum, ut ita dicam, Petrorum mores, vitam & facta depingere seu præfigurare voluisse. Quæ cum in ipso Petro, licet mox pœnitente, tam severiter damnaverit, ut eum etiam *satanam* vocaverit; facilè est inde divinare, quid de istorum Antichristorum perpetuis furoribus, impietatibus, vel horribilibus libidinibus, blasphemiis, hæresibus, idololatriis, & tyrannica contra Ecclesiam ac veritatem persecutione censeat ac judicet, aliosque judicare velit atque jubeat.

* Non aliis ornamentis oportebat esse splendidum Christi in terris Vicarium Petrique successorem, quàm quibus excelluit ipse Christus Christique Præco Petrus. Quàm verò distent invicem *sedis Romanæ Præses atq; Petrus, Christus atq; Pontifex Romanus*, Simon Goulartius laboravit monstrare in suis novis ad Flacium Additamentis, quæ plus onerant, quàm ornant Catalogum. Brevitati studuit Flacius, censens commodiùs hæc tractari, si quis velit esse prolixior, alio quàm hoc Opere, sicut is ipse peculiarem librum edidit de Petri Apostolatu, Officioque, ad quem nos hìc remisit. *

II. Sacræ literæ.

SAcræ literæ non tantum eatenus pugnant cum Papa, ejusque erroribus, quòd contrariam doctrinam proponunt; sed etiam, quòd disertè & prædicunt venturum esse Antichristum, & non obscurè indicant eum ipsum esse Papam, & errores ejus ac furores depingunt; nam S. Paulus docet, quòd Antichristus *in templo Dei* sessurus, & ibi potentiam suam ostentaturus, & tyrannidem exerciturus sit.

Templum Dei, pro Ecclesia.

Est

Est autem jam templum Dei, ipsa tota ejus Ecclesia, *Vos estis templum Dei viventis.* 1. Cor. 3. 6.
Nec habet jam Deus templum materiale in aliquo loco, sicut olim Hierosolymis, & 2. Cor. 6.
quod ante multa secula funditùs est deletum. Sed quis alius se in Ecclesia Dei extulit, exaltavit & ostentavit, quàm Papa? Item dicit, quòd se ostentabit *tanquam Deum*, quòd sese efferet supra Deum & ejus cultum; quod Christus ita declarat, *quòd in nomine Christi veniet.* Matth. 24.
Certum autem est, Papam sese pro Vicario Christi venditasse; & tamen majorem sibi potestatem usurpasse, quàm quantam sibi Filius Dei usurparit; nam Christus se semper Scripturæ subjecit, & dixit, se quæ faceret & pateretur, facere & pati, ut Scriptura impleretur. At Papa dixit, se, posse dispensare contra Apostolum & Evangelistam, posse recta facere prava, & contrà. Prædixit item Paulus, quando Antichristus venturus sit, nempe inclinante in ruinam regno Romano; quod itidem cum rei veritate convenit; nam tum Papa cœpit caput suum efferre, & impietates impietatibus cumulare.

Petrus quoque admodum graphicè genuinisque coloribus istum suum successorem, ejusque Prælatos, 2. cap. suæ secundæ Epistolæ depingit; prædicit enim, eos *negaturos* esse *ipsum Dominum, qui eos redemit*; quod planè Papa cum suis fecit, dum illi sese ac alios suis sacrificiis ac meritis redimere & servare voluerunt. Item dicit, eos per avaritiam fictitiis sermonibus de miseris Christianis negociaturos. Id omnino fecerunt Ministri Antichristi, tot excogitatis fabellis miraculorum, apparitionum, reliquiarum sanctorum, &c. Dicit *libidinibus deditos fore, Magistratum contempturos.* Id an non soli Antichristo Rom. ejusque filiolis conveniat, judicent omnes; qui etiam fœtidos suos pedes Regibus ac Cæsarib⁹ exosculandos præbent, quique Reges ac Cæsares pro libito & libidine ponunt ac deponunt, excommunicant, absolvunt, subditosque ipsorum fidelitatis juramento nefariè liberant. Quæ porrò sequuntur ibidem, eos *luxui deditos* fore, *res ignotas damnaturos, habituros cor ad rapinas exercitatum*; habituros quidem *speciem pietatis*, sed futuros tamen *veluti nubes sine aqua*, efflaturos grandia & sesquipedalia verba &c. Quæ omnia profectò planè ad amussim Papæ, ejusque pomposis Cardinalibus & Prælatis, ac reliquis Sacrificiis conveniunt.

Daniel docet, eum *non curaturum amorem mulierum*, id est, honesta conjugia; sicut & D. Paulus prædixit, *prohibiturum conjugia, & usum ciborum.* Notum est autem, Papam utrumque horum fecisse; nam conjugium suis spiritualibus prohibuit, & in universum de Conjugio ita docuit, quòd sit immundum & carnale vitæ genus, minusque Deo gratum.

Indicavit etiam *Ioannes in Apocalypsi tempus*, quo regnabit; nempe 1260. dies, id est, annos; ut Scriptura sæpe in prophetiis & typis per diem, annum notat. Item Apoc. 13.
& personam ipsam, nempe eam, quæ Romanorum imperium collapsum utcunque eriget. Hoc itidem Papa fecit. Indicavit & *locum*, ubi præcipuè habitabit, nempe *Romam*; quam tametsi *Babylonem* vocat, tamen & ipsi Papistæ per *Babylonem* in

Novo Teſtamento *Romam* intelligunt. Vt verò minus dubites, de qua civitate loquatur, addit & hoc indicium, quòd ea civitas ſit extructa *ſuper ſeptem colles, & habeat dominium orbis terrarum*; quorum utrumque de *Roma* tunc verè dictum eſt. Ipſum etiam nomen Antichriſti, de quo decimotertio capite Apocalypſis agitur, Irenæus libro contra hæreſes quinto interpretatur eſſe LATINUS. quo diſertè Papa notatur; nam is in Latio dominatur.

Hæc breviter dicere volui, ut commonerem ſolùm, Sacras literas diſertè Papam arguere, quòd ſit Antichriſtus; nolo enim nunc prolixius explicare, quomodo & Sacerdotium & Regnum Chriſto ademerit, per nova ſacrificia, novos mediatores, & Eccleſiæ propugnatores, ſeu patronos, nam hæc omnia plenè ab iis peti poſſunt, qui de hac re diligentius & prolixius diſſeruerunt.

Poſtquam probavi, Sacram Scripturam diſertè oſtendere, ſeu prædicere, Papam eſſe Antichriſtum, qui veritatis teſtis ampliſſimus, & fide digniſſimus eſt; jam adjiciam etiam *Primatum*, de quo nunc Papa tantopere gloriatur, non ſemel agitatum damnatumque eſſe tum à Chriſto, tum à Paulo; nam ut minimum quater
Matth.18. 20.23. quæſtio hæc ab Apoſtolis mota eſt, & à Chriſto penitus damnata. Item, in poſtrema cœna, Lucæ vigeſimoſecundo. Nunquam Chriſtus reſpondit, ſe jam ſemel Petro Primatum dediſſe; non oportere ipſos de re acta & tranſacta toties rixari; quòd
Matth.16. profectò feciſſet, ſi Petro Primatum, ut Papiſtæ volunt, dediſſet; ſed ſemper duriſſimè omnem talem Apoſtolorum cogitationem refutavit, ac damnavit, quaſi noxiam, Ethnicam ac nimium carnalem. Quare manifeſtiſſimum eſt, Chriſtum ipſum iſtam furioſam ambitionem & tyrannidem Antichriſti Romani acriter non ſemel taxaſſe, ac condemnaſſe. Eodem modo & Paulus in Epiſtola ad Corinthios, & præſertim ad Galatas quinto & ſecundo, cum quidam Pſeudoapoſtoli de Petri ſui præceptoris, authoritate ac primatu gloriarentur, non tantum prolixè negat, ſe à Petro quicquam habere; ſed etiam gloriatur, ſe eum acriter Antiochiæ errantem objurgaſſe, ſe plus eo aliiſque omnibus Apoſtolis laboraſſe; & denique alligat eum ad ſolam Iudaicam gentem, eumque eſſe *Iudæorum Apoſtolum* affirmat, ſe verò *Gentilium*; eum enim ſic data dextra promiſiſſe, quod velit concionari Iudæis, ſe verò debere docere Ethnicos. Summa, tanta vehementia rem agit Paulus, ut omnino dubium non ſit, Spiritum Sanctum ibi potiſſimum Antichriſti Romani tyrannidem ſeu Primatum reſpexiſſe, & oppugnaſſe.

Hæc jam breviter dicere volui de locis quibuſdam præcipuis ſacrarum literarum, quæ quaſi ſtudio propriè contra Papam ſcripta directaque eſſe videntur; nam alioqui tota Biblia ei contraria ſunt, ſicut abundè à noſtris Eccleſiis & doctoribus hactenus prolixis voluminibus oſtenſum eſt, & ſubinde magis ac magis ſcriptis & concionibus oſtenditur.

3. Canones

III. Canones Apostolorum.

CAnones Apostolorum, de quibus jam olim variè certatum est, an pro authenticis habendi sint, aut pro apocryphis rejiciendi; ut qui multa contineant veris Apostolorum Canonibus aut contraria, aut dissimilia; (*multa item, quæ aliquot post Apostolica seculis, invecta sunt; Goulartius p.* 54.) & tamen tandem à Pontificibus recepti, ut ex Decretorum distinctione 16. apparet, mandant, *ne Episcopus aut Sacerdos prætextu Religionis uxorem dimittat.* Qui contrà fecerit, eum excommunicant. Anathematizant & eos, qui nolunt comedere carnes Religionis causa; quod Papistæ faciunt, quibus nefas est, die Veneris, aut in quadragesima, gustare tantū carnes vel casu, ne dicam comedere. Et quidem hæc duo decreta bis ponunt, & disertè dicunt: *Si quis Episcopus aut Sacerdos abstinet à conjugio, non exercitii cujusdam gratia, sed quia illa per se abominetur, eum deponendum & excommunicandum esse.* *Concilior. Tom. 1. Colon. 1538. fol. 5. Centur. Magdeb. l. lib. 2. c. 7. col. 530. ad col. 545.*

Affirmat & *sexta Synodus*, (de qua postea in suo titulo agemus) tum Apostolorum Canones, tum & Sanctos Patres non tantum Conjugium, sed & procreationem liberorum Sacerdotibus permisisse; ipsaque illa sancta Synodus conjugium Sacerdotum tuetur disertè contra Romanistarum Canones. Vide *distinct.* 31. *cap. Quoniam, &c.* Hinc apparet, Sathanam statim sub initium Ecclesiæ istas suas doctrinas de Sodomitica castitate, ciborumque prohibitione piis obtrudere conatum. Sed aliquandiu ei à piis repugnatum esse, donec error tandem veritatem oppressit.

In Apostolorum Canonibus & illud observandum est, quòd cum de politia Ecclesiæ dicunt, Sacerdotes simpliciter Episcopis & Archiepiscopis, sine omni ulteriori appellatione subjiciunt, eoq; eos in disceptatione controversiarū ablegant, nec ullam planè Papæ aut Romani Episcopi mentionem faciunt. Vnde apparet, Primatum Papæ & sedem Apostolicam, seu tyrannicam potius, Romanistarum commentum esse. Dignissimum illud quoque observatu est, quod 34. Canone, non minus Archiepiscopi ad Episcopos, quàm hi ad illos obligantur. Vnde apparet, maximum tunc æqualitatis in Ecclesia studium fuisse, plurimumque ab Antichristiana tyrannide omnes abhorruisse.

* Canone 10. Missæ privatæ disertis verbis damnantur. Canon. 17. Concubinarios è gradibus Ecclesiasticis deturbat. Goulart. ibidem.*

IV. Græca Ecclesia, & conjunctæ.

ECclesia Græca, eique conjunctæ, Asiatica, Macedonica, Mœsica, Valachica, Ruthenica, & Muscovitica, item & Aphricana, id est, totus mundus, vel certè longè maxima ejus pars, nunquam *Papæ Primatum* communi consensu concesserunt, *Græca Ecclesia cum adhærentibus dogmata contra Papatum.*

runt,nunquam *Purgatorium* probarunt, nunquam *privatas missas*, nunquam *vigilias* (ut vocant) *pro mortuis*, nunquam *indulgentias*, nunquam *communionem sub una specie*, nunquam *necessitatem cœlibatus Sacerdotum*, nunquam *statuarum adorationem*, & alia similia; sed semper iis impietatibus restiterunt, & hodierno adhuc die resistunt; in quibus tota propemodum Antichristi Religio consistit. Quod testimonium clarè probat, ista non esse Catholica dogmata, nec veteri Ecclesiæ nota. Si enim in veteri Ecclesia usitata fuissent, profectò in Græca Ecclesia, per quam Religio Christiana ad Latinam pervenit, quæque Latinarum magistra in Religione fuit, ignota, inusitataq; non fuissent. Semper ergo extiterunt inde ab initio magnæ Ecclesiæ, tum alibi per orbem terrarum, tum & in ipsa Italia, quæ Antichristo contradixerunt, ut nequicquam Papistæ de Catholico suarum impietatum consensu glorientur. Atque hoc profectò veritatis testimonium maximi faciendum est.

Emerici Inquisitiones contra VValdenses.

Basileæ audio esse *Volumen inquisitionum Emerici*, in quo codice hi errores, vel potius veritates Græcis tribuuntur. Quòd Sancti non sint invocandi: imò nec diva Virgo; quia unus sit mediator Christus. Quòd soli Deo peccata confiteri debeamus. Quòd satisfactiones, quæ à Sacerdotibus Papæ imponuntur, sint reprehensibiles. Item quòd omnium ciborum, ut carnis & aliorum, esus sit quavis die licitus. Item quòd vota monastica non sint pia. Item quòd, qui offerant Sanctis qualiacunque munera, faciant Diabolo sacrificium. Item quòd adorare & osculari crucem, sit stultum & impium. Quòd miracula Sanctorum sint falsa. Quòd damnent aquam benedictam. Quòd tantùm valeat Baptismus æquæ fluvialis, quantum consecratæ. Item quòd Decreta & Constitutiones Paparum audiendæ non sint, nec servandæ. Sed vereor, ne non omnia ista eis hoc tempore, & aliquot proximis seculis, verè tribui queant.

V. Clemens Papa (Episcopus Romanus. Goulart.)

Epistola Clementis supposititia.

CLemens, qui Apostolos audivit, & Petro, ut quidam narrant, successit, lib. 5. inquit de cultu imaginum: ***Nos ad honorem invisibilis Dei imagines visibiles adoramus. Quod certè falsum est. Si enim velletis Dei imaginem colere, homini benefacientes, veram in eo Dei imaginem coleretis.*** Et aliquanto pòst: ***Quis ergo iste honor Dei est, per lapideas & ligneas formas discurrere, & inanes atque exanimes figuras tanquam numina venerari: & hominem, in quo vera Dei imago est, spernere?*** Hinc apparet, quid ille pius vir de isto idolorum Papisticorum cultu senserit.

Concil. Tom. 1. edit. Col. 1538. fol. 14.

Huic Clementi tribuuntur aliquot Epistolæ, quæ in libro Conciliorum impressæ sunt. Inter eas sunt quædam ***Iacobo Iusto***, fratri Domini & Hierosolymorum Episcopo inscriptæ; quarum prima admodum prolixa est, ac fermè totum Papatum continet. Celebratur à multis ejus ***Epistola ad Corinthios***, cujus prolixum

lixum fragmentum Clemens Adrianus Stromat. 4. recitat, quod nullam Papalem prærogativam, aut tumorem præ se fert; loquitur verò ita de liberis & uxoribus, tanquam si & ipse conjugatus fuerit.

Quam tamen *suppositiciam* esse, ex eo luce ipsa clarius elucet, quòd fingit ibi Clemens se Iacobo mortem Petri, ac veluti ejus testamentum, ultimam scilicet concionem perscribere; cum (ut omnes historici testantur) Iacobus ille sit plus quàm septem annos ante Petri mortem interfectus; quomodo ergo potuit ei Clemens mortem Petri & novissima verba perscribere? nisi fortè ei in Purgatoriū, aut campos Elysios eam epistolam miserit. Vnde apparet, eam postea ab aliquo impuro Romanista confictam; sicut & ante nostra tempora plures docti viri sensêrunt, & firmis rationibus asseruerunt. Vt de quodam Monacho nomine Kalteisen postea dicemus. Quare nec Hieronymus ullam ejus mentionem facit, cum alioqui non negligenter de ejus scriptis disserat; sed meminit ipsius Epistolæ ad Corinthios, quam valde laudat, quæ utinam extaret. Recitat autem quoddam ejus fragmentum Clemens.

* Extat nunc emissa à Patr. Iunio. *

Deprehensa porrò hujus Epistolæ vanitate, facilè & aliæ non paucæ primorum Paparum ficticiæ esse deprehenduntur; ut *Anacleti* & aliorum, quæ subinde illam Clementis citant. Hinc apparet, quàm scelerate Antichristus Ecclesiam Dei tum adulterinis scriptis, tum aliis infinitis fraudibus circumvenerit.

Iacobus, Episcopus Episcoporum & Rectorum omniū Ecclesiarum.

Sed urgeamus sanè & nos, impios Papistas, suis propriis mendaciis; In titulo illius ipsius Epistolæ talis est inscriptio: *Clemens Iacobo fratri Domini & Episcopo Episcoporum, regenti Hebræorum sanctam Ecclesiam Hierosolymis, sed & omnes Ecclesias, quæ ubiq; Dei providentia fundatæ sunt* &c. Si Hierosolymorum Episcopus, est Episcopus Episcoporum, & debet regere omnes Christi Ecclesias, nec ille Clemens est mentitus; cur id sibi rapit Romanus Antichristus, quod alienum est? In eadem Epistola cum prolixè instruat Clementem Petrus, illud omnino diligenter inculcat, ut curet, *ut Presbyteri sint docti, ac plebem doceant*; nam *alioqui* (inquit) *si cæcus cæcum ducat, uterque & in foveam cadet*. Ubi de judiciis Ecclesiasticis agit, nihil de appellatione ad Romanum Pontificem penitus dicit; sed dicit, Primates seu Patriarchas debere finire causas, quod manifestè contra primatum Papæ est. Monet tem diligenter ac prolixè Clementem, ut à negotiis hujus mundi penitus ac in universum abstineat, & tantum vacet instructioni populi. *Alioqui* (inquit) *fiet, ut tu tanquam qui non docueris quæ ad salutem populi pertinent, deponaris, & discipuli per ignorantiam pereant.* O utinam hoc Papæ persuaderi posset, ut omissis penitus negotiis temporariis, politicoque gladio, tantum doctrinæ Evangelii instruendoque populo vacaret. Observa etiam quod dicit, Episcopum Romanum posse deponi. Prædictam verò Epistolam Papistæ, tanquam egregium quoddam fundamentum, basin aut columnam suorum errorum, suique Antichristianismi, passim citant in suis juribus & scriptis, adhuc hodierna die, nec pudet sanctos istos viros tam mani-

ſcſtæ vanitatis. Nimirum habent ſuam ἀδιαζευξίαι, egregium ſcutum contra omnes lucis radios, veritatisque argumenta; quin & contra ipſum tam ancipitem & acutum Sancti Spiritus gladium, id eſt, contra Verbum ac judicium Dei.

* In verbis Clementis Turrianus *Epiſcopum Epiſcoporum* interpretatur Archiepiſcopum; *omnes* autem *Eccleſias* intelligit in Palæſtinâ ſitas; lib. 2. pro defenſ. Canon. Apoſt. & Decr. Epiſt. c. 13. f. 159; vel quod ſcriptis ſuis omnium ubique Eccleſiarum utilitati conſulere, & omnibus earum commodis proſpicere allaboraret, fol. 160. Verba imitatus fuit Sidonius Apollinaris lib. 6. Epiſt. ad Lupum, Epiſcopum Lirinenſem ſcribens: *Quod tu, Pater Patrum, & Epiſcopus Epiſcoporum, & alter ſeculi tui Iacobus, de quadam ſpeculâ charitatis, neq; de inferiore Hieruſalem tota Eccleſia Dei noſtri membra ſuperinſpicis.**

VI. Dionyſius.

Ceremoniarũ & cœlibatus onera.

DIonyſius Corinthiorum Epiſcopus, floruit circa 150. Domini annum. Is per Epiſtolam, teſte Euſebio, monuit Pynitum Gnoſiorum Epiſcopum, *ne diſcipulos, id eſt Chriſtianos, gravibus oneribus* (ejus verba ſunt) *oneret, néve fratribus cœlibatum obtrudat.* Pynitus verò ei gratias egit, ſententiam probavit, ac petiit, *ut ſibi in poſterum quoque ejuſmodi ſanioris doctrinæ, firmiorisq; cibi alimentum ſuppeditare pergat, quo ſuos auditores alat; ne ſemper lactis cibo inhærentes, infantes permaneant.* Ex quibus verbis licet colligere, illum bonum Pynitum primum traditiunculis cæremoniarum, jejuniorum, virginitatis, & ſimilibus, ſuos auditores onerare voluiſſe, ſed Dionyſium de Pauli ſententia admonuiſſe, illa eſſe infirma mundi elementa, & veluti lac olim Iudæis præbitum: jam Chriſtianis hominibus ſolidiorem & validiorem cibum prædicationis legis ac Evangelii dandum eſſe. Ita videmus, ſemper imperitos ſuperſtitioſoſque homines, cæremoniarum iſtam *umbratilem ſanctitatem* amplexatos eſſe, aliiſque obtrudere voluiſſe. Sed ſaniores doctores contrà, eos ad ſynceram, ſolidam ac ſanam Chriſti doctrinam revocare conatos.

* Euſeb. 4. Hiſt. Eccl. 23. pag. 62. *

VII. Egeſippus.

Eccleſia uſq; ad S. Ioannem virginitas. Euſeb. 4. hiſt. 22. p. 65.

EGeſippus, vir tum pietatis tum eruditionis nomine valde celebris, floruit circiter 160. annis poſt nativitatem Chriſti. Is ſcribit (ut Euſebius 4. & 5. ſuæ hiſtoriæ refert) *Eccleſiam uſque ad mortem Iohannis Apoſtoli* virginem fuiſſe, quam nulli hæretici contaminare potuerint; ſed ab ejus morte, errorem in eam tanquam in deſertam domum irruiſſe. Triſte quidem admodum hoc dictum eſt, ſed tamen contra ſecuros Papiſtas utile, qui poſt tot ſecula à paſſione Chriſti elapſa, adhuc vociferari audent, nihil erroris in Eccleſia eſſe, nec Papam unquam erraſſe, aut etiam

errare

errare posse. Testatur Eusebius eum Romæ plurimos, Valentini & aliorum Hæreticorum peste infectos, in viam revocasse. Vnde apparet, quàm frigidi Doctores tunc Romani Episcopi fuerunt: qui externis auxiliis indiguerunt ad confutandos Hæreticos. Ipse sanè Egesippus apud Euseb. 4. Hist. Eccl. 22. p. 62. narrans, quàm diu Romæ fuerit, sine omni reverentia sanctitatis Papalis nomina, qui tunc sibi invicem successerunt, recenset. Vtinam hujus sanctissimi viri historia factorum Ecclesiasticorum extaret; plura haud dubiè similia testimonia in ea reperirentur.

VIII. Polycarpus.

Polycarpus discipulus Ioannis Evangelistæ, & eruditionis & sanctitatis nomine percelebris, floruit circa 140. annum Domini, aut paulo pòst. Is, ut Irenæus in Epistola ad Victorem Papam scribit, venit tempore Aniceti Papæ Romam, & in primo congressu fuit aliqua contentio inter eos de Paschate, Iejuniis, & fortè aliquibus aliis similibus. Sed *Anicetus* non propterea Polycarpo fuit iratus; quin potius & Eucharistiam cum eo sumpsit, & ut suo loco in Ecclesia Eucharistiam Polycarpus administraret, permisit. Vnde potest intelligi, primùm nondum timuisse ita alios Episcopos Romanum, ut vel in minimis ei cedere necesse esse putaverint. Deinde observandum, & ipsum Episcopum Romanum, ***tanquam æqualem, & non superiorem***, eam in ipsis libertatem fuisse coactum ferre. Observa, quòd etiam plusculum observationi rituum tribuerunt jam tum Papæ, aliique Episcopi ac Doctores: non tamen tantum, ut paulo pòst. Adhuc enim fulgebat lumen aliquod discriminis inter ***adiaphora***, & non necessaria. Cæterùm ita omnino narrat ***Irenæus*** illum congressum inter Polycarpum & Anicetum, ut ***inter pares dignitate***, ut quidem tunc adhuc erant omnes Episcopi. Verba Irenæi infra ejus titulo recitabo.

Episcopi pares. Polycarpus à Victore Papa dissentit in celebratione Paschatis & Iejunii.

IX. Pius primus.

Pius I. Papa sedit circa Annum Dom. CL. Huic in libro Conciliorum tribuitur, Decretalis quædam, cujus tantum particula quædam non ita magna reperitur, quam adscribam. ***Petiistis per Hilarium Chartularium nostrum à beatæ memoriæ decessore nostro, ut omnes vobis retrò temporum consuetudines servarentur, quæ à Petri Apostolorum Principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit. Et nos quidem juxta seriem relationis vestræ consuetudinem laudamus; quæ tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dinoscitur.*** Ex hac Epistola, si modo, ut Papistæ volunt, authentica est, liquidò apparet, Papas jam inde ab initio veteres Ecclesiarum consuetudines, quæ sibi parum essent utiles, immutare cœpisse, eòque ***invitis & reluctantibus Ecclesiis.*** Apparet verò hanc consuetudinem, quasi privilegium quoddam

Pius novitatis affectator.

fuisse, aut certè aliquod præcipuum commodum afferens illi Ecclesiæ, quæcunque demum ea fuit, ut & ea flagitaret sibi veteres consuetudines, quæ inde ab Apostolis durarunt, conservari; & Papa id sibi parum utile esse censuerit. Abeant Romanistæ & glorientur, se veteres canones & consuetudines, bona fide servasse & servare: quæ inde ab Apostolis sint traditæ. Memorabile quoque est in hoc Pontifice; quòd passus sit sibi imponi ab *Hermete* quodam, qui finxit *varias Angelorum visiones* sibi conspectas; totiusque Papatus fundamenta jacit, ut mox dicemus. Cujus tamen liber à veteribus, teste Eusebio, suæ historiæ tertio, & Dist. 15. à Gelasio pro apocrypho damnatus est. Hinc judica, quàm vigilantes, & oculati fuerint, jam tum Romani Pontifices; qui neglectis sacris literis fictis visionibus crediderint.

X. *Hermes Pastor.*

EOdem tempore Pii, vixit quidam *Hermes Pastor*, cujuslibet Visiones, ab Angelo sibi sub specie *Pastoris* monstratas, jactat; & licet jam olim *damnatus sit*, ut modò audivimus; tamen totius fermè Papatus fundamenta jacit. Quod, ut clarius constet, de ipso ejus libro pauca proferemus.

* Proferunt eadem hæc Centur. 2. Magdeb. Hist. Eccl. c. 4. col 72, 73. *

In doctrina tradenda Apostolos non delectari, nec uti solere Visionibus, constat. Sed hunc Authorem, videas usque ad fastidium, multas *otiosas & frivolas* inculcare *Visiones*, & quidem *supervacaneas*, quæ de illis rebus loquuntur, quæ aliàs per Verbum patefactæ sunt. Quemadmodum etiam ambiguis, obscuris, & omnino inutilibus studet similitudinibus, *quæ nec docent, nec monent aliud ferè quicquam, quàm moralia*; quæ alio genere docendi tradere, longè ei fuisset facilius. Deinde in toto scripto, nullo utitur ordine, nihil definit, nullis argumentis res consectatur, nihil authoritate Scripturæ probat, cujus ne unum quidem adducit locum. Apostoli enim mentionem in genere ponit, & neminem certum nominat, aut alicujus dicta, doctrinam, aut exempla adducit. *De pœnitentia*, contra Pauli & omnium Apostolorum sententiam, ita docet, ut unam tantum admittat, nec quidem fidei aut meriti Christi, in ea doctrina quicquam meminit. Denique si quis attentius fabulosum illud scriptum legat, animadvertet in eo arcana & astuta sparsa semina Antichristi, maximè in visionibus & similitudinibus. Prima enim visio abducit è mundo in solitudinem, sicut & in similitudinibus, multa dicit odiosè in vitam communem. In *secunda & tertia Visione*, multa habet de frequenti conjugio, ut & similitudines de jejunio in pane & aqua. Videtur & ad Purgatorium alludere in *Visione tertia*, ubi inquit. *Habent pœnitentiam, sed in hac turre non possunt convenire; alio autem loco ponentur longè inferiore, & hoc, cum cruciati fuerint, & impleverint dies peccatorum suorum.*

Extant Tom. 3. Biblioth. Patrum, statim initio.

Col. 9. T. 3.

* Hermæ meminêre Origenes, Athanasius, Eusebius, Hieronymus, Theodoretus, Tertullianus, Rufinus, Cassianus, Prosper; quorum testimonia præmisit in editione sua Casp. Barthius. *

XI. Ecclesiæ

XI. Ecclesiæ Gallicæ.

ELeutherius Papa ſedit circa annum CLXXX. Dom. Affirmat Euſebius *lib.5. cap.5.pag.72.* varias tunc ortas fuiſſe contentiones inter Chriſtianos, cauſam verò non indicat. Quare Gallicam Eccleſiam ſuum judicium ad eas miſiſſe, & in primis Eleutherium Romanum Epiſcopum de pace admonuiſſe. Vnde apparet, tum quanta tunc *Eccleſiarum æqualitas* fuerit, cum ſeſe invicem liberè monere ſunt auſæ; tum & quanta inſcitia ſimul, ac etiam *inquietum Romanorum Prælatorum ingenium* fuerit; qui temerè de rebus nihili turbas moverunt, fraternamque pacem, & unitatem Eccleſiæ dilacerarunt. Simile quiddam & paulò poſt accidit, cum Victorem eædem Eccleſiæ, de pace, deque non faciendis ex adiaphoris neceſſariis graviter & ſeveriter admonuerunt. Qua de re mox in Irenæo dicetur; habebimus & infra titulum *Gallicarum Eccleſiarum*. Sæpius enim illi ſeſe Papæ oppoſuerunt.

Libertas Eccleſiarum Gallicarum.

XII. Aſiatica Synodus contra Papam Victorem.

VIctor Romanus ad Polycratem ſcripſit imperioſius, mandans, ut de Paſchate die Dominico agendo, tum Epiſcopis reliquis Aſiaticis convocatis conveniret. Quod niſi fieret, fore, ut ab Eccleſiæ communione excluderentur. Ejusmodi enim chartam dentatam & inſolentem, Victoris fuiſſe Epiſtolam, facilè ex Reſcripto Polycratis conjicitur. Convocat igitur ex vicinis provinciis & Eccleſiis Polycrates Epiſcopos, quos propter multitudinem negat ſe potuiſſe in literis ſuis recenſere. Proponuntur literæ Victoris; res *de Paſchate* agitur; fit deliberatio, & conferuntur ſententiæ. Tandem verò uno conſenſu omnium decernitur, ne quicquam de antiquo ritu obſervato, hinc uſque ab Apoſtolis, proximiſque eorum ſucceſſoribus, ad minas & terrorem Victoris, immutandum; ſed Paſcha, recepto in Aſia more decima quarta, lunæ ab æquinoctio verno primæ, habita nulla ratione diei Dominici celebrandum eſſe, cum id non ſit contra Scripturam.

Epiſcopi Romani faſtum coercetur.

XIII. Polycrates, Epheſiorum Epiſcopus.

MAgnus planè & Apoſtolicus vir, teſte Nicephoro, habitus fuit Polycrates Epheſiorum Epiſcopus. Floruit circa 170. Domini annum. Is Victori, Romano Papæ, urgenti, ut ea die celebraret Paſcha, qua ipſe, *noluit cedere*. Nec ipſe ſolus Papæ in eo reſtitit, ſed & alii Epiſcopi Aſiatici, ut ipſe in Epiſtola ad Papam ſcribit. Quos cum propterea Papa excommunicaret, graviter eſt ab Irenæo & aliis Epiſcopis (ut poſtea dicam) increpatus; ita ut mutare ſententiam, & ab excommunicatione deſiſtere coactus ſit. In Epiſtola de eadem re ſcribit Polycrates ad Papam, *ſe ejus*

Epiſcopus Epiſcopo non cedens.

Polycrates conjugatus *minis non admodum perterrefieri*. In qua & illud notatu dignum eſt, quod dicit *ſeptem ſuorum parentum ſeu majorum Epiſcopos* fuiſſe, & ſe jam octavum eſſe. Vnde cognoſce, an licuerit *Sacerdotibus uxores* habere. Cognoſce etiam audaciam Paparum, qui imperium ſibi jam in Aſiaticas Eccleſias uſurpare conati ſunt.

* Euſebius 5. Hiſt Eccleſ. 24. & 25. p. 82. edit. Baſil. 1549 *

XIV. Epiſcopi Galliæ, & Irenæus.

Irenæi conſtantia contra Rom. Epiſcopum. IRenæus Lugdunenſis Epiſcopus, diſcipulus Polycarpi, auditoris Ioannis, inter Patres longè celeberrimus, floruit circa annum Domini 170. Is unà cum aliis Gallicis Epiſcopis, Victorem Papam, Aſiaticos ob varietatem quandam diei Paſchatos excommunicantem, acriter (teſte Euſebio lib. 5. & Socrate lib. 5. & Tripart. 9.) per Epiſtolam objurgavit; affirmans Paſchatis, Iejuniorum, & aliarum talium rerum eſſe liberam obſervationem. *Cap. 25, 26. p. 83* Libro 5. cap. 25. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ pars ejus Epiſtolæ inſeritur, quam hic unà cum verbis Euſebii adſcribam; multa enim ea monet, ſi rectè expendatur. *Victor Aſiaticos excommunicat.* *Sed ad hæc* Victor, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, *pertinacius agens, paſſim totius Aſiæ, ac vicinarum provinciarum Eccleſias, à communionis ſocietate abſcindere nititur, tanquam in Hæreſim declinantes; & literas mittit, quibus omnes ſimul abſq; diſcretione, ab Eccleſiaſtico fœdere ſegregaret. Sed hoc non omnibus placebat Epiſcopis; quin potius è contrario ſcribentes ei, jubebant, ut magis quæ pacis ſunt, ageret; & concordiæ atq; unanimitati ſtuderet. Deniq; extant etiam ipſorum literæ, quibus aſperius objurgant Victorem, velut inutiliter Eccleſiæ commodis conſulentem*; nam & Irenæus *cum cæteris, quibus præerat, Galliarum Epiſcopis ſcribens, confirmat quidem*, ut in Dominica die Reſurrectionis Domini *myſterium celebretur*; *Victorem tamen arguit, quòd non rectè fecerit, abſcindere à corporis unitate tot & tantas Eccleſias Dei, quæ morem ſibi antiquitus traditum cuſtodirent.* *Irenæi cenſura.* *Sed & de multis aliis commonet per hæc verba.* Non ſolum (*inquit*) de die Paſchæ agitur controverſia; ſed & de ipſa ſpecie jejuniorum. Quidam enim putant, uno tantum die obſervari debere jejunium, alii duobus, alii verò pluribus: nonnulli etiam quadraginta: ita ut horas nocturnas diurnasque computantes, diem ſtatuant. Quæ varietas obſervantiæ non nunc primum, neque noſtris temporibus cœpit: ſed multò ante nos, ex illis (ut opinor) qui non ſimpliciter, quod ab initio traditum eſt, tenentes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam, poſtmodùm decidere. Et tamen nihilominus omnes iſti, etiam cum in obſervantia variarent inter ſemetipſos, & pacifici fuerunt ſemper nobiſcum, & ſunt; nec diſſonantia jejunii, fidei conſonantiam rupit. *Poſt hæc inſerit etiam hiſtoriam quandam, quæ pro ſui opportunitate, nec à nobis debet omitti.* *Cap. 26. f. 83.* *Deniq; ait*: Et illi omnes ante Soterem presbyteri, qui Eccleſiæ, cui tu nunc præes, Sacerdotium tenuerunt, Anicetum dico, & Pium, Hyginumque, & Theleſphorum, & Xyſtum, neque ipſi ita tenuerunt; neque hi, qui cum ipſis erant: & tamen cum

ipſi ita non obſervarent, pacem ſemper habuerunt cum illis Eccleſiis, quæ hunc obſervantiæ morem tenebant: cum utique & ipſis contrarium videretur, quòd non etiam cæteri ſimiliter obſervarent: nunquam tamen ob hoc repulſi ſunt ab Eccleſiæ ſocietate: aut venientes ab illis partibus non ſunt ſuſcepti. Imò potius & omnes Presbyteri, qui fuerunt ante te, omnibus ſemper, qui non ita obſervabant Presbyteris Eccleſiarum, Euchariſtiam ſolenniter tranſmittebant. Beatus autem Polycarpus, cum ad urbem Romam veniſſet ſub Aniceto: cumque de aliis nonnullis parum quid habuiſſent inter ſe: ſtatim tamen coiſſent in pace: de hac quæſtione ita egerunt, ut non unuſquiſque ſententiam ſuam obſtinata contentione defenderet. Neque enim aut Anicetus Polycarpo ſuadere poterat, ut non obſervaret ea, quæ Ioannem Epiſcopum, diſcipulum Domini noſtri, vel cæteros Apoſtolos, cum quibus ſemper fuerat, obſervaſſe. Neque rurſum Polycarpus Anicetum perſuaſit ea deſerere, quæ ille dicebat à ſe majorum more ſervari. Cumque hæc ita inter ſe habuiſſent, communicarunt ſibi invicem: ita, ut concederet Anicetus Polycarpo, etiam ſacerdotali miniſterio, honoris duntaxat contemplatione, perfungi: & ita ab invicē, plena fide, pace integra, & firma charitate, diſcedunt: ut omnes Eccleſiæ, ſive quæ ita de Paſcha, ſive quæ nō ita obſervarent, inter ſe tamen concordia cuſtodirēt. *Hæc* Irenæus, *agens ſui nominis opus, pacem videlicet Dei Eccleſiis concilians ſcribit; & nō ſolum Victori ſed & diverſis Eccleſiarū Rectoribus ſimiliter per Epiſtolas adſerit, quòd multa, pro hac quæſtione, in Eccleſiis Dei diſſenſio debeat oboriri.* Teſtatur quoq; Euſebius, & alios Epiſcopos liberè de eo negotio Victorem admonuiſſe. Conſidera quæſo, Chriſtiane Lector, unicam ſententiam ex ea Epiſtola; nam inter alia inquit: *Enimvero, qui Soterem præceſſerunt Presbyteri, & Eccleſiam, quam tu nunc gubernas, adminiſtrarunt, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Teleſphorum, & Xyſtum, neq; ipſi ita Paſcha & jejunium obſervarunt.* Vide obſecro, quàm parum honorificè Papas appellet. Dicit, *tu:* & non *tua Sanctitas.* Tot Papas vocat *Presbyteros* tantum, & non *ſanctiſſimos, ſummosq;* &c. Dicit eos gubernaſſe Romanam Eccleſiam; non dicit *orbem terrarum*, aut *univerſam Eccleſiam*; Et omnino ita cum Pontifice agit, ac cum aliquo æqualis dignitatis homine, ut etiam fuerunt tunc omnes Epiſcopi. Hic obſerva, pie lector, primùm quanta inſcitia tunc & Papa & Clerus Romanæ Eccleſiæ laboraverit, qui inter *neceſſaria* & *adiaphora* nullum diſcrimen facere potuerit, imò qui illas jam hominum traditiones mandato Dei de dilectione proximi & concordia in tuenda Eccleſia longè prætulerit; & quòd tamen interea aliqui, & quidem non pauci, meliores doctores illam inſcitiam ſeu errorem Papæ, qui res non neceſſarias urſit, tanquam planè neceſſarias & à Chriſto mandatas, reprehenderint. Denique obſerva, quòd Papa nondum ſeſe ita in altum extulerat, ut non liceret alicui Epiſcopo, & monere eum, & etiam aliquanto liberius arguere. At poſtea in eum furorem Romanus Antichriſtus prolapſus eſt, ut auſus ſit decernere, quòd etiam *ſi ipſe infinitas animas ſecum in infernum traheret, tamen nemo ei dicere debeat, Quid facis?*

Irenæus pacis Eccleſiaſtica vindex ex nominis augrio, nā εἰρήνη, pax.

Diſt.

Dist.40. Ex eadem etiam Irenæi Epistola clarissimè cernis doctrinam de adiaphoris & cæremoniis,ac ritibus,in quibus vera pietas minimè consistat, tunc Gallicis Ecclesiis probè notam fuisse.

Scribit etiam Eusebius, multas novitates & schismata contra regulam veritatis in Romana Ecclesia tempore Irenæi exorta; quibus ut resisteret Irenæus,scripserit aliquot libros, ut de *schismate*,de *Monarchia Dei*,&c. Mirari jam quispiam Irenæi, hominis mitissimi & modestissimi, audaciam possit, quòd ipse Romanam Ecclesiam erudire & sanare voluerit,quam Pontificii fingunt esse *matrem & magistram omnium Ecclesiarum*; & non potius id Papæ, qui errare nunquam potest,permiserit. Sed quid non auderet, quin & ipsum Papam, ut superius dictum est,monere,& increpare sit ausus? Hinc potes manifestè cernere,longè aliam fuisse tunc temporis *formam & politiam Ecclesiæ*,quàm quæ *jam* sit.

* Interserit hîc Goulartius alia quædam testimonia adversus nonnulla Pontificiæ doctrinæ capita, *quò pium Lectorem*, quod ait,*ad insignis illius Episcopi lectionem pelliciat*, lib. 2, p. 63. 64. *

Erasmus scribit Irenæum ita loqui,ut qui nullum Purgatorium sciverit.Rectè etiam monet eum lib.3.cap.38. ita recitare illud testimonium Gen.3. quod *ipsum semen*,non *ipsa mulier*, conteret caput serpentis. Scribit item Irenæus, quomodo Marcus Hæreticus, formosam cujusdam Diaconi uxorem corruperit. Vnde apparet, tunc ministros Ecclesiæ conjugatos etiam fuisse in Gallia.

Penè oblitus eram illud adjicere, quod in hoc authore minimè oblivione dignum est.In quinto enim Contra hæreses libro, ubi nomen Antichristi in Apoc.13. indicatum explicat, ratiocinatur id fore LATINUS; quòd & literarum quantitas correspondeat numero DCLXVI. indicato, & quòd Latini seu Romani imperium orbis terrarum tunc habeant. Qua profectò interpretatione haud obscurè indicatur,Papam Romanum forè Antichristum;nam Papa & vult esse *Latinus* seu *Romanus*,& in *Latio* dominatur. Cæterùm de Romana Ecclesia scribit Irenæus, in hæc verba: *Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiam Romanam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt.* Non igitur annis 25. Romæ Petrus sedit, aut triplicem coronam ibi gestavit,sicut Papistæ de eo impudenter mentiuntur;sed erudivit tantum nonnihil illam Ecclesiam, sicut & alias infinitas. Quod igitur impudentissimi Romanistæ præ omnibus aliis Ecclesiis à Petro Paulo fundatis, de Apostolica Petri sede gloriantur?

* Centur. Magdeb. 2.c.8.Col. 154. 155. 156.*

XV. Concilium Elibertinum, & Constantinopolitanum.

DE Imaginibus & Reliquiis sanctorum, earumque cultu & luminibus, multæ fuerunt jam olim contentiones in Ecclesia;ac damnaverunt eas plurimi; inter quos primum Concilium Elibertinum,ante 1270.annos. Deinde verò Epiphanius

nius ante 1000. & fermè 200. annos, de quo infrà prolixius. Postea ante annos 800. aliquot Constantinopolitani Imperatores ordine. Quin & una Synodus quoque Constantinopoli celebrata, cui 300. partim Episcopi, partim alioqui docti viri interfuerunt. Gregorius quoque Papa, Epist. 9. cap. 9. laudat Serenum præsulem Massiliæ, qui circa 600. annum Dom. vixit, quòd prohibuerit imagines adorari. Hisce idolatriæ oppugnatoribus adjice Synodum Francofordensem, & Caroli Magni, de quibus aliquanto post.

* Concil. Elibertinum, cap. 34. & 35. apud Carranzam Summ. Concil. pag. 55. edit. Paris. 1564. *

XVI. Justinus Martyr.

JVstinus, Martyr ac Philosophus insignis, qui circiter 150. post nativitatem Domini, anno floruit, multa dicit disertè pugnantia contra Antichristi abusus; ac primitivæ Ecclesiæ synceritatem testantia. E quibus maximè operæ pretium esse duximus, annotare ejus descriptionem rituum Ecclesiæ in perducendis ad Christianismum Ethnicis, & peragendis rebus sacris, quas tunc Dominico die celebrare sunt soliti. Indè enim liquidò apparebit, tum Chrisma aut confirmationem, & Missam planè ignotam Ecclesiæ fuisse; sacramentumque corporis & sanguinis Domini non offerri, sed tantum de eo communicari moris fuisse, idque sub utraque (ut loquuntur) specie. *Liturgia Justini pars de Sacramentis.*

Ex fine Majoris Apologiæ. Cæterum, quomodò nos Deo dicaverimus, renovati per Christum, jam exponemus; ne quid malitiosè dissimulare videamur. Quotquot persuasi credunt, hæc quæ dicemus vera esse, & ad eum modum vivere pollicentur, ante omnia discunt precibus, & jejuniis petere à Deo præteritorum peccatorum veniam, nobis unà preces, jejuniaque jungentibus. Deinde *ad aquam* à nobis ducuntur; & renascuntur modo renascendi, quo & nos renati sumus; nam in nomine Patris omnium, Dominiq; Dei & Servatoris nostri Iesu Christi, & Spiritus Sancti in aqua tunc lavantur. Dixit enim Christus ipse, Nisi renati fueritis, non intrabitis in regnum cœlorum. *Et paulò post*, Nos verò sic ablutum & institutum ad alios fratres adducimus, ubi cœtus fiunt; ut tam pro nobis, quàm pro recens illustrato precemur; quò inveniamur per veram doctrinam & bona opera, digni observatores mandatorum, custodesq;: & ut æternam salutem assequamur. Post precationē, nos salutamus *osculo mutuo*, deinde affertur præcipuo fratri *panis, & calix aqua dilutus*; quibus acceptis, laudem & gratiarum actionem Patri omnium agit, per nomen Filii, sanctiq; Spiritus; atque ita gratiarum actionem diu, quo prædicta impetret agit; post preces & gratiarum actionem, totus cœtus accinit. *Amen*, Ea vox Hebraica significat idem quod *fiat*. Absoluta gratiarum actione præsulis & ominatione totius plebis, Diaconi (quos vocamus) dant singulis præsentibus partem panis, & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio; atque etiam deferre

ſinunt abſentibus. Hoc autem alimentum, apud nos vocatur Euchariſtia; ad quod nemo admittitur, niſi qui credit veram eſſe noſtram doctrinam, ablutus regenerationis lavacro in remiſſionem peccatorum,& ſic vivens, ut Chriſtus docuit. Non enim ut vulgarem panem,& vulgare poculum hæc ſumimus; ſed quemadmodum per verbum Dei, Caro factus Ieſus Chriſtus Servator noſter, carnem & ſanguinem,pro ſalute noſtra habuit ; ſic etiam per verbum precationis, & gratiarum actionis,ſacratam ab ipſo alimoniam, quæ murata nutrit carnes noſtras & ſanguinem,illius incarnati Ieſu carnem & ſanguinem eſſe didicimus; nam Apoſtoli in ſuis ſcriptis,quæ vocantur Evangelia,ſic ſibi mandaſſe Ieſum tradiderunt, ſumpto pane,actiſq; gratiis dixiſſe: Hoc facite in mei commemorationem, hoc eſt corpus meum;ſimiliter ſumpto poculo, actiſq; gratiis dixiſſe:Hic eſt ſanguis meus;& ſolis ipſis communicaſſe, quòd in mithræ myſteriis imitari mali dæmones conati ſunt. Panem enim & aquæ poculum initiandis eos apponere, cum quibuſdam incantationibus,ſi neſcitis,poteſtis diſcere.Nos verò poſtea ſemper hæc nobis revocamus in memoriam, & ditiores egenis ſuccurrimus, verſamurq; unà continuò: & pro omnibus rebus, quibus fruimur, creatorem earum benedicimus per filium ejus Ieſum Chriſtum,& Spiritum Sanctum. Die Solis urbanorum ac ruſticorum cœtus fiunt, ubi Apoſtolorum, Prophetarumque literæ, quoad fieri poteſt, præleguntur. Deinde ceſſante Lectore,Præpoſitus verba facit adhortatoria,ad imitationem tam honeſtarum rerum invitans. Poſt hæc conſurgimus omnes,& preces offerimus; quibus finitis,profertur,ut diximus,Panis,vinum,& aqua. Tum Præpoſitus,quantum poteſt, preces offert & gratiarum actiones: plebs verò Amen accinit. Indè conſecrata diſtribuuntur ſingulis,& abſentibus mittuntur per Diaconos. Ditiores, ſi libeat,pro ſua quiſque voluntate conferunt, collecta deponuntur apud Præpoſitum.Is ſubvenit pupillis,viduis;& propter morbum, aliámve neceſſitatem egentibus, vinctis quoque ac peregrinis; & in ſumma curator fit omnium inopum.Conventus autem hos die Solis facimus; quoniam hac die primum Deus depulſis tenebris,formataque materia,mundum creavit. Ieſus Chriſtus quoque noſter Servator,eadem die reſurrexit à mortuis; nam ea,quæ proxima Saturni diem præcedit, crucifixus fuit;& proximè ſequenti Saturni diem,Solis die videlicet,conſpiciendum ſe Apoſtolis,& diſcipulis præbuit, eiſq; ſuam doctrinam impertiit.

Hic clarè cernis,piè Lector, nullam tunc temporis confirmationem,aut inunctionem in uſu fuiſſe; ſed converſos,mox à Baptiſmo, ad communionem corporis Domini traductos eſſe.Manifeſtè quoq; vides,nullam tunc Miſſam aut ſacrificium pro peccatis ab Eccleſia celebratum fuiſſe; nullumque alium Sacramenti corporis Domini præter communionem,uſum fuiſſe. Denique vides illam antiquiſſimam Eccleſiæ formam,prorſus cum noſtra inſtauratarum Eccleſiarum convenire.Quod profectò eſt eximium teſtimonium ſynceritatis noſtræ Religionis.

* Alia quædam dicta ex eodem Martyre collecta adjunxit Goulartius lib.2. p.67. ut magis appareret,quàm longè à ſuperſtitionibus Pontificiis ſeculum illud remotum fuerit. *

XVII. Clemens

XVII. *Clemens Alexandrinus.*

CLemens Alexandrinus, ſcriptor in primitiva olim Eccleſia admodum celebris, tum pietatis, tum eruditionis nomine, floruit circiter 200. Domini annum. Is *de Sacrificiis* quidem multa ſcribit, ſed nuſquam vel minimam *Miſſæ* mentionem facit; ſemper ille verum Eccleſiæ Chriſti ſacrificium dicit preces eſſe; Altare dicit eſſe *piam animam*, item *totum cœtum, Deum invocantium.* Sic enim habet Stromatum VII. *Sin autem gaudet Deus honorari, cum natura nullius indigeat, non abs re nos Deum precibus honoramus, & hoc ſacrificium optimum & ſanctiſſimum cum juſtitia emittimus, juſtiſſimi verbo eum honorantes, per quem accipimus cognitionem, ea quæ didicimus per eum glorificantes. Eſt ergo quod hic apud nos eſt altare, terreſtris congregatio eorum qui incumbunt orationibus, qui veluti unam vocem habent communem, & unam mentem.* Et paulo pòſt: *Conſpiratio autem, ſeu unanimia vota propriè dicuntur in Eccleſia. Eſt enim Eccleſiæ ſacrificium, verbum quod à ſanctis exhalatur animis, cum ſacrificium ſimul aperiatur, & tota mens Deo.* Et paulo pòſt. *Aram autem verè ſanctam, juſtam animam, & qui ab ea emittitur, ſuffitum, nobis ſanctam dicentibus orationem, non credent,* &c. Quin etiam eodem libro diſertè negat, Chriſtianos Deo ſacrificare, inquit enim: *Propter quam cauſam meritò Deo non ſacrificamus, qui nullius indiget, & omnia præbuit hominibus; ſed eum glorificamus, qui eſt pro nobis ſacrificatus, nos ipſos ſacrificantes, ad id, quod eſt, nullius indiget, ex eo quòd nullius indiget, & ab impatibili, ad id, quod eſt patibile; Deus enim ſola noſtra ſalute delectatur. Meritò ergo ei non offerimus ſacrificium, qui non vincitur à voluptatibus, cum inferius, & nec uſque ad craſſiſſimas nubes, & longè etiam ab iis perveniat, quæ fit per fumum exhalatio, ſi modo perveniat. Nullius ergo indiget Deus, nec capitur voluptate, nec eſt aut lucri, aut pecuniæ cupidus, cum ſit plenus, & cuilibet quod ortum eſt & indiget, omnia præbeat. Neq; ſacrificiis, ſed neq; donariis.* Conjugium quoque non tantum Laicorum, ſed & *Presbyterorum* defendit, contra eorum perverſitatem, qui conjugium tanquam rem immundam contemnebant, dicebantque ſe Chriſtum in virginitate ſervanda imitari velle; ſicut & Papa Syricius (de quo poſtea) horribiliter deformat conjugium. Sed adſcribemus ipſius Clementis verba: *Dicunt autem glorioſi iſti jactatores, ſe imitari Dominum, qui neque uxorem duxit, neque in mundo aliquid poſſedit, ſe magis quàm alii Evangelium intellexiſſe gloriantes. Eis autem dicit Scriptura: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Deinde neſciunt cauſam, cur Dominus uxorem non duxerit. Primùm quidem propriam ſponſam habuit, Eccleſiam. Deinde verò nec homo erat communis, ut opus haberet etiam adjutore aliquo ſecundum carnem; neq; erat ei neceſſe procreare filios, qui manet in æternum, & natus eſt ſolius Dei filius. Hic ipſe autem Dominus dicit:* Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Et paulo pòſt. *Iam de iis qui matrimonium abhorrent, dicit beatus Paulus:* In noviſſimis diebus deficient quidam à fide, atten-

Pag. 304. edit. Heydelb. 1592.

Conjugium Sacerdotum approbatur.

Stromat. lib. 3. p. 191.

dentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, prohibentium nubere, abſtinere à cibis. *Et rurſus dicit*: Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione, & parſimonia corporis. *Idem autem illa quoq; ſcribit*: Alligatus es uxori, ne quæras ſolutionem; ſolutus es ab uxore, ne quæras uxorem. *Et rurſus*: Vnuſquiſque autem ſuam uxorem habeat, ne tentet vos Satanas. *Quid verò? non etiam juſti veteres creaturam cum gratiarum actione participabant? Aliqui autem etiam liberos ſuſceperunt, cum continenter verſati eſſent in matrimonio.* Iterum aliquanto pòſt, quem locum etiam Euſebius recenſet. *An etiam reprobant Apoſtolos? Petrus enim & Philippus filios procrearunt. Philippus autem filias quoq; ſuas viris tradidit. Et Paulus quidem certè non veretur in quadam epiſtola* ſuam *appellare* conjugem, *quam non circumferebat, quòd non magno ei eſſet opus miniſterio. Dicit itaq; in quadam Epiſtola*: Non habemus poteſtatem, ſororem mulierem circumducendi, ſicut & reliqui Apoſtoli? *Sed hi quidem, ut erat conſentaneum, miniſterio quod divelli non poterat, prædicationi ſcilicet attendentes: non ut uxores, ſed ut ſorores circumducebant mulieres, quæ unà miniſtratura eſſent apud mulieres quæ domus cuſtodiebant, per quas etiam in gynæceum abſq; ulla reprehenſione, malave ſuſpicione, ingredi poſſet doctrina Domini. Atqui hic ipſe reclamavit*, Non eſt regnum Dei eſca & potus: neque verò abſtinentia à vino & carnibus, ſed induſtria, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Ex libro VII. Stromat. *Vxorem autem ducere dico, ſi verbum dixerit, & ut convenit. Qui enim fuerit perfectus, exempla habet Apoſtolos, & revera vir oſtenditur, non in eo quòd vitam elegerit monaſticam, ſed ille viros vincit, qui in matrimonio & liberorum procreatione, & domus cura, ac providentia, citra voluptatem & dolorem ſe exercet; & cum domus curatione, & indivulſus à Dei charitate, & inſurgit adverſus omnem tentationem quæ affertur per filios, uxorem, & famulos, & poſſeſſiones. Ei autem, qui domum non habet, magna ex parte evenit, ut non tentetur. Qui ergo ſui ſolummodo curam gerit, vincitur ab eo, qui cum ſit inferior quidem in iis, quæ pertinent ad ſuam ſalutem; ſuperior autem in iis, quæ ad vitæ ſpectant diſpenſationem, exiguam revera conſervat imaginem, veritatis providentiæ.* Vnde & ex Gangrenſi Concilio, de quo pòſt, clarè apparet, aliquandiu poſt Apoſtolorum tempora pios doctores, iſti Antichriſtianæ hypocriſi Monachorum & aliorum Spiritualium, jam tum orienti, ſeriò repugnare conatos eſſe. Euſebius initio ſecundi, citat ex ſexto Hypotypoſeon Clementis, hoc dictum: *Petrus enim, inquit, & Iacobus & Iohannes, poſt aſſumptionem Salvatoris, quamvis ab ipſo fuerint omnibus penè prælati, tamen non ſibi vendicarunt primatus gloriam, ſed Iacobum, qui dicebatur Iuſtus, Apoſtolorum Epiſcopum ſtatuunt.* Vnde non incommodè divinare poſſis, quid Clemens de Petri dignitate ſenſerit: nempe exæquat eum Iacobo & Iohanni, eoſque dicit videri penè omnibus aliis prælatos; ſed tamen nullam ſibi ſuperioritatis, aut ut ita dicam, prioritatis gloriam uſurpaſſe. Quòd ſi Petro divino mandato ea functio mandata fuiſſet, ut cæteris omnibus præeſſet,

eaque

Pag. 192.

Petrus, & Philippus & Paulus Apoſtoli uxorati.

Vet. 2. H. 7. E, 1. p. 16.

eaque res tantopere Ecclesiæ Dei necessaria esset, sicut nobis Papistæ persuadere conantur; an non sceleslissimè Petrus fecisset, qui neglecto Christi præceptoris mandato, neglectoque publico Ecclesiæ Dei commodo, ea functione ac officio defungi neglexisset, aliisque eam contra Dei ordinationem demandasset.

XVIII. *Methodius Græcus.*

Methodius Græcus, (nam plures fuerunt,) Tyri Episcopus, floruit circa 255. Domini annum. Scripsit præter multa alia, etiam *prophetias* quasdam *de novissimis temporibus*, quas Sebastianus Brandt, Basileæ anno Domini 1498. excudi curaravit. In iis non uno loco prædicit ille sanctus pater, futurum, ut in novissimis temporibus Sacerdotes non tantum turpiter ac scelerate vivant, sed etiam religionem ipsam ac doctrinam suamet sponte, non coacti, penitus corrumpant & contaminent; ac ob id divinitus puniantur. Prædicit inter alia fore *Monachos & Clericos res sacras exurentes, ac porcis objicientes*, id est impiè prophetantes. Pingit & Episcopos colantes culicem, & devorantes camelum. Quo voluit ille sanctus vir indicare perversum studium in observandis ritibus, & suis traditiunculis; & interea negligere doctrinam ipsam, & animarum salutem. Prædicit quoque, simul Deum veram religionem instauraturum, repurgaturumque esse. Vnde animadvertimus, divinitus præsentem Christianæ pietatis instaurationem fieri, & ante tot secula divino spiritu per sanctos viros prædictam esse.

Prophetiæ de novissimis temporibus.

* Methodii Revelationes extant in Orthodoxographia Basileæ ab Heroldo 1556. edita & in in Tom. 2. Biblioth. Patrum edit. Paris. 1576. p. 573. & in VVolfii Memorab. Cent. 3. p. 43. & seqq. cum imaginibus. *

XIX. *Ælius Lampridius.*

Hic Ethnicus historicus, ideo tantum inter hosce veritatis testes recensetur, quòd narrat prima Christianorum templa omnibus simulachris caruisse; sicut Lactantius, ac multi alii testantur; in quibus postea Papæ maximam divini cultus partem constituerunt. Verba ejus sunt hæc in vita Imperatoris Alexandri Severi. *Capitolium* (inquit) *septimo die cùm in urbe esset*, ascendit, templa frequentavit, Christo templum *facere voluit, eumque inter Deos recipere: quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulachris jusserat fieri; quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur, sed prohibitus est ab his, qui consulere sacra repererant*, omnes *Christianos futuros, si id optato evenisset, & omnia templa deserenda.* Hactenus ille. Veteris ergo Ecclesiæ mos, abundè novos Antichristi, ejusque impietatis abusus redarguit. Acciderunt autem hæc circa 200. Domini annum.

Veterum Christianorum templa simulacris carentia.

* VVolfius Cent. 3. Lection. Memorab. p. 91. *

Romana Ecclesia non subsunt per annos 700.

XX. *Ecclesia Ravennas, Aquilegiensis, & Mediolanensis.*

ECclesia Ravennas, Aquilegiensis & Mediolanensis, earumque Doctores, circiter per annos 200. restiterunt Primatui, seu Tyrannidi potius Papæ, postquam eas oppugnare cœpit. Verùm tandem sub annum 700. (quia teste Daniele, Antichristo eius nefarii conatus aliquandiu succedere debebant) eas Papa nonnihil oppressit, nam antea nunquam sub eius jugo fuerant. Restiterunt tamen etiam postea usque ad annum 900. ut deinceps historiis ostendetur. Vnde facile apparet, eum non divino jure Primatum habere, sed sua id fraude, ambitione, violentiaque sibi rapuisse, nequicquam multis Ecclesiis contrà clamantibus, & gementibus.

* VVolfius Cent.5. Lect. Memor. p. 143.

XXI. *Ecclesiæ Illyricæ vel Sclavonicæ.*

Sacra vulgari lingua celebrata.

AD hæc publica Ecclesiarum testimonia addatur & illud, quòd Illyricæ Ecclesiæ adhuc hodierna die in publicis sacris *vulgari* utuntur *lingua*. Vnde colligitur, non rectè Antichristum, ejusque mancipia facere, qui omnes ad Latinum sermonem cogere volunt. Colligitur etiam inde, Lectiones & Cantiones in Ecclesia non ideo habitas, quia putarent esse cultus ex opere operato, sed ut noto sermone Ecclesia ædificaretur. Refert Æneas Sylvius, multum Romæ disputatum esse sub annum 990, an id in Slavis ferendum sit, tandem cœlitus auditam esse hanc vocem: ***Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei; ideoq; dubitari desitum esse.*** Si suo Papæ Æneæ Sylvio, qui postea Pius secundus dictus est, credunt Papistæ, quòd talis vox emissa sit cœlitus; cur jam tam furenter pro hæretico & nefario scelere damnant, vulgaris linguæ usum in rebus divinis, in Germanicis & aliis Ecclesiis? Sed de hac re etiam postea in Methodio Illyrico dicetur.

* Bibliorum in Sclavonicam linguam translationem, à Rom. Pontificibus reprobatam fuisse ex eorum Rescriptis notat Turrianus Defens. Can. Apost. lib.1. c.23. f.86.

XXII. *Anglica Ecclesia.*

Ecclesia Anglica à Gregorio I. turbata.

BAlæus in suo Catalogo, affirmat, ex vetustis quibusdam scriptoribus in Anglia, ante illum Augustinum, quem eò Gregorius primus Papa misit, fuisse longè puriorem Christianismum; sed illum omnia in deterius, invehendo Papisticas cæremonias, commutasse; de quo quidem dubitari non potest; nam Gregorius in tota Occidentali Ecclesia Christianam pietatem suis novis ordinationibus & deformationibus longè fecit deteriorem. Verùm illud quoque simul memorabile est,

quod

quod ait, multos ei pios in Britannia, præsertim Doctores, restitisse; ac propterea Augustinum, Romanistarum more volentem cædibus suam religionem promovere, incitatis quibusdam tyrannis effecisse, ut mille ac ducenti ex illis suæ impietati resistentibus doctoribus, semel trucidarentur. Quin & post eam tam atrocem tot sanctorum martyrum trucidationem, nihilominus longo tempore fuisse, qui Romanis illis Augustini ritibus & superstitionibus reclamarent, prædictus author affirmat. *Conjugium sacerdotum* nihilominus usque ad annum Dom. 1100. teste Balæo & Polydoro, aliisque Anglicarum rerum scriptoribus retinuerunt. Circa quod tempus & Germanicis Ecclesiis est ademptum.

* Centur. Magdeburg. 6. c. 10. col. 687, 748, ex Galfredo & aliis. *

XXIII. *Apollonius.*

APollonius quidam Ecclesiasticus scriptor, à D. Hieronymo admodum laudatus, vixit anno 119. Scripsit is, ut testatur, Eusebius Ecclesiasticæ historiæ libro 5. capite 19. contra Montanum, eumque etiam eo nomine perversi spiritus esse arguit, quia *leges jejunio circumscripsit*. Vnde apparet, in primitiva Ecclesia Iejunia, & alia ejusmodi exercitia libera fuisse, nullis certis circumstantiis alligata; ac pios tunc sensisse, non esse boni spiritus ponere leges jejuniorum, ut postea Papæ fecerunt; sicque in Montano etiam ipsum Antichristium damnaverunt. Quanquam *in Montano* rectè dici potest, etiam Spiritualium cœlibatus sanctitatem à primitiva Ecclesia damnatam esse. Nicephorus lib. 4. cap. 35. ex doctrina Iudæ ait: *Antichristi adventus tunc expectabatur.* Quæ opinio, si quis Montani hæresin & Victoris Romani conatus consideret, non prorsus vana fuit. Quid enim aliud Montanus novis suis Paracleti confictis traditionibus, & legibus Iejuniorum, & Nuptiarum dissolutionibus egit, quàm ut fundamenta prima totius Antichristianismi jaceret?

Antichristianismi fundamenta concussa.

Eus. 5, 19. p. 79.

Pag. 226. ed. Francof. 1588.

* Hieronymus Catal. Script. Eccles. col. 363, Tom. 1. *

XXIV. *Attalus, Martyr.*

ATtalus, nobilis martyr Christi, passus est circa annum Dom. 180. De eo talis historia lib. 5. Ecclesiasticæ historiæ ad verbum legitur: *Refertur adhuc in eadem scriptura* (scilicet in Gallicarum Ecclesiarum epistola ad Asiaticas) *& alia narratio, quam cognitionis causa his inserere dignum putavi. Alcibiades quidam erat in numero eorum, qui pro Christo vincti tenebantur. Hic vitam satis arduam & austeram gerebat, nihil cibi volens accipere, sed tantum sale & pane cum aqua utebatur; cumque hunc vitæ rigorem vellet etiam in carcere positus obtinere, Attalo post primam confessionem suam, quam in amphitheatro confessus est, revelatur: quia non rectè faceret Alcibiades,*

Superstitio circa usum ciborum damnata.

Euseb. 5. Hist. Eccl. 3. p. 72.

creatu-

creaturis Dei & ipsum non uti, & aliis formam scandali derelinquere. Quibus cognitis, Alcibiades cœpit omnia cum gratiarum actione percipere, quia quæ illi revelabat spiritus, ut doceret; & huic, ut sequeretur, idem spiritus persuadebat. Hinc clarè apparet, initio pios homines, imò ipsum Spiritum sanctum, superstitiosorum hominum, religionem ac pietatem in ciborum usu, vel abstinentia jejuniisque collocantem, conatibus sedulò reclamasse. Verùm tandem humana cæcitas, Antichristique superstitiosa hypocrisis, doctrinas dæmoniorum de abstinentia ciborum, Ecclesiæ Dei volenti nolentique obtrusit. Memorabilis verò hæc narratio est, tum propter rei magnitudinem, tum etiam, quod tunc Gallica Ecclesia dignam judicavit, quam publicæ Epistolæ ad tot Ecclesias scriptæ insereret. Apparet enim tum id fuisse commune dogma.

XXV. *Tertullianus.*

Cleri Romani in Tertull. invidia.
Catal. Scr. Eccl. col. 365. T. 2.
Cyprianus Tertul. Magistrum vocat.

TErtullianus circa 200. Dom. annum floruit. Magna omnino est ejus scriptorum authoritas, magna etiam eruditio, & alia dona; vitæ quoque fuit valde laudatæ. Hunc tamen tantum virum scribit Hieronymus, *à Romano clero, Roma, invidiâ ac malevolentiâ* pulsum esse. Etsi autem occasio non exponatur perspicua, satis tamen est, quod ipsemet Hieronymus testatur, invidia & contumeliis pulsum fuisse. Clarè enim ostendit, eos nullam justam, piam, ac gravem causam, contra tantum virum habuisse. Beatus quidem Cyprianus tanti eum fecit, ut singulis diebus solitus sit, eum lectitare, & præceptorem suum vocare; ut quoties Amanuensem juberet sibi ejus opus porrigere, diceret: *Da huc præceptorem.* Hinc igitur cognoscatur, qualis pietas, ac humanitas, jam olim Curtisanorum Romanorum fuerit.

* Auxit numerum Testimoniorum Goulartius lib. 3. p. 92, 93, 94. *

XXVI. *Cyprianus.*

Primatum Pontificis Rom. non agnoscit Cyprianus.
Epist. 68. p. 150. ed. Antverp. 1589.

CYprianus vixit anno 240. Contendit *omnibus sanguinem Domini dandum.* Asserit quoque, vocationem Sacerdotum & Episcoporum esse in Ecclesiæ seu plebis Christianæ potestate. Sic enim inquit in Epistola ad Felicem presbyterum. *Plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præposito separari debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere; cũ ipsa maximè habeat in potestate, vel dignos eligendi sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina authoritate descendere*, ut sacerdos plebe præsente *sub omnium oculis eligatur, & dignus atq; idoneus publico judicio & testimonio comprobetur. Sicut in Numeris Mosi præcipit Dominus, dicens,* Prehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in montes coram omni synagoga, & exue Aaron stolam ejus, & indue Elea-

Eleazarum filium eius, & Aaron appositus moriatur illic. *Coram omni synagoga iubet Deus constitui sacerdotem; id est, instruit & ostendit, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & si ordinatio justa & legitima quæ* omnium suffragio, & judicio *fuerit examinata. Quod postea secundum divina magisteria observatur* in Actis Apostolorum *quando ordinato in loco Iudæ Episcopo, Petrus ad plebem loquitur, Nec hoc* in Episcoporum *tantum* & sacerdotum, *sed &* in diaconorum ordinationibus *observasse Apostolus animadvertimus; de quo in actis Apostolorum scriptum est.* Hæc ille.

In tractatu de simplicitate Clericorum disputat, idem fuisse alios Apostolos quod Petrum & honore & potestate. Quare & Episcopos & successores *pares & dignitate & potestate* esse *Papas Romanos* sæpe in suis Epistolis nocat *suos fratres, consacerdotes* & *collegas,* & omninò per omnia ita cum eis agit, ac cum suis dignitate ac autoritate æqualibus. Abeat iam aliquis Episcopus, & sic Papæ scribat; videbit, quomodo excipietur. Cum de Cornelij Papæ electione tanquam minus rectè facta rumor in Aphricam esset allatus, ita ad Eum & sacerdotes Romanos scripsit, petens ut probaret electionem rectè factam esse, ac si sibi aliquid juris in eum vindicaret. Fuit Metropolitanus Cartaginensis. Aequat autem etiam Nicænum concilium inter se Metropolitanos jure seu potestate. *pag. 232.*

Verum quòd Cyprianus nullum primatum, aut superioritatem Pontificis Romani super agnoverit, ex Epistola eius ad Cornelium Papam liquidò apparet; nam cùm in persecutionibus multi sæpe metu sacrificarent, multiq; item aliis se se criminibus contaminarent, nec ea facilè sine publica pœnitentia, & graviori etiam quadam castigatione, satisfactione, aut etiam exploratione, Ecclesia recipere soleret, alibiq; pro Episcoporum zelo severius, quàm alibi ejusmodi Apostatæ redeuntes tractarentur: accidit tempore Cypriani, ut quidam ejusmodi perditi homines non serio, aut ex animo de tantis facinoribus pœnitentiam agentes, eoq; à Cypriano in Ecclesiam non recepti, proprium sibi in Episcopum Fortunatum nomine, Carthagine crearent; & quo istud suum tam audax facinus, tanto firmius confirmarent, corroborarentq;, miserunt amplam legationem ad Cornelium Papam, Romam, quæ ei totum negocium exponeret, ab eoq; & minis & precibus, aliquem consensum in id factum extorqueret. Ea illuc profecta rem sedulo & strennuè apud Pontificem egit: nec multum abfuit, quin eum terrore ad assentiendum permoveret. Et erat alioqui Cornelius in recipiendis, seu absolvendis talibus lenis nimis ac facilis; adeò, ut tanta facilitate etiam Novato sacerdoti suo, homini diversissimi ingenii ac sententiæ, schismatis occasionem præberet; qui contentebat abnegatores Christi in Ecclesiam denuò recipiendos planè non esse, sed tamen ad pœnitentiam vehementer hortandos. Quod severitatis cujusdam disciplinæq;, seu coh bendæ licentiæ causa magis faciebat, quam

quòd coram Deo eis nullam veniæ ſpem eſſe ſentiret: ut poſteri, ſectatoresq; ejus, poſtea errorem præceptoris augentes, ſenſerunt. Verùm cum Cyprianus, & ſuorum Apoſtatarum audaciam, conatumq; legationis, & Cornelij lenitatem, aut etiam timiditatem, in audienda illa legatione, cognoviſſet, ſcripſit admodum prolixè Ei totiq; Romanæ Eccleſiæ. Ac primum eum ſatis aſperè obiurgavit, quòd ſe paſſus ſit à tam perditis hominibus perterrefieri; docuitq; Chriſtianum ſacerdotem debere quidvis potius perpeti, quam pati ſe permoveri, ut aliquid contra voluntatem, ac mandatum Chriſti agat. Deinde expoſuit totam cauſam, cur ſe ab ipſo reliquoq; cœtu ſegregent, aut de eo uſq; querantur. Oſtendit etiam illos, non à ſe ſolo, ſed & à multis aliis Epiſcopis damnatos eſſe. Tertiò oſtendit etiam Apoſtatas illos, ſi quid juris habent, non Romam debere curſitare; ibiq; vel coram ſe, qui ſit eorum Metropolitanus Epiſcopus; vel coram Epiſcoporum ſynodo cauſam dicere; quandoquidem conſtitutum ſit; ut cauſæ ibi cognoſcantur, ubi acciderunt; diſtributos item eſſe Epiſcopatus, ac ſingulos Epiſcopos ſuo grege contentos, non ἀλλοτριεπισκοπεῖν debere, ſed ſuis tantum ovibus præeſſe, deq; eis rationem Domino reddere. Verùm adſcribam, ipſa verba Cypriani, tum teſtimonii certioris cauſa, tum quòd admodum ſignificantia, & gravitatis zeliq; plena ſunt: Nam cum STATUTUM ſit ab omnibus nobis, & æquum ſit pariter ac iuſtum, ut uniuſcujuſq; cauſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum, & ſingulis paſtoribus PORTIO gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſq, ac gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus, oportet utiq; eos, quibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem, ſua ſubdola & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam, ubi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint, niſi paucis deſperatis & perditis, minor videtur eſſe authoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui iam de illis judicaverunt, & eorum conſcientiam multis delictorum laqueis vinctam, judicii ſui nuper gravitate damnarunt. Iam cauſa eorum cognita eſt, jam de eis dicta ſententia eſt. Nec cenſuræ congruit ſacerdotum, mobilis atq; inconſtantis animi levitate reprehendendi, cum Dominus dicat, Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, &c. Sic & in epiſtola de clericorum ſimplicitate dicit, unumquemq; in ſolidum ſuum Epiſcopatum poſſidere, id eſt, non eſſe, quaſi (ut ita dicam) feudatarium alterius; ſicut nunc ſunt omnes Epiſcopi feudatarii, aut beneficiarii, ſeu clientes Romani Pontificis. Quis verò nunc Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Metropolitanorum, & deniq; Patriarcharum, auderet ad Romanum Pontificem ita ſcribere; quòd ille ſuos apoſtatas iudicare non debeat; ſed ad ſe eos reverti oporteat, quia ſtatutum ſit ibi cauſas cognoſci oportere, ubi acciderunt. Item quòd unicuiq; Epiſcopo ſua ſit portio gregis adſcripta, quàm regere, & de cujus gubernatione, non Romano Epiſcopo, ſed Domino Ieſu rationem reddere debeat; Reſponderet enim ei profectò Papa, ſe eſſe univerſæ Eccleſiæ Epiſco-

Epiſt. 55. p. 206.

pag. 232.

Episcopum, suum esse de tota Ecclesia judicare, eumq; sibi cum suo Episcopatu adscriptum, attributumq; esse. Quare se modis omnibus de illis iudicare velle, qui ab ipso ad se appellarint, aut confugerint. Observandum verò est quòd dicit, *id statutum esse*. Iudicat enim proculdubio, id quadam veteri ordinatione aut synodo decretum, sicut & in Milevitana synodo, ut postea audiemus, Patres idem decretum, de cognoscendis finiendisq; controversiis, in suis locis ubi ortæ sunt, repetentes simul affirmant, eum Canonem iam olim sancitum esse. Apparet verò etiam Romanos Pontifices in id decretum olim consensisse; nam dicit Cyprianus, statutum id à nobis omnibus esse, loquens de Episcopis & se ipso ac Papa Cornelio, ad quem scribebat. Summa, hæc controversia Cypriani tempore fuit similima ei, quæ post 200. annos in sexta synodo Carthaginensi, de qua infra, quam etiam alibi separatim exposui, agitata est. Nisi quòd hoc tempore longè adhuc imbecillior, vel etiam modestior fuit Romanus Episcopus, eoq; etiam lenius est hæc causa inter Cyprianum & Cornelium acta, faciliusq; peracta, quam illa inter tres Papas, & sextam Carthaginensem Synodum, quæ est summa acerbitate & vehementia, integro quinquennio depugnata.

* Alia quædam testimonia, quæ doctrinæ Pontificiæ repugnant, addidit Goulartius pag. 95. 97. 98. 99. 100. 101. 102.

XXVII. Gregorius Nazianzenus.

GRegorius, per excellentiam *Theologus* Appellatus, vir insigniter pius & eruditus, floruit circiter ante annos 1200. id est trecentos, post Christum. Scribit in quadam Epistola, nullam se adhuc Synodum vidisse, in qua *non potius mali aliquid effectum sit quàm boni*: Ita contentio & ambitio Episcoporum excreverit, eoq; dicit sibi in animo esse, omnes synodos vitare. Id cum illis iam temporibus acciderit; quid mirum, postea, crescente hominum, præsertim spiritualium ac Romanistarum, in regenda Ecclesia, non tam negligentia & inscitia, quàm & scelerata malicia, infinita falsa ac impia in Cōciliis decreta sint? In quadam Oratione negat opera pro mortuis facta eis esse profutura, & omnino ita loquitur de altera vita, tanquam qui purgatorium penitus ignoret. Taxat etiam istam cæremoniariam pietatem, quæ externo vestitu ejusq; colore simulatur. Sic enim inquit in versibus suis: *Flagitium est fidem habere in coloribus, & non in corde. Ea enim quæ in coloribus existit, faciliter eluitur; quæ verò in profundo mentis, illa mihi amica.*

Epist. 42. ad Procopium p. 859. edit. Basil. 1571.

XXVIII. Lactantius.

LActantius anno 300. floruit; vehementer autem invehitur *in imagines, & candelas de die in templis accensas* aliaq; similia, quæ postea ab Ethnicis ad Christianos translata sunt. Dicit imagines esse superfluas & noxias, & ipsorum cacodæmonum inventum. De cultu ac sacrificiis disputat pulchrè; differit, Deum non corporeis rebus, sed pia mente, ac justitia esse colendum; non delectari eum structura templorum, non preciosis donariis, &c. Sicut nunc Papistæ sentiunt, & Daniel prædixit, Antichristum auro gemmisq; suum Deum culturum esse. Apparet sanè hinc, & ex eo quod de Christi æterno sacerdotio eruditè disputat, eumq; solum, perpetuum sacerdotem facit, illum, quid sit Papistica Missa, planè ignorasse. Sed adscribam unum & alterum ipsius dictum. Ex lib. II. Lactantij: Quæ igitur amentia est, aut ea fingere, quæ ipsi postmodum timeant, aut timere, quæ finxerint? Non ipsa, inquiunt, timemus: sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. Nempe ideo timetis, quod eos esse in cœlis arbitramini; neq; enim, si Dij sunt, aliter fieri potest. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis? & advocatis Deorum nominibus, in aperto sacrificia celebratis? cur ad parietes, & ligna, & lapides potissimum, quàm illo spectatis, ubi illos esse creditis? Quid sibi templa? quid aræ volunt, quid deniq; ipsa simulachra, quæ aut mortuorum, aut absentium monimenta sunt? Nam omnium fingendarum similitudinum ratio, idcirco ab hominibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerunt separati. *Deos* igitur in quorum numero reponemus? si in *mortuorum*: quis tam stultus, ut colat? Si in *absentium*, colendi ergo non sunt; si nec vident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur. Item lib. II. cap. XVIII. Nihil potest homine majus esse, nisi quod fuerit supra hominem. Deus autem major est homine, supra ergo, non infra est, nec in ima positus, sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium, quin religio nulla sit, ubicunq; simulachrum est; nam si religio ex divinis rebus est: divini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus. Carent ergo religione simulachra: quia nihil potest esse cœleste in ea re, quæ fit ex terra. Item lib. VI. cap. II. Vel si cœleste lumen, quod dicimus *solem*, contemplari velint, iam sentiant, quòd non indigeat lucernis eorum Deus; qui ipse in usum hominis, tam claram, tam candidam lucem dedit; & tamen eum in tam parvo circulo, qui propter longinquitatem, non amplius, quàm humani capitis videtur habere mensuram, tantum sit fulgoris, ut eum mortalium luminum acies, non queat contueri: & si paulisper intenderis, hebetatos oculos, caligo & tenebræ consequantur: quid tandem luminis, quid claritatis apud Deum, penes quem nulla est nox arbitremur? qui hanc ipsam lucem sic moderatus est: ut neq; nimio fulgore, neq; calore vehementi noceret animantibus: tantumq; istarum rerum dedit ei: quantum, aut mortalia

a. de Orig. error. 2. p. 70. ed. Antuerp. 1587.

pag. 124.

pag. 316.

talia

talia corpora pati possunt, aut frugum maturitas postularet. Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui Authori,& Datori hominis,candelarum ac cerarum lumen offert, pro munere? Aliud verò ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, sed (ut ait Poeta)liquidum atque clarum, mentis scilicet, propter quod à Poëtis φῶς nuncupatur, quod exhibere non poterit, nisi qui Deum cognoverit

* Ex eodem Lactantius alia adscribit testimonia Goulartius l. 4. p. 140. 141. Ioh. VVolfius Cent. 4. Lect. Memor. p. 98, 99; Confer Cens IV. Magdeb. c. 10. col 1075. seqq.

XXIX. Epiphanius.

EPiphanius, qui vixit anno 370. in capite contra Collyridianos, qui Mariam *contra Heres. 79. p. 344. 345. ad Basil. 1578.* invocabant, vehementer reprehendit adorationem Mariæ, aliorumq; sanctorum; ac non vult omnino quenquam adorari, per Deum. Damnatq; hunc errorem prolixè, tanquam pessimam hæresin. Iam autem invocatio Sanctorum habetur pro catholico orthodoxoq; dogmate; contraria vero sententia, quam nostræ Ecclesiæ jam piam esse contendunt, pro *pestilentissima hæresi* damnatur. Adeo, ex quo Antichristus regnare cœpit, tota rerum natura commutata est. Sed adscribam aliquot ejus dicta aliquanto prolixius. Ex lib. I. Tomo III. Epiphanij *1. Heres. 42. p. 118.* Episcopi Constantinopolitani. *Num edero carnes taurorum, aut bibero sanguinem hircorum? Et num quadraginta annis sacrificium obtulisti mihi in deserto domus Israel, & quidem multis sacrificiis tunc oblatis? quo ostendat, quòd non ipsi obtulerunt, quanquam ipse susciperet, & in nomen ipsius illi offerrent. Sed propter ipsorum in talibus progressam consuetudinem, donec immutaret abstractos à tali consuetudine, ad unum; & ab uno deinceps discerent, quod neq; indigebat, neq; indiget. Et de cætero per adventum Christi sui, omnem sacrificiorum usum tolleret, uno sacrificio omnia quæ antea fuerunt complente ac perficiente, quod est sacrificium & victima Christi; Nam Pascha nostrum immolatus est Christus, velut scriptum est. Cujus sacrificii, ac Paschatis & doctrinæ pedagogus fuit lex deducens per figuram, restituens in in aliorum dominium.* Item lib. III. contra Hereses. *Vnde non est simulachrificum* *pag. 344.* *hoc studium & diabolicus conatus. Prætextu enim justitiæ semper subiens hominum mentem diabolus, mortalem naturam in hominum oculis deificans, statuas humanas, imagines perseferentes, per artium varietatem expressis. Et mortui quidem sunt, qui adorantur. Ipsorum verò imagines, qui nunquam vixerunt, neq; enim mortuæ esse possunt, quæ nunquam vixerunt, adorandas introducunt, adulterante mente, ab uno & solo Deo, velut commune scortum ad multam multiplicis coitus absurditatem, irritatum & quòd temperantiam legitimi conjugii unius viri detrivit. Revera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen DEUS Revera virgo, erat ipsa virgo, & honorata; sed non ad adorationen nobis data, sed ipsa adorans eum qui ex ipsa carne genitus est, de cœlis*

verò ex finibus paternis accessit. Et propterea Evangelium munit nos, dicens quòd ipse Dominus dixerit : Quid mihi & tibi curæ est mulier? nondum venit hora mea: *quò non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam virginem, mulierem eam appellavit; velut Prophetans quæ futura essent in terra, sectarum ac hæreseon gratia; ut ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc hæresin, eiusq; deliramenta dilabantur. Est enim ludibrium tota res & anicularum fabula, ut ita dicam tota hæresis tractatio. Quæ verò scriptura de hoc narravit? Quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium quidem est vas, sed mulier, & nihil à natura immutata; verum & intellectu & sensu in honore honorata, velut corpora sanctorum, & si quid amplius ad glorificationem dixerim, sicut* Helias *ex matre virgo, & sic manens in perpetuum, & translatus & mortem non conspicatus. Sicut Ioannes qui super pectus Domini recubuit, quem diligebat IESVS, sicut* Thecla *sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterii, qua digna facta est. Sed neq;* Helias *adorandus est, etiamsi in vivis sit; neque Iohannes adorandus, quanquam per preces suas proprias, dormitionem suam admirandam effecerit: imò potius ex Deo gratiam acceperit. Sed neq; Thecla, neq; quisquam sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus viventem, & adoremus ea quæ ab ipso facta sunt.*

Imaginum cultus damnatus

Testatur idem Epiphanius in Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum Patriarcham, se lacerasse ipso præsente velum in quodam Christiano templo; quia in velo fuerit picta *imago Christi*, aut cujuspiam sancti; oblitum enim se iam ait. Ac vehementer improbat imagines, quas tunc parum in usu fuisse, ex eadem Epistola clarissimè apparet. Verba eius epistolæ hæc sunt. *Præterea quod audivi quosdam murmurare contra me, quia quando simul pergebamus ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, ut ubi collectum tecum ex more Ecclesiastico facerem, & venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemq; ibi præteriens* lucernam ardentem, *& interrogassem qui locus esset, didicissemq; esse* Ecclesiam, *& intrassem ut orarem, inveni ibi* velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ tinctum atq; depictum, *& habens* imaginem quasi Christi, vel sancti cujusdam; *non enim satis memini, cujus imago fuerit. Cùm ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi contra authoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent & efferrent; illiq; contrà murmurantes dixerunt:* Si scindere voluerat, iustum erat, ut aliud daret velum atq; mutaret. *Quod cùm audissem, me daturum esse pollicitus sum, & illicò me missurum. Paululum autem morarum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere. Arbitrabar enim de Cypro mihi mittendum esse. Nunc autem mihi quod reperire potui, & precor ut jubeas presbyteros ejusdem loci suscipere velum à latore, quod à nobis missum est; deinceps præcipere in Ecclesia Christi istiusmodi* vela, quæ contra religionem nostram veniunt, *non appendi. Decet enim honestatem tuam, hanc magis habere solicitudinem, ut scrupulositatem tollat, quæ indigna est ecclesia Christi, & populis qui tibi crediti sunt.*

Epist. ad Ioh. Hierosl. col. 227.

Tom. 2.

Eam porro epistolam è Græco convertit Hieronymus, qui & laudat vehementer

menter Epiphanium. Vnde apparet, ipſum quoque in eadem ſententia fuiſſe; alioqui certè non vertiſſet, ſi impiam epiſtolam judicaſſet. Eandem materiam tractat Epiphanius & in libro Ancorato. Huc etiam referri poſſunt, quæ Epiphanius *contra Encratitas* ſcripſit. Fuerunt enim illi noſtris monachis ſimiliimi. Sed adſcribamus ſanè pauca ejus verba. *Attendite vobis* (inquit) *ut ſervetis traditiones, quas accepiſtis, ne declinetis neq; ad dexteram neq; ad ſiniſtram.* Quibus infert hæc *Eſtote memores dilecti filii, ne in Eccleſiam imagines inferatis, neq; in ſanctorũ cœmeteriis eas ſtatuatis, ſed perpetuò circumferte Deum in cordibus veſtris. Quinetiam neq; in domo communi tolerentur. Non enim fas eſt, Chriſtianum per oculos ſuſpenſum teneri, ſed per occupationem mentis.* Idem in aliis quoq; ſermonibus ſuis, de imaginum ſubverſione multa dixit, quæ ſtudioſi quærentes facilè inveniunt. *Oper. Hier. p. 220.*

* Convexerit alea teſtimonia Goulartius lib. 4. p. 143. 144 145.

XXX. *Euſebius Emiſſenus.*

EVſebius Emiſſenus, qui circa eadem tempora vixit, quantum *ex homiliis* eius quæ extant, iudicare licet, affirmari poteſt, omnino alienus fuit à Pontificiis erroribus; nihil enim uſpiam, quod commentitio Romanæ Eccleſiæ primatui adſtipulari poſſit, in iis legas. Quid? quod in Homilia quam habuit in feſto Petri & Pauli, cum exponit illud Matth. 16. *Tu es Petrus*, &c. non ſuper Petrum, nec ſuper Eccleſiam Romanam, ſed ſuper Chriſtum & fidem in Chriſtum, quem Petrus confitebatur eſſe filium Dei vivi, Eccleſiam ædificatam, & poteſtatem ligandi & ſolvendi non ſoli Petro, ſed etiam cæteris Apoſtolis, & non tantum Apoſtolis, ſed etiam Epiſcopis & ſacerdotibus conceſſam eſſe docet.

* Centur IV. Magdeb. cap. 7. col. 559. & cap. 10. col. 973. ſeqq. VVolfius Cent. 5. Memor. Lect. p 136.

XXXI. *Agapeti.*

AGapetos quidam veteres quoque inter hæreticos connumerant. Fuerunt autem Agapeti, ut illi tradunt utriuſque ſexus homines, qui Virginitatem ſimulantes, à ſuis parentibus cognatisq; ſeſe iungebant, & inter ſe veluti ſanctius ſeorſim extra mundum victuri cohabitabant, & plerumq; ſe Clericis adjungebant. Sed ut multi ſcriptores affirmant, magis cautè, quàm caſtè vivebant. Res tota fuit noſtris Monachis Monachabusq; conſimilima. Scripſit contra eos Hieronymus. Sed Clericis id ſcriptum adeò vehementer iam tunc temporis diſplicuit, ut Romæ, teſte ipſomet authore, ab eis lapidatum ſit. Depingitur enim ibi haud obſcuris coloribus ſpiritualium Clericorum & Monachorum & iſtarum pſeudo virginum impuriſſimarum caſtitas. Vnde non eſt mirum, Chriſtiane lector, ſi noſtrorum quoq; conſimilis argumenti ſcripta hoc tempore à Romaniſtis lapidentur. *Hypocritarum venditatio.*

* Vnde Agapetarum peſtis introiit? ſcribit Hieron. ad Euſtach. col 175. T. I.

XXXII. Vigi-

XXXII. *Vigilantius.*

VIgilantius, qui floruit anno 360. oppugnavit *Invocationes & cultum sanctorum, orationes pro mortuis, adorationem reliquiarum & imaginum, candelarum interdiu accensionem*, & alias ejusmodi nugas. *Item cœlibatum spiritualium*; diciturq; habuisse multos Episcopos consentientes. Recitemus sanè & verba ejus aliquot à *Hieronimo* citata. *Quid necesse est de tanto honore, non tantum honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Quid pulverem linteamine circundatum adorando oscularis? Prope ritum gentilium videmus, sub prætextu religionis introductum; in Ecclesia sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi, & ubicunq; pulvisculum, nescio quod in modico vasculo pretioso, liteamine circundatum osculantes adorant.* Item *Quod dum vivimus mutuò pro nobis orare possumus. postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio.* Item: *Tu prohibeas Hierosolymam in usus sanctorum aliqua sumptuum solatia dirigi? & asseris eos melius facere, qui utuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quàm illos qui possessionibus venundatis, semel omnia largiuntur. Et A suo studio monachos deterres lingua viperea, de quibus argumentaris & dicis: Si omnes se clauserint, & fuerint in solitudine, quis celebrabit Ecclesias? quis seculares homines lucrifaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari?* Quem etsi Hieronymus *tanquam hæreticum* immodestè (teste etiam ipso Erasmo) proscribit, ac ejus errores exaggerat; tamen probabiliter, fortassis etiam verè à Bullingero in libro de Origine erroris, circa invocationem sanctorum capite 16. & 17. excusatur; & sanè si quis scriptum illud Hieronymi legerit, facilè animadvertet, tantum mera maledicta & convicia in hominem congeri, nihil verò quod firmum sit ad confutationem afferri. Vtinam ad hæc usque tempora tam vehementer in sacerdotibus ordinandis requisitum fuisset conjugium (ut Hieronymus de Vigilantio, eiq; consentientibus Episcopis scribit) quàm est requisitus impurus iste cœlibatus. Saniores profectò Pastores, & non parum minus libidinum & prodigiosarum turbitudinum, & aliorum scelerum in Ecclesia Dei habuissemus, quàm hactenus habuimus; ut taceam de religionis puritate, quæ per istos spuricissimos Heliogabalos contaminata, corruptaq; est.

* Vid. Centur Magdeburg. IV. c. 8. col. 601. 602. 603.

XXXIII. *Antonius Eremita.*

ANtonius Eremita admodum celebris, itidem circa 350. Christi annum Floruit. In superstitionem circa conservandas sanctorū, ut vocant, reliquias duriter invectus est. Quod ut clarius animadvertatur, locum ex ejus vita adscribam. *Mos etenim Aegyptijs est nobiliū, & præcipuè beatorū martyrū corpora linteamine quidem obvolvere, & studium funeri solitum non negare: terra verò non abscondere sed super lectulos domi posita reservare. Hunc honorem quiescentibus reddi, inveterata consuetudinis*

Athanas. Vit. S. Anton. pag. 1157. edit. August. Hæsch. 1611.

tudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius ſæpe & Epiſcopos deprecatus eſt, ut populos Eccleſiaſtica conteſtatione corrigerent, ac laicos viros & mulieres rigidius ipſe convenit dicens: *Nec Legitimum hoc eſſe, nec Deo placitum, quippe cum Patriarcharum & Prophetarum ſepulchra, quæ ad nos uſq; perdurant, hæc facta convincerent. Dominici quoq; corporis exemplum intueri jubebat, quod in ſepulchro poſitum usq; ad reſurrectionis diem tertium clauſum fuerit.* Atque his etiam modis vitium circa defunctos Ægypti, etiamſi ſancta eſſent corpora, coarguebat dicens: *Quid majus aut ſanctius eſſe poteſt corpore Dominico? Quod juxta conſuetudinem gentium cæterarum, humo conditum eſſe ſcimus?* Hæc juſta perſuaſio multorum inſitum evulſit errorem, & repoſitis in terra cadaveribus, Domino gratias pro bono magiſterio retulerunt. Hæc inde. Ac poſtea Antichriſtus docuit ſummam pietatem eſſe, cadavera piorum (vel alia pro eis ſuppoſititia) jam putrida, ex terra effodere, in ornatiſſimis & pretioſiſſimis lectulis ponere, eaque pro Deo colere & invocare. Improbavit & *peregrinationes*, docens in omnibus terris eſſe regnum cœlorum. Multa de ejus *luctis cum Satana* lego; ſed nuſquam de aqua benedicta, cruce, cera & herbis ſacratis, aliisque ejuſmodi præclaris Antichriſti contra Satanam armis; cæterùm fide, verbo, ac oratione eum pugnaſſe invenio. *Fidem ſanè in Chriſtum* inter docendum in primis diligenter inculcavit, & in juſtitiæ operum confidentiam graviter invectus eſt.

Pag. 9. 11. 14. 15. 18.

* Dictum Antonii n. 17. Σφραγὶς ἡμῖν καὶ τεῖχος εἰς ἀσφάλειαν, ἡ εἰς τὸν κύριον ἡμῶν πίστις. *Sigillum nobis & murus ſecuritatis eſt, fides in Dominum noſtrum.* Animo intrepido dixit Satanæ: χριστοῦ δοῦλος εἰμι. *Servus Chriſti ſum*, pag. 72. *

Memorabile ſanè & illud in hoc parte eſt, quòd cum aliquando ſolicitè cogitaret, à Deoque ſibi revelari peteret, quantæ jam ſanctitatis, quantique apud Deum meriti eſſet, cum ſanctè ac ſeveriter vixerit; reſponſum ei eſſe, *ipſum cum tota ſua caſtitate, afflictionibus & ſolitaria vita, cuidam patrifamilias Alexandrino ſutori æqualem pietate meritisq; eſſe.* Sic Deus illos Patres revocare non tantum à ſuæ monaſticæ vitæ admiratione voluit, ad communem vitam rectè colendam; ſed etiam in univerſum ab operum meritorumque ſuorum admiratione ad Chriſtianiſmum; voluitque eos ſtatuere, ipſum Chriſtum noſtram eſſe perfectionem, eosque & alios quosvis veros Chriſtianos ſanctiſſ. monachis perfectione & apud Deum gratia pares eſſe. Quid de humanis traditionibus monaſticisque regulis ſenſerit, inde apparet, quòd *Petrus Pariſienſis Cantor* teſtatur, eum quibuſdam monachis petentibus regulam ſeu normam piæ vitæ, Evangeliorum codicem obtuliſſe, quo ille nimirum indicare voluit, omnia ad pietatem neceſſaria abundè in ſacris literis comprehenſa eſſe, nec eſſe ullis novis regulis, canonibus aut normis opus. At Deus bone, quot millia traditionum, canonum & regularum ab eo tempore ſunt à Papa, Epiſcopis & Monachis coacervata? Quo diabolico furore eò res per-

ducta est, ut nunc sit holribilis hæresis, dicere aut sentire, totam doctrinam ad salutem necessariam in sacris literis comprehensam esse.

* Monachos otiosos & contemplantes pro meritis etiam excepit, & vario sale perfricuit; laborantibus cibos apponens, & spirituales istos ad preculas suas amandans; Goulart, p. 148. Operatum fuisse suis manibus habet Autor vitæ, pag. 6. coluisse agrum, olera plantasse, pag. 70. *

XXXIV. *Spiridion.*

Lib. 1. c. 11. p. 551. edit. Basil. 1559.

SPiridion uxoratus Cypri Episcopus, sanctitate, miraculis & prophetico Spiritu præfulgens, circa annum 350. floruit. Is teste Sozomene tempore quadragesimæ hospiti carnes porcinas apposuit, ut Ecclesiastica historia testatur. Quo recusante, quòd Christianus esset, respondit: *Ob hoc ipsum, quòd Christianus es, debes jam carnes comedere; omnia enim esse munda mundis sermo divinus testatur.* Ac ipse quoque cum eo comedit. Vnde apparet, paulatim incrementa accepisse diabolicam istam doctrinam de ciborum prohibitione, longè aliter interea piis doctisque viris sentientibus: sed nequicquam, illis aliisque superstitionibus repugnantibus. Semper enim homines superstitiosi Christianismum in externis rebus, & humanis traditiunculis collocarunt. At contra verè intelligentes & pii senserunt & docuerunt, Christianismum nos liberare à talibus traditiunculis.

* Cent. IV. Magdeburg. c. 10. col. 1116. Wolfius Cent. 4. Lect. Memorab. p. 101.

XXXV. *Concilium Ancyranum.*

Diaconis uxores ducere permittitur.

HOc Concilium circa 300. Domini annum celebratum, statuit, ut si Diaconi in ordinatione sua protestantur, *se uxores ducturos, illis liceat facere, & simul in ministerio permanere.* Idem statuit & Arelatensis aliqua Synodus, ut testatur *Decretum dist.* 28. Statuit quoque secunda Arelatensis Synodus, ut Metropolitani arbitrio Synodus convocetur & celebretur. Mentiuntur igitur Papæ, qui dicunt, tantum sui juris esse Concilia convocare ac congregare. Idem *Milevitana Synodus* constituit, ut alibi dicetur. Tametsi sæpè etiam Imperatores ac Reges convocaverunt, ut alibi annotavimus; sed de hac re aliquid etiam in Iulio Papa diximus. Hæc eadem Synodus pronunciat, visiones animarum non à Deo, sed à maligno venire ac esse imposturas Satanæ. Quod est planè memorabile.

XXXVI. *Hilarius Pictaviensis.*

HIlarius Episcopus Pictaviensis, floruit circa annum Domini 360. Scripsit multa, in quibus non pauca præsentium Papatus errorum semina taxat. In libro *contra Auxentium*, queritur rationem formamque veræ Ecclesiæ adeò mutatam, vel potius deperditam esse, *ut sicut olim fuerit pauper, humilis, afflicta, & ab*

omnibus

omnibus persecutionē patiens; ita nunc contrà sit superba, dives, persecutrix aliorum, &c. Multas hujusmodi antitheses recenset proprietatum primitivæ Ecclesiæ, pugnantium cum ejus quæ est secuta, quas majoris certitudinis gratia ad verbum ex ipso Authore adscribam. *Antichristos plures esse, etiam Apostolo Ioanne prædicante cognovimus, Quisquis enim Christum, qualis ab Apostolis est prædicatus, negavit, Antichristus est, Nominis Antichristi proprietas est, Christo esse contrarium. Hoc nunc sub opinione falsæ pietatis efficitur, hoc sub specie prædicationis Evangelicæ laboratur; ut Dominus IESUS CHRISTUS, dum prædicari creditur, denegetur. Ac primùm misereri licet* nostræ ætatis laborem, & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere; *quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione seculari laboratur. Oro vos* Episcopi, *qui hoc vos esse creditis, quibusnam suffragiis ad prædicandum Evangelium Apostoli usi sunt? Quibus adjuti potestatibus Christum prædicaverunt; gentesq; ferè omnes ex idolis ad DEUM transtulerunt? An ne aliquam sibi assumebant à Palatio dignitatem? hymnum DEO in carcere, inter cathenas, & post flagella cantantes? edictisq; Regis Paulus cum in theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat? Nerone se, credo, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confessio divinæ prædicationis effloruit. Illi manu atq; opere se alentes intra cænacula secretaq; coëuntes, vicos & castella, gentesq; ferè omnes terra ac mari, contra Senatus consulta & Regum edicta peragrantes claves, credo, regni cœlorum non habebant? Aut non manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit; cum tantò magis Christus prædicaretur, quantò magis prædicari inhiberetur? At nunc, proh dolor, divinam fidem suffragia terrena commendant; inopsq; virtutis suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus Ecclesia, credique sibi cogit quæ exilus & carceribus est credita; pendet à dignatione communicantium, quæ persequentium est consecrata terrore; fugat Sacerdotes, quæ fugatis est Sacerdotibus propagata; diligit se gloriatur à mundo, quæ Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset. Hæc de comparatione tradita nobis olim Ecclesiæ, nunc quàm deperdita, res ipsa quæ in oculis omnium est atq; ore, clamavit.* Hactenus Hilarius. Porrò de humanis traditionibus super Matth. inquit, eas eruendas esse, propterea quòd sint hominum, non Dei plantatio; quodque propter eas, homines Dei traditiones transgrediantur. Super Psalmum 123. acerrimè in humani liberi arbitrii ac coram Deo meriti arrogantiam invehitur, citans illud Pauli: *Quid autem habes, quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris tanquam non acceperis?* Hæc de multis, quibus Antichristi tum *pullulantes errores* damnavit, citasse sufficiat.

Cont. Aux. p. 214. edit. Basil. 1570.

Can. 14. pag. 292. Pag. 540.

In legenda beati Hilarii legitur, cum Leo Papa factus esset Arrianus, conciliumque celebraret, venisse Hilariū in Concilium, durissimeq; concertare cœpisse cum Leone, cū hic gloriaretur, se esse Episcopū sedis Apostolicæ: ille verò diceret, se quoque esse Episcopum, & nulla in re Papæ cedere vellet, tandē miraculo subitæ mortis

Leonis, certamen esse finitum. Testatur & Epistola Oxoniensis Pragensisque ad Parisiensem, hunc beatum Hilarium etiam contra ipsum Papam certare solitum esse. Vtinam ea acta integrè extarent. Verùm historia certaminis cum Leone Papa de Arianismo, meo judicio rectius *Hilario Viennensi*, qui tempore primi Leonis vixit, & multa cum eo certamina habuit, quàm huic tribuetur; nam hic longè ante primum Leonem vixit.

Hilarius Viennensis Papæ se opponit.

Hic sese speculentur in tam præclaro exemplo, nostri temporis adulatores Paparum; qui mentiuntur Papam minimè errare posse; neminemque eum reprehendere, aut judicare, sed omnes ipsi subesse debere.

Hilarius uxoratus.

Baptista Mantuanus testatur in Fastis, hunc Hilarium etiam in *Episcopatu conjugatum* fuisse; unde apparet, quid ille & multi alii pii ac docti, de Sacerdotum conjugio tunc senserint. Sed Mantuani de hac re carmina, postea sub ejus titulo adscribam.

* Alia loca Goulartius colligit p. 150, 151, 152. quæ copiosè dabuntur Cent. IV. Magdeb. cap. 10. col. 1137. seqq.

XXXVII. Eusebius Cæsariensis.

EVsebius Cæsariensis floruit paulò post 300. *Domini annum.* Is in sua Ecclesiastica historica, præter multa alia, quæ subinde hactenus citavimus, scribit etiam, quòd tristissima illa persecutio sub Diocletiano, potissimum orta sit à petulantia, superbia & rixis Sacerdotum & Episcoporum, qui & Dei iram contra sese irritaverint, & Ethnicò tyranno occasionem cogitandi dederint, *totam Christianam Religionem esse merum pravorum hominum commentum.* Quòd si jam tum, cùm alii Sacerdotes, tum in primis Romani (quorum vita Romano Imperatori notior fuit, ac spectatior) tales fuerunt, quid non est verisimile, ab eo tempore impietatis & improbitatis illis accessisse?

Similiter & Eusebius Pamphyli ad Constantiam Augustam, petentem Christi imaginem ad se ab illo mitti, talia dixit. Quoniam autem de Christi imagine ad me scripsisti, ut tibi mitterem, velim mihi significes, quam nam Christi putes imaginem; utrum illam veram, & incommutabilem naturæ illius characteres ferentem? aut hanc, quam propter nos assumpsit, servilem formam pro nobis induens. Sed sanè de divina forma, nō arbitror etiam ipse ego te esse solicitam, cum fueris ab illo edocta, neminem Patrem cognovisse præter Filiū; neque ipsum Filium condigne quēpiam cognovisse, nisi qui illum genuit Pater. Et pòst alia: Sed omnino servi requiris imaginem formæ, & carnem, quam propter nos induit. Sed & hanc gloria dignitatis suæ commixtam esse didicimus, & passam, mortuamque. Et post pauca: Quis igitur gloriæ ejuscemodi, & dignitatis splendore lucentes & fulgurantes, effigiare mortuis & inanimatis coloribus, & umbratili pictura posset? Cum neq; divini illius discipuli in monte illum contemplari quiverunt, qui cadentes in faciem

ſuam, non poſſe ſe ejuſcemodi ſpectaculum inſpicere confeſſi ſunt. Igitur ſi carnis illius figura tantam ab inhabitante in ea divinitate accepit potentiam, quid oportet dicere tunc, cum mortalitatem exuit, & corruptionem abluens formam ſervi in Domini & Dei gloriam tranſtulit, poſt mortis ſcilicet victoriam, poſt aſcenſum in cœlos, poſt cum patre regio in throno à dextris conſeſſum, poſt requiem in ineffabilibus & innominandis finibus patris, in quam aſcendentem & deſidentem, cœleſtes poteſtates illi benedictis vocibus acclamabant dicentes: Principes, tollite portas veſtras: aperiamini portæ cœleſtes, introibit Rex gloriæ.

* Compilavit plura Goulartius p.153, 154, 155, 156. *

XXXVIII. Baſilius Magnus.

BAſilius Magnus claruit circa 370. annum. Inſtituit initia aliqua monachatus, & cantionum, quæ paulatim poſtea creverunt, ac in battologias planè ethnicas & opus operatum degenerarunt; ob eamque cauſam, quod ita novos cultus inſtitueret, & communi hominum vitæ quaſi derogaret, reprehendit eum *Eccleſia Neocæſarienſis*, ut apparet ex ejus Epiſtola 63. Item ejus proprius Epiſcopus Euſebius, ut ex vita Baſilii à Gregorio Nazianzeno recitata animadverti poteſt. Vnde apparet, multos tunc adhuc monaſticen novaque iſta pietatis genera damnaſſe; quanquam impoſſibile dictu ſit, *quantum ea monaſtica noſtrâ fuerit purior, ſyncerior*, & ab omnibus ſuperſtitionibus mundior. Ep. 63. p. 43. T. 2. ed. Baſ. 1565.

Deplorat is in Epiſtola quadam diſſidia Epiſcoporum hiſce verbis. *Cùm in virum* (inquit) *evaſiſſem; & peregrinationibus ſæpenumero uſus, in moleſtias, ut par erat, incidiſſem, in aliis quidem artibus & ſcientiis multum concordiæ inter eos deprehendi, qui ſingulas artes exactè exercent. In ſola verò Eccleſia Dei, pro qua Chriſtus eſt mortuus, & in quam Spiritum Sanctum abundè & opulenter effudit, maximum diſſidium, & vehementem multorum, tum inter ipſos, tum contra divinam Scripturam diſſenſionem obſervavi. Et, quod horrendiſſimum eſt, ipſos Eccleſiæ præſides, in tanto & animi & opinionum inter ſe diſſidio conſtitutos, tantaq; contrarietate mandatis Domini noſtri Ieſu Chriſti repugnantes, Eccleſiam Dei crudeliter diſſipare & gregem ipſius absq; ulla commiſeratione perturbare, ut & in ipſis nunc, ſi unquam prodeuntibus & florentibus iniquis, impleatur illud Apoſtoli. Ex vobis ipſis exurgent viri perverſa loquentes, ut abſtrahant poſt ſe diſcipulos.* Queritur porrò admodum lugubriter Baſilius de ſui temporis Epiſcopis, ad *Occidentales Epiſcopos* ſcribens. Dicit enim, veram ac piam doctrinam ex Eccleſia tolli, ac præfici Eccleſiis ſceleratos & falſos doctores. In libro de Spiritu S. dicit, Epiſcopos falſa dogmata ſeditionibus & cædibus defendere. Quæ peſtis, Deus bone, quàm in immenſam ab eo tempore ha- Cap. 30. p. 212.

ctenus crevit? Et isti pigri ventres adhuc clamitant, nihil vicii esse in Ecclesia, nec eam reformatione indigere.

* Alia dicta congessit Goulartius lib. 4. p. 157, 158; 159, 160; 161, 162. *

XXXIX. *Gregorius Nysenus.*

GRegorius Nysenus, Basilii Magni frater, eruditione ac pietate celebris, & teste Nicephoro, uxoratus, floruit circa idem tempus. Is in quadam Epistola, græcè & latinè Parisiis anno 1551. apud Morelium impressa, *damnat peregrinationes versus Hierosolymam*, ac multa piè recteque dicit. Primùm vult DEI VERBUM esse unicam vitæ nostræ normam, quod est verum ac solidum fundamentum, veræ ac solidæ pietatis. DEINDE ostendit, nusquam in sacris literis peregrinationes præceptas esse. Tertiò affirmat. *multa scelera peregrinationum occasione* fieri; & in primis multas mulieres contaminari. Quartò asserit, nihil penitus ad pietatem peregrinationes facere. Quintò dicit, *Deum non magis Hierosolymis, quàm in aliis regionibus esse; sed ibi eum maximè habitare, ubi maximè ejus religio viget ac colitur.* Quin potius dicit, magis videri *Cacodæmones* circa Hierosolymam habitare; quia nulli usquam sceleratiores homines vivant. Sicut vulgò idem jam longo tempore *de Roma* est dictitatum. Sextò monstrat, veram pietatem in syncera ac seria Christi cognitione sitam esse. Septimò *dicit*, DEVM ubique ex æquo propè esse omnibus syncerè invocantibus & seriò quærentibus eum. Demum concludit, gratiam & dona Dei ad locum alligata non esse. Recitabo ipsius authoris unam & alteram sententiam. *Cùm itaq; sint, qui solitariam & privatam vitam sibi delegerint, quibus vice pietatis habeatur* Hierosolymitana loca vidisse, *in quibus judicia Domini adventus per carnem conspiciuntur, præclarè se res habet, si ad regulam ipsam respiciamus; idq; si velit præceptorum ductus, ut opus faciamus quasi mandatum Domini*: Sin præter Domini præcepta *id appareat introductum, haud scio quid sit, quod præcipiat, velle quid aliquem facere, qui se sibi legem boni fecerit ipsum. Ubi ad regnum cœlorum hæreditatem consequendam appellat Dominus* benedictos, profectionem in Hierosolyma, *inter rectè facta, quæ eò dirigant*, non enumeravit; *ubi* beatitudinem *enunciat, tale studium, talemq; operam non est complexus. Quod autem neq; beatum efficit, neq; ad regnum conducibile est, quod in eo studium & opera ponatur. Qui mentem habet, consideret.* Item. *Unde vos qui timetis Dominum, in quibus locis estis, eum laudate. Localis enim mutatio, ut Deus propior sit, non efficit, sed ubi ubi fueris, ad te Deus veniet: siquidem anima tua diversorium tale inveniatur, ut in te Dominus inhabitet, inambuletq;. Sin hominem interiorem perversis cogitationibus plenum habeas, etiamsi in Golgatha fueris, etiamsi in monte olivarum, etiamsi sub monumento resurrectionis: tantundem abest, ut Christum in te ipso suscipias, quantum qui ne initio quidem religionem professi sunt. Consule ergo dilecte fratribus, ut à corpore peregrinentur ad*

Domi-

Dominum, non è Cappadocia in Palæstinam. Hæc ille sanctissimus & doctissimus vir de peregrinationibus, ad loca quæ sancta esse putantur; imò etiam de peregrinatione versus Hierosolymam, quæ omnium summa & sanctissima esse à Papistis censetur, sensit & docuit. At postea; & præsertim Papis Romanis omnia tenentibus, summus sanctissimusque cultus Dei peregrinationes ad sanctos, præsertim *Romam ad S. Petrum*, sunt judicatæ. Nec id sine causa Papa, ejusque mancipia docuerunt, & bullis confirmarunt, & ipse Satan falsis miraculis constabilivit. Lucrosum enim eis omnibus multipliciter fuit. Observari etiam hic debet, quomodo nunc grassantes errores jam inde ab initio paulatim à Sathana sparsi sunt, frustra doctis piisque viris reclamantibus. Non tamen tam multæ falsæ opiniones indulgentiarum, & similium errorum fuerunt initio peregrinationibus adjunctæ, ut postea circa millesimum Domini annum.

* Oratio extat Cent. IV. Magdeb. cap. 10. col. 936, 937, 938.

X L. Concilium Gangrense.

Concilium Gangrense, quod celebratum est ante Nicænum nempe circiter 300. Christianum, severiter damnavit superstitiosos homines, qui de conjugio, esu carnium, communi vestitu, & tota vita communi, tanquam prophana, leviter sentiebant. De conjugio Sacerdotum clarè sic scribit: *Quòd si quis non putet sacerdotali functione fungi, aut ab eo abhorreat propter conjugium, ille sit anathema.* Anathematizat quoque & eos, qui aliam vestem alia sanctiorem, aut plus facere ad pietatem judicant, ut jam monachi & monachæ. Anathematizat & eos, *qui ob cultum Dei a parentibus discedunt*, ut itidem Monachi. Ita apparet, illam sanctam Synodum monasticas superstitiones jam tum pullulantes damnare voluisse, & Sacerdotum conjugium in primis sedulò tueri conatam. Adeò porrò magni ab antiquis hoc Concilium factum est, ut totum penè in Decreto sit recitatum. At jam omnia ista decreta non Catholica, sed Lutherana & hæretica pseudocatholicis nostris sunt. Verùm adscribamus prolixum locum *Socratis ex lib. 2. cap. 43.* quò Synodus hæc, & tota historia melius intelligi queat. *Eustathius verò Sebastiæ Armeniæ Episcopus, ne ad satisfactionem quidem admissus est, propterea quòd jam antè à patre suo Episcopo Cæsareæ Cappadociæ ob eam causam depositus fuerat, quòd stolam indecentem gestasset. Sciendum autem, quòd in locum Eustathii Meletius constitutus est Episcopus, de quo paulo post dicemus: Eustathius posteà in* Synodo Gangrensi Paphlagoniæ *condemnatus est, propterea, quòd posteaquam in Synodo Cæsariensi depositus esset, multa præter Ecclesiasticam formulam gesserat:* Nubere *siquidē prohibuerat: & à dogmatibus abstinendū decreverat; atq; ita multos, qui nupserant, à connubio separaverat, & illis, qui Ecclesias aversabantur, domi cōmunicare persuaserat: ac servos sub prætextu pietatis heris suis abstulerat; & cum ipse habitum Philosophi gestaret, etiā sectatores peregrina stola uti fecerat; mulieresq; tondi curaverat, & determinata jejunia*

Concil. T. 1. f. 182. edit. Colon. 1538.

Pag. 325. ed. Bas. 1549.

nia aversari; *dominicis verò diebus jejunare docueras. Denique & preces in domibus conjugatorum fieri prohibuerat, & presbyteri uxorem, quam adhuc legitimè duxisset, habentis benedictionem & communionem, tanquam abominationem declinare jusserat; & alia plurima istis similia fecerat & docuerat. Quorum gratia synodus Gangrensis, sicut dixi, & ipsum* deposuit: *& ipsius dogmata anathemate damnavit.* Hæc ille. Videtur tunc satis latè ista monastica pestis serpsisse, aut etiam grassata esse.

XLI. *Paphnutius.*

Conjugii dignitatem tuetur.

Circa 350. annum Christi floruit *Paphnutius*, vir constantia, miraculis & pietate insignis. Is in Nicæna synodo contradixit iis, qui volebant Episcopos & Sacerdotes usu conjugum privare; id est, toti fermè concilio, obtinuitque *habendum pro castitate cum propria uxore concubitum.* Protulit enim magno totius concilii assensu illud Pauli: *Honorabiles esse nuptias ante omnia, & lectum incontaminatum.* Dixit etiam, tali decreto prohibente usum conjugum, maximam causam ac occasionem sacerdotibus turpiter libidinandi præberi posse.

* Cent.IV.Magdeb.cap.9.col.656 cap.10.col 1088. *

Mirari autem profectò quis meritò vehementer possit, adeò plerosque omnes illos sanctos patres, ut *Nicephorus* testatur, in tam perniciosum decretum tam pronos ac inclinatos fuisse, *unicumq; Paphnutium jam prolapsam veritatem sustinuisse & restituisse.* Illud verò etiam magis mirandum, quòd cùm hic error sanctissimæ hujus synodi sententia rejectus esset, cumque ab omnibus in summa veneratione ea synodus præ cunctis aliis haberetur, non multo pòst plerique præsertim Occidentales Episcopi, ante omnes verò Sodomitæ Romanenses, denuò in pristinum errorem, quòd sacerdotes usu conjugum privari debeant, relapsi sint.

Hinc animadverte Christiane lector, *primùm*, plerunque majorem partem etiam summorum virorum in magni momenti dogmatibus turpiter errasse, ac sæpe inter 300. Episcopos vix unum aut alterum paulò rectius sensisse. *Deinde* observa, satanam semper istam *Sodomiticam sacerdotum castitatem* in Ecclesiam invehere conatum; sed aliquandiu pios doctores ei restitisse, donec tandem ita, merentibus hominum peccatis, qui dilectionem veritatis non habuerunt, error prævaluit.

Idem sanctus vir Paphnutius, cum esset *virgo*, & etiam *solitariam vitam ageret*, putans se jam multum profecisse, tandem ter in oratione à Deo quæsivit, *cuinam sanctorum similis merito esset*? Responsum sibi primùm est, *similem se musico cuidam, qui non procul inde in quodam vico cantando victum quæreret.* Secundò responsum ei est, *similem eum judici ejusdem vici.* Tertiò responsum est ei, *similem eum diviti cuidam mercatori.* Vnde ille didicit, & sic etiam presbyteros ad se venientes

tes docuit, omnia honesta vitæ genera Deo probari, & in omnibus vitæ generibus esse pios homines, Deoque placentes; nec placere monasticen Deo plus alia communi laicorum vita: nec professionem seu votum homines Deo commendare, acceptioresque efficere; sicut impius Thomas scripsit, *cucullum perinde mundare hominem, ac ipsum baptismum.* Sic & *Antonius* aliquando responsum accepit, eum Alexandrino cuidam sutori æqualem esse pietate. Atque hoc responsum illi sancti patres acceperunt tunc, cum & longe majus studium bonorum operum in monachis fuit, & monastica regula adhuc purior ac syncerior, magisque Christiana extitit. Quid putas nunc eos in ista Sodoma & abominatione responsi accepturos.

XLII. Nicænum Concilium.

NIcæna synodus ex 318. Episcopis congregata statuit, *ut liceat Episcopis & Sacerdotibus habere conjuges, ac liberos procreare*; obtinente id contra omnium fermè Patrum sententiam, solo Dei viro *Paphnutio cœlibe & martyre*; nam cum plerique omnes Patres eò inclinarent, quod sacerdotibus esset suarum conjugum usu interdicendum; solus ille rem rectius perpendens, sese eis opposuit, commemorans sacras literas testari, *honorabile esse matrimonium, & cubile immaculatum:* indicans etiam, tali cœlibatu dari maximam occasionem posse turpissimarum libidinum. Quibus rationibus (Deo ita procul dubio animos eorum inclinante) moti Patres, laudaverunt Paphnutii sententiam. Testantur id Nicephorus & Sozomenus.

Mirum autem profectò supra modum est, cum *ultra* 300. *sanctissimi & doctissimi viri* ei Synodo interfuerint, tam temerè plerosque in eum errorem inclinasse. Sed Deus nimirum eligens unicum homuncionem ad tantam rem, indicat, se solum esse suæ veritatis ac Ecclesiæ conservatorem, non homines; quantumvis docti, boni ac sapientes sint. Hinc ergo apparet, quàm tutum sit, multos etiam doctos, bonos, ac pios homines in rebus divinis, sine certo scripturæ testimonio sequi.

Mirum & illud supra modum est, quòd cum hanc Synodum omnes Ecclesiæ, etiam Latinæ, atque adeo *& ipsa Romana*, in maxima semper veneratione habuerint; tamen tam citò postea, nempe *in annis* 30. cœperint multi Occidentales Episcopi conjugium sacerdotum persequi, & præsertim Romanenses Sodomitæ. Sed oportuit scilicet ibi esse *Babylonicam meretricem, omnium non tantum spiritualium, sed & carnalium libidinum matrem*, ut eam Apocalypsis nominat.

Constituit quoque hæc S. Synodus, *ut singularum provinciarum Metropolitani potestatē habeant in suos Episcopos, Sacerdotes & Ecclesias; Alexandrinus in Ægypto; Antiochenus in Syria, & Romanus in vicinos Italiæ Episcopos, & itē alii alibi*; & ut singuli sa-

cerdotes & Episcopi suis Metropolitanis ita subjecti sint, ut *ad alios Metropolitanos appellare non possint*, sed tantum ad Synodos provinciales & universales. Nullum sanè privilegium apparet, tunc Romanum Metropolitanum præ Alexandrino, aut Antiocheno, aut aliis habuisse. Nulla cum ne syllaba quidem hæc Synodus præ Alexandrino, Antiocheno, aut aliis Metropolitanis honorat. Etsi enim tres Romani Papæ, nempe *Zozimus*, *Bonifacius*, & *Celestinus*, decreta Nicænæ synodi nefariè falsaverant, eaque ita *falsata* ad sextam Carthaginensem Synodum miserant, petentes sibi imperium in *Africanas* & aliarum exterarum provinciarum Ecclesias, tamen illa sacrosancta Synodus, ut alibi prolixius dicam, illud crimen falsi animadvertit, & clarè ejus sceleris Papam tum coram ipsius legatis, tum per literas redarguit, ac evidenter ostendit, Nicænam Synodum statuisse, ut singularum provinciarum Sacerdotes suis Episcopis subjecti sint, *nec ad ullum in peregrinam provinciam appellare possint, nisi ad Synodos*; sed ut causæ in sua provincia, ubi ortæ sunt, finiantur; hunc inquam esse verum ac genuinum sensum Nicænæ Synodi, ita clarè Carthaginensis Synodus ostendit, ut Papa, quòd contrà garriret, non haberet. Quin & edita hoc tempore exemplaria consentiunt.

Concilij Nicæni Canones à Papis falsificati.

Statuit etiam hæc Synodus, *ut Episcopus à vicinis Episcopis ordinaretur*; sicut & Apostolorum Canones præcipiunt, de quibus superius dixi. Hinc sumpsit Paparum tyrannis, qualecunq; initiolũ. Licet enim & ante Papæ sedulò affectaverint regnũ, tamen nihil eximium efficere poterant, nullaq; eorum eximia authoritas ante Nicænam Synodum fuit, ut etiam eorum Sylvius, vel *Impius secundus, Epistola* 201. *testatur*, inquiens: *Ante Nicænam Synodum unusquisq; sibi* (id est, suo arbitrio) *vixit, & parvus respectus ad Romanam Ecclesiam habebatur*. Hæc sunt ejus verba.

Edit. Norinberg. 1496. Dd,2.

Hinc disce pie lector, quid hæc sacrosancta Synodus de cœlibatu aut conjugio Sacerdotum senserit, aut quis fuerit status Ecclesiæ ante Nicænam Synodum, & unde initium suæ tyrannidis Romanus Episcopus sumpserit. Sed Deus bone, quàm prosperè Papa Romanus hac qualicunque sui regni confirmatiuncula usus est? Statim cœpit crescere & intumescere, seque velle Deo æquare, donec tandem nostris temporibus, veluti illa Æsopica rana, aut potius ipse Iudas Christi proditor, medius crepuit, omnemque dignitatem, gloriam, opes ac potentiam, quæ turpiter in suum ventrem congesserat, magno cum fœtore ac dedecore suo suspensus effudit.

† Magdeburg. Cent. IV. cap. 9. p. 655. de Paphnutio; p. 656. seqq. de Ecclesiasticarum rerum administratione.

XLIII. *Constantinopolitana Synodus.*

Primatus Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

CONstantinopolitana Synodus *contra Macedonium*, *negantem Spiritus Sancti divinitatem*, ex 150. Episcopis, circa 380. annum Christi congregata, statuit, ut *Constan-*

Constantinopolitanus Archiepiscopus haberet *primatum super Orientales Ecclesias.* Quod non eò recito, quòd id valdè probem; sed ut ostendam, Ecclesiam Christi tunc nondum scivisse, esse Christi mandatum, ut solus Romanus Papa omnibus Ecclesiis per orbem terrarum imperet; nec fuisse tunc Papæ tyrannidem ita firmatam, ut non putarent sancti Patres fas esse, alicui alteri primatum ac supremum regimen in aliis Provinciis dari. Ad cujus sententiæ confirmationem & illud facit, quòd tunc quidem huic decreto Papæ non ausi sunt contradicere. Sed postea cum circiter post 80. annos in Chalcedonensi Synodo 630. Episcoporum repeteretur, seu revocaretur hic idem canon, Deus bone, quas turbas, quos tumultus, propterea concivit in Ecclesia Leo, ejusque successores, de quo postea dicam. Vnde idem apparet, Romanos Pontifices subinde sibi majores spiritus sumpsisse.

XLIV. *Concilium Milevitanum.*

1. CONcilium Milevitanum, cui præter multos alios doctissimos & pientissimos Episcopos, etiam divus Augustinus interfuit, decrevit, *ne quisquam Sacerdos aut Episcopus ultra mare*, id est, ad Papam Romanum *appellet, qui id fecisset, eum pro excommunicato habendum.* Additque ei decreto sacrosancta Synodus, hoc sæpè etiam antea à Synodis constitutum esse. Quod sanè valde notandum est. Manifestè enim tollit istam tyrannidem Papæ, quam nunc crudeliter exercet.

Decreta & Canones Concilij Milevitani, cui Augustinus interfuit.

2. Decernit item eadem Synodus, *ut Metropolitani Synodos convocent*, nulla planè Papæ mentione facta. At nunc, & jam multis seculis, Papæ impudentissimè blaterarunt, jus convocandi Concilia tantum ad se pertinere.

3. Præcipit item hæc Synodus, ne temerè *precationes novæ* recipiantur, nisi à toto Concilio probatæ fuerint. At postea cuilibet monacho licuit impientissimas preces Christianis hominibus præscribere, & unumquemque sibi novum cultum excogitare: quòd Deo omnia grata essent, quæ modò bono studio fierent.

4. Anathematizat quoq; eos, qui negant sanctos ac justos viros peccata habere, propter quæ quotidiè remissionem peccatorum petere à Deo suppliciter debeant. In quo articulo planè nostros sophistas damnasse videtur.

5. Statuit etiam, quòd & prius sæpissimè à multis Synodis decretum fuit, *ne vel masculus vel fœmina ante 25. ætatis annum consecretur.* Tametsi illæ consecrationes non adeò impossibiles ac impias obligationes adjunctas habuerunt, ut præsens. Quod utinam nostro quoque tempore servatum fuisset. Non tam multi homines temerè impossibilem castitatem professi fuissent, ac in istos monasteriorum carceres perpetuos sese præcipitassent. Omnino apparet, tunc adhuc synceriores doctores in Ecclesia fuisse.

XLV. *Chalcedonensis Synodus.*

CHalcedonensis Synodus 630. Episcoporum, sub annum Christi 474. *contra Eutychen* congregata, repetiit decretum Synodi Constantinopolitanæ, *vide sup. num.* 43. & statuit *ut Archiepiscopus Constantinopolitanus primatum seu supremum regimen post Synodos haberet super omnes Ecclesias Orientales, id est, Græcas, Asiaticas, Ægyptias,* &c. ut ex decimasexta actione ejus Synodi apparet, ubi admodum prolixè de hac re agitur.

Huic decreto Synodi primùm *Legati Papæ* in consilio existentes, sese opposuerunt clamitantes, *Synodum invitam in id decretum consensisse.* Sed Episcopi nominatim ac ordine à præsidentibus judicibus rogati, responderunt, se volentes, spontè ac liberè consensisse. Ibi quoque Papæ legati planè curtisanensi stratagemate usi sunt; nam cùm contra Constantinopolitani Episcopi primatum, citarent Nicænum decretum de Metropolitanorum jure, addiderunt ei summulam hisce verbis: *Quòd Romanus Episcopus semper habuit primatum*; volentes id in genere intelligi de omnibus provinciis, cum textus manifestè contra illam summam pugnaret. Sed tamen illa fraus eis etiam nonnihil profuit. Opposuit se postea & Leo Papa acerrimè ei Chalcedonensis Synodi decreto, magnasque turbas, sicut & successores ejus, propterea excitavit. Clamitat enim in suis epistolis Leo, *Nicænam Synodum singularum provinciarum clericos suis Metropolitanis subjecisse: nec ullatenus ferendum, ut Constantinopolitanus eos sibi subjiciens, libertate sua privet.* Imitari potius Constantinopolitanum Episcopum debere ipsum Christum, qui venerit ut ministret aliis, non ut sibi ministretur: *quiq; dixerit, ut qui vult esse omnium maximus, sit omnium infimus.* Modestia esse crescendum Episcopis, & non ambitione. At iste idem Leo, interea dum aliis modestiam prædicabat, nihilominus ampliandæ tyrannidis suæ summam curam habebat, ut itidem ex ejus Epistolis apparet. Cur autem non considerabat iste Leo rugiens, eadem omnia contra suam ambitionem dici posse, quæ ipse contra *Anatolium* Constantinopolitanum patriarcham declamitabat? Cur etiam ille tantopere pugnat contra idipsum decretum Nicænæ Synodi, de libertate seu privilegiis Metropolitanorum non opprimendis, cum sciret antecessores suos, supra num. 42. *Zozimum, Bonifacium* & *Celestinum*, id idem decretum antea *falsasse*, & missa ad sextam Carthaginensem Synodum legatione *integro quinquennio contendisse*, Nicænam Synodum Papæ Romano omnes Ecclesias & Metropolitanos subjecisse? Sic & *Gelasius*, Leonis successor, disputat, *non omnes Canones Chalcedonensis Synodi pios esse.* Nam id certè non recipiendum, quod Constantinopolitano Archiepiscopo primatum dedit.

Hinc disce primùm, Romanorum Pontificum perpetuam fidem seu regulam, omnia

omnia ſcilicet jura, Sacras literas, Canones, Concilia & Patres, tantùm tunc & eatenus valere debere, cùm & quatenus pro ipſis, non contra ipſos, aut eorum tyrannidem vel opes, loquuntur & pronunciant.

Obſerva etiam ex hoc Chalcedonenſis tam frequentis Synodi Decreto, nondum tunc illos ſanctiſſimos Patres aut Eccleſiam Dei ſciviſſe, Chriſtum ſoli Papæ Romano omnes ſuas Eccleſias, tanquam unico capiti Eccleſiæ & Vicario ſuo ſubjeciſſe. Alioqui quomodo auſi fuiſſent aliud aliquod caput inſtituere? Atque hanc Synodum Papæ in ſuis Decretis dicunt, *ſe tanquam unum ex quatuor Evangeliis venerari.* Sed intellige, quatenus ipſorum ambitioni non adverſatur; *nam omnia tunc eſſe bona deſinunt, cùm Papis obſunt, aut diſplicent.*

Denique obſerva & hanc fraudem, quod in ſubſcriptionibus hujus Synodi aliquoties additur, quod *Paſchaſinus Legatus* præſederit Synodo, nómine Papæ. Quod ab aliquo ſcelerato *falſatore* additū eſſe, inde apparet, quòd cùm legis actiones ſeu diſputationes, ſemper regunt eas, & interloquuntur neſcio qui, *quos textus ſemper vocat gloriosiſſimos judices.* Credo fuiſſe aliquos Conſiliarios Cæſaris, viros virtute, ſapientia & authoritate præſtantes. Sic vides, Papiſtas nobis Synodorum & ſanctorum Patrum ſcripta ſubinde *falſaſſe*, quo ſuam impiam tyrannidem ſuper piorum cervices exædificarent & conſtabilirent.

XLVI. Sexta Carthaginenſis Synodus.

SExta Carthaginenſis Synodus, cui 217. Epiſcopi, inter quos & *divus Auguſtinus*, interfuerunt, eſt celebrata *circa annum Dom.* 430. Vtiliſſima planè materia in ea continetur; nam certatum ibi eſt acerrimè *inter Papam, & ſanctæ illius Synodi Patres, de Primatu ſeu poteſtate Epiſcopi Romani,* totis quinque annis. Papæ enim tres ordine, *Zozimus, Bonifacius* & *Celeſtinus*, miſſis Legatis ac literis petierunt, ſibi ſuper Africanas aliaſque exterarum Provinciarum Eccleſias juriſdictionem ac imperium concedi. Id ut facilius obtinerent, *falſarunt Nicænæ Synodi Decreta*, eaque ita corrupta ei Synodo proponi juſſerunt. Patres verò primùm reſponderunt *Zozimo* (nam is primus cœpit tyrannidem petere) ſe quidem nunquam tale quid in Nicænis Decretis legiſſe, viderique id ſibi novum; ſed tamen pacis ac concordiæ cauſa, ejus petitioni aſſenſuros, quoad rem ex Authenticis Decretis certius cognoſcant.

Critica ſacra in conferendis antiquis Codicibus & Originalibus.

Deinde ſequenti Papæ *Bonifacio*, urgenti eandem tyrannicam flagitationem, reſpondent, ſe inſpexiſſe communia Exemplaria Nicænæ Synodi, quæ quidem habere potuerint, nihil tamen tale reperire potuiſſe; ſed tamen miſſuros ſe primo quoque tempore Legatos *Alexandriam & Conſtantinopolim*, qui Authentica ejus Synodi Exemplaria inde afferant. Idque fecerunt. Cum Legati *Marcellus & Innocentius* reverſi ſunt, cum Authenticis Decretis longè aliter ſe habentibus, quàm duo Papæ eorumque Legati aſſeruerant, vel potius mentiti fuerant, miſerunt eoſ-

dem illos Legatos cum eisdem Exemplaribus, etiam ad eundem *Bonifacium* adhuc viventem. Paulo pòst & ille moritur.

Quare *Celestinus* ejus Successor, tertiò mittit ad *Africanam Synodum* literas ac Legatos, eandem tyrannicam petitionem eodem modo urgens. Graviter ibi integrum triduum inter Patres & Legatum certatum est; tandem tamen Dei beneficio constanter à tota Synodo conclusum, *nullam planè jurisdictionem Papæ super Africanas, aut alias exteras Ecclesias concedendum esse*; & simul prolatis Authenticis Exemplaribus, crimen falsi tum coram Legatis, tum per literas ad Papam evidenter ostensum ac refutatum est. Hac hujus sanctæ Synodi constantia repulsa Paparum nefaria ambitio, centum integris annis Africanas Ecclesias missas facere coacta est. Licet enim eas sæpè tentarit, tamen inter id tempus illas opprimere non potuit.

Post 100. demum annos, *Bonifacius secundus* & excommunicationibus & minis, & blanditiis eò perpulit *Eulalium Carthaginensem Metropolitanum*, & quosdam Africanos Episcopos, ut non solum sese subjicerent Papæ Romano: sed etiam anathematizarent omnes majores suos, qui contrarium statuerant: id est, totam illam sacrosanctam Synodum sextam Carthagine celebratam.

Hinc clarè animadvertere potes, Christiane frater, Papas amplius sexcentos annos post nativitatem Christi, nullam talem tyrannidem super Ecclesiam Dei habuisse, qualem jam habent. Quod si tam multis seculis Ecclesia Dei sine Papæ imperio non tantum stare, sed & florere potuit; credibile est, & jam Christianos sine Papa salvari posse. Potes quoque hinc cognoscere, quibus ac quàm præclaris artibus Papæ suam istam tyrannidem super Ecclesias Dei; quin & super Reges ac Cæsares nacti sint, nempè scelerate falsando sanctas Synodos, & anathematizando eas, confingendo adulterina scripta; ut *donationem Constantini*, *Epistolas Clementis*, ibique propria jura ac privilegia scribendo, & totum orbem Christianum tum excommunicationibus ac interdictis, tum & crudelissimis bellis (ut postea cum Cæsaribus Germanicis certarunt) conturbando, perdendo, & evertendo.

Abeant igitur jam Papæ cum suis mancipiis, & nobis Patres, Patres, Concilia, Concilia obganniant; cum illi & *Patres & Concilia* planè horribiliter contempserint, conculcarint, & concacaverint. Hanc totam historiam separatim paulo prolixius recitavi, ac edidi, eoque eam jam breviter tantum in summam redigere volui. Dignissima autem profectò esset, quæ ab homine docto luculenter describeretur; & ab omnibus piis ad unguem edisceretur. Prorsus verò similis huic historia etiam tempore Cypriani, (ut supra ostendimus) accidit, nisi quòd tunc adhuc erant & imbecilliores, & modestiores Romani Episcopi quàm tempore hujus Synodi.

LXVII. Turo-

LXVII. Turonicum Concilium.

TVronica Synodus circa 460. Domini annum celebrata, lenivit pœnam Sacerdotibus ex legitimo conjugio liberos procreantibus, prius à Papis & aliis perinde castis hominibus constitutam; nam cum illi mandassent, talem Sacerdotem simpliciter excommunicari: illa mandavit tantum, *ne eis altiores ascendere gradus, aut in officio permanere* concedatur. Vnde apparet, eos nec Papæ fulmina esse nimium veritos: nec sensisse id tale esse crimen, propter quod quis ex Christianorum cœtu sit ejiciendus. At nunc legitimum conjugium in Sacerdotibus, non tantum excommunicatione, sed & ferro ac igni, omnibusque atrocissimis suppliciis, tanquam extrema hæresis punitur. Cum nullæ unquam fuerint tam barbaræ gentes, quæ conjugium pro crimine habuerint. Vide quantum castitatis Sodomitico amore profecimus.

LXVIII. Iulius Papa.

IVlius primus Papa sedit circa annum Domini 350. Quem non eò adscribo, quòd in aliquo erroribus Antichristi contradixerit; sed quòd impudentissimè Nicænæ Synodi Decreta & hic seductor falsaverit. Scribit enim in quadam Epistola: *Nicænam Synodum constituisse, ne ullæ planè Synodi nisi de voluntate Papæ celebrarentur.* At contrarium, & communia Conciliorum Exemplaria ab ipsis met Papistis edita & comprobata, testantur; nam non tantum nihil ibi tale invenitur, sed etiam manifestè *Papa cum aliis Metropolitanis exæquatur.* Testatur item contrarium *Synodus Milevitana*, & *Arelatensis secunda*, quæ Metropolitanis jus cōvocandi Concilia tribuunt. Idem denique & experientia testatur multorum Conciliorum, quæ *Cæsares* convocarunt, ac in quibus nulla planè ratio aut mentio Papæ habetur. *Nicænæ Synodi falsator.*

Item hic idem Papa affirmat, non tantum Nicænam Synodum, sed & omnes alias statuisse, ut liceat Episcopis *ad Romanum Papam appellare*, atque omnia majora negocia ad ipsum referri debeant. At contrarium ista Papistarum Exemplaria Nicænæ Synodi affirmant. Contrarium & *Milevitana Synodus* testatur, quæ prohibet, ne cuiquam ultra mare appellare liceat; quæque affirmat, idem etiam olim à pluribus Synodis esse constitutum. Contrarium quoque *sexta Carthaginensis Synodus* asserit, quæ dicit nullam Synodum unquam Africanis Ecclesiis ademisse jus finiendi, seu finaliter de suis causis pronunciandi; quæque dicit, Nicænam Synodum omnes Sacerdotes & Episcopos simpliciter suis Metropolitanis subjecisse, ita ut ab illis nusquam nisi ad Synodos ejus appellare liceat.

Hinc cernis, Christiane frater, qua modestia olim Papæ tyrannidem in Ecclesia Dei affectaverint, & quàm sanctè Concilia coluerint ac defenderint.

Citatur

Eucharistia sub utraq; specie.

Citatur tamen & hujus Papæ perutilis defensio *communionis sub utraq; specie:* *De consecrat.dist.*2. Vbi ille acriter pugnat, Christum seorsim panis, & seorsim calicis communionem instituisse, eoque sic modis omnibus constanter servandum retinendumq; esse; nam jam tunc quidam tantum intinctam *Eucharistiam sub sola panis specie* communicantibus porrigebant.

XLIX. *Ammianus Marcellinus.*

AMmianus Marcellinus lib.27. suæ historiæ præclarè describit, tum tristem illam seditionem, quam *Damasus & Vrsacius* excitarunt, dum de Pontificatu certant: tum corruptissimos Cleri Romani mores, licet breviter, utpote qui id in transitu, & obiter tantum fecerit. Sed adscribam ejus verba: Advenit Successor ejus ex Quæstore Palatii Viventius integer & prudens, Pannonius, cujus administratio quieta fuit & placida, copia rerum omnium fluens. Et hunc quoque discordantis populi seditiones terruêre cruentæ, quæ tale negotium excitavêre. Damasus & Vrsacius supra humanum modum ad rapiendum Episcopalem sedem ardentes, scissis studiis asperrimè conflictabantur, ad usque mortis vulnerumque discrimina adjutoribus utriusque progressis: quæ nec corrigere sufficiens Viventius, nec mollire, vi magna coactus secessit in suburbanum; & in concertatione superaverat Damasus, parte quæ ei favebat instante. Constatque in Basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum, efferatamque diu plebem postea delinitam. Neque ego ab uno ostentationem rerum considerans urbanarum hujus rei cupidos ob impetrandum, quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere: cùm id adepti, futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut earum convivia, regales superent mensas: qui esse poterant revera beati, si magnitudine urbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo numini verisque ejus cultoribus ut puros commendant, & verecundos. Hinc apparet, & quàm pii illi sanctissimi Episcopi fuerint, & quàm ordinariè Ecclesiæ Dei *pastoratum* soliti sint nancisci & gubernare.

L. *Damasus Papa.*

Concil. T. 1. Colon fol. 219.

MEmorabilis Epistola hujus Damasi ad Hieronymum primo volumini Conciliorum inserta est, cujus hæc sunt verba: *Peto etiam tuam charitatem, ut sicut à Rectore tuo Alexandro Episcopo nostro didicisti, Græcorum Psalterium ad nos dirigere*

tua

tua fraternitas delectetur. Quia tantæ apud nos simplicitatis imago est, ut tantum in die Dominica Apostoli Epistola recitetur una, & Evangelii capitulum unum dicatur; & nec psallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore nostro cognoscitur. Peto ergo per fratrem & compresbyterum nostrum Bonifacium, ut lubeat fraternitati tuæ rei hujus nobis aperire vestigia. Missa 5. calend. Novembris per Bonifacium Presbyterum Hierosolymam. Vide quàm malè fuerit deformata Romana Ecclesia defectu *Psalmodiæ*; & quàm contrà tota in cantum, aut potius boatum ac ululatum sit postea commutata; & tamen se profitetur magistram omnium Ecclesiarum. Testatur Sigebertus hunc Damasum fuisse gravissimè de adulterio accusatum, ut appareat eum non tantum seditione ac sanguine civium se polluisse, sed etiam fœdis libidinibus. *Ad A. 383. p. 484. ed. Franc. 1613.*

LI. *Hispani Sacerdotes Conjugati.*

SAcerdotes Hispani tempore Syricii Papæ, nempè circiter annum Domini 400. non tantum habuerunt uxores, ex iisque liberos procrearunt; sed etiam tale conjugium sacris literis defenderunt, quod & in Veteri & in novo Testamento à Deo esset permissum. Contra eos, Deus bone, quàm furenter tumultuatur Syricius. Vociferatur non minus impudenter, quàm indoctè, inquiens: *Dicat nunc mihi, quisquis est ille sectator libidinum præceptorque vitiorum.* Item, hoc dicit esse, quod *Paulus dixit in carne vivere, cum Rom. 8. inquit: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Item dicit, *eos obscœnis cupiditatibus inhiare*, &c. Vide impudentiam hujus Antichristi. Igitur Christiani conjuges Deo placere non possunt, quandoquidem *in conjugio, id est in carne*, ut hic asinus rudit, vivunt. Nimirum ille sanctissimus Pater non solum sacrarum literarum ignarus fuit, quæ affirmant honorabile esse conjugium, & thorum immaculatum; sed etiam Nicænæ Synodi, quæ paulo antè statuerat, Sacerdotibus usum suarum conjugum minimè interdicendum esse, utpote rem piam, Deoque gratam. Vt autem hujus Antichristi miram & planè stolidam perversitatem eò meliùs agnoscas, & detesteris, audi & hoc. Statim post superiora incipit disputare, non licere eum ordinare, qui duas aut plures uxores duxerit, &, ut hoc probet, citat Mosen hæc dicentem: *Sacerdotes mei semel nubant* (quod unde sumpserit, nescio) & *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem.* Hæc dicta ille eò torquet, ut ostendat, *non licere bigamum esse Sacerdotem*; & interea non perpendit stultissimus homo, hæc dicta multo magis contra se, qui penitus damnabat Sacerdotum conjugium, quàm contra Hispanos Sacerdotes, qui id tuebantur, pugnare. Sic temerè, petulanter, impudenter, impiè, ac ineruditè Romani Pontifices, sacris literis abusi sunt, ad stabilienda sui capitis vanissima somnia. Cæterùm quòd dixi Hispanos Sacerdotes conjugium suum defendisse, omnino videntur in ea sententia diutissimè perseverasse; nam & *Isidorus junior*, qui post 600. Domini annum floruit, in libro *de Clericorum vita*, inter

alia de eorum vitæ rationibus ſcribit, eos aut omnino caſtos eſſe debere, aut ut certè unius matrimonii vinculo fœderentur. Hæc enim ejus verba ſunt; *citatur autem hic locus Diſt. 23.*

LII. Innocentius I. Papa.

INnocentius primus Papa ſedit circa 413. Domini annum. Is in Epiſtola ad Macedoniæ Epiſcopos, hæc verba ſcribit, quæ & diſt. 26. recitantur: *Dicite mihi (cum pace veſtra loquor)* crimina tantum dimittuntur in baptiſmo, an & illa quæ ſecundum Domini præcepta ac Dei inſtituta complentur? Vxorem ducere crimen eſt, an non eſt crimen? Si crimen eſt, ergo (præfata venia dixerim) erit author in culpa, qui ut crimina committerentur in paradiſo, cum ipſe eos jungeret, benedixit: Si verò non eſt crimen, Quia quod Deus junxit, nefas ſit crimen appellari; & Salomon addidit, Etenim à Deo præparatur viro uxor; quomodo creditur inter crimina eſſe dimiſſum, quod authore Deo legitur conſummatum, &c. Hæc ſi vel *Nocentius*, vel alii Papæ ſtatuerunt vera eſſe, ſicque de conjugio ſenſerunt, cur igitur id Sacerdotibus prohibuerunt, aut adhuc prohibent? cur ille impudentiſſimus & indoctiſſimus Syricius declamavit, *eſſe in carne vivere? Deo placere non poſſe, eſſe obſcœnas voluptates & libidines ſectari & tueri?* Sed ſic mendacibus, & mendacia erroresque docentibus accidit, ut ſubinde ſibiipſis imprudentes contradicant. Mirum profectò eſt, cœcos Papiſtas ne hodierna quidem die adhuc vel argumentum hoc, vel textum perpendere; cum quidem in medio ipſorum Bibliæ id eſt, Decreti, & in libro Conciliorum ſitus ſit. Hinc igitur cognoſcant *Romani Antichriſti*, ſe, dum ea quæ Deus ordinavit, peccata hæreſinque eſſe dicunt, Deum ipſum authorem damnare ac blaſphemare.

Conjugium honorabile.

Multis poſt hunc ſeculis vixit *Innocentius III*, qui in quodam generali Concilio ſtatuit, ut *ſacra in templis, vulgaribus linguis* peragantur. Hic quoque idem Innocentius in libro de Vita & honeſtate Cleri, teſtatur, in quibuſdam regionibus tunc non fuiſſe moris, *ut Sacerdotes uxores ſuas dimittant*, quos propterea non damnat, ſed majorem dicit eis pœnam indicendam eſſe, ſi labantur, cum propriis uxoribus uti poſſint. Sed de hoc ſuo loco plura.

Lingua Vulgaris in ſacris tractandis.

LII. Bonifacius I.

NOn hunc Pontificem, qui anno 420. electus eſt, adſcribo meo Catalogo, quòd quicquam admodum piè aut præclarè fecerit; contraria verò aliqua indicare poſſim, quæ in hiſtoria Carthaginenſis Synodi indicavi. Sed ideo adſcripſi ejus nomen, ut ex electione & confirmatione ad hæc literis tum ipſius, tum etiam Imperatorum appareat, quantopere tunc Pontifices Cæſaribus ſubjecti fuerint. Sic enim de eo ſcribit *Luitbrandus* in vitis Pontificum. Bonifacius natione Romanus ex

patre

Patre Iocundo presbytero, sedit annos tres, menses octo, dies septem. Hic in contentione una die cum Eulajo ordinatus, & fuit ista dissensio in clero menses 7. & dies 15. Eulajus verò ordinatus in Ecclesia Constantiniana; Bonifacius in Basilica Iulii. Placida autem Augusta Ravennæ residens, cum filio suo Augusta Valentiano, audiens hoc quod Romæ factum fuerat, Honorio Augusto Mediolani sedenti notificavit. Vnde utique missa Imperiali auctoritate, ambos de urbe expelli jusserunt. Sed postea Eulajus omnino expulsus est, & in Campaniam missus, ideo quòd Sabatho Paschæ contra edictum Imperatorum officium Pontificis præsumpsit, eò quòd ordinatus fuerat in Basilica Constantiana. Bonifacius verò consensu & præcepto Imperatorum in urbē revocatus, & in sede stabilitus constitutus. Hic ordinavit Episcopos 36. Presbyt. 13. Diaconos 3. Defunctus est autē 8. Calendas Novembr. Hic vides quàm nullius potentiæ aut authoritatis politicæ tunc fuerint Pontifices Romani; sed omne jus fuerit penes Imperatores, adeò ut vel unica Epistola eos Roma expellere potuerint. Nota etiā eò tantum vicisse Bonifacium, quòd Eulajus Imperatori non obedierit. Verùm addamus & ejus literas ad Imperatorem, ac contrà.

Ecclesiæ meæ, cui DEUS noster meum Sacerdotium, vobis res humanas regentibus, deputavit, nos cura constrinxit, ne causis ejus (quamvis adhuc corporis incōmoditate detinear) propter Conventus, qui à Sacerdotibus universis & Clericis, & Christianæ plebis perturbationibus agitantur, *apud aures Christianissimi Principis existimetur deesse.* Si enim secus quàm oporteat eveniat, nō vos id facere, qui cuncta æqua moderatione componitis: sed nos *per nostram tacentem desidiam* videbimur, quod civibus quietem, & Ecclesiæ pacem pervertere valeat, admisisse. Cùm enim humanis rebus divinæ cultor religionis *Domino favente provideas*: nostra culpa erit, si non id sub vestra gloria (quam certum est divinis rebus semper animo promptiore fuisse) firmo & stabili jure custodiatis. Quod per tot annorum seriem sub illis etiam Principibus obtinuit, quos nulla nostræ Religionis cura constrinxit: *id est ut licita serventur, & sub vestræ imperio clementiæ minimè quæ sunt illicita formidentur.* Ipsa enim Ecclesia devotionem tuam *Christianissime Imperator*, non meo quidem sermone, sed *sui venerabili affectu* appellat, *quam Christus DEVS noster veræ fidei Rector, & vestri gubernator imperii*, sibi uni desponsatam, & intactam virginem servat: *ne in eam aliquos patiamini insidiantium procellarum fluctus illidi, & quietam faciem tempestatis insolito tumore turbari, gloriosissime & tranquillissime Imperator Auguste.* Ipsa verò quæ uni desponsata est, *nostra mater est*, pietatem vestram legatione, quam suis Sacerdotibus commisit, appellat, præterita præsentiaque auxilia repetit. Vobis, inquit, *religiosissimè imperantibus* modò tutus est populus, & infidelis Deo, quàm tibi Principi Christiano. Ecce autem inter mysteria, inter preces suas, quas Ecclesia pro fœlicitate vestri dependet imperii, teste, apud quem & de cujus sede agitur, *sancto Petro*, solicitis pro Religionis observantia vocibus clamat ad vos, *cum solicita petitione miscetur oratio, ne humana res solito tentatore occultè solicitante, semel evulsa discordia distrahat.* Angeretur pluribus *Princeps Christianissime* mater

 Ecclesia,

Ecclesia, nisi apud te suarum esset cura causarum, & nisi in oppressionibus Idolorum, in hæreticorum correctionibus, *fide tua divino cultu pariter, cum imperio nostro semper florente vicisset.* Habet refugium pium tuæ mansuetudinis, *animum cum suæ religionis veneratione conjunctum*, cùm quicquid huic proficiat Ecclesiæ, *vos agatis, & conferatis fratribus*, & Consacerdotibus meis, *probatissimis viris*, à me ac hominibus, *qui Ecclesiam faciunt*, Legatis, quibus prosequentibus precamur, *sacræ causa Religionis*, ut in urbe vestræ mansuetudinis hoc animo, quo *postulatis & annuitis, in perpetuum statui universalis Ecclesiæ consulatis*.

LIV. Rescriptum Honorii ad Bonifacium Papam.

VIctor Honorius inclytus triumphator, semper Augustus, sancto & venerabili Bonifacio Papæ urbis Romæ. Scripta beatitudinis tuæ, debita reverentiæ congratulatione suscepimus, quibus recensitis, egimus omnipotenti DEO maximas gratias, quòd sanctimoniam tuam, post longum incommodum optatæ redditam didicimus sanitati. Et ideo revertentibus venerabilibus viris gaudium nostrum sanctorum apicum attestatione signamus, ac petimus, ut quotidianis orationibus, Apostolatus tuus studium ac votum suum, circa salutem atque imperium nostrum impendere dignetur. Illud autem pietati nostræ satis placuisse cognosce, quòd sanctimonia tua de Ecclesiarum ac populi perturbatione solicita est; quæ ut aliqua ratione non possit evenire, satis clementia nostra credidit esse provisum. Denique prædicante beatitudine tua, id ad cunctorum Clericorum notitiam volumus pervenire; ut si quid fortè Religioni tuæ (quod non optamus) humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum, ac si duo contra fas, &c. Verùm id servandum est, ut omnes tranquillam mentem & pacificos animos, ex serenitatis nostræ admonitione custodiant, nec aliquid seditionis conspirationibus tentare conentur, cùm certum sit, nulli partium sua studia profutura.

* Extat unà cum aliis Epistolis Honorii de schismatis Papis apud Goldastum Tom. 3. Constit. Imper. p. 592.

LV. Agatho Papa II.

SEdit hic Papa circa annum 676. De hoc plures historici scribunt, quòd impetraverit *remitti de summa solita dari Cæsari pro Pontificis confirmatione.* Vnde animadvertis, quantopere olim Pontifices Cæsaribus subjecti fuerint, & quàm dominio caruerint, ut qui etiam ipsam dignitatem redimere sint coacti. AGATHO natione Siculus sedit annos 2. menses 5. dies 4. Hic ordinavit Episcopos 18. Presbyteros 10. Diaconos 4. Legati Constantinopolim directi à latere hujus Papæ, *Macharium Antiochenum Patriarcham* in Synodo *deposuerunt, quòd duas naturas, & voluntates in*

Christo

Christo esse negavit. Prædictus Papa obtinuit apud Imperatores, Constantinum videlicet & *Heraclium* & *Tiberium*, ut juxta postulationem suam remitteretur quantitas illa, quæ solita erat dari pro ordinatione Romani Pontificis facienda: sic tamen, ut si contigerit post ejus transitum & electionem, ordinationem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale deferatur in Regiam urbem, secundum antiquam consuetudinem, & cum eorum, id est, Imperatorum scientia & jussione ordinario debeat provenire. Hic defunctus est 4. Idus Ianuarii. Atque hoc dominium superioritatémve super Pontifices habuit Imperium, cùm illi summi ac sanctissimi Cæsares imperarunt, ut Constantinus, Theodosius & alii, ut nulla impietas, sed potius summa pietas in tali dominio aut statu fuerit: contrà quàm posteri aut stulta superstitione sibi persuaderi, aut tyrannide Paparum sibi extorqueri passi sunt.

LVI. *Polychronius, Hierosolymæ Archiepiscopus.*

POlychronius Episcopus Hierosolymitanus, vixit circa 440. Domini annum. Is asseruit, *Hierosolymam* esse *supremam seu primam sedem*, *quia illa esset civitas sancta, quam Deus olim elegisset; & quòd ibi Christus docuisset, ibi passus esset, ibi resurrexisset, ibi spiritum sanctum dedisset, ibi Ecclesia Christi primùm orta esset; ibi Iacobus, Petrus & Ioannes, qui fuerunt columnæ Ecclesiæ, docuissent.* Ad hæc quoque jam olim prædictum per Prophetas esse, *quòd de Sion ac Ierusalem Dei mandatum ac doctrina proficisci in universum orbem deberet.* Quare contendebat, *se supremum Episcopum in Ecclesia Dei* esse, sibique alios subjectos & dicto audientes esse oportere.

Ea re commotus *Sixtus tertius Papa*, cogitans id sibi non expedire (namque Papæ jam tum affectabant tyrannidem in omnes Ecclesias, ut suprà auditum est in sexta Carthaginensi Synodo) congregat Synodum Romæ, & Polychronium non de affectata tyrannide super Ecclesias, sed *de violatis per Simoniam canonibus reum agit*; subordinato etiam quodam nebulone Euphemio Hierosolymitano Sacerdote, qui Polychronium de tali scelere accusaret. Efficit ergo Papa, ut tota Synodus ex suo numero mittat tres Episcopos, tres Sacerdotes, & duos Diaconos Hierosolymam, cum literis Cæsaris Valentiniani, qui ibi authoritate Cæsaris, congregata aliqua provinciali Synodo eum accusarent. Factum est, depositus est Polychronius. Verùm aliquanto post cognita boni illius senis mirifica innocentia, & in pauperes beneficentia, animadversoque quòd mores ejus longissimè ab omni specie avaritiæ ac Simoniæ abessent, denuò in suum locum à Cæsare Valentiniano restituitur, & Euphemius accusator in perpetuum damnatur. Hæc historiola paulo aliter à quodam Papæ adulatore, in libro Conciliorum recitatur; sed si diligenter circumstantias inspicias, & veritatem investiges, facilè animadvertas, meam narrationem longè veriorem esse.

Hæc non eò recito, ut Polychronii aut ambitionē aut errorem laudem; sed ut ostendam, Ecclesiam Dei tunc nondum scivisse, Christum solum Papam universæ suæ Ecclesiæ, tanquam unicum suum Vicarium, & populi Dei caput præfecisse; sicut & prius in Constantinopolitana Synodo dixi, & postea in Chalcedonensi dicam.

* VVolfius Cent. V. Lect. Memorab. p. 144.

LVII. Hilarius, & Gallicæ Ecclesiæ.

Gallicarum Ecclesiarū status Papæ non obnoxius.

Hilarius Viennensis Episcopus, sedit circa annum Domini 450. Is solitus est disputare, *nec Petrum fuisse principem Apostolorum, aut ullum in eos jus habuisse; nec Papam ullam potestatem, aut jus super Gallicas Ecclesias, aut alias exterarum Provinciarum habere debere*; eique nequaquam permittendum, ut sic omnium Episcoporum ordinationes ad se traheret, & omnia jura Ecclesiarum sibi raperet. Leo Epistola 77. *Epist. 89. p. 242. 244. edit. Antuerp. A.* 1583. contra eum ad Episcopos Galliæ scribens, *insimulat affectati Doimnii, seu regni super Gallicas Ecclesias*; an verè aut falsò, nescio. Certè ipse Leo sibi superioritatem in eas Ecclesias asserturus, ita agit ac loquitur, ut appareat tunc adhuc regnum Papæ super illas non admodum solidè firmatum fuisse. Dicit non meminisse eos haud dubiè, quòd *Gallicæ Ecclesiæ consuluerint aliquando Romanam sedem*, nimium levem conjecturam sui in eas juris proferens; consuluntur enim præsertim in Ecclesia non tantum superiores, sed & alii, quibus aliquid sapientiæ aut spiritualis judicii aut eruditionis inesse putamus. At nunc nostri Papæ clamarent: Quæ ista nova intemperies vos agitat, quòd nos vultis sciungere ab Ecclesia Dei, ab unico Vicario Christi, à vestro quoque capite divinitùs vobis ordinato, cui jam etiam vos juramento tam sancto obstrinxistis? Vociferarentur etiam esse *schisma*, esse *hæresim planè horribilem*. Nihil verò ibi pro imperio ac sua authoritate Gallis Leo mandat; sed dicit tantum, se de eorum consilio ac authoritate hoc aut illud statuere velle, &c. Nunc verò Papæ simpliciter dicunt, se hoc aut illud Apostolica authoritate mandare, &c. Cui mandato si quis temerario ausu contra ire præsumpserit, &c. Quippe qui adeò insolentes facti sint, ut etiam supra Concilia regnare velint. Huic Hilario ego etiam illam historiam attribuerim, quæ, ut supra dixi, *Pictaviensi Hilario* attribuitur; quod videlicet cum in magno Concilio gravis esset orta contentio inter eos, propterea quòd *Leo* erat *Arrianus, subitò Leonem esse divinitùs extinctum*; nam ille Hilarius longè ante Leonem primum vixit; nisi fortè quispiam alius hic, qui non recensetur, fuerit. At nunc (ut insulsi Canonistæ ajunt) si quis aliquid contra Papam loquitur, ille in cœlum os ponit. O degeneres Christianorum animos.

LVIII. Sym-

LVIII. Symmachus Papa.

SYmmachus ſedit circa 500. Domini annum. Creatus unà fuit, teſte *Sigeberto*, & alius Papa nomine *Laurentius* n,ec tam *jure ac rationibus* quàm *gladiis* inter eos diſceptatum, diuque multæ cædes paſſim Romæ propterea factæ ſunt. Nec potuerunt illi pacem inter ſe facere. Sed *Rex Theodericus* cauſam diremit in eos compeſcens, cum quidem ipſe eſſet *Arrianus*. Quin & Viſitatorem eis impoſuerat quendam Epiſcopum nomine Petrum. Vide ea quæ dixi in Simplicio Papa. Fuit etiam de graviſſimis quibusdam ſceleribus accuſatus à neſcio quibus, coram Theoderico Longobardorum rege, & coram *Synodo Romana*, quam ille Rex congregari ejus rei cauſa ex Italicis Pſeudoepiſcopis curavit. Accuſatores & crimina non nominantur, Apparet tamen ex reſponſorio libello, fuiſſe magni nominis viros. Ob eam cauſam Rex ipſi primùm & reditibus Pontificalibus & officii adminiſtratione interdixit; ſed quàm primùm res ad illam verè Romanenſem (id eſt, ex adulatoribus Romanis conſtantem) Synodum deducta eſt, ſtatim effecit Papa, ut accuſatores eius ne ſemel quidem rectè audirentur, ſed ipſe ſimpliciter indicta cauſa abſolveretur. Teſtantur id tum ipſius Synodi acta, tum & Nicolaus primus in ſua epiſtola ad Michaelem Imperatorem. Vnde apparet, quàm ſibi benè conſcius ille nequam fuerit, cùm nec ad cognitionem quidem Synodi cauſam pervenire paſſus ſit; cùm quidem Synodus ejus ipſius rei cauſa congregata eſſet, idque de conſenſu Papæ. Sed ego conjicio, ideo Papam egiſſe, ut aliquot Epiſcoporum Synodum convocaret, quòd ſcivit ſe facilius ex eorum judicio, utpote jam ſibi obſtrictorum (quia ipſe juxta Nicænæ Synodi decreta eorum Metropolitanus erat) quàm ex Regis, elabi poſſe.

Schiſma Pontificum, & contentio cum Laurentio.

Queſti ſunt eius accuſatores *proprio ſcripto* de ea Synodo, quòd incognita cauſa Papam tot graviſſimorum facinorum reum abſolviſſent, in quo ſcripto & illud fuit, Papam adeò jactare ſuam poteſtatem, *ut eum* paſcendi oves poteſtate, etiam peccandi licentiam accepiſſe videatur. Item dixerunt, eum ſaltem proprias leges ac Canones ſervare debere. Dixerunt quoque, nec *Moſen*, nec *Samuelem*, nec *Petrum*, nec *Paulum*, ac *ne ipſum quidem Deum abhorruiſſe à publico judicio; ſed petiiſſe, ut judicetur inter ſe ac ſuos adverſarios.* Quid ergo cauſæ eſt, quòd Papa omne judicium, etiam Synodi, refugiat ac recuſet? Ei ſcripto reſpondit quidam impudentiſſimus rabula, aut Curtiſanus, Papæ nomine, *Ennodius*; ac inter alia dicit: *Arguitur ſtylo ſplendidiſſimo Papa Symmachus, quare conventionem præveniens cum populorum cœtibus examen intravit, & poſtea judicia, cùm evocatus quater fuiſſet, ſpreverit?* Sed ille contrà clamitat, *de Papa neminem planè niſi ſolum Deum judicare debere, aut poſſe Papam, etiam ſi malus ſit, tamen ſuorum majorum, ac illius ſacroſanctæ ſedis meritis ac dignitate*

Ennodius, Rom. Diaconus Synodi decretum defendit. fol. 148. b.

gnitate sublevari: eam sedem vel accipere sanctos, vel efficere, &c. Atque hic libellus, ut magis mirere, Actis Conciliorum insertus est.

* Extat. Tom. I. Concil. fol 146, ad fol. 152. Ennodii scriptum vocat *eruditum & elegans* Carranza Concil. Summ. fol. 191.

Hinc potes animadvertere, Christiane lector, quàm nulla jura, nullamque suorum flagitiorum dijudicationem, jam olim Papæ pati ac ferre potuerint: sed voluerint semper summam licentiam peccandi, & in pios tyrannizandi, habere. Vnde dignum interea & in hoc Papa illud observatu est, quòd testatus hic in Concilio Romæ est, suo tempore dominationis amorem invasisse clericos, & fecisse respuere jugum Ecclesiasticæ disciplinæ: eorumque excessus narrare *difficile esse*. Dicitur tamen scripsisse librum hoc titulo nempe de excessibus Clericorum. Vnde apparet jam tunc solitos fuisse Clericos normam justitiæ & pietatis egregiè excedere. At cogitet Christianus frater, quantum ab eo tempore ambitionis tyrannidisque furor in clero creverit.

LIX. Episcopi Germaniæ & Galliæ contra Anastasium Pontificem.

INter collectanea Aventini, inveni Epistolam hoc titulo, *Epistola Episcoporum Germaniæ & Galliæ ad Papam Anastasium*; cujus ea est summa, quòd moneant Papam & Italicos Episcopos, ut sese missos faciant, nec deinceps super eos tyrannidem exercere pergant. Apparet autem, Papam tunc aliquid gravius contra eos statuisse, idque temerè ac præcipitanter. Iubent eos, *ut semet prius curent*. Eorum enim scilicet pravam famam per orbem terratum spargi. Se, si quid in suis regionibus peccatum fuerit, pro semetipsis facilè curaturos, & correcturos. Omnino videntur Papæ imperium aut regnum supra sese concedere noluisse: & alioqui multos eius tetros lapsus & vidisse, & non dissimulasse. Sed subjiciam ipsam totam Epistolam, unde rectius lector sententiam eius cognoscere possit. Dubito autem, ad quem Anastasium sit scripta; num ad secundum, qui sedit circa 500. Domini annum: aut potius ad primum, qui sedit circa annum, Domini 400. cuiusque etiam Epistola ad Episcopos Germaniæ missa, cum Conciliis impressa extat.

LX. Contra Anastasium Papam, & alios eius complices, Galliæ Germaniæq́ Episcopi, sub Litavico Magno Rege, quem Galli Clodoveum vocant.

LOngè aliud sunt *Pontificales sedes*, & aliud *Præsidentes*; proinde honor & dignitas cujusque sedis venerabiliter observandæ sunt: Præsidentes autem, si *deviaverint*, per devia sequendi non sunt. Hinc est quòd botros carpere, & spinas cavere oportet. Non putativè, sed veraciter adfirmant Episcopi, ex multis authoritatibus dicentes: *majorem esse authoritatem Conciliorum, quàm unius Papæ Anastasii*. Paulus Apo-

Apostolus, qui clamat, *Imitatores estote mei*: in faciem restitit Apostolorum principi Petro, quia reprehensibilis erat, eo quòd gentiles in quibusdam judaizare cogeret. Scandali enim seminarium est, dum Episcopi super Episcopos procellas excitant in sancta Ecclesia, ubi summa pax esse debet: *surda aure* cordis audientes Scripturam dicentem, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Nec imitantur humilitatem *boni pastoris*, qui animam suam posuit pro ovibus: qui non secundum aurium auditum, nec secundum visum oculorum judicat, sed secundum id, quod est scrutator cordium. Audiat igitur vel Apostolum ad se clamantem: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo. Igitur non subitò cum temeritate proferendæ sunt sententiæ Episcoporum contra Episcopos, volentium irritas facere potestates aliorum Episcoporum. Anacletus Papa dicit: *Accusatores autem & testes esse non poterunt, qui ante hesternum & nudius tertium diem inimici fuerunt; ne irati nocere cupiant, & ne læsi judicium convertant in suam ultionem.* Hinc Xistus Papa dicit: *Accusatoribus suspectis, vel de domo inimicorum prodeuntibus, non est credendum.* Papa Telesphorus dicit: *Justitiæ palmam non obtinebimus apud eos, qui testes idem sunt qui & judices, & insuper accusatores.* Nullius sententia opponatur, ut Scripturarum veritas annulletur. Præterea juxta literam intellectus noster refugit novitatem compassionis, qua utuntur erga infirmitatem Franciæ medici Italiæ. Continuis febribus agitantur, qui curare nostros Episcopos volunt. Cæci sunt, qui lumen eis promittunt. Gibberosos & obtortos nostros esse putant, *qui habentes strumam avaritiæ*, angustam portam non intrant. Oves suas errare permittunt, & pastores nostros ad viam veritatis revocant: cum spiritualium morborum medicinam, hoc est, absolutionem animarum Romæ esse adserunt: sed ire ad ipsam coràm inter arma, quæ sunt intra fines per viam, nostros compellunt. An in tota Italia nullus est, qui ægrotet? Si in nostris solis exercere vires sui judicii volunt, audiant Paulum sapienter dicentem: Nolite judicare ante tempus, quo ad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordis, & tunc erit laus unicuique à Deo. Ac si audacter eos in auribus vulgi reprehendere cessaremus, si & post nostros, per gratiam Dei sanos, *cauterium non inferrent.* Quod si cauterium suum adhuc adversus nostros movere disponunt, Gallicam in sese veritatem sentient, quam sine causa in se provocant. Non enim putandus est ille medicus sani capitis esse, qui antea vult ægrotos inflammare, & ferro secare, quàm qualitates ægritudinis cognoscere. Si autem amplius affirmaverint, Episcopos Galliæ *spiritualiter ægrotare*: sciant igitur Dominicum præceptum, juxta illud, *Infirmum visitate.* Non enim currere debet ægrotus ad medicum, sed medicus ad ægrotum. Quod si renuunt, sciant nos habere perfectum & optimum & Evangelicum *Antidotum* filii Dei, quo à no-

Ioh. 10.

Act. 20.

nobis penitus repelluntur ſpiritales moleſtiæ. Monendi ſunt Epiſcopi, ne damnent occultas conſcientias noſtrorum Epiſcoporum : & ne prætendant illis quaſi per zelum nimiæ juſtitiæ, inſidias Regii judicii, ne compellantur Evangelicè reſpondere: *Qui ſine peccato eſt de Epiſcopis Italiæ, primus lapidem mittat.* Hoc ideo dicimus, ne per duritiam ſuæ mentis, authoritatem, quam ſuam eſſe putant, in Epiſcopis noſtris feriant : quia non eſt impoſſibile, ictum præjudicii ſui in eos reſilire: maximè cum noſtri nunquam didicere plus quàm neceſſe eſt formidare. Fateamur hodie tamen ante Chriſtum, qui liberavit ſocrum Petri de febribus, quia conſulatores oneroſi ſunt Epiſcopi Italiæ, quos Ioannes à Patmo Inſula revera à numero electorum vidit, dum inter cætera dicit : *Miſit draconem, & traxit tertiam partem ſtellarum. Hi dum nituntur abſtrahere à noſtris paſtoribus lumen laudis, involvuntur glaucomate ſui erroris. Quos ita faciemus, ut qui viderint, non videant. Fama enim, hoc eſt, odor malæ famæ exit in fines orbis terræ eorum. Qui habitant ultra montem Iovis, ſagittas mittunt ultra lapidem ſalutis; quòd non ſint plantati in domo Domini, ſecundum ordinem Melchiſedech. Quibus expedit, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eorum, quòd conati ſunt ſua temeritate paſtores noſtros ſcandalizare. Sed ſi valuerunt, quantum ad illam copiam, quam habent, nihil nocere, quos patet in die & in nocte obvolutos eſſe umbra ſui ſomnii; ita ſi æſtimant in Gallia defeciſſe hæc tria*, Verbum, ferrum, ingenium. *Ne ergo fumum ſuæ voluntatis in vanum ſpargant, diſcant & taceant; ut diſcendo & tacendo pulchriores fiant. Etiam ſi inclinata eſſet arca teſtamenti noſtri, calcitrantibus tauris Galliæ, noſtrorum Epiſcoporum eſſet, & non illorum, inclinatam relevare. Quod ſi in arcam Eccleſiæ noſtræ ſolicitè lingua crimen intendant, ruinam interius cum Oza levita habere poterunt. Fatemur autem, quoniam ſi vitulos cogitationum noſtrarum agnoſcere poſſent, ſuum ſummum bonum eſſe dicerent, ſi noti non fuiſſent: & dialecticum hunc ſyllogiſmum vigilanter intelligant, Si omnibus Epiſcopis una ineſt poteſtas, eſt & uni: Eſt autem omnibus una poteſtas. Igitur & uni.* Hæc Epiſtola reperta eſt *inter Aventini ſchœdas*, eius propria manu deſcripta, quod bona fide affirmo, unde, ignoro. Hinc animadvertis Chriſtiane frater, olim nequaquam ita cultum formidatumque eſſe Romanum Antichriſtum exteris Eccleſiis, ut paucis iſtis aliquot ſeculis. Sed tyrannis Papæ unà cum cæteris calamitatibus mundi in immenſum invaluit.

Ioh. 8. (margin)

LXI. Salvianus, Epiſcopus Maſſilienſis.

VIxit Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus, vir pietatis ac eruditionis nomine cum primis commendatus, circa annum Domini 480. Is inter alia contra ſuborientes ac pullulantes errores dicta, etiam *conjugium Sacerdotum* defendit. Sed adſcribam eius verba ex V. de Providentia Dei libro. Cogimus ad ulciſcendas criminum noſtrorum immanitates nolentem Deum. Propè eſt, ut cum non permit-

Pag. 184. edit. Altorf. 1911. (margin)

permittamus, ut parcat; nam cum in eum nullum unquam injustitiæ signum cadere aut apparere possit, sic agimus, ut si enormitates nostrorum scelerum non ulciscitur, injustus esse videretur. Sed videlicet peccator fuit aliquis aliquando, fortasse jam non est, aut est ullus criminum modus, & non prius est, ut de vita homines, quàm de iniquitate discedunt. Quis enim non cum suis iniquitatibus moritur, & cum ipsis admodum atque in ipsis sceleribus sepelitur? ut verè Propheticum illud de his rectissimè dici possit. Sepultura eorum domus eorum in æternum, & comparati sunt jumentis insipientibus, & similes sunt illis. Atque utinam jumentis. Melius quippe fuerat beluina imprudentia deviasse. Illud peius & criminosius, quia non ignorantia Dei, sed despectione peccarunt. Atque hoc videlicet laici tantummodo, non quidam etiam clericorum seculares, multi etiam religiosi; imo sub specie religionis viciis secularibus mancipati, qui scilicet post veterum flagitiorum probrosa crimina, titulo sanctitatis sibi inscripto, non conversatione alii, sed professione, nomen tantum demutavere, non vitam: & summam divini cultus, habitum magis quàm actum existimantes, vestem tantummodo exuere, non mentem. Vnde illi se minore invidia, criminosos putant, qui cum pœnitentiam quasi egisse dicantur, sicut mores pristinos, ita etiam habitum non relinquunt. Nam taliter fermè omnia agunt, ut eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egisse, quàm postea ipsius pœnitentiæ pœnitere: nec tam prius pœnituisse, quod modo vixerint, quàm postea quod se promiserint benè victuros. Sciunt me verum loqui, & testimonium mihi etiam conscientia sua dicunt, cum multi alii, tum præcipuè illi novorum honorum religiosi ambitores, & post acceptum pœnitentiæ nomen amplissimæ ac prius non habitæ potestatis emptores, adeò non seculares tantum, sed plus etiam quàm seculares esse voluerunt, ut non sufficeret eis quod ante fuerant, nisi plus essent quàm fuissent. Quomodo igitur tales istos pœnitentiam se egisse non pœnitet? Sicut etiam de conversione à Deo aliquid cogitasse, qui à conjugibus propriis abstinentes, à rerum alienarum persuasione se non abstinuerunt; & cum profiteantur continentiam corporum, in incontinentiam debacchantur animorum. Novum prorsus est conversionis genus, licita non faciunt, ILLICITA committunt. Temperant à concubitu, & non temperant à rapina. Quid agis stulta persuasio? qui peccata interdixit DEVS, non matrimonia. Non conveniunt vestris studiis facta vestra; non debetis esse amici criminum, qui dicitis vos effectores esse virtutum. Præposterum est quod agitis, non est conversio, sed aversio; qui jam pridem, ut fama est, opus etiam honesti matrimonii reliquistis, tandem à scelere cessate. Et quidem justum est, ut ab omni scelere; sed tamen si non ab omni (quia hoc fortasse durum & impossibile esse creditis) certè vel maximo & prodigioso. Atque hæc Salvianus potissimum de Romanis Sacerdotibus scribit. Horrendum verò est, quòd scribit

Ps. 49.

Pag. 180.

paulo ante id tempus Romæ toleratos fuisse publicos Cynædos. En tibi matrem Ecclesiarum.

Episcopi Ligures, Venetiæ, *Histrii circa* 545. *Domini* annum sese opposuerunt Romanæ tyrannidi Episcopi Liguriæ, Venetiarum, & Histriæ, freti Concilii Constantinopolitani V. authoritate. ***Eos Pelagius Papa primus non rationibus, verbi Dei testimoniis, aut disputationibus, sed gladio sua tyrannidi subjicere est conatus.***

Oppugnavit igitur eos ipse, & eius successores variis malis artibus. Tandem autem sub *Gregorio Magno*, ut ex septimo eius Epistolarum libro apparet, magna ex parte oppressi sunt. Vt verò hujus historiæ certitudo aliqua hic cernatur, adscribam aliquot fragmenta epistolæ prædicti Pelagii ex Decreti c. 23. q.5. Sic enim ibi ad Cæsareum præfectum Narsetem scribitur. ***De*** Liguribus ***atque*** Veneticis ***&*** Histriis Episcopis ***quid dicam? quos idonea est excellentia vestra & ratione & potestate reprimere, & dimittitis eos in contemptum Apostolicarum sedium de sua rusticitate gloriari; cum si quid eos de judicio universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, fortè movebat, ad sedem Apostolicam (quomodo semper factum est) electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerunt; & non clausis oculis corpus CHRISTI DEI nostri, hoc est***, Sanctam Ecclesiam ***lacerare. Nolite ergo dubitare, hujusmodi homines principali vel judiciali authoritate comprimere***; quia regulæ Patrum ***hoc specialiter constituerunt***, ut si qua Ecclesiastici officii persona, cui subjectus est, restiterit, vel seorsim collegerit aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur atque damnetur. ***Quod si fortè & hoc contempserit, & permanserit*** divisiones & schisma faciendo, ***per potestates publicas opprimatur. Ecce de quo animus vester fortè timidus est, ne persequi videaris. De*** Patrum ***vobis*** authoritate ***hæc breviter dirigenda curavi? Cum mille alia exempla & constitutiones sint, quibus evidenter ostenditur & agnoscitur, ut facientes scissuras in sancta Ecclesia, non solum exiliis, sed etiam proscriptione rerum, & dura custodia, per publicas potestates debeant coerceri. Non vos hominum vaniloquia retardent, dicentium, quia persecutionem Ecclesia faciat, dum vel ea committuntur, reprimit, vel animarum salutem requirit. Errant hujusmodi rumoris fabulatores. Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui verò malum vel factum jam punit, vel prohibet, ne fiat, non persequitur iste, sed diligit; nam si (ut illi putant) nemo reprehendendus est à malo, nec retrahendus à malo, bonum est, humanas & divinas leges necesse est evacuari, quæ à malis pœnam, & bonis præmia, justitia suadente, constituunt. Malum autem*** schisma ***esse, & per exteras etiam potestates hujusmodi opprimi debere homines, & canonica Scriptura authoritas, & paternarum regularum vos veritas docet. Quisquis ergò*** ab Apostolicis ***divisus est*** sedibus, in schismate ***eum esse non dubium est, & contra universalem Ecclesiam altare conatur erigere. Sed quid de talibus insertus*** in Chalcedonensi Synodo ***Canon constitutus gloria vestra consideret.*** Vbi post alia sic dicit. Qui à communione seipsum suspendit, & col-

& collectam facit, & altare constituit, & noluerit vocanti Episcopo consentire, & noluerit eidem acquiescere, neque obedire primo & secundo vocanti, hunc omninò damnari, nec unquam vel orationem mereri, nec recipere eum posse honorem. Si enim permanserit turbas faciens & seditiones Ecclesiæ per exteram potestatem, tanquam seditiosum comprimi. Et beatus Augustinus de talibus dicit: *Multa etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis agenda sunt, quorum potius utilitati consulendum est, quàm voluntati; nam in corripiendo filium quantumvis asperè, nunquam paternus amor mittitur: fit tamen, quod nollet ut doleat, qui etiam invitus videtur dolore sanandus.* Ecce videtis, quemadmodum tanti testimonio Patris non persequatur coercendo talia, sed diligat emendando tales semper Ecclesia. Facite ergò etiam vos, quod scientes intentionem Christianitatis vestræ frequenter hortamur, & date operam, ut talia fieri ultra non liceat, sed etiam (quod vobis facillimum esse non dubito) hi qui talia præsumpserunt, ad piissimum Principem sub digna custodia dirigantur. Recolere enim debet celsitudo vestra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Histriam & Venetias tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non ante tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, nisi ad clementissimum Principem exinde retulissetis, & quid fieri debuisset, ejus iterum scriptis recognosceretis, & inter ubique ferventes hostes Ravennam tamen & is qui ordinabatur, & is qui ordinandus erat, providentia culminis vestri deducti sunt. Hic clarè videmus quàm importunè urgeat hic Episcop⁹, ut Episcopi Liguriæ, Venetiæ, & Histriæ armis tyrãnidi suæ subjiciãtur. Confitetur & eos sibi resistere fiducia Decretorum Synodi Constantinopolitanæ, quæ qualia fuerint, scire operæ precium esset.

Testatur autem Sigebertus demum 684. anno Ravennatem Ecclesiam jussu Imperatoris Romani subjectam esse, qui est unus ex Primariis Venetiæ Episcopatibus. Aquilegiæ porrò circa annum Domini 700. Synodus fuit, quæ se Pontifici Romano Sergio opposuit. Quæ civitas olim Patriarcham habuit, & ad Histriam pertinet. Concertarunt Papæ & cum Polæ Episcopis, quæ civitas, teste Iustino, olim Colchis Medeam quærentibus, longè ante Romam, extructa est, & meæ Patriæ Episcopatum tenet. *Pag. 538.*

Ex hisce manifestum est, eum non tantum defendisse Conjugium, sed etiam simul haud obscurè ipsorum Paparum cœlibatum Sacerdotibus præcipientium impura decreta oppugnasse. Omnia enim fermè verba contra talem aliquem Authorem directa sunt, & interdixerat multis annis antè Syricius Clero conjugium, sequentesque Papæ in ejus pravis vestigiis permanebant.

LXII. *Pelagius Papa.*

Conjugium cur Sacerdotibus prohibitum.

PElagius Papa ſedit circa annum 550. Ejus ſententia 99. Diſt. citatur, *Ne quiſquam univerſalis Epiſcopus nominetur.* Pelagius omnibus Epiſcopis: *Nullus Patriarcharum* univerſalitatis *vocabulo unquam utatur; quia ſi unus Patriarcha* univerſalis *dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit à fidelibus, hoc ſibi velle quempiam arripere, unde honorem fratrum ſuorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem unquam, etiam ſuis in Epiſtolis,* univerſalem *nominet; ne ſibi debitum ſubtrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.* Dicit hic idem in eadem Decretali eum fore *præcurſorem Antichriſti*, qui ſibi id nomen *univerſalis Epiſcopi* uſurpaverit.

Diſtinctione vigeſima octava dicit hic Papa, *Cœlibatum Sacerdotum & Epiſcoporum* præcipuè, eſſe ideo inſtitutum; ne Eccleſiaſtica bona in uxores & liberos eorum diſſiparentur. Id ſi verum eſt, cur igitur noſtri Papiſtæ Sacerdotum conjugium damnant, tanquam per ſe impium & impurum, ferroque ac igni puniendum cenſent? Sed age deſcribamus locum *ex Decreto* majoris perſpicuitatis & certitudinis gratia. Inter hujuſmodi ambiguitates illud conſultius judicavimus faciendum, ut congrua providentia CAUSAM, propter quam principalis conſtitutio habentem filios & uxorem, ad Epiſcopatus ordinem promoveri prohibet, ſalva diſpoſitione Concilii muniremus. Qua de re ſummo ſtudio ab eodem Syracuſanæ urbis Epiſcopo, priuſquam à nobis in Epiſcopum contingeret ordinari, hujuſmodi exegimus cautionem, per quam & ſuam fateretur, quantula eſſet præſentis temporis habita rerum deſcriptione, ſubſtantiam, & nihil unquam per ſe aut per filios, & uxorem, ſive quamlibet propinquam aut domeſticam, vel extraneam ferre perſonam de rebus audeat uſurpare Eccleſiæ, & univerſa ſui Epiſcopatus quæſita tempore Eccleſiæ ſuæ Domino ſociaret, nihil ultra id, quod modo deſcriptum eſt, filiis ſuis aut hæredibus relicturus. Hiſce Pelagii verbis addit Gratianus ſequentia. *Ecce hac authoritate electus in Epiſcopum non prohibetur habere uxorem & filios. Eligi autem ad Epiſcopatum non debet niſi aut Sacerdos, aut Diaconus, Subdiaconus verò non niſi neceſſitate cogente. Sive Diaconus fuerit, apparet, quòd in præfatis ordinibus conſtituti licitè matrimonio uti poſſunt.* Hactenus Gratianus.

Obſervetur hîc diligenter cauſa cur conjugium Sacerdotum a Romana Eccleſia prohibitum eſt, non quòd per ſeſe res eſſet illicita, ſed *ob periculum bonorum Eccleſiaſticorum.* Affirmat Sigebertus Papam hunc accuſatum fuiſſe cædis Vigilii Papæ; ſed illum ſe juramento excuſaſſe. O præclaram dignamque Romano Pontifice excuſationem.

Chron. f. 518.

LIV. Io-

LXIII. *Ioannes Maxentius, Presbyter Papæ.*

FLoruit hic scriptor circa 500. Domini annum; Scripta ejus Cochlæus Coloniæ A. 1526. in Germania edidit. Damnavit Legatos Papæ Hormisdæ, Constantinopolim ad Synodum missos, Dioscorum & alios plurium errorum, nec ipse solum, sed & Scythici monachi unà cum eo; quin & Romam missa de suo numero legatione, eos erroris redarguere voluerunt; sed non tantum non data est eis facultas disputandi, aut ordinariè agendi, sed etiam violenter, ac cum ignominia inde de mandato Papæ, improbante id populo, pulsi sunt. Reliquerunt nihilominus freti Deo, bona causa, & favore populi, post se affixas publicè protestationes. De qua re ita prædictus pater Maxentius scribit: O mira furiosorum cæcitas & à veritate alienatarum mentium criminosa fallacia. Neque enim fas est tam apertè posse mentiri Romanum Episcopum. Benè certum est omnibus Romæ degentibus, quod ipsi monachi, de his quæ circa se acta sunt, tam memorato Episcopo, quàm etiam Senatoribus, nec non universæ Ecclesiæ scriptis contestati sunt. Humana namque tentatione præventus idem Romanus Episcopus, utpote mortalitatis adhuc sarcina prægravatus, postquam comperit reverti Dioscorum, volens ei præstare hoc beneficium, ne in publico ab eisdem monachis argueretur hæreticus, missis defensoribus, cum ingenti violentia eos ab urbe Roma subitò exire compulit: quanquam sæpius publicè & privatim, tam in Conventu Ecclesiastico, quàm etiam omnium Senatorum eis veniente Dioscoro audientiam dare esset pollicitus. Qui cum ab ipsis defensoribus egredi urgeretur, compulsi sunt in locis publicis populum contestari, ne post suum discessum clam eos recessisse fautores Dioscori apud Ecclesiam diffamarent. Vnde factum est, ut saltem eis parva dilatio præstaretur, quamdiu se exinde egredi præpararent, sub quo tempore scriptis omnia quæ in se gesta sunt, facultas data est contestandi. Quod tamen nunquam facere potuissent, nisi hoc eis Romanus populus præstitisset, qui licet pro eis apertè minimè proclamaret, ipsa tamen sua tacita murmuratione defensores, qui eos exinde egredi compellebant, deterrens fecit, ut eorum violenta expulsio universæ Ecclesię innotesceret. Non ergo (ut iste mentitur) populus, sed defensores Ecclesiæ eos exinde egredi compulerunt. Neque enim sponte sua in publico prodierunt, ut meritò ad concussionem quietis, sive ad dissipationẽ & discordiam cōmovendam, hoc eos fecisse quilibet rectè dijudicaret, sed violenter ad hoc sunt venire compulsi. Nam ita hæc se habere etiam ex ipsius istius verbis facilè edocemur, quibus eos circa Regum statuas asserit inclamasse, qui nullus nisi quod violentissimè molestatur, facilè compellitur. Quamvis non quasi regiæ potestatis auxilium flagitantes (sicut hæretici jactitant) sæpè dicti monachi circa regum statuas inclamaverint, sed postquam à loco quem ad manendum acceperant, pro mandato ejusdem Romani Episcopi fuerant expulsi, in publico consistentes, ubi casu Regum imagines fuerant, quod petitioni suæ audientia denegaretur, populo contestati sunt. Hactenus ille.

Rom. Pontificum errores & ambitio.

Evulgavit

Evulgavit poſtea contra eos Papa Bullam quandam latè ac longè, quam Maxentius proprio & jam edito ſcripto refutavit titulo contra Poſſeſſorem.

* Contendit Cochlæus Hormiſdæ Epiſtolam ad Poſſeſſorem ab Hæreticis eſſe fictam; aſt Epiſtolam eſſe genuinam ſtatuit Bellarminus de Script. Eccleſ. ſec. 6. p. 163.

De Libero etiam *arbitrio* & *Originali peccato* rectè contra Papæ corruptores ſenſit, veritatemque hiſce verbis adſeruit. Juſſerat enim, ut quidam ſcribunt, Papa neſcio quem infauſtum Gallum pro Libero arbitrio ſcribere, quem ita Maxentius refutavit, ut etiam ipſum Papam nonnihil tam fœdi erroris puderet, nec omnino Fauſtum illum ſuum per omnia tueri auderet.

Verba autem ejus, ſententiam de Libero arbitrio ſummariè complectentia, hæc ſunt. Liberum autem naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, niſi ad diſcernenda tantum & deſideranda carnalia ſive ſecularia, quæ non apud DEUM, ſed apud homines poſſunt fortaſſis videri glorioſa. Ad ea verò, quæ ad vitam æternam pertinent, nec COGITARE, NEC VELLE, NEC DESIDERARE, NEC PERCIPERE POSSE, niſi per infuſionem & inoperationem intrinſecus Spiritus Sancti, qui eſt etiam Spiritu CHRISTI. Spiritum enim CHRISTI qui non habet, hic non eſt ejus. Quod ſi quis credit in CHRISTO, jam CHRISTI eſt, Sicut & verum eſt non utique per donum naturæ, ſed per Spiritum Sanctum eſt, qui CHRISTI eſt. Qui jam credit in eum, qui juſtificat impium, ut confitentur. Quia Dominus eſt JESUS, quod nemo poteſt dicere niſi in Spiritu Sancto. Quapropter anathematizamus eos, qui naturale aut ſubſtantiam (ſcilicet initio creatam) aliquam dicunt eſſe peccatum. Abominantes etiam eos qui contra vocem Apoſtoli audent dicere. Noſtrum enim VELLE, Dei perficere, cum idem Doctor & VELLE & perficere donum teſtetur eſſe divinum, ipſo dicente. DEUS enim eſt, qui operatur in vobis & VELLE & perficere pro bona voluntate. Credentes etiam omnes ab Abel uſque ad CHRISTUM, Si qui ſalvati ſunt ea gratia, qua & nos eſſe ſalvatos ſecundum vocem beati Apoſtoli Petri dicentis. Quid tentatis DEUM imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum. Hæc ille ſanctus Petrus de libero arbitrio & errores ac tyrannica violentia Papæ ejusque Legatorum ſcribit. Quæ profecto memorabilia ac obſervatu digna ſunt. Hinc enim licet intelligere, tum quales jam tunc illi ſanctiſſimi Patres fuerunt, tum qualibus artibus iſtud ſuum imperium ſuper Eccleſiam Dei nacti ſint, auxerint & conſtabiliverint.

Cent. 6. Magd. c. 4. col. 190.

* Maxentii Opera extant Orthodoxoq; à Grynæo edit. part. 1. p. 47. ſeqq. Tom. IV. Bibliothecæ Patrum Col. 486. ſeqq Hormiſdæ Papæ ad poſſeſſorem Epiſtola extat col. 494. 495. 496. & ad eam Reſponſio Maxentii col. 497. ad p. 511.

LXV. Serenus Maſſilienſis Epiſcopus.

HIc Epiſcopus vixit tempore Gregorii Magni, ut ex nona Epiſtola Gregorii libro nono regiſtri apparet, imagines ex templis ſuſtulit ac exuſſit. Sic enim ſcribit

ſcribit ad eum Gregorius. Frangi non debuit, quòd non ad adorandum in Eccleſiis, ſed ad docendum tantum fuit collocatum. Quin potius ita tuis dixiſſes: Si hanc inſtructionem, ad quam imagines antiquitus factæ ſunt, habere multis in Eccleſia eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. Et paulo pòſt. Vnde ſi quis imagines facere voluerit, minimè prohibe. Adorare verò imagines, omnibus modis devita. Hactenus Gregorius. Hinc clarè apparet Serenum iſtum & proculdubio cum eo etiam alios multos verè pios, voluiſſe pullulanti idololatriæ reſiſtere; ſed fruſtra vincente errore, & parte deteriore meliorem.

* Gregor. 9. Epiſt. 9. fol. 425; Cent. Magd. 6. c. 10. col. 707.

LXV. Gregorius Papa I.

GRegorius Papa primus ſedit anno 600. Is vehementer pugnavit contra Primatum Papæ. Noluit dici *univerſalis Epiſcopus*, nec quenquam ſuorum priorum dixit eam dignitatem recipere unquam voluiſſe, cum quidem illis oblata eſſet. Multis duriſſimis conviciis proſcindit eum titulum, & ejus cupidos comparat *cum Lucifero*. Inter cætera pronunciat quoque, eum qui eam dignitatem accipiet, fore *præcurſorem Antichriſti*. Hortatur etiam alios Epiſcopos paſſim, ut tali *tyrannidi in Eccleſia* reſiſtant. Vide ejus Epiſtolas ad Imperatorem, & Imperatricem & Patriarcham, præſertim Conſtantinopolitanum, ex quibus pauca quædam dicta interſeram, ſi qui fortè exemplaribus deſtituuntur.

Ex Regeſto divi Gregorii lib. IV. Epiſt. XXXII. ad Mauritium Auguſtum de Ioanne Conſtantinopolitano Epiſcopo, qui ſupremus eſſe & univerſalis Epiſcopus dici volebat.

N*Vnquid ego hac in re*, piiſſime Domine, *propriam cauſam defendo? numquid ſpecialem injuriam vindico? Cauſam omnipotentis Dei, cauſam univerſalis Eccleſiæ ago. Quis eſt iſte, qui contra ſtatuta Evangelica, contra Canonum Decreta, novum ſibi nomen uſurpare præſumit*, &c. Et paulo pòſt: *Certè pro beati Petri Apoſtolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonenſem Synodum Romano Pontifici nomen* univerſalis Epiſcopi *oblatum eſt; ſed nullus eorum unquam hoc ſingularitatis nomen aſſumpſit, nec uti conſenſit; ne dum privatum aliquod daretur uni, honore debito Sacerdotes privarentur univerſi, &c.* *Fol. 382. edit. Pariſ. 1521.*

Ex Epiſtola ejuſdem libri XXXIV.

T*Riſte mihi aliquid Sereniſſimus Dominus innuit, quòd non eum corripuit, qui ſuperbit; ſed me magis ab intentione mea declinare ſtuduit, qui in hac cauſa, Evangelio-* *Fol. 382. b.*

rum & Canonum humilitatis atq; rectitudidinis veritatem defendo. Qua in re à prædicto fratre & consacerdote meo contra Evangelicam sententiam, contra beatum quoq; Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias, contraq; Canonum instituta agitur, &c. Et paulo pòst: *Sed in hac ejus SVPERBIA, quid aliud, nisi propinqua jam esse Antichristi tempora designantur? Qui illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad CVLMEN conatus est singularitatis erumpere, dicens, Supra astra cœli exaltabo solium meum,* &c.

Ex Epistola XXXVI. ejusdem libri, ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum, Episcopos.

Fol. 383. a. QVi si nequaquam à suæ elationis rigore voluerit inclinari, tunc quid fieri debeat, cum omnipotentis Dei solatio subtilius pertractetur. Sicut enim veneranda mihi vestra sanctitas novit, per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontificis sedis Apostolicæ, cui Deo disponente deservio,* hoc universitatis nomen oblatum est: sed nullus unquam præcessorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti *contendit; quia videlicet si unus Patriarcha* universalis *dicitur,* Patriarcharum nomen *cæteris derogatur, sed absit hoc, absit à Christiani mente, id sibi velle quem arripere, unde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunq; parte videatur,* &c. Et aliquanto pòst: *Perpendis, frater charissime, quis è vicino subsequitur, cujus & in Sacerdotibus erumpunt tam perversa primordia. Quia enim juxta est ille, de quo scriptum est:* Ipse est Rex super universos filios superbiæ (*quod non sine gravi dolore dicere compellor*) *frater & coepiscopus noster Ioannes mandata Domini, Apostolica præcepta & regulas Patrum despiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine,* &c.

Ex Epistola XXXVIII. ejusdem libri ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum.

Fol. 383. b. ROgo, deprecor, & quanta possum dulcedine exposco, ut fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, atque erroris nomen deferentibus, contradicat, nec* stulto ac superbo

Fol. 374. a. vocabulo *appellari consentiat,* &c. Et paulo pòst: *Quis rogo in tam perverso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus, secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est* singularitatis *erumpere, ut & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur? Qui etiam dixit:* In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum; sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudines nubium, similis ero altissimo, &c. *Vestra autem sanctitas agnoscat, quantum* apud se tumeat, *qua illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit. Numquid nam non, sicut vestra*

sanctitas

sanctitas novit, per venerandum Chalcedonense Concilium hujus Apostolicæ sedis antistites, cui Deo disponente deservio, universales *oblato honore vocati sunt? Sed tamen* nullus unquam tali vocabulo appellari *voluit. Nullus hoc sibi* temerarium nomen *arripuit, ne si sibi in pontificatus gradu gloriam* singularitatis *arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* Et aliquanto pòst: *Omnia quæ prædicta sunt, fiunt.* REX superbiæ *propè est, & (quod dici nefas est) Sacerdotum ei præparatur exercitus, qui cervici militant ELATIONIS, qui positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re, etiamsi nostra lingua minimè contradicat, illius virtus contra elationem in ultionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter adversatur,* &c. Paulo pòst: *Pensemus, quid nos præcepta admoneant Redemptoris nostri, dicentis:* Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Hinc etiam per Prophetam dicit:* Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? *Certè cum Dominus ad humilitatis viam adhuc infirmantia discipulorum corda reduceret, dixit:* Si quis vult inter vos primus esse, sit omnium minimus. *Qua in re apertè cognoscitur, quoniam ille veraciter sublimis est, qui in suis cogitationibus humiliatur. Formidemus ergo in illo numero asscribi, qui primas in synagoga cathedras quærunt, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus* Rabbi, *quos contra discipulis Dominus dicit:* Vos autem nolite vocari Rabbi: unus enim Magister vester est, vos autem fratres estis, & Patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester. *Quid ergo* frater charissime, *in illo terribili examine venientis judicii es dicturus? Quoniam non solum* Pater, *sed etiam* generalis Pater *in mundo vocari appetis? Caveatur ergo, & fugiatur, omnis instigatio Diaboli, &c.*

Ex Epistola sequenti.

I*N quibus se penè per singulos versus* œcumenicum Patriarcham *nominat.* Et paulo pòst: *In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil aliud, quam fidem perdere, &c.* *Fol. 384.b.*

Ex Epistola XXX. sexti libri ad Mauritium Imperatorem.

E*Undem verò fratrem & consacerdotem meum studiosè admonere curavi, ut si pacem habere omnium, concordiamq; desiderat, à stulti vocabuli appellatione se compescat. De qua re mihi in suis jussionibus Dominorum pietas præcepit, dicens, ut pro appellatione* frivoli nominis *inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo, ut imperialis pietas penset; quia alia* sunt frivola, valdè innoxia, *atq; alia* vehementer nociva. *Numquid non, cum se Antichristus veniens Deum dixerit, frivolũ valdè erit, sed* *Cap. 194. fol. 398.a.*

tamen nimis perniciosum? Si quantitatem vocis attendimus, duæ sunt syllabæ; si verò pondus iniquitatis, universa pernicies. Ego autem fidenter dico, quod quisquis se universalem Sacerdotem *vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua* Antichristum *præcurrit; quia superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur; quia sicut perversus ille, Deus videri vult super omnes homines; ita quisquis iste est, qui solus Sacerdos appellari appetit, super cæteros Sacerdotes, &c.*

Ex hisce divi Gregorii Epistolis apparet, quanto ille zelo, quantaque vehementia damnaverit istam ambitiosam Papæ tyrannidem, quòd is supremus seu universalis Episcopus, seu Episcopus Episcoporum esse vult. Non enim de solo nomine, sed de maxima re fuit tanta contentio. Planè enim perinde Constantinopolitanus, vel universalis seu œcumenicus Episcopus, vel Episcopus Episcoporum, vel Episcoporum Dominus esse voluit, sicut se nunc Papa esse vult ac jactat. Quare qui cupit scire, quid de tali imperio sentiendum sit, hinc id cognoscere potest.

Differit quoque breviter, non esse necessariam cæremoniarum in omnibus Ecclesiis similitudinem, sed unamquamque sibi optimas eligere debere. Mirabilem de hoc Pontifice refert historiam divus Hulricus in sua Epistola, quam paulo pòst commemorabo in Hulderico, sed summa ejus est, quòd D. Gregorius primò quidem mandaverit cœlibatum Sacerdotibus, postea verò comperto, quòd clàm nihilominus libidines exercerentur, multique inde concepti fœtus trucidarentur, id mandatum abrogaverit, dixeritque: *Melius est nubere, quàm cædibus causam præ-*
Fol. 410. b. *bere.* Libro 7. Regesti cap. 63. scribit hæc verba. *Mos Apostolorum fuit, ut ad Dominicam solummodo orationem hostiam consecrarent.* Dicit item Canonem, qui in Missa recitatur, à nescio quo scholastico compositum esse. Hinc apparet, quàm simplex fuerit Apostolica Missa; imò verò hinc manifestum est, Apostolos corpore Domini tantum ad communionem usos, nullamque Missam seu sacrificium habuisse. Nusquam enim dixerunt, Offero seu sacrifico pro toto mundo, aut pro animarum salute: utpote qui nullum canonem habuerint, sed singuli Papæ subinde tam diu aliquid addiderunt verbis cœnæ, donec planè aliud tandem corpus ab eo, quod Dominus instituit, efficerent, nempe Missam rem cæremoniamvè à communione planè differentem.

Queritur itidem Pontifex graviter Dist. 92. eam pravam consuetudinem in Romana Ecclesia invaluisse, ut Sacerdotes, quorum erat prædicationi Evangelii incumbere, omisso eo officio, cantui vacent. Hæc prava consuetudo ita sanè jam invaluit, ut videatur Christus Sacerdotibus non dixisse, *Ite & prædicate:* sed, *Ite & missate, ac ululate.* De imaginibus scripsit ad Serenum Massiliensem Episcopum, nullo modo ferendum esse, ut adorentur; cujus verba lege in Sereno. Scripsit quoque inde omne malum in Ecclesia oriri, quòd indigni ordinentur. Sed adscribamus quædam ejus dicta ex 17. Homilia, ubi prolixius Sacerdotum crimina recenset
Fol. 308. b. ac taxat. Super verba (*Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum*

num

num messis, ut mittat operarios suos in messem suam) ita dicit lamentabiliter: *Quod sine gravi mœrore loqui non possumus, quia & si sunt qui bona audiant, desunt qui dicunt. Ecce mundus Sacerdotibus est plenus, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operarius. Quia officium quidem sacerdotale accipimus, sed opus officii non implemus.* Et postea dicit ulterius: *Ad exteriora negotia dilapsi sumus, & aliud ex honore suscipimus, atque aliud pro officio actionis exhibemus; ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus.* Et infrà: *Nullum puto*, fratres charissimi, *ab aliis majus præjudicium, quàm à* Sacerdotibus, *tolerat Deus; qui eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quãdo ipsi peccavimus, qui cõpescere peccata debuimus. Plerunque, quod est gravius, Sacerdotes, qui propria dare debuerãt, etiã aliena diripiũt; plerunque, si quos humiliter, si quos continenter vivere conspiciunt, irrident. Considerate ergo, quid de gregibus agatur, quando lupi pastores sunt; hi custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi Dominico non metuunt, contra quos Dei greges custodiri debuerant: nulla animarũ lucra quærimus, ad nostra quotidie stipendia vacamus: terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet, lætitiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis augmentum: Dei causam relinquimus, ad terrena negotia festinamus; locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus complicamur. Impletum est in nobis profectò, quod scriptum est: Et erit, sicut populus, sic & Sacerdos.* Et infrà dicit: *Quanto mundus gladio feriatur, aspicitis; quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis, cujus hoc est, nisi nostro præcipuè peccato agitur? Ecce depopulatæ urbes, eversa castra, Ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt; sed nos pereunte populo autores mortis existimus, cujus debuimus esse duces ad vitam. Ex nostro enim peccato populi turba prostrata est: quia faciente nostra negligentia, ad vitam erudita non est.*

fol.309.b. *fol.301,a.*

Purgatorium ignem hic Papa ita asserit, ut tamen magis evertat, quàm confirmet; inquit enim libro Dialogorum 4.cap.39. *In Evangelio dicit Dominus.* Ambulate dum lucem habetis; *per Prophetam quoque ait.* Tempore accepto exaudivi te, in die salutis adjuvi te. *Quod Paulus Apostolus exponens:* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *Salomon quoque ait:* Quodcunque potest manus operare, quod nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas. *David quoque ait:* Quoniam in seculum misericordia ejus. Ex quibus nimirum sententiis constat, quia qualis hinc quisque egreditur, talis in judicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam LEVIBUS culpis ante judicium purgatorius ignis credendus est. Et paulò post. Sed tamen (ut prædixi) hoc de PARVIS, MINIMISQUE peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduè otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui à culpa, qualiter declinare debeant, sciunt: aut non in gravibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita po- *fol.239.a.*

ſitio minimè fuerit relaxata; nam cum Paulus dicat, Chriſtum eſſe fundamentum, atque ſubjungat: Si quis ſuperædificaverit ſuper hoc fundamentum aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuscujusque opus, quale ſit, ignis probabit: Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet; Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, & ſic quaſi per ignem. Quamvis hoc de igne tribulationis, in hac nobis vita adhibito, poſſit intelligi, tamen ſi quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, penſandum ſollicitè eſt, quia illum per ignem dixit poſſe ſalvari, nōn qui ſuper hoc fundamentum, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id eſt, peccata majora, & idcirco duriora, atque tunc jam inſolubilia, ſed lignum, fœnum, ſtipulam, id eſt, peccata minuta & tenuiſſima, quæ ignis facilè conſumat. Similia quædam & Diſt. 25. habentur. Hic clarè audimus, purgatorium eſſe tantum de parvis leviculis & minimis peccatis. Iam conſtat etiam ex Papiſtarum doctrina, iſta levicula aut venialia peccata facilè etiam in hac vita deleri; ſed ſi magna illa, quæ ſunt contra Dei mandatum, purgatorius ignis non tollit, quid eſt quod tam multa de eo jactantur? Quid etiam, quod per Miſſas, indulgentias, & alia bona opera, idem homines liberari finguntur? Si tantum levicula peccata purgatorio igni abſumuntur, ergo alia ſimpliciter ad infernum pertinent. Sic igitur purgatorius ignis à ſuis propriis aſſertoribus extinguitur.

Fuit hic Pontifex coram Mauritio Cæſare accuſatus de parricidio Epiſcopi Malchi, ubi etiam ſe excuſavit, quàm verè, non auſim certò affirmare. Poſt ejus mortem voluit Populus & Clerus Romanus *Cent. Magd. 7. c. 8. col. 243.* *ejus libros exurere.* Credo propterea, quia viderunt nimis multa fabuloſa inſerta eſſe, & religionem non parum per eum contaminatam eſſe.

Hic Papa primus uſurpavit titulum, *Servus ſervorum*; ut ſcilicet teſtaretur, ſe ſuosq; Succeſſores alieniſſimos à cupiditate dominandi, univerſalemq; Epiſcopatum ambiendi, eſſe oportere, ut prius dixi. Verùm titulum quidem & poſteri retinuerunt, qui tamen domini omnium totius orbis terrarum dominorum eſſe, diciq; voluerunt; eoque ſæpiſſimè eis à plurimis objectum eſt, quòd quandoquidem tam ambitioſi totiusq; orbis domini eſſe velint; non ſervi ſervorum, ſed *dominantium domini* ſe meritò ſcribere deberent.

* Alia plura teſtimonia dedêre Goulartius lib. 6. p. 503. ſeqq. VVolfius Cent. VI. p. 172. ſeqq. Dogmata Gregorii ſatis prolixè exhibent Centur. Magdeb. Cent. VI. cap. 4. de Doctrinâ col. 88. ſeqq. ſed ſummatim cap. 10. col. 680. ſeqq.

LXVI. Theodorus, Epiſcopus Ancyranus.

THeodorus Anciiræ Epiſcopus, vixit paulò ante 500. Domini annum, damnavit imagines & earum omnes ſuperſtitiones, quod ex hoc dicto apparet. *Sanctorum*

ctorum formas & species ex materialibus coloribus formari, minimè decorum putamus, horum autem virtutes, quæ per scripta traditæ sunt, veluti vivas quasdam imagines rejicere subinde oportet: Ex his enim ad similium imitationem & zelum pervenire possumus. Dicant enim nobis, qui illas erigunt statuas, *quæ nam utilitas ex illis ad se redit? an quòd qualiscunque recordatio eos habet ex tali speciali contemplatione? Sed manifestum est, quòd vana sit ejuscemodi cogitatio, & Diabolicæ deceptionis inventum.*

LXVII. Dinoth, Abbas Bangorensis in Britannia.

GAlfridus Britannus & Cardinalis, teste Virunnio Pontico, scripsit circa 1150. Domini annum *novem libros Britannicæ historiæ.* Is in fine libri octavi planè admirabilem scituque longè dignissimam narrationem recitat, quomodo olim tempore Gregorii Magni Britannicæ optimè constitutæ Ecclesiæ sese Augustino, Gregorii Legato, subjicere noluerint, ejusque, ac eum mittentis Papæ superioritatem & doctrinam validis argumentis constanter refutaverint, rejecerintque, & propterea sint à Papistis innumeri Sacerdotes & alii Christiani cæsi. Sed adscribam ipsa historici verba, ne quid ex meo cerebro fingere videar. Ex libro octavo Galfridi Britann. historiæ capite 4. Interea missus est Augustinus à beato Gregorio Papa in Britanniam, ut Anglis verbum Dei prædicaret, qui Pagana superstitione cæcati in illa Insulæ parte quam habebant, totam deleverant Christianitatem, in parte autem Britonum adhuc vigebat Christianitas, quia ab tempore Eleutherii Papæ habita nunquam inter eos defecerat. *Religionis status in Anglia cõtroversus.*

Postquam autem venit Augustinus, invenit in eorum Provincia septem Episcopatus, & Archiepiscopatum, religiosissimis præsulibus munitos, & Abbatias complures, in quibus grex Domini rectum ordinem tenebat. Inter cæteras civitates erat in civitate *Baugor* quædam nobilissima Ecclesia, in qua tantus fertur fuisse numerus Monachorum, ut cum in septem portiones esset cum præpositis sibi prioribus monasterium divisum, nulla harum portio minus quàm *trecentos* Monachos haberet; qui omnes labore suarum manuum vivebant. Abbas autem eorum Dinoth vocabatur, *miro modo liberalibus artibus eruditus.* Qui Augustino petenti ab Episcopis Britonibus subjectionem, & suadenti, ut secum genti Anglorum communem evangelizandi laborem susciperent, diversis monstravit argumentationibus, ipsos ei nullam subjectionem debere, nec suam prædicationem inimicis suis impendere, cum & suum Archipræsulem haberent, & *gens Saxonum* patriam propriam eisdem auferre instarent. Vnde eos summo habebant odio, fidemque & religionem eorum pro nihilo habebant, nec in aliquo Anglis magis quàm canibus communicabant. *Edelbertus* ergo Rex Cantorum, ut vidit Britones dedignantes subjectionem Augustino facere, & eosdem prædicationem suam spernere, hoc gravissimè ferens, Edelfridum Regem *De numero & vivendi ratione idẽ hoc notat Ioh. Bromton. Chron. p. 779.*

Northan-

Northanhumbrorum & cæteros Regulos Saxonum instimulavit, ut collecto grandi exercitu in civitatem Baugor, Abbatem Dinoth & cæteros Clericos qui eos spernerent, perditum irent. Acquiescentes ergo consilio eius, collegerunt mirabilem exercitum, & provinciam Britonum petentes venerunt Legecestriam, ubi Brœmael consul urbis eorum adventum expectabat. Venerant autem ad eandem civitatem ex diversis Britonum provinciis innumerabiles Monachi & Eremitæ, & maximè de civitate Baugor, ut pro salute populi sui orarent. Collectis igitur undique exercitibus, Edelfridus Rex Northanhumbrorum prælium inivit cum Brœmael, qui pauciori numero militum resistens, ad ultimum relicta civitate, sed prius maxima strage hostibus illata, diffugit. At Edelfridus civitate capta, cum intellexisset causam adventus prædictorum monachorum, jussit in eos primùm arma verti; & sic mille ducenti eorum in ipsa die martyrio decorati, regni cœlestis adepti sunt sedem. Deinde cum prædictus Saxonum tyrannus Baugornensium urbem peteret, audita ipsius infamia, venerunt undique obviam illi Duces Britonum, *Bledericus* videlicet Dux Cornubiæ, & *Margadud* Rex Demetorum, *Caduanus* Venedotorum, & conserto prælio ipsum vulneratum in fugam propulerunt. Sed & tantum numerum exercitus eius peremerunt; quòd decem millia circiter & sexaginta sex corruerunt. In parte etiam Britonum cecidit Bledricus Dux Cornubiæ, qui ducatum in eisdem præliis præstabat. Hactenus Galufridus. Hinc apparet, primùm ita initio Britannicas Ecclesias in Christianismo institutas fuisse, ut ignorarent quenquam in Ecclesia regnare, aut tyrannidem potius exercere debere; eóque Augustini Pontificii Legati petitionem, ut sese ei subjiciant, illis rem novam fuisse. Eodem pertinet, quòd *Petrus Abbas Cluniacensis* quadam prolixa Epistola ad D. Bernhardum testatur, *Scotos & alios vetustissimos Christianos Pascha non Romano, sed Orientali more solites celebrare.* Vnde apparet, eos non Româ, sed ex Oriente Doctores primùm accepisse. Deinde observandum est, quod testatur Galfridus, Episcopos & Doctores Britannicos fuisse pios ac doctos, Ecclesiasque eorum optimè institutas fuisse, *& nihilominus tamen primatum Papæ, tum doctrinam ejus Legati repudiasse*; nec id temerè, sed bonis ac firmis rationibus permotos fecisse. Postremò observa artem Romanistarū, qua ratione soliti sint pios ac eruditos Episcopos vincere, sibiq; subjicere; nempe non tantum falsæ doctrinæ mendaciis, sed & crudelissimis atrocissimisque persequutionibus. Hic memorat, *mille & ducentos Monachos & Sacerdotes* cæsos esse, quòd se Papæ Romano ejusque Legato subjicere noluerint. Talia verisimile est & alibi sæpius accidisse. Illud quoque hic rectè observabitur, hunc ipsum Galfridum non obscurè illorum piam constantiam probare; Papisticorum verò seductorum tyrannidem & impietatem improbare. Observa etiam Monachos tunc ex sudore proprii vultus vivere solitos, non de alieno; sicut postea nunc ignavi isti ventres deliciantur.

Dinooc ille Abbas vocatur Brantono.

* Compendifecit Galfridi Historiam, cuius initio facta mentio, Ioh. Brompton, Abbas Iornalensis in Chronico suo, quod initium sumit ab A.D. 588. quo S Augustinus venit in Angliam; editumque primò fuit una cum aliis veteribus Scriptoribus Anglicis 1652.

LXVIII. Sy

LXVIII. *Synodus sexta Constantinopolitana.*

Conjugium Sacerdotū.

SExta Synodus generalis *Constantinopolitana*, est anno circiter 680. celebrata. In ea est hoc pium & planè Christianum decretum de Conjugio Sacerdotum constitutum, quod ad verbum sic in Decretis Papalibus dist. 31. continetur: Quoniam in Romani ordine Canonis esse cognovimus traditum, eos qui ordinati sunt Diaconi vel Presbyteri, confiteri, quòd non suis jam copulentur uxoribus; antiquum sequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum virorum, legales nuptias amodò valere volumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes, aut privantes eos familiaritate ad invicem in tempore opportuno. Quicunque ergo diligens inventus fuerit in subdiaconali ordinatione, aut diaconali, aut sacerdotali, hi nullo modo prohibentur ad talem ascendere gradum pro uxoris suæ cohabitatione; nec etiam tempore ordinationis suæ profiteri castitatem cogantur, quod abstinere debeant à legitimæ uxoris familiaritate. Item oportet eos qui altari ministrant, in tempore oblationis Sanctorum continentes esse in omnibus, ut à Deo possint consequi, quæ suppliciter postulant. Si quis igitur præsumpserit contra Apostolicos Canones, aliquos Presbyterorum & Diaconorum privare à contractu & communione legalis uxoris suæ, deponatur. Similiter & Presbyter aut Diaconus, qui religionis causa uxorem suam expellit, excommunicetur. Si verò in hoc permanserit, deponatur. Sic habet hic Canon & in manuscriptis, & impressis vetustioribus; sed in recentioribus est studio, ut apparet, mutilatus. In libro Conciliorum autem, in sexta Synodo planè non legitur. Quod haud dubiè Papistarum fraude accidit; nam Decretum Dist.16. testatur, composuisse hanc Synodum Canones 202. non sunt autem in Latina Concilia relati, propterea quòd proculdubio Papis non ubique applauserunt, sed eorum ambitionem & impia dogmata taxaverunt. Cęterùm ut ad hunc Canonem redeamus, *Nilus* hunc Canonem citat, sed non apponit illa verba. Item oportet eos qui altari ministrant, &c. Fortè igitur illa quoque sunt suppositititia.

Hic videmus hanc sacrosanctam Synodum disertè & ex professo contra Romanenses Canones Sacerdotum conjugium defendere, & affirmare, id conjugium cum Apostolicis Canonibus & sanctorum virorum constitutionibus convenire, & contra Romanos Canones cum iisdem pugnare.

Damnavit & alio Canone hæc Synodus Romanam consuetudinem jejunandi die Sabbati quadragesimæ, adscripto insuper veteri Canone secum sentiente. Sic enim scribit in suo 55. Canone: *Quandoquidem comperimus, quosdam in urbe Romana tempore quadragesimalis jejunii in Sabbatis contra receptum Ecclesiæ morem jejunare; quare visum est huic sacrosanctæ Synodo, ut etiam Romanam Ecclesiam modis*

omnibus obliget Canon, qui inquit: Si quis Clericus fuerit deprehensus die Dominico aut Sabbati jejunare, excepto unico tantum Sabbato, is deponatur; Si verò laicus, excommunicetur. Liquidò igitur hinc apparet, Romanum Episcopum & in doctrinæ controversiis, & aliis rebus actionibusque judicari posse ac debere, si quid alienum à recto æquoque senserit, aut patraverit.

Non contendo autem jam quid rectius sit, jejunare, aut non jejunare die Sabbathi; illud tantum volo ostendere, duobus ut minimum Canonibus hanc Synodum Romanæ Ecclesiæ (quæ se jam negat peccare posse, omnesque judicare vult, & à nemine judicari) leges damnasse. Nec tantum legem unam, aut alteram; sed & unum Papam, Honorium nempe, qui paulò antè fuerat, damnavit hoc Concilium, ut idem Nilus & Leo secundus eius judicium comprobantes testantur. Interfuerunt autem huic Synodo fermè trecenti Episcopi nempe 290.

Atque hanc Synodum etiam Papæ approbant, & recipiunt, ac in Sancto Spiritu congregatam fatentur, lege Dist.16. Paparum adulatores mentiuntur, & in hac Synodo Papam cum suis Legatis regnasse. Verùm supradictorum Canonum libertas propalàm contra Romanistas directa, contrarium planè testatur, nempe eam Synodum verè liberam fuisse, & Papam ibi cum suis Legatis non plus aliquo alio Episcopo authoritatis habuisse; quin potius veluti sontem aut reum judicatum, damnatumque esse. Narrant quoque Papistæ, ut Platina & alii quidam, in hac Synodo *primam Latinam Missam à Iohanne Portuensi Episcopo decantatam esse*, & à Patribus approbatam. Si verum id est; ergo fermè per 700. à Christo nato annos nulla fuit Latina Missa, multò minus à tota Ecclesia fuit approbata. Quod si 700. fermè annis Ecclesia sine Latina Missa floruit, posset fortè & jam sine extremo piaculo ea carere. Magnum hoc testimonium contra Papistas est, quod Ecclesia Dei tot seculis, & in tanta multitudine doctissimorum & eruditissimorum virorum, piè Latina Missa caruit. At ea sola inter omnes omnium gentium Missas sese pro propitiatorio sacrificio venditat. Apparet quoque hic ex ipsorum Papistarum proprio testimonio, Latinam Missam humanum inventum esse, & non jam inde à Christo constitutam receptamque fuisse, ut Mich. Sidonius Episc. Suffrag. Mogunt. Conc. von der heiligsten Messe/ Conc.2.fol.8.edit. Ingolst.1548. Sidonius cum suis Papistis impudenter mentitur. Si enim inde ab Apostolis Latina Missa recepta, usitata & approbata fuisset, non opus fuisset eam à sexta Synodo probari.

Prima Latina Missa quando decantata.

LXX. Regula Clericorum.

IN Epistola Divi Hulderici Augustani Episcopi, cuius paulò post mentionem faciam, scriptum est, quòd scriptor Regulæ Clericorum, cum Sacris literis consentiens

tiens

tiens præceperit, ut Clericus vel pudicus ſit, vel uni matrimonio fœderatus; quaſi utrunque pium, Deoque placens ſit. Quis porrò fuerit iſte ſcriptor Clericorum Regulæ, aut quæ illa Regula, ignoro ſanè. Non enim eam opinor eſſe, quæ paulò antè S. Huldericum, ex Concilii Aquisgranenſis decretis congeſta fuit, de qua infrà in Ludovico Caroli filio. Teſtatur alicubi *Cranzius*, eum libellum *regulam Clericorum* vocari, & Clericorum luxum, faſtum ac libidines nonnihil coercuiſſe; nam hujus, de qua jam egimus, Regulæ, prædictus Epiſcopus unum fuiſſe ſcriptorem affirmat. Illa verò altera nihil aliud, niſi totius Concilii Decreta ſunt, idque ex variis Patribus collecta.

LXXI. Canones peregrinationum religioſarum.

HVnc titulum ideo hoc loco ſumpſi, quòd alium certiorem non habuerim. Eſt verò inter Bonifacii martyris, quem *Germanorum Apoſtolum* vocant, Epiſtola quædam numero 38. à quadam Anglica Abbatiſſa nomine *Eangit* circa 120. Domini annum ad Bonifacium ſcripta; in qua eum, tum de aliis rebus, tum etiam de peregrinationum religione conſulit. Dicit ſe aliasque quaſdam Monachas, & maſculos diu optaſſe Romam inviſere, ac ibi ſuorum peccatorum remiſſionem conſequi; verùm quoſdam id ex Conciliorum Canonibus damnare; quare ſe ejus ſententiam quærere. Sed adſcribam ejus verba: *Notum tibi facere volumus, frater Bonifaci, quia multum temporis fluxit, ex quo deſiderium habuimus, ſunt plurimi ex neceſſariis noſtris & cognatis ſive alienis cum dominam quondam orbis Romam peteremus, & ibi* peccatorum noſtrorum veniam *impetraremus, ſicut alii multi fecerunt, & adhuc faciunt, & ego maximè quæ ætate provectior, & multò plura in vita mea commiſi & perpetravi, & hujus meæ voluntatis atque propoſiti mihi conſcia fuit Muate Abbatiſſa quondam mea & mater ſpiritualis, & unica filia adhuc in annis juvenilibus fuit; & huius rei deſiderium quærere neſcivit. Sed quia ſcimus quòd multi ſunt, qui hanc voluntatem vituperant, & hunc amorem derogant, & eorum ſententiam his adſtipulantibus affirmant: quòd* Canones Synodales *præcipiant*, ut unusquisque in eo loco, ubi conſtitutus fuerit, & ubi votum ſuum voverit, ibi maneat, & ibi DEI reddat vota ſua. *Sed quia univerſi diverſa voluntate vivimus & nobis incerta ſunt & occulta DEI judicia, ſicut ait Propheta, IVSTITIA tua ſicut montes Dei, &c.* Hinc igitur apparet, jam olim veteres Synodos, quæ à *Romaniſtis* ſuppreſſæ ſunt, ipſam peregrinationem noxiam corpori & animæ ſuperſtitionem, tunc primùm orientem tollere voluiſſe, verùm fruſtra; nam Papæ ſedulò Romam lactarunt ſuperſtitioſos iſtos Barbaros; quia ſciebant id ſibi vehementer lucroſum eſſe. Hanc eandem peregrinationum ſuperſtitionem, & *Chalcedonenſe Concilium* poſtea circa annum 800. cohibere conatum eſt, ut mox dicetur.

Bonifacius suam de peregrinatione Romam versus sententiam corrigit.

Quid porrò Bonifacius prædictæ Abbatissæ responderit, ignoro; quia nulla talis Epistola extat. Sed in Epistola 110. sic idem Bonifacius ad *Gutpertum Archiepiscopum Anglicum* de peregrinationibus scribit: *Præterea non taceo charitati vestræ, quia omnibus servis Dei, qui hic vel in scriptura, vel in timore Dei probatissimi sunt, videtur, quòd bonum Consilium, & honestas, & pudicitia vestræ Ecclesiæ, & aliquod RELEVAMEN turpitudinis esset, si prohiberet Synodus & principes nostri mulieribus, & velatis fœminis illud iter & frequentiam, quam ad Romanam civitatem veniendo & redeundo faciunt: quia magna ex parte pereunt, paucis redeuntibus integris. Perpauca enim sunt civitates in Longobardia, vel in Francia, aut in Gallia, in qua non sit adultera, vel meretrix generis Anglorum; quod scandalum est, & turpitudo totius Ecclesiæ vestræ.* Centur. Magdeburg. VIII. c.10. col.797. Hinc apparet, qui fructus etiam carnales & conspicui, præter ipsam spiritualem impietatem, sint istas peregrinationes & superstitiones consequuti. Superius alioqui in *Gregorio Nysseno*, de hac eadem materia quædam dicta sunt, quæ hisce rectè adjungi queunt.

LXXI. Toletanum Concilium III.

Cantiones Ecclesiæ.

TOletana Synodus 7. & 11. sunt celebratæ circa 640. Domini annum; in quibus accusatur *corruptus Cleri ac Ecclesiæ status.* Disertè etiam Episcoporum expilationes taxantur, damnantur ac prohibentur; quæ tamen tunc risus ac jocus fuerunt, prout nunc sunt. Sanciunt item, ut omnes Ecclesiæ sese conforment ad Metropolitanam in cantionibus, & actionibus Ecclesiæ. Vnde liquidò cernitur, tunc nondum Romanum boatum & ἀταξίαν multò minus tyrannidem in omnibus Ecclesiis & Provinciis viguisse, vel potius grassatam esse. In tertia Synodo sunt hæc verba contra Missas pro mortuis, quæ 13. q.2. citantur. *Qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum Psalmis TANTVMMODO & psallentium vocibus debent ad sepulchrum deferri. Sufficiat autem quod in spe resurrectionis, Christianorum corporibus famulatus divinorum impenditur Canticorum.* Ecce hic tantum Psalmi ac Cantiones de resurrectione cani jubentur, cum cadavera piorum efferuntur, non Missæ demurmurari.

Missa pro mortuis.

LXXII. Concilium Toletanum VII.

Episcoporũ Galliæ impietas.

INter cætera denique, quæ cum communi consensu nos conferre competenter oportuit, *querimonias* etiam *parochianorum Presbyterorum Gallicæ Provinciæ* solertissimè discernere decuit, quas contra Pontificum suorum rapacitates, necessitas (ut comperimus) tandem compulit in publicum examen deferri. Hi enim Pontifices (ut evidens inquisitio patefecit) indiscreto moderamine parochianas Ecclesias prægravantes, dum in actionibus superflui frequenter existunt,

penè uſque ad exinanitionem extremæ virtutis, quaſdam Baſilicas produxiſſe probantur. Ne ergo fiat de cætero, quod conſtat hactenus inordinatè præſumptum, non amplius quàm *duos ſolidos* unuſquiſque Epiſcoporum præfatæ provinciæ per ſingulas diœceſes, vel ſingulas Eccleſias juxta Synodum Bracarenſem, annua illatione ſibi petat inferri, monaſteriorum tamen Baſilicis abſolutionis penſione ſejunctis. Cum verò Epiſcopus diœceſim viſitat, nulli præ multitudine oneroſus exiſtat, nec unquam *quinarium numerum* evectionis excedat, aut amplius quàm una die per unamquamque Baſilicam remorandi licentiam habeat. Quicunque verò Pontificum eorundem aliter, quàm decernimus, agendum præſumpſerit, correptioni proculdubio Canonum ſubjacebit, tanquam conſtitutorum ſynodalium tranſgreſſor, & priſcorum Patrum edicti corruptor.

Concilii Bracarenſis Canon.

LXXIII. Toletanum Concilium XI.

IN nomine ſanctæ Trinitatis collectis in unum Carthaginenſium provinciæ Sacerdotibus in Toletana urbe, in beatæ matris Domini Mariæ virginis ſede, anno quarto excellentiſſimi ac religioſi *Vnambani Principis*, ſub die ſeptimo idus Novembris. Res votiva gaudii, & dies nimium optatæ gratulationis occurrit, in quo nobis datum eſt conſpicere pariter, & deflere, quid lachrymarum de præteritis Domino deberemus. Eramus enim hucuſque pro labentis ſeculi colluvione inſtabiles; quia annoſa ſeries temporum, ſubtracta luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quàm matrem omnium errorum ignorantiam ocioſis mentibus ingerebat. Hactenus enim florentem Domini vineam devaſtarunt apri frendentes, ſponſam Chriſti, quam ſui precioſiſſimi ſanguinis effuſione conciliavit, conſpurcare & polluere conata eſt hæreticorum ſubdola machinatio, & inconſutilem Domini veſtem dividere, unitatem fidei ſcindere, charitatis tollere fomenta, cum, ſuo proprio ſenſui pertinaciter volens inhærere, ſacræ Scripturæ puritatem ſuæ pravitatis intelligentia prophanet. Præterea ſacroſanctam Eccleſiam Dei vulnerant etiam cuſtodes ejus, qui cum deberent ob dignitatis excellentiam cæteros per ſuæ virtutis imitationem provocare ad charitatis & unitatis obſervantiam, tanquam ſal infatuatum, potius ſcandali quàm ædificationis dant materiam. Hinc cernentibus quomodo Babylonicæ confuſionis olla ſuccenſa nunc tempora averteret Conciliorum, nunc Sacerdotes Domini de reſolutis moribus irretiret. Purpuratæ enim meretricis ſequebantur incitamenta, quia Eccleſiaſtici Conventus non aderat diſciplina, nec erat qui errantium corrigeret partes, cum ſermo divinus haberetur exoſus. Et quia non erat adjuvandorum Pontificum ulla præceptio, creſcebat immanis vita deteriorum. Item ex eodem Concilio. *De iis qui contra Apoſtolicam veritatem circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit ſancto Concilio, ut Metropolitanæ ſedis authoritate coacti uniuſcujusque provinciæ cives Rectoresque Eccleſiarum,*

Querela de Clericorum impurâ & ſcandaloſâ vita.

Ordo & conformitas in cantionibus.

unum eundemque in psallendo *teneant* modum, *quem à Metropolitana sede cognoverint institutũ, nec aliqua diversitate cujusq; ordinis vel officii à Metropolitana sede patiantur se disjungi. Hoc enim justum est, ut inde unusquisq; sumat regulas magisterii, unde honoris consecrationem accepit, ut juxta majorum Decreta, sedes, quæ uniuscujusq; sacerdotalis dignitatis est mater, Ecclesiasticæ dignitatis vel rationis sit magistra.* Ergo tunc nondùm Romana cohors erat omnium magistra, multò minus omnes Ecclesiæ ejus ritus in actionibus & cantionibus Ecclesiasticis sequebantur, ut nunc. Quod est memorabile & observatu longè dignissimum.

LXXV. Statuta Veterum.

EDitæ sunt in uno volumine plures Leges ac Statuta diversorum populorum, ut *Alemannorum, Saxonum, Anglorum, Thuringorum*, & aliorum, quæ olim ante mille annos sunt conscriptæ. In iis sunt multa Decreta de rebus ac personis Ecclesiasticis *à politicis Magistratibus* constituta. Vnde apparet tunc adhuc spirituales aut Clericos sub politico Magistratu fuisse. Nulla ibi penitus jurisdictionis Romani Pontificis, ejusvé jurium aut potestatis mentio fit. Sicut nec in Synodis provincialibus *Hispaniæ, Galliæ*, aut *Austriæ* admodum ejus ratio habetur, aut penè ulla omnino mentio fit. Vnde apparet, quàm angustum regnum ac potestas tunc adhuc temporis Rom. Pontificum fuerit, & quàm diversa forma Ecclesiæ à præsenti extiterit, sicut etiam postea de Speculo Saxonum dicam. Initio legum Alemannicarum, & Bavaricarum, multæ sunt ejusmodi leges, quæ judicia de rebus ac personis ad politicos judices rejiciunt; Quin & ipsos spirituales politicis judiciis subjiciunt. Verùm adscribam inde unam aut alteram sanctionem. §. *Si quis Episcopum quem constituit Rex, vel populus elegit sibi Pontificem, occiderit, solvet eum Regi, vel plebi, aut parentibus, secundum hoc dictum. Fiat tunica plumbea secundum statum ejus, & quod ipsa pensaverit auro, tantum donet qui eum occidit. Etsi autem non habet, donet aliam pecuniam, mancipia, terram, villas vel quicquid habeat, usq; dum implet debitum. Etsi non non habet tantam pecuniam, seipsum & uxorem & liberos tradat ad Ecclesiam illam in servitium, usq; dum se redimere possit. Hoc per imperium Regis vel judicis fiat, & illa pecunia in usu Ecclesiæ ipsius, ubi Pontifex fuit, ibi sit firmata usq; in perpetuum.* Item. *Etsi Episcopus contra aliquem culpabilis apparet, non præsumat eum occidere, quia summus Pontifex est, sed mallet, id est indicet eum* ante Regem vel Ducem, aut ante plebem suam; *& si convictus crimine, negare non possit, tunc secundum Canones ei judicetur. Si talis culpa est, ut deponatur, deponetur, aut exilietur de homicidio, de fornicatione, de consensu hostibus. Si infra provinciam inimicos invitaverit, & eos prodere voluerit, quos salvare debuit, pro istis culpis damnetur.* Hic clare apparet, quis olim Episcopos elegerit, eisque Episcopatus tradiderit, nempe vel politicus magistratus, vel totus populus ejus loci, non soli Canonici aut Pontifex, ut nunc fit.

Secularis jurisdictio in rebus Ecclesiasticis.

LXXVI. Ve-

LXXVI. *Vetera carmina.*

VAlentinus Muntzerus in sua Chronographia testatur, hosce sequentes versus de ruina Papæ, fermè ante 1000. annos ab aliquo pio ac docto homine conscriptos, & nunc in *vetusto libro* inventos:

Roma diu titubans, longis erroribus acta,
Decidet, & mundi desinet esse caput.
Ecclesiæ censura, fides, dissessio Romæ,
Regnaq; de medio sunt removenda prius.
„ *Qui latet error, erit publicus: connubia fœda*
„ *Fiunt, tolletur hinc pudor, inde timor.*
„ *Post homo peccati veniet, quem spiritus oris*
„ *Christi perdet, erit postq; suprema dies.*

Primos duos versiculos, duobus tantum verbis veritatis, Fridericus secundus Papæ misit, ut suo loco postea dicam. Si porrò sunt divino spiritui tribuendi prædicti versus, erit aliqua difficultas eos ad eventum applicare; & tamen clarè testantur, *Romanam Ecclesiam erroribus & fœdißimis libidinibus plenam esse, ac ruituram tandem*, & quod per ea Antichristus exorietur, qui verbo Dei ante *ultimam diem* patefiet & confutabitur.

LXXVII. *S. Huldericus August. Episcopus.*

SAnctus Huldericus Augustanus Episcopus, qui vixit ante annos fermè 700. acerrimè repugnavit Papæ, qui in Germania voluit interdicere Sacerdotibus conjugio. Extat ejus Epistola admodum gravis & pia, in qua non tantum impurissimum cœlibatum spiritualium Papæ tetris verbis depingit, & durissimè insectatur, conjugiumque Sacerdotum firmiter defendit; sed etiam in tyrannidem Cleri, Prælatorum & Episcoporum invehitur. Scripturæ autoritatem contra hominum scripta defendit, & alios quosdam Papisticos abusus seriò reprehendit. Narrat passim exhiberi tetra exempla castitatis clericalis. Dicit bis tum *Sacerdotes, tum etiam magnos Prælatos, atq; adeò Episcopos, præsertim in Italia, adeò libidinosos esse, ut non tantum à virginibus ac conjugatis sibi non abstineant; sed etiam cum consanguineis, cum masculis, atq; adeò cum brutis,* (proh nefas) *sese fœdè commisceant.* Narrat etiam planè dignam memoratu historiam, quòd divus Gregorius Papa primùm quidem mandaverit cœlibatum Sacerdotibus; postea verò, cum fortè aliquando in piscinam quandam piscatum misisset, ibique ad 6000. capitum, submersorum infantium inventa fuissent, videns id ex suo violento cœlibatu prodiisse, ex imoq; pectore dolens ac ingemescens, statim suum mandatum abrogarit, recitataque

Certamen cum Pontifice Nicolao de conjugio Sacerdotum.

Pauli

Pauli ſententia, *Melius eſt nubere quàm uri, adjeciſſe; Melius eſt nubere, quàm cædis cauſam præbere.* Si tantæ tamque tetræ libidines, totque horribiles cædes ex iſto præclaro Papiſtarum cœlibatu jam olim fermè ante 1000. annos prodierunt; quid, quæſo te pie Lector, ab eo tempore uſque ad nos factum eſſe putas, creſcentibus omnium hominum ſceleribus, & præſertim numero, opibus, ocio & impunitate Sacerdotum? Lege ipſam Epiſtolam; non pigebit operæ. Invenitur verò adhuc hæc Epiſtola in vetuſtis membranaceis libris. Teſtatur & Æneas Sylvius in ſua peregrinatione, & Germaniæ deſcriptione Sánctum Huldericum Auguſtanum Epiſcopum, Papæ cœlibatum promoventi reſtitiſſe. Apparet autem ex hac Epiſtola, quòd tunc temporis adhuc conjugium Sacerdotum in uſu fuerit; quodque Papæ primatus, vel potius impia tyrannis, nondum ita invaluerat, ut nefas putaretur, ſi eum etiam aliquis infimus Epiſcopus peccantem gravius & aſperius admonuiſſet, & objurgaſſet; ut poſtea judicatum eſt, & in primis hoc tempore apud iſtius Antichriſti cultores habetur. Sed adjiciamus ſanè ipſam Epiſtolam Hulderici.

Reſcriptio ſancti Hulderici Epiſcopi Auguſtenſis, in qua Nicolao Papæ, de Continentia Clericorum non juſtè, ſed impiè, non canonicè, ſed indiſcretè tractanti, ita reſpondit.

* Extat Cent. 9. Lect. Memor. VVolfii p. 241, 242, 243. Abbat. Urſpergenſis Paralipom, p. 436. 437, 438.

Nicolao Domino & Patri pervigili, S. Rom. Eccleſiæ proviſori Huldericus ſolo nomine Epiſcopus, amorem ut filius, timorem ut ſervus.

CVm tua, ô Pater & Domine, Decreta ſuper Clericorum continentiam nuper mihi tranſmiſſa, à diſcretione invenirem aliena, timor quidam turbavit me cum triſtitia; timor quidem propter hoc, quòd dicitur, paſtoris ſententiam, ſive juſtam, ſive injuſtam, timendam eſſe. Timebam enim infirmis ſcripturæ auditoribus, qui vel juſtæ vix obediunt ſententiæ, ut juſtam conculcantes liberè onerofa, imò importabili paſtoris prævaricatione præcepti ſe obligarent. Triſtitia verò vel compaſſio, dum dubitabam, qua ratione membra cavere poſſent, capite ſuo tam gravi morbo laborante. Quid enim gravius, quid totius Eccleſiæ compaſſione dignius, quàm te, ſummæ ſedis Pontificem, ad quem totius Eccleſiæ ſpectat examen, a ſancta diſcretione vel minimum exorbitare? Non parum quippe ab hac deviaſti, dum Clericos, quos ob continentiam conjugii monere debebas, ad hanc imperioſa quadam violentia cogi volebas. Nunquid enim meritò communi omnium ſapientum judicio hæc eſt violentia, cum contra Evangelicam inſtitutionem, ac ſancti Spiritus dictationem, ad privata aliquis Decreta cogitur exequenda?

Cum

Cum ergo plurima Veteris ac Novi Testamenti suppetant exempla, sanctam, ut nosti, discretionem docentia, tuæ rogo ne grave sit paternitati, vel pauca ex pluribus huic paginæ interseri. Dominus quidem in veteri Lege Sacerdoti conjugium constituit, quod illi postmodū interdixisse non legitur. Sed in Evangelio loquitur: ***Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, sed non omnes hoc verbum capiunt; qui potest capere capiat.*** Quapropter Apostolus ait: ***De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.*** Quòd etiam juxta prædictum Domini non omnes hoc consilium capere posse consideras, sed multos ejusdem consilii assentatores, hominibus, non Deo, pro falsa specie continentiæ placere volentes, graviora vides committere, patrum scilicet uxores subagitare, masculorum ac pecudum amplexus non abhorrere, ne morbi hujus aspersione adusque pestilentiam convalescente, nimirum status labefactetur Ecclesiæ totius: Propter fornicationem, dixit, unusquisque suam uxorem habeat. Quod specialiter ad Laicos pertinere, iidem mentiuntur hypocritæ; qui licet in quovis sanctissimo ordine constituti, alienis revera uxoribus non dubitant abuti. Et quod flendo cernimus, omnes in supradictis sæviunt sceleribus. Hi nimirum non Scripturam rectè intellexerunt, cujus mamillam quia durius pressere, sanguinem pro lacte biberunt. Nam illud Apostolicum, ***unusquisq; suam habeat uxorem***, nullum excipit verè, nisi Professorem continentiæ, vel eum qui de continuanda in Domino virginitate præfixit. Quod nihilominus tuam, Pater venerande, condecet strenuitatem, ut omnem qui tibi manu vel ore votum faciens continentiæ, postea voluerit apostatare, aut ad votum exequendum ex debito constringas, aut ab omni ordine canonica autoritate deponas: & hoc ut viriliter implere sufficias, me omnesque mei ordinis viros adjutores habebis non pigros. Verùm ut hujus voti nescios omnino scias non esse cogendos, audi Apostolum dicentem ad Timoth. ***Oportet***, inquam, ***Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum***, quam ne quis sententiam ad solam Ecclesiam verteret, subjunxit: ***Qui autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*** Similiter, inquit, ***Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis benè præsint, & suis domibus.*** Hanc autem uxorem à Sacerdote benedicendam esse, sancti Sylvestri Papæ Decretis scio te sufficienter docuisse. His & hujusmodi sanctis Scripturæ sententiis, Regulæ Clericorum scriptor non immeritò concordans, ait: ***Clericus sit pudicus, aut certè unius matrimonii vinculo fœderatus.*** Ex quibus omnibus veraciter colligit, quòd Episcopus & Diaconus reprehensibiles notantur, si in mulieribus multis dividuntur, si verò unam sub obtentu Religionis abjiciunt, utrunque, scilicet Episcopum & Diaconum, sine graduum differentia, hic Canonica damnat sententia: Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abjiciat: si verò rejecerit, excommunicetur; & si perseveraverit, dejiciatur. Sanctus quoque Augustinus, sanctæ discretionis non inscius: ***Nullum***, inquit, ***tam grave facinus est, quin admittendum sit, ut devitetur peius.*** Legi-

Mala ex interdicto conjugio.

mus præterea in secundo Tripartitæ Ecclesiasticæ libro historiæ, quòd cum Synodus Nicæna hæc eadem vellet sancire Decreta, ut videlicet Episcopi, Presbyteri, Diaconi, post consecrationem à propriis uxoribus vel omnino abstinerent, vel gradum deponerent; surgens in medio *Paphnutius*, ex illis Martyribus, quos Maximus Imperator, oculis eorum dextris evulsis, & sinistris suris incisis, damnavit, contradixit, honorabiles confessus nuptias, ac castitatem esse dicens connubium cum propria uxore: persuasitque Concilio, ne talem ponerent legem: grávem asserens esse causam, quæ aut ipsis, aut eorum conjugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum expers, exposuit: Synodusque ejus sententiam laudavit, & nihil ex hac parte sancivit, sed hoc in uni cujusque voluntate, non in necessitate dimisit. Sunt verò aliqui, qui sanctum Gregorium suæ sectæ sumunt adjutorium; quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo; ignorant enim, quòd periculosum hujus hæresis Decretum à S. Gregorio factum, condigno pœnitentiæ fructu postmodum ab eodem sit purgatum. Quippè cùm die quadam in vivarium suum propter pisces misisset, & allata inde plus quàm sex millia infantum capita videret, intima mox ductus pœnitentia ingemuit, & factum à se de abstinentia Decretum, tantæ cædis causam confessus, condigno illud, ut dixi, pœnitentiæ fructu purgavit: suoque Decreto prorsus damnato, Apostolicum illud laudavit consilium, *Melius est nubere quàm uri.* addens ex sua parte, Melius est nubere, quàm mortis occasionem præbere. Hunc forsitan rei eventum si illi mecum legissent, non tam temerè, credo, judicarent, Dominicum saltem timentes præceptum: *Nolite judicare, ut non judicemini.* Inde Paulus dicit: *Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit, stabit autem, potens est enim Dominus statuere illum.* Cesset ergo sanctitas tua cogere, quos tantùm deberet admonere: ne privato, quod absit, præcepto, tam veteri quàm novo contrarius inveniaris Testamento. Nam, ut ait sanctus Augustinus ad Donatum, solum est quòd in tua justitia pertimescimus, ne non pro lenitatis Christianæ consideratione, sed pro immanitate facinorum censeas coercendum: quod te per ipsum Christum ne facias obsecramus, sic enim peccata compescenda sunt, ut supersint quos peccasse pœniteat. Illud & Augustini volumus te recordari, quod ait: *Nihil nocendi fiat cupiditate, omnia consulendi charitate: & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter.* Item de eodem: *In timore Christi, in nomine Christi exhortor, quicunque non habetis temporalia, habere non cupiatis: quicunque habetis, in eis non præsumatis. Dico autem, non si ista habetis, damnamini; sed si in istis præsumatis, damnamini si propter talia magni vobis videamini, si generis humani conditionem communem propter excellentem unitatem obliviscamini.* Quod nimirum poculum discretionis ex illo fonte Apostolicæ hauseritis prædicationis: *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem: alligatus es uxori, noli quærere solutionem*, ubi & subditur: *Qui habent uxores, tanquam non habentes; & qui utuntur mundo, tanquam non utantur.* Item dicit de vidua: *Cui vult nubat, tantum in*

Paphnutii Zelus pro conjugio.

Sex millia Capitum in Vivario inventa.

in Domino. Nubere autem in Domino est,nihil in contrahendo connubio,quod Dominus prohibeat, attentare. Hieremias quoque ait : *Nolite confidere in verbis mendacii,dicentes: Templum Domini,templum Domini,templum Domini est.* Quod Hieronymus exponens : Potest, inquit,& hoc illis virginibus convenire,quæ jactant pudicitiam suam impudenti vultu: præferunt castitatem, cum aliud habeat conscientia: & nesciunt illam Apostoli definitionem de virgine, ut sit sancta corpore & spiritu. Quid prodest corporis pudicitia,animo constuprato: si cæteras virtutes,quas Propheticus sermo describit,non habuerit? Quas quidem, quia te aliquatenus habere videmus,& quia discretionem, licet in hac re neglectam, in aliis tamen vitæ tuæ constitutionibus eam honestè conservatam non ignoramus: hujus intentionis pravitatem citò correcturum non desperamus. Et ideo non quanta possumus gravitate, istam licet gravissimã negligentiam corripimus, & judicamus. Quanquam enim secundum vocabula, quæ usus obtinuit,sit Episcopatus presbyterio major,tamen Augustinus Hieronymo minor est, & à minori quolibet non est refugienda vel dedignanda correptio, præsertim cum is qui corripitur, & contra veritatem,& pro hominibus,niti invenitur. Neque enim,ut ait sanctus Augustinus ad Bonifacium,quorumlibet Disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorũ virorum,velut scripturas Canonicas habere debemus: ut non liceat salva honorificentia,quæ illis debetur, aliquid in eorum scriptis improbare atq; respuere,si fortè invenerimus,quòd aliter senserit,quàm veritas habeat, divino adjutorio vel ab aliis intellecta,vel à nobis. Quid autem veritati magis contrarium potest inveniri,quàm hoc, cum ipsa veritas de continentia loquens, non unius hominis, sed omnium planè,excepto numero,Professorum continentiæ dicat: Qui potest capere,capiat, quòd isti unde nescitur instigari dicant : Qui non potest capere, feriatur anathemate? Quid verò per homines fieri potest stolidius?quid divinæ maledictioni obligatius,quàm cum aliqui, vel Episcopi videlicet,vel Archidiaconi,ita præcipites sint in libidinem,ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum (proh pudor) turpissimos amplexus sciant abhorrere, quòd casta Clericorum conjugia sibi dicant fœtere,& ab eis non veræ justitiæ compassione Clericos ut conservos cogant vel moneant continere, sed ut servos jubeant ac cogant abstinere? Ad cujus imperii,ne dicam consilii,tam fatuam, tamque turpem addunt suggestionem, ut dicant: ***Honestius est pluribus occultè implicari, quàm apertè in hominum vultu & conscientia cum una ligari.*** Quod profectò non dicerent, si ex illo & in illo essent, qui dicit: ***Væ vobis Pharisæis, qui omnia facitis propter homines.*** Et per Psalmistam : ***Quia hominibus placent, confusi sunt, quoniam Dominus sprevit eos.*** Hi sunt homines,qui prius deberent nobis persuadere, ut in conspectu ejus, cui omnia nuda & aperta sunt,erubescamus peccatores esse, quàm in conspectu hominum mundi esse. Licet ergo meritò suæ pravitatis nullius consilium mereantur pietatis, nos tamen memores humanitatis divinæ, eis consilium authoritatis nunquam à

pietate vacantis, per viſcera miniſtramus charitatis. Dicimus nempe: Ejice primùm hypocrita trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies ut ejicias feſtucam de oculo fratris tui. Illud quoque rogamus eos attendere, quod Dominus dicit de meretrice: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat, quaſi diceret: Si Lex jubet, ſi Moſes jubet, jubeo & ego, ſed competentes legis miniſtros exigo. Attenditis, quid additis: attendite quæſo & quid eſtis: quia, ſi te ipſum, ut ait Scriptura, perſpexeris, nulli unquam detraxeris. Significatum eſt nobis etiam de quibuſdam eorum, qui tanta apud ſe intumeſcant elatione, ut gregem Domini, pro quo boni paſtores animas non dubitant miniſtrare, iſti verberibus abſque ratione præſumant laniare, quorum ſententiam S. Gregorius deplorans ait: Quid fiet de ovibus, quando paſtores lupi fiunt? Sed quis vincitur, niſi qui ſævit? quis verò perſecutorem judicabit, niſi qui dorſum ſuum ad flagella patienter miniſtravit? Operæ precium eſt autem, ut audiatur, quo fructu tantum Eccleſia Dei ſcandalum, tantum clerus deſpectum, & ab ipſis Epiſcopis, & ab eorum infidelibus patiatur. Nec enim eos infideles dicere dubitaverim, de quibus Apoſtolus dicit ad Timotheum. *Quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conſcientiam, prohibentium nubere.* Hic eſt autem, ſi diligenter inſpiciatur, totius eorum manipulus zizaniæ, totius Conventus inſaniæ, ut dum Clerici licita unius mulieris conſortia Phariſaico devicti, quod abſit, furore, relinquere coguntur, fornicatores & adulteri & aliarum pravitatum turpiſſimi miniſtri cum ipſis efficiantur. Qui hanc in Eccleſia Dei hæreſim, ſicut cæci duces cæcorum machinantur, ut videlicet illud impleatur, quod Pſal. eis, utpote eorum præſcius erroris, taliter imprecatur: Obſcurentur oculi eorũ ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva. Quia ergo nemo, qui te, ô Apoſtolice, novit ignorat, quòd ſi tu per tui Decreti ſententiam, tantam futuram eſſe peſtilentiam ſolidæ diſcretionis claritate perſpexiſſes, nunquam quorumlibet tam pravis ſuggeſtionibus conſenſiſſes. Debitæ tibi ſubjectionis fidelitate conſulimus, ut vel nunc ad tanti ſcandali ab Eccleſia Dei propulſionem evigiles: & qua noſti diſcretionis diſciplina, phariſaicam ab ovili Dei extirpes doctrinam, ne ſcilicet unica Domini Sunamitis, adulterinis diutius uſa maritis, gentem ſanctam, regale Sacerdotium, per irrecuperabile à ſuo ſponſo Chriſto videlicet avellat divortium: dum nemo ſine caſtimonia non tantum in virginali flore, ſed etiam in conjugali habita conjunctione, viſurus ſit Dominum noſtrum: qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

* Argumenta hujus Epiſtolæ expendit Goulartius Tom. 2. lib. 9. p. 71. ſeqq. eamq; contra varias objectiones aſſerit Calixtus Tr. de conjug. Clericorum.

LXXVI. Hiſto-

LXXVIII. Historici, de Conjugio sacerdotum.

NArrant historici, ***Nauclerus, Cranz,*** & ***Hirsfeldensis,*** anno 1074. gravia certamina fuisse in Germania, de sacerdotum conjugio, cùm Hiltebrandus Papa urgeret Episcopos & Sacerdotes Germanos vehementer, ut abstinerent conjugio & uxoribus, nec illi id facere ullo modo vellent. Ac narrant quidam, inter cæteros etiam ***Otthonem Constantiensem***, de quo postea, & ***Ratholdum Argentinensem Episcopum,*** ei conatui Papæ repugnasse. Nec potuit tunc Papa statim, quod voluit efficere: ita acriter Sacerdotes restiterunt isti iniusto mandato. Ortum est etiam inde schisma: nam & Ecclesiæ aliquandiu sibi elegerunt Pastores sine Episcoporum ordinatione. Nolebant enim Episcopi quenquam ordinare, nisi qui secundum decretum Papæ cœlibatum voveret. Verùm Papa eadem tyrannide, qua & ipsos Cæsares oppressit, tandem Germanis Sacerdotibus conjugium eripuit, suntque vix anni 400. ex quo demum in Germania conjugati Sacerdotes desiverunt. Extat Epistola quædam Synodi Brixiensis ad Hiltebrandum, qua novendecim Episcopi eum officio deponunt: eique inter alia impia facta objiciunt, quòd conjugia Sacerdotum distrahat. Celebrata est ea Synodus circa annum 1070. Sed de hac re postea in Henrico IV. & Hildebrando seu Gregorio VII. aliquid leges non contemnendum.

Polydorus lib. 6. Anglicæ historiæ narrat, coniugia Sacerdotibus in Anglia abrogari cœpta circa annum 970. Libro porrò 5. de Inventoribus rerum testatur, demum circa annum Dom. 1100. Occidentalibus Sacerdotibus conjugium penitus ademptum esse. *Pag. 119. ed. Bas. 1570. cap. 4. p. 400. edit. 1590.*

* Refert Henricus Huntingtonensis lib. 7. A. D. 1101. sub Henrico I. Rege Angliæ, Anselmũ, Archiepiscopum Cantuariensem Londini habuisse Concilium, quo Clericis Anglis nuptias, quæ illis antea non erant prohibitæ, interdixit.

Fuerunt & Syricio Papæ certamina cum Taraconensi Episcopo, aliisque Hispanis Sacerdotibus de conjugio, cum & illi jus conjugii Sacerdotum tuerentur. Sed illa longè antea acciderunt. Verùm de multiplici sanctorum Patrum ac Synodorum defensione conjugii Sacerdotum supra dictum est.

Quin & Lotharium Imperatorem, qui circa annum Domini 855. regnavit, testatur Sigebertus, conjugio Sacerdotum repugnare voluisse. Gebuilerus huius temporis Papisticus scriptor, testatur fuisse tempore Henrici IV. 24. Episcopos, unà cum suo Clero in Germania & Gallia, conjugatos.

Contradicunt huic Epistolæ Papistæ, quasi parum conveniant tempora D. Hulderici, Nicolai Primi aut Secundi; contra tamen omnibus veritatis ac pietatis cupidis, satis illud esse potest. Primùm quod hæc Epistola in hodiernum usque diem invenitur in pervetustis codicibus. Ego ipse duos vidi meis oculis. Deinde

quod Æneas Sylvius aut Pius II. in ſua Germaniæ deſcriptione diſertè affirmat, D. Huldericum Papæ matrimonia Sacerdotum abolenti conſtanter reſtitiſſe. Denique quia Nicolaus Primus vixit uſque ad 870. Domini annum, quo tempore etiam vixit; nam Sylvius videtur indicare, quod 900. Domini anno ſit mortuus; inquit enim de D. Hulderico, qui vixit anno nongenteſimo, ætatis ſuæ octuageſimo tertio. Ipſa ſanè Epiſtola planè Apoſtolicum ſpiritum præ ſe fert, ac teſtatur, ut ſit prorſus digniſſima, quæ diligentiſſimè legatur. Quare pii nihil moveantur cavillationibus & calumniis Papiſtarum. Non negligendum illud quoque eſt, quòd hic ſanctiſſimus Epiſcopus non à Papa, ſed à Rege Epiſcopatum accepit; hæc enim in eius vita leguntur. *Poſt quindecim verò annos defuncto Hiltine Epiſcopo & machinatione nepotis ſui Burcardi Ducis, & aliorum propinquorum ſuorum* Henrico Regi præſentatus eſt, *ejusq; ſublimitati nota facta eſt diſceſſio Epiſcopi, ſupplicatum eſt, ut præfato Domino* Hulderico Epiſcopalis poteſtas *concederetur. Rex verò intuens herilitatem ſtaturæ illius, & comperiens doctrinæ ſuæ ſcientiam, petitioni eorum aſſenſum præbens, regio more, in manus eum accepit, muneréq; Pontificatus honoravit. His verò ita peractis, hilari animo à Rege revertentes, & ad Auguſtum pervenientes ſecundum Regis dictum, poteſtativa manu inveſtituram Epiſcopatus ſibi perfecerunt.* Hinc cernimus tunc Reges ac Cæſares, non Papas, diſtribuiſſe Epiſcopatus, eoque non ita magnam Romanorum Pontificum authoritatem in Germania fuiſſe, quæ tandem eorum ambitione in immenſum crevit.

LXXVIII. Beſeritæ.

BEſeritæ inter hæreticos numerantur, quos ajunt originem ſuam à Beſer quodam, qui ante 800. annos vixit, accepiſſe. His vicio datur, quòd damnaverint *Imagines & earum cultum.* O grave ſcelus. Credo fuiſſe pios homines, qui creſcenti ſuperſtitioni circa idola reſiſtere ſunt conati, ſi non majores aliquos errores habuerunt; nam nulli eis alioqui objiciuntur, quòd ego ſciam.

* VVolfius Cent. VIII. Lect. Memorab. p. 210.

LXXIX. Archiepiſcopi Conſtantinopolitani.

ARchiepiſcopi Conſtantinopolitani, ut teſtantur hiſtorici, aliquandiu uſurparunt ſibi primatum, comprobante tertia & quarta univerſali Synodo, *univerſalesq; Epiſcopi* nominati ſunt; nihil minus quam Romanis Pontificibus ſolis id tituli ac dignitatis concedere volentes. Quanquam nec uſurparant quidem planè propalàm unquam ante Gregorium (quod annis fermè ſexcentis poſt Chriſtum accidit) ſibi Epiſcopi Romani eam dignitatem, niſi quòd ſextæ Africanæ Synodi tempore accidit, ut alibi diximus. Vide Epiſtolas Gregorii, unde clarè appa-

apparet, planè ignotum fuisse primitivæ Ecclesiæ, quòd Romanus Episcopus habeat primatum super omnes Ecclesias, quodque habeat jus utriusque gladii super totum terrarum orbem. Si enim notum receptumque fuisset istud Papæ jus ac potestas, quomodo ausus fuisset Constantinopolitanus Patriarcha id sibi usurpare? Sed rapuerunt tandem sibi Romani Pontifices eam dignitatem, adjuvante eos parricida seditiosoque tyranno Phoca, licet summa vi Græci contrà repugnarent. Verùm de primatu Constantinopolitani Patriarchæ supra in Concilio Chalcedonense plura dixi.

Audio quoque hodierna die extare versus in æde Laterana alicubi in pariete scriptos, qui non divinum, sed humanum jus pro Papæ primatu jactent. Stultissimi autem fuissent Romanistæ, si humanum jus ibi citarent, ubi divinum se habere non dubitarent.

LXXX. *Claudius Altisidiorensis, seu Clemens Scotus.*

CLaudius Altisidiorensis, seu Claudius Clemens Scotus, floruit circa 800. annum, vir eruditus, pius ac prudens, eoque Carolo Magno pergratus. Fuit unus ex præcipuis Parisiensis scholæ instauratoribus, diuque in ea docuit. Is acriter unà cum Adalberto Gallo, teste Balæo, restitit Bonifacio (qui alioqui Germanorum Apostolus vocatur) scripto etiam libro contra eum. Antichristianismum enim potius quàm Christianismum in Germania erigebat. Ac vicissim cum suo socio à Bonifacio plurima est passus, & tanquam hæreticus uterque etiam à Papa excommunicatus. Oppugnavit autem potissimùm Cœlibatum Papisticum, Primatum Papæ, Reliquiarum & Imaginum cultum, aliasq; Papæ imposturas; inter alia quoque, quòd *Papa sibi jus deponendi Reges, solvendiq; juramento fidelitatis subditos, usurpabat*; nam eo tempore transtulerat Papa regnum ab antiqua Meroveorum familia, ad Carolum. Factus tamen est in extremo senio Episcopus Altisidiorensis. Adalbertus autem in Fuldensis monasterii carcere computruit. Facit & Nauclerus prædictorum duorum mentionem. Opinor eundem esse cum Claudio Taurinense, qui, quòd crucem adorandam esse non putavit, hæreseos à Papistis damnatur. Faciam ejus infrà mentionem.

* Cent. VIII. Magdeburg. c. 10. col. 799.

LXXXI. *Alachis, Regulus Longobardorum.*

MVlti tum boni, tum magni viri, spurcissimam longo jam tempore spiritualium vitam magnopere detestati sunt. Lepida tamen in primis historia de Alachi, Longobardorum Regulo, narratur, ad quem cum prope Ticinum ab Episcopo Diaconus esset missus, cuperetq; is se ad Regem intromitti, respondit Alachis,

Patere

Patere ei accessum, si modò femoralia haberet munda. affirmantique Diacono, se munda habere, quippe qui nuper lota induerit; declaravit, se non de subligari loqui, sed de eo quod intus esset, & contineretur. Idem, cum contra eum spirituales bellum excitassent, ac insuper sacrificulus, quidam armis Ducis suæ partis ab Alachi provocati, indutus ab eo, occisus, agnitusque esset, vehementius indignatus vovit, si vicerit, se integrum puteum Clericorum testiculis impleturum. Ita longissimo tempore jam nulli sano non summè exosus fuit impurissimus iste spiritualium cœlibatus; quippe cum illi, præsertim in Italia, teste divo Hulderico, jam olim se non tantum non à masculorum & cognatarum, sed etiam nec à pecorum quidem commixtione abstinuerint. Vixit autem Alachis fermè ante 1000. annos. Recitatur alioqui historiâ Longobardorum, quod quidam sacrificus Reginam contaminaverit, cui Rex omnia pudenda præcidi imperaverit.

LXXXII. Prophetia, Gallorum levitas, &c.

VVlgò habetur & celebratur Prophetia quædam, cuius initium est; *Gallorum levitas, &c.* Ea prædicit, Cæsarem quendam latè ac longè regnaturum, ejusque tempore cessaturam gloriam vani Cleri. Sic enim inquit:

——— ——— Cæsar regnabit ubiq;,
Sub quo tunc vani cessabit gloria Cleri.

Intelligit de Papistico clero, *seu de spiritualibus Papisticis,* quod experientia testatur; nam ipsi nunc regnante latissimè Carolo V. nonnihil in ordinem rediguntur. Vocat autem Papisticum clerum, vanum clerum, haud dubiè non tantum propter vitæ turpitudinem, sed & inprimis propter vanitatem religionis, cuius ministri fuerunt. Quare hic non hominis qualiscunque testimonium habemus, de Papisticæ religionis vanitate; sed eiusmodi hominis, qui etiam longius prospicere cæteris mortalibus, atque adeò futura Dei Spiritu prævidere potuit. Aliqui tribuunt hanc Prophetiam D. Brigittæ. Multi certè testantur inveniri eam in valde vetustis exemplaribus. Credo ante multa secula conscriptam esse.

* Goulartius T. 2. l. 9. p. 136.

LXXXIII. Sidonius Apollinaris.

SIdonius Apollinaris Episcopus Gallicus, queritur in quodam scripto, ambitione & avaritia Episcoporum *Christianitatem* in ingentes calamitates adduci.

LXXXIV. Bonifacius, Germanorum Apostolus.

HVnc Bonifacium à multis *Germanorum Apostolum* dictum, non eò meo Catalogo

Catalogo in sero, quòd ipse in ulla re Papisticis erroribus restiterit, nisi quòd in quadam epistola indicat Papæ, *quosdam abusus Romanistarum*, quibus Germani, qui Romæ fuerant, scandalizarentur, & temerarias quasdam ejus dispensationes; sed ut habeam occasionem dicendi de statu religionis, qui tunc in Ecclesiis Germanicis fuerit.

Fuerat sanè jam olim circa Apostolorum tempora religio Christiana in Germania sparsa, creveratque etiam postea magis: nam & Patres quidam *Germanicarum Ecclesiarum* meminerunt, præsertim Irenæus, & Aventinus testatur, discipulos Apostolorum in Germania docuisse. Sed Papis nihil satis Christianum erat, quod non simul etiam Romanum esset. Quare misit hunc suum *Pseudoapostolum Gregorius Secundus*, qui circa annum Domini 715. sedit in Germania, cum plenissimis seu turgidissimis bullis, ut Germanos magis ad Papam quàm Christum converteret.

Balæus scribit in suo Catalogo, huic Bonifacio omnia in Romanæ Ecclesiæ formam commutanti, sese opposuisse doctos quosdam viros, scilicet *Clementem Scotum, & Adalbertum Gallum*, qui librum contra eum edidit. Sed Bonifacium illos sua & Papæ quoq; excommunicatione damnasse, & in carcerē Adalbertum in Fuldensi monasterio conjecisse, ubi & computruit ille bonus ac pius vir. Epistola quædā Zachariæ Papæ nominat illos Episcopos, nec objicit eis hæresim, sed tantum, *schisma*, haud dubiè propterea, quòd in nullis fidei articulis erraret, sed tamen interea nō omnia approbarēt, quæ Papista Bonifacius agebat. Vtinā ille liber Adalberti extaret.

Sanè apparet ex Epistolis hujus Bonifacii ad Papas, & illorum responsionibus, eum non minus de Papæ, quàm de Christi regno promovendo solicitum fuisse; nam in suo juramento, quo se Romanistis obligat, clarè hoc inter alia ponit: *Sed fidem ac puritatem meam, ut dixi, atque concursum tibi & utilitatibus tuæ Ecclesiæ exhibebo.* Sic ergo Malefacius docuit, ut præcipuè utilitatem Papæ & Romanæ Ecclesiæ quæreret. Extat inter alias etiam una Epistola Gregorii Secundi ad istum Bonifacium, in qua hæc verba leguntur, & citantur etiam 13. q. 2. *Pro obeuntibus quippe consuluisse dignoscere) si liceat oblationes offerre, Sancta sic tenet Ecclesia, ut quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, atque Presbyter eorum memoriam faciat.* Vnde profectò multa observatu dignissima intelligi possunt. Primùm, oblationes pro mortuis non perinde fuisse in usu olim, ac jam sunt. Ignorat enim oblationes pro mortuis tantus Papæ Apostolus, quas jam ne rustici quidem ignorant, utpote quorum facultates non parum per Missas pro mortuis exhauriantur. Deinde clarè etiam hinc animadverti potest, cujusmodi tunc fuerit ratio offerendi pro mortuis; nempe talis, ut quisque offerret in templo quamcunque rem utilem ad victum & amictum vellet, aut haberet, idque se offerre pro suis mortuis diceret; Sacerdos autem in publica precatione eorum mentionem faceret, non uti ipsum sacramentum longè in alium usum

institutum pro eis offerretur, quod etiam ex aliorum antiquorum scriptis animadverti potest.

Quæsivit quoque hic idem doctissimus Apostolus à Papa, *quando sit laridum comedendum?* Papa respondit, *tunc comedendum, cum vel fumo siccatum, vel alioqui coctum fuerit.* Ridiculum hoc valdè est; sed tamen apparet hinc, & ex aliis quæstiunculis Papæ ab eo propositis, quàm præclaris pascuis oves Christi hic lupus in Germania paverit; nempè inanissimis cærimoniis, & vanissimis traditiunculis, & in primis studio obediendi Rom. *Pontificibus* sicut ipsemet *Malefacius* de sese scribit ad Zachariam Papam inquiens: *Quantoscunq; audientes vel discipulos in ista legatione mihi Deus donaverit, ad obedientiam Apostolicæ sedis* IRRITARE *& inclinare non cesso.* Hic igitur Christiane Lector perspicis, quali Chrtstianismo Bonifacius iste Germanos imbuerit, nempe quòd eos ex Christi cultoribus Papæ cultores effecit. Ajunt tamen, eum aliquos ex Ethnicismo convertisse. Fieri sanè potest. Subinde enim aliqui convertebantur tum ante ejus nativitatem, tum etiam post ejus mortem.

Aventinus libro Bavaricorum annalium quarto scribit, valdè multos Sacerdotes sese huic Bonifacio, ritus Romanos Germanicis Ecclesiis obtrudenti, opposuisse, eumque etiam in publicis Concionibus accusasse, *quòd sit mendaciorum author, Christianæq; religionis ac pacis perturbator & corruptor*; sed partim carceribus, partim Pontificis ac Regis authoritate repressos & oppressos esse. Omnino verisimile est, eos non sine causa ei repugnasse. Constat enim, Clementem, Albertum, Samsonem, Sidonium Archiepiscopum, D. Virgilium, & alios quosdam Bonifacii adversarios fuisse, viros eruditione ac pietate cum primis celebres ac præstantes.

Scripsit Zacharias Papa ad hunc Bonifacium; & postea Bonifacius in quadam sua Synodo confirmari Decreto curavit, ne ullo modo Sacerdotibus arma gestare, aut pugnandi causa ad bellum proficisci liceat. Sed adscribam ipsum decretũ. Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitũ & in hostem pergere, omnino prohibemus. Nisi illis tantummodo, qui propter divinum ministerium, Missarum scilicet solennia adimplenda, & sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt, id est, ut unum vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris, princeps secum habeat. Et unusquisq; præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare pœnitentiam possit. Nec non & illas venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus, omnibus servis Dei interdiximus; similiter accipitres & falcones non habeant. Vtinam hoc idem etiam nostris temporibus servaretur. Pleraque enim bella jam 500. annis, à sacrificulis & excitata & gesta sunt. Quietiores profecto res non parum in Christianitate haberemus, firmiorique pace Deo juvante perfrueremur.

Sunt tamen in hujus Epistolis nondum editis quædam memorabilia contra Papam; nam quomodo *peregrinationes*, improbaverit ac dissuaserit, in titulo

Cano-

Canonum de peregrinationibus ostensum est. Quod etiam *ad primatum* attinet, licet ipse eum sedulò promoverit, tamen ostendit valdè ea de re ab Episcopis & Regibus Francorum disputatum fuisse; hæc enim ejus sunt verba in epistola ad Zachariam Papam: De eo autem, quòd tam præterito tempore de Archiepiscopis, & de palliis à Romana Ecclesia petendis, juxta promissa Francorũ, sanctitati vestræ notum feci, Indulgentiam Apostolicæ sedis flagito, quia quod promiserunt, tardantes non impleverunt, & adhuc differtur, & ventitatur, & quid inde perficere voluerint, ignoratur. Sed mea voluntate impleta esset promissio. Item in Epistola ad Gudebertum dubitanter quasi primatum Papæ ponit; inquit enim, Sic enim, NI FALLOR, omnes Episcopi debent Metropolitano, & ipse porrò Metropolitanus Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere &c. Adjicit, nisi fallor, tanquam qui adhuc de hoc ipso dogmate aut lege dubitet. Monuit item Papas de ipsorũ avaritia & simonia, & Canonũ labefactatione, ut ex hac Zachariæ Papæ ad ipsum Epistola cerni potest. *Suscipiẽtes sanctissimæ fraternitatis tuæ literas per præsentẽ gerulum, & relegẽtes, quæ in eis continebantur, in extasin quandã incidimus, & admirationẽ magnã, eò quòd nimis repertæ sint dissonare, ab eis syllabis, quæ à tua directæ sunt fraternitate, per elapsum Augustũ mensem, ubi nobis indicasti, quod & Conciliũ adjuvante Deo & Carolo Magno præbente consensum & contestante factũ est. Et qualiter falsos Sacerdotes, qui divinum non erant digni attrectare ministerium à sacro munere suspendisti, & quia tres Archiepiscopos per singulas Metropoles ordinasses, id est,* Grimonẽ *in civitate quæ dicitur* Rodanca: *secundũ vero* Abel *in civitate, quæ dicitur* Remi; *Tertiũ deniq;* Hartbertũ *in civitate, quæ dicitur* Semis, *qui & apud nos fuit, & tua nobis pariter & Caroli Magni atq; Pippini detulit scripta, per quæ suggessistis, ut circa pallia iisdẽ tribus prænominatis Metropolitanis dirigere deberemus, quòd & largiti sumus pro adjuvatione & reformatione Ecclesiarum* CHRISTI. *Nunc autem denuò tuas suscipientes syllabas, valdè sumus, ut diximus, mirati, non quòd antea nobis unà cum memoratis Principibus Galliarum, pro tribus palliis suggessistis, & postea pro solo Grimone. Sed volumus, ut nobis tua indicet fraternitas, cur nobis ita direxisti antea pro tribus, & postmodum pro uno, ut & nos certi redditi ex hoc, nulla sit nobis ambiguitas. Reperimus etiam in memoratis tuis literis, quod nimis nostros animos conturbavit, quòd talia à te nobis referantur, quasi NOS CORRUPTORES simus* Canonum, & Patrum *rescindere* traditiones, *quæramus; Ac pro hoc, quod absit à cunctis clericis,* in simoniacam hæresin *incidamus, accipientes & compellantes, quibus* pallia *tribuimus, ut nobis* præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias. *Sed charissime frater, hortamur sanctitatem tuam, ut nobis deinceps tale aliquid minimè tua fraternitas scribat. Quia fastidiosum à nobis & injuriosum suscipitur, dum illud nobis ingeritur, quod nos omnimodo detestamur. Absit enim à nobis & à nostris clericis ut donum, quod spiritus S. gratia suscepimus, venundemus, dum & illa tria pallia, quæ te suggerente, ut prædiximus, sumus largiti, nullum ab eis quispiam commodum expetiit. Insuper* & chartas, *quæ secundum morem à nostro scrinio, pro sua confirmatione*

tione atque dominio tribuuntur, de nostro *concessimus, nihil ab eis auferentes; si quidem, quod à tua fraternitate criminis nobis Symoniaci objicitur, nomen anathematizantes pariterq; omnes, quicunq; ausi fuerint donum S. Spiritus precio venundare.* Ipsius Bonifacii Epistola, qua ei Papæ indicavit, non habetur. Non immeritò autem queritur Papa, se illa Epistola de neglectis aliis duobus palliis, ita perturbatum, quasi in extasin quandam inciderit; agebatur enim de augendo tunc illius regno, & pervicerat id Bonifacius in quadam Synodo, sicut ipsemet in Epistola ad Gutbertum affirmat, uti decerneretur, quòd velint Romano Pontifici subjecti esse, & ab eo pallia petere, id Decretum Synodi maximo cum gaudio Papa Zacharias, ut idem Bonifacius ibidem testatur, susceperat. Quare malè habebat eum nunc denuò in discrimen suum, jam partum supra Gallos ac Germanos regnum vocari.

Improbavit Bonifacius tyrannicam, aut etiam superstitiosam Paparum legem, quod conjugia *inter compatres* (ut vocantur) prohibet. Sic enim quendam Anglicum Episcopum, nomine Nothelimum consuluit: *Homo enim quidam* (inquit) *sicut multi solent, alterius filium de sacro baptismatis fonte elevans, adoptavit sibi in filium, cujus matrem postea viduatam marito duxit uxorem.* Quòd Romani peccatum esse asserunt, *& capitale peccatum: ita, ut in talibus divortia facere præcipiant; & affirment, regnantibus Christianis Imperatoribus, illius matrimonii scelus capitali sententia mulctandum, vel peregrinatione perpetua delendum; ut si hoc in Catholicorum Patrum decretis vel Canonibus, vel etiam in sacro eloquio, pro tam magno peccato computatum esse inveneritis indicare mihi curetis, ut & ego intelligendo cognoscam, cujus authoritas sit in illo judicio; quia nullatenus intelligere possumus, quare in uno spiritualis propinquitas in conjunctione carnalis copulæ, tam grande peccatum sit: quando omnes in sacro baptismate CHRISTI Ecclesiæq; filii & filiæ, fratres & sorores esse comprobemur. Similiter, &c.* Eodem hoc argumento & Lutherus hoc tempore hanc superstitionem evertit. Est autem & hoc memorabile, quòd non voluit esse contentus Papæ decreto, sed & alios Episcopos, Sacras literas, veteremque Ecclesiæ morem sibi consulendum putavit. Reprehendit quoque in alia Epistola ad Papam varios abusus ethnicos quos tunc Romæ habebant, Item dispensationes pravas pecuniæ gratia factas.

* Prolixè de Bonifacii functionibus per diversas Germaniæ partes Centuriatores Magdeburgenses in Epistolâ Dedic. Tom. VIII. & ibidem cap. 10. col. 790. ad col. 803.

LXXXV. Leo, Ravennas Archiepiscopus.

IN Epistola Hadriani 54. ad Carolum Magnum, & aliquot sequentibus, legitur, quod Leo Archiepiscopus Ravennas noluerit obedire Papæ Romano, se sibi insuper principatum super multas Ecclesias vendicaverit. Item, quod idem Sergius ejus antecessor fecerit. Sedit porrò Leo Ravennæ circa 780. annum Domini.

Lit

Litigarunt diu de ea re coram Magno Carolo. Quid tandem sit conclusum non habeo pro certò dicere; Verisimile tamen est, Carolum pronunciasse secundum Papam, cui valdè erat addictus ob fœlicem confœderationem contra Longobardos. Consimiliter etiam postea Ioannes Ravennas Arcihepiscopus circa 860. Domini annum est Papæ reluctatus: sed tamen tandem est oppressus. Ita clarè apparet, Ravennatem Ecclesiam non tantum usque ad 780. Dom. annum reluctatam esse Papæ (quo est vi Gallicorum Regum & tyrannide ejus oppressa, ut supra diximus) sed etiam postea subinde fermè usque ad 900. Dom. annum. Quin & alias multas consuetudines non paulò Romanis meliores & puriores habuit, ut postea in Epistola Cleri Ravennatis aliquatenus dicetur.

Hadrianus qui circa 780. Dom. annum sedit, scripsit multas Epistolas ad Carolum Magnum, inter alias verò in una, quæ est numero 85. vehementer urget, *nullos esse in Episcopos consecrandos, nisi qui sint Canonicè à plebe & Clero electi idq; probat Canonibus Olitanis.* (Repetitur hæc vox aliquoties in ejus diplomatibus, ut non putem eam pro Toletana poni) At hodie aut soli sacrifici eligunt, aut Papæ Episcopatus donant, aut vendunt, cui eis libet, contra omne jus ac privilegium Ecclesiarum.

Error Flacii nam Olitanus hic idem ac antiquus, *ab* olim *deducta voce.*

* Epistolas XLIV. Manuscriptas Hadriani ad Carolum se habere Flacius indicat Cent. VIII. Hist. Eccl. c. 10. p. 739, quarum ibidem refert argumenta.

LXXXVI. Caroli Magni Decreta.

CArolus Magnus, Rex Galliæ & Germaniæ, primusque Germanus Imperator, regnavit circa 800. Domini annum, curavit *quinq; Synodos* celebrari, in quibus multa sunt decreta contra errores & abusus nunc quidem grassantes & regnantes, tunc verò sensim gliscentes & suborientes. Decrevit & ipse per sese tanquam Rex & Imperator multa in eandem sententiam suo arbitrio. Ex iis omnibus Decretis Caroli, & postea filii Ludovici, congessit *Ansegisus Abbas*, qui iisdem temporibus vixit, quatuor libellos suo quodam ordine, qui anno 1550. Parisiis impressi sunt, & anno Dom. 1557. Basileæ recusi. In eo ergo opere sunt, præter multa alia præclara, & hæc Decreta. Quòd *in templis tantum Canonici libri, id est, Sacræ literæ* legi debeant; lib. 2. captite 19. Quòd Episcopi & Parochi debeant docere populum sanam doctrinam ex sacris literis, *& non pati ut quisq; quicquam novi ex suo sensu, quod ex sacris literis non sit desumptum, confingat aut doceat.* Et ibidem hanc sanctissimam exhortationem subjungit: *Ideo dilectissimi* (inquit) toto corde præparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, & divina donante gratia verbum Dei currat, & crescat; & multiplicetur in profectum Ecclesiæ Dei sanctæ, & salutem animarum nostrarum, & laudem & gloria nominis Domini nostri Iesu Christi, Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino

Parisiis itidem anno 1603. ex Bibliothecâ Pithœana.

noſtro Ieſu Chriſto, Amen. lib.1.cap.76. Quòd reditus Eccleſiaſtici inter pauperes & Sacerdotes dividi debent lib.1.cap.80. Ne Clerici præſumant à quoquam accipere ejuſmodi donationem, quæ in magnum damnum liberorum, aut aliorum heredum cadere poſſit. lib.1. cap. 83. Vidit nimirum ille ſapientiſſimus Rex ſacrificios ſolere moribundis cerebrũ excantare, & perſuadere, ut neglectis liberis ſibi magnam ſortis partem, aut etiam totam legent. Eodem primo libro, cap.103. ſub titulo, *De pabulo verbi divini nunciando*, eſt ſanctiſſima lex his verbis expoſita: Epiſcopi verò, ut ſive per ſe, ſive per vicarios, pabulum verbi divini ſedulò populo annuncient. Quia, ut ait Gregorius, iram contra ſe occulti judicis excitat Sacerdos, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit. Et ut ipſi Clerum ſibi commiſſum in ſobrietate & caſtitate nutriant: ſuperſtitiones, quas quibuſdam in locis in exequiis mortuorum nonnulli faciunt, eradicent. Ex hoc Decreto apparet, Carolo, ejusque Concilio non eſſe probatum, quòd Sacerdotes neglecta prædicatione verbi Dei, cœperint Exequiis & Miſſis pro mortuis canendis occupari.

Libro ſecundo cap.38.tit. De corporis & ſanguinis Domini Laicorum communione, eſt Decretum, ut Laici minimum ter in anno communicent. Vadianus in Æoli & Troade, multarum Germanicarum Synodorum, quæ poſt Carolum fuerunt, teſtimonia citat, ex quibus patet, *communionem ſub utraq; ſpecie* fuiſſe in uſu. Sunt & hæc Decreta in prædicto Anſegiſi, ſeu Caroli Magni opuſculo. Quòd Sacerdotes non debeant ordinari, niſi prius rectè examinati fuerint. Quòd excommunicatio temerè & ſine gravi cauſa fieri non debeat, citaturque 24.q.310. Quòd omnis Simoniacus ingreſſus ſit cavendus; quodque *Epiſcopi* ſecundum Canones à POPULO & Clero ſuo, ſine ullo reſpectu perſonarum, habita tantum meriti, vitæ & doni ſapientiæ ratione, eligi debeant, ut exemplo & doctrina populum inſtruere poſſint. Hoc Decretum & *Gratianus diſt. 63. recitat.* Verba ejus ſunt hæc: *Sacrorum Canonum non ignari, ut Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſcenſum ordini Eccleſiaſtico præbemus: ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & populi ſecundum ſtatuta Canonum de propria dioceſi (remota perſonarum ac munerum acceptione) ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubjectis uſquequaque prodeſſe valeant.*

Cent. 8. Magd. c. 6. col. 369.

Quòd nemo debeat profiteri monachum, niſi petita à Rege venia, propter multas fraudes, &c.

Quòd pueri ac puellæ non debeant ante maturam ætatem intrudi in monaſteria. Maturam autem ætatem facit annorum 25.

Quòd Sacerdotes paterno affectu plebem & auditores regere debeant. Ad cantum & pſalmodiam ac liturgiam Romanam ſolum monachos obligavit, alios Sacerdotes minimè. Quod eſt memorabile.

Valde item pauca feſta Carolus celebrari voluit, nempè *diem Dominicum, Paſcha, cum præcedente hebdomada; Pentecoſten; Petri & Pauli; Nativitatem Baptiſtæ Aſſum-*

Assumptionem Mariæ; Remigii; Martini; Andreæ; Natale Domini; & sequentes dies quatuor, Epiphaniam, Purificationem; & eorum martyrum festa, in suis tantum locis celebrari voluit, ubi corpora eorum jacerent.

Luxum sacrificorum & omnem planè eorum licentiam, ut Ansegisus refert, vehementer coercuit.

Statuit item de voluntate ac consensu totius sui regni, ne *Sacerdotibus in bellum pugnandi causa ire liceat*, sed tantum docendi & procurandæ Religionis gratia; tunc ægerrimè sacrifici tulerunt, questique sunt, sic suas libertates ac jura imminui: ut ex ipso Decreto, cujus verba adscribam, apparet. *Quòd denique instigante antiquo hoste, audivimus quosdam nos suspectos habere, propterea quòd concessimus Episcopis & Sacerdotibus ac reliquis Dei servis, ut sicut in prioribus nostris continetur capitularibus, ne ad pugnam properarent, nec arma ferrent, nec homines tam Christianos quàm paganos necarent, nec agitores sanguinum fierent, vel quicquam contra Canones facerent. Quod honores Sacerdotum & res Ecclesiarum auferre, vel minorare eis voluissemus, quod nullatenus facere velle, vel facere volentibus consentire, omnes scire cupimus; sed quantò quis eorum amplius suam normam servaverit, & Deo servierit, tantò eum plus honorare, & chariorem habere volumus.* Statuerat idem annis compluribus antè & *Carolomannus, patruus Caroli*, in quadam Synodo, præsente & approbante *Bonifacio Germanorum Apostolo*, sicut in Bonifacio id commemoravi, ac Decretum recitavi.

De Episcopis Italiæ tanquam, qui cæteris meliores erant, propriam legem tulit, cujus hæc sunt verba. *De Episcopis verò in Longobardia constitutis, qui ab his quos ordinabant Sacramenta, & munera contra divinam, & canonicam autoritatem accipere vel ex gere soliti erant, modis omnibus inhibitum est, ne ulterius fiat, qui juxta sacros Canones uterque gradu propria talia facientium dejici debent.* Sed adscribam quædam de Caroлo, quomodo sese erga Sacerdotes gesserit, ex Aventino: *Præcepit etiam, ut monachi, Sacerdotes literis operam sedulò darent, emendatè & rectè scriberent, in omnibus contuberniis monachorum & Episcoporum ædibus pueros docerent. Mendicis palantibus vetuit quicquam tribui, suos quamque regionem inopes alere; sanos & validos labore victum quæritare, ac desiderio sufficere manus jussit. Idcirco opes Ecclesiasticas in locupletoribus templis in tres divisit partes*, duas *egenis*, tertiam *Sacerdotibus attribuit. In ædibus augustioribus donaria æqua lance inter egenos & Sacerdotes bipartitus est.* Author & aliarum legum fuit, in quibus cavit. *Ne temerè & passim sacrificiis interdiceretur; nevé cadavera in fanis humarentur; neu Sacerdotes avaritiæ. Venerique dediti essent; ut Pontifices officio publicè in templo docendi plebem fungerentur: ut Sacerdotes avaritiam, gulam, cauponas, negocia prophana, familiaritatem mulierum evitarent, aut sacerdotio cederent, aut tribu moverentur; ut fures, homicidæ & hujusmodi crimina committentes, si ad asylum, templumúe fuga elapsi forent, repeterentur, atque vi eriperentur. Quòd si quis Monachorum, Pontifexve, præfectusve illos reddere recusaret, satisdare damni infecti, compensandique præstare promitteret; si illorum quispiam aufugisset,* id

Lib. 4. Annal p. 279. edit. Basil. 1580.

id non sua opera esse factum, juraret. Ius *assiduè summa dil gentia dixit, nonnunquam manè dum indueretur; tanti temporis jactura apud eum erat.* Nulli *plures Ducatus, præfecturasq; aut sacerdotia concessit; dictitans, sibi & alios demerendos, beneficiisq; oppignorandos esse.* In Episcoporum Senatum *haud temerè quempiam adlegit; eruditionem atq; bonitatem in cooptandis illis potissimum spectavit.* Neminem, nisi antea sibi probatum & cognitum, creavit, *nam eum ordinem ad pristinum modum, & splendorem à D. Paulo præscriptum reduxit.* Curiosè cavit, ne quis avarus, aut ambitiosus, luxuve perditus, unquam *Pontificalem apicem* adipisceretur. Hyldegardæ Reginæ *petenti pro sacrificulo suo, ac idem Proceribus aulæ rogantibus, respondit:* Idoneo, etsi pauperi, jam destinavi. Imperatorem mentiri aut falli non decet, ut obtrudat superis, cujus vitam, mores, ingenium ignoret, & tantone oneri par sit, compertum non habeat. Episcopum Moguntinum, *quod* lituum aureum, distinctum gemmis, *instar Cæsarei sceptri usurpasset, severissima coercuit oratione; eidem avaritiam & superbiam pro concione* propalàm *exprobravit indignabundus & clamitans:* En, ait, pastores nostros, crucem Christi professos, qui spreta cura, & pascendarum ovium sollicitudine ostentatione, opibus, luxu, Imperatorem quemvis opulentissimum lacessant. Quendam pridie feriarum D. Martini designatum Episcopum, quòd is auctus tantanta dignitate, amicis cœnam exhibens, & (uti fit) mero sese nimium onerans somno deinde oppressus, noctu divinis rebus non interfuisset, rursus sacerdotio movit: intolerabilem negligentissimumque fore ratus, qui primo die sibi non temperaret, ut sui compos Deum ad iracundiam non provocaret. Item alium lætiorem ob Pontificatum donatum, atque gestientem, & ab humo in equum absque scamno, sive suppedaneo, uno impetu subsilientem, revocavit: Vales, *inquit,* ut video viribus, & eques haud malus es; tua opera in bellis, ubi tua virtus enitescat, indigeo: proinde ignobili & imbecillo oves & gregem pecudum relinque. Hactenus Aventinus.

* VVolfius Cent. 9. Lect. Memor. p. 244, 245.

Alicubi in Decreto citatur Caroli Magni statutum, in quo ille queritur, imponi suo Regno à Papa vix ferendum jugum. Sed credo alicujus recentioris Caroli esse.

Ex hisce apparet primùm, Papam tunc non habuisse ullum regimen in exteras Ecclesias: quippè cum Reges, Synodos convocarint, & Decreta Clericis proposuerint. Deinde apparet, tunc omnem animam, id est, non minus Clericos quàm Laicos, politicis magistratibus subjectam fuisse. Postremò cernitur quòd ex animo quidem erroribus, & abusibus, qui nunc sanè regnant, tunc verò oriebantur, pientissimi illi Cæsares & Patres resistere voluerunt, sed frustra: vincente tandem impietate Antichristi, sicut Daniel prædixit.

Editus est libellus in decimosexto (ita enim vocant) folio, Parisiis (ut opinor) nomine Caroli magni, *contra Synodum quandam Græcam*, quam Græci paulò antè

Niceæ

Niceæ pro statuarum adoratione celebraverant, & septimam vocaverant. Refutat ergo prædictus libellus illam Synodum, & præsertim statuarum adorationem, prolixè & accuratè rejiciendo vestitum, suffitum, lumina, & alia ornamenta statuarum, item & geniculationem ante eas. Facit horum quatuor librorum & *Eccius* mentionem in suo Enchiridio. Is verò qui edi eum libellum curavit, multis firmisque argumentis evidenter probat, non esse suppositititium aut adulterinum. Dicit inter alia, etiam in Lateranensi Bibliotheca idem Exemplar vetustis Longobardicis literis descriptum extare: in quod Augustinus Steuchus, ejus Bibliothecæ præfectus, publico etiam scripto testatur. Scriptus porrò ille libellus ea ratione & occasione est, quòd, sicut Constantinopolitanus Imperator Concilium pro statuarum adoratione celebrari curaverat, suaque etiam authoritate eam idololatriam defendere ac propagare conatus erat; sic contra Carolus tum Synodo *Francofordiæ* congregata, tū suo proprio scripto ab ea comprobato candē rejecit ac damnavit. Quod verò in Francofordiana Synodo, præsente & præsidente Carolo Magno, nō tantum Felicis error de filio Dei, sed & illa septima Græca Synodus propter errorem adorationis statuarum damnata sit, postea dicetur. Apparet porrò ex eodē scripto, Carolum Magnum, & alios pios, tunc longè levius de adoratione sanctorum sensisse, quàm nunc Papistæ. Quippe qui sæpius repetit, *solum Deum adorandum esse; sed tamen sanctis viris suum quendam honorem ac venerationem rectè exhiberi posse.* Cæterùm statuas adorandas penitus non esse, mirum non est Carolum sensisse; nam & Grogorius Magnus non ita multo antè idem senserat, ac docuerat, ut apparet ex Epistola ad Syrenum Massiliæ Episcopum. Citat porrò & Carolus in prædicto libello *Gregorium*, ac probat de ejus sententia, statuas adorandas non esse.

Audio & Ludovici Caroli Magni filii librum in Galiis extare, contra eandem Græcam Synodum, in quo longè acrius, quàm in priore Patris, imaginum adoratio damnetur.

Edictum Caroli Magni de Reformatione Ecclesiæ & disciplinæ Christianæ.

ADjiciamus sanè hîc initium & finem edicti Caroli Magni; ut inde appareat, quòd tunc temporis etiam Ecclesiasticarum rerum curam Cæsares ac Reges habuerint, nec eam partem totam sibi soli *Romanum Pontificem* vindicare sint passi.

Regnante Domino nostro IESV CHRISTO in perpetuum, Ego Carolus gratia Dei, *ejusq; misericordia donante, Rex & Rector regni Francorum, & devotus Ecclesiæ defensor, humilisq; adjutor,* omnibus Ecclesiasticæ pietatis ordinibus, seu secularis potentiæ dignitatibus, *in Christo Domino Deo æterno pe petuæ pacis & beatitudinis*

 salutem.

ſalutem. Conſiderans pacifico mentis intuitu, unà cum Sacerdotibus & conſiliariis noſtris, abundantem in nos noſtrumque populum Chriſti Regis clementiam, & quàm neceſſarium eſt non ſolum toto corde & ore ejus pietati agere gratias inceſſanter, ſed etiam continua bonorum operum exercitatione ejus inſiſtere laudibus: quatenus qui regno tantos contulit honores, ſua protectione nos noſtrumque regnum in æternum conſervare dignetur. Quapropter placuit nobis veſtram rogare ſolertiã, ô Paſtores Eccleſiarum Chriſti, & ductores gregis ejus, & *clariſſima mundi luminaria*, ut vigili cura & ſedula admonitione populum Dei per paſcua vitæ æternæ ducere ſtudeatis, & errantes oves bonorum exemplorum ſeu adhortationum humeris intra Eccleſiaſticæ firmitatis muros reportare ſatagamini, *ne lupus inſidians aliquem canonicas ſanctiones transgredientem, vel paternas traditiones univerſalium Conciliorum excedentem*, quod abſit, inveniens devoret. Ideò magno devotionis ſtudio admonendi & adhortandi ſunt, imò *compellendi*, ut firma fide & rationabili perſeverantia *intra paternas ſanctiones ſe contineant*. In quo opere & ſtudio ſciat certiſſimè ſanctitas veſtra, noſtram vobis *cooperari* diligentiam. Quapropter & noſtros ad vos direximus miſſos, qui ex noſtri nominis authoritate unà nobiſcum corrigerent, quæ corrigenda eſſent, ſed & aliqua capitula ex Canonicis inſtitutionibus, quia magis nobis neceſſaria videbantur, ſubjunximus: ne aliquis quæſo hujus pietatis admonitionem eſſe præſumptionem judicet, *qua nos errata corrigere, ſuperflua abſcindere, ſecta coartare ſtudeamus*, ſed magis benevolo charitatis animo ſuſcipiat; nam legimus in Regum libris, quomodo *ſanctus Joſias* regnum ſibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum verum Dei ſtuduit revocare: *non ut me ejus ſanctitati æquiperabilem faciam*, ſed quòd nobis ſunt quæque ſanctorum ſemper exempla ſequenda & quouſque poterimus; *ad ſtudium bonæ vitæ in laudem & in gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti congregare neceſſe eſt.* Quapropter, ut prædiximus, aliqua capitula notare juſſimus, ut ſimul hæc eadem vos admonere ſtudeatis, & quæcunq; vobis alia neceſſaria eſſe ſciatis: nec aliquid quod veſtræ ſanctitati & populo Dei utile videatur omittite, ut pio ſtudio admoneatis, quatenus & veſtra ſolertia & ſubjectorum obedientia æternæ fœlicitate ab omnipotente Deo remuneretur, &c. Et paulo pòſt inter regulas, & hæc recenſetur. *Primò omnium, ut fides catholica ab omnibus Epiſcopis & Presbyteris legatur diligenter, & omni populo prædicetur; quia hoc primum præceptum eſt Domini Dei omnipotentis in lege: Audi Iſrael, quia Dominus Deus tuus eſt: & ut ille diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex tota virtute noſtra.* Et aliquanto pòſt ſic tandem illud edictum Caroli concludit. *Sed & veſtrum videre eſt, dilectiſſimi & venerabiles Paſtores, & Rectores Eccleſiarum Dei, ut Presbyteros mittatis per Parrochias veſtras, ad regendum, & ad prædicandum per Eccleſias veſtras, populum Deo ſervientem, ut rectè & honeſtè prædicent; & non ſinatis nova, vel non Canonica aliquos ex ſuo ſenſu, & non ſecundum Scripturas ſacras, fingere & prædicare*

dicare populo, sed & vosmetipsi utilia honesta & recta, & quæ ad vitam ducunt æternam, prædicate, aliosq́ instruite ut hæc eadem prædicent. Primò omnium prædicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem & filium & Spiritum Sanctum unum esse Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Et unam esse Deitatem, substantiam & majestatem in tribus personis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Item *prædicandum est, quomodo Dei filius incarnatus sit de Spiritu S. & ex Maria semper virgine, pro salute & reparatione humani generis passus, sepultus, & tertia die resurrexit, & ascendit in cœlo; & quomodo iterum venturus sit in majestate divina, judicare omnes homines secundum merita propria: & quomodo impii propter scelera sua cum Diabolo in ignem æternum mittentur, & justi cum Christo & sanctis Angelis suis in vitam æternam.* Item *diligenter prædicandum est, resurrectionem mortuorum esse; ut sciant & credant, in iisdem corporibus præmia meritorum accepturos.* Item *cum omni diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum Diabolo in æternum supplicium. Legimus enim Apostolo dicente:* Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immundicia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quòd qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Ideo hæc eadem, quæ magnus Prædicator Ecclesiæ Dei singillatim nominavit, cum omni studio prohibete; intelligentes, quàm sit terribile illud quod dixit. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Sed omni instantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, fide & spe in Deo, de humilitate & patientia, de charitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis, & confessione peccatorum suorum; & ut debitoribus suis secundum Dominicam orationem sua debita dimittant, scientes certissimè, quòd qui talia agunt, regnum Dei possidebunt. Et hoc ideo diligentius injungimus charitati vestræ, qui scimus temporibus novissimis Pseudodoctores esse venturos, sicut ipse Dominus in Evangelio prædixit, & Apostolus Paulus ad Timoth. testatur. Ideo dilectissimi, toto corde præparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, & divina donante gratia verbum Dei crescat, currat & multiplicetur in profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & salutem animarum nostrarum, & laudem & gloriam nominis Dei nostri IESU CHRISTI. Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino nostro Iesu Christo, Amen.

Anno Dominicæ incarnationis DCC. LXXXVIX. indictione XII. anno XXI. regni nostri, actum est hujus Legationis edictum *in Aquis Palatio publico. Data est hæc charta die decima Kalend. Aprilis.*

* Statutum hoc in Comitiis Aquisgranensibus, quod *Capitulare* vocant, totum recensuit Goldastus Tom. 3. Constit. Imper. p. 125. ad p. 132; VVolfius Cent. 8. Lect. Memor. p. 207; 208.

LXXXVII. Leo III. Papa.

CAroli Magni tempore ſedit Romæ Papa Leo III. homo ſanè indoctus, & Latini ſermonis admodum ignarus. Habeo aliquot ejus Epiſtolas ad Carolum, prorſus rudes ac barbaras. Ex quibus apparet, tum temporis *Cæſareos Miniſtros, non Pontificios, Romæ jus dixiſſe.* In quadam Epiſtola exponit ſummam Cæſareæ Epiſtolæ, cui reſpondet, ex qua ſummaria ſententia, facilè & Paparum impudentia, perfricta frons ac injuſtitia, & Cæſaris gravitas & ſeveritas, qui eum de talibus redarguit, perſpici poteſt. Sed adjiciam ipſa Papæ verba, quantumvis barbara, inepta & obſcura. *Cumq; per ordinem* ad ſexum *conjungeremus* Capitulum, *quantum gaudium & lætitiam prædictæ Epiſtolæ, atq; cætera capitula nobis ingeſſerunt, tantum mœrore & triſtitia poſtmodum ſumus repleti; continebat enim in ipſo præfato ſexto capitulo, quod Miſſos jam invenire non valetis, qui nobis placeant, de qua re valdè triſtatur veſtra Serenitas, & nullus de ipſis, qui jam ad nos fuit directus, per ſuam voluntatem amplius miſſus erit, excepto quòd obedientiam veſtram voluntariè unuſquiſq; adimplere cupit; & non ſolum* Miſſi veſtri *timent* veſtram *portare* Legationem ad noſtram puſillanimitatem, *verum etiam alii jam non ſunt auſi quærere à vobis auxilium; quia nullus jam veſtram quæſivit clementiam, ut dicunt, qui poſtmodum ad plenum potuiſſent pervenire in gratiam noſtram, & quia plures directos habuiſtis* miſſos fideles, *ex quibus jam alii mortui ſunt, & ipſi blaſphemati fuerant, & de ipſis qui vivunt, nullus jam ſine blaſphemio eſſe videtur; unde nobis filii* dulciſſime, *quid aliud agendum eſt?* Memorabile verò eſt, quòd hic ipſe indoctiſſimus Papa ſanxit, ut Pontificia Decreta omnium Scriptorum authoritati ac teſtimoniis præferantur. O intollerandam audaciam & inſcitiam.

* Epiſtolæ Leonis editæ ſunt à D. Conringio Helmæſtadii ex Manuſc. Codice.

LXXXVIII. Synodus VII. Conſtantinopolitana.

Cent. Magd. 8. c. 9. col. 550. ſeqq. COngregata eſt Synodus quædam (quam Græci ſeptimam vocaverunt) Conſtantinopoli, circa annũ Dom. 700. in qua non tantùm *cultus imaginum*, ſed & *ipſæ imagines* penitus damnatæ ſunt, & ex templis ejectæ. Scripſit in ea Synodo librum *Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus*, non ille verus, ſed alius, illo multò recentior. In eo libro refutat ſatis diligenter Imagines, tum ex ſacris literis, tum ex Patrum teſtimoniis. Is liber tum coram Synodo eſt lectus ac comprobatus, reliquisq; Synodi actionibus tanquã commune quoddam Decretum inſertus. Verùm poſtea eſt contrario libello ab altera ſeptima Græca Synodo Nicæna, *ſecunda* vocata, rejectus; quæ demum à Francofordenſi Concilio & Carolo Magno, ut prius audivimus, eſt damnata. Vterque prædictus libellus eſt actis poſteris hujus ſeptimę Synodi inſertus.

insertus. Recitabo aliquot Canones hujus Synodi, ut clarius ejus sententia cernatur. Octavus Canon. *Si quis divinam Dei Verbi secundum incarnationem figuram, materialibus coloribus studuerit effigiare, & non ex toto corde oculis intellectualibus ipsum sedentem à dextris Patris, super solis splendorem lucentem, in throno gloriæ adorare, anathema.* IX. *Si quis incircumscriptibilem Verbi Dei essentiam & hypostasin, propterea quòd incarnatus est, naturalibus coloribus imaginibus ad formam hominis depinxerit, & qui non theologicè sentit eam post carnem, non minus incircumscriptibilem remansisse, anathema.* X. *Si quis indivisam Dei Verbi naturæ & carnis secundum hypostasin, unitionem, videlicet ex utrisque unam inconfusam, & impartibilem perfectionem factam,* in imagine depingere *conatur, vocatque eam Christum (Christus enim nomine uno & Deum & hominem significat) & ex ea re confusionem duarum naturarum monstrosè asserit, anathema.* XI. *Si quis carnem hypostasi Verbi Dei unicam diviserit, & in nuda cogitatione mentis eam habens, ex eo conatus fuerit illam in imagine depingere, anathema.* XII. *Si quis unicum Christum in duas hypostases diviserit, ab una parte Dei filium, ab altera parte Mariæ filium collocans, neque continuam unitionem factam confitens, & ob id in imagine tanquam per se subsistentem Mariæ filium depinxerit, anathema.* XIII. *Si quis ex unitione ad divinum Verbum, Deificatam carnem in imagine pinxerit, veluti dividens eam ex assumpta & deificata Deitate, & indificatam ex hoc eam conficiens, anathema.* XIV. *Si quis in forma Dei existentem Deum Verbum, servi formam in propria hypostasi assumentem, & per omnia nobis similem factum, sine peccato, conatus fuerit materialibus coloribus figurare, veluti si nudus homo fuisset, & hoc modo ab inseparabili & incommutabili Deitate sejungere, veluti quaternitatem inducturus in sanctam & vivificam Trinitatem, anathema.* Lege Christiane frater & ipsum libellum prædictæ Synodi, reperies ibi certa testimonia Scripturæ ac Patrum contra idolatriam statuarum. Ne prolixitatem fuissemus veriti, interservissemus eum nostro huic operi. *Cent. 8. col. 562, 563.*

LXXXIX. Synodus Francofordiensis à Carolo M. instituta.

SYnodus Francofordiensis, circa 700. Dom. annum *sub Carolo Magno* congregata, qui & præsedit ei, inter alia damnavit Græcam Synodum paulò antè in Nicæa, ab Irene matre, muliere superstitiosissima, & Constantino filio celebratam. Causam porrò cur eam damnaverit, Vrspergensis & alii Papis faventes historici, cum damnatione narrent, studio subticuerunt; cum id indicare, vel maximè ad historici officium pertinuisset. Non enim tam refert scire, quis doctor, aut quæ Synodus sit probata, damnata, aut rejecta, quam, propter quæ dogmata. Verùm quoquo modo veritatem occultarint, ac præsertim Papistæ, & adhuc occultent; tamen tandem, Dei beneficio, ea emersit, & indies magis ac magis emerget; nam editum est antè paucos annos alicubi in Galliis, & nunc in Germania recusum *Cēt. Magd. 8. c. 7. col. 510. cap. 8. col. 535. & cap. 9. col. 626. usque ad col. 657.*

prolixum ſcriptum Caroli Magni,contra prædictam Græcam Synodum,*ſtatuarum adorationem* aſſerentem & defendentem. Is qui id ſcriptum edi curavit, multis firmisque teſtimoniis, ut ſuperius indicatum eſt, probavit, eſſe genuinum Caroli,& non ſuppoſiticium. Adſcripſit etiam duos Articulos Francofordianæ Synodi ex vetuſtiſſimo codice, in quorum ſecundo diſertè indicatur, *Græcam Synodum propter ſtatuarum adorationem* damnatam eſſe. Liquet ſanè veritas,rectè rem perpendenti, etiam ſine hoc teſtimonio; nam certum eſt, tum Irenem ac Filium eo tempore imaginibus addictiſſimos fuiſſe,tum Synodum illam adorationem imaginum *contra ſuos majores* approbaſſe ac defendiſſe, imò id ſolum egiſſe. Quare cum ea Synodus à Francofordenſi damnata ſit, nimirum ob eam ipſam *erroneam ſententiam de imaginibus* damnatam eſſe neceſſe eſt. Aut ſi id Papiſtæ negant, proferant quæſo cauſam,cur Græcam Synodum damnarint. Quid verò,quòd Aventinus authenticus hiſtoricus teſtatur, in Synodo Francofordenſi ſub Carolo Magno celebrata, *acta Græcorum* (verba ejus recito) *de adorandis imaginibus reſciſſa eſſe*? Sed adſcribam locum integrum.

4. Ann. p. 253. *Carolus Decembri Reginoburgio exit Saloveltas, & ad foſſam ſuperiorem navibus per terram tractis progreditur; inde navibus in Regoneſſo delatus in Mœnum, VVirzeburgum (caput eſt antiquæ Franciæ,inſigne ſepulchro divi Chiliani) ultimo Decembri pervenit; unde Francofordiam migravit, ibiq; reliquum hyemis exegit. Huc frequentes coire Pontifices Galliarum, Italiæ, Germaniæ imperat. Adfuere* Romani Pontificis Legati, *Theophylactus & Stephanus Epiſcopi;tertiò ibidem condemnata eſt* hæreſis Fœliciana,Eliphandanaque, de adoptione filii Dei. *Omnes ſubſcripſere Sacerdotes;ipſe quoq; Fœlix & Eliphandus, agnoſcentes errorem; venia data,dignitasq; ſervata.* Item acta Græcorũ de imaginibus adorandis reſciſſa ſunt. *Faſtrada Regina quarto idus Auguſti tunc fato conceſſit.* Habeo etiam pervetuſtos Francorum annales,in quibus ita legitur de actis Francofordienſis Synodi: *Pſeudoſynodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, & falsò ſeptima vocata, ab Epiſcopis damnatur, &c.*

Vt autem veritas hiſtoriæ paulò clarius innoteſcat,ſciendum eſt,Græcos multis annis antè & poſt prædictam Irenem, ejusque Synodum,adeò acriter imagines inſectatos, ut ne ornatus quidem cauſa eas uſquam, præſertim in templis, ferre voluerint; prorſus, ut hoc tempore à quibuſdam fit. At hæc Irenes Synodus contrà, non tantùm haberi, ſed & adorari imagines voluit, ac ſeveriter mandavit,damnavitque anathemate omnes contraria ſentientes. Verùm Carolus Magnus, cum ſua Francofordiana Synodo, medium ſequuti, & ferri voluerunt imagines, vel ornatus vel hiſtoriæ gratia; & tamen *nullatenus adorari*,ſeu *quoquo modo honorari*,non veſtiri eas,non lumina accendi, ſeu ſuffitum eis fieri, non procumbere aut genua flectere, aut curvari homines ante eas. Quare, ut dictum eſt, hac de cauſa Græcam Synodum tunc temporis pro adoratione ſtatuarum celebratam damnarunt.

Sed age concluſionis loco, ut indubitata ſit omnino hujus prioriſque narrationi

tionis veritas, adjiciamus testimonium Hincmari Remorum Archiepiscopi, ex 20. capite ejus libri contra ejusdem nominis Laudunensem Episcopum. Septima autem apud Græcos vocata universalis Pseudosynodus, de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu sano diffiniens sine autoritate Apostolicæ sedis, non longè ante nostra tempora Nicææ est à quamplurimis Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Vnde tempore Caroli Magni Imperatoris, jussione Apostolicæ sedis, generalis Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipsa Græcorum Pseudosynodus destructa & penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum. In cujus voluminis quarto libro, hæc de Vniversali nomine scripta sunt: VNIVERSITAS ab *uno* cognominatur, quòd *uno* multotiens verso propagatur; nam multitudo unitatum vertendo in unum collecta, *universitas* efficitur. Sicut enim *Ecclesia universalis* est, quæ Græco eloquio *Catholica* dicitur; ita nimirum omne quicquid ab ejus unitate non discessit, *Catholicum* nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana, vel quælibet constitutio sive traditio talis esse debet, ut universali conveniat Ecclesiæ, quod nequaquam hæretici observavere, qui per diversas mundi partes aliquibus regionum partibus coartati, conventicula quædam statuêre, quibus & se & quamplurimos ab Ecclesiasticæ unitatis consortio segregaverunt. Cùm ergo duarum & trium Provinciarum Præsules in unum conveniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti, aliquid prædicationis aut dogmatis instituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discrepat, *Catholicum* est quod faciunt, & fortasse dici potest *universale*; quoniam quamvis non sit ab universi orbis Præsulibus actum, tamen ab universorum fide & traditione non discrepat; quod crebrò factum in plerisque mundi partibus, quibusdam necessitatibus incumbentibus, scimus. Multa enim Concilia gesta sunt, quorum institutionibus sancta munitur & roboratur Ecclesia. Si verò duarum aut trium Provinciarum Præsules in unum convenientes, nova quædam statuere cupientes, conventicula quædam faciunt, quæ non cum universi orbis Ecclesia sentiunt, sed ab ea quadam ex parte dissentiunt, non est *Catholicum*, quod faciunt, & ideo *universale* nuncupari non potest. Omne quod Ecclesiasticum est, Catholicum est; & omne quod Catholicum est, universale est. Omne autem quod universale est, profanis vocum novitatibus caret. Omne igitur quod Ecclesiasticum est, profanis vocum novitatibus caret. Etsi hæc Synodus vocum novitatibus careret, ac antiquorum Patrum dogmatibus contenta esset, *universalis* dici poterat. Non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est; non igitur *universalis* dici potest. Vniversalem planè eandem Synodum non cunctaremur profi-

Opusc. c. 20. p. 93.

profiteri, nisi eam universalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refragari. Hæc *Hincmarus*.

Cent. Magdeb. 8. c. 9. col. 588. usque ad col. 626.

Græca illa Synodus *septima* ab ipsis vocata, quam à Francofordiensi & Carolo damnatam esse diximus, est anno 1551. Coloniæ in secundo Conciliorum tomo, sub titulo secundæ Nicænæ Synodi edita; congruunt etiam ipsa capita cum Caroli refutatione. Omnia enim quæ ex ea Carolus in suo libello citat ac refutat, ibi clarè ponuntur.

Est verò illud vel in primis dignissimum observatu, quòd ipse *Papa Adrianus* hanc Synodum descriptis literis ad Imperatorem & ad Tarasium Constantinopolitanum Patriarcham probavit; quin & Legatos ibi unà habuit, qui omnia decernere & comprobare adjuverunt. Legati fuerunt, Petrus Protopresbyter S. Petri, & Petrus Monachus S. Sabæ: sic contra etiam Francofordensem Synodum Papæ Legati comprobarunt. Quare Francofordiensis Synodus, & Carolus in hac re non tantum hanc Græcam Synodum, sed & ipsum Papam errantem in idololatria statuarum damnarunt, tametsi publicæ tranquillitatis causa eum disertè nominatimque petere & damnare noluerunt. Sed ne dubites, eos etiam ipsum Papam Adrianum, sed sine nomine, petiisse ac oppugnasse. Confer quæso duas ejus Epistolas ad Imperatorem Constant. & Tarasium, cum cap. 17. 18. 19. primi libri, & cum 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 23. 24. 25. 26. secundi, & 15. 16. tertii libri Caroli Magni; invenies profectò manifestissimè, nihil aliud Imperatorem ac Synodum in illis capitibus egisse, quàm ut illas Papæ Epistolas diligenter & accuratè refutaret; tametsi tacito Papæ nomine, quietis publicæ, ut dixi, studio.

* Cent. Magdeb. VIII. c. 7. col. 5. 1.

Exagitat etiam Carolus satis acerbè *Iohannem Antiochenum*, quòd adulatoriè prædicasset, concordiam Tarasii & Adriani de imaginum adoratione; eoque impudenter dictum illud Psalmi; *Pax & veritas sibi mutuò obviatæ sunt.* Vnde itidem cernis, Carolum, etiam ipsum Adrianum suo scripto petiisse & pupugisse. Fuit profectò tum temporis non leve certamen inter Carolum, ejusque Episcopos, ac Papam; licet dissimulanter & rectè, ut ex collatione prædictarum Papæ Epistolarum, & Caroli libro, animadverti potest; item ex eo, quòd Papa cum suis Papistis nihilominus paulò post Caroli mortem, *Claudium Taurinensem Episcopum*, qui Carolo intimus fuerat, ob id ipsum *damnavit*, quòd *cruces & statuas adorari non sit passus.* Videtur Papa cessisse quidem Carolo Magno, ejusque Synodo, tanto impetu tum adorationem statuarum damnantibus. Verùm paulò post mortuo Carolo, suas puppas denuò ornare & colere cœpit.

Præclaram profectò, & Ecclesiæ Dei apprimè utilem operam navaret, si quis semel tum *Græcam septimam illam*, seu *secundam Nicænam Synodum* ederet, tum *Francofordiensem*, & *Caroli Magni librum*; tum *capita Synodi Græcæ cum Caroli refutatione* diligenter conferret; & demum hæc ipsa testimonia Aventini, Hincmari,

Eccii, & alia, de refutatione Caroli Magni, quòd non ſit ſuppoſititius, adjungeret; quo tandem omnes pii cernerent, quòd initio multi erroribus Antichriſti reſtiterunt: ſed ipſe ſubinde plures, & quidem ante damnatos, ſepultosque, ex barathro infernali reſuſcitarit, & in Eccleſiam induxerit. Prodeſſet ea opera & ad id, ut Papiſtis clamantibus ſuam religionem inde ab Apoſtolis duraſſe, os obſtrueretur. Non enim profectò minima, ſi non maxima, pars religionis Antichriſtianæ ſeu Papiſticæ eſt hoc tempore, cultus idolorum; de quo præclarè Ludovicus Vives ſuprà Aug. de Civitate Dei ſcribit, ſe non videre, quid ſit diſcriminis inter plerosque Chriſtianos ſtatuas colentes, & Ethnicos ſua idola adorantes.

* Extant apud Goldaſtum Decreta, Capitulare & Conſtitutiones Caroli Magni Tom. 1. Conſtit. p. 18. ſeqq. & Tom. 2. p. 2. De Synodo Francof. VVolfius Cent. VIII. Lect. Memorab. pag. 205, 206.

XC. *Cabilonenſe Concilium ſub Carolo Magno.*

CAbilonenſe Concilium circa annum Dom. 800. ſub Carolo Magno celebratum, multa utiliter ſtatuit, in quibuſdam etiam creſcenti ſuperſtitioni & abuſibus reſtitit. Præcepit enim, ut Sacerdotes & Epiſcopi diligenter ſtudeant in ſacris literis, ac doceant ſuam plebem. Item, ut ſedulò ubique ſcholas juventutis inſtaurent & erigant. Severiſſimè quoque coercuit Sacerdotum & Monachorum improbam rapacitatem, quos queruntur illi Patres, perſuadere ſimplicibus hominibus, ut ſua bona templis aut monaſteriis ſtultè largiantur, ipſique ſeſe in monachatum præcipitent. Quinetiam juſſit id Concilium, omnino omnia illa bona ſuis hæredibus, parentum ſtultitia, & Sacerdotum avaritia ſpoliatis, reddere. Vetuit præterea, ne Epiſcopi aut Sacerdotes alant canes, aut accipitres; néve ſeſe inebrient, ac ita minus liberè ſuum vulgus arguere auſint; ne ſe implicent negociis civilibus, ne quicquam à ſuis inferioribus Sacerdotibus exigant; ne item quicquam pro chriſmate, aut Eccleſiarum dedicatione, aut Sacerdotum ordinatione accipiant. Iuſſit, ut publicè peccantes, publicè pœnitentiam agant.

* Cent. VIII. Magd. c. 6. col. 387.

Verùm peregrinationes religionis cauſa, in primis ſeveriter coercuerunt. Sic enim 45. Canone de eis ſentiunt ac ſanciunt. Nam & à quibuſdam qui Romam, Turonúmve, & alia quædam loca ſub prætextu orationis inconſultè peragrant, plurimùm erratur. Sunt Presbyteri & Diaconi, & cæteri in clero conſtituti, qui negligenter viventes, in eo purgari ſe à peccatis putant, & miniſterio ſuo fungi non debere, ſi præfata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant ſe impunè aut peccare, aut peccaſſe, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam Potentum, qui acquirendi cenſus gratia, ſub prætextu Romani ſive Turonici itineris, multa acquirunt, multos pauperum opprimunt: & quod ſola cupiditate faciunt, orationum ſive ſanctorum locorum viſitationis cauſa ſe facere videri affe-

ctant. Sunt pauperes, qui vel ideo id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi. De quorum numero sunt illi, qui circumquaque vagantes, illò se pergere mentiuntur; vel quia tantum sunt vecordes, ut putent, se sanctorum locorum sola visione à peccatis purgari, non attendentes quod ait beatus Hieronymus: Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est. De quibus omnibus Domini Imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Qui verò peccata sua Sacerdotibus, in quorum sunt parochiis, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina vel quorumlibet sanctorum invisere desiderant, horum est devotio omnibus collaudanda. Talis planè opinio, quòd illa ipsa tantum aliquorum locorum visitatio peccata purget, ac Deum placet, postea in Papatu invaluit: utpote cum etiam alios pro se mittere ad tales peregrinationes, religiosum putaverunt esse. Imò etiam mortuos talibus aliorum peregrinationibus juvari somniant. Quod verò prædictæ Synodi Patres videntur probare peregrinationes, id faciunt partim temporum illorum regnantisque superstitionis consensu victi, sed tamen ita probant, ut accidentia, quæ adjungunt, magis quàm ipsam peregrinationem probare videantur; nempe si pius, ac doctus sacerdos id ad pœnitentiam seu castigationem ejus prodesse putaverit, sique illi perrexerint orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, &c. Ut non tam ipsam peregrinationem, quàm hæc optima accidentia respexerint, ac laudarint.

* V Volfius Cent. VIII. Mem. Lect. p. 106, 107.

XCI. *Methodius Illyricus.*

4. Ann. p. 334. edit. Bas. 1580.

QUidam Methodius Illyricus, vir doctus, floruit circa 860. Domini annum. Scribit de eo Aventinus Bavaricorum annalium quarto, quòd Slavis literarum characteres invenerit, Sacrasque literas in vulgarem sermonem verterit. Ait quoque eum impulisse Dalmatas, aliosque Illyricos, ut abolita lingua Latina, vulgari in sacris mysteriis peragendis uterentur. Quin etiam affirmat, eum ritus Romanos penitus ex illis Ecclesiis explosisse. Eo opere perfecto, dicit illum etiam in Bavariam pervenisse, idem & ibi tentaturum: sed Sacerdotes ac Episcopos concitasse in eum Principes ac populos, ita ut in Moraviam bonus ille homo aufugerit, ubi mortuus, ac Olmutiæ sepultus sit. Utinam aliqua ejus scripta extarent, historiamque certaminum ipsius notiorem haberemus; nam non parva, nec vulgaria fuisse oportet.

Acciderat verò non ita multò antè, nempe sub Carolo Magno, ut plerisque Ecclesiis exterarum regionum, Romani seu Papistici ritus obtruderentur. Quare

verisi-

verisimile est, istum bonum virum, tum illa recenti mutatione rituum Ecclesiastícorum, tum etiam ipsa necessitate intelligibilis sermonis in religione, ad id conandum incitatum esse. Apparet sane ex istis ejus factis, eum non parum melius intellexisse, quàm reliquum Sacerdotum vulgus, quid ad Ecclesiæ Dei ædificationem prosit, aut obsit. Est verò adhuc in Ecclesiasticis actionibus, seu sacris usitata vulgaris lingua in Illyria, sive ea res ab hoc Methodio initium instaurationemque sumpserit, sive sic semper inde ab initio in usu fuerit.

Sylvius, ut superius indicavi, dicit diu multumque in Romana quadam Synodo deliberatum esse, *an sit* Slavis *seu* Vandalis *permittendum, ut vulgari lingua in Sacris peragendis utantur*; sed tandem cœlitus auditam vocem; *Omnis lingua laudet Dominum*: sicque eis concessum esse. Cæterùm ritus planè Romani sunt, exceptis paucis remotioribusque locis, ubi Græca religionis forma est. Scribit Aventinus in maxima veneratione esse, ac veluti pro sancto coli in quibusdam locis in Illyria istum Methodium. Dubitat etiam, an idem hic fuerit cum alio quodam Methodio Moraviensi Episcopo, ad quem olim Eugenius secundus scripserat.

* VVolfius Cent. IX. Lect. Memor. p.240.

XCII. *Michael Palæologus Imperator.*

MIchael Palæologus Imperator Constantinopolitanus, imperavit circa annum Domini 860. Is scripsit quandam Epistolam ad Papam Nicolaum primum, quæ quidem non extat impressa, quod sciam; sed quantum ex responsione Papæ conjicere licet, fuit satis libera; ac potissimum Primatum Papæ commentitium tum ex verbo Dei, tum ex Patribus & Conciliis, denique etiam historiis refutavit. Hortatus est etiam eadem Epistola Papam *ad studium concordiæ*, deponendamque illam immensam ambitionem, & tyrannidis affectationem. Papa contra prolixè & superbè declamitat, nullo tamen firmo argumento vel sua communit, vel adversarium refutat. Vtinam illa Imperatoris Epistola extaret; sed non sine causa eam Papistæ suppresserunt. Audio hunc Imperatorem etiam contra idololatriam imaginum scripsisse.

* Goulart. lib. 9. p.136.

XCIII. *Successores Paparum.*

MVlti planè inter Papas (ut etiam Platina sæpius testatur) successores, suorum Præcessorum gesta seu acta irrita fecerunt, abrogaruntque. Quin & tota nova quæstio 35. *causæ*, id disputat, errata priorum Paparum à successoribus corrigi mutarique posse ac debere. Ergo ipsius Antichristi proprio testimonio probatur, eum non esse ἀναμάρτητον, *impeccabilem*, ut ita loquar, sicut ejus adulatores & cultores impudenter mentiuntur, eum errare non posse.

XCIV. *Episcopi Belgici contra Nicolaum I. Papam.*

HAbuerunt & aliquot Episcopi Belgici, circa annum Domini 860. contentionem quandam, eamq; satis vehementem, cum Nicolao primo Papa, de quodam matrimonio. Nolo jam disputare, utra pars justiorem causam habuerit: illud tantum ostendisse satis sit, illos Episcopos & modestius suas partes egisse quàm Papam. Quid autem dico modestius, cum Papa nihil nisi prorsus tyrannicè furenterque egerit? & tamen illos Papam non habuisse pro quodam semideo, cui contradicere non liceret, sicut postea factum est. Sed adscribam unam illorum Episcoporum Epistolam, quæ in quarto annalium Bavaricorum Aventini invenitur, ex ipsius Autographo descriptam. *Nicolao Pontifici* Guntherus & Theodogutho, *Patres, Episcopi, & fratres Coepiscopi nostri nos ad te misere, ipsi quoq; sponte, Romam venimus, acta tibi obtulimus, ut si quid in his peccatum erratumve videretur, tanquam parens pientissimus, benignè & modestè, ut præceptorem decet, commonefaceres. Tu verò accepto libello nostro,* viginti amplius diebus *nullum omnino vel per internuncios responsum reddidisti, tantum abfuit, ut in conspectum tuum admitteres. Nos ociosi sedimus Romæ. Post demùm mensem ferè nos accersitos, ubi absq; cunctatione advolavimus, & nihil mali suspicantes, quasi more latronum oppressisti, nam statim ubi in ædes recepti sumus, pessulo foribus obdito, circundatos turba paganorum, expoliatos itaq; omni ope humana, & comites nostros sacratis profanisq; exclusisti; ibi contra fas, contra decreta, moremq; majorum, sine cœtu Ecclesiastico cum circumstetisset nemo Archiepiscopus, nemo Pontificum & Symmystarum accessit, neq; tu aut de errore nostro quicquam disseruisti, aut ratione aliqua, testimonio, scripto, aut argumentis errorem per te arguisti, nec quicquam penitus tu deseruisti; sed subitò & de improviso, cum lateri tuo hæreret* Anastasius Monachus *ambitus condemnatus,* sententiam *contra nos* injustam, temerariam, & nefariam, & Christianæ religioni repugnantem, *de chartula effudisti, & satis protervè tuis fratribus atq; conservis verbis illusisti. Immortalis Imperator Augustam & sponsam suam clara æternaque suppellectile instruxit, dote non fragili ac caduca condecoravit, sed perpetuò diademate ac sceptro provexit. Fecit eidem potestatem atq; copiam, ut Divos consecraret, cœlo adsereret, ægros curaret, mortuos immortalitate donaret. Quæ beneficia tu veluti latro intercipis, templo Dei præripis, in teq; transfers, atq; lupus factus es ovibus, vivos occidis, fortes superis detrahis, vulneribus ad inferos extrudis, gladium melle litum condis, mortuos, quibus per te reviviscere non licet. Tu* Pontificis *quidem personam præ te fers, at* tyrannum *agitas; sub cultu & habitu pastoris lupum sentimus. Titulus* parentem *mentitur, tu te factis* Iovem *ostentas, cum sis* servus servorum, dominus dominantium *esse contendis. Atqui juxta disciplinam Christi Servatoris nostri, infimus es omnium ministrorum templi Dei. Tu verò libidine dominandi in præceps abis quicquid tibi libet licet, fucusq; factus es Christianis. Hisce de causis nos, cum Fratribus nostris & Collegis, nedq; Edictis tuis stamus,*

4. Ann. p. 329.

Cent. 9. Magd. c. 7. col. 338.

mus, neque vocem tuam agnoscimus, neque tuas Bullas tonitruaque tua timemus. Tu eos qui Senatusconsultis non parent, impietatis condemnas, iisdem sacrificiis interdicis. Nos tuo te ense jugulamus, qui edictum Domini Deique nostri conspuis, concordiam Collegii discindis, pacem, immortalem cœlestis Principis tesseram violas. Spiritus Sanctus autor est omnium Ecclesiarum, quà longissimè & latissimè terrarum orbis porrigitur. Civitas Dei nostri, cujus municipes sumus, ad universos cœli cardines pertinet, majorque est Vrbe, quæ Babylonia à sacris vatibus appellatur; ut quæ divinitatem usurpet, cœlo se æquet, se æternam fore jactitat perinde ac si esset Deus, immortalisque, sapiam, neque unquam se errasse, aut errare posse mendaciter gloriatur. Vt verò aliquantò clarius appareat, quid ii Episcopi, aliique eis adjuncti egerint, adjungam quædam ex Gestis Pontificum Damaso conjunctis, quæ licet nusquam non turpissimè Papis adulentur, ejusque adversarios odiosissimè exagitent, tamen à candido prudentique lectore facilè veritas divinari poterit. His ita peractis unà cum jam dicto Haganone Episcopo, qui sicut quidam Episcoporum eidem coangelico Præsuli scribebant, ob sermones imperitos, qui in prænominatis profanis gestis à Theurgaudo & Gunthario oblatis sonabant, Heliu nominatus est, eò quòd ipse Hagano auctor illorum præfuerit, & talia cum eisdem Archiepiscopis inconvenientibus mendacibusque loquelis composuerit; Ioanne, de cujus superius memoria textus eloquitur, accito Archiepiscopo cum Gregorio germano fratris illius, qui multarum prævaricationum juramenti, quod præstaverant, obliti, obnoxii habebantur. Iidem depositi pœnitentiæ lamenta non requirentes, & tantum facinus, quod in uxorem Lotharii Regis gesserant, adhuc non condolentes, cum eisdem Haganone scilicet, & Ioanne Ravennate Episcopo, atque Gregorio fratre ejus, contra sedem Romanam, imò specialiter contra summum Pontificem, & populum illi subditum, & à Domino Iesu Christo per beatum Petrum Apostolum regni cœlorum clavigerum commendatum, multa nefanda, multa contraria, multaque sacrilegia, & Christianitatis modum excedentia, palàm & clam, fraudulenter atque procaciter operari cœperunt: ita ut eorum nequitia montes tranaret, & maria, & in cœlum os suum ponentes populum Domini crudeliter discerperent, & innocentes animas viperea factione deciperent: & quibus non sufficiebant mala præterita, nova & inaudita alia deteriora prioribus, diabolo suadente, facere non recusabant, quia & quod singillatim utrisque prohibitum, & Synodicè secundum qualitatem sceleris interdictum fuerat, audacter contingere præsumpserunt; & quæ nunc intentando nemini Domino contempto peregerunt, heu pròh dolor! Cernis lector, ut importunè invehatur scriptor in illos Episcopos, magis invectivam quàm historiam scribens; sed tamen animadvertere potes, illos Episcopos & constanter Papæ tyrannidi restitisse, & contra ejus injustas actiones valida scripta opposuisse, nec paucos celebres Episcopos illorum sententiæ assensos esse, quod factum non fuisset, si omnino omni jure justitiaque caruissent.

* VVolf. Cent. IX. Lect. Memorab. p. 240.

XCV. *Speculum Saxonicum.*

Lib. 1. Landr. art. 2. ult.

IVs Saxonicum, quod illi vulgò Speculum vocant, dicit *Papam nihil mandare aut statuere contra jus Saxonum* posse. Nondum nimirum tunc erant omnes homines ab Antichristo ita penitus (ut postea accidit) dementati & fascinati, ut omnia, quæ ille impudenti ore tyrannicè præcipit, illi protinus pro oraculis Dei amplexarentur, & oscularentur. Statuit item illud jus, *ne Clerici hæreditatis adeundæ potestatem haberent.* Viderunt nimirum prudentes homines, & nimis magnas opes ad Clericos pervenire; & non putabant æquum esse, ut qui homines à civilibus oneribus immunes esse vellent, ii magnas opes ac hæreditates possiderent. Conditum est autem *Ius Saxonicum* ante mille annos, tametsi quidam scribant, id & à Constantino Magno confirmatum esse.

XCVI. *Luitperti Moguntini Archiepiscopi Epistola ad Ludovicum Regem.*

Papa erroris arguitur, & sub Imperatoris potestate asseritur.

LVitpertus Moguntinus Archiepiscopus, scripsit quandam Epistolam ad Ludovicum, qua & graviter peccare, aut etiam errare Papam indicat; & ipsum Imperatorem, ut eum castiget, hortatur. Vnde licet cognoscere, hunc Episcopum non ita Papæ mancipium fuisse, sicut præsentes, qui ipsum omnes judicare, & à nemine contrà judicare debere, turpiter mentiuntur. Sed adscribamus sanè ipsam Epistolam.

Extat inter Hincmari Epistolas p. 628, 629. edit. Paris.

DOmino piissimo & amantissimo, atque in fide Catholica florentissimo Regi Ludovico, *Luitbertus Archiepiscopus sanctæ Dei Ecclesiæ vernaculus,* præsentem & perpetuam in Domino salutem. Tacendi vel deliberandi inducias non habeo, neque enim silere me causa permittit: quam si relinquo apud Dominum nostrum Iesum Christum, cujus interest, inexcusabilis ero, & vobis promissam humanitus fidem temerasse convincor, qui in specula, qua constitutus sum, videns periculum vobis imminens, desidiosa vel infideli taciturnitate dissimulem: & Ecclesiæ Dei, cujus indignus curam pastoralem ac solicitudinem suscepi, negligens effectus, mercenarius potius esse videar, quàm Pastor. Quatitur namque graviter & dehonestatur Primatus & dignitas ejus in sede sancti Petri, eò quòd inaudita quadam & occulta persecutione non ab infidelibus & Dominum nescientibus, sed ab eis (quod dolendum & plangendum est) qui Duces & Rectores populi Dei esse debuerunt, injuriis appetitur, humana divinis præferre conantibus & necesse est, dolorem, qui constat in capite, nisi salubris & velox medicina succurrat, paulatim per membra diffundi. Igitur quamvis noverim prudentiam vestram humanis admonitionibus non egere, quæ syncerissimam de gratia Spiritus Sancti hausit doctrinam, mei tamen officii est, & acta patefacere, & agenda demonstrare. Scitis periculum

culum populi Dei, quod terribiliter imminet; neque latere vos potest, quod ubiq; auditum, ipsa quoque (ut dicam) elementa tremiscunt, ut RECTORES, qui saluti infirmorum studere debuerant, relicto salutis tramite, eunt in præceps, & sequentibus se foveam perditionis aperiunt. Vnde prudentiam vestram veritatis & justitiæ amatricem exhortor, ut secundum datam vobis divinitus sapientiam, cum scientibus legem Dei, & justitiam ejus diligentibus tractare studeatis, quomodo remotis dissensionum scandalis, quæ zizaniorum sator subdola machinatione spargere nititur, pax Ecclesiis & unitas optata reddatur, & celeriter vigilantiæ profectus adhibeatur, ne vulneribus locum præbeat incauta securitas. Neque enim totum adhuc corpus Ecclesiæ læsum est; quanquam capite injuriis pulsato, membra quædam debilitata esse videatur, & ideo, cum illis quæ sana esse constiterit, infirmantibus, si forte medicinam suscipere patiuntur, succurrendum erit: alioquin amputanda erunt, secundum veri medici nostri præceptum, ne totum corpus eat in perditionem. Quapropter necessarium mihi videtur, & utile, ut religiosus Princeps Carolus frater vester, legatis atque literis à vobis destinatis, super hoc negotio maturè conveniatur: ut tam ipse quàm Sacerdotes regni ejus, qui hactenus ab hujusmodi sordib⁹ mundi sunt, vobis & vestris Episcopis adjungantur, eandemq; curam & sollicitudinem vobiscum participent; quatenus posteaquam cum auxilio Dei prosperè & pacificè de itinere, quò ire disponitis, reversi fueritis, pari consensu & communi studio pacem & concordiam sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ orthodoxis dogmatibus adjuvante Domino, reformetis.

* Cent. 9. Magdeb. c.7. col.337.

XCVII. *Imperatores & Synodus Constantinopolitana.*

INdicativi superius obiter, Imperatores Constantinopolitanos cultui imaginum repugnasse; sed visum hoc est hic suo loco denuò repetere. Testatur Richardus de S. Victore, Zonaras, & alii, Leonem Imperatorem III. qui imperare cœpit anno Domini 727. acerrimè repugnasse cultui imaginum, & reliquiarum Sanctorum. Curavit quoque imagines planè tolli.

Idem decrevit & quædam Synodus Constantinopolitana circiter 740. annum celebrata, cui interfuerunt CCC. partim Episcopi, partim alioqui docti viri: cujus Synodi canones supra sub titulo 7. Synodi recitavi. Idē senserunt & aliquot sequentes Imperatores, nempe plures quàm duodecim numero: & cum eis haud dubie infiniti alii, totæque Ecclesiæ sub eorum imperio existentes: tametsi non defuerint etiam, qui contrarium senserint: qualis fuit inprimis illa superstitiosa ac parricida Hirene, Constantini pueri mater, de qua superius.

LXXXXVIII. Leo III. Papa.

Sedem & tyrannidem Pontificiã damnat.

HIc Pontifex eruditionis ac ſanctitatis nomine eſt apud adverſarios celebris. Sanè non pauca ſunt in eo contra aliorum Paparum tyrannidem, impietatem & impuritatem laudabilia. Imperatori ut Magiſtratui ſuo ſe obedienter ſubjecit, quia ab eo ſe judicari paſſus eſt, ut ejus verba teſtantur 2. q. 7. *can. Nos ſi quid* Quæ mox in Ludovico recitabimus: Leges Cæſareas coluit, agnovitque omnem animam tam Clericorum, quàm aliorum ſuperiori Magiſtratui debere eſſe ſubjectam. Et teſtatur eos eſſe mendaces qui contrarium ſentiant; inquit enim diſt. 10. De Capitulis *vel præceptis Imperialibus veſtris, veſtrorumq; etiam Pontificum prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis & conſervandis, quantò valuimus & valemus CHRISTO propitio, & nunc, & in ævum nos conſervaturos modis omnibus profitemur, & ſi fortaſſe quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, ſciatis eum pro certò mendacem.* Idem etiam juſſu Imperatorum Synodum Romæ celebravit, in qua de eorum Concilio ac ſententia multa utiliter ſtatuit. Eam totam adſcribam ex ejus vita à Luitbrando deſcripta, quandoquidem nondum edita eſt.

Synodus Leonis.

Hic Concilio & auxilio Lotharii Imperatoris urbem, quam circa Eccleſiam beati Petri inceperat, pleniter conſummavit, & cum Letania eam circundans, & aqua exorcizata aſpergens ſanctificavit, & ſuo poſtmodum nomine Leonianam eam vocavit. His videns multa ſuo in tempore contra DEUM, & ſalutem animarum Chriſtianorum impudenter fieri. Concilio Imperatorum Lotharii & Ludovici Romæ Synodum habuit, cum LXVII. Epiſcopis, cum quibus XLII. Capitula Chriſtianornm ſaluti neceſſaria edidit & firmiter ſervanda eſſe præcepit. IN PRIMO Capitulo inſtituit, ut Epiſcopus juxta Pauli deſcriptionem & admonitionem irreprehenſibilis, & boni operis deſiderabilis conſecretur. 2. Quiſquis Sacerdos caveat ne pecuniis conſecrationem adipiſcatur, ne exemplo Simonis in laqueũ incidat Diaboli. 3. Ut bono opere Epiſcopus exiſtat & benè ſpeculetur, qualiter populum verbo prædicationis inſtruere debeat. 4. Ut ſi Epiſcopus inveniatur indoctus, à Metropolitano proprio admoneatur, & Presbyteri, & Diaconi, & Subdiaconi à ſuo Epiſcopo ut docere poſſint, admonetur, & interim tales Presbyteri ac Clerici celebrare divina myſteria & officia ſuſpendantur, ut docti valeant ad debitum miniſterium pervenire. 5. Confirmavit, quod Cæleſtinus, & Magnus LEO de Epiſcopis inſtituerant, videlicet quod non conveniat in Epiſcopum conſecrari, niſi à Clericis & populo fuerit poſtulatus. Quia nulla ratio ſinit, ut aliter conſecrati inter Epiſcopos habeantur. Et cum in eadem Eccleſia dignus non invenitur, tunc primum aliquis de altera Eccleſia eligatur, & quantumvis neceſſitas eveniat, tamen invidiosè nullo modò conſecretur. 6. Præcepit, ne juxta Sardicenſem Synodum, ultra trium hebdomadarum ſpacium Epiſcopi à propriis Eccle-

Ecclesiis morentur, nisi forte per jussionem Metropolitani vel principis ex necessitate contingat, quia absentia Episcopi plerumque fit calamitas plebis. 7. Necessariò servari præcepit, ut juxte Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis imbuantur, & omnibus unum sit refectorium ac dormitorium, sive cæteræ officinæ ad usus Clericorum necessariæ. Ministri verò præter Episcopum tales eligantur, quorum vita ac doctrina illos potius exornent, quàm dehonestent. 8. Ut Episcopi diligenter curam habeant in baptisandis plebibus, & cum necessitas in eos Presbyteros ordinandi occurrerit, ut reverentius observentur. Non enim sine consensu ibidem habitantium fieri convenit. 9. Vt in congregandis Clericis non plures admittantur, quàm facultas rerum eis canonicè attributa sufficere possit. 10. Vt Sacerdotes constitui non oporteat, nisi Ecclesiis aut speciali monasterio deputentur, ne necessitas in secularibus domibus illis habitandi occurrat, alioquin à propriis Episcopis, Aut in Episcopio, aut in monasteriis causa habitandi & conversandi pro exercendo officio constituantur, ubi mulieres nullam habeant copiam conversandi. 11. Vt Sacerdotes divina eloquia sedulò perscrutentur, & populum admoneant, & ludos aliquos ante se fieri non delectentur. Transgressores quippè admonitione Episcopi ulterius agere desinant. Sin autem Canonici judicentur. 12. Vt Sacerdotes, qui ad debita & opportuna officia in Ecclesiis indifferenter adesse debent, fœnore aliquo, aut venatione, vel aliqua aucupatione, rusticorum ministerio omnino non occupentur, nec sine ornatu sacerdotali extra domos suas adpareant, & ea solummodo quæ Patrum constituta videntur, observent. Contrarii denique inventi aut deinceps desinant, aut canonicæ disciplinæ subjaceant. 13. Vt Sacerdotes in secularibus negotiis pro testimonio aut conficiendis instrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si enim eventu causæ aliquid viderint aut audiverint, ubi nullæ secularium idoneæ personæ inveniantur, ne veritas occultetur, & malus ut bonus existimetur in providentia sit Episcopi, ut coram se & competentibus judicibus aut aliter veritatem honorificè attollant. 14. Vt Sacerdos, aut quis alius in Ecclesiastico ordine provectus, si in eo scelere inveniatur, quo abjiciendus sit, depositus providentia Episcopi benè proviso loco constituatur, ubi peccata lugeat, & ulterius non committat. 15. Vt si Episcopus, Presbyter, Diaconus, vel etiam Subdiaconus de quacunque fœmina crimine fornicationis suspectus fuerit, post primam & secundam & tertiam admonitionem Metropolitani, vel alterius Episcopi aut ejus cui subjacere videtur, inveniatur fabulari cum ea, aliquoúe modo conversari, canonicè judicetur, quia cui propriam uxorem habere non permittitur, ab omni fœmina se debet abstinere. 16. Vt nulli Episcoporum liceat res immobiles, de subjectis plebibus aliisque piis tollere locis, ne in tali facto pauperes inveniantur, contrà agens canonica authoritate coarctandus existat. 17. Vt Presbyteri, omnium ad se currentium in quibuscunque sacris locis, oblationes ad

Missarum solennia recipiant, quia cum DEI & hominum mediatores existant, exercendis votis & relaxandis peccatis largissimam debent orationem peragere. 18, ut Episcopus sibi subjecto Sacerdoti, vel alii Clerico, nisi ab alio postulatus, dimissoriam non faciat, & ne falsæ aut veræ credantur, & veræ ut falsæ suspicentur, universalis Pontificis, vel Imperiali vel Metropolitani bulla eas roborari oportet. 19, ut Episcopi, universique Sacerdotes, quia ad solam DEI laudem, bonorumque operum actionem constituuntur, debeant tam pro Ecclesiasticis quàm pro propriis suis actionibus, excepto publico crimine habere advocatum, non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis, laudabilis artis inventum, ac dum humana lucra intendunt, æterna præmia perdant. 20, ut si quispiam Sacerdotum inventus fuerit, qui advocatum in judicio proferre non valeat. Coram plebe propria suus Episcopus ipsum discutiat. Si bonæ an malæ conversationis existat aut cujus rei causa debitæ advocatum habere non possit, malæ verò inventus pro qualitate culpæ secundum Canonum normam emendari curetur. 21, ut monasterium vel oratorium canonicè constructum, à dominio constructoris, eo invito non auferatur, liceatque illi idem Presbytero, cui noluerit pro sacro officio illius diœceseos, & bonæ authoritatis dimissoriæ cum consensu Episcopi ne malus existat, commendare, ita ut ad placitam & justam reverentiam illius Episcopi obedienter Sacerdos recurrat, alioquin canonicis ultionibus subjaceat. 22, sancivit ut si quispiam comprobatus invasor dicat, pro parte Ecclesiæ se egisse de privata sibi re pertinente, ab ipso suoque hærede persolvatur invasio. Sacerdos denique in tali culpa prævaricari inventus, à proprio canonicè judicetur Episcopo. Episcopus à Metropolitano, ut non Ecclesia sibi commissa damnum sustineat de invasione. 23, de monasteriis monachorum sive sanctimonialium, & de omnibus aliis pro diversis necessitatibus ad eleemosynam constitutis, præcepit, ut per Episcoporum sollicitudinem, in quorum diœcesi hæc existunt, ordinentur ad easdem utilitates, quibus constituta sunt. 24, disposuit de Ecclesiis quæ in diversis regionibus sacerdotibus, & solitudine destituta nullo debito officio resonant. Et Episcopus si proprio juri Ecclesiæ sunt subjectæ, ibidem sine intermissione Presbyterum constituat, ut si in secularium hominum sunt jure constitutæ ab Episcopo admoneantur. Et si admoniti Presbyteros infra trium mensium spacium ibidem neglexerint constituere, absque neglectu Principis urgeat Episcopus, ut ejus sententia emendetur. 25, ut Ecclesiæ quælibet destructæ proprio stipendio restaurentur, non sufficiente autem necessario à populo plebis auxilientur. 26, ut nulli Episcoporum liceat à subjecto Sacerdote, vel alio quolibet Clerico ex piis locis donationem ultra statuta Patrum exigere, aut supra, imposita in angariis inferre. 27, ut Abbates tales constituantur, qui sui vocabuli ministerium DEO possint indubitanter supplere, ita docti, ut quemcunue fratrum negligentē viderint omnino cognoscere possint, & emendare. 28, qut Episcopus in sua diœcesi dili-

gen-

genter perscrutetur illos, qui solo habitu monachi existunt, & ad propriū monasterium redire eos cogat, aut prospectu congruo in aliud mittat, ut regula rem vitam servent. 29, ut fœminæ quæ habitum religiosum, aut velamen obtentu Religionis susceperunt, deinceps viro sociari non permittantur, prævaricatæ autem ad pœnitentiam coerceantur. 30, ut die dominico nullas audeat mercationes, nisi in cibariis rebus aut quælibet rustica opera facere, alioquin ut transgressor ad pœnitentiam redigatur. 31, ut dominico die personam suspectam, & reatu infamem, aut optima satisfactione solvant, aut in custodiis constituant, ut licitis diebus judicetur. Nam legibus infirmatur judicium dominico die depromptum. 32, ut nulli Laicorum liceat in eo loco ubi Presbyteri & reliqui Clerici existunt, quod Presbyterium nuncupatur quando Missa celebratur, consistere. Quia sicuti in Ecclesia singula loca videntur exposita, ita virorum pars, & mulierum partibus suis debet esse contenta. 33, statuit, ut sicuti, qui monasteria elegerunt, à monasteriis egredi non permittantur, ita hi, qui inviti sine justæ ostensionis crimine monasteriis sunt intromissi, nisi volentes non teneantur, quia quod non petunt, non observant. 34, ut Magistri & Doctores in singulis locis, in quibus necessitas occurrit, constituantur, qui liberales artes assiduè doceant, & si tales non inveniuntur, tamen divinæ Scripturæ Magistri & institutores Ecclesiastici officii nullatenus desint. 35, ut sacerdotes admoneant viros & mulieres, qui festis diebus ad Ecclesiam concurrunt, ne saltando & turpia verba decantando choros teneant ac ducant, similitudinem Paganorum peragendo, quia tales si cum minoribus peccatis ad Ecclesiam veniunt cum majoribus revertuntur. Si verò non cessant admoniti à communione modis omnibus, suspendantur. 36, ut nulli liceat excepta causa fornicationis uxorem relinquere, & aliam sibi copulare, alioquin transgressorem convenit sociari priori conjugio. Si autem vir & uxor solummodo pro religiosa vita divortire inter se consenserint, nullatenus sine conscientia Episcopi fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco. Nam uxore nolente, aut altero eorum tum & pro tali re matrimonium non solvatur. 37, ut nulli liceat uno tempore habere uxorem & concubinam, quia cum domi non sit lucrum, animæ fit detrimentum, alioqui Ecclesiastica communione videatur indignus, & si perseveraverit ab Ecclesia penitus amputetur. 38, ut de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, nullus audeat in conjugiū copulare, si quis non fecerit & perseveraverit, sciat se vinculis Anathematis innodatum. 39, ut nullus absolutè Presbyter ordinetur, & ut juxta facultatem rerum Ecclesiæ, & oblationes vel reditum Clerici ordinentur. 40. ut Presbyteri urbani & suburbani, & rurales omnes indifferenter ad Concilium Episcopi veniant, aut Canonum correptionibus subjaceant. 41. ut Laicus qui Presbyterum sine consensu Episcopi proprii sua potestate Ecclesiæ cuicunq; instituitur à fideliū communione separetur. Presbyteri si tertiò ab Episcopo vel Legato ejus de alterius Ecclesia recedere admoniti obedire noluerint, proprii officii gradum amittant. 42, & VLTIMO Capi-

tulo immutabiliter præcepit, ne ullus Abbas, aut quilibet alius præſumat Presbyteros in Eccleſia ſtatuere, niſi qui & Sacerdotis gradus licitè dare poſſit, quibus ſingulariter & dioceſes pertinent, & qui canonicè debent ipſis Eccleſiis providere & prævifas ordinare. Prædictus Pontifex in prædicta Synodo Anaſtaſium Presbyterum in aliena Diœceſi morantem & ſæpenumero vocatum demumque excommunicatum, & tamen ad propriam Parochiam redire nolentem depoſuit, & penitus Sacerdotali honore privavit. Item in eadem Synodo monuit, & Apoſtolica autoritate præcepit, ut unusquiſque Epiſcopus per diœceſes & Parochias ſuas per ſe, & Sacerdotes ſuos ſubjectum ſibi populum moneat, ut primitias & decimas incunctanter perſolvant. Has autem dare nolentes, quouſque ſuppleant à cibo & potu ſuſpendant. Quod ſi nec pro hac ſuſpenſione ſupplere curaverint, ſancta communione priventur. Item, in eadem irrefragabiliter affirmando inſtituit, ut nullus Epiſcoporum vel Sacerdotum, rem ſui tituli uſurpare aut alienare præſumat. Qui autem hoc fecerit Canonicam ſine dubio ſubeat ultionem. Hic ordinavit Epiſcopos XLIII. Presbyteros vero XIX. Diaconos VII. Obdormivit autem in Domino XVI. Kalendas Aguſti.

Hic primùm obſerva Lector, quod tunc tanta fuerit autoritas, & pietas Cæſarum, ut illi negligentem Pontificem excitaverint, eique quid ſtatuere debeat quaſi præformaverint; erant verò Imperatores in talibus exercitati. Multa enim talia in ſuis regionibus cum ſuis Epiſcopis conſtituerant. Deinde obſerva quòd non numeroſitatem Miſſarum, aut templorum ſtruendorum, aut ſacrificiorum inſtituendorum urſerit: Sed tantum ſanam doctrinam, eruditionem, & continuam populi inſtructionem. Tertiò obſerva quòd confirmet electionem plebis, inveſtituram politicorum dominorum, & omnes Sacerdotes ac Epiſcopos ſuis tantum Metropolitanis non ſibi ſubjicit.

XCIX. Ludovicus Imperator.

Concilium Aquisgranenſe.

LUdovicus Imperator, Caroli Magni filius, videns Clericos & propriæ vitæ diſciplinam corrumpere, & Eccleſiæ regimen negligere ac deformare, ſtatuit ei malo ire obviam. Quare circa annum 800. aut paulò pòſt convocavit Aquisgrani frequentiſſimum Concilium, tum ex Spiritualibus, tum ex politicis Proceribus totius Germaniæ & Galliæ. In eo curavit edi multos canones & regulas, ſecundum quos & vitam ſpiritualium (ut vocantur) & regimen Eccleſiæ reformare, ac in melius reducere eſt conatus. Credo eſſe eam, quæ jam ſub hoc titulo eſt in ſecundo Conciliorum tomo edita. Faciunt ejus reformationis multi mentionem, ajunt-

ajuntque vocatam *Regulam Clericorum*. Platina deplorans sui temporis perditissimam Pontificum & Sacerdotum vitam, exclamat: *O Ludovice, utinam nunc viveres.* Indicans nimirum, jam verè indigere reformatione, & acri reformatore, spirituales; nam quanquam jam longo tempore Sacerdotum status fuerit corruptissimus, nihil tamen fuit malitia Ecclesiastici ordinis, temporis Ludovici, ad eam quæ postea secuta est, nostroque tempore grassatur.

Observandum quoque est, Ludovicum indixisse & convocasse illam Synodum, reformationemque Ecclesiarum & Sacerdotum sui regni instituisse, non Papam. Habeo *Epistolam Ludovici ad Archiepiscopum Salzburgensem*, qui Concilio non interfuerat, cui simpliciter sua authoritate, missa illa reformatione, mandat (dicit enim, *volumus, & decernimus*, nullam penitus Papæ mentionem faciens) ut ejus Concilii decreta suis Clericis proponat, omniaque diligenter observet, & ipse, & alios cogat; minaturq; & pœnas ei, qui servare noluerit. Vnde apparet, Papam tunc ne spiritualem quidem gladium, nedum etiam temporalem, supra omnes Christianos habuisse; omnemq; animam non tantum laicorum, sed & clericorum, superioribus potestatibus, id est, Politicis magistratibus, secundum Petri præceptum, subjectum fuisse. Quanquam id quidem nulla conjectura indiget, cum historiæ clarissimè testentur, in potestate Cæsaris fuisse tunc, creare non tantum alios Episcopos & Prælatos, sed & Romanum, seu Papam ipsum. Verùm postea demùm meretrix illa caput contra Deum extulit, Regibusque ac Cæsaribus (proh nefas) pedes suos fœtidos osculandos obtrusit. Sed adscribam ipsam [extat Tom.I. Constit. Goldasti p.150.seq.] *Ludovici Epistolam*, præsertim cum nondum editam existimem; ut inde luce clarius appareat, quam nihil juris tunc habuerit Papa, supra Ecclesias, præsertim Gallicas & Germanicas. Quin potius contrà Molinæus in sua eruditissima oratione Tubingæ recitata ostendit, tunc & Papas ipsos, & alios Clericos Imperatoribus obedivisse. Dixi superius, de libro Caroli Magni contra idololatriam statuarum. Sed constat adhuc alicubi inveniri hujus Ludovici longè acrius scriptum de eadem re ac controversia, contra Græcos, qui tunc statuas colendas esse, in sua Nicæna Synodo secunda decreverant.

In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus, venerabili Arnoni Salzburgensi Archiepiscopo, in Domino salutem.

SAcrum & memorabile Concilium divino nutu, nostroque studio in Aquisgrani palatio nuper aggregatum, in quo multa ob propagandam Ecclesiasticam digni- *Autoritas Cæsarea in Clerum, mandatūque*

que de reformatione Cleri missum ad Salzburgensem Episcopum.

Extant T. 3 Constit. Imp. Goldasti p. 164.

dignitatem & ſubſequente gratia Chriſti diligenter tractata atque inſtituta ſunt, tuam nullatenus credimus latere ſanctitatem. Sed quia contigit, eidem ſancto & venerabili Concilio tuam non interfuiſſe paternitatem, ad tuam deſtinare decrevimus beatitudinem per præſentem miſſum noſtrum, nomine Nothonem, *formulas Canonicæ inſtitutionis* ab eodem ſacro conventu ex ſanctorum Patrum ſparſim digeſtis ſententiis collectas, atque in unum congeſtas. Quam etiam idcirco penes palatium noſtrum diligenter ſcribi fecimus, ut nihil in ſe, ſcriptorum vicio, depravationis aut detruncationis habens, ad te uſque incolumis perferretur. Quapropter volumus atque decernimus, ut juxta Metropolitanæ ſedis tibi Canonicè collatam dignitatem, noſtræque authoritatis ſanctionem, diœceſeos tuæ Epiſcopos & cæteros Eccleſiæ Prælatos, tempore & loco congruenti ad te arceſſere facias, & his coràm capitulatim memoratas inſtitutionis formulas perlegi jubeas: & quid ob exaltandum Eccleſiaſtici culminis faſtigium, & animarum ſalutem idem ſacer conventus crediderit, liquidò demonſtres. Sed & his qui in uno collegio Canonicè degunt, tenendam obſervandamque coram memorato Miſſo noſtro perce nſeas. At ſi alicujus cordis obtuſio eam intelligere nequiverit, huic ſive abs te, ſive ab aliis Epiſcopis, comprovincialibus ſcilicet, ejus doctrinæ fulgore nitentibus, ſobriè tradatur. Sed & in hoc nihilominus circumſpectam monemus eſſe tuam prudentiam, ut ab his qui eas tranſcripturi ſunt, ita tranſcribantur, ut nec depravata vitio ſcriptoris, nec detruncata ab aliquo fiat: ſed ſicut prædicto miſſo noſtro eis demonſtratum fuerit, abſque aliqua depravatione vel detruncatione tranſcribatur. Noveris etiam, quia ideò illius exemplar apud armarium palatii noſtri detentum eſt, ut eo probari patenter poſſit, qui eas incuriosè tranſcripſerit, vel quis aliquam ejus partem detruncaverit. Omnes ergo tuæ diœceſeos Epiſcopi, & cæteri, eas vigilanti cura tranſcribere, ſolerti ſtudio intelligere, inſtantiſſimæ aſſiduitatis exercitio divinitùs adjuti operibus complere decertent: ut cùm nos hujus rei gratia inquirendæ veritatis Kalendis Septembribus, ſicut eidem ſacro & memorabili Concilio meminimus nos dixiſſe facturos, miſſos noſtros per imperium à Deo nobis collatum deſtinaverimus, remota cujuslibet difficultatis oppoſitione, ejuſdem ſalutiferæ inſtitutionis, prout Dominus eis poſſe dederit, ſtrenui inveniantur operatores: quoniam diligenti indagine, vita comite, perquirere jubebimus, quis injunctum ſibi officium ſtrenuè peregerit, vel quis in clauſtris Canonicorum & cæteris habitationibus conſtruendis, & in neceſſariis ſtipendiis eis tribuendis, & in domibus ad receptacula pauperum reparandis ſanctioni noſtræ paruerit, quiſve Clerum ſuum eadem inſtitutione & cæteris ſpiritalibus documentis inſtruere curaverit: vel quis cauſa avaritiæ, eos quos in Chriſti militia rationabiliter alere poterat, propulerit. Quia unius anni ſpacium dedimus, ut ea quæ promiſſa ſunt, abſque ullius difficultatis excuſatione perfici, ubi nec dum

facta

facta erant, facilimè possent. Nos quoque præfatum missum nostrum ad tuam sanctitatem ideo direximus, ut tuum cæterorumque Ecclesiasticorum in tua diœcesi consistentium, diligenter atque subtiliter in hoc negocio intueretur studium, & ut opem in cæteris commonendis ferret: qui etiam nobis referret, qualiter prælati & prælatæ eam libenter susceperint, diligenter transcribere studuerint, & devotè adimplere juxta vires curaverint: quoniam tam diu illum in tua vel comprovincialium tuorum diœcesi morari & discurrere unà cum misso tuo jussimus, donec ab omnibus memoratæ formulæ transcriberentur: ut videlicet cuncta procurans, diligenterque perficiens, cum ad nos illum redire opere expleto tempus permiserit, cuncta quæ acta sunt, vestro utrorumque scripto notentur, atque per ipsum tuumque missum nostræ dinoscentiæ intimentur, ut sciamus quibus gratiarum actiones referre, quosque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus. Si verò aliquis tuæ diœceseos eidem institutioni, vestræque admonitioni procaciter reniti voluerit, & eam quæ ab eodem sacro & venerabili Concilio constituta atque decreta est, quantum Dominus ei posse dederit, observare contempserit: præcipimus, ut si antea hujuscemodi non se correxerit, quicunque ille est, ante præsentiam nostram tua vel missi nostri admonitione venire festinaret, quatenus à nobis juxta quantitatem culpæ dignè corrigatur. Direximus præterea tibi pondus & mensuram, secundum quæ Clericis & sanctis monialibus panis & potus æqualiter tribuenda sunt. Quæ ut ab omnibus firmissimè atque inviolabiliter teneantur, decernimus: & ne quid incrementi, aut detrimenti à quoquam patiantur, modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce hujus Epistolæ admonemus sanctitatem, ut secundum ministerium tibi divino munere collatum, nostræ in hoc negocio saluberrimæ admonitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas, & cæteris in parendo exemplum bonum tribuas. Dignum quippe justumque est, ut quantò sublimius sacerdotii dignitate aliis superemines, & à nobis venerabiliter diligeris, tantò magis ad Dei nostramque voluntatem exequendam, devotiorem te atque promptiorem exhibeas. Vale in Domino & ora pro nobis.

Cum hac Epistola pulchrè consonat, quod Amalarius quidam, de quo paulò post, ad hunc ipsum Ludovicum de officiis Ecclesiasticis scribens inquit, inter alia: *Præsertim cum sciamus vos Rectorem esse totius Christianæ religionis, quantum ad homines pertinet.* Vbi hic sedes Apostolica, & Primatus Papæ remanet? Simpliciter ac sine omni exceptione ipse Cæsar convocat Synodum, ipse decreta Synodi urget, & Legatos à latere ad omnes Spirituales mittit, omnibusq; magnum malum, ni pareant, minatur, jubens eos coram se suóve tribunali comparere.

Hic idem Ludovicus Pius paulò post mortem Caroli, cum ad eum allatum esset (ut Henricus de Erfordia testatur) Leonem Papam multos primarios viros ob

novum

novum quendam eorum contra se motum interfecisse, gravissimè id tulit; misitque Bernardum Regem Italiæ, suumque nepotem, Romam, qui rem totam cognoscerent. Misit & Papa Legatos ad eum vicissim, seque de eo facto, nescio sanè qua demum ratione, purgavit. Mortuo Leone, suffectus est *Stephanus*, qui confirmationis causa adiit Ludovicum; ab eoque impetravit, ut quos olim Carolus in exilium Roma pepulerat, redire possent. Vnde facilè divines, quis tum Romæ imperitaverit, Pontifexne an Cæsar. Post brevissimum Pontificatum Stephani, electus ac ordinatus est *Paschalis*, sine Imperatoris authoritate; sed timens tamen Imperatorem, confestim Legationem deprecandi causa ad eum misit. Ludovicus condonavit quidem ei id crimen, sed Clerum ac populum Romanum graviter increpitum monuit, ne posthac consimiliter pergant Imperatoriam Majestatem violare, sed vetera instituta ac pacta servent: quod Platina testatur. Ex qua comminatione facilè apparet, quàm verum sit, quod Bibliothecarius & Gratianus fingunt, Ludovicum hunc suis juribus in creando Papa, renunciasse, de qua re alibi prolixius dicetur.

Verùm ut rectius intelligi possit, quod suprà de Leone dixi, adscribam locum ex Decretis II. quæstione VII. ubi sese prædictus Leo admodum humiliter judicio Ludovici submittit. Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro admissorum nostrorum cuncta volumus emendare judicio, quoniam si nos, qui aliena debemus corrigere peccata, pejora committimus: certè non veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus, ut tales ad hæc quæ diximus perquirenda, missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta quemadmodum si vestra præsens fuisset Imperialis gloria, diligenter exquirant, & non tamen hæc sola quæ superius diximus, quærimus, ut examussim exagitent: sed minora sive majora etiam illis sint de nobis indicata negocia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod ex eis indiscussum vel indefinitum remaneat. Quidam Historici scribunt, & alios Pontifices sub hoc Ludovico esse eo inconsulto ordinatos, contra veterem consuetudinem, & id quod Leo cum tota Romana Ecclesia sacrosancto juramento, literis ac sigillo, Carolo promiserant. Quare hic quidem Ludovicus eos acriter admonuit, ut memores essent veterum consuetudinum ac pactorum. Verùm cum postea *Os porci*, seu *Sergius Secundus*, sub Lothario itidem, inconsulto Imperatore, ordinatus esset, misit ille filium Ludovicum unà cum Drogone Archiepiscopo Coloniensi, ac valido exercitu; qui postquam multis cladibus Romanos affecissent, coegerunt eos ad deditionem ac jurandam obedientiam & observationem veterum consuetudinum in constituendo Papa de Imperatoris arbitrio. Confirmavit tamen nihilominus post gravem mulctam Ludovicus hic secundus

Ser-

Sergium, ab eoque viciſſim in Regem Italiæ eſt unctus. Hinc igitur eſt, quod hic Ludovicus tam potens in Italia fuerit, Romamque pro arbitrio rexerit, ut ſequens hiſtoriola teſtatur.

C. *Eutropii Continuator, cujus ſcopus eſt demonſtrare Cæſarem in Pontifices Romanos tunc temporis omnem habuiſſe autoritatem merumq́ imperium.*

HAbeo exemplar manuſcriptum ſatis vetuſtum Eutropii & adjunctorum ſcriptorum, in 26. libros diſtributum. In ejus fine eſt quædam vetuſta hiſtoriola, à quodam (ut verum fatear) non admodum literato deſcripta; in qua oſtenditur non incommodè, qua ratione, quibúsve fraudibus quidam Pontifices Cæſarum potentiam labefactarint, ſuamque oppreſſo Imperio auxerint. Quæ tametſi, ut dixi, videatur eſſe rudior, & in recitatione eorum quæ initio in Romana civitate ac Eccleſia acta ſunt, etiam ineptior; tamen quia ſaltem in recentioribus rem verè, ut acta eſt, recenſere videtur, eam adſcribam.

Priſcis temporibus Imperiale decus effloruit Romæ, ſub cujus dominatone diverſa conſiſtebant regna, & cui cunctæ gentes propria ſubmittebant colla. Conſtituit ergo Conſules, qui cotidiano uſu regni gubernacula conſilio diſponebant. Erant namque diſtributa officia per Senatores & Magiſtratus, prout unicuique miniſterium opere competebat. Imperiale verò decus laudibus honoribusque ab omnibus tantum modo extollebatur. Poſt adventum unigeniti Filii Dei, & poſt aſcenſionis ejus gloriam, Romanum imperium Byzantium ſe contulit, quæ à Conſtantino Magno Cæſare Conſtantinopolis vocata eſt. Quæ quia Romano gloriabatur imperio, dicta eſt Nova Roma: ſic tamen, ut antiqua Roma glorioſa præponeretur cæteris. Euntibus autem Apoſtolis, vel ſucceſſoribus eorum, prædicare Evangelium ſecundum divinum præceptum, in mundum univerſum, Romam Cæſares revertebantur, diverſa tormenta ſanctis inferentes, ut diis ſuis placerent. Vnde accidit, ut B. Petrus, qui prælatus fuerat cæteris à Ieſu Chriſto Domino noſtro, Romam prædicationis cauſa veniret, quæ omnium gentium clamabatur domina: quæ eatenus, ſicut multis idolorum ſimulachris erat ſeducta, ita plurimis prædicationibus Apoſtolorum, aliorumque martyrum exhortationibus cum cæteris converſa. Vbi etiam beatus Petrus, & Paulus doctor gentium, martyrio coronati ſunt: ut ſicut Roma per antiqua mœnia caput erat multarum gentium in diviſione ſimulachrorum, ita caput & domina vocaretur omnium Chriſtianorum in unitate veræ fidei & inconfuſæ Deitatis, habens principatum totius Chriſtianitatis in accepto privilegio Ieſu, ubi ait, *Tu vocaberis Cephas*. Et alibi: *Ego rogabo pro te, ne deficiat fides tua.*

Diviſo autem Romano imperio, eò quòd imperialis ſedes, quæ antiquæ

Q Romæ

Romæ ſolita erat, Conſtantinopolim eſſet deducta: multarum gentium populi contra urbem fuerant rebelles. Vnde magna & non pauca contra eam ſurrexerunt bella teſte Oroſio. Tunc enim Roma per Patricios principabatur. Erat tamen tantum ſubjecta ſuo Imperatori ita, ut ſi aliquando Imperator paganorum ritu inveniretur crudelis, per ſuos Legatos, ſanctiſſimos Romæ Præſules, alioſque Chriſtianos, per diverſa ſupplicia martyrio coronaret. Creſcente autem Chriſtiana religione talis æſtus fidei à Patriciis exarſit, uſque dum Longobardi ſunt Italiam ingreſſi. Cumque adpropinquarent Pado, nunciatum eſt Romæ (præſidebat verò Sylverius Papa tunc Rom. Eccleſiæ) Narſo Patricio, cujus uxor vocabatur Polyxiana. Nunciatum eſt autem illis, quòd præfatus Pontifex miſiſſet ad Longobardos, invitans eos Romam, quatenus poteſtas Græcorum aboleretur, & Eccleſiæ jura elevaret ſub poteſtate Pontificis: cui tanta inerat neceſſitas, ut nihil aliud præter Eccleſiarum & Clericorum haberet curam. Quotidianus ergo victus dabatur de palatio, conſuetus, & annualia dona pro reſtauratione Eccleſiarum, & Cæſaris eleemoſyna honoris cauſa: & ſolummodo erat ob reverentiam Apoſtolorum Petri & Pauli. Si quando Imperialis Legatus mitteretur à Principe, ut Romanus Pontifex proficiſceretur Conſtantinopolim ad Imperatorem, omni neglecta occaſione ibat, etiam ſi pro certo ſciret ut in exilium mitteretur. Mittebatur aliquando quidam nuncius à Narſo Patricio ad Silverium Papam, cunque proficiſceretur ad domum illius, ubi jacebat ægrotus: dixit illi uxor ſua: *Domine Papa, quid tibi peccavimus, quia voluiſti inducere Longobardos ſuper nos?* His dictis, fecit eum comprehendi, & tonſorari, veſtemque monachicam induere, nec non ſedentem aſino ad monaſterium ſanctæ Sabæ perducere. Cumque egreſſus eſſet foràs, ſedens ſuper aſinum, dixit quidam de aſtantibus: *Heu Dominus Papa mortuus eſt.*

Cent. 8. Magdeb. c. 7. col. 512.

Præterea invadentibus Longobardis Italiam, & converſis ad Chriſti fidem, fugati ſunt Græci, & ceſſavit imperium ab urbe Roma uſque ad Francos. Per Reges enim principabantur Longobardi. Diviſis quippe Italiæ finibus, Spoletanorum Dux Romæ conſtitutus eſt vice Regis, tali pacto, ut quando Apoſtolicus obiret, intereſſet dux præfatus electioni futuri Pontificis, accipiens plurima dona in partem regiam. Si autem lites inter Romanos ſurgebant, ex Primatibus Regis adveniebat miſſus cum eodem duce, ad deliberandas cauſas, & legaliorum judicia. Et qui in culpam criminis incurrebant, regali puniebantur poteſtate, aut in exilium mittebantur, etiam inconſulto Apoſtolico: uſque ad Zachariam Præſulem, qui ſubdolè quaſi pro familiaritate quadam profectus eſt ad Carolum Regem Francorum, eò quòd idem Carolus habebat filiam Deſiderii Regis Italici uxorem: invitavitque eundem Carolum in Italiam, ſeminans inter Reges diſcordias, laudans & proferens illi imperialia ſceptra, accepitque ab eo ſecuritatem, quo tempore ingredi deberet Italiam: jurantesque mutuò, reverſus eſt. Tranſ-

eunte

eunte autem eo per fines regni Desiderii, separavit ab eo quosdàm de suis, dans quibusdam plurima dona, quibusdam jurat dari similia. Accipiente autem Carolo hoc regnum, profectus est Romam, deditq; ibi donaria multa, quæ usque hodie Romanum tenet dominium, de regni hujus confinibus. Fecitq; pactum cum Romanis, eorumque Pontifice, & de ordinatione Pontificis, ut interesset quis Legatus, & ut contentiosas lites ipse deliberaret. Constituebant autem annualia dona in Papæ palatium perducenda, auri libras decem, argenti centum, pallia optima decem, exceptis privatis donis. Et quando Imperator adveniebat Romam, vel suus Legatus, mittebantur judices à palatio singulis annis, qui per cuncta Romanorum confinia legalia vendicabant placita, compellentes habitatores locorum illorum venire ad placitum, judicantibus eorum judicibus rectam legem in præsentia Imperialium judicum. Etsi alterius gentis invenirentur habitatores, regali judicio judicabantur. Erant denique Monasteria in Sabinis, Domini Salvatoris, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, nec non & monasterium beati Andreæ Apostoli juxta montem Soractis, seu cætera fiscalia patrimonia intra Romanos fines ad usum Imperialem. Non solum autem in Italico regno, verùm etiam in Francia proficiscebantur Monachi, ferentes vectigalia, vina, & alia donaria, juxta virium posse. Igitur Romanis in sua securitate gloriantibus, levatum est cor illorum, juxta illorum consuetudinem; volueruntque Imperialem potestatem vendicare sibi. Resistente autem Leone Papa, comprehenderunt eum, volueruntque ejus eruere oculos. Eruerunt autem unum, & alterum non potuerunt; quia liberavit eum divina miseratio, & ejectus est ab illis extra urbem, quasi perditis ambobus luminibus. Qui fugiens in Franciam pervenit, ad Carolum. Vnde accidit, eundem Carolum venire pro vindicta Apostolici; comprehendensque Romanos, de majoribus eorum uno die in campo Lateranensi fecit trecentos decollari.

Propterea inventum est, ut omnes majores Romæ essent Imperiales homines tam Episcopi quàm laici: & omne vulgus pariter cum his faceret fidelitatem Imperatori, & ut suus missus omni tempore moraretur Romæ, ad deliberandas litigiosas contentiones. Morabatur quippe in palatio sancti Petri: & erat constitutum, quanta & qualia stipendia de palatio ei darentur quotidie. Quòd autem reliquum erat de supradictis monasteriis, vel patrimoniis, deferebatur affluenter. Tanta nempe Imperialis virtus ibi vigebat, ut si in legali judicio minoris vel inscii causa postponeretur, & ille alicujus consilio pedes teneret Legati Imperatoris, petens ab eo justam legem, & missus adjuraret Principes Romanorum dicens, Per eam fidem quam Domino Imperatori debetis, facite huic homini justam legem: nemo erat ausus declinare neque ad dexteram neque ad sinistram, etiam si à propinquis Pontificis illata esset injuria. Multoties verò non ante Apostolicum, sed in judiciali loco ad lateratus, ubi quidam locus dicitur, Ad lupam, quę mater vocabatur Romanorũ, ibi judiciariã legem finiebant. Compositiones

nes id est mulctæ quoque, quæ solvebantur à malefactoribus, æqualiter dividebantur misso Imperatoris & Apostolici. Si autem talis culpa erat ut res scelerata fisco publico subderetur, non ad Ecclesiasticam transibat subjectionem, nisi per donativum Imperiale præceptum. Si enim aliquis iram incurrebat Imperatoris, Episcopus aut Iudex Romanus, & licitum esset Cæsari venire Romam, veniebat. Sin autem mittebatur Dux Spoletinus, comprehendebatur offensor, & ducebatur in exilium. Domus verò illius signabatur annulo Regis, usque ad ejus consultum: ut si quando reverteretur ad gratiam, haberet propria salva. Sin aliàs, per Imperalia præcepta distribuebatur militibus. Quòd si ad judicis potestatem rejiciebatur quisquam, & Cæsaris adhæreret clementiæ, mittebatur pro tali negotio Legatus ab Imperatore, qui diligenter examinaret rei veritatem. Etsi ejectus propriam haberet culpam, sustineret injuriam.

Hac consuetudine usi sunt Romani usque ad Ludovicum Magnum, (qui aliàs II. vocatur) Imperatorem, Lotharii filium. Hic quia magis Italiam habitare elegit, vicinior factus est Romæ: ubi & ampliori quadam usus est potestate, habens strenuos viros ejus urbis, scientes antiquam Imperatorũ consuetudinem, & intimantes Cæsari, qui suggerebant illi, repetere antiquam Imperatorum dominationem, Et nisi ob reverentiam beatorum Apostolorum dimitteret, pro certò faceret. Hic etiam Princeps Beneventi fines ingressus est, & totius Calabriæ, duobus modis. Vno, quod provincia esset Italiæ, volens totius regni fines suæ vendicare ditioni. Altero, eò quòd immanissima gens Aggarenorum, illa jam tangebat confinia, capientes quandam urbem quæ vocatur Bari, quam munientes, & multis victualibus implentes, pro refugio habebant. Et ideo à comprovincialibus terræ illius benignè susceptus est. De hoc Cæsare vide postea in Drogone.

Præfatus itaque Cæsar cum multitudine populi proficiscebatur, ad accipiendas easdem gentes. Et ne gravaret eos qui deprædati ab Aggarenis erant, quæsivit solatium Ravennæ: sed quæsivit etiam solatium, quæ vicina erat Venetiæ, quatenus navali adjuturio fultus, posset abundanter ferre Apuliam. Præsidebat namque tunc Ravennati Ecclesiæ Ioannes Archiepiscopus, qui serviens Imperatori familiarior erat. Vnde invidia ductus Romanus Pontifex, nomine Nicolaus, exarsit in iram contra illum, vocans eum subdolè Romam, ut quasi Ecclesiastico judicio posset hunc condemnare, & alterum subrogare. His quippe auditis, Archiepiscopus confugit ad Reginam Engelbergam: quæ suos Legatos direxit Apostolico, rogans ut redderet gratiam Archiepiscopo. Quod cum impetrare nequiret, suo domino humiliter intimavit, ut gratiam interferret suæ tuitionis Archiepiscopo, vetans Apostolicum ei nullam inquietudinẽ facere. Et quia inaudito Principe Apostolicus excommunicationes in eum protulit, gravis inimicitia inter eos facta est. Erectus est deniq; Regius honor cõtra Apostolicam dignitatẽ, objiciens ei

antiqua

antiqua Patrum statuta, non licere Prælato excommunicare Episcopum, inconsulto synodali Concilio. Et quia Synodus non à Papa, sed ab Imperarore vocari deberet. Plurimæ denique irrogationes pro tali occasione illatæ sunt Rom. Pontifici. Nam Pentapoli beneficiales ordines suis distribuit, præcipiens nullam administrationem impedere Romæ, exceptis suffragiis navali deportatione. Multa n. juvamina imperiales habuerunt fideles. Fecit etiã occupare nonnulla Patrimonia in Cãpaniæ partibus regio usui, suorumque fidelium. De prædictis quoque monasteriis cotidiana exigebantur servitia in disco Regis, per diversos apparatus. Constituit denique consultu Romanorum Principum in urbe Roma Arsenium quendum Episcopum, sanctitate & scientia adornatum, & apocrisarium sedis Romanæ, deditq; illi adjutorem Iohannem Diaconum & Archicancellarium, suumq; Secretarium, qui postea Reatinus Episcopus effectus est, unde jam electus erat.

Tempore igitur congruo Imperator veniebat Romam, & suscipiebatur ab omnibus tamen majoribus quàm minoribus honorificè: veniebatque cum eo jam dictus Archiepiscopus Ravennæ, nil metuens minas Pontificis. Vnde evenit major discordia inter Papam & Imperatorem. Erat quippe Imperator in palatio sancti Petri Apostoli, & Papa ad sanctos Apostolos. Cumq; omnes illius insidiæ contra Regiam dignitatem pro nihilo ducerentur, constituit monachos seu Christo dicatas virgines ex monasteriis Romæ, ut quasi sub obtentu Religionis cotidianas celebrarent lætanias, per circuitum murorum, & Missas canerent, contra Principes malè agentes. His auditis, primarii Regis humiliter accedentes ad Papam, rogaverunt eũ familiariter, ut talia prohiberet. Et, cũ nihil ab eo impetrare possent, reversi sunt mœrentes. Quadam verò die, cum quidam milites præfati Principis irent ad sanctũ Paulum, & reverterentur, accidit eos occurrere talibus lætaniis. Qui instinctu antiqui hostis in iram versi sunt, & pro fidelitate sui senioris vindictam exercuerunt contra illos, percutientes, & cædentes graviter cum fustibus quos manibus deferebant. Qui fugientes, projecerunt cruces & iconas, quos portabant, sicut mos est Græcorum: è quibus nonnullæ conculcatæ, nonnullæ diruptæ sunt. Vnde & Imperator graviter est permotus in iram, & pro qua causa Apostolicus mitior effectus est. Profectus est deniq; idem Pontifex ad sanctum Petrum, rogans Imperatorem pro suis talia patrantibus & vix obtinere valuit. Iam itaq; inter se familiares effecti sunt, tamen Regia dignitas semper fuit Romæ, suisque confiniis, usque ad finem dierum Imperatoris, sicut suprà prælibatum est. Eo verò infirmante, & ad extremum propinquante, quia non habebat filium, voluit sibi succedere Carolum Magnum (fortè Grossum) ad suscipienda imperialia sceptra. Cùm hæc ita geruntur, Romani Pontifices semper per oratores literas mittebant invitatorias ad Carolum Calvum Regem Francorum, invitantes eum clàm. Et quia erat in literis quasi Philosophus, rogabant illum supervenire B. Petro, & de servitutis jugo ad propriam libertatem reducere suam Ecclesiam, ut quasi per vim ab aliquo esset oppressa.

Talibus evolutis machinationibus moritur Ludovicus. Mittitur statim citatus à Ioanne; qui tunc præerat, à Papa legatus ad eundem Carolum: qui nullas veniendo faciens moras, ingressus Italiam, petiit Romam. Mittitur denique alius missus ab uxore Imperatoris Engelberga, vel à suis Primatibus ad Carolum Magnum (sive Grossum) ostendens ei vota defuncti. Et quia longius erat, noluit tam citò venire, ut impedire posset iter Caroli Calvi. Qui veniens Romam, renovavit pactum cum Romanis: perdonans illis jura regni, & consuetudines illius, tribuens illis sumptus de tribus supradictis monasteriis, id est, Domini Salvatoris, & beatæ Mariæ semper virginis in Sabinis, atque sancti Andreæ juxta montem Soractis, & de cæteris quam plurimis monasteriis fiscalia patrimonia. Patrias autem Sanniæ & Calabriæ, simul cum omnibus civitatibus Beneventi, eis contulit: insuper ad decorem Regni totum Ducatū Spoletinum, cum duabus civitatibus Thusciæ, quod solitus erat habere ipse Dux: id est, Aricium & Clusium: quatenus ut is qui præerat Regia vice antè Romanis, videretur pòst esse subjectus. Removit etiam ab eis Regias Legationes, assiduitatem vel præsentiam Apostolicæ electionis. Quid plura? cuncta illis contulit quæ voluerunt: quemadmodum dantur illa quæ nec rectè acquiruntur, nec possessura sperantur. Fugato itaq; isto Carolo præ metu alterius Caroli, qui veniebat, infirmatur, antequam de Regno egrederetur Italico. Egressus namque vix, defunctus est. Ab illo autem die honorificas consuetudines Regiæ dignitatis nemo Imperatorum, nemo Regum acquisivit: Quia aut virtus defuit, aut scientia, pro multis regni contentionibus, & assiduis divisionibus. Vnde multa prælia, delationes & rapinæ fuerunt in regno: Hactenus Appendix.

Hic cùm multa alia discere, piè Lector, potes, tum etiam illud paulò rectius intelligere, quòd quidam Historici scribunt, Ioannem Ravennatem Patriarcham multa contra canones egisse, eoque à Papa Nicolao excommunicatum fuisse, nempe crimen Ioannis non aliud quàm invidia Nicolai fuit, quòd Ioannes in bona gratia apud Ludovicum erat, quodque Papæ mancipium per omnia esse fortè noluit. Quod & ex mulcta, quam ei Nicolaus Papa postea injunxit, facilè apparet. Cum hac historia conjunge, & eam quæ mox sequetur in Drogone Metense. Sic rem totam plenius cognosces.

* Extat inter Hincmari Epistolas p. 634, 635.

CI. *Præfatio in librum Antiquum lingua Saxonica conscriptum.*

Ludovicus I. Biblia sacra converti jubet in Germani-

CVm plurimas Reipublicæ utilitates Ludovicus, piissimus Augustus, summo atque præclaro ingenio prudenter statuere atque ordinare contendat; maximè tamen quod ad sacrosanctam Religionem æternamque animarum salubritatem attinet, studiosus ac devotus esse comprobatur. Hoc quotidiè solicitè tractans,

ctans, ut populum sibi à Deo subjectum sapienter instruendo ad potiora atque excellentiora semper accendat, & nociva quæque atque superstitiosa comprimendo compescat. In talibus ergo studiis suus jugiter benevolus versatur animus, talibus delectamentis pascitur, ut meliora semper augendo multiplicet, & deteriora vetando extinguat. Verùm sicut in aliis iñumerabilibus infirmioribusque rebus, ejus comprobari potest affectus; ita quoque in hoc magno Opusculo sua non mediocriter commendatur benevolentia; nam cum divinorum librorum solummodo literati atque eruditi prius notitiam haberent, ejus studio atque imperii tempore; sed Dei omnipotentia atque inchoantia mirabiliter auctum est, nuper ut cunctus populus suæ ditioni subditus, *Theudisca loquens lingua*, ejusdem divinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque cuidam viro de gente Saxonum, qui apud suos non ignobilis Vates habebatur, ut *Vetus ac Novum Testamentum in Germanicam linguam poeticè transferre studeret*, quatenus non solum literatis, verum etiam illiteratis, sacra divinorum præceptorum lectio panderetur. Qui jussis Imperialibus libenter obtemperans, nimirum eò facilius, quò desuper admonitus est prius, ad tam difficile tanque arduum se statim contulit opus; potius tamen confidens de adjutorio obtemperantiæ, quàm de suæ ingenio parvitatis. Igitur à mundi creatione initium capiens, juxta historiæ veritatem quæque excellentiora summatim decerpens, & interdum quædam ubi commodum duxit, mystico sensu depingens, ad finem totius Veteris ac Novi Testamenti interpretando more poëtico satis faceta eloquentia perduxit. Quod opus tam lucidè tamque eleganter juxta idioma illius linguæ composuit, ut audientibus ac intelligentibus non minimam sui decoris dulcedinem præstet. Iuxta morem verò illius poëmatis omne opus per *vitteas* distinxit, quas nos *lectiones* vel *sententias* possumus appellare.

cam linguam, ligata oratione, ut rudiorum memoria consuleretur.

Ferunt eundem Vatem, dum adhuc artis hujus penitus esset ignarus, in somnis esse admonitum, ut sacræ legis præcepta *ad cantilenam propria linguæ congrua modulatione* coaptaret. Quam admonitionem nemo veram esse ambigit, qui hujus carminis notitiam, studiumque ejus compositoris atque desiderii anhelationem habuerit. Tanta namque copia verborum, tantaque excellentia sensuum resplendet, ut cuncta Theudisca poëmata suo vincat decore. Clarè quidem pronunciatione, sed clarius intellectu lucet. Sic nimirum omnis divina agit scriptura, ut quanto quis eam ardentius appetat, tantò magis cor inquirentis quâdam dulcedinis suavitate demulceat. Vt verò studiosi lectoris intentio facilius quæque, ut gesta sunt, possit invenire, singulis sententiis, juxta quòd ratio hujus operis postularat, *capitula* annotata sunt.

CII. *Versus de Poeta & interprete hujus Codicis.*

Hincmari Epist. p. 636

FOrtunam studiumq; viri latosq; labores,
Carmine privatam delectat promere vitam.
Qui dudum impresso terram vertebat aratro,
Intentus modico, & victum quærebat in agro,
Contentus casula fuerat, cui culmea testa,
Postesq; acclives sonipes sua lumina nunquam
Obtrivit, tantum armentis sua cura studebat.
O fœlix nimium proprio qui vivere censu
Prævaluit, fomitemq; ardentem extinguere diræ
Invidiæ, pacemq; animi gestare quietam.
Gloria non illum, non alta palatia regum,
Divitiæ mundi, non dira cupido movebat.
Invidiosus erat nulli, nec invidus ulli.
Securus latam scindebat vomere terram:
Spemq; suam in modico totam statuebat agello;
Cum sol per quadrum cœpisset spargere mundum
Luce sua radios, atris cedentibus umbris,
*Egerat exiguo paucos * minando juvencos*
Depellens tecto vasti per pascua saltus.
Lætus & attonitus larga pascebat in herba,
Cumq; fatigatus patulo sub tegmine, fessa
Convictus somno tradidisset membra quieto;
Mox divina polo resonans vox labitur alto:
O quid agis Vates, cur cantus tempora perdis?
Incipe divinas recitare ex ordine leges,
Transferre in propriam clarissima dogmata linguam.
Nec mora post tanti fuerat miracula dicti;
Qui prius agricola, mox & fuit ille poeta:
Tunc cantus nimio Vates profusus amore,
Metrica pòst docta dictavit carmina lingua.
Cœperat à prima nascentis origine mundi,
Quinq; relabentis percurrens tempora secli,
,, *Venit ad adventum Christi, qui sanguine mundum*
,, *Faucibus eripuit tetri miseratus Averni.*

* *Minare pro ducere, vox ita sica est.*

CIII. Clau-

Claudius Taurinensis Episcopus.

CLaudius Taurinensis Episcopus floruit Caroli & Ludovici temporibus, quibus quoq; intimus diu admodum ante Episcopatum fuit. Pugnavit acriter voce & scriptis contra adorationem imaginum, crucis, reliquiarum; contra invocationem Sanctorum; contra peregrinationes; contra Primatum Papæ, & multa similia; quæ mala tunc graviter, præsertim in Italia, ubi ille fuit Episcopus, grassabantur. Quin & ipsum Pontificem non usquequaque molliter contrectat; nam is irasci Claudio cœperat, quòd ille lucrosas sibi superstitiosorum hominum peregrinationes Romam versus taxabat. Contra hunc Claudium, post mortem ejus, scripsit satis ineruditè, & contumeliosè Ionas *Aurelianensis Episcopus*, tempore Caroli secundi, qui primi nepos fuit; inseruit verò ille suo scripto, etiã excerpta quædam ex libro prædicti Claudii quæ etsi procul dubiò nec optima fide excerpta sint, nec præcipua seu nervosissima ejus dicta; tamen operæ precium me facturum putaui, si ea ipsa discerpta in unum colligerem, lectoriq; cognoscenda proponerem. Prudens verò ac pius lector facilè inde ratiocinari poterit, quàm præclarum ac utile totum ejus opus esset, si integrè haberi posset.

Quis fuerit & quid docuerit.

* Extat in Tom. V. Biblioth. Patrum, edit. Margarini de la Biqne, Ionæ Aur. libri 3. de cultu Imaginum adv. hæresin Claudii Taur, p. 593. Claudii verò Rescriptum adv. Theodomirum p. 598. seqq.

Apologeticum seu Rescriptum Claudii Episcopi, adversus Theodemirum Abbatem, in quo non modo adorationem Imaginum, & peregrinationem Romam versus, sed etiam Principatum Rom. Pontif. impugnat.

EPistolam tuam cum adiunctis super Capitulis plenam garrulitate atque stoliditate, per quendam accepti portitorem, in qu-bus Capitulis denuncias te turbatum, ita inquiens; eò quòd *rumor abierit ex Italia de me per omnes Gallias, usque ad finem Hispaniæ, quasi ego sectam quandam nouam prædicaverim contra regulam fidei catholicæ,* quòd omnino falsissimum est.

Nec mirum est, si de me ista dixere diaboli membra, qui ipsum caput nostrum & seductorem & dæmoniacum proclamaverunt.

Ego enim non *sectam* doceo, qui veritatem teneo, & veritatem proclamo, sed *sectas*, & *schismata*, & *superstitiones*, *atq; hæreses* (in quantum valui) *compressi*, contrivi, expugnavi, & expugnare in quantum valeo prorsus, Deo auxiliante, non cesso; & quia, quod homines colebant, ego destruere solus cœpi. Cum enim distinctè dicatur, non faciendam similitudinem omnium quæ in cœlo sunt, aut quæ in terra, non de solis similitudinibus alienorum deorum intelligitur dictum, sed & de cœlestibus creaturis. Dicunt isti, contra quos Ecclesiam defendendam

ſuſcepimus: Si ſcribas in pariete, vel pingas imagines Petri & Pauli, Iovis & Saturni ſive Mercurii, nec iſti ſunt dii, nec illi Apoſtoli, nec iſti nec illi homines, ac per hoc nomen mutatur, error tamen, & tunc, & nunc idem ipſe permanet ſemper. Certè ſi adorandi fuiſſent, vivi potius, quàm ut tu poſuiſti, adorandi eſſe debuerant; non ubi pecorum vel (quod verius eſt) lapidum, ſive lignorum, vita, ſenſu & ratione carentium. Ex qua re ſummopere penſandum eſt; quia ſi opera manuum Dei non ſunt adoranda & colenda, quantò magis opera manuum hominum adoranda & colenda non ſunt prorſus, nec in honore eorum, quorum ſimilitudines eſſe dicuntur. Quia ſi imago, quam adoras, Deus non eſt (Quia non ſolum qui viſibilia figmenta atq; imagines colit, ſed etiam quamlibet, ſive cœleſtem, ſive terrenam, ſive ſpiritalem, ſive corpoream creaturam, vice nominis Dei colit, & ſalutem animæ ſuæ, quæ à Deo ſola eſt, ab illis ſperat, de illis eſt, de quibus dicit Apoſtolus: Et coluerunt & ſervierunt creaturæ potius quàm creatori) quid te ad falſas imagines humilias & inclinas? Quid ad inepta ſimulacra, & figmenta terrena captiva corpus incurvas? Rectum te Deus fecit, & cum cætera animalia prona, & ad terram ſitu vergente depreſſa ſint, tibi ſublimis ſtatus, & ad cœlum atq; ad Dominum vultus erectus eſt. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige, in ſupernis Deum quære, ut carere inferis poſſis, ad alta & cœleſtia ſuſpenſum pectus attolle. Quid te in lapſum mortis cum inſenſata imagine, quam colis, ſternis? Quid ruinam diaboli per ipſam & cum ipſa cadis? Sublimitatem ſerva, qua natus es: perſevera talis, qualis à Deo factus es. Sed dicunt iſti falſæ religionis atq; ſuperſtitionis cultores: *Nos ob recordationem Salvatoris noſtri, crucem pictam, atq; in eius honorem imaginatam, colimus, veneramur, atq; adoramus.* Quibus nihil aliud placet in Salvatore noſtro, niſi quòd & impiis placuit, opprobrium paſſionis, & irriſio mortis. Hoc de illo credunt, quod & impii homines, ſive Iudæi, ſive pagani, qui eum reſurrexiſſe diffidunt, & non noverunt de illo aliud cogitare, niſi eum totum & mortuum, & ſemper in paſſione poſitum, in corde ſuo credunt & retinent. Et non attendunt, neq; intelligunt quod ait Apoſtolus: *Et ſi noveramus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non novimus.* Contra quos reſpondendum eſt: Quia ſi omne lignum ſchemate crucis factum volunt adorare, pro eo quòd Chriſtus in cruce pependit, & alia multa illis conveniunt, quæ Chriſtus egit per carnem. Vix enim ſex horis in cruce pependit, & tamen novem menſib. lunaribus, & ſuper undecim diebus in utero virginis fuit, qui ſimul ſunt dies lunares ducenti ſeptuaginta ſex, id eſt, novem menſes, & ſupra dies ſex. Adorentur ergo puellæ *Virgines* quia virgo peperit Chriſtum. Adorentur & *Præſepia*, quia mox natus in præſepio eſt reclinatus. Adorentur

& *veteres*

& *veteres panni*; quia continuò cum natus esset, pannis veteribus est involutus: Adorentur & *naves*, quia frequenter in navibus navigavit, & de navicula turbas docuit, & in navi dormivit, & in dextra navigii rete mittere jussit, quando præpeditis illa magna captura facta est piscium. Adorentur *asini*, quia asellum insidendo ad Hierusalem usq; pervenit. Adorentur *agni* quia de illo scriptum est. *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Sed isti perversorum dogmatum cultores, agnos vivos volunt vorare, & in pariete pictos adorare. Adorentur & *leones* quia de illo scriptum est: *Vicit leo de tribu Iuda, radix David.* Adorentur, & *petræ*, quia quando de cruce est depositus, in saxeo sepulchro est positus: & de illo dicit Apostolus: *Petra autem erat Christus.* Sed Christus, petra, agnus, leo, tropicè, non propriè est dictus; per significantiam, non per substantiam. Adorentur & *spinæ ruborum*, quia exinde spinea corona tempore passionis capiti ejus imposita est. Adorentur & *arundines*, quia ab eis, colaphis à militibus caput ejus cæsum est. Postremò adorentur & *lanceæ*, quia unus militum lancea latus ejus aperuit, unde fluxit sangvis & aqua, sacramenta, unde formatur Ecclesia. Ridiculosa ista omnia sunt, & lugenda potius quàm scribenda, cogimurq; contra stultos proponere & contra lapidea corda non verbi sagittas, vel sententias, sed lapideos proijcere ictus. Redite prævaricatores ad cor, qui recessistis à veritate, & diligitis vanitatem, & estis vani facti. Qui rursum crucifigitis filium Dei, & ostentui habetis. Et per hoc catervatim animas miserorum, socias factas dæmonum habetis eas; alienando eas per nefanda sacrilegia simulacrorum à creatore suo, habetis eas dejectas & projectas in damnationem perpetuam. Quòd verò ais, *quòd ego prohibeam homines pœnitentiæ causa pergere Romam*, falsum tu loqueris. Ego enim iter illud non approbo. Et veluti exponens, qua te dixeris, infers: Quia scio quòd nec omnibus obest, nec omnibus prodest; nec omnibus proficit; nec omnibus officit. Te ipsum primùm interrogare volo. Si pœnitentiam agere, esse Romam pergere nosti, cur tu tanto tempore tantas animas perdidisti, quas in monasterio retinuisti, & pœnitentiæ causa in monasterio recepisti, & non eas Romam misisti, sed potius tibi servire fecisti? Si hæc ita se habent, ut tu dicis *pœnitentiam agere Romam pergere* est; quid acturus es de sententia illa, qua Dominus dicit, *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, quàm ut scandalizet unum de pusillis istis, qui in me credunt.* Scimus enim, quòd non intellecta Evangelica verba Domini Salvatoris, ubi ait B. Petro Apostolo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum*

Adversus peregrinationes religiosas.

Adversus primatum.

Adversus Primatum. propter ista jam dicta Domini verba imperitum hominum genus pro adquirenda vita æterna, postposita omni spiritali intelligentia, volunt pergere Romam. Quia si proprietatem verborum Domini subtiliter consideremus, non est Dei dictum: *Et quodcunq; ligaveris in cœlo, erit ligatum super terram: & quodcunq; solveris in cœlo, erit solutum & in terra.* Ac per hoc sciendum est, quòd tam diu Antistibus Ecclesiæ istud ministerium concessum est, usquedum ipsi peregrinantur in hoc mortali corpore. Cum verò debitum mortis exoluerint, alij succedunt loco ipsorum, qui eandem obtinent judiciariam potestatem.

Adv. Invocationem Sanctorũ. Redite cæci ad lumen vestrum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quod lumen in tenebris lucet, & tenebræ illud non comprehenderunt. Qui istud lumen non aspiciendo, in tenebris estis, & in tenebris ambulatis, & nescitis quo eatis; quia tenebræ obcæcaverunt oculos vestros. Post hæc verò promittenti Deo debet fidelis quisq; credere, quantò magis juranti. Quid est dicere, *Si fuerint in medio ejus Noe, & Daniel, & Iacob*: id est, si tantæ sanctitatis, tantæ justitiæ, tantiq; meriti sint, quanti illi fuerunt, non liberabunt filium neque, &c. Hæc idcirco, ut nemo de merito vel intercessione sanctorum confidat. Quia nisi eandem fidem, justiciam, veritatem teneat, quam illi tenuerunt, per quam placuerunt Deo, salvus esse non poterit. Audite hoc insipientes in populo, & stulti aliquando sapite, qui intercessionem Apostoli Romam pergendo quæritis, quid contra vos dicat sæpe dictus beatus Augustinus. Quinta tua in me objectio est, & displiceret tibi dicis, eò quòd *Apostolicus quis.* Dominus Apostolicus indignatus sit mihi. Hoc dixisti de Paschali Ecclesiæ Romanæ Episcopo, qui præsente iam corruit vita. *Apostolicus* autem dicitur, quasi *Apostoli custos.* Certe non ille dicendus est Apostolicus, qui in cathedra sedet Apostoli, sed qui apostolicum implet officium. De illis enim qui cum locum tenent, & non implent officium, Dominus dicit: *Super cathedram Moisi sederunt scribæ & pharisæi: omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, servate & facite; secundum opera verò eorum nolite facere.*

Vtinam & hoc scriptum integrè haberetur, & alia ejus; proculdubiò plura sui temporis Paparum errata damnavit & confutavit.

* Vide Centuriam Magdeb. IX. cap. 5. p. 219. 220. 221. 222. 223. 338. & c. 10. col. 527.

CIV. *Drogo Archiepiscopus Metensis.*

Lotharius Imp. opera Drogonis Pontificem reprimit. HIc Archiepiscopus tempore Lotharij Imperatoris filii Ludouici Pii floruit circa annum Domini 840. fuitq; Caroli Magni filius, Ludouici Pii frater, & vir verè pius ac doctus, teste Trithemio; ac est unà cum multis aliis Episcopis, quorum nomina postea recensebo, ab Imperatore cum filio Ludovico & valido exercitu Romam missus, ut Papam Sergium secundum, prius *Os porci* fortè ob ingluviem, vocitatum, retraherent ad obedientiam Imperii, & de aliis quoq; sceleribus

scribus redarguerent [Cent. 9. Magdeb. c. 7. col. 340.] Nam is Papa & alioqui pessimè suum Papatum administrabat, ut alibi hoc libro descripta ejus ex veteri codice vita ostendit; & inconsulto Cæsare electus consecratusq; fuerat, quòd tunc temporis minimè licebat, & omnino ad defectionem ac rebellionem quandam spectare videbatur. Quare cum illi in Italiam pervenissent, non tantum Cæsaris filius vim, ubi opus fuit, adhibuit, sed & missi Episcopi acriter Papam coram reprehenderunt. Non autem possum indicare omnia quæ Papæ objecerint; sed tamen præcipuè *de obedientia & superioritate* disputasse videntur, quòd scilicet Papa sit modis omnibus Cæsari subjectus, nec sine ejus nutu consecrari, multò minus regnare debeat. Nam & causa mittendi præcipua ea fuerat, & eò tandem Papam volentem nolentem, pertraxerunt. Verùm adscribam locum ex *Vitis Pontificis quæ Damasi vitis* adjunctæ sunt. Etsi enim ille scriptor, utpote Romanus sacerdos, summis laudibus in cœlum usq; omnes Papas sine discrimine vehat, tamen à prudente lectore facilè etiam ex hac qualicunque descriptione veritas deprehendi poterit. Sic verò ille in prædicti Sergii vita scribit: *Hujus sacratissimæ consecrationis cùm ad aures invictissimi Augusti Lotharii rumor pervenisset Imperatoris, Drogonem videlicet Metensis Ecclesiæ Archiepiscopum, cum excellentissimo Ludovico filio suo, magnoq; cum Francorum exercitu, Romam direxit. Cum quibus etiam Archiepiscopos, pluresq; Episcopos, Abbates, & Comites proficisci præcepit. Ipsi verò, à quo in oras Boloniæ civitatis cum teligeris suis exercitibus sunt ingressi, tantas cædes, &c.* Describit quomodo vi & armis omnia occupaverint, Papaq; & Romani perterriti, eos Romam intromiserint. Sequitur in textu, quomodo, cum Papa disputaverint Episcopi; deinceps verò per dies singulos conflictum summi certaminis cum sanctissimo Præsule, omnibusq; Episcopis & Optimatibus nostris atque Proceribus, ipse Drogo Archiepiscopus Metensis Ecclesiæ, de quo superius memoriam fecimus, commovebat, tam ipse quàm omnes Archiepiscopi & Episcopi, qui cum eo contra hunc universalem, & caput cunctarum Ecclesiarum, Domini sive Metropolitani concessione atque vocatione, convenerant, id est, Gregorius Archiepiscopus Ecclesiæ Ravennensis, & Angelbertus Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis.

Ioseph	*Episcopus Ecclesiæ.*	Eporediensis	Gausbrandus	*Episcopus Ecclesiæ.*	Pistoriensis
Aginus		Vergonensis	Cantio		Senensis
Amalricus		Cumensis	Lupus		Textini
Northehaudus		Vercellensis	Sisimundus		Aprunensis
Sigifridus		Regensis	Piceo		Scholauēsis
Toringarius		Concordiensis	Fratellus		Cameriēsis
Odelberius		Aquensis	Bisus		Firmanæ
Ambrosius		Lucensis	Racipertus		Nucetiniēsis
Ioannes		Pisensis	Amadeus		Pinnensis
Petrus		Volaterrensis	Donatus		Fesomlanæ,

Et cæteri, cum quibus etiam Boſo comes, Adalgiſus comes, Ioannes comes, Vuldo comes, Bernhardus comes, Vincfridus comes, atq; Maurinus comes, & cæteri pariter contendebant. Sed divina gratia inſpirante, nec ſermones ipſius almi Pontificis, neq; prudentiam ſuperare valuerunt. Tantaq; ei ſuperna aderat virtus, ut nulli ſermone eum concludere vel conſtringere potuiſſent. Et ab eo ſuperati pudore, & operti confuſione deſceſſerunt. Quod videntes omnem iram atq; ferocitatem, quam mentibus obſervabant, omni modo depoſuerunt. Illis igitur peractis, à prædicto poſtulaverunt Pontifice, ut omnes primates Romani fidelitatem ipſi Ludovico regi per ſacramentum promitterent. Quod prudentiſſimus Præſul fieri nequaquam conceſſit. Sed ſic orſus eſt illis: *Quia ſi vultis Domino Lothario magno Imperatori hoc ſacramentum ut faciant, ſolummodo conſentio atque permitto; nam Ludovico ejus filio, ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis nobilitas Romanorum conſentit.* Tunc demum in eadem Eccleſia ſedentes pariter tam beatiſſimus Pontifex, quàm magnanimus Rex & omnes Archiepiſcopi, atq; Epiſcopi ſtantibus reliquis ſacerdotibus, & Romanorum, ac Francorum Optimatibus, fidelitatem Lothario magno Imperatori ſemper Auguſto promiſerunt.

Falsò tantas laudes huic Porcino ori tribui, abunde poſtea ex authenticis Hiſtoricis vitam ejus longè aliter recitantibus, apparebit.

CVII. Rex Carolus, Magni Nepos & Synodus apud Dunſiacum.

Summa Epiſtolæ Regis & Epiſcoporum Galliæ ad Pontificem.

CArolus Rex Galliæ, Magni ex Ludovico filio nepos, acriter reſtitit tyrannidi Hadriani Pontificis Romani, qui tunc conabatur ſupremam juriſdictionem ſupra omnes Epiſcopatus uſurpare; cujus rei evidens argumentum ex epiſtola ſequenti apparebit. Nec verò ille tantum ſolus id ſenſit ac egit, ſed & totum ejus Regnum ac omnes Epiſcopi, ut clarè ſequens Synodus, & narratio, ac Epiſtola Hincmari Remorum Epiſcopi teſtatur. Reprehendit verò prædictus Rex & multa alia in Papis, ut quòd ſententias ferant non ex æquitate Petri, eoq; ejus privilegium meritò amittant. Item, quod Majorum ſuorum Decreta & Canones non ſervent, nec priſtinis ſuis juribus ſint contenti. Reſpondet quoq; ſatis animoſe & auſterè, minaturq; ſe in poſterum etiam acerbius reſponſurum, niſi Pontifex ab inſtituto, maloq; tyrannidis ſuæ propoſito receſſerit. Sed age, amiſſa prolixiore præfatione, ipſius Regis epiſtola audiatur. *Sanctiſſimo ac Reverendiſſimo patri Hadriano, ſummo Pontifici, & Papæ Carolus Dei gratia Rex & ſpiritualis filius veſter. Legimus in*

Dignitatē Regiam a-

libro

libro Paralipomeno filios Israel mente pacifica iviſſe ad prælium : quia non livoris vindicta , ſed obtinendæ pacis gratia dimicarunt. Quod rurſum dicimus , quia cogitis nos indecentibus poteſtati regiæ literis veſtris inhonoratum , inconvenientibus Epiſcopali modeſtiæ veſtræ mandatis gravatum , contumeliis & opprobriis dehoneſtatum , aliter quàm velemus mente pacifica vobis reſcribere , ut tandem animadvertatis , quanquam perturbationibus humanis noxium , in imagine tamen Dei ambulantem eſſe nos hominem , habere ſenſum paterna & avita , ſucceſſione , Dei gratia, regio nomine ac culmine ſublimatum ; & quod his majus eſt Chriſtianum *, catholicum , fidei orthodoxæ cultorem , ſacris literis ac legibus , tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus , ab infantia eruditum , nullo crimine publico in audientia epiſcopali legaliter ac regulariter accuſatum , minimè autem convictum. Et, ut quæ ſuperaddere poteramus , alia taceamus , ne nos potius jactare , quàm vera dicere videamur, licet legamus Apoſtolum plura de ſe dixiſſe ob aliorum ſalutem neceſſitate compulſum. Quoniam ſæpe humiliter vobis locuti , benigna & pacifica atq; honorabilia nobis ſcripta impetrare nequivimus , ut* quietem pacis & venerationem , *quam apud anteceſſores veſtros noſtri deceſſores & nos habuimus , quoquomodo obtinere poſſemus. Scripſimus vobis per* Actardum Epiſcopum , *& manſuetudinis noſtræ legatum, ſingillatim ac viritim , quam inconvenientia* pro Hincmaro , *quondam Laudunenſi Epiſcopo, ex nomine veſtro nobis ſcripta fuerunt ; quæ nos à vobis proceſſiſſe non credebamus, putantes nos ratione comperta ab incompetentibus , quæ aliorum inſtinctu nobis eatenus ſcripta fuerunt, calamum revocare. Sed ſpe vana fruſtratis aliter nobis, quàm ſperabamus, evenit. In capite quippè literarum , quas per præfatum* Actardum Epiſcopum *nobis veſtra direxit paternitas, auditam laudabilem veritatis & ſapientiæ noſtræ magnitudinem , vos prætuliſſe invenimus ; & mox de comperto murmure & tumultuoſo clamore indebitæ reprehenſionis adverſus paternitatem veſtram nos denotatos reperimus ; ſicq; auditam noſtram ſapientiam collaudaſtis , ut quaſi honeſtius & revera onuſtus nos ſolitis contumeliis afficere volueritis , quem non per inſipientiam, ſed per induſtriam in murmuratione & clamore contra debitam charitatem delinquere demonſtrabatis, & quaſi ad ora vaſculi melle illiti , & eodem fonte , quo & ante miſſæ literæ iſtæ poſteriores , nobis pernitioſum poculum propinaverunt , fatentes illa quæ aliorum inſtinctu , & non à nobis proceſſiſſe credebamus , veſtra fuiſſe ; Nam in præcedentibus literis nos* periurium , tyrannum ac perfidum , & diſtractorem rerum Eccleſiaſticarum , *non confeſſum , nec ordine iudiciario legaliter ac regulariter convictum , vocaſtis ; in* iſtis *autem* murmurationis crimen *nobis impegiſtis &* tumultuoſi clamoris nævum *impoſuiſtis , arguente Domino carnalem Iſrael per Prophetam, unde nos coarguitis,* Quia non fecerit judicium , ſed clamorem, *Et Apoſtolus ,* Omnis *inquit* clamor & indignatio tollatur à vobis. *Et non levius malum eſt murmuratio his , quibus nos antea denotaſtis dicente Apoſtolo.* Neq; murmuraveritis , ſicut quidam illorum murmuraverunt , & à ſerpentibus perierunt. Et,

criter tuetur Carolus Epiſtolæ. Extat inter Hincmari Epiſtolas pag. 544. edit Paris.

pag. 545.

Convitia Pontificis in Carolum Regem.

Eph. 4. 1. Cor. 10.

Et ut beatus dicit Gregorius; Nullus murmurans regnum Dei intrare permittitur.
Hinc colligendum est, quantum peccatum sit murmuratio, *quæ regnum Dei intercludit,*
pag. 546. Gal. 5. *Sicut & illa* peccata gravia, *post quorum enumerationem dicit Apostolus*, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: *Et non, ut scripsistis, tumultuoso clamore paternitatem vestram indebitè reprehendimus, sed quæ nobis ex vestro nomine scripta fuerunt, non multorum vocibus, quibus tumultus fieri solet, sed nostra tantum voce rescripsimus. Et quoniam talia vos misisse, & à sancta Romana Ecclesia, in omnibus semper discretissima atq; cautissima, dictata fuisse nequaquam credidimus, quia ipsa sancta sedes, cum modestia & discretione semper corripere & salubriter corrigere secundum uniuscujusq; personam, & ordinem solita fuit, suggessimus.*

Ioh. 18. Pontificis impietas. Gen. 18. *Igitur* si male locuti sumus, testimonium perhibere de malo; si autem benè, quid nobis succensetis. *Scriptum est* Abraham *licet sanctum, ut à Deo sanctificatum hominem, tamen eidem Deo dixisse:* Num perdes justum cum impio, non est hoc tuum. qui judicas omnem terram; *& non ingratè hoc Dominum suscepisse. Et non arguitis, quoniam humili placatione vobis suggessimus,* non esse vestrum, non confesso, vel legaliter ac regulariter convicto, regia etiam potestate, gratia Dei, prædito, talia sicut plebeio, & de criminibus confutato, scribendo impingere? *Scientes quàm grave sit fratri (quod nobis impactis minus est) dicere fatue, nulliq; detrahendum, vel contra fas maledicendum*; minimè autem Regi, *Apostolica doctrina atq; sancti David in Saulis jam à Domino reprobati reverentia, & Salomonis sapientia, ac Nabuche prodit historia.*

Impudentia. *Invenimus etiam in eisdem literis nobis datum* consilium (*si fortè dici potest* consilium, *quod est Domini exemplo contrarium, & decretis Sanctorum invenitur adversum*) *scilicet, ut verbis vestris dicamus*, omnia quæ à sede Apostolica, cui per Dei gratiam præsidetis, directa sunt, alacri mente percipere, animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere. *Scriptum est enim nobis ex vestro nomine,* Nos periurum, tyrannum,
pag. 547. ac perfidum, & distractorem *esse* rerum Ecclesiasticarum. *Et hæc alacri mente*
Esa 5. *percipere, animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere? Nisi scriptor fortè velit nos cum vulgo Æthiopes vocare argenteos, & ideo quis nobis* pulcher *videatur, qui à nomine* bellus *vocatur, & sibi cantare cum Persis*, Quicquid calcaveris rosa fiat, *Illudque Propheticum incurrere*: Væ his qui ponunt amarum in dulce.
Ioh. 8. *Cum Dominus dicentibus ad se Iudæis*: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes? *quod te cognovit, tacendo consensit, & patienter repulit, quod dictum fallaciter audivit, dicens:* Ego Dæmonium non habeo. *Cujus pro modulo nostro in hoc exemplum secuti, qui non dedignatus est ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare, de his quæ in nobis non recognovimus, humiliter & patienter apud paternitatem vestram nos excusavimus; ne si penitus taceremus, tales, quales denotabamur, tacendo & consentiendo esse nos fateremur, & quasi confessi & nostra confessione conjuncti iudicaremur.*

Refutatio. *Et hoc hortamentum, quod in literis ex nomine vestro ab Actardo Episcopo nobis delatis invenimus*

nimus, scilicet ut omnia, quæ à sede Apostolica nobis veniunt, humili semper debeamus intentione recipere, *non solum, ut præmisimus, Evangelicæ veritati, sed etiam decretis Sanctorum invenitur adversum*; *in quorum* decretis *legimus*, cum absolvi non posse, qui in se ipsum dixerit mortis causam, qua edicta in alium puniretur, *falsum videlicet testimonium*; cùm omnis, qui sibi fuerit mortis causa, maior homicida sit. *Et hinc decreverunt, ut quicunque sub ordinatione vel* Diaconatus *vel* presbyterii, *vel* Episcopatus, *mortali crimine dixerint se esse pollutos, à supradictis ordinationibus submovendos. Et nos, si ad talia nobis impacta* tacendo *consentiremus*, *non solum* à regimine regio, *verum* & à catholicæ Ecclesiæ communione *nos ipsos sequestraremus. Non igitur talia nobis ex parte sedis Apostolicæ & nomine vestro scripta*, mente alacri percipere, & animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere, *quæ sicut in eisdem literis ex sententia sapientis Salomonis subjungitur*, quasi stimuli, & sicut clavi in altum defixi esse viderentur; *quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere*; *cui sententiæ item Sapientis verba referimus, quibus dixit*: Priusquam interroges, ne vituperes quenquam, & cum interrogaveris, *id est, probaveris*, corripe iustè, *sicut Nathan David Regem prius interrogavit, & interrogatione probatum corripuit: & cum causa correptionis defuit, humiliter adoravit, veluti in sacra historia legimus. Mandate & scribite, quæ vestro & nostro ministerio congruunt, ut decessores vestri nobis & nostris decessoribus mandaverunt, atque scripserunt, & alacri mente, gratoque animo recipiemus.*

Conc. Val. can. 4.

pag. 548.

Eccles. 12.

Eccles. 11.

Literæ autem ex nomine vestro *semper sine* interrogatione, *id est*, sine probatione *nos pungunt*, *& peccata*, *pro quibus invitum pungunt, sponte confessa*, *vel ordine judiciario legaliter ac regulariter comprobata*, *non ostendunt*; *& cum peccata manifesta & probata desinit, fomentis benignæ adhortationis, & allocutionis non refovent*; *reprehendente hinc Domino populorum rectores asperos*, *atque dicente*: Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. *Quibus Apostolus regulam dedit commonitiones singulis dicens*: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, *misceas temporibus tempora*, *terroribus blandimenta. Dirum Magistri, pium patris ostendentes affectum, id est, indisciplinatos & inquietos debent durius arguere*; obedientes *autem ac* patientes, *ut in melius proficiant*, obsecrare; negligentes *autem* & contemnentes *debent utique increpare atque corripere*; *& de criminalibus peccatis aut ultro confessos*, *aut ordine iudiciario comprobatos*, *atque convictos, secundum modum culpæ legaliter ac regulariter iudicare.* Noluit Apostolus, *inquit beatus Augustinus*, hominem ab hoc homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio; sed potius ex lege Dei, secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum. Alioquin illud cur dixit? *Si quis cum frater nominatur, aut fornicator, aut idolis serviens* &c: nisi quia eam nominationem intelligi volunt, quæ fit in quenquam, cum sententia ordine iudiciario atque integritare profertur. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi

Ezech. 34.

2. Tim. 4.

pag. 549. de Pænit. c. 3.

sunt innocentes: quia sæpe falsò in quenquam crimen nominatur. Plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, ut ea quæ sciunt, judicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen Iudici facilè credenda sunt, nisi certis jndiciis demonstrentur, nisi ordine judicario comprobentur; ut si per judicium mali ab Ecclesiæ communione aufferri non possunt, tolerentur potius; ne perversè malos evitando quisq; ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. *Quod scriptum est in eisdem ex nomine vestro literis, quia sanè non patienter* Pontificii vestri monita & correctiones, nos audisse *comperistis, liquidò patet adhuc perfectæ aliquid charitatis minus duntaxat haberet, de qua dicit Apostolus*: Charitas patiens est, benigna est, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, omnia suffert, omnia sustinet. *Cujus charitatis modum & perfectionem in benignitate ac patientia, in humilitate & sufferentia, exemplo sanctæ paternitatis vestræ in literis vestris discere admodum cuperemus, si Deus nos inde honorare dignaretur* *Quod & in hoc possemus addiscere, si in his, quæ* ex nomine vestro *nobis scripta, sanctitati vestræ rescripsimus* sustineritis modicum quid insipientiæ nostræ, & supportaretis nos, *sicut magnus* Petrus, *Apostolicæ & primæ sedis primus Episcopus, non solum patienter, sed & gaudenter adeò suscepit reprehensionem suam à Coapostolo suo Paulo sibi ostensam; ut ejus epistolas, in quibus se reprehensum legerat, cum maximo favore laudaverit. Non enim ita supputatè eas laudare poterat, nisi legisset & quia legit scriptum, reprehensum se in eis invenit: & quoniam eas tam granditer laudavit, quàm gratanter justam reprehensionem suam accepto tulerit patienter, ostendit. Et cum à minoribus suis reprehensus fuit*, cur ad Gentiles intraverit, *non eis nudo & tumido sermone respondit, ut omnia quæ egerat patientissimè sustinerent; nec aliquid in eorũ querela de sua potestate dixit sed humili eius ratione placauit, atq; in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuit. Quia si* in quærela fidelium, *ut beatus dicit Gregorius*, aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset. *Si igitur pastor Ecclesiæ Apostolorum princeps, signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est, in causa reprehensionis suæ, rationem humiliter reddere*; quanto magis, *inquit Gregorius Apostolicæ sedis Pontifex*, nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, nostros ratione humili placare debemus? *Literæ autem ex nomine vestro nobis directæ, non humili nos ratione placarunt; nec contra rationem nos ex ratione & autoritate quæsiisse monstrarunt; sed indebita increpatione os nostrum oppilare studuerunt, quum, Deo gratia, libera adhuc fronte de his quæ nobis per literas ex nomine vestro directas, impacta sunt, loqui possimus. Scriptum est etiam in præfatis literis nobis ex nomine vestro directis de* Hincmaro *hoc modo*. Volumus, & autoritate Apostolica iubemus, ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum vestra fretum potentia, ad limina sanctorum nostramq; venire clementiam. Quo sano veniente, veniat.

1. Cor. 11. Petrus à Paulo reprehensus. pag. 550.

niat pariter accusator idoneus, qui nulla possit autoritate legitima respui; & tunc in præsentia nostra, & totius sedis Romanæ synodali collegio, causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita, secundum Deum & sacrorum Canonum constitutiones Spiritu Dei prolatas, sine protelatione aliqua finietur. *Quæ relegentes, licet contra morem decessorum ac prædecessorum vestrorum hoc dictum invenerimus, id est*, UMBROSUM seculi typum inducere in Ecclesiam suam, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Domini videre desiderantibus præfert; *tamen de voluntate non dubitavimus; quia humano animo facile potest subripi, quod ex deliberatione conveniat immutari. Sed valde mirati sumus, ubi hoc dictator epistolæ nobis per Actardum Episcopum delatæ scriptum invenerit*, esse Apostolica autoritate præcipiendum, ut Rex corrector iniquorum & districtor reorum, ac secundum leges Ecclesiasticas atque mundanas ultor criminum, reum legaliter ac regulariter pro excessibus suis damnatum, sua fretum potentia, Romam dirigat; maxime autem illum, qui & ante depositionem contra custodiam publicam, & contra quietem moliri, in tribus Synodis extitit deprehensus, *sicut in gestis Episcopalibus paternitati vestræ directis continetur, & post depositionem suam, & per se, & per quoscunque potuit, à sua pervicacia non quievit. Sed non miramur, si in* posterioribus literis *ex nomine vestro nobis directis, est insulsitum, ut legaliter ac regulariter damnatus, qui nullis legibus decernitur à quoquam gradu seu rebus ac facultatibus redonandus, antequam si contra custodiam & quietem publicam moliri non fuerit deprehensus, renovato Apostolicæ sedis autoritate judicio in provincia, qua fuerat judicatus, fortè inveniatur innoxius, Regia nostra potentia ad vestram veniat fretus, cum se autore damnato debeatur Zelus rectitudinis, non clementia resolutionis, quæ si non de eodem foramine, de eodem tamen conamine manarunt de quo & anteriores fluxerunt in quibus continetur, ut res omnes* Hincmaro *commissæ Ecclesiæ, donec ad propria reverteretur, nobis committeretis, ut indemnes consisterent, & aliquod dispendium non incurrerent. Unde, sicut vobis rescripsimus, & nunc iterum vobis scribere non piguit, sed exigente causa necessarium est;* quia Reges Francorum, ex Regio genere nati, non Episcoporum vice domini sed terræ domini hactenus fuimus computati; *Et ut Leo ac Romana synodus scripsit*, Reges & Imperatores, quos terris divina potentia præcepit, præesse, jus distingvendorum negociorum, Episcopis sanctis juxta divalia constituta permiserunt, *non autem Episcoporum villici extiterunt. Et sanctus Augustinus dicit*, Per jura Regum possidentur possessiones, *non autem per Episcopale imperium Reges villici fiunt, actoresque Episcoporum. Et Dominus*, Quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo reddi *præcipit*; *qui etiam censum Regi reddidit. Et Apostolus voluit* serviri Regibus; *voluit* honorari, *& non conculcari Reges.*

pag. 551. *Ambitionē Pontificis perstringit.* *Concil. Afric. cap. 105.* *Regum Franciæ autoritas non est subjecta Papæ* *pag. 551.*

Regem, *inquit*, honorificate. *Et iterum*, Omnis, *inquiens*, anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Reddite ergo omnibus debita, *Et paulò ſuperius*: Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed & propter conſcientiam. *Et ſi revolveris* Regeſta deceſſorum ac prædeceſſorum veſtrorum, *talia mandata, ſicut habentur in literis ex nomine veſtro nobis directis per Actardum Epiſcopum, deceſſores noſtros à deceſſoribus veſtris accepiſſe nullatenus invenietis*; *Unde pauca de pluribus vobis ſcribere neceſſarium duximus.* Sanctus Gregorius *meritò vita & ſapientia doctrina, Apoſtolicæ ſedis Pontifex, & toti orbi colendus ac imitandus*, Francorum Regibus Theodorico & Theoberto *prædeceſſoribus noſtris, de præjudicio cujuſdam Epiſcopi, non ita ut vos nobis ſcripſiſtis pro eo, qui pro meritis ſuis legaliter ac regulariter juſtè depoſitus eſt, ſcripſit hoc modo.* Frater & Coepiſcopus noſter Vrſicinus, Taurinæ Civitatis Antiſtes, in parochiis ſuis, quæ intra Regni veſtri ſunt terminos conſtitutæ, grave omnino dicitur præjudicium ſuſtinere; adeò ut contra Eccleſiaſticam obſervantiam contraq; ſacerdotalem gravitatem, & contra ſacrorum Canonum definita, nullo ejus exigente crimine, aliter illic nunc meruerit ordinari. Et quia parum viſum eſt, ſi in licitis non jungerentur illicita, etiam res Eccleſiæ ſuæ, ut fertur, ablatæ ſunt. Quod ſi ita ſe veritas habet, quoniam nimis intollerabile eſt, ut virtute opprimeretur, cui culpa non nocuit: præmiſſo paternæ ſalutationis alloquio petimus, ut quod excellentia veſtra, amore Eccleſiaſticæ reverentiæ, & æquitatis contemplatione: ſponte poteſt impendere, noſtræ ſtudeat benignus intereſſioni concedere: & juſtitiam illi, ſicut de æquitatis ejus bono confidimus, faciat in omnibus cuſtodiri, atq; patefacta veritate, quod illicitè actum eſt, corrigi. Pro utilitate ergo animæ veſtræ hæc apud vos noſtra exhortatio locum inveniat &c. *Sed & ad* Romanum Exarchum, *minoris dignitatis, quàm ſimus Dei gratia Regiæ poteſtatis, de quodam Epiſcopo ſcripſit hoc modo.* Pervenit ad nos Blandum Ortonenſis civitatis Epiſcopum, longo iam tempore, in civitate Revennati à veſtra excellentia detineri, & fit ut Eccleſia ſine rectore, & populus quaſi ſine paſtore grex fuit: & ibidem infantes pro peccatis abſq; baptiſmate moriantur. Et rurſus, quia non credimus, quòd eum excellentia veſtra, niſi ex aliqua probabilis exceſſus cauſa tenuerit, oportet, ut habita ſynodo, palàm fiat, ſi quod in eum crimen intenditur, & ſi talis in eo culpa reperitur, quæ adusq; degradationem ſacerdotij deducatur. Aliam ordinationem neceſſe eſt inquiramus, ne Eccleſia Dei in his, ſine quibus eam Chriſtiana non patitur eſſe religio, inculta ac deſtituta maneat. Sin autem excellentia veſtra aliter ſe habere, quam de eo quod dicitur eſſe, perſpexerit, eum ad Eccleſiam ſuam reverti concedat, ut officium ſuum in commiſſis ſibi animabus adimpleat. *Quibus mandatis B. Gregorii prædeceſſoris veſtri de his, qui nec dum judicio ſynodali legaliter ac regulariter pro criminibus ſuis fuere depoſiti, collatis cum ſcriptis ex nomine veſtro vobis directis, ex eo qui legaliter ac regulariter pro ſuis exceſſibus iudicio ſynodali habetur*

Ab exemplo Anteceſſorum ſuorum refellitur Pontifex.

pag. 553.

habetur depositus, ut eum nostra fretum potentia Romam mittamus; quæ potius sequenda sint, judicate. Nos autem autoritatem vestram iudicaturam potius credimus, ut ea sequamur, quæ decessores ac prædecessores vestri secundum Scripturarum tramitem prædicationemq; majorum scripserunt, quàm illa, quæ scriptor sæpe dictæ Epistolæ ex nomine vestro nobis directæ, confinxit. pag. 554. *Ait enim beatus* Augustinus *libro ad Ianuarium*: Omnia talia, quæ neq; sanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec Consiliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt, resecanda existimo. *Et S. Leo, de his quæ à sacris Canonibus habentur ita præfixa, & eisdem Apostolicæ sedis sunt promulgata decretis*, ut nulla possint ratione convelli, constituit, ut omni penitus autoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum. *Ac si cum Paulo diceret? quia sibi ipsi Apostolica sedes in suis constitutionibus esse non potest contraria*, Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit. *Sed ut in controversia Quintiliani legitur*, floribus vafricia nebulonum veneficatis apes mortuas, quibus mellificandum fuerat. *De Scripturis sacris B. Petrus agi demonstrat, loquens de* Pauli epistolis quæ indocti, & instabiles, *inquit*, depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. *Et de traditionibus Ecclesiasticis S. Innocentius*, dum, *inquiens*, Vnusquisq; non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum; Inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis, aut tenui, aut celebrari tenentur, ac fit scandalum populis; qui, dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut ecclesiis non convenire, aut ab Apostolis vel Apostolicis viris contrarietatem inductam. *ad Decentium Episcopum Eugub.* *Contra quem morbum* S. Cælestinus *salubre cunctis celebravit antidotum, dicens*, Nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare; nec quicquam facere, quod Patrum regulis possit obviare. *Epist. 2.* Quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur? *Et sanctus Gelasius in decretis suis*: Patres nostri, catholici videlicet & docti Pontifices, in unaquaque secta quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque Apostolica, secundum Scripturarum tramitem prædicationemq; majorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumq; constare; nec in hac eadem causa denuò quæ præfixa fuerant retractari, qualibet recenti præsumptione permiserunt. pag. 555. *Videndum est igitur, quid hic trames sanctarum Scripturarum & prædicatio majorum definiant. Scriptum quippe legimus in sacra historia, dixisse Dominum per Prophetam Iosaphat Regi*, Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra Iuda. 1. Par. 19. *Et in Evangelio semel & secundò ac tertio monitum, & non obedientem ad correctionem debitam*, Dominus sicut ethnicum & publicanum jubet haberi. Matth. 18. *Et beatus* Gregorius *in decretis suis, sicut in gestis synodi*

invenire potestis, pervasorem non solum rerum alienarum, sed etiam Ecclesiæ sibi commissæ anathematizatum *definit*, verum & si alius hoc egerit, is qui præest Ecclesiæ, si hoc vel ipse fieri præcipit, vel sine sua præceptione factum digna punire animadversione neglexerit, eum anathematizat; *satis ergo mirari non possumus, unde scriptor epistolæ nobis ex nomine vestro delatæ hanc legem apud se A V R O sculptam produxit, quam Dominus digito suo non scripsit, nec scribendam cuiquam inspiravit, neque ordinatam per Angelos in manu Mediatoris illius dedit: quam non paganus indixit, non Christianus seduxit, non Ecclesiasticus vir decrevit, quæ de se sub isto cœlo sicut non atramento manu justitiæ, ita nec spiritu Dei vivi scripta personuit: Quæ me Regem à Deo constitutum & gladio & utraque parte acuto, ultore scilicet nocentium, & defensore innocentium insignitum ad vindictam malefactorum, ut exponit Apostolus: laudem verò bonorum, rei atque damnati atque anathematizati fautorem esse præcipit, iubens ut* Hincmarum, sacrarum legum prævaricatorem, sancti sacerdotij vituperatorem, Regiæ dignitatis contra regulam Apostolicam dehortatorem, regni perturbatorem, periurum, & seditionum authorem, Ecclesiæ sibi commissæ afflictorem, facultatum Ecclesiasticarum sacrilegii fundatorem, ac stirpatorem Episcoporum, ac totius populi nostrarum partium scandalizatorem, alienarum rerum pervasorem, & veniendo contra subscriptiones & professiones suas à scripto damnatum, potentia Regia fretum, Romam *venire faciamus. Quis igitur hanc universam legem infernus evomuit? Quis tartarus de suis abditis & tenebrosis cuniculis eructavit? Contra quem literis Sacris ostensa nobis est via, quam sequamur apposita forma, cui imprimitur.* Clamavit *inquit*, Propheta ad regem Israel, & ait: Servus tuus egressus est ad præliandum cominus; cumq; fugisset vir unus, adduxit eum quidem ad me, & dixit: Custodi virum istum, qui fuerit lapsus, erit anima tua pro anima ejus aut talentum argenti appendes. Dum autem ego turbatus huc illucq; me verterem, subitò non comparuit. Et ait Rex Israel ad eum, Hoc est iudicium tuum quod ipse decrevisti. At ille statim abstersit pulverem de facie sua, & cognovit eum Rex Israel, quòd esset de Prophetis. Qui ait ad eum, hæc dicit tibi Dominus, Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus. Reversus est igitur Rex Israel in domum suam audire contemnens, & furibundus venit in Samariam. *Quæ nam vos dementia cœpit scientes dixisse Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam?* Per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt. *Et sacri Canones, sicut credimus & in Apostolicis literis sæpius legimus, Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia sunt consecrati, propterea videamus, quid de hujusmodi sancti Canones & sacræ leges decernant. Ait enim* S. Aphricanum Concilium. Et illud petendum, (*quin apud terræ Principes*) statuere dignentur, ut si quis cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari, interposita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse præcipiant. *Et tunc Valens*

pag. 556.

Censura Caroli.

Canonum veterum testimonia.

Can. 29.

Valens, *Gratianus & Valentinianus constituerunt*, *ut* quicunque residentibus sacerdotibus fuerit Episcopali loco detrusus, & nomine si aliquid contra custodiam publicam, vel contra quietem moliri fuerit deprehensus, rursumque sacerdotium petere, à quo videtur expulsus, procul ab urbe quam infecit, secundum legem divæ memoriæ Gratiani, centum millibus vitam agat, si ab eorum cœtibus separatus, à quorum est societate discretus, sitque hujusmodi personis illicitum, hujus legis tenore, sacra nostra adire secreta, & imperare scripta omnibus abjectis per culpam sacerdotio personis, quæ impetrata sunt, infecta permoveant, scituris his, quorum defensione nituntur, absque sui prehensione non futurum, si hoc eis pollicentur suffragium, qui divinum non videntur meruisse iudicium. *Vnde &* Leo Papa *apud principalem potestatem petiit de* Eutiche, *scandali*, *& pravitatis authore*, ut ab eo loco, qui Constantinopolitanæ urbi nimis vicinus erat, longius transferetur, ne frequentioribus solaciis eorum, quos ad impietatem suam traxit, uteretur. *Imperatorum Edictum. pag. 557.*

Et Gregorius *Paulum Diadinæ civitatis quondam Episcopum, quosque omne quod dilapidavit vel de substantia tulit* Ecclesiæ *restitueret, in monasterium mittendum esse decrevit. Etsi fortè post depositionem suam inverecundè ac mente perversa aliquando de Episcopatu loqui aut rursus ad hoc qualibet aspirare præsumptione tentaverit, Dominici corporis & sanguinis communione privatum*, *in* monasterio eum usque ad diem obitus sui, ad agendam pœnitentiam retrudi, *studio Ioannis primæ Iustinianæ Episcopi iussit*, *ut perpetrati sceleris maculas dignis disceret fletibus emendare*, *iuxta legem Iustiniani Imperatoris, qui in libro Constitutionum decrevit*, ut si quis Episcopus explosus, ausus fuerit ingredi civitatem de qua repulsus est, vel exire de loco, in quo degere jussus est, jubemus eum in monastetio in alia provincia constituto tradi, ut quæ in sacerdotio peccavit degens in monasterio corrigat. *Quas leges ab Imperatoribus & Regibus, nostris videlicet prædecessoribus, promulgatas atque decretas, nos immutilatè & irrefragabiliter convenit conservare, sicut Apostolicæ sedis Antistites ad Dominos & terræ Principes scripserunt. Ait enim Leo ad Leonem Augustum.* Debes *inquiens*, incunctanter advertere Regiam potestatem tibi, non ad solum mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quæ bene sunt statuta, defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas. *Censura Gregor. I. in Paulum, facultatum Ecclesiæ lapidatorem.* *p. 558.*

Et Gelasius *ad Anastasium*: Etenim Imperator Auguste, si contra leges publicas aliquid, quod absit, quispiam fortasse tentaret, nulla id ratione potuisset admitti. *Quas etiam leges Principali authoritate promulgatas non solum quibuscunque Episcopis, sed etiam ab ipsis Apostolicæ sedis Pontificibus, ipsius primæ sedis Antistites observari debere scripserunt, sicut beatus Leo ad Leonem Augustum scribens demonstrat, dicens*, Non se refragari debere edicta Imperialia, vel ea, quæ sui decessores secundum tramitem Scripturarum prædicationemq; majorum statuerant. Si quæ *inquiens*, destruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, & eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum authores beatæ memoriæ Principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmavi. *Pontifices Rom. Cæsaream olim Majestatē reverebantur.*

Et S. Gelasius *ad Anastasium Imperatorem*, Si *inquit*, quantum ad ordinem publi- *Epist. 10.*

publicæ pertinent diſciplinæ, cognoſcentes imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi quoq; parent religionis Antiſtites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obviare ſententiæ: *Quo, oro te affectu eis convenit obedire, qui pro erogandis venerabilibus ſunt attributi miſteriis? Quod & nos iuxta hortamentum beati Gelaſii incunctanter atque libenter exequi cupimus in his, quæ ad ſuum miniſterium pertinent, cunctis generaliter ſacerdotibus rectè divina tractantibus, & potiſſime ſedis illius Præſulis, quem cunctis ſacerdotibus divinitas ſumma voluit praeminere, & ſubſequens Eccleſiæ iugiter pietas celebravit: ſicut noſtri deceſſores ac progenitores orthodoxi imperatores & Reges egerunt, ut & Apoſtolicæ ſedis Pontifex, & reliqui Domini*

pag. 559. *ſacerdotes nobis, quæ à Deo ſunt conſecuta, exhibeant: ſcientes, ſicut idem beatus Gelaſius dicit,* quoniam Chriſtus memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione magnifica temperavit, ſic actionibus propriis dignitatibusq; diſtinctis officia poteſtatis utriusq; diſcrevit, ſuosq; volens medicinali humilitate ſalvari, non humana ſuperbia rurſus intercipi, ut & Chriſtiani Principes pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu rerum imperalium diſpoſitionibus uterentur: quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus; & ideo militans Deo minimè ſe negociis ſecularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negociis ſecularibus implicatus, ut & modeſtia utriuſque ordinis curaretur, ne extolleretur utroq; ſuffultus, & competens qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur. Omnis Pontifex, *inquit Apoſtolus,* ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis, *videlicet non ſolum pro populi, ſed quia & ipſe circundatus eſt infirmitate, pro ſuis. Et Regis eſt Regni negocia diſpenſare, ſicut inculcant literæ divinitus inſpiratæ.*

poteſtas Eccleſiaſtica politicã non tollit. *Quia ergo ſanctarum Scripturarum tramite, & prædicatione majorum oſtenditur, ſancto etiam atteſtante Gelaſio,* quia duo ſunt, quibus principaliter mundus hic regitur, authoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas, *& per Regem Regum, ac ſummum Pontificem cunctorum Pontificum, qui ſolus Rex & ſacerdos fieri potuit, conditores legum iuſta decernunt; Quas leges principales poteſtates appellaverunt æternas, & ſacri Canones Spiritu Dei ſunt conditi, & totius mundi reverentia conſecrati, & ut beatus Ambroſius ad Valentinianum dicit,* Leges imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat, quia quod præſcripſit aliis, præſcripſit ſibi, ne cui eſſet liberum aliud indicare. *Et beatus Auguſtinus dicit.* Quia poſtquam leges ſubſcriptæ fuerint & firmatæ, non licet judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas; *Quia ſecundum Pontificale miniſterium veſtrum regio miniſterio noſtra monita veſtræ paternitatis obedienter ac libenter cupimus obaudire. Patimini nos ea ſervare, quæ prædeceſſores veſtri ac noſtri*

pag. 560. *de hujusmodi, unde agitur, conſtituerunt, & roborantas ſervando, quæ geſta ſunt, rata doceamus eſſe debere quæ gerimus; nam quomodo leges principum rite vocabuntur æternæ, ſi tranſeuntibus principibus una cum eis conſtitutio legis tranſibit? Et* Papa Symmachus

chus *ad Eonium*, Dum, *inquit*, ad trinitatis instar, cui una est atq; individua potestas, unum sit per diversos Antistites sacerdotium, quomodo priorum statuta à sequentibus convenit violari? Huc accedit, quòd si hæc eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacro sanctam religionem credimus pertinere, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quæ à sacerdotibus semel statuuntur perpetua sint. Quid alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse, quæ gesserit? Quanta enim Vicariis B. Petri Apostoli iudicabitur esse reverentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissolvantur. Vniversa, *inquit*, perpetua sint, quæ à Domini sacerdotibus statuuntur, qui ut Moyses, ea quæ statuunt ab oraculo divino suscipiunt: non quæ ab his statuuntur de quibus per Prophetam dicitur. *Væ his qui condunt leges iniquas, & scribentes iniusticiam scripserunt.* Ea nihilominus quæ à Vicariis beati Petri constituuntur, maneant inconvulsa *Quia ut Leo dicit*, nec nimia est severitas vel remissio, ubi nihil constituitur, nisi quod ex beati Petri æquitate profertur. *Hæc enim scimus esse canonicè, scimus esse Apostolica authoritate roborata, & Apostolicæ sedis decreta, quæ, ut Gelasius dicit*, unamquamq; synodum & sua autoritate confirmat, & continua modo ratione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce præceptum Ecclesiam nihilominus subsequente & tenuit semper & retinet. *Et paulo superius*: Confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignorat uniuscujusque synodi cõstitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis, exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam. *Et item idem*, Cumq; nobis contra salutarium reverentiam regularium cupiamus temerè licere, & cum sedes Apostolica super his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio devotoq; studeat tenere proposito, satis indignũ est, quenquam vel Pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem & sequi videat, & docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic videre conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. *Et de sacris legibus, quas unà cum sanctis Canonibus catholica oderat Ecclesia, Idem Gelasius, ut præmisimus, dicit in epistola ad Anastasium Imperatorem*, Quantum, *inquiens*, ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes, imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ. *Et cum ita sacræ leges, tam Ecclesiasticæ quàm mundanæ, de damnato Episcopali & synodali Concilio decernant, non est nostri Regij ministerij, reum & sacrorum Canonum judicio condemnatum, atque Apostolicæ sedis definitione, sicut in gestis Synodi invenire potestis, anathematizarum, nostra potentia fretum quoquam dirigere; cum apertissimè sacri Canones definiant, & leges Iustiniani ac cæterorum Imperatorum catholicorum edicta qualiter, & pro quibus, & à quibus debeat Episcopus iudicari, & post*

Synodorum autoritas. Epist. ad Dardan. pag. 161. In Synodos nil attentare debent Reges & Pontifices.

post judicium, quid & qualiter, & per quos sit inde Apostolicæ sedis agendum. Quæ non abnuimus, sed incunctanter ac competenter annuimus. A quibus definitionibus nulli est licitum deviare: quia ut sanctus Hilarius dicit, non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in injuriam ipsius Domini prosilitur. *Quocirca, quia Dominus dicit per Prophetam*, Labia sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus, id est, nuncius *Domini exercituum est: Nolite permittere nobis scribi ex vestra authoritatis nomine, quæ in legibus sacris, Dei sapientia conditis, & in sanctis regulis eiusdem spiritu promulgatis non continentur, Dicente item propheta, id est, sacerdoti praecipienti*, Audiens nunciabis eis ex me, *inquit* & non ex te. *Et redarguuntur, qui de corde suo loquuntur. Quoniam qui à semetipso*
pag. 562. *loquitur, gloriam propriam quærit. Nolite igitur, ut præmisimus, ex vestro nomine, vel Apostolicæ sedis authoritate, visiones vel excommunicationum intentationes contra sacrarum Scripturarum tramitem prædicationemq; majorum ac sacrarum legum, sanctorumq; Canonum constitutiones nobis de cæterò scribi cujuscunq; instinctu permittere precamur. Quia scitis, & scimus, totum esse irritum, quicquid ab eorum fuerit constitutione diversum.* Dicitur *inquit S. Leo*, à Domino beatissimo Petro. *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quæcunq; solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri fama præponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate fertur judicium. *Qua sententia constat, quia non manet Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium. Cum enim ubicunq; dicitur, sicuti nullus locus, ita nemo rector Ecclesiæ, ex Petri æquitate judicium ferens excipitur: Vel contra illius æquitatem judicium proferens commendatur. Et quia ubicunq; sine ulla exceptione non manet petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium prolatum, obaudiemus jussum, vel recipiemus iudicium, quod non ex Petri æquitate fuerit prolatum, ac per hoc ipsius privilegio fuerit destitutum. De quo Episcopali judicio, quid cunctis Episcopis sequendum, & quid Ecclesiæ filiis sit tenendum atq; servandum*, Beatus Gregorius *sufficienter inculcat. Ergo iubete & judicate privilegio magni Petri, juxta æquitatis ejus judicium, quæ iubenda & judicanda sunt: ne, ut dicit eius Coapostolus*, vituperetur ministerium vestrum. *Quia & nos secundum Regium ministerium nostrum, quantum ex nobis est, cupimus servare quod scriptum est*: Filij, obedite parentibus vestris in Domino, *videlicet, quod fuerit iussum vel indicatum à Domino; dicente illo singulis* quia pro patribus *Apostolis Ecclesiæ* nati sunt filij Apostolici viri:
2. Cor. 6. Eph. 6.
p. 563. Tu autem audiens nunciabis eis ex me, *Divina quippe nos lectio docet, Quia nec etiam Balaam satis superq; à Rege Balaach petitus, licet medicamento avariciæ delinitus in consilio dando corruptus ostenderit; ullo tamen aut ullius instinctu in judicio justiciæ aliud loqui adversus Israel persuaderi vel extorqueri potuit, quàm quod à Domino audivit.*

vit. *De eo quod in literis ex nomine vestro nobis directis habetur*, ut veniente Hincmaro *Romam*, veniat accusator idoneus, qui nulla possit authoritate legitima respui, *rescribimus* : *Quia licet hæc commendatio nulla sit ratione atque authoritate suffulta, si forte apud nos exlex solus Hincmarus nova lege, priscis tam publicis, quam Ecclesiasticis contraria, imo ordine novoque more habetur, ut non nisi à vobis & Romanæ valeat judicari pro his excessibus, de quibus habentur certa sacrorum Canonum ac legum decreta; quæ ut Leo dicit*, nulla possunt ratione convelli; *cum etiam de causa fidei, ut dicit Gelasius*, cuicunq; Pontifici nec secundum regulam erroris ante damnati, quemlibet catholica communione discernere, & ego *ita exors ab omnibus accusationibus, non solum ab his, quibus legaliter & regulariter accusandi adversus seipsum denegatur licentia, verùm & ab his, quibus in propriis causis accusatio non negatur; ut sicut leges & regulæ iubent in provincia*, in QUA sunt ORTA negocia, *terminari non valeant; & secundum Antiochenos Canones*, Provincialium synodorum non debeant experiri examen, *si vobis vias cum voluntate & consensu dilectissimi nepotis nostri Imperatoris vestri, contra cuius dilectionem & debitum honorem, si tamen mutuam dilectionem & congruum honorem vobis exhibere studuerit, illuc ire non volumus, obtinueritis, cooperante Domino, pace in regno nostro contra Paganos virtute vel quacunque dispositione Dei obtenta, Romam venire congruo tempore non differemus. Et quia illum legaliter aut regulariter in synodo Episcoporum, plurimarum Provinciarum de certis causis accusavimus, idoneum nos accusatorem illius ostendemus, & tantos testes idoneos diversi ordinis ac dignitatis nobiscum ducemus, cum quibus eum legaliter ac regulariter nos accusasse, & comprobasse sufficientissimè comprobabimus.* Tandem *quia vos non legisse, vel audisse collegimus ex literis ab Actardo Episcopo nobis delatis, quæ antea per illum paternitati vestræ direximus, iteratò scribimus ea, quæ tunc scripseramus, deprecantes vos in omnipotentis Dei honore, & sanctorum Apostolorum veneratione, ut tales inhonorationis nostræ Epistolas taliaque mandata, sicut hactenus ex nomine vestro suscepimus, nobis & regni nostri Episcopis ac primoribus* de cætero non mandetis, *& non compellatis nos* mandata & epistolas vestras inhonorandas contemnere, & Missos vestros dehonorare, *qui nobis in his, quæ ad vestrum ministerium pertinent, si tamen ministerium vestrum cupimus obtemperare. Quæ pro vestri honore privilegii vobis dicimus, Quia vobis, sicut revera Vicario Beati Petri Apostolorum Principis in omnibus debite ac competenter obedire desideramus, & ne aliter eveniat cavere per omnia cupimus, ac vestram sanctitatem id ipsum cavere humili prece deposcimus; ne nos & nostros satis invitos ad id cogatis convertere, quod* in quinta universali synodo, à sede Apostolica, *ut in Apostolicis literis, præcipuè autem in* Synodica B. Gregorii, ad quatuor Patriarchas, *& in* aliis ejus epistolis *una cum quatuor præcedentibus legimus collaudatum atque susceptum invenitur nobis tenendum.*

Hincmarus

pag. 564.

Regia libertas in Pontificem.

Quod adhuc nostris literis ad exemplum inserere noluimus, donec sciamus, si duriciam mandatorum vestrorum erga nos aliter ad benignitatem inflectere poterimus. Quia quod ex Apostolicæ sedis nomine secundum sanctarum Scripturarum tramitem prædicationemq; majorum, & orthodoxorum decreta scribuntur, sequendum & tenendum non ignoramus, & quod secus à quoquam fuerit compilatum sive confictum, non solum respuendum, sed & redarguendum esse cognoscimus. Si denique aliter quàm nos & vos decuerat, reverendissimæ paternitati vestræ rescribendo, factus sum insipiens, vos me coegitis. Petimus autem omnipotentem Dominum, ut inspiret cordi vestro, sic nos benigne tractare, quatenus ulterius nobis non sit necesse vobis ita rescribere, Sed, ut cupimus in veneratione Apostolorum, Apostolico Pontificio vestro humiliter ac devote colla & corda summittere. Deus omnipotens ad honorem & salutationem atq; exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ, vos per multa annorum curricula conservare dignetur, Domine sanctissime & reverendissime pater in Domino.

Alia Epistola Caroli ad eundem Pontificem. Sanctissimo ac reverendissimo patri Hadriano summo Pontifici, & universali Papæ, Carolus Dei gratia Rex & spiritualis filius vester. Quia literis ex nomine sanctæ paternitatis vestræ ab Actardo venerabili Archiepiscopo nobis delatis, necessitate cogente prolixius respondere compulsi sumus, contra morem nostrum in quaterniunculo annulo nostro signato, responsionem nostram scribere necessarium duximus, quatenus legi planius valeat, & quæ vobis ratio respondere coegit, legenti plenius innotescant. Quam responsionem sancta paternitas vestra non aspernanter, sed benignè suscipiat, quæ à nobis non est contumaciter, sed mente pacifica, ut in eodem quaterniunculo invenientis, contexta. Deprecamur autem vos, in omnipotentis Dei honore, & sanctorum Apostolorum veneratione, ut tales inhonorationis nostræ epistolas, taliaq; mandata; sicut hactenus ex nomine vestro suscepimus, nobis & regni nostri Episcopis ac Primoribus de cæterò non mandetis: sed liceat nobis Apostolico Pontificio vestro in veneratione Dei & sanctorum Apostolorum, humiliter ac devote, ut cupimus, colla & corda summittere. Deus omnipotens ad honorem & salvationem atq; exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ, vos per annorum curricula conservare dignetur, Domine sanctissime atq; reverendissime pater in Domino.

CVIII. Synodus apud Duziacum.

Extat inter Hincmari opuscula pag. 566. DOmino sanctissimo, ac Reverendissimo Patri Hadriano, sanctæ catholicæ & Apostolicæ Rom. primæ sedis Papæ Episcopi diversarum provinciarum, qui in Synodo apud Duziacum provinciæ Remensis in nomine Christi convenimus, quorum nomina & subscriptiones in gestorum ejusdem Synodi serie continentur, quàm per venerabilem consacerdotem nostrum Actardum vobis direximus & quibus exinde per eum paternitatis vestræ literas remisistis. Cap. 1. Veniens ad nos prædictus venerabilis frater & consacerdos noster Actardus, tradidit nobis

nobis epiſtolam à veſtra paternitate filialitati noſtræ directam, quam cũ in cõventu noſtro fecimus recenſeri, quædam in ea invenimus, quæ ſtuporem mentibus noſtris non mediocriter induxerunt, feceruntq; nos non modicum dubitare, utrum aliter putaremus, an illa ita eſſent poſita, quemadmodum perſonabant: quæ cum ſæpius reperi juſsimus, præfati fratris & Coepiſcopi noſtri relatione, impedimenta veſtræ ſanctitatis, occupationes miniſtrorum ſedis Apoſtolicæ, pro diverſis & maximis negotiis audivimus, geſta ſynodi ab exiguitate noſtra ſublimitati veſtræ per eundem fratrem noſtrum ſecundum Canones ſacros directa ab eo, cui nobis inde iuſsiſtis, ſicut ipſæ literæ monſtrant, reſcribere, ex integro relecta non fuiſſe advertimus. Sed & epiſtolam noſtram de eiſdem actionibus autoritati veſtro tranſmiſſam ſtudio neceſſario eum non relegiſſe comperimus. Scriptum eſt enim in epiſtola ſanctitatis veſtræ nobis directa hoc modo. *Igitur de Hincmari Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopi depoſitione Pontificio noſtro ſcripſiſtis, quatenus de eo ſecundum quod Canonicum eſt vobis reſcribere jubemus. Primo deniq; veſtræ reſpondimus charitati quia eum clament in ſynodo ſe ad ſedem Apoſtolicam velle incunctanter venire atq; in præſentia ejus pro objectis ſibi ab adverſario criminibus reſpondere, damnationis in eum non erat proferenda ſententia: Tamen, ſicut in ipſius concilij actionibus legitur, qui ſalvo in omnibus judicio ſedis Apoſtolicæ, illum ab Epiſcopis fuiſſe judicatum aſſeritis. Nos autem non aliqua contra quoslibet commoti invidia, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus & autoritate Apoſtolica, quia nullius partis favorem aut obſequium, ſed regi geſtæ veritatem magis invenire cupientes jubemus ipſum Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum ad limina ſanctorum Apoſtolorum noſtramque venire præſentiam: Quo ſane veniente, veniat pariter accuſator idoneus, qui nulla poſſit autoritate legitima reſpui, & tunc in præſentia noſtra, & totius ſedis Romanæ ſynodali collegio, cauſa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquiſita, ſecundum Deum & ſacrorum Canonum conſtitutiones ſpiritu Dei prolatas, ſine protelatione aliqua finietur.* A qua reprehenſione noſtra, quod accenſemur, quia cum clamaret in ſynodo ſe ad ſedem Apoſtolicam velle incunctanter venire, atque in præſentia ejus pro objectis ſibi ab adverſario criminibus reſpondere, damnationis in eum non erat proferenda ſententia, beati Petri Apoſtolorum primi, pro modulo noſtro imitantes exemplum, per quem ſumpſimus religionis exordium, nos minores, apud vos potiorem, humiliter excuſare ſatagimus, quia illè (ut in ſacra hiſtoria legimus) reprehenſus à minoribus ſuis, cur ad gentiles intraſſet, & commediſſet cum eis, & cur eos in baptiſmate recepiſſet, querelam minorum ſuorum humili ratione placavit, atq; in cauſa reprehenſionis ſuæ etiã teſtes adhibuit dicens: *Venerunt autem mecum ſex fratres iſti.* Quam excuſationis noſtræ ſatisfactionem tantò vos placabilius acceptare confidimus, quantò nos in ea ipſius exemplum ſequi velle cognoſcetis, cujus ſedi divino cognſilio præſidetis. Vnde nunc nobis non eſſet neceſſarium excuſare, ſi is, quem nobis juſsiſtis reſcribere, ad locum

in gestorum synodalium seria legisset, quod ibi antequam damnationis in Hincmarum profertur sententia, scriptum est ita, *Tunc electæ sunt in synodo ab Adalgario Diacono sententiæ canonum, ita eo dicente: Sardicenses Canones decreverunt, ut si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Conclium renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse iudicium, renovetur & det judices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decrevit, confirmata erunt.* Et Innocentius tunc Papa decrevit, *ut si majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post judicium Episcopale referatur.* Et Bonifacius Papa dicit, *Nos per omnes provincias literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis,* (quin maximus) *obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, & illic se constituto præsentare judicio. Quicquid autem charitas de hac causa duxerit decernendum cum ad nos relatum fuerit, nostra aut condecet necesse est autoritate confirmetur.* Et sanctus Leo Papa decrevit, *Si quæ* inquiens, *aliæ emerserint causæ, quæ ad statum Ecclesiarum, & ad concordiam pertineant sacerdotum, illic sub timore Domini volumina ventilentur, & de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea, quæ juxta Ecclesiasticum morem justè & rationabiliter fuerint definita, nostra quoque sententia roborentur.*

* Fragmentum hujus Synodi extat apud Hincmarum; & reliqua desiderantur.

Hisce testimoniis clarè hæc Synodus voluit monstrare, quòd veteribus canonibus sit constitutum, ut singularum provinciarum Episcopi suas causas finaliter, ac prorsus dijudicent, ac exæquantur: nec cogantur eas ad quemquam porrò mittere iudicandas, aut cuiquàm ulteriorem appellationem concedere, nisi si forte, sponte sua, suoq; judicio eas Romano Pontifici videndas transmittere velint. Idem & ipse Rex Carolus superius prolixè in sua epistola ad Papam egit, ac multis testimoniis demonstravit. Vnde apparet, tunc nequaquam Episcopum Romanum supremam jurisdictionem supra omnes Ecclesias aut Episcopos habuisse, quam postea sibi etiam super ipsos laicos, imo etiam Reges & Cæsares rapuit, & nunc quoq; violenter apud eos, qui ejus tenebris excecati sunt, tenet & exercet. Verum toti huic historiæ & actioni aliquid lucis adijciet etiam narratio, & Epistola Hincmari Remorum Archiepiscopi, quam mox sub suo titulo in sequenti capite sequitur.

CIX. *Hincmarus Remensis.*

HIncmarus Archiepiscopus Remensis, vir doctus, & pietatis studiosus floruit potissimum sub Carolo secundo, Ludovici Pij filio, circa 870. Domini annum; tametsi & magni Caroli tempora adolescens attigerit, ut ex eo testimonio de libro Caroli Magni contra idolatriam statuatum, quod superius posuimus, appa-

apparet. Is igitur dum corrigere vitia morbosq; Clericorum conatus est, multum molestiarum à perditæ vitæ Clero, eorumq; ad Papam appellationibus, imò, & à Papis sustinuit. Fuit inter alios quidam *Hincmarus Laudunensis Episcopus* ei subjectus, & etiam Nepos. Is quendam nomine Nortmannum, Caroli Regis Galliarum ministrum, excommunicaverat, ob nescio quæ bona Ecclesiastica, quæ tamen ejus filio concesserat; & quia ea excommunicatio tum Regi, tum Hincmaro Archiepiscopo improbatur, ille ad iudicium Archiepiscopi & Synodi vocabatur; ubi cum se satis excusare non posset, *Romanum Pontificem appellavit*; quam Appellationem cum nec Rex nec Archiepiscopus admitterent, quin potius eum Rex vi detineret, ne profectus Romam majores turbas excitaret; ille in toto suo Episcopatu interdictum, ut vocant, posuit, ita ut etiam infantum baptismum prohiberet. Verùm nec sacerdotes ejus ac Ecclesia id interdictum servare voluit, nec Archiepiscopus passus est: quin potius eum duriter de eo facto objurgavit. Impetrarat quoque idem Episcopus literas à Papa, quibus & ipse Romam vocabatur, & Archiepiscopus eum & alios quosdam eò mittere, & deniq; Nortmanum excommunicare jubebatur. Verùm nihil eorum concedebat vel Rex vel Archiepiscopus. Quin potius Archiepiscopus *prolixum librum* contra illum juniorem Hincmarum composuit, quo potissimum id conatur ostendere, *singulas causas suis in locis dijudicandas*, & Episcopos suis Archiepiscopis subjectos esse, ac parere debere. Summa totum scriptum potissimum spectat contra illam anarchiam & confusionem, quòd illi contempto suo Metropolitano, Romam cursitare volebant. Non quidem disertè Pontificium regnum insectatur, sed tamen subinde urget veteres Canones Apost. Nicenos & Africanos, iubentes, ut *unaquæq; provincia suo* sit *Metropolittano* contenta. Citat quoque Leonis dictum, quo non parum Romana sedes cæteris exæquatur; quod adscribam. *Vnde beatus Leo in sermone sui Natalis inter cætera dicit, quod dicitur beatissimo Petro:* Tibi dabo claves regni cœlorum, & Quæcunq; ligaveris super terram erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solveris super terram erunt soluta & in cœlis. *Transivit quidem etiam in* alios Apostolos *jus istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra* uni *commendatur, quod* omnibus *intimetur.* Petro *enim hoc ideo singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur: Manet ergo Petri privilegium, VBICVNQVE ex ipsius fertur æquitate judicium; nec nimia est tanta severitas, tanta remissio, ubi nihil est ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligarit aut solverit*; qui Regem cœlorum, aut Augustinus *& cæteri doctores exponunt, majori præ cæteris devotione cõfessus est, merito præ cæteris ipse collatis clavibus regni cælestis munere donatus est; ut constaret omnibus, quia absq; ea confessione ac fide regnum cœlorum nullius possit intrare.* Claves *autem* regni cœlorum, *ipsam discernendi scientiam potentiamq; nominat, qua dignos recipere in regnũ, indignos secludere deberet à regno. Vnde manifestè subjungit:* Et quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatũ & in cœlis; & quodcunq; solveris super terrã, erit solutũ & in cœlis.

Dissidium inter Hincmarum Remensem & Hincm. Laudunensem Episcopos Cent. IX. Magdeburg c. 9. col. 443. & c. 10. col. 524. 529.

Titulus *Opusculum LV. Capitulorum* quod extat initio Hincmari à p. 1. usq; ad p. 282.

Leo *Papa adversus primatum. apud Hincmar. de opusc. p. 90.*

Cent. Magd. 9 c. 7. col. 338.

Quæ

Quæ ſolvendi ac ligandi poteſtas, *quamvis* ſoli Petro *data videatur à Domino, abſq; ulla tamen dubietate noſcendum eſt*, *quia & cæteris* Apoſtolis datur, *ipſo teſtante*, *qui poſt paſſionis reſurrectionisq; ſuæ triumphum apparens, eis inſufflavit*, *& dixit omnibus*: Accipite S. Spiritum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. *Nec non etiam nunc in Epiſcopis ac Presbyteris omne* Eccleſiæ *officium idem committitur*, *ut videlicet agnitis peccantium cauſis*, *quoſcunq; humiles ac verè pœnitentes aſpexerit, hos iam à timore perpetuæ mortis miſerans abſolvit*.

Certamen ob Rhotadum. Verùm cum hoc Laudunenſi, cauſa utcunq; eo cedente, compoſita fuit, ſed alius quiſpiam nomine *Rhotadus Sueſſionicæ urbis Epiſcopus*, eſt Romæ à Nicolao primo abſolutus, qui itidem cum *ad Papam appellaret*, ab hoc Hincmaro, ut teſtantur vitæ Pontificiæ Damaſo adjunctæ, erat non ſolum damnatus ſed & depoſitus, ac in carcerem concluſus. Omnino hic Præſul ægerrimè tulit eam confuſionem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ ex continuis pravorum hominum appellationibus oriri ſolet. De *Nortmanni excommunicatione* Romam Hadriano ſcripſit, eamq; facere recuſavit, quòd injuſta eſſet; petiitq; ne porrò tam temerè excommunicationes præcipiat, aut quibuſvis mentientibus credat; ſed patiatur potius cauſas in ſuis locis diligentius cognoſci ſecundum Canones, ac dijudicari.

Certamen ob Carolum Regem. Fuit eis & alia eaq; pergravis controverſia cum Pontifice. Iuſſerat Pontifex hunc Hincmarum *excommunicare Carolum Regem*; propterea quòd ſui fratris Lotharij iam mortui regnum occupaverat, quòd ille filio ejus Ludovico deberi affirmabat. Id quoq; Hincmarus recuſavit; quia Rex ſe ad legitimam cognitionem offerebat. Scripſit de ea re prolixam reſponſionem *ad Adriani ſecundi acerbam Epiſtolam*; ſubmiſsè quidem, ſed tamen ita, ut ex aliena perſona non pauca audacter & fortiter dicat. Affirmat enim Proceres regni dicere, illa eſſe *nova & inaudita*, quod *Papa* velit ſibi *de iure regnorum iudicia ſumere*; eum non poſſe ſimul eſſe *Epiſcopum* & *Regem*; eum debere ſua ſpirituali juriſdictione contentum eſſe. In quam ſententiam multa vere & graviter contra Pontificiæ tyrannidis temerarias novitates diſſerit. Verùm adſcribam ipſam totam *Epiſtolam*, cum & alioqui multa digna ſcitu habeat. *Cent 9. Magd. c. 8. col. 356. 7. Col. 338.*

Epiſtola Hincmari ad Hadrianum. Extat in Hincmari Opuſc. p. 569. ſeqq. edit. Pariſ. 1615.

Domino ſanctiſſimo & Reverendiſſimo patrum patri Hadriano primariæ ſedis Apoſtolicæ, & univerſalis Eccleſiæ Papæ, Hincmarus *nomine, non merito Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus.*

Excellentia veſtræ autoritas nuper 14. *Kalend. Novembris quartæ indictionis mihi per legatos ſuos multis & magnis increpationibus repletam, ſicut ſibi placuit, miſit epiſtolam. De quibus (ut viri, flagellis eruditi, verbis utar) quantum ad humanum ſpectat judicium, non viro, qui ſimilis mei eſt, reſpondebo, nec qui mecum in judicio poſſit audiri; nec eſt qui utrumq; valeat, arguere & ponere manum ſuam in ambobus, & ſi locutus fuero, non quieſcit dolor meus, & ſi tacuero, non recedet à me. Propterea non ex æquo ad omnia, ſed ad quædam de his, quæ ſcripſiſtis, de quibus tacere non audeo, brevi & humili*

mili sermone mihi est respondendum. *Quia scripsistis* me reminisci debere, si unquam Apostolicis Epistolis non rescriptum sit, & convenientibus responsis de negotiis de quibus agebatur, Apostolicæ sedi remissum, sicut me pro vestro contemptu fecisse penitus constat, quando nuper per viros missos in Galliarum partes Epistolas tam mihi, quàm aliis destinatis, & nullum inde responsum recepistis. *Humiliter suggero, quia nunquã per contemptum à sedis Apostolicæ præceptionibus deviavi, & in vestra Epistola per commemoratos Missos vestros,* Paulum *scilicet* & Leonem venerabiles Episcopos, *pusillitati meæ directas scripsistis, quid inde agerem, sed non scripsistis, ut inde vobis rescriberem. Veruntamẽ eisdem* missis vestris *verbis respondi, pro viribus, me jussionem vestram executurum. Egi autem exinde, quantũ valui, & quantum mihi agendum esse videri potui; & quod me agere non posse vidi, ad potestatis vestræ auctoritatem, mactatione mea referre curavi, sicut & vobis innotescendum, cujus rei exitum, & effectus certitudinem scivi, quando præfatas increpatorias literas mihi misistis, parabam scilicet quomodo ipsa die, quando Epistolas vestræ auctoritatis mihi Paulus & LEO venerabiles Episcopi dederint,* Regi & Episcopis & Regnorum Primoribus, *caussa tam de regno, quod antea* Dominus Carolus *habuit, quàm & de regno, quod olim* Rex Lotharius *habuit, adfuerit relegi, & eis ut ita servarent denunciare curavi. His autem quidem Episcopis regni, quod antea Dominus Carolus habuit, detulerunt Epistolam ad eos generaliter directam transmisi. Inde quæ* Episcopis *tam ex regno suo quondam Lotharii, qui in* Atiniaco *jussu ipsius Domini Caroli Regis convenerunt; eandem Epistolam relegi, & præfato Domino Regi Carolo, sed & Episcopis regni ipsius, & Episcopis regni dudum Lotharii, & Episcopis regni Ludovici, sed & ipsi Ludovico, Regi Germaniæ,* hanc schedulam, *quæ subsequitur, post juramenta inter Reges sine me facta, dedi. In qua sic* autoritatis vestræ præceptionem *indixi, ut periculis imminentibus commemoratis, quomodo eis obviare, & illa omnia penitus, & in simul commovere non poteram relatione ad autoritatem vestram, & si non resistentibus vel mihi consulerem. Ipsa autem* schedula & Regibus & Episcopis, ac regnorum Primoribus *à me recitata, & data, ita se habet:*

Dominus Apostolicus Hadrianus sicut multis est cognitum, & literis suis, quas præ manibus habeo, exiguitati meæ dignatus est intimare, Regibus & Præsulibus ac regnorum Primoribus in his Galliarũ partium regionibus & inter cætera auctoritate ministerii sui mandavit, ut regnum quondam Regis Lotharii, quod Dòmino Imperatori Ludovico spirituali filio ejus hæreditario jure debetur, & quod ad eum post mortem ipsius Lotharii rediet; Vel homines in eo degentes mortalium nullus invadat, nullus commoveat, nullus ad se conetur inflectere. Quòd si quis præsumpserit, non solum per suæ auctoritatis ministerium infirmabitur, Verùm etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis privatus, cum Diabolo omnino locabitur, Et si quis nostrum de Episcopis tam nefariè temeritatis autorem vel tacendo fugerit, vel non resistendo consenserit, non jam Pastoris, sed mercenarii

nomine se noverit censendum, & quia jam non pertinebit ad eum de ovibus, non pertinebit consequenter de pastoralibus dignitatibus. Quæ autem in Epistolis ad Episcopos, & regnorum Primores regni quondam Lotharii directis contineantur, melius ipsi scitis quia eas legistis. Audivi etiam quòd similes Epistolæ, sicut Domino nostro Carolo & Episcopis ac Primoribus regni ipsius directæ sunt, Domino nihilominus Ludovico Regi glorioso & Episcopis ac regni ejus Primoribus missæ sunt, quod vos, qui de regno ejus estis, certius scitis. Mihi quoque exiguo Remorum Episcopo autoritate sua, Dominus Apostolicus specialiter commendavit, ut vice sua tam Reges quàm cæteros Dei ac mundi Ministros admouendo, suadendo, ac prohibendo, à cupiditatis vel avaritiæ vitio, & ut aliena non suscipiant atque regnum quondam Lotharii, & homines in eo degentes non invadant, comprimant & compescant. Sed & per multos, & à multis audio divulgatum inter Principes nostros Dominos scilicet ac Reges gloriosos; mutuis Sacramentis firmatum, ut inter eos qui se dicunt ipsius regni hæredes esse, æqua divisio ipsius regni fiat, quæ firmitas si facta nõ fuisset, ut multi affirmãt, jam seditio inter populos illi subjectos exorta fuisset. Et si ipsa firmitas executa nõ fuerit, prælia & seditiones, sicut jã fuerint post obitũ Dn. Ludovici Imperatoris, inter eos exurgent, & maxima strages populi ac perditio animarũ inde proveniet, quòd postea emendari nõ poterit. Quapropter inter tanta & talia pericula, scilicet Domini Apostolci præceptũ negligere, & pactũ juramentis in nomine Domini & Sanctorum ejus inter Reges nostros firmatũ, dissolvendum judicare, & seditiones populorum ac prælia parvi pendere, & ut Ecclesiarum Rectores, ac Viri Nobiles de multis partibus à paganis imperiti, & sine Rege ac Principe, nisi quem ipsi post mortem Lotharii pro sua quisque convenientia elegerint, sicut fatentur, existentes non debeant, vel sicut habent necessitatem, non habeant libertatem Rectorem eligere, qui sanctam Ecclesiam, & eos atque Christianitatem in illo regno consistentem defendat, & gubernet, dicere anxians sine generali unanimitate Episcoporum regni Domini Caroli, quibus Dominus Apostolicus de caussa regni Lotharii suam misit Epistolam, quam eis, sicut mihi est præceptum, direxi. *De his quæ præmisi quantum ex me est, nulli definitioni audeo consentire, reservato per omnia privilegio sententiæ Domini Papæ; Cujus autoritas si aliquid de actis corrigendum fuerit, admonitione paterna corrigere, & quæ stabilienda sunt, poterit roborare. De hoc verò quod mihi scripsistis, dicentes* quis melius te novit, quod filii quondam Ludovici Imperatoris in unum convenientes, regnum inter se diviserunt, jureque jurando sibi invicem promiserunt, ut nullus eorum regnum alterius fratris sibi usurparet, aut omnino pervaderet, & tunc Carolus Rex juramentis contemptis illud regnum, quod Lothario Imperatore defuncto Domino serenissimo Imperatori filio ejus debetur, invasit & fidem debitam violavit *reverentiæ vestræ debita humilitate respondebo, quoniam & si ita esse, ut scribitis, scirem, cum ipse Rex Carolus ita esse non confiteatur, nec legali vel regulari judicio inde convictus appareat,*

reat, & multis atteſtantibus fateatur hanc regni partem ſibi à Patre Ludovico Auguſto conſenſu tam Epiſcoporum, quàm cæterorum Procerum, totius imperii traditam, & à fratre Lothario Sacramento publicè confirmatam, ſequendum tamen mihi arbitraret, quod præmiſſo judicio dicit Africanum Concilium *ut magis caveat Epiſcopus*, ne dicat in quenquam, quod aliis documentis convincere non poteſt. *Unde* Sanctus Auguſtinus, *qui eidem Concilio interfuiſſe legitur, à ſede Apoſtolica Beato Cœleſtino docente, pro vita ſua atq; meritis, ac magna ſcientia inter Magiſtros optimus habitus, in libro* de pœnitentia *dicit:* Plerique boni Chriſtiani propterea tacent & ſufferunt aliena peccata, quæ noverint, quia documentis ſæpe deferuntur, & ea quæ ipſi ſciunt, judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt. Quamvis enim vera ſint quædam, non tamen Iudici facilè credenda ſunt, niſi certis judiciis demõſtrentur. *Nos verò* à communione quenquam prohibere *non poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondũ ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atq; convictum. Quis enim ſibi utrunq; audet aſſumere, ut cuiquã ipſe ſit accuſator & judex? Cujuſmodi regulam etiam Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Corinthios breviter inſinuaſſe intelligitur, cum quibuſdam talibus commemoratis criminibus Eccleſiaſtici judicii formam ad omnia ſimilia ex quibuſdam daret, ait:* Scripſi vobis in Epiſtola nõ comiſceri fornicariis *& reliqua. Et aliquantò pòſt:* Si quis frater nominetur aut fornicator aut rapax, cum ejuſmodi nec cibum quidem ſimul ſumite. Quid enim mihi de his qui foris ſunt judicare? nonne de his quæ ſunt inter vos judicatis? de his autem qui foris ſunt Dominus judicabit? Auferte malum à vobis ipſis. *Quibus verbis ſatis oſtendit, non temere aut quomodo libet, ſed per judicium auferendos eſſe malos ab Eccleſiæ communione. Et ſi per* judicium *auferri non poſſunt, tolerentur potius, ne perversè malos evitando quiſq; ab Eccleſia ipſe diſcedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam, Et item,* ſi quis frater nominatur fornicator aut raptor, *& reliqua.* 1. Cor. 5.

Eam, inquit, nominationem intelligi Apoſtolus voluit, quæ ſit in quenquam cum ſententia ordine judicario atq; integritate profertur, Nam ſi nominatio *ſufficit, multi damnandi ſunt innocentes, quia ſæpe falſo in quenquam crimen nominatur. Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario uſurpato judicio, ſed potius ex lege DEI ſecundum ordinem Eccleſiæ ſive ultro confeſſum, ſive accuſatum atq; convictum. Sunt enim LEGES & Canones ac Decreta ſedis Apoſtolicæ, ex eiſdem Canonibus promulgata, quæ manifeſtant qualiter & à quibus, vel ubi quis debeat accuſari, vel judicari; de quibus ſanctus* Auguſtinus *in libro* de Vera Religione *dicit,* In iſtis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cum eas inſtituunt, tamen cùm fuerint inſtitutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas. *Et* ſanctus Gelaſius *in Decretis ſuis ad Orientales Epiſcopos:* Ideo (*inquit*) vocatur ad judicium certa quæcunq; perſona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. *Et iterum:* Natan

Propheta palàm publiceque in facie Regi David, & commiſſum pronunciavit errorem, & ipſum commiſſum non tacuit, & confeſſione correctum conſequenter abſolvit. *Et ſanctus* Bonifacius *longè antè decrevit*, & accuſatus præſens, ſi confidit, ad objecta reſpondeat. *Non inſurgendum ergo mihi eſt viſum ad judicandum illum, qui non confeſſus aut in aliquo ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatus eſt atq; convictus, nec utrunq; fui auſus aßumere, ut ejus ipſe forem & accuſator & judex. De eo quod* ſanctitas veſtra *exiguitati meæ ſcripſit*, quia ſilui, & contra tale facinus ſaltem leviter non inſurrexi, non ſolum conſors, ſed etiam, quod eſt deterius, hujus tyrannidis author ipſe videor, *cum venia & pace veſtræ ſublimitatis dico, quia ille qui fortè hac opinione ſed non cognitione, ad injuriam & increpationem meam vobis ſuggeſſit, ſcire debuerat veſtræ authoritatis gravitatem ſufficienter recolere, quod ſcriptum eſt*, cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inveſtigabam. *Et ut beatus dicit Gregorius*, cùm omnia nuda & aperta ſint oculis Domini, tamen mala Sodomæ noluit inaudita judicare, *qui ait*. Deſcendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non eſt ita, ut ſciam. Omnipotens itaque Dominus & omnia ſciens, cur ante probationem, quaſi dubitat, niſi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antè præſumamus credere quàm probare? *Nam ut veſtræ dignationi veraciter fatear*, nec author, nec conſors, nec conſenſor ullius tyrannidis *unquam, vel uſq; ab ipſis cunabulis hactenus extiti. Hæc qui vobis talia nunciavit, adjuvante Domino de me probare non valebit. Et quia non ſilui, & in annunciando vel exequendo ea quæ mihi à veſtra authorithate præcepta ſunt, pro ſcire & poſſe meo deſes vel ſegnis non extiti, ſicut & antè ſcriptis oſtendi, & coram Miſſis veſtris viva voce monſtravi. De* hoc *quod dicit*, quia honore & dignitate cæteris Caroli Regis regni Epiſcopis ſum ſublimior, *ſuggero, quia ſcientia & meritis inferiorem, & non dignitati ac honore loci priorem cæteris Metropolitanis me eſſe cognoſco. Quia ſicut ſanctus Innocentius & Bonifacius, ac cæteri ſacræ ſedis Romanæ Pontifices, inde Decretis ſuis ex ſacris Canonibus promulgatis dicunt*, unaquaque provincia ſuo Metropolitano debet eſſe contenta. *De hoc quod ſcripſiſtis*, ut ſi ipſe Rex Carolus in obſtinationis ſuæ perfidia poſt meam conventionem perſiſtere maluerit, quàm juxta veſtra monita reſipiſcere, ab illius me communione atque conſortio ſequeſtrem, & ſecundum Apoſtolicum, nec ave ei dicam, ſi veſtræ communionis volo eſſe particeps, præſentiam ejuſmodi omnibus devitem, *cum magno cordis dolore ac gemitu dico, quoniam & Eccleſiaſtici & ſecularis ordinis viri, qui de diverſis Regis Remi Civitatem plurimi convenerint, quos mandatum veſtrum ibidem mihi delatum, quia non debuit, latere non potuit, exiguitati meæ, qui quantum ſcivi, & potui ſemper Apoſtolicæ ſedis privilegium extuli, improperando dixerunt & dicunt:* Nunquam hujuſmodi præceptionem ab illa ſede ulli deceſſorum meorum Miſſam fuiſſe, cùm inter Reges Sacramentis etiam confœderatos, ſed inter Patrem & filios, ac inter fratres prælia & ſeditiones eorum temporibus fuiſſe noſcantur.

tur. *Et aliis peccatis meis reputo, me hac intentionis vestræ comminatione singulariter ab authoritate vestra impeditum, cum cæteros Episcopos Regni sui, confratres scilicet & consacerdotes meos, tantum monueritis, increpueritis, redargueritis, & instruxeritis, non tamen, sicut me, illos de participatione communionis vestræ intentando, comminari voluistis, nec etiam eos qui, ut quidam dicunt, Regem nostrum in regnum quondam Lotharii pro sua necessitate invitaverunt, & honores ex eodem regno obtinuerunt, neq; illos, qui Regibus & regnorum Primoribus, sicut ego vestram perceptionem, & de ipso Regno interdictionem non intimaverunt, & ex adverso ascendentes non restiterunt, ut ego, qui, secundum quod potui, jussionem vestram perficere, procuravi, & nihil emolumenti, & quantum passus est pedis in rebus, cum plures ex Ecclesia mihi commissa diuturnis temporibus abstracta in eodem Regno habeantur. Nec aliud quodcunq; commodum nisi impedimenta & dispendia sim adeptus. Sed &* Domino nostro Regi Carolo *ad exaggerationem dicitur à quibusdam, quod nec pro Lothario, sicut multorum certa notitia, & infantes inde geniti protestati sunt, publico adulterio denotato, & apud sedem Apostolicam accusato, in cujus parte Regni non solum pars diœcesis, verùm & pars Parochiæ meæ conjacuit, talem præceptionem & comminationem ab antecessore vestro nullus Episcoporum in isto Regno acceperit, nec etiã ab hæreticorum, vel schismaticorum, sive tyrannicorum Imperatorum ac Regum, quales fuerunt* Constantius *Arrianus, ac Apostata Iulianus, & Maximus Tycannus, præsentia & salutatione, sive collocutione sedis Apostolicæ Pontifices, vel alii magnæ autoritatis atque sanctitatis Episcopi, cum locus & ratio ac causa exigit, se subtraxisse leguntur, Et si, aliis Episcopis Regi nostro communicantibus, ego me ab illius communione vel præsentia subtraxero, dicunt secundum* **Concilium** *Africanum*, quàm diu illi non communicavero, ut Can. 100.
mihi ab illis non cõmunicetur Episcopis, *præsertim cum ipse Rex se* perjurũ *esse deneget*, se invasorem alterius, & non ad se pertinens Regnũ *diffiteatur*, se tyrannum non esse *confirmet*, se hæreticum *vel* schismaticum, *quibus Apostolus nec Ave à quoquã dici præcepit non esse confiteatur, sed confessione rectæ fidei & amplexione Ecclesiasticæ pacis, se* Catholicũ & in pace Ecclesiastica manere, & permanere velle *demonstret*, & secundum LEGES ac Canones præsens in judicio, aut ad objecta respondere, aut objectis convinci, *se non refugere dicat. Et ut de Regia persona inquiunt, reticeamus, nec sicut quemlibet plebeum vel liberi capitis virum, in istis regionibus, secundum Ecclesiasticas regulas, & secundum leges publicas illum accusatum, vel sponte confessum, aut legaliter ac regulariter apertè convictum, audivimus. Sed in libris illa satis notissima ad legendum oculis ingerunt*, qualiter Proavus suus Pippinus *à Stephano, ipsius auxilium petente, & pro liberatione Romanæ Ecclesiæ in Galliam veniente*, in Regem *sit unctus*, *cum adhuc degeret Romana Ecclesia sub nomine & non auxilio defensionis Græcorum Imperatoris, & idem Pippinus non excommunicatione Apostolica, sed virtute hostili Hailstulfum qualemcunq; Regem Christianum oppressit, & Italiam domuit, atque justitias Sancti Petri obtinuit. Similiter & quæ* Avus ejus Carolus *temporibus Hadriani & Desiderii Regis Longobardorum egerit, & quomodo* Patritiatum Romanum *susceperit, quomodo etiam* Pag 577.

 tempo-

temporibus Leonis Papæ nomen Imperatoris *adeptus fuit*, *& quæ in Italia & quanta erga Romanam Ecclesiam fecerit*, *& quomodo Stephanus in Belgicam veniens Remi patrem suum in Imperatorem coronans sacraverit*; *& quomodo Gregorius subreptus cum Lothario, patre suo repugnante, in Franciam venit, & pax postea in Francia ut antea non fuit, & ipse Papa cum tali honore, sicut decuerat, & sui Antecessores fecerunt, Romam non rediit. Et computant quanta iste ab Episcopis & populo, qui Regem non habebant, & à paganis & seditiosis impetebantur in regnum, quod Lotharius habuit, invitatus exordinata ordinaverit; & dicunt secularem scripturam dicere, quia omne regnum seculi hujus bellis quæritur, victoriis propagatur, & non* Apostolici *vel* Episcoporum excommunicationibus *obtinetur, & Scripturam divinam proponunt dicere.* Quia Domini est regnum, per quem Reges regnant, & cui voluerit dat illud, *ministerio Angelorum & hominum. Quibus cum verba beati Iacobi Appstoli opponimus, dicentis:* Vnde bella & lites inter vos? Nonne hinc? *Id est* ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Litigatis & belligeratis, & non habetis, propterea quod non postulastis. *Et ideo,* quia Domini est regnum, & per eum Reges regnant, *ab illo regnum postulare debetis: qui litigatis & belligeratis pro temporali gloria, cum, si Dominum pia intentione postularetis, ipse vobis necessaria ad usum temporalem, & ad fruendum perpetuò superna bona tribueret. Et cum potestatem à CHRISTO Sancto Petro, primo Apostolorum, & in eo suis Successoribus datam, sed & Apostolis, & in eis, Episcopis Pontificium ligandi & solvendi collatum illis insinuare volumus, respondent.* Et nos ergo solis Orationibus vestris, regnum contra Normannos & alios impetentes defendite, & nostram defensionem nolite quærere; & si vultis ad defensionem habere nostrum auxilium, sicut volumus de vestris Orationibus habere Adjutorium, nolite quærere nostrum dispendium, & petite Dominum Apostolicum, ut quia *Rex* & *Episcopus simul esse non potest*, & sui Antecessores Ecclesiasticum ordinem, quod suum est, & non Rempublicam, quod Regum est, disposuerunt, non præcipiat nobis habere Regem, qui nos in sic longinquis partibus adjuvare nō possit contra subitaneos & frequentes Paganorum impetus, & nos Francos non jubeat servire, cui nolumus servire; quia istud jugum sui Antecessores nostris Antecessoribus non imposuerunt; & nos illud portare non possumus, qui scriptum esse in sanctis libris audimus, ut pro libertate & hæreditate nostra usq; ad mortem certare debeamus. Et si aliquis Episcopus aliquem Christianum contra legem excommunicat, sibi potestatem ligandi tollit. Et nulli vitam æternam potest tollere, si sua peccata illi eā tollunt. Et non convenit ulli Episcopo dicere, *ut Christianum, qui non est incorrigibilis, non propter propria crimina, sed pro terreno regno alicui tollendo vel acquirendo nomine Christianitatis debeat privare, & eum cum Diabolo collocare, quem CHRISTVS sua morte & suo sanguine de potestate Diaboli venit redimere, & Christianos pro fratribus suis animas suas docuit ponere.* Propterea si Dominus Apostolicus vult *pacem quærere*, sic pacem quærat, ut rixam non moveat; quia non nos concredemus,

demus, ut aliter ad regnum Dei pervenire non possimus, si illum, quem ipse commendat terrenum Regem non habuerimus. *Et alia* de juramentis *&* perjuriis, *& de* tyrannide, *de quibus scripsistis, sed &* de firmitatibus, *quæ inter Reges nostros factæ fuerunt, & de seditionibus, quæ pro illo regno exortæ fuerunt, & ad internecionem multorum pervenirent nisi ipse firmitates executæ fuissent, nobis dicunt, quæ vestræ autoritati mandare nobis non convenit. Quapropter, quomodo* ipsius Regis, *in cujus regno Parochia & Provincia mea consistit, & eorum qui cum eo degunt, sine animæ periculo, & mihi commissæ Ecclesiæ detrimento: consortium vel præsentiam valeam devitare, non video. Cum beatus Augustinus in præfato libro* de Pœnitentia *dicat.* Scripsi vobis, *inquit Apostolus in Epistola.* Non commisceri fornicariis: non utiq; fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut raptoribus, aut idolis servientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exire. Non enim possunt homines in hoc mundo viventes, nisi cum talibus vivere, nec eos lucri possunt facere CHRISTO, si eorum colloquium conviviumque vitaverint. Vnde & Dominus cum Publicanis & peccatoribus comedens, Non est (*inquit*) opus sanis medico, sed malè habentibus, non veni vocare justos, sed peccatores: *Et paulò post*: Quibus satis ostendit, non temerè & quomodo libet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione, & si per judicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne perversè malos evitando, quisquam ab Ecclesia ipse discedens eos, quos fugere videtur, vincant ad gehennam. Quia & ad hoc nobis sunt in Scripturis exempla proposita, vel in messe, ut paleæ sufferantur usque ad ultimum ventilabrum, vel infra illa retia, ubi pisces boni cum malis usque ad segregationẽ, quæ futura est in littore, hoc est, in fine seculi, æquo animo tolerentur. *Et item idem ex sententia Pauli*: Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, & si redarguas. Hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis & approbationis adjungitur, Hoc ergo admonens nos Apostolus ait: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligẽtia disciplinæ, Magis autem, *inquit*, & redarguite. Videte quemadmodum utrumq; complexus est. Nolite cõmunicare, magis autẽ & redarguite. Quid est, *nolite communicare?* Nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare: Quid est autem, *magis & redarguite?* repræhendite, corripite, cohercete. *Hoc enim secundum præceptionem vestram verbis & scriptis egi sæpissimè: Et in Epistola Concilii ad Donatistas idem doctor solertissimus dicit.* Quisquis, *inquit*, in hac Ecclesia benè vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata: quia unusquisq; in ea proprium onus portabit, sicut Apostolus dicit, Et quicunque in ea corpus Christi manducaverit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Cum enim dicit, *Iudicium sibi manducat*, satis ostendit, quia non alteri Iudicium manducat, sed sibi; quia communio malorum non maculat aliquem participatione Sacramentorum, sed consensio factorum. Nam si in factis malis non eis quisquam consentiat, portat malus causam suam, & perso-

personam suam; non præjudicat alteri, quem in Confessione mali operis socium non habet criminis. *Et in 1. libro de Baptismo dicit*: Spirituales sive ad hoc ipsum pio studio proficientes non eunt foris, quia & cum aliqua vel perversi-

Pag. 580. tate, vel necessitate hominum videntur expelli, ubi magis probant quàm intus permaneant, cum adversus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida vanitatis petra fortissimo charitatis robore radicantur. Ad hoc enim pertinet quod in illo Abrahæ sacrificio dicitur, Aves autem non divisit. *Igitur qui me à solida unitatis Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ petra non divido, & sicut nobis scriptis, & etiam præsentibus vestris missis, adeò ex vestra jussione verbis restiti Regi ac regnorum Primoribus, ut & coram eisdem missis comminaretur mihi, quoniam si in mea sententia permanerem, ad altare Ecclesiæ meæ cantare possim; de rebus verò & hominibus nullam potestatem haberem. A vestra communione non debeo separari aliorum factionibus, quorum quantum ex me est, non communico, quæcunque sunt tenebrosis operibus.* Qui, *inquit Dominus*, peccaverit mihi, delebo eũ de libro meo. *Et*: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. *Sed & in peccantibus, ut benè nostis, & beatus dicit Gregorius*, causæ pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. *Quæ potestas, ut* LEO *dicit*, in alios Apostolos, & ad *omnes Ecclesiæ Principes* commeavit; sed ideò *singulariter Petro* creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus *Petri forma* proponitur. Manet ergo *Petri Privilegium*, ubicunque ex ipsius fertur æquitate judicium, nec nimia est vel severitas vel remissio; ubi nihil est ligatum, nihil solutum, nisi quòd B. Petrus aut ligaverit aut solverit. *Qualiter etiam frater & Sacerdos noster* Hodo Beluacensis Episcopus, *mecum pro obtemperandis vestris jussionibus laboraverit, idem Legati vestri vobis innotescere possunt.*

Sed & aliæ comminationes *in nos sunt jaculatæ, quas adhuc nolo proferre, quasque scio, si Dominus illis permiserit, ut jam in deliberatione, ita sine retractione comminantes in opere monstrare curabitur. Et ut mihi experimento videtur propter meam interdictionem, vel propter linguæ humanæ gladium, nisi alius eis obstiterit, Rex vester, vel regni ejus Primores non dimittent, ut quod cœperint, quantum potuerunt. non exequantur. Et nescio quomodo ipsius Regis, vel inter quos habito præsentiam & communionem vel consortium valeam devitare, cum Rex & cohabitantes mecum unà cum Rege non solum in parochiam, verùm & in civitatem meam sæpe conveniant, & ibi tandiu,* sicut Regi *complacet, degant; & cum tanta multitudine tam de*

Pag. 581. *regno, quod antea habuit, quàm & de regno, quod Lotharius habuit, necnon de aliis regnis ad eum confluentibus, sicut Missi vestri viderunt, & hoc quàm sæpe illi videtur, in civitate mea sustineo, qui Ecclesiam & plebem mihi commissam deserere, & aliorsum ut mercenarius non valeo fugere, nec quo extra regnum ejus fugiã habeo: sed regio cultu eo recepto de Ecclesiasticis facultatibus, sicut præcipit, & quandiu præcipit, illi & sibi obsequentibus servo, ut quietè, secundum quod instat tempus, cum mihi commissis degere possim. Dicit enim hanc potestatem suos Decessores habuisse, quam ipse nullius interdictione dimit-*

dimittet. Quæ omnia supra & infra dicta, sicut non accusandum, sic nec ad excusandum in advocatione præfati Regis depromo. Ætatem enim habet, ipse de se loquatur, *neq; ad resistendum vestræ autoritati, neq; ad contradicendum vestræ præceptioni, sed consulendum, qualiter nos Episcopi, & ego præcipuè in quem tantam comminationem intentastis, erga Regem nostrum gerere debeamus. Cum beatus Augustinus, Apostoli exponens sententiam dicat,* Apostolica, *inquit,* dominatio, ut omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & ut reddantur omnibus omnia. *Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal,* & cætera, salvo Domini nostri cultu constitutionis humanæ Principibus reddamus, quando & ipse Dominus, ut nobis hujus sacræ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis quo, erat indutus, tributum solvere non dedignatus est. Iubentur etiam servi Christiani, & fideles boni dominis temporalibus æquanimiter fideliterq; servire, quos judicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint, aut cum quibus regnaturi sint, si & illi ad verum Deum conversi fuerint. Omnibus tamen præcipitur servire humanis potestatibus atque terrenis, quousque post tempus præfinitum ab istius seculi confusione, tanquam de captivitate Babyloniæ, sicut Hierusalem liberetur Ecclesia. Ex cujus captivitatis occasione si etiam terreni Reges desertis idolis, pro quibus persequebantur Christianos, unum verum Deum & CHRISTUM Dominum cognoverunt & colant, pro quibus Paulus Apostolus jubet orare Ecclesiam, cum persequerentur Ecclesiam, *ut securam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & castitate*; sicut & ille populus in Babyloniam ductus, per Hieremiam jubetur orare pro Rege Babylonæ. Et beatus Petrus dicit: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, sive Regi quasi præcellenti.* & item: *Dominum timete, Regem honorificate. Omni humanæ creaturæ, inquit Doctor sagacissimus,* omni dignitati hominum, omni personæ, omni principatui, cui vos divina dispositio subdi voluerit. *Hoc est enim quòd ait,* propter Dominum, quia non est potestas, nisi à Deo, & qui potestati resistit DEI ordinationi resistit. *Et item sanctus Augustinus in sermone Evangelii Ioannis.* Leguntur, *inquit,* leges manifestæ, ubi præceperunt Imperatores, eos qui præter Catholicæ Ecclesiæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis autorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere, Sed quid (inquiunt) nobis & Imperatori; Sed jam dixi de jure humano agitur, & tamen Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit *Regem reveremini.* Noli dicere quid mihi & Regi? noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa humana jura renunciasti, quibus possidentur possessiones. *Etsi per jura Regum possidebunt possessiones, non possunt, ut Regi, de Ecclesiasticis possessionibus obsequium non exhibeant, sicut antecessores mei suis antecessoribus exhibuerunt. Quapropter* Domine Pater reverendissimè, *consulite secundum privilegium sedis vestræ subjectioni nostræ, ne talia nobis cujuscunq; suggestione mandetis, unde inter* Episcopalem autoritatem & Regalem potestatem, *inter* Ecclesiam & Rempublicam, *tantum scandalum possit oriri, quod facilè ac sine dispendio Re-* Pag. 582.

ligionis vel detrimentum Ecclesiasticarum rerum unde servi & ancillæ DEI debeant nutriri, & Ecclesiastica negotia contineri, postea non possit sedari, quia sicut Abraham dixit ad Dominum : Absit hoc à te Domine, non est hoc tuum, quia judicas omnem terram. *Et hanc meæ subjectionis humillimam suggestionem ea benignitate suscipite, qua primus Apostolorum non solum minoris sui Apostoli redargutionem* pro simulatione *suscepit, verùm & minorum suorum quæstionem cur ad præputiatos intraverit satisfacere ac lenire curavit, epistolam autem generaliter Episcopis regni Domini nostri Caroli à vobis directam quanto citius potui, Metropolitanis regni sui direxi, ut & ipsi per suos coepiscepos illam transmittant, quatenus scientes præceptionem vestram quòd jubeatis, exequi studeant. Vestra deniq; autoritas misit mihi præterito anno* Epistolam, *præmissum coepiscopi nostri Hincmari præcipientem, ut oris mei officio* Nortmannum, qui res Ecclesiæ Laudunensis invaserat, excommunicarem, *sed ipse Nortmannus sicut manifestum est multis in istis Regionibus, in quibus LEGES & Canones exortas causas agitari, & definiri præcipiunt, res ipsius Ecclesiasticæ nos invasit, ex quibus quasdam idem Hincmarus Episcopus Domino REGI Carolo sine meo, & Coepiscoporum ac comministrorum suorum consensu concessit, ut eas Nortmanno beneficiaret, sicut plurimi sciunt, & in scriptis suis domino Regi, & mihi directis fatetur, quas siquidem res nuper Dominus Rex Ecclesiæ Laudunensi restituit, quasdam etiam res prædictus Episcopus filio Nortmanni sibi commendato in beneficium dedit, quas ab eo receptas tenet. Præterea si vestræ complacet autoritati quando talia & hujusmodi ad vos veniunt, & inde præcipere postulamini, interponite si ita est, ut vobis innotuit, quatenus sanius vestra jussio justè & rationabiliter ponderata valeat exequi. Et Metropolitanus qualiscunq; qui secundum sacros Canones excommunicationes intentatas à provinciali Episcopo, si inde ad me venerit proclamatio debeo retractare, si vestro benigno sedet animo in obsequium, illius parochianum suum juberi non debeo excommunicare. Alteram siquidem mihi* pro negotio ipsius Hincmari *direxistis Epistola dicentes* : Miranda est planè vestra fraternitas, quare ministerio juris Eiscopalis in regionibus illis abutitur, & multorum charitas abundante nequitia refrigescere dicitur. Hincmarus namque nepos & æquivocus tuus venerabilis duntaxat Episcopus, sicut audivimus, non minima in sua Ecclesia sustinet detrimenta, sed vobis, ut ita dixerim, tepescentibus nullam consolationem potuit invenire. *Unde humiliter autoritati vestræ rescribo, quomodo ut scriptum est, sicut audio judico, & vos sicut audistis scripsistis, sed qui vestræ sanctitati hæc verbis vel literis intimavit, mendacium vobis dixit. Plurimum enim* pro eo, *&* apud Regem & apud alios *laboravi, sed à præcedentibus annis, sicut multis est notum, ab eo plurima suffero, & timeo ne in scripturæ sententias incidat, quibus dicitur* : qui mentis est duræ, corruet. Abominatio enim Domino est omnis arrogans, & qui se exaltat, humiliabitur. *Et sicut illa, de quibus mihi pro eo scripsistis, mendaciter dicta sunt, etiam aliquis vobis suggessit,* quod eum ire Romam prohibuerim, vel dissuaserim, *mendacium vobis nihilominus dixit, sicut & plures in istis regionibus sciunt, & scriptis ad eum sæpe directis possum ostendere.*

Pag. 583. Pag. 584.

dere. De eo quod pusillitati meæ vestra rescripsit sublimitas, ut eundem Hincmarum, & alios tres Episcopos omnium Episcoporum regni Domini Caroli vicem ferentes, ad Synodum Romam mitterem, *vestra sciat autoritas, quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet Episcoporum Dioceseos Remorum, minimè autem aliarum provinciarum Episcopos, nisi Dominus Rex illis præceperit, Romam vel in aliquam partem mea commendatione mittendi habeo potestatem*, nec ipse ego *ultra fines sui regni absque illius scientia progredi valeo. Sicut* Missis vestræ sanctitatis *coram Odone venerabili Episcopo, & Ansegiso religioso presbytero & Abbate, quibus nostra causa sunt cognita, dixi* Epistolam *quoq; sicut mihi scripsistis* Domino nostro Regi Carolo à vobis directam, & à me dandam pro Hincmaro, *quæ ut coram illo relegeretur, & quòd in ea petiebatis impleret, me instare jussistis, frater Hincmarus mihi non dedit nec etiam misit, sed sicut audivi à Remigio & Hardiveo Archiepiscopis aliarum provinciarum, eam Regi dari obtinuit. DEUS omnipotens sanctitatem vestram ad Dominum sanctæ sedis & correctionem sanctæ suæ Ecclesiæ in suo apto servitio per annorum multa curricula conservare dignetur, Domine sanctissimè & reverendissimè Patrum Pater in Domino.* Hactenus Hincmarus Remorum Archiepiscopus, & sui temporis decus. Qui etiam in *Decreto* citatur, tantæ autoritatis fuit. Sequentur postea plures ejus *Epistolæ* in diversa materia.

CX. Synodus Macrensis.

TEmpore Ludovici Magni, Caroli ex Ludovico filio nepotis, celebrata est quædam Synodus multorum Episcoporum in diœcesi Remensi, ad S. Macram; tametsi numerus annorum, si quidem rectè scriptus est, sit amplior, & posteriora tempora indicet, nempe 881. annum à Domini nativitate. In ea Synodo diligenter distinguuntur *officia ac gubernatores politici ab Ecclesiasticis*, omniaque mala ex ea potissimùm confusione oriri dicuntur. Verùm adscribam ipsa Synodi verba, ne quid confingere aut mentiri videar. Duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur: *Auctoritas sacra Pontificum, & Regia potestas.* Solus enim Dominus noster Iesus Christus verè fieri potuit *Rex & Sacerdos*; post incarnationem verò & resurrectionem atque ascensionem ejus in cælum, nec Rex Pontificis dignitatem, nec Pontifex Regiam potestatem sibi usurpare præsumpsit. Sic actionibus propriis, dignitatibusque ab eo distinctis, ut & Christiani Reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium rerum cursu Regum dispositionibus uterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & in Deo militaris Domino minimè se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus, &c. *Et paulò post. Quoniam* ad exteriora negotia partim necessitate barbarici clamoris, partim negligentia nostri temporis dilapsi sumus, & aliud ex

In Hincmari Epist. p. 614, 615. Cent. Magd. 9. c. 9. col. 447.

honore suscepimus, atque aliud officio actionis exhibemus, ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut video, Episcopi vocamur: qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Relinquunt namque Dominum hi qui nobis commissi sunt, & tacemus, cum in pravis actibus jacent, & correctionis manum non tendimus. Quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim secularibus intenti, tantò insensibiliores intus efficimur, quantò ad ea quæ foris sunt, studiosiores videmur. Usu quippe curæ terrenæ à cœlesti desiderio obdurescit animus: & cum ipso suo usu durus efficiatur, per actionem seculi Adæ emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Domini: quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus: Domini causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profectò quod scriptum est: *Et erit sicut populus sic Sacerdos*; Sacerdos enim non distat à populo, quando nullo suæ vitæ merito vulgi transcendat actionem. Ecce jam penè nulla est seculi actio, quam non Sacerdotes administrent. Quanto autem mundus gladio feriatur aspicimus, quibus quotidie percussionibus intereat populus videmus: cujus hoc, nisi nostro præcipuè peccato agitur? Ecce depopulatæ urbes, eversa castra Ecclesiæ, ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt: sed nos pereunte populo auctores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata est: qui faciente nostra negligentia, ad vitam erudita non est. Pensemus ergo. Qui unquam per linguam nostram conversi, de perverso suo opere nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt? Quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis avaritiam, quis superbiam declinavit? hic Pastores vocati sumus, & cum ante æterni Pastoris oculos venerimus, eò gregem nostra prædicatione conversum non ducemus. Sed utinam si ad prædicationes virtutem præsufficimus, loci nostri officium in innocentia vitæ teneamus.

Esa. 24.

* Fragmentum hoc extat in Hincmari Op. p. 614.

CXI. *Conversio Bavarorum & Carenthanorum.*

Goulart. T. 2. lib. 9. p. 821. seqq.

AGnosco sanè & ipse hanc historiam non propriè ejus generis esse, ut aptissimè nostro instituto conveniat; sed tamen eo ipso, quod narravi, tantarum gentium conversionem adeò parùm vel nihil Papæ meminit, & præsertim non affirmat, cum per suos servos aut creaturas (uti vocantur) eas gentes convertisse, satis clarè illud impudentissimum mendacium Paparum refutatur, qui in Decreto suo gloriantur, omnes Europeas Ecclesias à se conversas constituasque esse. Satis etiam liquidò hinc apparet, quàm parva aut nulla tunc potentia fuerit Pontificum

super

super alias Ecclesias: multò verò minus super politias. Ipsa igitur sola veteris historiæ lux evidentissimè refutat Pontificum figmenta, id omni studio imperitis persuadere conantium, se perpetuò sic in triplici corona super solium Majestatis cum utroque gladio sedisse, ut nunc sibi eum falsò & impiè aut potius tyrannicè vendicat.

Vtiliter igitur, & hæc historia ad confutationem ejus figmentorum, & aliæ præsertim Ecclesiasticæ edi in publicum possunt, quæ clarè testantur, longè aliam faciem Ecclesiæ, ac Religionis olim fuisse, quàm postea sub Pontificum Tyrannide sit consequuta. Taceo nunc, quod & alioqui est digna hæc brevis historiola, quæ non planè intereat, sed à piis & literatis habeatur, & cognoscatur, ut sperem me ejus editione gratiam potius, quàm reprehensionem apud bonos ac doctos candidosque lectores consequuturum.

Quomodo Baioarii & Carenthani facti sunt Christiani. Ex antiquo membranaceo Codice.

TEmpore Hildeberti Regis Francorum, anno scilicet Regni illius. V. honorabilis Christi confessor Rudbertus in VVormacia civitate Episcopus habebatur, qui ex Regali prosapia Francorum ortus Catholicæ fidei & Evangelicæ doctrinæ, totiusque bonitatis nobilissimus refloruit doctor. Erat enim vir simplex, pius & prudens, in sermone verax, certus in judicio, providus in consilio, strenuus in actu, conspicuus in charitate, in universa morum honestate præclarus: Ita ut innumerabiles ad ejus sanctissimam convenirent doctrinam, & ab eo æternæ salutis documenta susciperent. Cumque fama sanctæ conversationis illius longè lateque increbresceret, pervenit ad notitiam cujusdam Ducis Bavariæ nomine Theoto, qui supra dictum virum Dei obnixis precibus, prout potuit, libentissimè studuit rogare per missos nuncios suos, ut hanc Provinciam visitando sacra illuminaret doctrina. Vnde prædicator veritatis divino compunctus amore, assensum præbuit, primò suos dirigens Legatos: Postea verò Christi gregem lucrandum per semetipsum venire dignatus est. Hoc audiens præfatus Dux, magno perfusus est gaudio, obviamque illi cum suis pergens, sanctum virum Evangelicumque doctorem cum omni honore & dignitate, suscepit in Ratispona civitate, Quem vir Domini cœpit de Christiana conversatione admonere, & de fide Catholica imbuere, & non multò post multos alios illius gentis nobiles atque ignobiles viros ad veram Christi fidem convertit, sacroque baptismate regeneravit, & in sancta corroboravit religione. Præfatus itaque Dux S. viro concessit licentiam locum aptum eligendi sibi & suis, ubicunque ei placeret in hac Provincia, Ecclesias Dei constituere, & cætera ad opus Ecclesiasticum habitacula perficere. Tunc jam dictus vir Domini accepta licentia per alveum Da-

nubii uſque ad fines Pannoniæ inferioris, ſpargendo ſemina vitæ navigando iter arripuit: ſicque tandem revertens ad Lauriaſcenſem pervenit civitatem, multosque ibi infirmos variis languoribus oppreſſos, orando per virtutem Domini ſanavit. Deinde arrepto itinere pervenit ad quendam locum, qui vocatur VValarium, ubi Eccleſiam in honore S. Petri principis Apoſtolorum conſtruxit & dedicavit. Præfatus itaque Dux ibidem primitus, ei in circuitu aliquas proprietatis poſſeſſiones tribuit. Poſtea verò ad notitiam venit ſancto Pontifici Rodberto aliquem eſſe locum juxta Fluvium Viarum antiquo vocabulo Innauenſem vocatum, ubi antiquis ſcilicet temporibus multa fuerunt mirabiliter conſtructa ædificia, & tunc penè dilapſa ſylvisque cooperta. Hoc audiens vir Domini propriis cupiens proſpicere oculis, quid inde ipſius rei veritas haberet, propter fidelium animarum lucrum, divina diſponente gratia cœpit Theodonem Ducem rogare, ut iſtius loci ei poteſtatem tribueret ad extirpanda & purificanda loca, & Eccleſiaſticum prout ei libitum foret, ordinare officium.

Quod ipſe Dux conſenſit, tribuens ei in longitudine & latitudine de territorio, ſuper duas longas poſſeſſiones, ut inde faceret quicquid ei placeret ad utilitatem iſtius ſanctæ Dei Eccleſiæ. Tunc vir Domini iſta cœpit renovare loca primò Deo formoſam ædificans Eccleſiam, quam in honore ſanctiſſimi Petri principis Apoſtolorum dedicavit, ac demum clauſtrum cum cæteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter conſtruxit. Poſtea verò delegato Sacerdotali officio, omnem ibidem quotidie curſum congruo ordine fecit celebrari.

Tunc prædictus doctor Rodbertus, cupiens aliquos adipiſci ſocios ad doctrinam Evangelicæ veritatis, propriam repetivit patriam, iterumq; cum XII. revertens diſcipulis, ſecumq; virginem Chriſti nomine Erentruadam adducens, quam in ſuperiori caſtro Innauenſium ſtatuens, ibidem colligens congregationem ſanctimonialium, & earum converſationem rationabiliter, ſicut Canonicus depoſcit ordo, per omnia diſpoſuit. Ipſe quoq; aſſiduè totum ſpacium iſtius circumiens patriæ, cõfirmans animos Chriſtianorum, admonensq; in fide fortiter permanere, quod verbis docuit, operibus adimplevit mirificis, ibiq; conſtructis conſecratisq; Eccleſiis, ordinatisq; inferioribus & ſuperioribus gradibus, proprium ſibi ordinavit ſucceſſorem. Ipſe verò præſciens longè ante diem vocationis ſuæ, confirmatis diſcipulis ad propriam remeavit ſedem, ibique aſtantibus admonitione divina fratribus peracta, inter verba orationis ſpiritum reddidit in pace, die videlicet reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad cujus ſepulchrum exuberant innumerabilia beneficia curationum cunctis fideliter petentibus uſque in hodiernum diem. Igitur poſt diſceſſum B. Rodberti Pontificis, vir charus omni populo egregiusque doctor, & ſeminator verbi Dei Vitalis Epiſcopus ſedem Innauenſem regendam ſuſcepit. Poſt cujus tranſitum Antiogoſus extitit Abbas, poſt cujus diſpoſitionem prædictæ ſedi adhæſit Sauolus Abbas, cujus ritè finito curſu Ethius Abbas ſucceſſit. Quo migrante

grante

grante de ſeculo iterato illa ſedes honorata refulſit Epiſcopo Flobargiſo, poſt quem Ioannes paſtoralem geſſit in ſede præfata curam.

Iiſdem temporibus ſcilicet Ottilonis Ducis Bavariorum, qui tunc jam ſubjectus fuit Regi Pipinno Francorum, venit quidam vir ſapiens, & benè doctus de Hybernia Inſula nomine Vergilius ad prædictum Regem in Franciam loco vocato Kariſiaco. Qui propter Dei amorem retinuit eum ſecum ferè duobus annis, & comperto eo benè docto miſit eum præfato Duci Ottiloni, ac conceſſit ei Epiſcopatum Saltzburgenſem. Qui diſſimulavit ordinationem duorum fermè annorum ſpaciis habens, proprium Epiſcopum fecit comitantem de patria nomine Dabdagræcum ad perſolvendum Epiſcopale officium. Poſtea verò petentibus populis & Epiſcopis regionis illius, conſenſit Vergilius conſecrationem accipere, ac ordinatus eſt à comprovincialibus Præſulibus ad Epiſcopum, anno ſcilicet nativitatis Domini DCCLXVII. XVII. Kal. Iulii.

Hactenus prænotatum eſt, qualiter Baioarii facti ſunt Chriſtiani, ſeu numerus Epiſcoporum & Abbatum conſcriptus in ſede Iuvauenſi. Nunc adjiciendum eſt, *qualiter Slavi, qui dicuntur* Charentani *& confines eorum fide ſancta inſtructi, Chriſtianiq; effecti ſunt*, ſeu quomodo Hunni Romanos & Gothos atque lapideos de inferiori Pannonia expulerunt, & illam poſſederunt regionem, quo aduſque Franci & Baioarii cum Charentanis continuis affligendo bellis ſuperaverunt. Eos autem qui obediebant fidei baptiſmum ſunt conſecuti, tributariosque Regum fecerunt, & terram quam poſſederunt reſidui adhuc pro tributo retinent Regis uſque in hodiernum diem. Nunc recapitulandum de Charentanis.

Temporibus glorioſi Regis Francorum Dagoberti Samo nomine, quidam Slavus manens in Quarantanis fuit Dux gentis illius: Qui venientes negociatores Dagoberti Regis interficere juſſit, & regna expoliavit pecunia. Quod dum comperit Dagobertus Rex miſit exercitum ſuum, & damnum quod ei idem Samo fecerat, vindicare juſſit, Sicque fecerunt, qui ab eo illuc miſſi ſunt, & Regis ſervitio ſubdiderunt illos. Non multò poſt tempore Hunni eoſdem Quarantanos hoſtili ſeditione graviter affligere, fuitq; tunc Dux eorum nomine Boruth, qui Hunnorum exercitu contra eos certum Baioariis nunciari fecit, eosque rogavit ſibi in auxilium venire. Illi quoq; feſtini venientes expugnaverunt Hunnos & obfirmaverunt Charantanos, ſervitutiq; eos Regũ ſubjecerunt, ſimiliterq; cõfines eorũ, duxeruntq; inde ſecũ obſides in Baioariã, inter quos erat filius Boruth nomine, Cacatius, quẽ pater ejus more Chriſtiano nutrire rogavit, & Chriſtianum facere, ſicut & factum eſt. Et de Chetumano filio fratris ſui ſimiliter poſtulavit. Mortuo autem Boruth per juſſionem Francorũ Baioarii Cacatium jam Chriſtianum factum, petentibus eiſdem Slavis, remiſerunt & illum Ducem fecerunt. Sed ille 3. poſtea anno defunctus eſt, Iterum autem per miſſionẽ Domini Pippini Regis ipſis populis petentibus redditus eſt eis Chettamarus Chriſtianus factus. Qui etiã Lupo presbyter ordinatus, Lunanenſi

nensi sede in Insulam Chemingi Lacy, quæ & Anna vocatur, dedit nepotem suum nomine Majoranum, ad Presbyterum jam ordinatum. Et quia compater ejus erat, idem Lupo presbyter docuit eum, ut ad Innanense monasterium devota mente ad Christianitatis officium subdidisset, Quem suscipientes eidem populi Ducatum illi dederunt. Ille vero secum habens Majoranum presbyterum in Innanensi monasterio ordinatum presbyterum, qui admonuit ipsum ad illud monasterium suum caput declinare in servitium Dei, & ille ita fecit, ac promisit se ad ipsam sedem serviturum, sicut & fecit, atque annis singulis ibidem suum servitium persolvebat, & inde semper doctrinam & officium Christianitatis percepit usque dum vixit. Exactis aliquantis temporibus prænominatus Dux Charantanorum petiit Vergilium Episcopum visitare populum gentis illius, illosq; in fide firmiter confortare. Quod ille tunc minimè adimplere valuit, sed sua vice misso suo Episcopo nomine Modesto, ad docendum illam plebem, & cum eo VVatonem, Reginbertum Contharium, atque Latinum presbyteros suos, & Rihardum Diaconum, cum aliis Clericis, dans ei licentiam Ecclesias consecrare, & Clericos ordinare juxta Canonum definitionem, nihilq; sibi usurpare, quod decretis sanctorum Patrum contra iret, qui venientes Charantanis dedicaverunt ibi Ecclesiam S. Mariæ in solio, & aliam in Vburnia, civitate sua Adundrinas, & in aliis quàm plurimis locis, ibique permansit usque ad vitæ suæ finem. Eo ergo defuncto Episcopo, postulavit iterum idem Chetumarus Dux Vergilium Episcopum, si fieri posset, ut ad se veniret, Quod ille renuit, orta seditione quidem Carinula dimisit, sed inito consilio misit ibidem Latinum presbyterum, Et non multò post orta alia seditione, exivit inde ipse Latinus presbyter. Sedata autem Carinula misit iterum Vergilius Episcopus ibidem Madalhodum presbyterum, & post eum Varmannum presbyterum. Mortuo autem Chettumaro & orta seditione aliquot annis nullus presbyter ibi erat, usque dum VValinch Dux eorum misit iterum ad Vergilium Episcopum, & petiit ibidem presbyteros mittere, Qui tunc misit eis Hiemonem presbyterum, & Reginbaldum presbyterum, atq; Majoranum Diaconum cum aliis Clericis: nō multò post, misit iterū ibidem eundem Hiemonem & Dupliterum, & Maioranum presbyteros, & alios Clericos cum eis, iterumq; misit eis Gotharium presbyterum, Maioranū & Erchenbertum, post eos Regēbaldum & Regenhardum presbyteros, ac deinde Maioranum & Augustinum presbyteros, iterumq; Regenbaldum & Guntharium. Et hoc sub Vergilio factum est Episcopo. Antiquis enim temporibus ex meridiana parte Danubii in plagis Pannoniæ inferioris, & arca confines regiones Romani præsederunt, ipsique ibi civitates & munitiones ad defensionem sui fecerunt, aliaque ædificia multa sicut adhuc apparet, Qui etiam Gothos & Iapidos suæ ditioni subdiderunt, sed post annos nativitatis Domini CCCLXXVII. & amplius Hunni ex sedibus suis in Aquilonis parte Danubii, & in desertis locis habitantes, transfretantes Danubium expulerunt Romanos & Gothos atq; Gepidos. Tunc verò Slavi post

Hunnos

Hunnos inde expulsos venientes ceperunt istis partibus Danubium diversas regiones inhabitare. Sed nunc qualiter Hunni inde expulsi sunt, & Slavi inhabitare ceperunt, & illa pars Pannoniæ ad diocesin Iuvavensem conversa est ediscendum putamus.

Igitur Carolus Imperator anno nativitatis Dom. DCCXCVI. Ericum Comitem destinavit, & cum eo immensam multitudinem Hunnos exterminare. Qui minimè resistentes reddiderunt se per præfatum Comitem Carolo Imperatori, Eodem ergo anno misit Carolus Pippinum filium suum in Hunniam cum exercitu multo, qui perveniens usque ad celebrem eorum locum, qui dicitur Rinch, ubi iterum omnes eorum Principes se dediderunt Pippino. Qui inde revertens partem Pannoniæ circa locum Pelessa inferioris ultra fluvium, qui dicitur Rapa, & sic usq; ad Dranum fluvium, & eo usque ubi Dranus fluit in Dannubium, prout potestatem habuit, prænominavit eum doctrina & Ecclesiastico officio procurare populū, qui remansit de Hunnis & Slavis in illis partibus, Arnoni Iuvanensium Episcopo, usque ad præsentiam genitoris sui Caroli Imperatoris. Postmodum ergo anno DCCCIII. Carolus Imperator Bajoriam intravit, & in mense Octob. Saltzburgensem & præfatam concessionem filii sui certans, potestativè multis astantibus fidelibus suis affirmavit & inconvulsam fieri concessit.

Simili etiam modo *Arnon* Episcopus, successor Vergilii, sedis Iuvanensis deinceps curam gessit pastoralem, undique ordinans Presbyteros, & mittens in Slavoniam, in partes videlicet Charantanas atque inferioris Pannoniæ illis Ducibus atque Comitibus. Sicut pridem Vergilius fecit. Quorum unus Ingo vocabatur, multum charus populis & amabilis propter suam prudentiam, tam obediens omnibus populis, ut si cuique vel charta sine literis ab illo directa fuit, nullus ausus est suum negligere præceptum, ore servos credentes secum vocavit ad mensam, & qui eorum dominabantur infideles, foris quasi canes sedere fecit, ponendo ante illos panem & carnes, & fusca vasa cum vino, ut sic sumerent victus. Servis autem Staupis deauratis propinare jussit. Tunc interrogantes primi de foris dixerunt. Cur nobis facis sic? At ille, non estis digni non ablutis corporibus cum sacro fonte renatis communicare, sed foris domum ut canes sumere victus. Iterum contigit anno videlicet nativitatis Domini DCCXCVIII. Arnonem jam Archiepiscopum à Leone Papa accepto pallio remeanndo de Roma venisse ultra Padum, eique obviasse missum Caroli cum Epistola sua mandans illi ipsi itinere in pastes Slavorum ire, & exquirere voluntatem populi illius, & prædicare ibi verbum Dei, sed quia hoc facere nequeunt, antequam responsum referret suæ legationis, festinè perrexit ad Imperatorem, & retulit ei, quicquid per eum Dominus Leo PP. mandavit. Post expletam Legationem Imperator præcepit Arnoni Archiepiscopo pergere in partes Slavorum, & prævidere omnem illam regionem Ecclesiasticum officium more

Episcopali colere, populosque in fide & Christianitate prædicando confortare sicut ille, præcepit, fecit illuc veniendo consecravit Ecclesias, ordinavit Presbyteros, populumque prædicando docuit, & inde rediens nunciavit Imperatori, quòd magna utilitas ibi potuisset effici: Si quis inde habuisset certamen. Tunc jussu Imperatoris ordinatus est Theodoricus Episcopus ab Arnoni Episcopo Iuvanensium. Quem ipse Arnon & Geroldus Comes perducentes in Slavoniam, dederunt in manus Principum commendantes illi Episcopo regionem Charantanorum, & confines eorum Occidentali parte Drani fluminis, usque dum Dranus fluit in amnem Danubii, ut potestativè populum regeret sua prædicatione & Evangelica doctrina, doceret servire Deo, & ut Ecclesias constructas dedicasset, Presbyteros ordinando constituisset, totumque Ecclesiasticum officium nullis partibus prout Canonicus ordo exposcit, proficeret dominationem & subjectionem habens Iuvanensium Rectorum sicut ille fecit quam diu vixit. Post diem verò transitus de hoc seculo Arnonis Archiepiscopi anno DCCC. XXI. Adalrammus piissimus Doctor sedem Iuvanensem suscepit regendam. Qui inter cætera beneficiorum opera, finito cursu Theodorici Episcopi prout Arno Archiepiscopus antea Theodorico Episcopo Slavos commisit, ita & ipse Othonem constituit Episcopum. Ipse enim Adalrammus anno nativitatis Christi DCCC. XXIII. pallium accepit ab Eugenio PP. rexitque gregem sibi commissum 15. annos, eoque superna clementia vocante à nexibus corporis absoluto *Luitprannus* venerabilis prædictæ sedis Pontificatum accepit Pastor. Quem Gregorius PP pallio honoravit anno DCCC. XXXVI. Qui innumerabilibus Deo placitis operibus peractis sydereas conscendit sedes anno nativitatis Christi DCCCLVIII. cui successit, quem ipse nutrivit Adalvvinus venerabilis Præsul pallio honoratus à Nicolao PP. ad præsens emitet tempus, cum omni regens diligentia divinitus gregem sibi commissum. Quorum temporibus Luitpranni videlicet Zadalvvini Archiepiscoporum, Osvvaldus Episcopus Slavorum regebat gentem, prout jam priscis temporibus jam dicti Episcopi fecerunt subjecti Episcopis Iuvanensium. Et adhuc ipse Adalvvinus Archiepiscopus per semetipsum regere studet illam gentem in nomine Domini, sicut jam in illis regionibus claret multis locis. Enumeratis itaque Episcopis Iuvanensium conamur, prout veracius in chronicis Imperatorum & Regum Francorum & Bajoariorum scriptum reperimus scire volentibus manifestare. Postquam ergo Carolus Imperator Hunnis rejectis Episcopatus dignitatem Iuvanensis Ecclesiæ Rectori, commendavit, Arnoni videlicet Archiepiscopo & suis Successoribus tenendi perpetualiter atque regendi perdonavit, cæperunt populi sive Slavi vel Bajoarii inhabitare terram. Vnde illi expulsi sunt Hunni & multiplicati. Tunc primus ab Imperatore consti-

constitutus est confinii Comes Gonterannus secundus VVerenharius III. Albericus, IV. Gotefridus, V. Geroldus. Interim verò dum prædicti Comites Orientalem procurabant plagam, aliqui Duces habitavere in illis partibus ad jam dictam sedem pertinentibus. Qui Comitibus præfatis subditio fuere ad servitium Imperatoris, quorũ nomina sunt Prinnihlavvga, Cemicas Hroymar. Etgar. Post illos verò Duces Bajoarii cœperunt prædictam terram dato Regum habere in Comitatũ Hebrivvinus Albgarius & Palio. His ita peractis Ratbodus suscepit defensionem termini, in cujus spatio temporis quidam Prinnina exulatus à Moymaro Duce Moravorũ supra Danubium, venit ad Ratbodum: Qui statim illum præsentavit Domino Regi nostro Ludovico, & suo jussu fide instructus baptizatus est in Ecclesia S. Martini, loco Treisma vocato, antè videlicet pertinenti ad sedem Iuvanensium, Qui postea Ratbodo commissus aliquod cum illo fuit tempus. Et nõ multò post de vulgariis Hecilo Ratimari Ducis adiit regionem, illoque tempore Ludovicus Rex Bajoariorum misit Ratbodum cum exercitu multo, ad exterminandum Ratimarum Ducẽ, Qui diffisus se defendi posse, in fugam conversus est cũ suis, qui cædem evaserunt, & prędictus Prinninas substitit cum suis, pertransivit fluvium Savum, ibique susceptus à Salachone Comite pacificatus est cum Ratbodo Aliqua verò occasione iterũ percepta rogantibus prædicti Regis fidelibus præstitit Rex Prinninæ aliquam inferioris Pannoniæ in beneficium partem circa fluvium, qui dicitur Sava. Tunc cœpit ille ibi habitare, & munimen ædificare in quodam nemore & Palasellede fluminis, & circumquaque populos congregare ac multum ampliari in terra illa, cui quondam Agalrammus Archiepiscopus ultra Danubium in sua proprietate, loco vocato Niterva consecravit Ecclesiam, sed postquam præfatũ munimen ædificavit, construxit infra primitus Ecclesiam, quam Luitprammus Archiepiscopus cum illa regione ministerium sacerdotale potestativè exercuit, in illud veniens castrum in honore S. Dei genetricis Mariæ consecravit, anno M. DCCCL. Ibi fuerunt præsentes Chehil, Vnhat, Choteinir, Liuntumir, Zeurben. Sihil, Vulkma, VVitemur, Trehih, Brismil, Zevvemin, Zeska, Crimisin, Goymer, Zistilo, Amelrich, Altunait, VVilhelm, Fridepht, Scrot, Gunther, Arfrid, Hidrid, Isampero, Rato, Deotrih, iterum Deotrih, Madalphat. Engelgast, VValther, Deotpald. Ipsi viderunt & audierunt complacationem illo die inter Luitprammum & Prinninam, quo illa] dedicata est Ecclesia, id est, VIII. Kalend. Febr. tunc dedit Prinnina Presbyterum suum nomine Dominicum in manus, & potestatem Luitprammi Archiepiscopi, & Luitprammus illi Presbytero licentiam concessit in sua diœcesi Missam canendi, commendans illi Ecclesiam illam & populum procurandum, sicut ordo Presbyteratus exposcit, Indeque rediens idem Pontifex, & cum eo Hezil consecravit Ecclesiam Sandrati Presbytero, ad quam Hezil territorium & sylvam ac prata in præsentia præfatorum virorum tradidit & circumduxit hoc ipsum termino. Transactis itaque ferè duorum aut trium anno-

rum ſpatiis , Adſalapurgin conſecravit in honore S. Rudberti Eccleſiam, quam Prinnina cum omni ſupropoſito tradidit Deo & S. Petro, atque S. Rudberto perpetuè in uſum fructuarium viris Dei Saltzburgenſium habendi. Poſtmodum verò roganti Prinninæ miſit Luitpramus Archiepiſcopus magiſtros de Saltzburch, murarios & pictores, fabros & lignarios, qui juxta civitatem Prinninæ honorabilem Eccleſiam inſtruxerunt, quam ipſe Luitprammus ædificari fecit, officiumque Eccleſiaſticum ibidem colere peregit. In qua Eccleſia Adrianus modò humatus pauſat. Item in eadem civitate Eccleſia S. Ioh. Baptiſtæ conſtat dedicata, & foris civitatem in Dudlepin, in Vſitin, ad Buſiviha, ad Bettobiam, ad Stipilipereh ad Lindolves Circhem ad Kriſi, ad VVeidheres Chirchem, ad Iſangrimes Chirchen, & ad B. Chirchen, ad V. Baſilicas temporibus Luitprammi Eccleſiæ dedicatæ ſunt & ad Otachers Circhen, & ad Palprumes Kirchen, cæterisque locis ubi Privinna id eſt Pruno, & ſui voluerunt populi. Quæ omnibus temporibus, Privinnæ conſtructæ ſunt & conſecratæ à Præſulibus Iuvanenſium. Pervenit ergo ad notitiam Ludovici piiſſimi Regis, quod Privinna benevolus fuit erga Dei ſervitium & ſuum, fidelibus ſuis quibuſdam ſæpius admonentibus conceſſit illi in proprium totum, quod prius habuit in beneficium exceptis illis rebus, quæ ad Epiſcopatum Iuvanenſis Eccleſiæ pertinere videntur, ſcilicet ad S. Petrum Principem Apoſtolorum, & beatiſſimum Rudbertum, ibi ipſe corpore requieſcit, ibi tunc ad præſens Rector venerabilis Luitprammus Archiepiſcopus præeſſe dinoſcitur. Ea ratione diffinivit Dominus Senior Noſter Rex easdem res , quæ tunc ad ipſum in ipſis locis conquiſitæ ſunt, & quæ ni antea in amplius Deo propitio augeri poſſunt, ut ſine ullius hominis contradictione, & judiciaria conſignatione illibatè, ad ipſa loca ſupradictorum ſanctorum perpetualiter perſeverare valeant. Iſti fuerunt præſentes Luitprammus Archiepiſcopus Ercherbentus Epiſcopus, Erchenfridus Epiſcopus, Hartungus, Carolamannus, Ludovicus, Ernſt, Rapot, VVerenher, Pabo, Fritel, Tachoff, Dieterich, VVaninch, Gerolt, Lumtolt, Diether, VVolfregi, Iehi, Egillolf, Pnobo, Adelbrecht, Megingol, Item Adlpaht, Vdalrich, Perenger. Mangolt. Actum loco publico in Regenſpurch anno DCCCXLVIII. ind. XI. ſub die 4. idus Octob. Quamdiu enim ille vixit nihil minuit Eccleſiaſticarum rerum , nec ſubtraxit de poteſtate prædictæ ſedis, ſed admonente Archiepiſcopo prout valuit, augere ſtuduit. Quia ad augmentum ſervitii Dei primitus illuc poſt obitum Dominici Presbyteri Sunarnagel, Presbyter ac præclarus Doctor illuc miſſus eſt cum Diacono & Clericis. Poſt illum verò Alifridum Presbyterum & Magiſtrum cujuſque artis Luitprammus direxit, Adalvinus Succeſſor Luitprammi Archipresbyterum ibi conſtituit, commendans illi claves Eccleſiæ , curamque poſt illum totius populi gerendam, ſimiliterque eo defuncto Richpaldum conſtituit Archipresbyterum. Qui multum tempus ibi demoratus eſt , exercens ſuum poteſtativè officium ſicut illi injunxit Archiepiſcopus ſuus uſque dum quidam Græcus Methodius nomine, noviter

viter inventis Slavinis literis linguam latinam doctrinamque Romanam atque literas actorabiles latinas philosophicè superducens, vilescere fecit cuncto populo ex parte missas, & Evangelia Ecclesiasticumque officium illorum, qui hoc latinè celebraverunt. Quod ille ferre non valens, sedem repetivit Iuvanensem. Anno ergo DCCCLXV. venerabilis Archiepiscopus Iuvanensium, Adelvvinus natalem Christi celebravit in castro Hehbrilonis noviter Moseburch vocato, quod illi successit moriente Patre suo Privinna, quem Maravi occiderunt, illoque die officium celebravit ibi Ecclesiasticum, Sequentique die in proprietate VVitrimari, dedicavit Ecclesiam in honore S. Michaëlis Archangeli in proprietate Hehilonis. Item in eodem anno XVIII. Kal. Febr. ad Spihhun in honore S. Margretæ virginis Ecclesiam dedicavit, ad Tremperch dedicavit Ecclesiam in honore S. Laurentii, ad Frihkere eodem anno dedicavit Ecclesiam, & singulis proprium dedit Presbyterum Ecclesiis. Sequenti quoque tempore veniens iterum in illam partem causa confirmationis & prædicationis, contigit illum venisse in locum, qui dicitur Cella, proprium videlicet Vnhatonis ibique fuit apta Ecclesia consecrandi, quam dedicavit in honore S. Petri Principis Apostolorum, constituitque ibi proprium Sacerdotem, Ecclesiam Htradachi dedicavit in honore S. Stephani. Postea verò tres Ecclesias consecravit, unam ad Quartmaha in honore S. Ioannis Evangelistæ, alteram ad Mihilihes Kirchene, tertiam ad Abhanha, quibus constituit proprios Sacerdotes.

Tempore ergo, quo dato & præcepto Domini Caroli Imperatoris Orientalis Pannoniæ populus Iuvanensibus regit cœpit Præsulibus usque in præsens tempus, sunt anni LXXV. quod nullus Episcopus alicubi veniens, potestatem habuit Ecclesiasticam in illo confinio, nisi Saltzburgenses Rectores, neque Presbyter aliunde veniens, plus tribus mensibus ibi suum ausus est colere officium, priusquam suam dimissoriam Episcopo præsentaverit Epistolam. Hoc enim ibi observatum fuit, usque dum nova orta est doctrina Methodii Philosophi.

De origine Bavarorum Bernhardus Monachus in Kremßmonstret sub Friderico.

NOricos à Norice filio Herculis dictos legimus, qui ex Oriente olim concedentes in hanc partem Germaniæ circa Istrum consistunt, a quibus deinceps Teutonicam linguam cæteros Alemanniæ populos transsumpsisse non nova opinio est, Alemannum enim per omnes gentes vel Clericos generale nomen, Teutonicorum esse nemo est qui nesciat. Quare una provincia usurpativè per errorem illud haud propriè vindicat. Noricorum, ut dixi, in ultimo Oriente circa Armeniam vel Indiam usque hodiè manet origo, quod penè omnibus notum probatissimis etiam nuper accepimus, qui peregrinati usque illuc Bavarizantes audierunt. His

Thomam Apoſtolum prædicaſſe à reverendiſſimis Doctoribus traditum eſt, qui ubiq; etiam à vulgaribus nobiles Bavarii vel fideles appellantur, cujus nobilitatis etiam Germania, ut taceam, qui cunctis occidentalibus Alexandro Magno deditionem mandantibus Norici bellum ei mandaſſe in cantibus priſcis cantantur. Unum quod in veterum libris legitur quam uniſſimè ſuccingam. Circa tempora Gothorum expulſi ſcribuntur, & terra ab invaſoribus poſſeſſa, poſt ab ipſis quoque deſerta & in ſolitudinem redacta eſt. Tum Bavarica velut nova generatio venit vel rediit cum Duce ſuo Theodone Patre illius Theodonis, quem S. baptizavit Rodbertus. Erant auté mille tantum milites tantæ fortitudinis, elegantiæ, proceritatis cum Duce omnes, ut diſſimiles & mirabiles omnibus per circuitũ forent. Mox Romam uſque cucurrit relatio, miſitque Imperator exigens cenſum. Is adhuc Romanis mos erat. Dieto indignans cum turpi nuncio nuncium remiſit. At inde ſuadentibus amicis è veſtigio Romam cum trecentis militibus, venit. Imperator dolosè cum paucis ſuſceptum pro contumelia nuncii ſui Cæſariem & barbam mutilari, veſtemque præcidi ſuper genua juſſit. Quid faceret inter tantos quomodo parum tuta per ſeipſam probitas eſt juxta Saluſtium. Diſſimulat interim, dimittitur cum compoſitione ad ſuos, Conſiliarium occupat veteranum, cujus conſilio ierat. Quid agimus inquit, Cum tantum dedecore ad noſtros referre non auſim Bavariis viderem? Ignaviam confuſioni præſcribent, at ille reſpondit, Quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem habebunt honeſtatem. Ecce multarum gentium auxilii bellum in hoſtem jam parant Romani, jungere ſubſidio, & vadens ad tuos hoc ſigno tuo ad diſcretionem omnes Romanis aquilis affuturos devincies. Imperator pro victoria Bavaros maxima pecunia replens, inſuper tributum pluribus annis remiſit. Quibus finitis Palatinum Prætorem honoris cauſa miſit ad Ducem exigens cenſum. Dieto ſciens quid pertulit comprehenſum Legatorum pro obſide incluſit, ſed honeſtè, mandatque per elegantem Imperatori parabolam dicens. Cervus in ſaltum acceſſerat cornuum acie, pedum velocitate fidens, & dominans. Vrſus eodem regnabat quàm acer, cui deditionem profitentur omnes beſtiæ, ſolus cervus contemnit. Vrſus etſi fortiorem ſe, velociorem tamen cervum non neſciens perſequi diſſimulat, vulpi urſus negotium credit, vulpis colloquio cervum ad obedientiam flectens ad urſi Palatium ducit quem ille inſidians laceravit, vulneravit, Cervus tamen ad priſtinam libertatem evaſit confuſior finis principio, mittitur denuò pro juſtitia vulpes ad cervum, cui reſpondit, ſemel didici, maneat ſibi urſus cum ſuis, Liber ero deinceps manibus perfidi. Hic ergo cervus nec multam Imperatoris ultra, nec cenſum dignabor, Audito nuncio Romani cum Principe Noricis bellum denuntiarunt. Theoto cum ſuis Otingen ſe conferens, ubi ſedes Ducatus hactenus fuit, alluſit dicens, Hic me qui quærit, invenit, Cumque proximaſſet infini-

infinitus exercitus, Dieto ſuſpicans paucitatem ſuorum, ne quid timidi tantos expaveſcerent, interdicit penitus exploratores. Pugnatur deinde à Ducibus Imperatoris, quos nimia cæde vicerunt Bavari, quaſi nullo amiſſo. Secundum bellum apud priorem per ſemet Imperator ſudavit. Norici cum multo ſanguine vincunt, Sicque cum propriis Ducibus uſque ad Theſſilonem, alios Reges non norunt. Et exiit ex iis radix ſancta, Theodulinga, quæ Regem Longobardorum accipiens maritum, convertit per maritum Longobardos, & ab eis Romam ſervavit, Cui S. Gregorius lib. Dialog. ſcripſit, & miſit pro munere, hujus Pater Rex ſcribitur Noricorum, cui Succeſſores etiam ſoli uſque hodie regni habent jura præter coronam, quamvis apud Iuvanum inter antiquæ urbis ruinas in capite 17. pedum reperta ſit, ex Scriptura exſculpta. Tempore Auguſti Cæſaris fuit Fabianus Rex Noricorum, Iuvanenſium, & totius Germaniæ, poſt hunc Antonius, poſt hunc Severus. Hinc eſt, qui juxta chronicos Theſſilo & Arnoldus, ut de cæteris taceam Theſſilo contra Pippinnum & Carolum Magnum: Arnoldus contra primum Heinricum regnare ſibi certabant, ſed Theſſilo poſt longam libertatem deſerentibus tandem ſe Noricis propter anathema Papæ, & defecit & Carolus timore Ducum per ſe rexit Bavariam, & Succeſſorem ſui. Arnolphus Imperator principaliter ita, ut Ratisbonæ muros augeret, poſt hunc Pater Arnoldi Ducis ſuſcepit Ducatum, Poſt quem Arnoldum, ut in Chronicis legitur, Heinricus pro Patre Epiſcopatus terræ ſuæ, & Abbatias Regio jure juxta antiquum conceſſit. Age Arnoldus pejor Diabolo ſententiam implet dicentis: plerumque ſummum jus ſumma malitia eſt. Hinc factio crevit impii, donec Eccleſias deſtruens, prædia totius Bavariæ cœnobiis raptans, Principibus ſuis in feudum diſtribuit quæ non ditant. Inter hæc Tregrenſi cœnobio milibus manſuum, quibus fundatum prædiximus, nihil extra turbas reliquit. Ah ſcelus fidelium donis partim reparatus locus ad huc Regibus ſubjacet, ſed procinctum negat raptis à præfato. XX. II. Salinarium, quas fundatores Regalibus impenſis diſcreverant. Arnoldum autem compater ſuus B. Vdalricus ex divina revelatione conveniens prædixit, altera die moriturum, niſi mox ablata cœnobiis redderet, ſprevit, irriſit & poſtera die cum Principibus ſuis 15. Vdalrico Regale celebrans convivium inter Epiſtolas alluſit Præſuli adhuc ſe vivere dicens, cui ille adhuc dies uſque ad noctem eſt inquit, Eadem hora fur domum perfodit, ſublatus in conclave moritur *Epitaphium ejus. Spiritus infernum pouuit oſſa ſolum, Vivens pollebam faciens quæcunque volebam, En nihilor ſub humo, ſic erit omnis homo.*

Charentanis primò prædicavit Modeſtus Epiſcopus miſſus & conſecratus à B. Virgilio ſub Pippinno Francorum Rege. Poſt hunc, miſſus & conſecratus eſt Thede-

Thedericus Episcopus in præsentia Caroli Imperatoris ab Arnone Archiepiscopo. Post hunc Ottho Episcopus consecratus est ab Adelramo Archiepiscopo. Post hunc Osbaldus Episcopus: sub Lutprammo & Adelvino: Archiepiscopis, Huic Osbaldo scripsit Nicolaus PP. duos canones, qui in corpore decretorum inveniuntur. Post hunc, interjecto tempore aliquo, supervenit quidam Slavus ab Histriæ & Dalmatiæ partibus nomine Methodius, qui adinven it lavinicas literas, & Slavicè celebravit divinum officium & vilescere fecit latinum, tandem fugatus à Charentanis partibus intravit Moraviam, ibique quiescit. Tempore Dagoberti Regis Francorum præerant Charentanis Dux Samo, post quem Boruth, post quem Raraftus, & post hunc Chemanarus, & post hunc Uvalthuns. Item sub Carolo & ejus Successoribus Primihlanga, cemicas Hpomar, Etgar. Et in Orientali etiam parte Bavariæ expulsis Hunnis, Incomites ab Imp. Carolo & ejus Successoribus sunt constituti Geroldus I. Goterammus II. Vuercharius III. Albricus IV. Gothfridus V. Arnoldus, & post hos Duces Helinvvinus, Albarius, Pado & Duces Charentanorum suprascripti sub istis Comitibus & Ducibus erant.

Heinricus Marchio Austriæ, qui fuit temporibus Heinrici Imp. Babenberg secundi hujus nominis, privignum habuit Ernestum Ducem Alemannorum, cujus Ernesti viduam Gisilam, ex antiquo Carolorum sanguine oriundam Cunradus postea Imp. Dux Pater Heinrici III. Duxit uxorem, cujus Ernesti filii, fuerunt, Ernst & Hermannus privigni prædicti Imperatoris Cunradi, qui sibi in Ducatu Alemaniæ alter post alterum successerunt, à quibus Duces de Haringin originem habuerunt. Prædictus Marchio Heinricus, sub quo S. Colonianus anno incarnationis Domini MXII. est martyratus, genuit Adelbertum Marchionem fratrem ex matre præfati Ernst Ducis senioris Qui Adelbertus cum filio suo Lupoldo eandem Marchiam Orientalem Ungaris primo plenè abstulit bello eis devictis & occisis, anno incar. Domini MXLII. sub Otthone Rege ipsorum. Post hoc anno incar. Domini MLVI. Adelberto Marchione obeunte Ernst filius ejus successit, Quia Lupoldus senior filius obierat. Idem Ernst post annos XVIII. occisus est in Saxonia in bello Hein. 4. Imp. anno incar. MLXXV. & Lupoldus filius ejus successit. Hic Lupoldus cum Bavaris & Bohemis ad Mauribergum dimicans anno incar. Dom. Domini MXXXII. post maximam stragem utrinque factam victus est. Idem etiam Lupoldus Medlicense cœnobium fundavit, decessit autem anno incar. Domini MLXXXVI. eique filius Lupoldus Largus successit. Cui ob eximiam virtutem & fortitudinem Henr. V. Imp. qui contra Patrem surrexerat, sororem suam Agnetem viduam dedit uxorem, quæ prius à Patre Imperatore copulata Friderico Duci Sueviæ genuerat Fridericum, postea Ducem Patrem Friderici Imperatoris, Et Cunradum postea Regem Romanorum. Luipoldus Largus genuit ex ea Luipoldum, postea Ducem Bavariæ, & Adelbertum, & Heinricum Ducem, & Cunradum Saltzburgensem. Postea Archiepiscopum, & Otthonem Frisingensem Episcopum,

pum, & filias IV. Gerdrudem Ducissam Bohemiæ, & Bertham Ducissam Polonorum, & jam Marchionissam de Monte ferrato, & Bretam conjugem Præfecti Ratisbonensis. Fundavit autem prænotatus Marchio duo cænobia, unum ad Nivvenburch Canonicorum, & alterum ad S. Crucem Monachorum. Obiit autem anno incar. Domini M.C.XXXVII. cui filii sui, Primò Luipoldus Dux, pòst Heinricus Dux successit. Heinricus Dux ex conjuge Thedora Græca genuit Luipoldum & Heinricum filios, & filiam Agnetem quæ primò Stephano Regi Vngarorum copulata, eo defuncto Herimanno Duci Carinthiæ est sociata, Qui ex ea genuit Ericum qui nunc Dux est Carinthiæ, Heinrico Duce post multa virtutum & probitatum insignia defuncto Luipoldus filius succedit incarnationis Domini M.C.LXXVII.

CXII. *VValafridus Strabo, Abbas.*

WAlafridus Abbas, & multorum monachorum, ut eum Trimethius prædicat, Pater, floruit Ludovicii Pii tempore, circa 840. Domini annum; & cum alia, tum *de Officiis & ritibus Ecclesiasticis* scripsit, in quo opere multa scitu dignissima de sanctæ vetustatis synceritate recenset, quorum hic aliqua illustrandæ veritatis causa commemorabo. *Ritus Ecclesiasticos veteres describit.*

Cap. 4. cum *de Ecclesiæ forma* differit, dicit, veteres non admodum sollicitos fuisse, in quam partem vel Templum, vel Altaria essent conversa, quod ubiq; Deum esse scirent: sed recentiores tantum *ad Orientem* convertisse. *Col. 536. T. 3. Biblioth. Patrum, ed. Paris. 1575.*

Cap. 5. *de Campanis* differens, dicit esse *novum inventum*, & olim non adeo necessarium, quòd tunc non ita crebro ad Templa concursarint, nec (ut ipse loquitur) tam multiplex apud eos Conventuum assiduitas fuerit, sicut modò; scilicet dum jam ad *matutina*, jam ad *Missas*, jam ad *horas* concurritur; sed tantum statutis quibusdam temporibus, ad Conciones convenerint, quæ eis etiam sine campanis satis nota fuerunt.

Cap. 7. ostendit adhuc suo tempore apud quasdam Scythicas gentes, & præcipuè Thomitanos, sacra Christiana *vulgari Germanico sermone* peragi solita. Audio etiam hodie Germanos ibi habitare. *Col. 540.*

Cap. 8. de *Imaginibus* differens, docet, nec colendas aut adorandas, nec abjiciendas esse. *Col. 541.*

Cap. 12. de *Oratione* differens, dicit eam esse debere brevem, puram, ardentem, & non in multiloquio consistere; non debere esse clamosam, taxat tusionem pectoris, & oris, taxat & melodiam nimiam, idque de Augustini sententia ex libris Confessionis. *Col. 544.*

Cap. 14. de *extructione Templorum* agens, dicit, videndum esse ut ex justè partis extruantur, idque moderatè & multum inculcat, longè satius esse pauperibus subvenire, quàm parietes Templorum ornare. Citat quoque exemplum Gregorii, *Col. 546.*

quem dicit non in Templorum extructione & exornatione, ut alios Papas, laborasse, sed in doctrina & eleemosynis.

Col. 549. Cap. 18. taxat *Agni Paschalis benedictionem*, dicitque esse Iudaicam superstitionem.

Col. 552, 553, 554. Cap. 20. 21. & 22. ostendit, veteres *raras* (ut vocant) *Missas* solitos facere. Alios enim tantum semel in anno, alios singulis Dominicis diebus aut Sabbatis semel liturgian celebrasse; idq; non tantum in Oriente, sed & in Occidente; deinde posteros majora festa, quin & minora Sanctorum adjecisse; sic tandem ad quotidianam, ut ita dicam, missationem perventum esse. Est verò hoc cum primis observatu dignissimum; veteres enim, cum nihil aliud Sacramento corporis & sanguinis Domini operarentur, quàm communionem, nec putarent aliquod singulare meritum in eo offerendo aut sacrificando esse, rarò celebrabant liturgiam, nempe tantum quoties communicare volebant: quod & Græcorũ consuetudo rarò, ut ita dicam, Missandi adhuc testatur. Ostendit verò etiam Rhenanus in præfatione Græcæ Missæ, olim in Germania raras Missas fuisse, nempe tantum quoties communicare voluerunt. Verùm posteritas in eum abusum erroremque declinavit, ut ex cœna Christi sacrificium faceret: idque tandem in immensum cumulaverit & auxerit, ut nunc singulis diebus multa millia Missarũ peragant: imò ut proram puppimque, ut ajunt, Religionis in multitudinem Missarum constituant.

Col. 554. 555. 556. Cap. 22. de *auctoribus partium Missæ* agens, primum dicit, Apostolos, eorumque Successores, Missam solummodo cum Dominica Oratione & verbis cœnæ, ut adhuc in parasceve fit, peregisse; non habuisse eos canonem, nec solitos dicere, Offero, Sacrifico pro vivis & mortuis. Ait etiam hodie quoque talem Missam tantum recitandis cœnæ verbis sufficere posse. Deinde affirmat, multos apud Græcos & Latinos varias sibi Missarum formas pro libitu composuisse. Et sanè hodierna adhuc die duæ sunt in usu formæ Græcæ Missæ, Basilii, ut putant, & Chrysostomi; & duæ Latinæ, Ambrosiana & Gregoriana; postea authores singularum partium Missæ recenset, inter quos etiam Gregorium tertium, qui post 700. Christi annum sedit. Quæ omnia abundè testantur, *Missam* olim nil nisi communionem fuisse, sicut jam apud nos est, & Christus initio eam instituit: sed mero hominum arbitrio ac temeritate, fraudeque Diaboli in sacrificium declinasse.

Col. 560. Cap. 24. docet, veteres *communibus indumento* indutos, Missas celebrare solitos esse, & adhuc quosdam in Oriente solere. Item, solitos *ligneis calcibus* uti. Sed adscribam pauca ejus verba. Bonifacius martyr & Episcopus interrogatus *si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere?* Respondit: *Quondam aurei Sacerdotes ligneis calicibus utebantur, nunc è contra* lignei Sacerdotes *aureis utuntur calicibus.*

Col. 561. Cap. 26. de *Horis Canonicis* agens, aliquoties repetit, longo tempore post

Apostolos eas compositas institutasque esse. Sic igitur etiam ex hoc autore apparet, initio simplicem synceramque Religionem fuisse, quæ in prædicatione pœnitentiæ, remissionis peccatorum, & noli amplius peccare, inque Baptismo & communione constiterit. Verùm postea humanam sapientiam, illam in cæremonias, cantus, & pompas traduxisse; & ut uno verbo dicam, ex rei veritate in umbram ac speciem transformasse.

CXIII. Sergius Papa, dictus Os Porci.

OS porci Papa factus circa annum Domini 846. ob fœditatem nomen immutavit, ac Sergius dici voluit; unde Papis nominis mutatio est in usum recepta. Verùm non statim mutata nominis turpitudine, vitæ quoque fœditatem mutavit; nam quantumvis eum Platina, Paparum adulator, laudet; tamen vitæ quædam in veteri membrana scriptæ (quas Luitprandi Ticinensis esse opinor, quòd Formosi vita, quæ ultima est, eisdem planè verbis in hoc opere, & ejus historia, recensetur) diversum de eo testantur. Sed adscribam istius Porci vitam ad verbum. *Sergius natione Romanus, ex parte Sergio regionis quartæ, sedit annis III. Hic absq; jussione Lotharii Imperatoris est ordinatus. Vnde cum ejus consecrationis rumor ad prædicti aures Imperatoris pervenit, indignatus de hac præsumptione, filium suum Ludovicum, & Drogonem Metensem Episcopum, cum magno exercitu Romam direxit; & post multa damna Romanis illata, ipsos Romanos Imperatori fidelitatem jurare fecerunt, & prædictum Sergium post multas contentiones in sede iterum confirmaverunt. Qui prædictum filium Imperatoris in Regem Longobardorum unxit. Hujus Pontificis fuit frater Benedictus, nomine Brutus, & valdè stolidus, qui propter Pontificis imbecillitatem Ecclesiasticam & publicam curam usurpavit. Ab hoc etiam maximis muneribus Primatum & dominium Romæ ab Imperatore sibi acquisivit. Demum verò Albanensem Episcopatum usurpare non metuit, & omnia infra & extra Romam sua avaritia & vanitate vastavit. Vigebat etiam istius Pontificis & fratris ejus tempore Symoniaca hæresis in tantum, ut etiam publicè venderet Episcopatus: & qui plus dabat Episcopatum accipiebat: nec erat aliquis Episcoporum, aut quisquam virorum Ecclesiasticorum, qui zelo Dei ductus, cum Imperatore aut Rgeageret, ut hoc nefas prohiberetur. Et quia nemo erat Christianorum, per quem hoc malum corrigeretur, misit divina potentia flagellum paganorum, ad ulciscenda peccata Christianorum. Nam supervenientes Sarraceni innumeros hominum interfecerunt, castella & urbes multas captas accepta præda igni dederunt: demũ Regem expugnantes fugaverunt, & multis captis & interfectis, maxima hominum & omniũ rerum præda onusti reversi sunt. Hæc ordinavit Episcopos XXV. Presbyteros VIII. Diaconos III.*

Ex hac vitæ hujus nebulonis descriptione, quæ etiam in Cosmidicomio & Henrico de Erfordia recitatur, facilè apparet, *eum non tantum os, sed & cor Porci habuisse*, quantumvis eum Platina, & appendix Damasi (ut solent Papistæ, & præ-

ſertim Itali ſuos Papas) falsò ornet; quandoquidem totus in ambitionem & avaritiam hujus tantum vitæ commoda per ſcelus, neglecto Deo, quærens, pronus projectusque fuerit. Obſervandum verò eſt, etiam hunc hiſtoricum ejus ſententiæ fuiſſe, quod cum Papæ enormiter peccant, à Cæſare corrigi caſtigarique & poſſint, & modis omnibus debeant. Alioqui Deum totas regiones propter talia ſcelera puniturum eſſe. Verùm *de hoc Porco*, & lite cum Imperatore, habes plura in Drogone ſupra.

CXIV. Concilium Carthaginenſe V.

CONcilium Carthaginenſe V. anno 438. celebratum, conſtituit, ut ſacella & aræ ſanctorum, ubi non eſſent eorum corpora, diruantur, ſi periculum non eſt à tumultu populi. Sin metuitur tumultus, ut ſaltem Concionatores dehortentur, populum illa loca frequentare. Sacella quoque & aras divorum ob ſomnia ſimilesque revelationes fabricata (cujuſmodi ſunt jam ubique in Papatu plurima, vel potius infinita) omnino reprobat. Ita apparet illos bonos patres voluiſſe creſcenti idololatriæ de cultu ſanctorum & templorum reſiſtere: ſed tamen aliquantò mitius id agere coactos, propter furorem ſuperſtitioſi & ſemiethnici populi.

Obſervatu quoq; dignum eſt, qua fraude Satan & impii piorum illorum Patrum decretum eluſerint. Initio ſancti illi viri concedendum putaverunt memoriæ cauſa, ut, ubi corpora ſanctorum ſepulta jacerent, ibi monumenta & capellæ (ut vocant) extruerentur. At poſteri, quò, ubicunq; vellent, lapideas domos colere poſſent, piumq; hoc decretum eluderent, diſcerpſerunt unius ſancti cadaver, veſtesq; in aliquot millia particularum, ac in aras diverſiſſimis locis repoſuerunt: ut ſic dici poſſit, in omnibus illis templis eſſe corpus ejusdem ſancti, ſi non totum, at certè particulam aliquam vel ipſius, vel ejus calceorum: ſicq; præclarè ac planè Papiſtico more Concilium ſervaſſe viderentur.

In hac autem tertia Carthag. Synodo decretum eſt etiam, ut tantum Canonici libri in Eccleſia legantur: at poſtea non tantum Patres in templis lecti ſunt, ſed & Ariſtoteles: imò & vaniſſimæ fabulæ in ſuggeſtu expoſitæ ac doctæ ſunt. In tertia Carthaginenſi Synodo ſcriptum eſt, negligentiam Sacerdotum cauſam eſſe diſſolutæ diſciplinæ in Eccleſia. Quòd ſi unquam ullis temporibus verum fuit, noſtris certè eſt veriſſimum.

CXV. Ius Civile.

IVs Civile circiter ante mille annos eſt à Iuſtiniano Imperatore inſtauratum. Id in Novellis, Conſtitutione 124. & 126. diſertè præcipit, ut in templis vulgaribus linguis,

guis, quæ in singulis locis notæ sunt, omnia agantur & tractentur. Præcipit item jus, ut clara*exaudibiliq; voce verba Sacramentorum & Cœnæ Domini & Baptismi recitentur, quo astantium devotio seu pietas excitetur. Quibus legibus procul dubio voluit pientissimus Imperator obviam ire, & resistere jam tunc pullulanti superstitioni & abusui, quæ hodie regnat, & ab Antichristo summo studio propagatur, quòd sacræ literæ vulgaribus linguis non sint tractandæ, nec verba Cœnæ Domini fas sit clara voce recitari. De Primatu verò ita statuit Novella 123. Vt uniuscujusque Provinciæ Clericos suo Patriarchæ, sine ulla ulteriori provocatione, subjecerit. Constitutione 100. porrò, Constantinopolitanum Patriarcham Romano æquat.

* VVolfius Cent. V. Lect. Memor. p. 158.

CXVI. *Cælestinus Primus.*

SEdit Cælestinus circa annum Domini 450. Non malè in plerisque sensit ac docuit, etiamsi ambitione & dominandi cupiditate in præceps abreptus sit, ut alibi dixi. Primum *Gratiam Christi* multum & prædicavit, & defendit contra Pelagium, aliosque liberi arbitrii defensores, in qua re & Sophistas seu Sorbonistas simul oppugnavit ac damnavit. Deinde renovavit, vel defendit potius consuetudinem Ecclesiæ, ***ne invitis auditoribus ullus Episcopus obtrudatur***, sed simul à Clero & Populo eligatur. Tertiò, ***contra superstitiones Monasticas*** haudquaquam segniter pugnavit; nam cum tunc libera adhuc vestitus Monachorum ratio esset, ita ut si quis ex Monachis in Clerum allegaretur (neque enim adhuc tunc Monachi Sacerdotes propriè erant) simul etiam priorem vestitum abjiceret, hocque quidam facere nollent, sed superstitiose monasticum habitum retinerent, graviter eos refutavit, dicens, Eos potius superstitioso cultui quàm fidei ac mentis puritati inservire; Velle eos potius per literam, id est, externos ritus, quàm spiritum Deo servire, dum amicirent se pallio, & præcingerent lumbos. Verùm non eam esse sententiam divini præcepti, ut ad literam sit necesse præcingere lumbos; alioqui & ardentes lucernas, & baculos in manibus esse gestandos. *Discernendi sumus*, inquit, *à plebe, vel à cæteris, doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu; nam si studere incipiemus novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum vacuum superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere; docendi enim potius sunt, quàm illudendi. Nec imponendum est illorum oculis, sed mentibus præcepta infundenda sunt.* Præclara profectò sunt ista præcepta, non esse vulgus ad superstitiones vestium & aliarum externarum nugarum assuefaciendum; & docendas potius oves Christi esse, quàm talibus larvis simulatæ pietatis territandas aut illudendas; nec oculos hominum inani pietatis specie perstringendos, sed cor piis dogmatibus sedulò imbuendum. Secuta tempora, præsertim

hisce proximis annis 400. totam religionẽ in hoc genus præstigiarum aut ludibriorum prorsus transformarunt; neglecta enim est syncera cordis pietas, & prædicatio Evangelii, seu instructio Christianorum; & res tota ad superstitiosas observationes vestium, ciborum, dierum, rituum, & aliarum hujusmodi nugarum deducta.

Notatu & hoc dignum hujus Pontificis est, quòd statuit, *ne ullus Episcopus invita plebi obtrudatur*; nusquam enim plebs amplius consulitur; quod paucis fasis, aut etiam ipsi Romano Antichristo pecunia corrupto videtur, id fit, sive id placeat sive displiaceat, sive prosit sive obsit plebi.

CXVII. *Theodosius Magnus.*

THeodosius Imperio, bello, prudentia ac pietate verè magnus fuit, & regnavit circa 390. Domini annum. Is igitur sicut in iis, quæ recta fuere, magna animi submissione, se sacerdotali dignitati submisit, quod exemplum Ambrosianæ excõmunicationis indicat: ita contrà Romano Pontifici, contra omne jus ac fas, Flavinianum virum tum doctissimum pariter & pientissimum, tum & præclarissimè in Ariana cribratione de Ecclesia Dei meritum, persequenti, schismaq; contra Orientales Ecclesias efficienti, restitit. Quinetiam coràm eum gravi oratione objurgans à pravo instituto deduxit. Verùm adscribam integrum caput ex Theodoreto, quò magis tum Romanorum Pontificum impotens simul, & impudens appareat audacia, & aliorum Christianorum gravis liberaque constantia qui ejusmodi injustas minas excommunicationesque Paparum non valde curabant. Conspicietur etiam inde, nec Orientales, imò nec Græcos, nec etiam Illyricos tunc adhuc temporis sub Romano Pontifice fuisse. Verba Theodoreti hæc sunt. Antiochiæ autem in Præsulatu successit magno Meletio *Flavianus*, qui cum Theodoreto tot certamina pro salute ovium subierat. Voluerat quidam Paulinus invadere Ducatum Ecclesiæ illius, sed refragatus fuit sacerdotũ cœtus, quòd eum, qui Meletii consilium respuisset, mortui solium capessere negarẽt oportere: esseq; æquum ut Pastor crearetur Flavianus, multis conspicuus laboribus, quiq; nullum pro ovibus periculum adire unquam recusasset. Hoc factum Orienti diuturnissimũ odium Ægyptiorum Romanorumq; excitavit. Neq; enim inimicitiæ istæ unà cum Paulini vita sunt extinctæ. Sed post eum obtinente solium ipsius Evagrio, indignationem erga Flavianum suam retinuerunt, quamvis Evagrius contra legem Ecclesiasticam ad illam dignitatem provectus fuisset. Solus enim cum Paulinus multis Canonibus præteritis creaverat, nam non promittunt hi morituro suffectionem, at cunctos Provinciæ jubent cõvocari Episcopos, creariq; vetant ullum, nisi tribus Episcopis præsentibus. Sed horum illi nihil scire volebant, communitatemq; admittebant Evagrii, & adversus Flavianũ exasperabant Imperatoris aures. Interpellatus enim sæpenumero Imperator tandẽ Constantinopolim venire, indeq; Romam illum proficisci jubet. Evagrius

5. Hist. Eccl. 22. p. 510. edit. Bas. 1549.

Evagrius vere quòd hyemem esse diceret pollicitus se primo verè imperatū factu-rum,revertitur in Patriā.Sed cum Romani Episcopi,non admirabilis modòDama-sus,verumetiam Successor illius Siricius,&hujus Anastasius,pium Imperatorem ve-hementius aggrederentur, quòd dicerent,tyrannos eū sibi adversantes evertere:sed audaces contra Christi leges impunitos esse pati,rursum accersitum illū cogere cœ-pit,utRomā proficisceretur. Tunc sapientissimusFlavianus consueta libertate usus, si qui Imperator fidē meā, inquit,culpant,tanquā perversam,sive ajunt Pontificatu indignam vitam meam, ipsis utar accusatoribus meis judicibus, & stabo sententia illorum,quamcunq; tulerint: sin disceptatio est de solio & præsidentia,neq; ego ju-dicium moror, neq; cum volentibus usurpare dimicabo, sed recedam,neq; Præsu-latum abdicabo. Quare tu Imperator solium Antiochiæ committe cuicunq; libue-rit. Tum Imperator admiratus ejus fortitudinem, ac sapientiam,in Patriam ipsum reverti,& commissam pascereEcclesiam jubet. At multo sanè tempore post,eædem rursum ad Imperatorem Romæ accusationes Episcoporum delatæ sunt, quòd Fla-vianum ferret, neq; ejus tyrannidē opprimeret. Ibi Imperator, quod tyrannidis ge-nus dicere eos jubet, quasi ipse Flavianus esset, nam patrocinium se Flaviani susce-pisse. Cumq; illi se cū Imperatore disceptare negarent posse: Imperator eos hortari, ut deinceps conjungerent Ecclesias,& cōtentiones ponerent,multasq; litigationes extinguerent; nam Paulinum dudum mortuum,ac Evagrium non pervenisse vera via ad Præsulatū. Tum cunctas Orientales Ecclesias,Flaviani Præsulatum defende-re,prætercq, has habere etiam conjunctas communicantesque, omnes Asiaticas,& Ponticas,atq; etiam Thracias,quinetiam toti Illyrico persuasum esse, universo O-rienti præsidere Flavianum. Hac monitione admissa promittunt Occidentales Episcopi, posituros se inimicitias, & si legationem mitteret Flavianus,audituros. Misit igitur Divus FlavianusRomam laudatosEpiscopos quosdam,itemq; Presby-teros ac diaconos. Horum omnium eratPrinceps Acacius,pastoralem curam Ber-rhonæ in Syria sortitus, omnibus in terræ marisq; locis celeberrimus. Hic unà cum aliis profectus Romam, longas istas inimicitias post annos decem & septem sustu-lit,& pacem confecit Ecclesiis. Quo cognito, & Ægyptii deleto odio concordiam sunt amplexi. Eo tempore Romanæ Ecclesiæ ductor erat Innocentius, Anastasii Successor,vir prudentia sapientiaque clarus. Alexandrinæ verò Theophilus,de quo & supra mentio habita est. Hinc cernere est, quàm de nihilo Romani Pontifices soliti sint ingentes rixas concitare, & quàm non semper eis alii cordati Episcopi ac Gubernatores cesserint, sed potiùs eorum turbulentum ac tyrannicum animum fortiter & constanter repreſserint. Hactenus Theodoretus.

CXVIII. *Socrates.*

SOcrates, Ecclesiasticæ historiæ author, inter pios scriptores haud incelebris,

floruit

Pag. 375. ed. Basʃ. 49. floruit circa annum Domini 400. Is libro 5. cap. 22. valde prolixè diſputat, ritus Eccleſiaſticos, ut feſta, jejunia, abſtinentiam ciborum, cantiones, & ſimiles, item & Sacerdotum conjugium, eſſe res prorſus natura ſua liberas, conſuetudines eſſe ait temerè obortas, paulatim uſu confirmatas, ideoque diverſarum Eccleſiarum diverſiſſimos ritus commemorat prolixè admodum, ſed Apoſtolos talia omnia libera reliquiſſe, quin & libera eſſe docuiſſe; tandemq; huic diſputationi perpulchrum epiphonema apponit: *Mens*, inquit, *& animus Apoſtolorum fuit, non de feſtis diebus ſancire traditiunculas, ſed verum Dei cultum & piam vitam prædicare*: id eſt, neglectis cæremonialibus ritibus & traditiunculis (in quibus Antichriſtus nunc totam religionem collocat, & jam longo tempore collocavit) legem & Evangelium prædicarunt, veramque cordis erga Deum pietatem, non externas & hypocriticas geſticulationes in hominibus excitare ſua prædicatione ſunt conati. Vide Tripar. 9. cap. 38.

CXIX. *Hieronymus.*

Hieronymus vixit anno 390. Is in Epiſtola ad Evagrium, contendit omnes Epiſcopos eſſe pari potentia præditos, ac diſertè exequat Romanum Epiſcopum, aliis minimorum oppidulorum Epiſcopis. Quinetiam clarè probat, Epiſcopos non divino, ſed humano jure Presbyteris majores eſſe; fuiſſe enim olim idem Presbyterum & Epiſcopum. Sic etiam ſcribit ſuper Galatas, quòd Paulus nequaquam Petrum objurgare auſus fuiſſet, niſi ſe ipſi parem eſſe noviſſet.

Illud quoque hujus viri dictum contra Paparum ambitionem præclarum eſt, quod Diſt. 40. citatur: *Non eſt facilè, in loco Petri & Pauli ſtare, & tenere cathedram regnantium cum Chriſto; quia hinc dicitur: Non ſanctorum filii ſunt, qui tenent loca Sanctorum, ſed qui exercent opera eorum.* Præclarum ſanè hoc dictum eſt, quòd hic Hieronymus tanquam uſitatum ac celebre recitat. Si enim loca doctores æquarent tum & is qui Hieroſolymis poſt Chriſtum docuit, ei authoritate æquaretur. Quo quid abſurdius aut pernicioſius omnino excogitari poteſt?

In libro porrò *de Norma vivendi*, inquit Hieronymus: *Nulla tam crudelis in mundo beſtia eſt, quemadmodum Clericus vel Sacerdos malus; nam corrigi non patitur, nec veritatem audire poteſt.* Quo ille ſanè dicto admodum graphicè noſtros Pſeudoſpirituales, præſertimque ipſum Papam depinxit.

Item exponens dictum Chriſti, *Quodcunq; ligaveritis ſuper terram*, &c. dicit indoctos Prælatos ſibi hinc aliquid de Phariſaico ſupercilio arrogare, putantes ſe poſſe pro libito ligare aut ſolvere; cum tamen nihil aliud ſit eorum ligare & ſolvere, quàm ex verbo Dei, ejus ſententiam indicare. Contrà noſtri Prælati & Canoniſtæ garriunt, ſententiam ſpiritualium eſſe timendam, ſive ſit juſta, ſive injuſta; ac ex violenta hujus dicti interpretatione, Papæ poteſtatem majorem, quàm Dei ipſius

eſt

est, imò supra, & contra Deum, quasi ex plenitudine potestatis liceat quicquid ejus pectoris scrinio libeat, impiè arrogant.

Citat Gratianus 13.q.2. Hieronymum contra Sanctorum invocationem & orationem pro mortuis, inquiens: *E contra Hieronymus, in præsenti seculo scimus sive orationibus sive consiliis invicem posse nos adjuvari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam; sed unumquemque portare suum onus.* Illam primam voculam Gratiani (contra Hieronymus) exponit glossa contra, id quòd dixit, quod possumus orare pro mortuis. Citaverat enim talia Gratianus prius ibidem, quæ asserere videbantur orationem pro mortuis.

* Extat in Hieronymi Comm. ad Galat. c.6. col.350. Tom.6.

Memorabilils & illa Hieronymi sententia est: Ecclesia ex quo crevit in possessionibus, decrevit in virtutibus.

Hieronymus in Epistola 84. pulchrè quoque depingit Clericorum vitam, sic scribens ad Eustochium virginem: Sunt de hominibus mei ordinis, qui ideo Presbyteratum & Diaconatum ambiunt, ut licentius mulieres videant. Et his est omnis cura de vestibus, si benè oleant, si pes laxa pelle non vacillet: (folleat) crines, calamistri vestigio rotantur, digiti annulis radiant. Tales igitur cùm videris, sponsos magis æstimato quàm Clericos. Alii ad sacerdotium anhelant, ut inopiæ cedant, & miseriæ; quia in statu servili & abjectionis esse abhorrent, laborare recusant præ pigritia, mendicare erubescunt validi, quia nihil daretur eis: facti autem Sacerdotes, provisi beneficiis, aut aliis titulis, ab illis omnibus redimentur. Alii, ut Rabbi vocentur, aut domini; nam in simplici statu nullius reputationis cùm essent, nec respectus fiebat ab eis, facti Sacerdotes, cervices erigunt, vestes longas deferunt, honores ab hominibus exigunt, tanquam debitum eis reservatum. Nec putant se tunc plus debere humiliare, & pœnitentiam agere: sed imò primos accubitus ambiunt, votiva ut debitum exquirunt, eleemosynas à fidelibus expetunt, hypocrisi, dolo, vi & fraude, modis quibuscunque. Alii ut præemineant dignitatibus, divitiis, ut suos consanguineos exaltare valeant: qui prius ignobiles aut degeneres, postea inter alios ingenui videantur. Et isti sunt Sacerdotes Baal. Scribit item hic Pater ad Rusticum Narbonensem, quòd ex quo crevit in Ecclesia avaritia, sicut & in Imperio, periit lex de Sacerdotibus, & visio à Propheta.

Tom. 1. Ep. 22. col. 184. edit. Paris. 1579.

Digna sanè Romanistarum impudentia est, quæ hoc etiam loco taxetur. Gloriatur enim, Romanam Ecclesiam esse omnium Ecclesiarum matrem, cum sit penè omnium filia & ultima. Hierosolymitana est omnium mater. Inde enim exiit lex, & verbum Dei, teste Propheta. Damasus ad Hieronymum scribens, testatur, nullam certam sedem seu cantiones eam Ecclesiam usque ad sua tempora habuisse; eoque petit ab eo eam rationem psallendi, seu canendi, suæ Ecclesiæ præscribi, quam in Oriente in usu Ecclesiæ jam olim habuerunt.

In Epistola ad Lucinum, disserit de consuetudinibus Ecclesiæ, quæ contra

Ep. 28. col. 247. T. 1.

fidem non sunt, in iis unamquamque Provinciam in suo sensu abundare posse. Non ergo sensit, omnibus Romanas necessariò observandas esse, ut nunc Papistæ contendunt.

Adscribam hic Sylvii (seu Pii Secundi) verba, qui in Concilii Basiliensis Commentariis citat locum ex Hieronymo, probans Papam, si ineptus, aut etiam malus Pastor sit, piè deponi posse. Inquit igitur Hieronymus quoque super illis Matthæi verbis, Sal infatuatum nihil prodest, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur à porcis, sic in persona Petri & Pauli inquit: Non est facilè stare in loco Petri & Pauli, & tenere cathedram jam cum Christo regnantium. Infatuatum sal, id est, stultus Prælatus, insipidus in prædicando, & fatuus in delinquendo, ad nihilum prodest, nisi ut mittatur foras, id est, deponatur: & conculcetur à porcis, id est, à dæmonibus, qui dominantur malo Prælato tanquam pecori suo. En clarum est Hieronymi testimonium, projiciatur foras, id est, deponatur, exponit: & loquitur de Prælato, qui Petri locum tenet · & sic de Romano Pontifice, quem in prædicando insipidum, & fatuum in delinquendo, ex gradu suæ dignitatis deponendum affirmat.

Ep. 13. ad Paulinum col. 119. T. 2. Idem de superstitione peregrinationum pulchrè alicubi dicit, *Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis piè vixisse laudandum est.*

Memorabile & illud Hieronymi dictum est, quod & in Decretis citatur. Veteres, inquit, scrutans historias, invenire non possum, aliquos alios scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse, præter eos qui Sacerdotes à Deo positi fuerant, & Prophetæ: id est, speculatores. Isti ergo vertuntur in laqueum tortuosum, in omnibus locis ponentes scandalum. Item in Epistola ad Nepotianum dicit: *Clericum ex inope divitem, ex ignobili gloriosum factum, quasi pestem quandam fuge.* At nostri Clerici nec reprehendi, nec corrigi amplius volunt. *Ep. 2. col. 13. T. 1.*

Hisce & similibus scriptis ac dictis malam gratiam apud Romanos Curtisanos inivit, ut etiam superius in Agapitis dixi; fuitq; in tanto & odio & periculo Romæ, ut fugere inde coactus sit; sicut in Gestis ipsius disertè legitur; nimirum semper illud Satyrici verum fuit, Romæ non veridicis, sed mendacibus & adulatoribus locum esse. Quid autem aliud de ea Babylone sperari, optarívе potest?

Verùm apponamus sanè Hieronymo, velut appendicis loco, quædam pauca ex *Dialogis Sulpitii Severi*, ut appareat etiam aliorum testimonio, quàm corrupta jam tum Clericorum vita fuerit, quamque ea huic ac aliis sanctis Patribus displicuerit. Igitur deinde digressus, Bethleem oppidum petiit, quod ab Hierosolymis sex milibus separatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest. Ecclesiam loci illius Hieronymus Presbyter regit; nam parrochia est Episcopi, qui Hierosolymam tenet. Mihi jam pridem Hieronymus superiore illa mea peregrinatione compertus, facilè obtinuerat, ut nullum mihi rectius expetendum arbitrarer. Vir enim præter fidei meritum, dotemque virtutum, non solùm Latinis atque

Græcis, sed & Hebræis etiam ita literis institutus est, ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare. Miror autem si non & vobis per multa quæ scripsit opera compertus est, cum per totum orbem legatur. Nobis verò, Gallus inquit, nimium nimiumque compertus est; nam ante hoc quinquennium quendam illius libellum legi, in quo tota nostrorum natio Monachorum ab eo vehementissimè vexatur, & carpitur. Vnde interdum Belgicus noster valde irasci solet, quod dixerit, nos usque ad vomitum satiari. Ego autem, *inquit Gallus*, illi viro ignosco; atque ita sentio, de Orientalibus illum potius Monachis, quàm de Occidentalibus disputasse; nam edacitas in Græcis gula est, in Gallis natura. *Tunc ego :* Scholasticè, *inquam*, Galle defendis gentem tuam; sed quæso te, liber iste nunquid hoc solum vitium damnat in Monachis? Imò verò, *inquit*, nihil penitus omisit, quod non carperet, laceraret, exponeret; præcipuè avaritiam, nec minus vanitatem insectatus est. Multa de superbia, non pauca de superstitione disseruit: verè, fateor, pinxisse mihi videtur multorum vitia. Cæterùm de familiaritatibus virginum & Monachorum, atque etiam Clericorum, quàm vera, quàm fortia disputavit? unde à quibusdam, quos nominare nolo, dicitur non amari; nam sicut Belgicus noster irascitur, edacitatis nimiæ nos notatos; ita illi fremere dicuntur, cum in illo opusculo scriptum legunt, cœlibem spernit virgo germanum fratrem, quærit extraneum. *Ad hæc ego :* Nimium, *inquam*, Galle progrederis, cave ne & te aliquis, qui hæc fortassis agnoscit, exaudiat, teque unà cum Hieronymo incipiat non amare; nam quia Scholasticus es, non immeritò te versu Comici illius admonebo: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Tua nobis, ut cœperas, potius Posthumiane repetatur Orientalis oratio. Ego, *inquit*, ut dicere institueram, apud Hieronymum sex mensibus fui; cui jugis adversus malos pugna, perpetuumque certamen. Conscivit odia peditorum, oderunt eum hæretici quia eos impugnare non desinit, oderunt eum Clerici, quia vitam eorum insectatur, & crimina; sed planè eum boni omnes admirantur & diligunt; nam qui eum *hæreticum* esse arbitrantur, insaniunt.

CXX. *Augustinus.*

AVgustinus floruit circa annum 440. Is Epistola 119. ad Ianuarium, clarè affirmat, ita onerari religionem Christianam, quam quidem paucissimis ritibus contentam esse Dei misericordia voluerit, traditionibus humanis, & ritibus, ut Iudæorum conditio facilior fuerit (qui tamen tempus libertatis non attigerunt) quàm Christianorum; seque multa ejusmodi propter scandala quarundam sanctarum, & etiam contentiones turbulentarum personarum, oppugnare non audere. Deplorat jam tunc temporis ita magni factas humanas traditiones, ut divinis mandatis præferrentur. Eaque omnia dicit, ubi facultas datur, sine ulla

dubitatione resecanda esse. At, Deus bone, quàm in immensum ab eo tempore humanæ traditiones, earumque authoritas, abusus & superstitiones excreverunt? In prædicta Epistola, & *ad Castum* etiam, jejunorum leges nimium superstitiosas vituperat.

Pelagii error de gratia, justificatione, humanis viribus & operibus, fuit consimilimus Monachorum & Sententiariorum errori, qui humani arbitrii libertatem, ac virium humanarum efficaciam, legisque possibilitatem consimiliter prædicarunt, & inflarunt, justitiamque non gratuitæ Dei misericordiæ ob meritum Christi, sed nostris operibus, fermè philosophicè aut ethnicè, tribuerunt. Eum errorem Augustinus gravissimè oppugnavit. Damnavit igitur Papistas in maximis rebus, in peccato originali, libero arbitrio, gratuita justificatione, fide & bonis operibus.

Pugnavit etiam Augustinus acriter *pro authoritate Scripturæ sacræ*, contra authoritatem humanorum scriptorum & consuetudinis: vultque unicuique esse liberum judicare de Patrum scriptis, adhibita Scripturæ norma; idque facit tum alibi, tum in quadam Epistola ad Hieronymum, qui aliquantò plus Scriptis suis tribui volebat, quàm par erat.

Reprehendit etiam Augustinus opinionem illam ethnicam & Papisticam, *de opere operato*, cùm in aliis partibus religionis, tum verò in sumptione Sacramenti cœnæ Domini. Inquit enim: *Quid paras ventrem & dentes? crede, & comedisti.* Nam Papistæ multum de efficacia Sacramentorum, ac opere operato (planè ethnico more) garriunt; sed de fide, in sumptione Sacramentorum promissiones intuente, omnino sunt muti. Quare illis summus cultus est, si etiam impurissimus & propalàm Epicureus sacrificulus, cum quibusdam preculis & cæremoniolis, fictum Sacramentum voraverit.

Col.68.T.4. De *gratuita justificatione* tametsi prolixè in multis locis ac benè disserat, tamen illud dictum in libro *de Fide & operibus* cap.14. in primis pulchrum est: *Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum.* Idem & Epistola 120. dicit; quo nihil clarius dici potest pro gratuita justificatione. Inquit quoque ibi inter alia:

Col.609. T.2. *Fratres, Iesum Christum justum, ipsum habemus advocatum apud Patrem, ipse est propitiatio peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresim non fecit; hoc qui tenuit, schisma non fecit. Vnde enim facta sunt schismata? Cum dicunt homines,* Nos justi sumus; *cum dicunt homines, nos sanctificamus immundos, nos justificamus impios, nos petimus, nos impetramus,* &c. Annon hic disertè beatus Augustinus, & nos culpa hæresis ac schismatis liberat, qui omnem justitiæ ac salutis nostræ causam soli Christo tribuimus; & contrà, in Papistas operarios & justitiarios, eorumque Missatores, omnem schismatis hæreseosque culpam transfert; qui suis bonis operibus supererogationis, suisque cucullis, volunt peccatores salvare, Deumque eis suis Missis ac vigiliis propitium reddere & efficere?

De

De *Ciborum delectu* ita inquit in libro de Christianis dogmatibus: *Bonum est, cibum cum gratiarum actione sumere, & quicquid Deus praecepit edendum est, Abstinere autem ab aliquibus non quasi à malis sed quasi non necessariis, non est malum. Moderari verò eorum usum pro necessitate & tempore, propriè Christianorum est.* Vnde apparet eum alienissimum fuisse ab ista superstitione Pontificiorum vel ante certis diebus carnes. De Eccl. dogm. c.66. Col.206. T.3.

Sanctorum invocationem seu adorationem hisce verbis reprehendit libro de vera Religione: *Non sit nobis Religio* cultus hominum mortuorum, *quia si piè vixerunt, non sic habentur, ut tales quaerant honores; sed* illum *à nobis coli volunt, quo illuminante laetantur meriti sui nos esse conservos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter Religionem.* Et paulòpost: *Hoc etiam ipsos optimos* Angelos *credamus: ut unum cum ipsis colamus Deum,* &c. Sequitur: *Quare honoramus eos charitate, non servitute, &c. Nec eis* Templa *constituimus, nolunt enim sic se à nobis honorari; quia nos ipsos, cum boni sumus,* Templa *esse* Dei *noverunt. Rectè itaq; scribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne se adoraret; sed unum Deum, sub quo esset & ille conservus. Apoc.* 19. *&* 22. Sic & lib. 10. de Civitate Dei, inquit: *Sancti nolunt nos sibi sacrificare, sed ei cujus & ipsi nobiscum sacrificium esse noverunt.* Talia complura contra Sanctorum adorationem, apud Augustinum extant. Quale & illud est, quod alibi contendit *mortuos ignorare, quid nos in hac vita agamus.* Si ignorant, ergo frustra invocantur. *Purgatorium* negat Hypognosticorum quinto. Cap.55. col. 743. T.1. Col. 474.

De *Conjugio* quoque *Sacerdotum* in Quaestionibus ex utroque Testamento commodè disserit, inquiens. *Et Anna cum sterilis esset, & Deum diligeret, petiit ut haberet filium, & accepit; quòd si contrarium esset, moneri potuit ab eo, quem diligebat, ne rem postularet adversam, Et natus ex ea sanctissimus Samuel, filios genuit, non tamen justitiae suae merita minuit; prima enim aetate sua semper auctus est, ut in senectute propensiori DEI testimonio commendaretur.* Et Zacharias Sacerdos *vir justus in senectute sua Dei nutu genuit filium, quo nondum nato meruit prophetare. Qua ergo ratione accusatur, quod minimè obesse probatur? Et quis neget bonum dici debere, quod neminem laedit? Et ut hoc loco aliquid* de Apostolis *dicatur, quod ad robur pertinet causae, certè* S. Ioannes *castimoniae fuit custos; condiscipulus autem ejus id est* S. Petrus uxorem habuisse *cognoscitur; & Primatum ut acciperet inter Apostolos non ei obstitit GENERATIO filiorum. Quomodo ergo condemnandum putatur, quod non impedit meritum? Hinc Apostolus eum* qui uxorem habet, *si in caeteris servet mandata, SACERDOTEM fieri posse ac debere ostendit. Quod si illicitum esset, non poterat utiq; peccatorem dicere debere fieri Sacerdotem. Et quid tam apertum? Ejusdem enim Apostoli vox est dicentis,* De virginibus autem imperium Domini non habeo. *Cùm enim Corinthii exagitarentur ab haereticis, qui in hypocrisi nuptias damnandas docebant, consuluerunt Apostolum literis,* an liceret nubere: an uxorem remittere. *Tunc praecepit Apostolus,* non debere uxorem à viro recedere, *cùm habuerit occasionem dicendi, si scisset, sic docendum, non* Tom. 4. col. 878.

licere nubere;quomodo quod sibi non sit traditum, docere se non posse ostendit. Quis audet discipulorum docere,quod à Magistro traditum non est?

Quod porrò etiam *Primatum Papæ* oppugnarit, dictum est in Carthaginensi sexta Synodo. Sed tamen dicatur & jam breviter aliquid; sæpe enim Augustinus, etiam cum quadam vehementia & stomacho contendit, claves non uni Petro, sed toti Ecclesiæ traditas esse. Primo Retractionum inquit: *Non petra à Petro, sed Petrus à petra dicitur. Petra enim est Christus. Quare addit*, super petram, *non* super Petrum *esse ædificatam Dei Ecclesiam.* Item in fine *de agone Christiano*, contendit toti Ecclesiæ, non uni Petro claves traditas esse. Addit post pauca: *Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam habere potestatem remittendi omnia peccata. Itaq; miseri, dum in petra non intelligunt Petrum, & nolunt credere datas claves regni cœlorum ipsi, eas de manibus amiserunt.* Vbi clarè Papam notare videtur, qui sibi præcipuum quoddam jus in administrandis clavibus rapit.

C. 21. col. 30.

Monachos, in libro *de Opere Monachorum*, acriter taxat, dicens plerosq; ex eis tantum ocii & saginæ studio in Monasteria cursitare; quosdam etiam ex iis ossa Sanctorũ vel vera vel falsa venditantes discursitare. Iubet igitur eos laborare propriis manibus; & applicat ad eos illud D. Pauli dictum: *Qui non laborat, non comedat.* Reprehendit & alias quasdam eorum superstitiones.

T. 3. col. 777. 779. 794.

Auricularem Confessionem, libro Confess. 10. sic insectatur, postquam dixisset solam confessionem, quæ Deo fit, nos curare & sanare, inquiens: *Quid malum ergo cum hominibus, ut audiant confessiones meas? quasi ipsi sint sanaturi omnes languores meos? Curiosum genus hominum ad cognoscendam alienam vitam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid* à me *quærunt, qui sim, qui volunt à te audire, qui sint? Et unde sciunt, cum à meipso de meipso audiunt, an verum dicam, &c.*

Cap. 3. col. 161. T. 1.

Reprehendit etiam acriter divortia conjugiorum post votum contractorum. Inquit enim in libro *de Bono conjugali*, quod dictum & *Dist.* 27. repetitur: *Quidam, nubentes post votum asserunt*, adulteros esse. *Ego autem dico vobis, quòd graviter peccent, qui tales dividunt.* At hodie Papistis id non grave peccatum, sed sanctissimum, Deoque gratissimum opus est.

De bono vidui. c. 10. T. 4. col. 1024.

Illud quoque pulchrè cum Antichristi, ejusq; spiritualium erroribus pugnat, quod dicit, Ioannem ideo digito monstrasse Christum, & affirmasse quòd ipse tollat peccata mundi, quò præveniret sequuturos hæreticos, qui erant docturi, quòd ipsi tollant peccata mundi. Quid enim aliud faciunt Papa, sacrificuli, monachi, & moniales, nisi ut mentiantur se suis bullis, sacrificiis, cucullis, & aliis sanctissimis operibus supererogationis, peccata mundi tollere & abolere: seque veluti novos quosdam agnos, novasque hostias, converso in se ipsos digito miseris mortalibus pro Christo ostentent & venditent? Quare moribundis non Agnum Dei, sed hasce tantum suas sanctitates ostentant & venditant.

Ita oppugnavit B. Augustinus præcipuos errores & abusus Antichristi; nam quòd

quòd à plerisque omnibus dissenserit, jam non dicam, cum id in præsenti opere nostri instituti non sit. De moribus quoque Sacerdotum inquit: *Solas tantum libidines jam pleriq; in Sacerdotibus reprehendunt, cum sint & alia plurima & maxima eorum peccata.*

Augustino & illud dictum quidam tribuunt: *Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem*, Quo verò status, ac ruina Ecclesiæ depicta est.

CXXI. *Sibylla.*

EDidi quandam brevem Prophetiam carmine comprehensam, cui *Sibyllæ* nomen erat adscriptum. In ea Prophetia disertè prædicuntur tum alia, tum etiam exilium & reditus potentum ob veram pietatem. Prædicitur quoque ruina *fantasticæ Ecclesiæ, & successus veræ*; haud dubiè judicantur præsentia Religionis certamina; nam non constat inde usque à Christo Principes aliquos ob veram pietatem exulasse, & postea rediisse, sicuc hoc tempore Elector Saxonicus, & Coloniensis; qui tamen pro reditu ad terrenum Principatum ejusque longiore fruitione maluit ad cœleste regnum commigrare. Exulavit & pientissimus Princeps, Ottho Henricus, Comes Albertus, Casparus Pflug, Baro Bœmicus, aliique insignes ac illustres viri. Nullo autem sanè commodiore vocabulo Ecclesiæ Papisticæ ratio formaque exprimi posset, quàm quod sit fantastica; quod apud Italos significat, rem tantum speciem habentem, vel tantum fantasia comprehensam, cujusmodi solent melancholici sibi imaginari; nam totus Papatus, ac præsertim spirituales, habent quidem speciem quandam pietatis & populi Dei, sed vim efficaciamque ejus (sicut B. Paulus prædixit) abnegarunt. Omnia enim in externis cæremoniis, ritibus & gestibus collocant; & prædicationem puri verbi Dei, quo sola vera puritas & Ecclesia generatur, jam olim neglexerunt, & nunc crudelissimè persequuntur. Quo porrò tempore carmina hæc composita sint, ignoro. Recitatur & alia Sibyllæ Prophetia de postremis temporibus; cujus sunt hæc verba. *Ter trecentos & quadraginta & octo implebis annos quando tibi infaustum veniet fatum, ubi vi subacta nomen tuum impleveris. Hei mihi misera quando videbo diem istum tuum olim Roma, Imo Latinos omnes procaciter ambit, aut insultat consiliis occulto furtiveq; concubitu, ex Asia terra in Trojano curru vectari, animum habens fulvi (scilicet Leonis) quando verò Isthmum perruperit spectans omnes, dum pelagus eundo pervenit. Et tunc bestiam magnā perfundet niger sanguis. Hunc autem Leonem edidit canis, perdentem PASTORES. Sceptra quidem auferret tibi & ad inferos perveniet.* Hæc illa involucris quidem quibusdam agit; sed tamen satis indicat, quendam canem mutum, & rapacem Leonem eò loci exoriturum, ubi Trojani consederunt, nempe in Latio & Romæ; qui bonos Pastores, id est pios Principes ac Doctores perdat, Romam in servitutem redigat, & inferos cum sua impietate perveniat ac pertingat.

* Status Ecclesiæ varios ex Sibyllæ Erythrææ Nazilographo, qui liber Venetiis in Bibliothecâ S. Georgii servatur, producit Author Oneris Ecclesiæ c. 65, fol. 117, 118. Conf: VVolfii Memorab. Cent. 3, à p. 51, ad p. 89.

CXXII, *Amphilochius*.

SImiliter Amphilochius Iconii Episcopus, ita inquit: *Non enim nobis Sanctorum corporales vultus in tabulis coloribus effigiare curæ est, quoniam his opus non habemus, sed politiæ illorum virtutum memores esse debemus.* Hic Episcopus clarè hoc dicto, & alii, imaginum cultum damnavit.

CXXIII, *Chrysostomus*.

CHrysostomus floruit circa annum Dom. 400. nempe ante 1152. Is in Homelia 12. laudat mulierem Cananæam, quòd non quæsiverit Petrum, Ioannem aut Iacobum mediatorem; sed ad summum bonitatis fontem, nempe Christum, rectà perrexerit. Super Matthæum, reprehendit duriter Sacerdotes, quòd ægrotantibus de collo Evangelia suspendebant, sicut in Papatu Evangelium Ioannis; ac dicit esse impietatem & insaniam. Item alibi super eundem Evangelistam inquit: *Non enim gaudent martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, pro quibus plorant pauperes.* Et paulo pòst: *Vis domum Dei ædificare? da fidelibus pauperibus, unde vivant, & ædificasti rationabilem domum Dei, &c.* gravissimè abusum istum Papistarum, charitatem negligentium ob ædificiorum structuram, reprehendens.

Super Epistolam ad Titum, contendit Evangelium omnia necessaria ad salutem continere, nihilque ei addendum esse. Sæpe traditiones humanas vituperat. Item super Heb. 2. & Matth. 5. & aliàs sæpe affirmat, non esse necesse confiteri homini, sed tantum Deo. Item de verbis Esaiæ, vidi Dominum, Hom. 4. inquit: *Sacerdotis tantum est, arguere, liberamq; præstare admonitionem, non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare lanceam, nec jacula mittere.* At Papistici Prælati, præsertim ipse summus Pontifex, nihil fermè aliud sunt, quàm cruenti bellatores, & perpetui planè belli inter Christianos exercitatores, ac inflammatores sunt.

Pulchrè quoque retundit fastum spiritualium, de sua dignitate superbientium, inquiens super Matthæum 23. *Cathedra non facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum: multi sunt Sacerdotes, & pauci sunt Sacerdotes; multi nomine, sed pauci opere. Non omnis Sacerdos sanctus est, sed omnis Sanctus Sacerdos est. Qui benè sederit super cathedram, honorem accipiet ab illa. Qui malè sederit, injuriam facit cathedræ. Ideoq; malus Sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem.* Illud quoque de Sacerdotum pervicacia apud eum observatu est dignissimum: *Clerici peccantes difficilè pœnitentiam agunt. Erubescit enim aliquando rursus judicari, qui semper fuit judex.* Alibi affirmat, Sacerdotum culpa potissimum fieri, ut vulgi mores sint corrupti. Item dicit: *Sicut omne bonum à sacerdotio; ita & omne malum egreditur.*

De Statutis aut Imaginibus Sanctorum inquit. *Nos per scripta Sanctorum*

utimur

utimur præsentia, non sane corporum ipsorum, sed animarum imagines habentes. Nam quæ ab ipsis dicta sunt, animarum illorum imagines sunt. Maxima verò est ad recti investigationem (inquit Magnus Basilius) meditatio Scripturarum divino afflatu nobis datarum. In his enim & rerum argumenta inveniuntur: & vitæ beatorum virorum præscriptæ veluti imagines quædam animatæ, secundum Deum politica imitatione operum exhibentur.

CXXIV. Concilium Carthaginense V.

CONCILIUM Carthaginense V. anno 438. celebratum constituit, ut sacella & aræ Sanctorum, ubi non essent eorum corpora, diruantur, si periculum non est à tumultu populi. Sin metuitur tumultus, ut saltem concionatores dehortentur populum illa loca frequentare. Sacella quoque & aras Divorum ob somnia similesq; revelationes fabricata (cujusmodi sunt jam ubique in Papatu plurima, vel potius infinita) omnino reprobat. Ita apparet illos bonos Patres voluisse crescenti idololatriæ de cultu Sanctorum & templorum resistere: sed tamen aliquanto mitius id agere coactos, propter furorem superstitiosi & semiethnici populi.

Observatu quoque dignum est, qua fraude Satan & impii piorum illorum Patrum decretum eluserint. Initio sancti illi viri concedendum putaverunt memoriæ causa, ut, ubi corpora Sanctorũ sepulta jacerent, ibi monumenta & Capellæ (ut vocant) extruerentur. At posteri, quò, ubicunque vellent, lapideas domos colere possent, piumque hoc Decretum eluderent, discerpserunt unius Sancti cadaver, vestesque in aliquot milia particularum ac in aras diversissimis locis reposuerunt: ut sic dici possit, in omnibus illis templis esse corpus ejusdem sancti, si non totum, at certè particulam aliquam vel ipsius, vel ejus calceorum: sicque præclarè ac planè Papistico more Concilium servasse viderentur.

In hac autem tertia Carthag Synodo decretum est etiam, *ut tantum Canonici libri in Ecclesia legantur*; at postea non tantum Patres in templis lecti sunt, sed & Aristoteles; imò & vanissimæ fabulæ in suggestu expositæ ac doctæ sunt. In tertia Carthaginensi Synodo scriptum est, negligentiam Sacerdotum causam esse dissolutæ disciplinæ in Ecclesia. Quòd si unquam illis temporibus verum fuit, nostris certè est verissimum.

CXXV. Ambrosius, Episcopus Mediolanensis.

AMbrosius vixit anno 370. qui quidem in plerisque dissentit à Papistis. Iam tamen illud tantum commemorabo, quod 2, Thess. 2. dicit, *Priusquam Antichristus venerit, Romanum regnum debilitandum esse; sed Antichristum Romanis sub suo nomine libertatem restituturum.* Hic veluti digito indicat istius sancti viri spiritus, tempus

Patris Ambrosii de Antichristo iustificatione & In-

vocatione Sanctorum sententia. tempus adventus Antichristi,& personam ejus. *Tempus*, inquit, *est illud post defectiorem Romani Imperii,& ante instaurationem. Persona porrò est illa ipsa,quæ Romanum Imperium jam collapsum utcunq; eriget.* Quod apertissimè in Papam dicitur. Ipse enim, cum jam Romanum regnum propemodum extinctum esset, illud aliquatenus instauravit, translato Cæsareo titulo ad Gallos & Germanos:idque suo nomine,id est,tanquam Papa. Eatenus enim,quatenus Papa est,vult habere jus supra Romanam monarchiam. Fortassis pius ille vir interpretationem hanc ex Apocal. 13. accepit, ubi bestia imperium significans vulnerata,& nonnihil Satana à bestia Antichristum significante, honoratur. In quodam verò sermone inquit: Ex inordinata & indisciplina Sacerdotum multitudine, hodie datur contemptui nostræ redemptionis venerabile Sacramentum. Nam qui debuerant esse Vicarii Apostolorum,facti sunt socii Iudæ,& præambuli Antichristi. *Sola fide nos justificari*, super Romanos, & sæpè alias constanter ac graviter asserit. Quod nunc caput nostræ controversiæ est contra Antichristum, ejusque sophistas, qui de justitia fidei nihil planè norunt, imò eam doctrinam insuper atrocissimè damnant.

Sanctorum porrò invocationem in multis locis non obscuræ repræhendit; nam super Rom. 1. manifestè & acriter refutat similitudinem illam Papisticam, quod perinde sicut hic in terris magnos Dominos, non nisi per aliquos eorum amicos aut consiliarios adire ac compellare solemus, sic & in cœlo Deus per mediatores sanctos compellandus sit. Super Coloss. 1. dicit Christi omnipotentiam ita declaratam illustratamque esse, ut sciremus ipsi soli nos fidere debere. Vbi hæc verba ponit: *Ut si quis alicui Angelorum aut potestatum devotum se debere esse putet, errare se sciat; nam qui se subjectis humiliat, totus errat; non tenens caput,truncus est*, &c.

CXXVI. *Gelasius Papa.*

Communio sub una specie damnata. GElasius Papa sedit anno 493. In Decretis de Consecratione, Distinctione 2. duriter repræhendit sumentes communionem sub altera tantum specie, hisce verbis; *Comperimus autem, quòd quidam sumpta tantum corporis sacri portione*, à calice sacri cruoris abstineant; *qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur astringi,aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii, sine grandi sacrilegio non potest accidere.* En iste Papa dicit esse *grande sacrilegium*, sub altera tantum specie communicare: præsentes verò Antichristi vociferantur esse Catholicum,orthodoxum, &c. Hinc etiam observa piè Lector, errorem communionis sub una specie jam olim gliscere cœpisse; sed pios homines aliquandiu restitisse, donec tandem error veritatem evicit & pessundedit.

CXXVII. *Simplicius Papa.*

SImplicius Papa ſedit anno Domini 470. Is conſtituit, *ne Papa ſine Principis aut Cæſaris voluntate eligatur.* Quod ex Epiſtola Odoacris Regis, tertiæ Romanæ Synodo ſub Symmacho inſerta, manifeſtè apparet. Hæc enim ſunt ejus verba. *Cùm in unum apud beatum Petrum Apoſtolum reſediſſent, ſublimis & eminentiſſimus vir præfectus prætorio, atq; patricius agens etiam vices præcellentiſſimi Regis Odoacris* Baſilius *dixit*: *Quanquam ſtudii noſtri & Religionis interſit, ut in Epiſcopatus electione concordia principaliter ſervetur Eccleſiæ, ne per occaſionem ſeditionis ſtatus civilitatis vocetur in dubium; tamen admonitione beatiſſimi viri Papæ noſtri* Simplicii, *quam ante oculos ſemper habere debemus, hoc nobis (meminiſtis enim) ſub obteſtatione fuiſſe mandatum, ut propter illum ſtrepitum, & venerabilis Eccleſiæ detrimentum, ſi eum de hac luce tranſire contigerit, non ſine noſtra conſultatione cujuslibet celebretur electio; nam & cùm quid confuſionis atq; diſpendii venerabilis Eccleſia ſuſtineret, miramur, prætermiſſis nobis quicquam fuiſſe tentatum; cum etiam Sacerdote noſtro, id eſt Papa ſuperſtite, nihil ſine nobis debeat aſſumi. Quare ſi amplitudini veſtræ vel ſanctitati placet, incolumia omnia, quæ ad futuri Antiſtitis electionem reſpiciunt, Religioſa honoratione ſervemus, hanc legem ſpecialiter præferentes, quam nobis hæredibusq; noſtris Chriſtianæ mentis devotione ſancimus.* Ne unquam *prædium*, ſeu *ruſticum*, ſeu *urbanum*, vel *ornamenta*, aut *miniſteria Eccleſiarum* quæ nunc ſunt, *vel quæ ex quibuslibet titulis ad Eccleſiarum jura pervenerint, ab eo qui nunc Antiſtes ſub electione Canonum fuerit ordinandus, & illis qui futuris ſeculis ſequentur, quocunq; titulo atq; commento alicientur. Si quis verè aliquid eorum alternare voluerit, inefficax atq; irritũ judicetur, ſitq; faventi vel conſenti accipientiq; anathema.* Hic apparet Papas tunc non fuiſſe Romæ & totius Italiæ Dominos, ut falsò nunc de donatione Conſtantini jactitant.

Paparum ſine Cæſaris voluntate electio improbata.

CXXVIII. *Ennodius.*

DIxi in Symmacho Papa de Ennodio, qui circa annum 500. vixit Domini. Is in ſuis poëmatibus, Declamationibus, ac Epiſtolis hoſce verſus de levitate ac vanitate Cleri habet.

Cleri accuſatio.

Qui ponti facies, numerum qui novit harenæ,
Fœmina quem jurans fallere nulla poteſt,
Aſtrorum plebem qui calles ſpectat amantum,
Quinta cui certis cornibus innotuit.
Non valet hic vultus retinere nomina mores,
Quos mutat Clerus tempus in exiguum,

Pulchrè autem hæc conveniunt, cum præcedenti Symmachi teſtimonio, qui dicit, tetram ambitionem invaſiſſe Clerum. Queritur alioqui aliquoties in ſuis Epiſtolis,

de avaritia Papæ, qui sibi nescio quod debitum solvere noluerit. Recitat quoque prolixum decretum cujusdam Synodi, de adjungendis Episcopo testibus vitæ, in eo disertè ea Synodus dicit Romanum Episcopum PENE omnium Ecclesiarum gubernacula tenere, ut tamen tunc nondum fuerit universalis Episcopus.

* Wolfius Cent. 5. Lect. Mem. fin. p. 151.

CXXIX. *Sulpitius Severus.*

Sacerdotũ variæ turpitudines.
Pag. 39 edit. Franck. 1607.

SVlpitius Severus, vir & pius & doctus, floruit circa 450. Domini annum, is in Chronico suo ita *de Sacerdotum avaritia* scribit, id modo annotandum curavimus: *Viginti & novem regna imperio Hebræorum* subjecta, *quorum terra per undecim tribus Viritim distributa est. Levitis enim in sacerdotium assumptis, nulla portio data, quò liberius servirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitus præterierim, legendumq;* Ministris Ecclesiarum *libenter ingesserim. Etenim præcepti hujus non solum immemores, sed etiam ignari mihi videntur. Tanta hoc tempore animos eorum* habendi cupido, *veluti tabes incessit, inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntq;, quæstui per omnia student. At si qui melioris propositi videntur, neq; possidentes, neq; negotiantes: quod est multò turpius, sedentes munera expectant atq;, omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præferunt sanctitatem. Sed longius quàm volui egressus sum, dum me temporum nostrorum piget, tædetq;, ad inceptum redeo. In Dialogis* verò de eorundem turpitudine hæc dicit, quæ tamen rectiùs Hieronymo adjici possent. *Igitur deinde digressus Bethlehem oppidum petii, quod ab Hierosolymis sex milibus separatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest. Ecclesiam loci illius Hieronymus Presbyter regit; nam Parochia est Episcopi, qui Hierosolymam tenet, mihi jampridem Hieronymus superiore illa mea peregrinatione compertus, facilè obtinuerat, ut nullum mihi expetendum rectius arbitrarer. Vir enim præter fidei meritum, dotemq; virtutum, non solum Latinis atq; Græcis, sed & Hebræis etiam literis institutus est: ut se illi in omni scientia, nemo audeat comparare. Miror itaq; si non & vobis per multa, quæ scripsit opera compertus est, cùm per totum orbem legatur. Nobis verò*, Gallus inquit, *nimium nimiumq; compertus est; nam ante hoc quinquennium, quendam illius libellum legi, in quo* tota nostrorum ratio Monachorum *ab eo vehementissimè vexatur & carpitur. Unde interdum Belgicus noster valde irasci solet, quòd dixerit, nos usq; ad vomitum satiari. Ego autem*, inquam Gallus, *illi viro ignosco, atq; ita sentio, de orientalibus illum potius Monachis, quàm de occidentalibus disputasse. Nam edacitas in Græcis gula est; in* Gallis *natura. Tunc ego*, scholastice inquam Galle, *defendis gentem tuam, sed quæso te, liber iste nunquid hoc solum vitium damnat in* Monachis? *imò verò inquit nihil penitus omisit, quod non carperet, laceraret, exponeret, præcipuè* avaritiam; *nec minus* vanitatem *insectatus est. Multa de* superbia: *non pauca* de superstitione disseruit; *verè fateor pinxisse mihi videtur vitia multorum,*

Cæte-

Cæterùm de familiaribus virginum & Monachorum *atq; etiam* Clericorum *ab quàm vera, quàm fortia disputavit; unde à quibusdam, quos nominare nolo dicitur non amari; nam sicut Belgicus noster irascitur, edacitatis nimiæ nos notatos; ita illi fremere dicuntur, cum in illo opusculo scriptum legunt*, cælibem sprevit virgo germanum fratrem, quærit extraneum. *Ad hæc ego nimirum, inquam, Galle progredieris, cave & te aliquis, qui hæc fortassis agnoscit, exaudiat, téq; unà cum Hieronymo incipiat non amare; nam quia scholasticus es, non immerito te versus comici illius admonebo.* Obsequium amicos, veritas odium parit. *Tua nobis, ut cœperas, potius posthumana repetatur orientalis oratio. Ego inquit, ut dicere institueram, apud Hieronymum sex mensibus fui, cui jugе adversus malos perpetuumq; certamen. Conscivit odia perditorum*, oderunt *eum* hæretici; *quia eos impugnare non desinit:* oderunt *eum Clerici, quia vitam eorum insectatur & crimina. Sed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt.*

CXXX. *Paulinus Nolanus, Episcopus.*

PAulinus Nolanus, Episcopus, insignis doctrinæ & pietatis vir, floruit circà annum Domini 450. Is in quadam Epistola ad Sulpitium Severum, ita de Romanis Clericis queritur. *Romæ quoq; non pauci, etiam in Clero ipso, à qua solo videmus scandalizari, morsu invidiæ commoventur. Sed Domino gratias, qui & mihi miserrimo peccatori suo dedit dicere.* Quoniam oderunt me gratis. *Quod tamen ad* me *pertinet, cum ipsis quoq; qui oderunt pacem meam, mente pacificus sum. Si quis enim vult contentiosus esse, hoc nostra consuetudo non recipit. Horum tamen ipsorum, qui nos adisse, & à consortio sanctitatis suæ segregare dicuntur, vix ad nos tenuis fama prælabitur, & ab auribus nostris spinarum sæpe munitis, & aura frigida, velut importunum* vacui culicis murmur *excludit*, Vide hic & Romani Cleri malitiam, qui tam sanctum virum oderunt; sicut & prius Tertullianum, Hieronymum, & alios viros virtute præstantes. Observa etiam, quàm parva tunc temporis fuerit Romanistarum potentia, ut quos hic Episcopus, in tanta vicinia, contempserit, eorumque potentiam parvi fecerit, adeoque extenuaverit, ut diceret, tenuem famam de eis ad ipsum pervolare, veluti culicis murmur.

Clericorum mala ingenia.

CXXXI. *Photius, Patriarcha Constantinopolitanus.*

HVnc Photium non eò appono, quòd ejus facta aut dicta admodum aut laudare, aut tyrannidi erroribusve Papæ ea opponere velim, quandoquidem mihi non satis perspecta sunt; sed quo habeam occasionem de iis dicendi, quæ circa eum acciderunt. Scribunt Latini scriptores unanimiter, eum è Laico subito Constantinopolitanum Patriarcham, de voluntate Imperaroris, idq; ejecto Ignatio, factum esse, tempore Leonis 4. mansitq; in ea functione satis diu, nempe usque ad Hadrianum Secundum. Fuit vero primùm ea substitutio à Legatis Papæ com-

 probata,

probata, tametsi id postea Papa Nic. negarit se jubente factum, qui & excommunicarat eum, ac ei adhærentem Constantinopolitanam Ecclesiam & alios Episcopos. Verùm demum sedente Hadriano secundo, idque flagitante per quandam Synodum, inde dejectus est, Ignatiusque restitutus, & Orientales absoluti. Atque id tali quadam ratione ac conditione factum est, ut coacti sint singuli Episcopi & Sacerdotes supplicem quendam libellum à Papa eis præscriptum Legatis Pontificiis offerre, per quem omnino in servitutem sese Romano Pontifici addicebant. Iuvabat autem in ea re Papam tum Imperator Constantinop. nomine Basilius, sed dissimulanter, qui tunc recens interfecto suo adoptitio Patre Michaële ejus opera indigebat. Hinc observa Christiane Lector, & propter parvas res, magnas turbas solitos movere Romanos Pontifices; & propter unius hominis injuriam, tot Ecclesias excommunicare, & vulnera Ecclesiæ non tam correctione, quàm oppressione, ac servitute ejus inaudita sanare. Sed adscribam ipsius historici verba, qui adjunctas Damaso vitas descripsit.

Narratio de Pontificis Romani ambitione.

His ita compositis, postquam Michael Græcorum Imperator Bardam Cæsarem Photii fautorem suum, sicut perhibent, interitum machinantem peremit, Basilium collegam sibi adoptans, Imperatorem constituit. Cumque Imperator Basilius à Catholicis, tanquam qui semper eis favebat, summo studio coleretur, Michaël à spadonibus suis, dubium an filii voluntate, peremptus est. Moxque Basilius rerum potitus, primò quidem non se fuisse conscium necis Michaëlis, ut fertur, omnibus satisfecit: tum verò secundum Romanæ Ecclesiæ constitutum, pervasorem Photium pepulit, & Ignatium Patriarcham populo annuente Patriarchio restituit: ac ex utraque parte, Ignatii videlicet Patriarchæ Photiiq; neophyti, legatos Romam per suum spatharium Basilium nomine destinavit, qui præsente summo antistite alternatim confligerent, & justitia suffragante, aut justificarent Photium, aut perpetuò condemnarent. Sed divino judicio disertissimam partem Photii pelagus sorbuit, & simplicissimam, partem Ignatii cum legato imperiali salvam servavit, nullusq; ex Neophyti parte nisi Monachulus solus evasit. Qui postmodum neque Photium, pro cujus parte venerat, neque Ignatium contra quem, sed neque universalis Ecclesiæ, ad quam venerat, jura suscipiens, tertiò convictus, tertiò perfidiæ denotatus, semel anathematizatus abscessit.

Adulatorũ Legatorum servilis oratio. & captatio benevolentiæ Papalis à Basilio parricida.

At verò Basilius legatus Imperatoris, & Iohannes Metropolitanus, Cæsareæ Cappadociæ, qui Nicolao fuerant destinati, huic sanctissimo Hadriano Papæ, cum Episcopis & Proceribus in secretario Sanctæ Mariæ majoris, juxta morem sanctæ sedis Apostolicæ residente, sed satis humiliter præsentarunt. Dona & Epistolas obtulerunt, quibus susceptis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus curamine Constantinopolitana Ecclesia de schismate purgata surrexerat, multiplices gratias retulere, ac post innumera laudum præconia concordi voce dixere: Devotissimus filius vester Imperator Basilius, & Patriarcha munere vestro restitutus Ignatius, dum

Eccesia Constantinopolitana per interventum vestrum invasorem Photium propulisset in archivo, ejus librum summa falsitate congestum, contra ingenium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sanctissimiq; Papæ Nicolai,repetere.Quem bullatum quasi verè contagium à sua urbe penitùs pepulere,vobisque utpote summo capiti, cui Christus cœlo terraq; solvendi atq; ligandi potestatem tribuit, misere. Quem precamur suscipientes rimamini, & fraudulentiam quam insontibus Constantinopolitanis noster versipellis Photius inferre potuit,ex eo quod in hanc sanctam Romanam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hujusmodi audacem linguam exacuitprorsus advertite: & quid Ecclesiæ Dei de hoc latrocinio sit sentiendum,quod sub nomineSynodi furtim ab eo confictum est,palàm omnibus promulgate. Vtrarumq; partiũ concessum Pontifici annuenti respondit:Contra sedem Apostolicam Pontificemque ipsius, quia Photius vocem nõ habuit, sententiam fortè præcipitare potuit. A sede Apostolica ab his judicatus est, bisque damnatus: & quia viribus suis Photius conscendens in sanctissimum Pontificem nostrum Nicolaum falsa garrire non timuit, os suum nimirum in cœlum posuit, & linguam suam ut terram pertransiret exeruit: ideoque conciliabuli ipsius librum scrutandum admittimus, ut actor illius & fabricator mendacii & inventor perversorumdogmatum tertiò judicetur.

Egressus Metropolita,librum exhibuit, & in terra præcipitavit, imprecante illi dicens: *Tu maledictus Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus. Te minister Diaboli Photius, novus Simon,mendacii compilator aptavit,& minister Christi Nicolaus novus Petrus veritatis amator attrivit.* Et Spatharius calce suo enseq; librum percutiens, nihilominus ait. Credo,in opusculo Diabolus habitat, quod præbes complicis sui Photii, ea quæ per se dicere nequit eructuat.Nam & subscriptionem Basilii nostri Imperatoris post subscriptionem Michaelis,quem ebriosissimum subscribere noctu suasit, falsissimè continet: quam ejus non esse, restitutio Ignatii declaravit: & satisfactio nostra, si vobis placuerit, jurejurando firmabit.Neque enim unius semper Catholici Basilii nomen non potui falsò suis feralibus commodis inserere, qui mutato charactere potuit multorum absentium Episcoporum nomina, cum paucis complicibus suis describere, quorum videlicet Episcoporum universitas tam immunis est hujus subscriptionis, quàm tenoris ignara. Siquidem nullus Constantinopolitanorum, quando istud conciliabulum collectum fuisset, quæ revera nec fuit,agnovit. Sed quia Constantinopolim Comprovinciales veluti regiam civitatem pro diversis negotiis instar istius Vrbis ascendunt: pertinacissimus Photius mendacium suum veritatis medicamento, sicut ei à primævo fuerat institutum bivium, dum in locum quorundam sanctissimorum Episcoporum cives quidem aliquorum illorum, sed transfugas, ut fama vulgatum est, muneribus excæcatos subscribere fecit: inde est, quod subscriptionis istius videntur diversi characteres, & quidam eorum acutiori penna, quidam grossa, nonnulli verò decrepi-

Ceremonia impia Sycophantarum Graculorum.

decrepitum ſimulantes groſſiorem membranam inquinantes deſcribunt: ut videlicet fraude præſentium, ſimplicitati abſentium illudatur. Et illud credat facilius univerſitas eſſe veriſſimum, quod diſſimilibus literis fecerit falſitas eſſe diverſum. At vos dico ſuſcriptionum diſſimilitudinem librum referentes videbitis, fraudem verò niſi Conſtantinopolim miſeritis minimè cognoſcetis.

Concilium Rom. adverſus Photii Patriarchæ librum.

Tũ ſumus Pontifex utriuſq; linguæ peritis librũ ſcrutandũ per aliquot dierũ decrevit, & omnia quæ in eo cõtinebantur corã ſynodo fideliter propalari. Qui, ubiq; ſtrenuè perſcrutatus eſt. Venerabilis Pontifex, annitente omni Senatorio populariq́ue Conventu apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum, in defenſioni ſuæ Eccleſiæ deceſſorisque ſui ſacrum Concilium convocavit. Et primò quidem per Legatos Conſtantinopoleos rei veritate luculenter audita, deceſſoris ſui hujuſmodi literas eligens, ſiniſtram ipſius famam purgavit. Deinde Photium cum conciliabulo complicibusq; is tertiò anathemate perculit. Ad extremum verò, cunctorum ſubſcriptionibus ſententiis roboratis, præ foribus graduum nefandi dogmatis librum cunctorum pedibus conculcatum exuſſit: quem nimirum rogus ut fomentum quoddam ignis, excepit, & penè ante quam ſemuſtum credi potuiſſet, cum magno fœtore piceoque colore conſumpſit. Et cum fortè focus inundatione pluviæ naturaliter debuiſſet extingui, ad pluviam quaſi ad olei guttas flamma convaluit, & in laudibus Dei ſanctiſſimique Papæ Nicolai, ſimulque Hadriani ſummi Pontificis, miraculi ſtupor tam Latinorum quàm Græcorum corda reſolvit.

Legationis Romanæ ad Baſilium deſcriptio.

Poſt hæc, cũ Epiſtolis deceſſoris ſui, ſicut ab eo fuerant ordinati, Donatũ Epiſcopum Hoſtienſem, & Marinum Diaconum Conſtantinopolim deſtinavit. Quibus ejuſdem Epiſtolis ſuo tantum nomine titulatis & cõmonitorium, ſed & Stephanũ Nepeſinum Epiſcopum ſociavit: eisq; præcepit, ut omne ſcandalum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſolerter ſopirent, conſecratis Amathodio & Ignatio, ſub ſatisfactione libelli, quem de ſcrinio ſuſceperant, proprias Eccleſias redderent: Photinianis verò ſub eadem ac diſtrictiori ſatisfactione communicarent quidem, ſi Sacerdotum uſque recidivam ſedis Apoſtolicæ ſententiam manentem, ſanctiſſimi Papæ Nicolai judicio protelarent. Itaque multorum anfractuum laborioſo circuitu penetrantes, tandem Chriſto præduce Theſſalonicam veniunt, in qua Baſilius Imperator Euſtachium Spatharium candidatum, cum ſuæ ſalutationis officio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatis obviam deſtinavit. Qui eos admodum honorificè per contigua itineris loca ducentes, Sillambriam poſuerunt. Vbi à Siſinnio imperiali protoſpotario & Theogniſto Patriarchali ingnumeno, qui Romæ apud ſanctiſſimum Papam Nicolaum pro reſtituendo Ignatio ſedulus interceſſor extiterat, cum XL. equis de ſtabulo imperiali & totius menſæ argenteo apparatu officialibus, qui ſibi ad omnem libitum famularentur excepti, ad caſtrum rotundum, in quo eſt Eccleſia miræ magnitudinis, S. Ioannis Evangeliſtæ nomini dedicata, favore auguſtali, Sabbato manſionem ſuſcipiunt: & Dominica

quæ

quæ quintadecima dies Septembris erat, per indictionem tertiam singulos equos cum sellis aureis devotione imperatoria capientes, obviationibus videlicet scholis Spathariorum, Candidatorum, Stratorum, Maudatorum, cæterorumque Palatinorum ordinum, omnibus Clericorum planetatis ordinibus ad portam auream veniunt. Ibi à Paulo librorum custode, Iosephi vasorum custode, simulque Basilio sacellario Ecclesiasticis indutis vestibus, vice Patriarchæ Constantinopoleos solenniter præceduntur, ab omni populo cum cereis & lampadibus prosequuntur. Sicque ad Hierenes palatium descendentes, in domo quæ dicitur Magna auta, à Ioanne à secretis Spatharioque candidato, & Straugis Spatario candidato, quibus subministrationis gratia deputati fuerant, laudabiliter suscipiuntur, per quos Imperalia mandata suscipiunt devotissimè, proculdubio suggerentia ne forte molestè ducerent, quod Imperiali natalicio imminente in crastinum suscipi non valerent.

Quo feliciter celebrato, misit Imperator in occursum ipsorum omnes ordines Palatinos, quibus præcedentibus ante Imperatorem in Christo triclinio sibi continuo assurgentem salutabundi conveniunt, Apostolicas Epistolas Imperatori offerunt: quas Imperator persemet suscipiens osculatur: de statu Romanæ Ecclesiæ, salute Domini Hadriani summi Pontificis, deque omni Ecclesiasticorum Senatoriorumque ordine ordinabiliter perscrutatur: Legatosque amabiliter osculatus, Ignatio Patriarchæ jussionem Apostolicam prolaturo absolvit. Cum sequenti die ad Imperatorem redeunt, à quo taliter alloquuntur: Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ per ambitionem pervicacissimi Photii diversis schismaticorum fluctibus laceratæ, Sancta omnium Ecclesiarum Domini mater Ecclesia Romana, sanctissimi Domini & universalis Papæ Nicolai, sicut in ejus literis, quarum auctoritate præsens Pater noster Ignatius, qui violenter fuerat à Photinianis expulsus, sedi propriæ nuper juvante Domino restitutus est, potest luculenter intelligi, fide provisione consuluit. Quapropter vos cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitanis atque Episcopis, censuram sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ, per biennium præstolantes, propter Dominum petimus, ut Domini negotium viriliter peragatur: & tandem aliquando auctoritate vestri sacri Collegii tam pestifera Photianæ tergiversationis scandala propellantur: quatenus unitas & tranquillitas optat, ut diutius juxta Decretum sanctissimi Papæ Nicolai restaurentur.

Basilius quomodo Legatos Pontificios exceperit.

Legati sanctæ sedis Apostolicæ responderunt: Et nos ideo venimus, ideo missi sumus, sed neminem Orientalium vestrorum utrunque in nostra Synodo suscipere possumus, nisi oblato libello, cujus formam de scrinio sanctæ sedis Apostolicæ sumpsimus, nobis fuerit satisfactum. Imperator & Patriarcha dixerunt: Quia novum hoc & inauditum de libello proferendo asseritis, necesse est ut tenoris illius formam videamus. Nec mora, libelli forma prolata est, & de Latino in Græcum conversa, omnium notitiæ declaratur, quem quidem libellum offerentes in sancta

Legatorum Responsio.

Synodo residunt, offerre nolentes extra Synodum inglorii relinquuntur, sed diatim fervore sancti Spiritus temperati præmissa libelli satisfactione, ad unitatem sacræ Synodi revertuntur.

Photius damnatur, quod Pontificis tiaram attingere ausus fuerit.

In hac Synodo Photius ille pervasor, de multis criminibus perpetratis rationem redditurus adducitur. Omnes Epistolæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra eum prolatæ leguntur, & depositionis ac anathematis sententia dudum Apostolica sede prolata in eum ab omnibus identidem jaculatur: inque ejus conspectum nefandissimi conciliabuli profanata volumina, quibus contra sanctissimum Papam Nicolaum susurra fauce latraverat, igne combusta, veritatis innocentiæque lampas emicuit: quoniam laqueum quem olim alteri paraverat, glorificabunde nunc rationis virtute ad extremam taciturnitatis inertiam devolutus intravit, & apertum sibi communionis ostium, quo sub satisfactione libelli suscipiendus admonebatur, quasi cæcus in meridie declinavit. Denique gestis salubriter omnibus quæ in decem sessionibus Synodi Textus complectitur, Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ Textum Synodi, ne quid Græca levitas falsum sua arte ingereret, Anastasio sanctæ sedis Apostolicæ Bibliothecario, qui tunc temporis pro causa Ludovici serenissimi nostri Augusti cum Supone Archiministro post eos Constantinopolim divina ut creditur dispensatione pervenerat, subtiliter inquirendum antequam subscribant committunt. A quo quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, studiosissimè perscrutatus, omne quod ad laudem serenissimi nostri Cæsaris, sanctissimus Dominus Hadrianus Pontifex in Epistola sui decessoris Arsenio Episcopo innuente adjecerat, resecatum inveniunt. Quapropter Epistolam sedis Apostolicæ fraudulenter corrosam, summis clamoribus conqueruntur: fatentes se nullo modo Synodalibus actionibus subscripturos, nisi totius Epistolæ integritas gestis Synodicis jungeretur. Hoc modo Romanis certantibus, Græcis verò, non esse in Synodo de laude Imperatoris, sed de solius Domini tractandum, altisonè respondentibus, nomenque imperiale nostro Cæsari penitus invidentibus, ad hoc usque perventum est, ut interposita conditione voluntatis Apostolicæ diffinitis sententiis minus diffinitè subscriberent, ita legentes: Ego ille vicem agens Domini mei sanctissimi & universalis Hadriani Papæ, in hac sancta Synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis ad omnia ut superius legitur consensi, & manu propria subscripsi.

Græci Pontificum jugum excutere nituntur.

His expletis, quidam Græcorum Imperatorem conveniunt, Constantinopolitanam Ecclesiam per oblatos libellos in potestatem Romanam redactam flebiliter conqueruntur: & dubietate subscriptionum omnia quæ in Synodo Decreta fuerant revolvenda, cunctaque reciduis erroribus confundenda fatentur: & nisi libellum reciperent, libertatem pristinam se non posse recipere fingunt. Illicò quidam libellorum à custodibus, quoniam excellentiorum Episcoporum libellos Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ futurorum præscii prorsus occuluerant, defraudantur:

tur: ac pro hoc incrcdibiliter consternati Supponis Archiministri & Anastasii disertissimi sanctæ sedis Apostolicæ Bibliothecarii fidelissimis auxiliis innituntur. Quibus diverso modo non sine magno laboris periculo imminentibus, libellos quidem vix tandem recipiunt. Sed Imperatoris iram pro nimia suæ districtione fidei vehementer incurrunt. Igitur post diem tertium quo sacratissima Synodus cum suis scriptionibus omnino in codice consummata, retractaque ad omnem elegantiam in Ecclesia sancta Sophiæ fuerat ab Imperatore in domo quam cum Vicariis Patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, simulque Patriarcha Ignatio, cumque aliquibus residebat, callidè convocati sedere jubentur, quòd Princeps Bulgarum eis literas & dona per Petrum aliosque direxerit, audiunt. Quorum Legationem, Imperatore potissimum imminente suscipiunt, &c. Hactenus ille.

Testatur iste Author, ut suprà auditum est, Photium etiam librum contra Papam composuisse, quem tamen Papa exusserit; qui proculdubio multa in Pontificia tyrannide taxarit, & suis nervis ac argumentis non caruit. Observa etiam quod per libellos fraudulenter suam tyrannidem ampliarunt, & Constantinopolitanam Ecclesiam in suam servitutem redegerunt.

CXXXII. *Bulgari ad Christianismum conversi.*

EA regio quæ jam Bulgaria vocatur, jam olim Christiana fuit. Sed circiter 500. Domini annum à Bulgaris gente Scythica occupata, oppressisque aut expulsis Christianis ethnica facta est. Verùm circa 870. annum, est denuò ad Christianismum conversa. Inde quærentibus jam Pontificibus non tam salutem hominum quàm prædam pecuniarum, *certamen* erat *inter Constantinopolitanum & Romanum*, utinam Bulgari subjici debeant; nam illi duo Episcopi veluti in duas partes totius Christiani orbis regiones inter sese partiti erant; Romanus Occidentales expilabat, ille Orientales. Ac tunc quidem vicerunt Romani, teste Platina, adjuvante eos Basilio tyranno ac parricida, qui adoptatorem suum Cæsarem paulò antè interfecerat, ut idem Platina testatur. Verùm non multo pòst denuò Bulgaria ad Constantinopolitani Patriarchæ jus rediit. Observatu verò dignum est primùm, quò Pontificum cupiditas jam tunc spectarit; nempe non ad salutem, sed deglubitionem ovium. Secundò, quòd Papa potissimum nefariorum hominum ope adjutus, tyrannidem suam ampliarit. Ante enim eum Phocas, nunc hic Basilius adjuvit; quorum uterque tyrannidem interfectis suis Dominis Christianis, imò & parentibus Imperatoribus occuparat. Sed mutuas sibi proculdubiò operas tribuerunt, in stabiliendis suis tyrannidibus. Verùm quò res sit aliquantò notior & testatior, adscribam locum ex vita Hadriani secundi, Damaso adjuncta; & quidem aliquantò prolixiorem, indeque incipientem, ubi in præcedente capite desiimus, quoniam nondum est impressa.

Litigatio de Bulgarorũ subjectione inter Papam Rom. & Constant. Patriarcham.

Sed Imperatoris iram pro nimia suæ districtioni fidei vehementer incurrunt. Igitur post diem tertium, quo sacratissima Synodus cum suis scriptionibus omnino in codice consummata, retractaque ad omnem elegantiam in Ecclesia sanctæ Sophiæ fuerat ab Imperatore, in domo quam cum vicariis Patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, simulque Patriarcha Ignatio, cumque aliquibus residebat, callidè convocati sedere jubentur: quod Princeps Bulgarum eis literas & dona per Petrum aliosque direxerit, audiunt. Quorum Legationem Imperatore potissimum imminente suscipiunt. Sicq; præsalutationem Petrus Bulgarum Legatus exorditur: Dominus Michaël Princeps Bulgaricus audiens, quòd pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ, ex diversis partibus auctoritate Apostolicæ sedis conveneritis, gratanter accepit: vobisque qui ex sede Apostolica missi estis, multiplices gratias agit. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Vos, quia vos filios sanctæ Romanæ Ecclesiæ novimus, insalutatos vos præterire neque debuimus neque voluimus. Quos nimirum sancta sedes Apostolica ut propria membra complectitur.

Legatio Bulgarorũ & collocutio litigiosa.

Bulgarûm Legati dixerunt: Usque hodie pagani fuimus, & nuper ad gratiam Christianitatis accessimus. Ideoque ne in aliquo errare videamur, cui Ecclesiæ subdi debeamus, à vobis, qui vices summorũ Patriarcharũ geritis, nosce desideramus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ, responderũt: Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui per te Petre, tuus senior beato Apostolo Principi Petro cum omni gentis suæ regno se tradidit: à cujus Successore videlicet & egregio Papa Nicolao & præcepta vivendi & Episcopos ac Presbyteros suscipere meruit, vos & pertinuisse & pertinere debere etiam in eo monstratis, quòd postulastis nostros Sacerdotes & suscepistis, & hactenus veneratione congrua retinuistis. Bulgarum Legati dixerunt, A sancta Romana Ecclesia Sacerdotes nos petiisse, suscepisse, hactenusque habere nos confitemur, & eis in omnibus obedire decernimus. Verùm utrum Romanæ an Constantinopolitanæ Ecclesiæ rationabilius subdi debeamus, cum his Patriarcharum vicariis diffinite. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Propter quæ nos sancta sedes Apostolica cum Orientalibus diffinienda mandaverat, Domino juvante finivimus. De causa autem vestra secus quàm diffinita est finienda, quia nihil in mandatis accepimus, nihil vel diffinimus, vel in præjudicium sanctæ Romanæ Ecclesiæ diffiniendum censemus: quin imò quòd omnis vestra Patria nostris Sacerdotibus plena est, nulli nos nisi sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinere debere, diffinitiva sententia quantum ex nobis est promulgamus. Vicarii Orientalium Patriarcharum Bulgaris dixerunt: Quando vos illam patriam cœpistis, cui potestati subdita erat, & utrum Latinos an Græcos Sacerdotes habuerit dicite. Legati Bulgarorum dixerunt: Nos illam patriam à Græcorum potestate armis evicimus, in qua non Latinos, sed Græcos Sacerdotes reperimus. Vicarii Orientalium responderunt: *Si Græcos Sacerdotes ibi reperistis manifestum est,*

quia

quia ex ordinatione Constantinopoleos illa patria fuit. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt. *A Græcis Sacerdotibus argumentum sumere non debetis, quia linguarum diversitas Ecclesiasticum ordinem non confundit*; nam sedes *apostolica, cum ipsa Latina sit, in multis tamen locis, pro ratione patriæ Græcos Sacerdotes & semper & nunc usq; constituens, Privilegii sui detrimenta sentire nec debet, nec debuit.* Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: Etiamsi Græcorum Presbyterorum nomine vestri juris fuisse doceatis, illam tamen Patriam Græcorum regno pertinuisse nunquam negare poteritis. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sicut Bulgari, à nobis diverso modo pertinere ordinationem dicentes, mendacium non loquimur: ita nimirum eandem Bulgariam ex Græcorum regno fuisse, nunquam negamus. Sed intueri vos decet, quia aliud ordinant jura sedium, aut patiuntur divisiones regnorum: nos de divisione regnorum non agimus, sed de jure sedium loquimur.

Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: Illud quod vobis diverso modo Bulgariam pertinere dicitis addiscere voluimus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sedes Apostolica juxta quod decretalibus sanctissimorum Romanorum Præsulum doceri poteritis, utramque Epirum, novam videlicet & veterem, totamq; Thessaliam atque Dardaniam, in qua & Dardania civitas hodie demonstratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonicè ordinavit, obtinuit ac per ordinationem quam tunc paganorum Bulgarum irruptione amiserat, non à Constantinopolitana Ecclesia modò ut fingitur, abstulit, sed ab his factis ipsis Christianis recepit. Secundo modo, quia Bulgares qui jure gentili sibi patriam subjungentes, ecce per quot annos retinent, quòd cœperunt sedis Apostolicæ semet, ut superius diximus, patrocinio ordinationique specialiter committentes, nobis debent nec immeritò subjici, quos ultronea voluntate magistros elegit. Tertio modo, quia eosdem Bulgares sancta sedes Apostolica jussu quondam sanctissimi Papæ Domini Nicolai, tam per aliquot nostrum qui hic sumus, & illic multas Ecclesias dedicantes Sacerdotes creavimus, quàm per Paulum Dominicum, Leopardum ac Formosum venerabiles Episcopos, sed & Grimualdum coepiscopum nostrum, quem hactenus isti Bulgares cum multis nostris Sacerdotibus in conspectu nostro habere se fassi sunt, à diversis erroribus ad catholicæ fidei veritatem, multo sudore Christi gratia præduce, transferens ecce ultra triennium tenet, ordinat, ac disponit: ideoque consequens non est, ut sine conscientia Romani summi Pontificis Ecclesia Romana, de quibus præsentialiter vestra cernitur spolietur.

Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: At quem istorum modorum modum dispensare velitis, edicite. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ responderunt: Sancta sedes Apostolica, vos quia revera inferiores estis, super sua causa judices negligit: nec per nos elegit, utpote quæ omni Ecclesiæ sola specialiter habeat fas ju-

dicandi. Sed neque nobis de hac causa sententiam proferre commisit. Quapropter quod ab ea faciendum non suscepimus, cognitionis ejus judicium, quæ librorum multiplicitate ad defensionem sui multa proferre prævalet, ex integro reservamus: à qua omnis nostra sententia tanta facilitate respuitur, quanta levitate profertur. Vicarii Orientalium Patriarcharum dixerunt: Satis indecens est, ut vos qui Græcorum imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in regni nostri principis ordinandi jura serventur. Quapropter Bulgarum Patria in Græcorum potestate diu fuisse, & Græcos Sacerdotes habuisse comperimus, sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, à quâ per paganismum recesserat, nunc per Christianismum restitui judicamus.

Ambitio Romana.

Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ clamantes dixerunt: Sententiam quam non electi, neque admissi, sine timore seu gratia, vel quicquid illud est modò præcipitastis, potius quàm protulistis, auctoritate sancti Spiritus usque ad diffinitionem sanctæ sedis Apostolicæ omnino restringimus: ita ut nullo modo vel nomen habere sententiæ mereatur. Teque Regum Patriarcha Ignatium auctoritate sanctorum Apostolorum principum coram Domino, suisque Angelis omnibusque præsentibus contestamur, ut secundum hanc Epistolam sanctissimi restitutoris tui, Domini Hadriani summi Pontificis, quam tibi ecce offerimus, industria tua ab omni Bulgariæ ordinatione immune nullum tuorum illuc mittendo custodias, ne sancta sedes Apostolica quæ tibi tua restituit, per te sua perdere videatur. Quin potius, si quod non credimus justam te habere querimoniam æstimas, sanctæ Romanæ Ecclesiæ restitutrici tuæ solenniter suggerere non omittas. Tunc Patriarcha Ignatius Apostolicam Epistolam suscipiens, licet magnopere monitus, eam legere distulisse, respondit: Absit à me ut ego his præsumptionibus contra decorum sedis Apostolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago ut mihi subripi valeat: nec ita seniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo, ipse admittam. Hoc fine collocutio illa finita est, sed Imperialis commotio licet spem fronte simularet, augmentum suscepit: Legatos tamen S. Rom. Ecclesiæ ad prandium convocans, donis omnibus decoravit, eosque Theodosio, non ea qua congruebat sollicitudine deducendi gratia commendavit, à quo Dyrrhachium usque perducti, negligerentque sine ulla provisione dimissi, post dies aliquot navigantes, in Sclavorum deducti Domagoi manus inciderunt, bonisque omnibus ac autentico in quo subscriptiones omnium fuerant denudati sunt, ipsique capite plecterentur, nisi ab his qui ex illis aufugerant, timeretur.

Tandem Apostolicis Imperialibusque literis ab exilio liberati, & undecimo Calendarum Ianuarium die indicto 4. Romam reversi, omnia quæ superius diximus, coram summo Pontifice ac Proceribus retulerunt: nihilque aliud scripturarum, quàm librum actionis Ignatii, & libellos quos à Sclavis receperant, ceu & reliquos libellos quos Supponi Archiministro & Anastasio prudentis-

dentissimo bibliothecario sanctæ sedis Apostolicæ hujus præscientiæ solicitudine exemplar amissæ Synodi, quod sibi scribendum impetraverat Ecclesia Romana suscepit dudum, Constantinopoli commendaverant, ostendere potuerunt superiore tempore.

Formosus Portuensis, & Paulus Populoniensis, venerabiles Episcopi qui cum cæteris jussu sanctissimi Papæ Nicolai causa prædicationis destinati fuerant, remeantes de Christianitate Bulgarum, ac omnimoda subjectione, qua specialiter sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotissima colla submiserant, sedem Apostolicam recrearunt: & Michaelis Bulgarici Regis Legatum Petrum summo Pontifici præsentarunt. Qui Legatus cum donis regalibus, Regibus regias quoque literas obtulit, summum Præsulem summopere deprecantes, ut aut Marinum sibi benè compertum Diaconum, Archiepiscopum consecratum remitteret: aut aliquem ex Cardinalibus duntaxat suæ Ecclesiæ, virum sapientia personaque habita Archiepiscopatu dignissimum, Bulgaris eligendum dirigeret: quem post approbationem eorundem denuò remeantem Archiepiscopali ministerio sublimaret. *Bulgaria Græco erepta jugo Pontificium admittit.*

Sed Marino Constantinopolitanum missaticum devotissimè ut diximus renitente, sortito summus Pontifex Sylvestrum quendam Subdiaconum Bulgaris eligendum direxit. Quem cum Leopardo Anchonitano & Dominico Trinensi Episcopis, simul & literas pro Archiepiscopo aut Formoso Portuensi Episcopo remittendo importunissimè deprecantes, remittentibus Bulgaris magna sub velocitate recepit. Quibus inter nonnulla rescripsit, ut quæcunque nominatim devotio regalis exprimeret, eum sine dubio Pontificalis provisio Bulgaris Archiepiscopo commendaret.

At verò Bulgarum Rex expectationum moram diutius ferre non valens, quanta esse quam à Græcorum Imperatore, quoniam natorum Thororum occasione alterna regna sibi alternatim rapere machinabantur abductus, eundem Petrum quem à Roma sine desiderii sui affectu sævo receperat, cum aliis è latere suo Constantinopolim requisitionis gratia, cui potissimum pertinere deberet, emisit, ibique à Legatis nostris, quòd juri Romano pertinere ut convicti, ac postmodum per Orientales Constantinopolitanos, quæ donis ac promissionibus persuasi, Græcos Sacerdotes juxta quod Grimualdus Episcopus, quia ab his se repulsum fatetur suscipientes, nostros ejiciunt: & per eundem Grimualdum Episcopum, quia sine conscientia sedis Apostolicæ comprehensi sibi prædicationis officium deserens, Romam ditissimus remeavit. Magnum Epistolæ volumen frivolis allegationibus, tanquam sub prætextu deliberativæ sententiæ, Synodo præsidentium implicatum Apostolicæ sedis super excusatioae sua remisit: in quo facto quia Episcopus Bulgaris expulsum Epistola tacente asserit, & presbyteri *Iugum excutit.*

teri non ſe pulſos à Græcis vel Bulgaris, ſed ab Epiſcopo conventos protectosque, dubium quare commuſſitant, proditionis imago quodammodo ſuſpicatur, ſed veritatis integritas, donec Chriſtus renum rimator & cordium, in ſuorum ſervorum examine hanc in lucem protulerit, non videtur.

CXXXIII. *Clerus Ravennas.*

Epiſcopus & Clerus Ravennatenſis ſeſe opponunt Pontificis Rom. ambitioni.

INvenitur adhuc Epiſtola quædam manuſcripta Cleri Ravennatis ad Carolum juniorem (ut titulus habet, credo eſſe Calvum.) In ea Epiſtola tuetur Ravennas Clerus ſuam quandam conſuetudinem, quòd ii qui ex Monachis ad Sacerdotium deſumpti erant, Monachalem veſtitum deponebant, & communi utebantur. Apparet enim eos de ea re reprehenſos fuiſſe. Diſputant verò piè ac eruditè Sacerdotes Ravennates, veſtitum eſſe rem liberam, nec in eo religionem aut pietatem conſiſtere. Citant etiam prolixum locum ex Cœleſtini primi decretali Epiſtola, quòd veſtitus res Chriſtianis libera ſit, nec quicquam ad pietatem faciat. Ejus loci Cœleſtini in capite de Cœleſtino mentio facta eſt. Verùm Imperatoris nomine reſpondent duriter quidam ejus Clerici (ut ipſa Epiſtola teſtatur) ac omnino contendunt, Monachos in Sacerdotes receptos, priſtinum veſtitum retinere debere. Inde apparet, quantopere Bonifacius Pſeudoapoſtolus Germanorum, tunc eos homines Papiſticis nugis ac ſuperſtitionibus dementaverit; tametſi hic in Italia etiam regnaverit annis aliquot, & ibi ſit Mantuæ mortuus. Apparet etiam, Ravennatem Eccleſiam non tantum jugo ſeu tyrannidi Pontificiæ diu reſtitiſſe, ſicut ſuprà dictum eſt, ſed & multis aliis ejus erroribus & ſuperſtitionibus. Sed adſcribam totam Epiſtolam, quandoquidem alioqui vix proditura in lucem videatur.

* Extat inter Hincmari Opuſcula p. 639.

Epiſtola Cleri Ravennatis ad Carolum Iuniorem, (credo eſſe Calvum) quâ tuetur libertatem Veſtitus Monaſtici.

De rebus Eccleſiaſticis tam Romana quã Ravennatenſis Eccleſia reſpondet.

DIvinæ largitatis munere, ſapientia, potentiaque præfulgido Domino Regi Carolo glorioſo, *ſancta Ravennas Eccleſia*, inclytos, cum fœlice ſucceſſu ſemper manere triumphos. Quanquam enim veſtræ celſitudinis gloriæ, pro ſapientiæ altitudine, & honore Imperii, quo inter mortales principalis habetur vivendi & docendi Eccleſiaſticæ regulæ penè omnia nota videantur, nihilque ſit quod de ſacris lectionibus minus intellectum veſtræ regali prudentiæ arbitretur: tamen quoniam quandam difficultatem & ſcrupulum *ſuper quorundam habitu*, qui ex diverſis morum & regulæ diſciplinis ad ſacram perveniunt dignitatem, in veſtra ſacra mente fore audivimus, collectis ſuper hoc quibuſdam Patrum antiquorum exemplis, quid de hoc priores ſenſiſſe contigerit, & quid data authoritate mandaverint, ſervato

vato in talibus noſtræ tenore Eccleſiæ, dignum duximus & morem noſtræ Eccleſiæ demonſtrare, & veſtram in talibus ferventem vigilantiam ſerenare. Pontificum enim Romanorum authoritas, quibus in beato Petro cura & ſolicitudo paſcendi gregem Eccleſiæ à Domino IESV CHRISTO eſt tradita, ex clara fidei puritate docet, quibus rebus & regulis Chriſtianorum vita in ſua cujusque profeſſione debeat contineri, qualisque ſervetur in urbis Romæ Eccleſiis diſciplina, quorum beatus Cœleſtinus, de hac re diſputans, inter cætera infert: Dicimus enim, Domini Sacerdotes ſuperſtitioſo potius cultui inſervire, quàm mentis vel fidei, puritati, & non mirum, ait, ſi contra Eccleſiaſticum morem faciunt, qui in Eccleſia non creverunt; ſed & alio venientes itinere, ſecum hæc in Eccleſiam, quæ in alia converſatione habuerant, intulerunt. Amicti enim pallio ſicut Græci Monachi, & lumbos præcincti, credunt ſe ſacræ Scripturæ fidem non per ſpiritum, ſed per literam completuros. Nam ſi ad hoc iſta præcepta ſunt, ut taliter ſervarentur: cur non fiunt pariter quæ ſequuntur, ut lucernæ ardentes una cum baculo teneantur? Habent enim ſuum iſta myſterium, & intelligentibus ita clara ſunt, ut ea magis, quàm decet, ſignificatione ſerventur. Nam in lumborum ſignificatione caſtitas, in baculo regimen paſtorale, in lucernis ardentibus fulgor operis boni demonſtratur. Habent tamen hi iſtum forſitan cultum, morem potius quàm orationem ſequentes, qui remotioribus habitantibus, & procul à cæteris degunt. Vnde hic habitus in Eccleſiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque Pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur. Diſcernendi à plebe vel cæteris ſumus, doctrina, non veſte: converſatione, non habitu: mentis puritate, non cultu. Docendi enim ſunt populi, potius quàm ludendi: nec imponendum eſt eorum oculis, ſed mentibus præcepta ſunt infundenda. Leo enim ſanctæ Romanæ ſedis Epiſcopus, dicit, propoſitum Monachi proprio arbitrio vel voluntate ſuſceptum, deſeri non poſſe abſque peccato; quia quod quis novit Deo, debet ei reddere. Vnde eum qui relicta ſingularitatis profeſſione ad militiam, vel ad nuptias devolutus eſt, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandum. Relictam ſingularitatis profeſſionem, non ſcapulare, quod pro opere fertur, exemplo ſupradicto accipimus. Neque ſi ad Sacerdotii dignitatem aſcenderis, ſed ſi ad militiam vel ad nuptias devolutus eſt, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandus habetur. In quibus licet innocens poſſit eſſe militia, & honeſtum conjugium, electionem meliorem, quæ in ſacerdotali officio eſſe non poteſt, deſeruiſſe tranſgreſſio eſt. In quo capitulo propoſitum Monachi, devotionem ſanctæ converſationis, non veſtium cultum intelligentes, qui multiplex & varius pro locorum & regnorum diverſitate, in Græcorum & Latinorum Monachis invenitur; in his qui ad regimen Eccleſiaſticum Canonico ordine Epiſcopali dignitate ſacrantur, ſi in ſacerdotali habitu & conſuetudine miniſtrent Eccleſiis, in quibus provecti ſunt, nihil obviare paternis antiquorum regulis pro noſtræ capacitatis intelligentia omnino confidimus, *Cent. IX. Magd. cap. 6. col. 278.*

Dd

mus, ſed potius Eccleſiaſticis & Apoſtolicis regulis initentes, concordiam,quam in habitu Sacerdotum Romana conſervat Eccleſia, ſequendam omnimodis judicamus. Melius multò magis arbitrantes, ut uniformis ſacerdotalis veſtis æqualitate commune miniſtrandi Eccleſiæ miniſterium ſortiatur, quàm amicto ſub honore Pontificatus pallio ſingulari ab utriusque ordine, ſingularitatis ſiquidem & Epiſcopalis profeſſione, vita & moribus diſcrepetur. Nec enim dicimus,ut generaliter omnibus Eccleſiis hac lege habitus conſtringendi authoritatem donemus. Scimus enim, quòd *unusquisq; in ſuo ſenſu abundet*; ſed nos noſtratumque Eccleſiarum Pontifices, quos ex diverſis morum & regulæ diſciplinis ad ſacram perveniſſe dignitatem gaudemus, *ſi in habitu ſacerdotali* Eccleſiis miniſtraverint, nullum habendum præjudicium, neque pro habitus qualitate feriendos cenſura canonica formidamus, ex antiquorum Patrum inſtitutis omnimodo arbitramur. Verum inſuper *conſuetudinem ac morem noſtræ Eccleſiæ* concorditer retinendum, quem cæteris ſtola veſtibus ſuperjecta pro dignitate Sacerdotii, qua in populo principantur, conſervandum, ejus Pontifices, quam ſub veſte pœnitentiæ & laboris in ſuo ordine ſtatuerunt, tenentes, pro veſtium qualitate & habitu, nullum hujus ordinis, ſi vita ejus in cujuſcunque propoſito nullo gravi facinore probatur infecta id eſt, ſi non ſit ſecundæ uxoris copulæ alligatus, ſi pœnitentia publica non famoſus, ſi nulla parte corporis imminutus, ſi ſervilis aut originariæ conditioni nequaquam obnoxius, ſi curiæ probatur nexibus abſolutus, paternorum decretorum regulis aut inſtitutis obnoxium, ſed potius morem qui in ea Eccleſia ex antiquo eſt, inviolabiliter omnimodo obſervandum. Neque enim ad conſervandam totius ſingularitatis profeſſionem, quam ſacerdotale officium in forma vitæ Eccleſiaſticæ minimè patitur, obſervandum in ſingulis, quæ hujus ſectæ regularis authoritas præcipit operanda in eſu, in ſilentio, in horis cuſtodiendis, & in omnibus regularibus actibus exhibendis, ſolum ſcapulare pallium, neglectis cæteris, ſufficiens omnium authorum judicio retinemus: ſed potius ſub habitu ſingulari à vita penitus diſcordantes, in communis vitæ participatione reprehendendos acrius æſtimamus. Nec hoc quidem dicimus, ut in omnibus hujus religionis, cum ad ſanctam pervenerint dignitatem, relicto more Eccleſiæ vel religionis, in qua provecti ſunt, mutandam veſtem ſingularitatis generaliter cenſeamus; ſed potius in utroque habitu Sacerdotum, morem Eccleſiarum & ordinem, in quibus provecti ſunt, nullis Patrum præjudiciis obnoxium, irreprehenſibiliter arbitramur ſequendum.

Hujus enim noſtræ conſuetudinis cauſam, ô bone Rex, pro noſtræ reprehenſionis neceſſitate, veſtræ Serenitati reddentes, placitam Deo ſolicitudinem veſtram, quam pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ in omnibus ſuis utilitatibus vos ferventiſſimo mentis ſtudio habere multorum relatione comperimus, ſerena re data authoritate humiliter exoptamus: pariterque etiam immenſas gratiarum actiones

princi-

principali magnitudini vestræ referimus, quæ nos in nostris filiis, vestris siquidem fidelibus oratoribus, monere & corrigere suis sacris apicibus est dignata: & insuper quantum pro sancta religione ferveant, in suæ devotionis admonitione nobis, ne reprehensibiles videamur, ostensa. Vnde ne statutorum Canonum in hac nostra consuetudine super transgressores apud vos videamur, quibus regulis ad hujuscemodi tenorem & ordinem nostræ Ecclesiæ conservandum innitimur, in his nostris satisfactionis literulis vestræ principali magnitudini relegendis ostendendum curavimus lubentissimè: si quid melius, aut piorum regulis Canonicæ scripturæ congruentius tenendum: de hac re vestra reperit devota Regalisque prudentia, vestris in omnibus monitis annuentes. Conservet Deus omnem vestram salubrem dominationem, ad gubernandam & tuendam Ecclesiam suam sanctam, Amen.

VErùm ut prius dictum est, Cæsar hac scriptione contentus non fuit; sed curavit à suis Sacrificis longam responsionem, vel refutationem potius, contrà scribi. Credo etiam æmulationem & odium quoddam intercessisse; nam cum hæc Epistola scripta est, fuit quidam nomine Ioannes, Archiepiscopus Ravennæ, de quo alibi in hoc scripto plura, cui hic Cæsar non parum erat infensus; inde adeò, quòd ille fuerat Ludovici Secundi Cæsaris intimus; qui non hunc Carolum Calvum, sed alium nomine Grossum, sibi succedere voluerat; quam sui Domini voluntatem post ejus mortem Regina & Consiliarii promovere conati erant, ut ex sequenti historia apparebit. Fuit etiam alioqui hic Carolus homo admodum injustus, ut historici testantur. Sed tamen in illa Caroli hujus responsione, quam ob nimiam prolixitatem omisimus, aliqua bona notatuque digna sunt; ut quod testatur caput septimum, aliam rationem Missæ celebrandæ suo tempore fuisse Hierosolymæ, aliam Constantinopoli, aliam Romæ, aliam Mediolani, & aliam in Hispania Toleti. Quæ ipsa diversitas Missam esse humanum inventum, non divinam institutionem, dilucidè testatur. Si enim divina ordinatione aliqua certa Missæ forma tradita fuisset hominibus, eam tantopere variare non licuisset, nec etiam fortè tantis viris libuisset. *Carolus nō probat Ravennatensium Epistolam.*

*. Centur. IX. Magdeb. c. 8. col. 359, 360.

CXXXIV. Carolus Calvus.

HVjus Caroli credo esse illam sententiam quæ est Dist. 19. cujus sunt hæc verba, *Ex Concilio Caroli. In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam Ecelesiam, & Apostolicam sedem, ut quæ vobis Sacerdotalis mater est dignitatis Ecclesiasticæ, debeat esse magistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitatis. Et licet vix* FFRE NOVUM *ab illa sancta sede imponatur jugum, tamen feramus & pia devotione toleremus. Si verò (quod non decet) quilibet sive sit presbyter, sive diaconus*

aliquam perturbationem machinando & nostro ministerio insidiando redarguatur falsam, &c.

Hic simul observa & tyrannidem Papæ, & servilem subjectionem & superstitionum Regum ac Conciliorum sese huic Babylonio scorto submittentium. Fatentur hic miser Rex aut ejus Concilium, esse importabile jugum, quod sibi à Papa imponitur, & tamen vult ferre, putatque in eo magnum quoddam sacrificium sancto Petro offerre.

CXXXV. Epistola Episcoporum Bavariæ ad Ioannem VIII.

Extat inter Hincmari Epistolas p. 641.

IOannes Papa Octavus qui sedit circa annum Domini 880. accepta pecunia, missisque Legatis Moranos à Iurisdictione Laureacensis Episcopi exemit, ob quam causam & supplicant & admonent eum sui officii Episcopi Germaniæ, quæ eorum Epistola, quoniam & alioqui utilis ad alia esse potest, nec tamen extat impressa, à me integra hic apponetur.

Summo Pontifici & universali Papæ Domino Ioanni Romanæ sedis magnifico gubernatori, *humilimi paternitatis vestræ filii*, Theotmarus Iuvanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, VValdo Frisingensis, Zacharias Sebanensis, Tuto Ratisponensis, Richarius Pataviensis Ecclesiæ Episcopus, *nec non &* universus Clerus, populusque Christianus *per totam Noricam quæ & Bavaria vocatur prosperum in Salvatore nostro provectum, Catholicæ pacis augmentum, & regnum optamus æternum.* Antecessorum vestrorum decretis, & sanctorum Patrum institutis plenissimè instruimur in omnibus nostro sacerdotali ministerio obstantibus & aversantibus Romanum appellare Pontificem, ut quod ad unitatem concordiæ, & ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violentur, sed ab ipso summa provisione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa sancta & Apostolica sede, quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, & origo Christianæ religionis, profluxerit quippiam perversitatis, sed doctrina & autoritas Ecclesiasticæ rationis. Sed venerunt, ut ipsi promulgaverunt de latere vestro tres Episcopi, videlicet Ioannes Archiepiscopus, Benedictus & Daniel Episcopi, in terram Slavinorum, qui Morani dicuntur, quæ Regibus nostris & populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in cultu Christianæ religionis, quàm in tributo substantiæ secularis, quia exinde primùm imbuti, & ex paganis Christiani sunt facti. Et idcirco Pataviensis Episcopus civitatis, in cujus diœcesi sunt illius terræ populi ab exordio Christianitatis eorum, quando voluit & debuit illuc nullo obstante intravit, & synodalem cum illis, & cum suis, & etiam inibi viventis conventum frequentavit: & omnia quæ agenda sunt, potenter peregit, & nullus ei in faciem restitit. Etiam & nostri Comites illi terræ confines, placita secularia illic continuaverunt, & quæ corrigenda sunt, correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis restiterunt, usque

usq; dum incrassante corda eorum Diabolo Christianitatem abhorrere, & omnem justitiam detractare, belloque lacessere ac obsistere sævissimè cœperunt: adeo ut via Episcopo & prædicatoribus illuc non esset, sed libitu suo egerunt quæ voluerunt. Nunc verò quòd vobis grave videtur & incredibile in augmentum injuriæ jactitant se magnitudine pecuniæ egisse, vos eosdem præfatos Episcopos ad se direxisse, & in eodem Pataviensi Episcopatu talia egisse, qualia de illa Apostolica sede nunquam exisse, neque Canonum Decreta sanxisse, ut tantum schisma una pateretur Ecclesia. Est enim unus Episcopatus in quinque divisus. Intrantes autem prædicti in vestro nomine, ut ipsi dixerunt, Episcopi ordinaverunt in nostro eodemque Episcopatu unum Archiepiscopum, si in alterius Episcopatum Archiepiscopus esse potest, & tres Episcopos ejus Suffraganeos, absque scientia Archiepiscopi, & consensu Episcopi in cujus fuerunt Diœcesi.

Cum in Concilio Africano cap. 20. Decretum sit, ut plebes, quæ in diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ nunquam Episcopos habuerunt, nec nisi cum voluntate ejus Episcopi à quo tenentur, proprios accipiunt Rectores & Episcopos. Item in eodem Concilio cap. 45. Vt plebes qui nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex Concilio plenario uniuscujusque provinciæ & primatis, atque consensu ejus ad cujus diœcesin eadem plebs pertinebat, Episcopos minimè accipiant. In Decretis Papæ Leonis cap. 15. scriptum est: Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur qui à Provincialibus Episcopis, cum Metropolitani judicio non consecrantur. Item Cap. 49. Vt si indignis quibusque & longè extra Sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium & gubernatio Ecclesiæ detur; non est hoc consulere populis sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen. Et in eodem cap. past pauca inquit: Difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Et in Decreto Papæ Cælestini antecessoris vestri cap. 17. continetur, ne alicui locus concedatur Sacerdoti in alterius injuriam. Antecessor vester Zuentibaldo Duce impetrante VVichingum consecravit Episcopum, & nequaquam in illum antiquum Pataviensem Episcopatū transmisit: Sed in quandam Neophytam gentem, quam ipse Dux bello domuit, & ex Paganis Christianos nos esse patravit. Cum autem eisdem Slavis locus familiaris apud Legatos vestros dabatur, accusabant & diffamabant nos in multis, & verbis mendacibus instabant, quia nemo eis vera respondebat, dicentes, nos cum Francis & Alemanis scandalum & discordiam habuisse. Cum hoc falsum esse ex hoc convincitur, quia amicissimi nostri sunt, & charitativi cooperatores, & etiam cum ipsis impacatos esse accusabant. Quod non nostra culpa exigente, sed sua protervia faciente ita fatemur esse. Quia quando Christianitas illis cœpit vilescere, & insuper debitum tributum senioribus nostris Regibus & Principibus eorum solvere respuerunt, belloque resistere & gentem nostram cœperunt lacessere, orta est seditio inter illos. Et quoniam armis si eos defenderint, in servitium redegerint,

Concilia Pontifex abrogat, ut suum stabiliat Primatum.

Innocentiam suam Bavari tuentur, & adversariorum criminationes refellunt.

rint,idcirco jure proprio tributarios habere debuerint, & debent, & sive velint sive nolint regno nostro subacti fuerint. Quapropter oportet nos ab alto speculari; & moderaminis temperiem præ omnibus tenere, ne pejor pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque serenissimi senioris nostri Ludovici videlicet Imperatores & Reges ex Christianissima Francorum gente prodierunt. Moravii verò Slavi à paganis & ethnicis venerunt. Illi potentia Imperiali Romanam Rempublicam sublimaverunt, isti damnarunt: illi Christianum regnum confortaverunt, isti latibulis & urbibus occultati fuerunt: illorum consilio Apostolica sedes pollebat, istorum persecutione Christianitas dolebat. In omnibus his juvenculis Rex noster, nulli prædecessorum suorum secundus, nulli & inferio, sred secundum virtutem à Deo sibi datam, sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vobis summo Patri cum omnibus regni sui Principibus adjutor optat esse fortissimus. Omne namque regnum divinitus sibi commissum ad Dei servitium suumque adjutorium unum vult, & operatur. Unde & pace viget, & concordia gratulatur, atq; ad vestram paternitatem, sicut Patres sui, se pertinere lætatur. Quod nos præfati Slavi criminabantur cum Ungaris fidem Catholicam violasse, & per canem seu lupum aliasque nefandissimas & ethnicas res Sacramenta & pacem egisse, atque ut in Italiam transirent, pecuniam dedisse, si vobis coram posito ratio inter nos, agitaretur, ante Deum qui cuncta novit antequam fiant, & coram vobis qui vicem ejus Apostolicam tenetis, eorum falsitas manifestaretur, & nostra innocentia probaretur. Quia enim Christianis nostris longè à nobis positis semper imminebant, & persecutione nimia affligebant, donavimus illis nullius pretiosæ substantiæ pecuniam: sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus eorum aliquoties veritatem mulceremus, & ab eorum persecutione quiescere faceremus. Talia namque ut præscripsimus, juxta malitiam cordis sui argumentantes, & Pontifices vestros ad injuriam nostram incitantes, adeo ut directa nobis Epistola quasi ab Apostolica sede hæc omnia improperabant, & diversas injurias ingerebant, atque inter alia divino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur enim in nobis quod quidem sapiens ait: Iustus tulit crimen iniqui: Ipsi enim crimen quod nobis falsò semel factum imposuerunt, multis annis peregerunt. Ipsi Ungarorum non modicam multitudinem ad se sumpserunt, & more eorum capita suorum pseudochristianorum penitus detruderunt, & super nostros Christianos immiserunt, atque ipsi supervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios pessima carcerum fama & siti perdiderunt, innumerosos verò exilio deputaverunt, & nobiles viros ac honestas mulieres in servitium redegerunt, Ecclesias Dei incenderunt, & omnia ædificia deleverunt, ita ut in tota Pannonia nostra maxima provincia tantum una non appareat Ecclesia, prout Episcopi à vobis destinati, si fateri velint enarrare possunt, quantos dies transierint, & totam terram desolatam viderint. Quando verò Ungaros Italiam intrasse comperimus, pacificari cum eisdem Slavis teste communi Deo multum desideravimus,

promit-

promittentes eis propter Dominum omnipotentem ad profectum indulgere omnia mala contra nos,nostrosque facta & omnia reddere,quæ de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis securos nos facerent, & tam diu spatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, & res S.Petri defendere,populumq; Christianum divino adjutorio redimere liceret, & nec ipsum ab eis obtinere potuimus. Et post tanta maleficia habent beneficia, & sunt falsi accusatores,qui semper fuere Christianorum persecutores. Si quis in toto mundo aliorsum nos oberrasse, & justitiæ restitisse conetur, veniat præsens, & eum ludificasse,& nos de hac re sentientes purissimos esse.Idcirco singuli omnesque admonendo precamur,ne ullo modo alicui falso de nobis aliquam suspicionem referente creduli sitis,antequam opportunitas exigatur,hujus rei gratia missus de vestra celsitudine nobis aut à nostra pravitate directus appareat vobis. Communis gemitus & generalis dolor angustat, quos Germaniam & tota tenet Norica , quod unica Ecclesiæ dividitur scissura. Ideo si quid trans maligna Slavorum calliditate adduxerit, justitia avertat; vosque ex alto virtute induti,& Apostolica potestate armati,juxta Prophetam: *Quod fractum est, alligate, quod infirmum, consolidate; quod abjectum, reducite*, ut deinceps populus & fidei integritate gratuletur, & sancta Ecclesia tranquilla devotione lætetur. Theotmarus indignus Archiepiscopus & Apostolicarum rerum Procurator promptissimus. Pecuniam verò nostro juri debitam propter infestam paganorum sævitiam,nec per se perferre,nec per alios poterant transmittere.Sed quia Dei gratia liberata est Italia, quantocyus poterovobis transmitto. Precatur nostra humilitas, ut dignetur vestra sublimitas respondere per singula transmissa cum Epistola.

Alme Pater mundi dignus prænomine Petri,
Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris.
Sisq; tuis famulis Protector verus, & ipsos
Commendes Domino, cœlo qui præsidet alto.

Hactenus audivimus Epistolam Bavaricorum Concionatorum ad Pontificem, in qua quid memorabile sit,satis supra diximus.

CXXXVI. *Otfridus VVissenburgensis.*

FLoruit hic vir circa annum Dom.860.ac plura quidem scripsit,sed tamen inter alia edidit etiam vernacula lingua V. libros titulo *Gratia*, quorum argumentũ sequens ejus præfatio indicat. Vidi autem eos libros, & lingua adeò à præsenti variat, ut à nemine Germano nunc quidem intelligi queat,imò vix pauca verba possunt percipi. Illud autem ibi observandum est ante annos 700.(tot enim sunt à scripto eo libro) non esse habitum nefas,sed potius summam pietatem vulgari lingua, idque rhythmis sacras literas vertere. Cum quidem Germanica lingua tunc multò minus apta esset ad præscriptionẽ,aut aliquam omnino eruditionẽ&acutiorẽ rerũ tracta-

Linguâ vulgari edit Evangeliorum partem.

tractationem, quàm nunc Dei beneficio sit, cum est excultissima & non adeo multò minus tractabilis, & ad omnia exprimenda idonea, quàm Latina. Haud dubiè autem in ipso textu multa dicit, alienissima à præsentibus Paparum erroribus & abusibus. Fuit verò discipulus magni illius Rabani, & versio ejus etiam Luitberto Episcopo Moguntino comprobata est; nam penè in omnibus Bibliothecis ejus fragmenta reperiuntur. Verùm cum postea paulatim lingua Germanica mutata est, cœpit negligi, tanquam non intellectum & ideo inutile opus.

Epistola Otfridi ad Archiepiscopum Moguntinensem Luitbertum. Extat inter Hincmari Epistolas p. 631. ed. Paris.

Dignitatis culmine gratia divina præcelso Luitberto, Moguntiacensis urbis Archiepiscopo, Otfridus, quamvis indignus, tamen devotione Monachus presbyterque exiguus, æternæ vitæ gaudium optat semper in Christo. Vestræ excellentissimæ prudentiæ præsentis libri stylum comprobare transmittens, in capite causam, qua illum dictare præsumpsi, primitus vobis enarrare curavi, ne ullorum fidelium mentes, si vilescet, vilitatis meæ præsumptioni deputare procurent. Dum rerum quondam sonus inutilium pulsaret aures quorundam probatissimorum virorum, eorumque sanctitatem Laicorum cantus inquietaret obscœnus, à quibusdam memoria dignis fratribus rogatus, maximeque cujusdam venerandæ matronæ, verbis nimirum flagitantis nomine Iudith, ut partem Evangeliorum eis theotisce conscriberem, ut aliquantulum hujus cantus lectionis ludum secularium vocum delerem, & in Evangeliorum propria lingua occupati dulcedine, sonum inutilium rerum noverint declinare, petitioni quoque jungebant querimoniam quod Gentilium vates, ut Virgilius, Lucanus, Ovidius, cæterisque quam plurimi suorum facta decorarent lingua nativa, quorum jam voluminum dictis fluctuare cognoscimus mundum. Nostræ jam sectæ probatissimorum virorum facta laudabant Iuvenci Aratoris prudentii cæterorumque multorum, qui sua lingua dicta & miracula CHRISTI decenter ornabant. Nos vero quamvis eadem fide eademque gratia instructi divinorum verborum splendorem clarissimum proferre propria lingua dicebant pigere. Hoc dum eorum charitati importunè mihi instanti negare nequivi, feci non quasi peritus, sed fraterna petitione coactus. Scripsi namque eorum precium suffultus juvamine Evangeliorum partem Francisce compositam, interdum spiritualia moraliaque verba permiscens, ut qui in illis alienæ linguæ difficultatem horrescit, hic propria lingua cognoscat sanctissima verba. Deinique legem sua lingua intelligens inde se vel parum quid deviare, mente propria pertimescat. Scripsi itaque in primis & in ultimis hujus libri partibus inter quatuor Evangelistas incedens medius, ut modo quid iste, quidve alius cæterisque scriberent, inter illos ordinatim, pro ut potui penitus item dictavi. In medio verò ne graviter fortè pro superfluitate verborum ferrent legentes, multa & parabolarum CHRISTI & miraculorum, ejusque doctrinæ, Et quamvis jam fessus (hoc enim novissimè edidi ob necessitatem, tamen prædictam prætermissi invitus, & non jam ordinatim ut cœperam procuravi dictare, sed qualiter meæ parvæ occurrerunt

memo-

memoriæ. Volumen namque istud *in quinq; libros* distinxi, quorum primus nativitatem Christi memorat, finem facit baptismo doctrinaque Ioannis. Secundus jam accersitis ejus discipulis refert, quomodo se & quibusnam signis & suam doctrinam præclaram mundo notam fecit. Tertius signorum claritudinem & doctrinam ad Iudæos aliquantulum narrat. Quartus jam qualiter suæ passioni propinquans, pro nobis mortem spontè pertulerit, dicit. Quintus ejus resurrectionem cum discipulis, suam postea collocutionem, ascensionem, & diem judicii memorat. Hos (ut dixi) in quinque (quamvis Evangeliorum libri quatuor sint) ideo distinxi, quia eorum, quadrata æqualitas sancta, nostrorum quinque sensuum inæqualitatem ornat, & superflua in nobis quæq; non solum actuum, verum etiam cogitationum vertunt in elevationem cœlestium. Quicquid visu, olfactu tactu, gustu, audituque delinquimus, in eorum lectionis memoria, pravitatem ipsam purgamus. Visus obscuretur inutilis, illuminatus Evangelicis verbis. Auditus pravus non sit cordi nostro obnoxius. Olfactus & gustus se à pravitate constringant, Christique dulcedine jungant, cordisque præcordia lectiones has theotisce conscriptas, semper memoria tangent. Hujus enim linguæ barbaries, ut est inculta & indisciplinabilis atque insueta capi regulari freno grammaticæ artis, sic etiam in multis dictis scriptum est, propter literarum aut congeriem, aut incognitam sonoritatem, difficilis. Nam interdum tria uno, ut puto quærit sono. Priores duo consonantes, ut mihi videtur tertium vocali sono manente. Interdum verò nec a, nec e, nec i, nec u, vocalium sonos præcavere potui, ibi ρ græcum, mihi videtur adscribi. Græciæ, hoc elementum lingua hæc horrescit interdum: nulli sese charecteri aliquotiens in quodam sono nisi difficilè jungens k & ζ. sæpius hæc lingua extra usum Latinitatis utitur, qui grammmatici inter literas dicuntur esse superfluas. Ob stridorem autem interdum dentium, ut puto, in hac lingua ζ utuntur. k autem ob faucium sonoritatem. Patitur quoque metaplasmi figuram nimium, non tamen assiduè, quam Doctores grammaticæ artis vocant Synalœpham, & hoc nisi legentes prævideant rationes dicta deformius sonant, literas interdum scriptione servantes: interdum verò Hebraicæ linguæ more vitantes, quibus ipsas literas ratione Synalœphæ in literis, ut quidam dicunt, penitus amittere, & transilire moris habetur. Non quod series scriptionis hujus metrica sit subtilitate constricta, sed schema homœoteleuton assiduè quærit. Aptum enim in hac lectione & priori decentem & consimilem quærunt verba in fine sonoritatem: & non tantum per hanc inter duas vocales, sed & jam inter alias sæpissimè patitur collisionem Synalœphæ. Quærit enim linguæ hujus ornatus, & à legentibus. Synalœphę lenem & collisionem lubricam prȩcavere, & à dictantibus homœoteleuton, id est consimilem verborum terminationem observare. Sensus enim hic interdum ultra duos vel tres versus vel etiam quatuor, in lectione debet esse suspensus, ut legentibus quo lectio signat, apertius fiat. Hic sæpius i, & o, cæteræque similiter in illis vocales simul inveniuntur inscriptæ:

Summa librorum.

Vetus lingua Germanica.

ptæ: interdum in sono divisæ vocales manentes: interdum conjunctæ priore transeunte in consonantium potestatem. Duæ etiam negativæ, quæ in latinitate rationis dicta confirmant, in hujus linguæ usu penè assiduè negant. Hujus enim linguæ proprietas nec numerum, nec genera me conservare sinebat. Interdum enim masculinum Latinæ linguæ in hac fœminino protuli, & cætera genera necessaria, & simili modo permiscui numerum pluralem singulari, singularem plurali variavi, & tali modo in barbarismum & solœcismum sæpius coactus incidi. Horum supra scriptorum omnium vitiorum exempla, de hoc libro theotisce ponerem, nisi irrisionem legentium devitarem. Nam dum agrestis linguæ inculta verba inseruntur Latinitatis planitiæ, cachinnum legentibus præbent. Lingua enim hæc velut agrestis habetur, dum à propriis nec scriptura, nec arte aliqua ullis est temporibus expolita. Quippe qui nec historias suorum antecessorum, ut multæ gentes cæteræ commendant memoriæ, nec eorum gesta vel vitam ornant dignitatis amore. Quòd si rarò contigit aliarum gentium lingua, id est, Latinorum vel Græcorum potius explanant. Cavent etiam aliarum deformitatem, non verecundant suam. Stupent in aliis vel literula parva artem transgredi, & penè in propria lingua vitium generant per singula verba. Est tamen conveniens ut qualicunq; modo, sive corruptæ linguæ, sive integræ artis humanum genus autorem omnium laudet, qui plectrum ei dederat linguæ, verbum in eis suæ laudis sonare: qui non verborum adulationem politorum, sed in nobis pium cogitationis affectum, operumque pro labore congeriem, non labiorum inanem servitutem. Hunc igitur librum vestræ sagaci prudentiæ probandum curavi transmittere, & quia à Rabano, venerandæ memoriæ digno vestræ sedis, quondam Præsule, educata mea parvitas est, Præsulatus vestri dignitati sapientiæque in vobis commendare curavi: qui si sanctitatis vestræ placet obtutibus, & non dejiciendum judicaverit, uti licenter fidelibus vestra autoritas concedat. Sin verò minus aptus parque meæ negligentiæ paret, eundem veneranda sanctaque condemnet autoritas. Vtriusque enim facti causam arbitrio vestro decernendam, mea parva commendat humilitas. Trinitas summa unitasque perfecta cunctorum nos utilitati multa tempora incolumem ac in recta vita manentem conservare dignetur, Amen.

* Liber editus Basileæ Anno 1571. hoc titulo: Otfridi Evangeliorum liber, Grammaticæ, Poeseos, Theologiæ præclarum munimentum. Evangelien-Buch/in altfränckischen Reimen/durch Otfrieden von Weissenburg / Münch zu S. Gallen/vor sieben hundert Jahren beschrieben.

CXXXVII. *Ottho Primus.*

Pontificem Rom. coercet.

OTtho primus Cæsar, vir prudens, potens pius ac bellicosus, Magdeburgensis civitatis instaurator, imperavit Anno 940. Multa præclarè in commodum Ecclesiæ

Ecclesiæ fecit. Italiam, loca circa Romam, ac Romam ipsam, quæ jam Papæ Petri patrimonium vocant, citra controversiam possedit. Sed non tantum Imperii jura ac opes inviolata sibi contra Pontifices servavit, Ecclesiarumque & curam & jus eas conferendi habuit, ut privilegium ipsi à Papa creditum, & alibi adscriptum, clarè testatur; verùm etiam ipsos Papas satis duriter ac severiter castigavit ac reformavit. Quod ut clarius appareat, quoniam historia admodum digna scitu est, adscribam eam ad verbum, prout à *Theodorico Niem* & *Luitbrando Diacono Ticinensi* descripta est. Sic enim scribit Niemus libro 3. cap. 9. qui quidem autor longissimo tempore Paparum intimus Scriba fuit, & demum Verdensis Episcopus factus est. *3. De schism. c. p. 156. edit. Argent. 1609.*

Sed certè nostri moderni Reges & Imperatores longè in talibus ab eodem Theoderico Rege distare videntur, qui majori cura privatum patrimonium suum, quàm jura ejusdem Imperii conservare conantur. Quod autem Imperialis potestas sit præcipuè super malum & incorrigibilem Pontificem Romanum, per quē scandalizatur Ecclesia, ex gestis Imperatorum seu Regum Romanorū satis constat; nam Iannes Papa duodecimus fuit unicus, & indubitatus Papa, qui ante Papatum vocabatur *Octavianus*, de nobili & potenti genere procreatus; qui postquam assumptus erat ad Papatum, venationibus ferarum sylvestrium quandoque interfuit, nec non libidinosè ac lubricè vivens, cum suspectis mulieribus sortes posuit: ac etiā aliquos ex suis Cardinalib⁹ eum propterea arguentibus, malè tractavit & mutilavit. Quod audiens Ottho primus magnus Augustus, de hoc ex corde doluit; & ex Germania propterea Romam veniens, eidem Papæ, cur illuc venerat, exposuit. Quod audiens Papa valdè timuit, promittens Imperatori, quòd ejus vitā subitò emendare vellet. Imperator autem credens eum ita facturū, ad Papiam è Roma secessit, ubi hyemando remansit, ut scrutaretur interim, si forsan præfati Papę dictis facta responderent. Sed quia difficile est consueta relinquere, Papa ipse nec Deum nec Imperatorē habens præ oculis, mala malis accumulavit. Quod sentiens Augustus, irato animo ad urbem rediit, ut dijudicaret de ipso Papa, qui hoc audiens, utpote sibi ipsi malè conscius, se inde fugæ subsidio è vestigio absentavit, ad Campaniam declinando. Sed impiger Imperator, Concilium Cleri Romani contra eundem Papam in ipsa urbe convocavit, in quo dicto Papa cōmuni voto ejus Concilii deposito, vir laudabilis famæ ac sanctæ conversationis alter Leo hujus nominis VIII. extitit subrogatus. Ipse autem Octavianus, ne ad manus Imperatoris deveniret, abdita loca perquirens, in ipsa Campania miserè diem clausit extremum. Profectò tunc temporis Papa nō habuit tot temporalia, sicut Romana Ecclesia nunc videtur habere; quia ipse magnus Augustus, & de ipso descendentes secund⁹ & terti⁹ ejusdē nominis Augusti, ipsi Romanā & alias Ecclesias in Italia & Germania secularib⁹ dominiis ditarunt; & ita manifestè apparet in libris, qui super donationib⁹ Ecclesię factis per Imperatores & Reges Rom cōfecti sunt, & in Thesaurario seu Camera Apostolica cōservātur. Præterea

tunc erat adeò excellens Auguſtus, quòd nemo contra ejus voluntatem aliquem Papam, præſertim malignum, abjectum vel ſchiſmaticum, auſus fuiſſet publicè confovere. Alias certè idem Octavianus, ut exiſtimo, reperiſſet aliquem potentem, qui ipſum in ſua malitia & tyrannide confoviſſet. Nec civitas Avinionenſis, cum ejus mirando palatio, tenuit Romanam Eccleſiam, ſed potius magno Otthoni obſequebatur.

Cap. 10. p. 158. Quid igitur inducit aliud hæc *Pompa tantorum temporalium dominiorum*, de quibus nunc gloriatur Eccleſia Romana, quàm *negligentiam in ſpiritualibus*, & *erectionem tyrannorum in eiſdem dominiis*, & *diviſiones ſeu ſchiſmata* in eadem Eccleſia, & alia mala plurima, ſatis eſt notum. Hic etiam Ottho Magnus *duo ſchiſmata ſucceſſivè orta* in Romana Eccleſia, dum ageret in Gallia & Alemannia, cum ingenti exercitu ad urbem Romanam rediens, manu potenti ſuſtulit; & unum *in Capitolio* tunc fortiſſimo, & alium *in Caſtro novo ſancti Angeli*, quod tunc carcer *Theodorici* vocabatur, loco firmiſſimo, contendentes, tunc de Papatu prima facie cum machinis & aliis rebus bellicis expugnando cepit, & multorum nobilium ac potentum Romanorum eos foventium palatia in urbe deſtruxit, & multos eorum jugulavit, ſeu gladio interemit; ſicque ipſas Eccleſias ad unionem Deo ordinante perduxit. Et poſt longa tempora orto alio ſchiſmate in ipſa Eccleſia, iterum rediit ad urbem ipſam; & cauſa cognita utriuſque contendentis, & Clero per Concilio ſubitò convocato, & uno declarato Papa, alterum, ſcilicet Benedictum ſecundum, Saxoniam in exilium deportavit.

Cap. 11. p. 559. *Ecce quantus & qualis fuit iſte Auguſtus, qui tot laboribus & expenſis pro Reformatione unionis in ipſa Eccleſia ultrò ſe ſubmiſit, & fœliciter operatus eſt*; nam mali, inquietem aliis præparantes, cogendi ſunt ad pacem & ad bonum *Regiæ poteſtatis intereſt præcipuè, ut per eam mali coherceantur à malo, ut boni quietè inter malos vivant; ut ſacri Canones docent; ſed non intelligitur de alia poteſtate, quàm Imperiali, quæ omnes dignitates temporales excellit.* Hactenus Niemus.

Luitprandus 6. Hiſt. 6. p. 153. edit. Francof. 1584. De Otthone primo Imperatore, & Legatis ad eum miſſis, & qualiter Eccleſiam Romanam ac totam Italiam tyrannis liberavit, imperiique unctionem & inſignia cum juramento Iohannis Papæ non diu in fide permanſuri accepit. De Romanorum, de dicti Papæ ſacrilegiis, inceſtis & ſtupris, & aliis flagitiis querimonia; & Papæ ficta promiſſione, de emendanda vita, & acri Imperatoris in eum recriminatione; & ejus, hoc eſt Papæ obſtinatione, qui Adelbertum recepit; de utriuſque ejectione, & Synodo Romæ celebrata,

Prædictæ Epiſtolæ aut admonitioni erat adjectum hoc Caroli dictum, quod etiam ſupra prolixius recitavi.

SAcrorum quoque Canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, adſenſum ordini Eccleſiaſtico præbemus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & populi *ſecundum Statuta Canonum de propria diœceſi, remota perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur,*

ut

ut exemplo & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant. Præcipimus etiam omnibus ditioni nostræ subjectis, ut nullus privilegia Ecclesiarum, Monasteriorum, aut Ecclesias diripere pertentet. Quia sicut à sanctis Patribus instructi sumus, gravissimum peccatum hoc esse dinoscitur, &c.

MVlta hine, Christiane Lector, discere potes. Primùm, ad quem pertineat jus electionis Episcopi & Archiepiscopi, nempe ad Clerum & Plebem sui loci: quia, ut præclarè Hincmarus, cujus aliquot scripta superius recitata sunt, dicit ac probat, *ab omnibus eligi debet, cui omnes obedire debent*. At nunc vel pauci Canonici, quem volunt eligunt; vel Papa, cui ipsi libet de ea Ecclesia (ut ipsi loquuntur) providet, aut potius, ut precium quoddam suum eam vendit, aut propter aliqua famulicia, vel etiam turpia obsequia donat. *Secundò*, cujus fuerit olim ordinare & confirmare Episcopos: nempe Archiepiscopus & Cæsar confirmabat & ordinabat alios Episcopos, Archiepiscopum verò Cæsar & omnes ad eam Metropolim pertinentes Episcopi. At nunc Papa solus omnes Episcopos & Archiepiscopos confirmat, ejusque tantum jussu ordinantur. *Tertiò*, cui olim soliti sunt Episcopi promittere obedientiam, nempe sacris literis, Canonibus, Cæsari, & suo Archiepiscopo. At nunc Papæ se gravissimis diris ac juramentis ita adstringunt, ut magis ipsi quàm quædam mancipia obligati sint, sicut Sylvius scribit: Quod etiamsi vera Episcopus contra Papam dicat, tamen juramentum suum violet. *Deniq;* & ipsa forma promissionis & mandati Episcopo aut Sacerdoti olim propositi, ita olim fuit directa, ut tantum in rectè pascendo verbi Dei, gregem Domini occupari deberent. At nunc ad alias nugas & superstitiones ordinatur.

Atque hic quidem status ac libertas olim fuit Ecclesiæ. At nunc & omnes Papæ subjectæ sunt, & tam duris juramentis omnes eorum Episcopi Papæ obstricti, ut Sylvius, seu Impius secundus, in quadam Epistola scribat, *etiamsi vera contra Papam Episcopus dicat, facere eum nihilominus contra juramentum suum*. Quare anno 1523. in Comitiis Norimbergensibus, cum status Imperii à Papæ Adriani Legato peterent, ut Concilium ejusmodi celebraretur, in quo juramenta, quibus Episcopi Papis obstricti sunt, eis relaxarentur; respondit Legatus, *id nihil aliud esse quàm Papæ manus ligare*. Vnde clarè potes Christiane frater perspicere, qualiter liberum Concilium Papa orbi Christiano dare velit; nempe ita, ubi Episcopi quidem sint tam duris & arctis juramentorum vinculis constricti, ut etiam verum eis dicere non liceat; Papa verò manus ita habeat liberas, ut omnia pro libitu sursum ac deorsum agere ac ferre, volvere ac turbare possit. Nihil autem te, Christiane Lector, movere debet, quòd hæc monumenta non omnia de eodem homine aut loco scripta sunt. Nihil enim id refert, cum similiter eum de omnibus scribere esse solitum clarum sit, nec de eodem agentia haberi omnia potuerunt. Verùm illud optandum fuisset, nos talia scripta adhuc vetustiorum Episcoporum habere posse. Semper enim res in pejus ruerunt; quantoque hæc

nostris corruptissimis temporibus & abusibus meliora sunt, tanto alia vetustiora hisce fuere meliora.

Luitprand. l.6. c.6. p. 153. *Regnantibus, imò sævientibus in Italia*, (pergit Luitprandus) *& ut veriùs fateamur, tyrannidem exercentibus*, Berengario atq; Adelberto; Ioannes, *summus Pontifex & universalis Papa, cujus tunc Ecclesia supradictorum Berengarii atque Adalberti sævitiam erat experta, Legatos sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Iohannem videlicet Cardinalem Diaconum, & Azonem Scrinarium, Serenissimo atque Piissimo tunc Regi, nunc Augusto Cæsari* Otthoni *destinavit, suppliciter literis & Regum signis orans, quatenus pro Dei amore, sanctorumq; Apostolorum Petri & Pauli, quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se sibiq; commissam sanctam Romanam Ecclesiam ex suorum hostium faucibus liberaret, ac saluti ac libertati pristinæ restitueret. Hæc dum* Romani Legati *conqueruntur, vir venerabilis* VValbertus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, *semivivus ex prædictorum rabie, Berengarii atq; Adalberti, liberatus, superius memorati Otthonis potentiam adiit, indicans se non posse pati Berengarii Adalbertiq;, nec non Willæ sævitiam, quæ Manassem Arelatensem Episcopum contra jus fasq; Mediolanensis Ecclesiæ sedi præfecerat. Ajebat sanè hanc Ecclesiæ suæ calamitatem, quæ, quod se suosq; capere oporteret, interciperet.* Sed VValdo Cumanus Episcopus, *hunc pone est secutus, non disparem à Berengario atq; Adalberto & Willa, quàm Walbertum, contumeliam se esse perpessum clamitans. Venerant* & nonnulli alterius ordinis ex Italia viri, *inter quos* Illustris Marchio Otbertus, *cum Apostolicis cucurrerat Nunciis, à sanctissimo Otthone tunc Rege, ut dixi, nunc Augusto Cæsare, consilium auxiliumq; expete..s. Horum itaq;* Rex piissimus, *lachrymosis questibus inclinatus, non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi cogitans, filium suum sibi cognominem, contra morem puerilibus in annis Regem constitutum, in Saxonia dereliquit; ipse collectis copiis* in Italiam *percitus* venit. *Qui tanto* Berengarium atque Adalbertum *celerius regno expulit, quanto evidentius constat, quòd commilitones Petrum & Paulum sanctissimos Apostolos habuit. Bonus itaque Rex dispersa colligens, & confracta consolidans, quod cuique proprium fuit restituit. Dehinc* Romam *similia facturus*

Pag. 154. adiit, *ubi miro ornatu miroq; apparatu susceptus ab eodem summo Pontifice & universali* Papa Ioanne, unctionem suscepit Imperii; *cui non solum propria restituit, verùm etiam ingentibus gemmarum, auri & argenti muneribus ipsum honoravit.* Iusjurandum *verò ab eodem Papa Ioanne supra pretiosissimum corpus Petri atq; omnibus civitatis Proceribus, se nunquam Berengario atq; Adalberto auxiliaturum, accepit. Posthæc in patriam* (Papiam) *properanter repedavit. Interea præfatus* Papa juramenti & promissionis oblitus, *quā fecerat sancto Imperatori*, ad Adalbertum, *ut se adeat*, mittit; *juramento ei affirmans, se illum* contra sanctissimi Imperatoris potentiā *adjuturum. Adeò enim eundem* Adalbertum *Ecclesiarum Dei, ejusdemq; Papæ Ioannis persecutorem Imperator sanctus terruerat, ut omnem Italiam deserens, Franxinetum adiret, seq; Saracenorum fidei commendaret. Imperator autem justus, qui cur Adalbertum Ioannes Papa, quem prius vehementi odio insequebatur nunc diligeret, satis mirari non potuit, accersitis quibusdam familiaribus,*

bus, an hoc verum esset, *Romam dirigit percontatum. Quumq; illo iidem Nuncii pervenissent, hujusmodi non à quibuslibet aut paucis, sed ab omnibus Romanis civibus responsa suscipiunt.* Non dispar videtur ratio, cur Ioannes Papa sanctissimum Imperatorem, suum scilicet ex Adalberti manibus liberatorem, & Diabolus oderit Creatorem. Imperator, quemadmodum re ipsa experti sumus, ea quæ Dei sunt sapit, operatur, diligit, Ecclesiastica & secularia negotia armis tutatur, moribus ornat, legibus emendat. Ioannes Papa his omnibus adversatur. Non clam est populo, quod fatemur. Testis est Rainera sui ipsius militis vidua, quam cæco captus igne, multis præfectam urbibus, sacrosanctis beati Petri donavit aureis crucibus atque calicibus. Testis est Stephana ejus amica, quæ in effusione, quod ex eo conceperat, recens hominem exhibuit. Quod si cuncta taceant, Lateranense palatium Sanctorum quondam hospitium, nunc prostibulum meretricum, non silebit amicam conjugem Stephanæ patris concubinæ sororem. Testis omnium gentium, præterquam Romanorum, absentia mulierum, quæ sanctorum Apostolorum limina orandi gratia timent visere, quum nonnullas, ante dies paucos, hunc audierint conjugatas, virgines, viduas, vi oppressisse. Testes sunt sanctæ Apostolorum Ecclesiæ, quæ non stillatim pluviam, sed totum intrinsecus supra ipsa etiam sacrosancta altaria imbrem admittunt. Quanta nos terrore tigna afficiunt, quum divinam opem eodem deposcimus? Mors in tectis regnat, quæ nos orare multa volentes impedit, atque domum Domini mox linquere cogit. Testes sunt non solum juncearum curatura, sed & quotidianarum formarum mulieres. Cui eædem sunt, & silicem pedibus quæ conterunt atrum, & quæ magnorum subvehuntur adjutorio jumentorum. Atque hoc rei est, quod tanta ei cum Imperatore sancto discordia est, lupis & agnis quanta sortitio obtigit. Illi hoc ut impunè liceat, Adalbertum sibi tutorem & defensorem parat. *Hæc dum à redeuntibus Nunciis Imperator audiret:* Puer, *inquit*, est: facilè bonorum immutabitur exemplo virorum. *Spero eum objurgatione honesta, suasione liberari, facilè ex illis sese emersurum malis: dicemusq; tunc cum Propheta.* Hæc est immutatio dexteræ excelsi. *Et adjecit*: Quod prius rerum ordo deposcit, Berengarium in Feratrato monte resistentem propulsemus; dein' paterna abdicatione dominum Papã conveniamus, ut si non voluntate, verecundia saltem in virum perfectum sese mutet; sicq; forsitan devictus, benè consuescere studebit, his desuescere. *His expletis, Papia navim cõscendit, ac per Eridani alveum Ravennam usq; pervenit, indeq; proveniens* montem Feretratum, *quod oppidum sancti Leonis dicitur, in quo Berengarius & Willa erant*, obsedit. *Quò & præfatus Papa Leonem venerabilem sanctæ Romanæ Ecclesiæ tunc protoscrinarium, nunc in eadem sede beati Petri & Pauli Apostolorũ Vicarium, necnon & Demetrium optimatem Romanorum illustrissimum, sancto Imperatori Nuncios dirigit, mandans*, Haud mirum esse, si hactenus juventutis igne devictus, quid puerile gesserit: jam tempus instare, quum alieno cuperet vivere more. *Mandavit etiam dolosè, quòd quen-*

Romanorũ responsum Nuntiis Othonis datum.

quendam Leonem Episcopum, & Ioannem Diaconum Cardinalem, suos infideles, suscepisset, & quod sanctus Imperator promissionis suæ fidem violaret, dum eos qui eò loci manebant, juramento non ipsi, sed sibi astringeret. Quibus Imperator pro correctione, *inquit*, ac morum immutatione, quam promittit, gratias ago. De promissis verò fidem mutare, cujus me arguit, an verum sit, ipsi perpendite. Omnem terram sancti Petri, quæ nostræ potestati subjecta est, Ecclesiæ promisimus reddere, atque id rei est, quòd ex hac munitione Berengarium cum omni familia pellere laboramus. Quo enim pacto terram hanc ei reddere possumus, si non prius eam ex violentorum manibus ereptam, potestati nostræ subdamus? Deonem Episcopum, & Ioannem Cardinalem Diaconum, suos infideles, quos nos suscepisse accusat, his temporibus non vidimus, nedum suscepimus. Constantinopolim enim domino Papa eos ad injuriam nostram proficiscentes dirigente, Capuæ, ut audimus, sunt capti. Quibus cum etiam Salecum natione Bulgarum, educatione Hungarum, domini Papæ familiarissimum, & Zachæum virum reprobatum, divinarum atque humanarum inscium literarum, à domino Papa Episcopum noviter consecratum, & Hungaris ad prædicandum, ut super nos irruant, destinatum, eodem captos esse loco audivimus. Hæc dominum Papam nullis narrantibus fecisse crederemus, nisi literæ fidem admitterent, quæ plumbo signatæ, ejus nominis characteres monstrant. *His expletis*, Landohardum *à Saxonia Numendensem*, & Luitprandum *ab Italia Cremonensem*, Episcopos, *cum præfatis nunciis Romam dirigit, Domino Papæ se inculpabilem esse satisfacturos. Quorum etiam militibus hoc Imperator justus imposuit, ut si secus Dominus Papa non crederet*, duello *verum esse approbarent. Præfati igitur* Landohardus & Luitprandus Episcopi, *Romam ante Domini Papæ præsentiam venientes, tanto sunt in honore suscepti, ut non eos lateret, quanto Sanctum Imperatorem tædio fastidiret. Ordinatim tamen, pro ut eis injunctum fuerat, enarrantes, non juramento, non duello satisfactionem Papa, recipere voluit. Sed in eadem, qua fuerat, duritia permansit. Subdolè tamen post dies octo* Ioannem Episcopum Narniensem, & Benedictum Cardinalem Diaconum, *cum istis Domino Imperatori destinavit, putans hunc suis posse deludere versutiis, cui nimis est verba dare difficile. Ante quorum reditum* Adalbertus *invitante Papa à Fraxineto rediens, Centumellas advenit; deinde Romam profectus, non ut debuit, repudiatus, sed à Papa honorificè est susceptus. Hæc dum aguntur, Phœbi radiis grave cancri sydus inæstuans*, Imperatorem Romanis arcibus propellebat; *sed quum virginale sydus gratam rediens temperiem ferret, collectis copiis*, clàm *Romanis invitantibus*, Romam advenit. *Quid* clàm *dixerim, cum major Romanorum pars optimatum, sancti Pauli castellum invaserit, sanctumq; Imp. obsidibus etiam datis invitaverit? Quid multis morer? juxta urbem Imp. castrametatus est.* Roma, Papa *simul atq;* Adalbertus aufugiunt. *Cives verò sanctum Imperatorem cum suis omnibus in urbem suscipiunt, fidelitatemq; promittunt, hæc addentes, & firmiter jurantes* nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos præter consensum atque electionem

Pag. 255.

Domini

Domini Imperatoris Otthonis Cæſaris Auguſti filijq; ipſius Regis Otthonis. *Poſt triduum, rogantibus tam Romanis Epiſcopis quàm plebe, magnus in ſancti Petri Ecclesia fit conventus*; *ſederuntq;* cum Imperatore Archiepiſcopi, ab Italia pro Engelfrido Aquileienenſi Patriarcha, quem *in eadem urbe, languor repente, ut fit, ortus arripuerat*, Rodolphus diaconus, VValbertus Mediolanenſis, Petrus Ravennas; à *Saxonia* Adeltac Archiepiſcopus, & Landohardus Epiſcopus Numendenſis; à *Francia*, Orgerius Epiſcopus Spirenſis, Bubtus Parmenſis; *ab Italia*, Luitprandus Cremonenſis, Hermenaldus Regienſis; *à Thuſcia*, Conradus Lucenſis, Everarius Aricienſis, Piſanus, Senenſis, Florentius Peſtruenſis, Petrus Camerienſis Spoletinus Romanus, Gregorius Albanenſis Spoletinus, Sico Hoſtienſis, Benedictus Portuenſis, Lucidus Canenſis, Theophilactus Præneſtinus, Vuido Sylvæ candidæ, Leo Velitrienſis, Sicoblebenſis, Stephanus Serenſis, Ioannes Nepeſinus, Ioannes Tiburtinus, Ioannes Foroclудenſis, Romanus Ferentinenſis, Ioannes Normenſis, Ioannes Berucenſis, Martinus Sutridus, Ioannes Narnienſis, Ioannes Sapinienſis, Ioannes Gallacenſis, Phalarenſis, Alarerenſis, Ortanus, Ioannes Anagnienſis, Trebenſis Salibatinus, Tarraconenſis, Stephanus Cardinalis Archipresbyter titulo Balbinæ Dominicus titulo Anaſtaſiæ, Petrus titulo Damaſi, Theophylactus titulo Chryſogoni, Ioannes titulo Equitij, Ioannes titulo Suſannæ, Petrus titulo Pammachij, Adrianus titulo Calixti, Ioannes titulo Cæciliæ, Adrianus titulo Luciniæ, Benedictus titulo Sixti, titulo quatuor coronatorum, Stephanus titulo Sabinæ, Benedictus Cardinalis archidiaconus, Ioannes diaconus, Bonofilius diaconus Cardinalis primicerius, Georgius ſecundicerius, Stephanus adminiculator, Andreas arcarius, Sergius primicerius defenſorum, Ioannes ſacellarius, Stephanus, Theophylactus, Adrianus, Stephanus, Benedictus, Azo, Adrianus, Romanus Leo, Benedictus: item Leo & Leo ſcrinarii, Leo primicerius ſcholæ cantorum, Benedictus ſubdiaconus & oblationarius, Azo, Benedictus, Demetrius, Ioannes Amicus, Sergius, Benedictus, Vrſo, Ioannes, Benedictus ſubdiaconus ſubpulmentarius, & Stephanus archiacolytus, cum omnibus acolytis & regionariis. Ex primatib. Romanæ civitatis: Stephanus filius Ioannis ſuperiſta, Demetrius Melioſi, Creſcentius caballi marmorei, Ioannes cognomento Nuzina, Stephanus de Muza, Theodorus de Rufina, Ioannes de primicerio, Leo de Camirzuli, Richardus, Petrus de Canaparia, Benedictus cum Bulgamino filio ſuo. *Ex plebe*, Petrus, *qui & imperiola eſt dictus, aſtitit, cum omni Romanorum militia.* *pag. 156.*

Quæ acta ſint in Concilio contra Ioannem Romanum Pontificem, in quem moderato animo & maturo conſilio proceſſit Ottho, & quæ illi flagitia objecta ſint à congregatis in Concilio, enormia certè, & vix credibilia etiam in ſicario aut pagano. *Luitpr. lib. 6. c. 7. p. 156.*

HIs *itaq; reſidentibus, ſilentiumq; ſummum tenentibus, ita ſanctus eſt* Imperator *exorſus* Quoniam decorum eſſet, tam claro ſanctoq; dominum Papam Ioannem intereſſe concilio, cur tantum declinaverit cœtum, vos O ſancti Pa- *Acta Synodi Romanæ adverſus Pontificem,*

tres consulimus, quibus communis labor Ecclesiasticus ac commune negocium existit. *Tunc Romani Pontifices & Cardinales, presbyteri ac diaconi, cum universa plebe dixerunt*: Miratur sanctissimam prudentiam vestram nos hoc velle percontari, quod nec Hibericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas latet. Non hic iam de illis est, qui veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces; ita apertè sævit, ita a parte diabolica pertractat negocia, ut nihil circuitionis utatur. *Imperator respondit*: Iustum nobis videtur, ut accusationes nominatim exprimantur, deinde quod agendum est communi consilio pertractetur. *Tunc consurgens* Petrus Cardinalis presbyter, *se vidisse illum* Missam celebrasse, & non communicasse, *testatus est*. Ioannes Episcopus Narniensis, & Ioannes Cardinalis diaconus, *se vidisse illum* diaconum ordinasse in equorum stabulo, non certis temporibus, *sunt professi*. Benedictus cum cæteris condiaconis & presbyteris, *dixit se scire quòd* ordinationes Episcoporum precio faceret, *& quod* annorum decem Episcopum in Tudertina civitate ordinaret. *De* sacrilegio *non esse necesse percontari dixit; quia plus videndo, quam audiendo scire potuissemus. De* adulterio *dixerunt, quod oculis non viderant, sed pro certò scirent*, viduam Raineri, *&* Stephanam patris concubinam, *&* Annam viduam cum nepte sua *abusum esse*, *& sanctum palatium* lupanar & prostibulum *fecisse*; venationem *dixerunt publicè exercuisse*; Benedictum *spiritualem patrem suum* lumine privasse, *& mox mortuum esse*; Ioannem Cardinalem subdiaconum virilibus amputatis occidisse; incendia fecisse; ense accinctum, galea & lorica indutum fuisse, *testati sunt*; Diaboli in amorem vinum bibisse, *omnes tam Clerici quàm laici acclamarunt. In* ludo aleæ, Iovis, Veneris, cæterorumq; dæmonum auxilium poposcisse *dixerunt*. Matutinas & canonicas horas *eum non celebrasse*, *nec signo crucis se munivisse*, *professi sunt. His auditis*, Imperator, *quia Romani ejus loquelam propriam, id est, Saxonicam intelligere nequibant*, Luithbrando Cremonensi Episcopo *præcepit, ut Latino sermone hæc Romanis omnibus, quæ sequuntur, exprimeret. Surgens itaq; sic cœpit.*

Scelera Pontificis egregiè descripta.

cap. 8. p. 156. Inquisitio scelerum Papæ in judicio publico facta, Patrumq; contra eum attestatio.

PErsæpe contingit, & nobis expertis credimus, ut in dignitatibus constituti, invidorum infamia maculentur. Displicet bonus malis, quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei est, quod hanc in Papam accusationem, quam modò Benedictus Cardinalis diaconus legit, & nobiscum fecit, amphibolam retinemus; incerti utrum è zelo justitiæ, an impietatis livore proruperit. Vnde mihi indigno secundum concessæ dignitatis authoritatem omnes obtestor per Deum, quem fallere, etsi vult, nemo potest, sanctamq; ejus genitricem, intemeratam virginem Mariam, perque præciosissimum Apostolorum principis corpus, in cujus hæc recitantur Ecclesia, ut nulla in dominum Papam jaculentur convicia, quæ non sint ab ipso patrata, atque à viris probatissimis visa. *Tunc Episcopi, diaconi, Clerus, & cunctus Romanorum populus, quasi vir unus dixerunt*: Si non & quæ per Benedictum diaconum lecta sunt, hisque turbiora & ampliora Iohannes Papa indigna commisit facinora, non nos à peccatorum vinculis absolvat Apostolorum

Prin-

Princeps beatus Petrus, qui verbo cœlum indignis claudit, justis aperit; simus anathematis vinculo innodati, atque in die novissima in sinistra parte positi, cum eis qui dixerunt Domino Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quod si fidem nobis non adhibetis, exercitui domini Imperatoris saltem debetis credere, cui ante V. dies ense accinctus, clypeo, galea, lorica indutus occurrit solus Tyberis, qui interfluxit, ne sic ornatus ab exercitu caperetur, impedivit. *Mox sanctus Imperator dixit*: Tot sunt hujus rei testes, quot sunt nostro in exercitu bellatores. *Sancta synodus dixit*: Si placet sancto Imperatori, mittantur literæ domino Papæ, ut adveniat, seq; ex his omnibus purget. *Tunc eidem sunt literæ destinatæ.*

Diploma, sive exemplum *literarum* Imperatoriarum, authoritate Concilii ad Iohannem Papam missarum, quibus vitia à Concilio illi objecta summatim recitantur, cum humili obsecratione, ut ad se purgandum in concilium venire non recuset. *Epistola synodalis & citatoria ad Pontificem.*

SVmmo Pontifici & universali Papæ domino Ioanni, Ottho divinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, cum Archiepiscopis Liguriæ, Thusciæ, Saxoniæ, Franciæ in Domino S. Romam ob servitium Dei uenientes, dum filios vestros, Romanos scilicet Episcopos, Cardinales, presbyteros, diaconos, & universam plebem de vestra absentia percontaremur, ecquid causæ esset, quòd nos Ecclesiæ vestræ, vestriq; defensores videre noluissetis, talia de vobis, tamq; obscœna protulerunt, ut si de histrionibus dicerentur, nobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem vestram omnia lateant, quædam vobis sub brevitate describemus. Quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret unus: Noveritis itaq;, non à paucis, sed ab omnibus tam vestri quàm alterius ordinis, vos homicidij, periurii, sacrilegii, & ex propria cognatione, atq; ex duabus sororibus incestus crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, Diaboli vos in amorem vinum bibisse: in ludo aleæ, Iovis, Veneris, cæterorumq; dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaq; paternitatem vestram obnixè, venire, atque ex his omnibus vos purgare non dissimuletis. Si fortè vim temerariæ multitudinis formidatis juramento vobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum canonum sanctionem. Data VIII. Idus Novemb. *Lib. 6. c. 9. p. 157.*

De Iohannis Papæ *Apologetico*, id est, Responso, (ut author accepit; quum Apologiam potius, dicat, qua excommunicatos pronunciat, si ad novi Pontificis electionem processerint) Et de rescripto patrum in concilio ad eundem Papam, quod verbis sacris fulcitur. *Luit p. l. 6. c. 10. p. 157.*

HAnc Epistolam cum legisset, hujusmodi apologeticum scripsit. *Ioannes Episcopus servus servorum Dei, omnibus Episcopis, Nos audivimus dicere, quòd vos vultis alium Papam facere; si hæc facitis, excommunico vos de Deo omnipotenti, ut non habetis licentiam ullum ordinare, & Missam celebrare.* Quum hæc epistola in sancta synodo legeretur, advenerunt qui prius defuerant, & religiosi à Lotharingia, *Apologia Pontificis.* *Synodi responsio.*

Henricus Treverensis Archiepiscopus: ab Aemilia & Liguria, VVido Muziensis, Gezo Tertonensis, Sigulfus Placentinus; quorum consilio domino Papæ ita rescribunt. *Summo Pontifici & universali Papæ Domino Ioanni, Ottho divinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, sed & sancta synodus Romæ ob servitium Dei congregata in Domino Sal. Præterita synodo, quæ cælebrata est VIII. Idus* Novembris *literas vobis direximus, in quibus accusatorum vestrorum verba atque accusationis causæ continebantur. Rogavimus etiam eisdem literis magnitudinem vestram quemadmodum justum est. A vobis non quales temporis qualitas, sed inconsultorum vanitas exposcit hominum, literas accepimus. Non veniendi ad synodum rationabilis esse excusatio debuit. Sed & præsentes magnitudinis vestræ debuerunt nuncii interesse, qui aut ægritudinis, aut certe difficultatis causa satisfacerent, sanctam vos synodum declinasse. Est & aliud vestris in literis scriptum, quod non Episcopum, sed puerilem ineptiam scribere deceret.* Excommunicastis *enim* omnes, *ut non habeamus licentiam canendi Missas, ordinandi Ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ sedi constitueremus* Episcopum. *Ita enim scriptũ erat:* non habeatis licentiam ullum ordinare. *Nunc usq; putavimus, imò credimus, duo negativa unum facere dedicativum: nisi vestra autoritas priscorum sententias infirmaret autorum. Nos verò intentioni vestræ, non verbis respondeamus. Si ad synodum venire, & objecta purgare non differtis, autoritati vestræ proculdubiò obediemus. Sed si, quod absit, venire & objecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis quum præsertim vos venire nil impediat, non maris navigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo: tunc excommunicationem vestram parvipendemus, eam potius in vos retorquebimus, quoniam quidem iustè facere possumus. Iudas Domini nostri Iesu Christi proditor, imò venditor, cum cæteris prius ligandi atq; solvendi potestatem à Magistro in hæc verba acceperat:* Amen dico vobis, quæcunq; ligaveritis super terram, &c. *Quamdiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atq; solvere valuit: postquam verò cupiditatis veneno homicida factus, vitam occidere voluit, quem ligatum postea solvere atq; solutum ligare potuit, nisi se ipsum, quem infœlicissimo laqueo strangulavit? Data X. Calend. Decemb.* & missa per Adrianum Cardinalem presbyterum, & Benedictum Cardinalem Diaconum: qui quum ad Tyberim pervenissent, eum non invenerunt; pharetratus enim in campestria iam abierat. Nec quisquam erat, qui his, ubi ipse esset, indicare posset, quumq; eum invenire non possent, cum eisdem literis ad sanctam synodum, quæ tunc tertiò est habita, sunt reversi. Mox Imperator ait. *Expectavimus adventum eius, ut præsente eo, quod nobis egerit, quereremur. Verùm quoniam eum non affuturum certò scimus, quam perfidè nobiscum egerit, ut diligenter agnoscatis, etiam atq; etiam flagitamus.* Notum itaq; vobis facimus, *Archiepiscopis, presbyteris, diaconis, reliquoq; clero, nec non & comitibus, iudicibus, omniq; plebi, quod idem Ioannes Papa oppressus à Berengario atq; Adelberto rebellib. nostris, misit nobis in Saxoniam nuncios, rogans ut pro amore Dei in Italiam veniremus, & Ecclesiam S. Petri ac seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Nos vero adjuvante Deo, quantum fecerimus, non est necesse dicere, ut in præsentiarum videtis. Ereptus verò mea opera ex eorum manibus, & hono-*

& honori debito restitutus, obligatus juramenti & fidelitatis, quam mihi supra corpus S. Petri promisit, eundem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit, seditiones fecit, & videntibus nostris militibus dux belli factus, lorica & galea est indutus. Quid super hoc sancta synodus decernat, edicat. Ad hæc Romani Pontifices, reliquusq; clerus, & cunctus populus dixerunt: *Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum. Si corruptis moribus sibi soli & non cunctis obesset, quoquo modo tolerandus esset. Quot prius casti, hujus facti sunt immitatione incesti? Quot probi, hujus exemplo conversationis sunt reprobi? Petimus itaque magnitudinem imperii vestri, monstrum istud nulla virtute redemptum à vitiis, à sancta Romana Ecclesia pelli, aliumq; loco ejus constitui, qui nobis exemplo bonæ conversationis praeesse valeat, & prodesse sibi; rectè vivat, ac bene vivendi nobis exemplum præbeat.* Tunc Imp. *Placet*, inquit, *quod dicitis: nihilq; gratius nobis, quàm ut talis, qui huic sanctæ & universali sedi præponatur, inveniri possit.* *Synodi sententia adversus Papam, & Imperatoris autoritas.*

De Leonis protoscrinarii in summum Pontificem electione; & Iohannis depositi largitione, qua Romanos in cædem Imperatoris & novi papæ solicitavit. Sed Imperatore vincente, frustra conati sunt Leonis tamen indulgentia obsidibus remissis quum Imperator abesset meretricularum illecebris populus Romanus rursum Ioannem recipit: qui in Leonis asseclas mirè sævit, donec à diabolo enectus est. Post quem Romani Benedictum Papam declarant: sed Leoni sedes redditur, Benedicto exulante. *Leo succedit Ioanni Pontifex.*

HIs dictis, omnes una voce dixerunt. Leonem venerabilem sanctæ Romanæ Ecclesiæ protoscrinarium, virum approbatum, ad summum sacerdotij gradum nobis in pastorem eligimus, ut sit summus & universalis Papa Romanæ Ecclesiæ, reprobato ob improbos mores Ioanne apostata. Quum hoc omnes tertio dixissent, annuente Imp. nominatum Leonem ad Lateranense palatium, secundum consuetudinem cum laudibus ducunt, & certo tempore in Ecclesia sancti Petri ad summum sacerdotium sancta consecratione attollunt, & fideles se ei affuturos jurejurando promittunt. His ita gestis, sperans sanctissimus Imperator cum paucis Romæ se degere posse, ne consumeretur Romanus populus ob multitudinem exercitus, multis, ut redirent, licentiam dedit. Quumq; hoc Ioannes, qui dejectus est, Papa cognosceret, non ignorans quàm facilè Romanorum mentes pecunia posset corrumpere, clàm Romam mittit nuncios, beati Petri omniumq; Ecclesiarum pecuniam repromittentes, si super pium Imperatorem & dominum Leonem Papam irruerent, eosque impijssimè trucidarent. Quid multis morer? Romani quàm mox exercitus paucitate confisi, imò decepti, & pecuniæ promissione animati buccina concrepante super Imperatorem, ut eum occidant, festinare contendunt. Quibus Imperator super pontem Tyberis, quem Romani plaustris impeditum habebant, occurrit. Cuius fortes milites assuefacti bello, pectore & armis intrepidi, eos inter positiunt, & quasi accipitres avium multitudinem nullo resistente proterunt. Non latibula, *Luitpr. l. 6. c. 11. p. 159.* *Romanorum perfidia repressa.*

non corbes, non concava ligna, non cryptæ, ſordium receptacula, fugientibus tutelæ eſſe poſſunt. Occiduntur itaq; & ut aſſolet contingere viris fugientibus, paſſim à tergo vulnerantur. Quis tunc Romanorum cladis hujus ſuperſtes fieret, ſi non imp. ſanctus miſericordia, quæ eis nulla debebatur, inclinatus, ſuos adhuc interficere ſitientes retraheret & revocaret? Itaq; devictis omnibus, atq; iis qui ſupererant obſidib. acceptis venerabilis Papa Leo pedibus Imp. provolutus orat, ut Romanis obſides reddat, ſeq; eorum fidei commendet. Rogatu deniq; venerabilis Papæ Leonis, Imperator ſanctus Romanis obſides reddit, non incertus, quod proſecuturus ſum, incœpturos. Igitur Romanorum fidei eundem Papam, quemadmodum lupis agnum, commiſit. Deinde Roma exiens, Camerinum Spoletumq; verſus, ubi Adalbertum eſſe audierat, properavit. Interea mulieres, quibus cum Ioannes, qui dictus eſt Papa, voluntatis ſuæ, ludibrium exercebat, non ignobiles & plures concitaverunt Romanos, ut Leonem ſummum & univerſalem Papam à Deo & ipſis electum, perderent, & Ioannem in urbem ſuſciperent. Quod quum feciſſent, Deo miſerante, ex eorum manibus eſt venerabilis Papa Leo liberatus, paucisq; ipſum concomitantibus ad pijſſimi Imp. miſericordiam eſt profectus, Imperator deniq; ſanctus tantum dedecus ægrè ferens, tum ex domini Papæ Leonis dejectione, tum ex Io. Cardinali diacono, & Azone protoſcrinario (quorum alterum manu dextera, alterum lingua, duobus digitis naribusq; abſciſſis, Io. abdicatus defœdaverat) reparato exercitu, Romam redire diſpoſuit. Priuſquam tamen S. Imp. copiæ eſſent congregatæ, volens cunctis ſeculis innoteſcere Dominus, quàm juſtè eſſet Ioannes Papa à ſuis Epiſcopis & omni plebe repudiatus, quanquam poſtmodum injuſtè receptus, quadam nocte extra Romam, dum ſe cum cujuſdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeò à diabolo eſt percuſſus, ut intra dierum octo ſpacium eodem ſit vulnere mortuus. Sed Euchariſtiæ viaticum ipſius inſtinctu qui eum percuſſerat, non percepit: quemadmodum à ſuis cognatis & familiaribus, qui præſentes erant, perſæpe ſub atteſtatione audivimus. Quo mortuo, Romani omnes juramenti, quod ſancto Imperatori promiſerant immemores, Benedictum Cardinalem diaconum Papam conſtituunt; inſuper & juramento, nunquam ſe eum dimiſſuros, ſed eum contra Imperatoris potentiam defenſuros, promittunt. Quo audito, Imperat. urbem vallavit, neminem qui non membris truncaretur exire permiſit, machinis & fame uſq; adeò afflixit, donec Romanis nolentibus urbem reciperet, Leonem virum venerabilem debitæ ſedi reſtitueret, ac Benedictum ſummæ ſedis invaſorem eius præſentiæ præſentaret. Reſidentibus itaq; domino Leone ſummo & univerſali Papa in Eccleſia Lateranenſi, nec non & Imperat. ſanctiſſimo Otthone, & Epiſcopis Romanis Italicis, à Lotharingia & Saxonia Archiepiſcopis, presbyteris, diaconis, omniq; Romanorum plebe, quorum nomina ſuperius adſcribuntur; advenit *Benedictus Apoſtolicæ ſedis invaſor*, eorum qui ſe elegerant manibus adductus, Pontificialibus veſtibus indutus.

Ioannes Papa à Diabolo percuſſus.

indutus. Quem Benedictus Cardinalis Archidiaconus tali est sermone agressus: *Qua tibi autoritate, quâve lege, O invasor, hæc Pontificialia indumenta usurpasti, superstite hoc præsenti domino nostro venerabili Papa Leone: quem tu nobiscum, accusato & reprobato Ioanne, ad Apostolicatus culmen elegisti? Num inficiari potes, præsenti Domino Imperat. juramento promisisse, nunquam te cum cæteris Ro. Papam electurum, aut ordinaturum, absq; illius filiiq; sui Regis Otthonis consensu?* Benedictus respondit: *si quid peccavi, miseremini mei.* Tunc Imperator effusis lachrymis, quam misericors esset ostendens, rogavit synodum, *ne Benedicto praiudicium fieret. Si vellet & posset, ad interrogata responderet; quod si non posset, aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inveniret.* Quo audito, ad domini Leonis Papæ pedes, ipsiusq; Imp. idem Benedictus concitè procidens, *se peccasse, seq; S. Romanæ sedis invasorem esse acclamavit.* Post hæc pallium sibi abstulit, quod simul cum Pontificiali ferula, quam manu gestabat, Domino Papæ Leoni reddidit. Quam ferulam idem *Papa* fregit, & fractam populo ostendit. Deinde Benedictum in terra sedere præcepit, cui casulam quam planetam vocant, cum stola pariter abstulit. Post autem omnibus Episcopis dixit: *Benedictum sanctæ & Apostolicæ sedis Romanæ invasorem, omni Pontificatus & presbyteratus honore privamus. Ob eleemosynam verò domini Imperatoris Otthonis, cujus sumus opera in sedem debitam restituti, diaconatus eum ordinem habere permittimus: & non iam Romæ, sed in exilium destinamus.* Hactenus Luitbrandus.

Benedictus invasor sedis dejectus.

Hic Benedictus V. Hamburgum in exilium missus, ibiq; mortuus est. Sed clerici lucri causa mirabilem fabulam de ejus martyrio commenti sunt, colueruntq; eum pro confessore & martyre Hamburgi & Bremæ. Vide secundum Metropoleos Crantii, ubi illud vanissimum commentum prolixè refutat. Tales vanissimæ fabulæ proculdubio infinitæ in Papatu pro cœlesti veritate & oraculo coluntur. Totus enim Papatus ex mendaciis consutus atq; conflatus est.

* VVolfius Cent. 10 Lect. Memor. p. 259. seqq.

CXXXVIII. Reformatio Monachorum sub Othone I.

VErum non tantum Papas Ottho, sed & Monachos passim reformavit; nam ut Crantzius & Vrspergensis testantur, circa annum Do. 940. fuit ab Imperatore & aliis principib. inchoata gravissima quædam Monachorum reformatio, propterea quòd non tantum vulgares homines, sed & Episcopi offensi inutili turba otiosorum, inutilium, voluptatibusq; vacantium fucorum, judicaverunt & docuerunt, satius esse paucos viros bonos ali, quàm tam multos alios inutiles. Qua ratione multi ad secularem, ut vocant, vitam abjecta cuculla redierunt. Historia est apud Vrspergensem & Crantzium. Verùm ab eo tempore, Deus bone, quàm multa nova istorum fucorum, vel crabrorum potius, examina (novos ordines

dines ſectasq; puto monachorum (nata ſunt opinor amplius 50 & quantopere degenerarunt? At hoc tempore tale aliquid prorſus nephas haberetur tentare, cum ſatius eſſe ſtatuunt, monachos vel turpiſſimè in monaſterio vivere, quàm modeſtos ac ſobrios laicos in conjugio agere. Vtinam noſtra quoq; ſecula tales Otthones, impiorum Paparum & impurorum ſacrificorum, reformatores ferrent. Centuplo enim magis nunc, quàm olim, eſſent neceſſarii. Sed nunc, proh dolor, pleriq; potentes Principes Reges ac Monarchæ ſunt Antichriſti & ſacrificorum ejus mancipia, & piorum ac doctorum hominum crudeles perſecutores.

CXXXIX. Miſer Eccleſiæ ſtatus ſub Leone VII.

CIrca Annum Domini 940. accuſaverat Gerardus Epiſcopus Laurisheimenſis apud Leonem ſeptimum, Epiſcopos Bavaricos, de variis criminibus, quibus tum ſuam vitam contaminabant, tum Eccleſias Chriſti perdebant, De ea re ſcribit Papa epiſtolam, cujus ſummam ex Aventino recenſebo; quòd quales iam tum fuerint Epiſcopi, ſatis indicat. *Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Egilulpho Iuvanenſi, Eyſengrino Reginoburgenſi, Lamperto Fruxinenſi, Viſundo Sabonenſi, Starchando Aichſtetenſi, venerabilibus Epiſcopis, & cæteris per Bavariam commorantibus. &c.*

4. Annal. p. 381. 382.

Commemorat primo negligentiam horum, quam à Gerardo Alchymiſta Laurecenſi, cognoverit; deinde eosdem accuſat, arguit, increpat, quòd adulentur Magiſtratibus, aſſentandoq; Prætoribus, connivendo locupletibus, pietatem violent, religionem polluant, ſacram Philoſophiam prophanent, pacem Chriſtianam conturbent. Obiicit poſtea, quod inter eos ſit inexplebilis honorum cupido, certamen gloriæ & honoris, ſplendoris, cupidinis, atq; ambitio potentiæ, quæ, maximas inimicitias etiam inter amiciſſimos excitent. *Chriſtiani* (inquit) *in veſtris provinciis, autoribus Epiſcopis (qui canes muti ſunt, non valentes latrare, & ſpeculatores cæci) invicem imponunt, tenues opulenti fraudant, decipiunt, circumveniunt, fœnerant, poſcunt, paciſcuntur, auferunt, eripiunt; nemo pactione, dono, munere, xeniis abſtinet. In lites coitur, veneunt advocationes, veneunt etiam prævaricationes. Ex ſpoliis pauperum magni & ſtati reditus & gloriæ loco ſunt. Vltra modum ſumptu & magnificentia ne dicam luxu, ædificando, epulando, egregii ſanè Paſtores Chriſtiani gregis prodeunt. Graviſſimus ſolet eſſe morbus, qui à capite diffunditur, &c.*

* VVolfius Cent. 10. Lect. Memor. p. 257.

CXXXX. Leo IX.

Libertas loquendi Ludolphi, Archiep. Moguntini, erga Papam.

IN Vrſpergenſi, p. 230. legitur quòd ſub Henrico III. Leo IX. Papa venerit in Germaniam, an. 1050. ac Vvurmaciæ celebrante Lupoldo Moguntino Archiepiſcopo Miſſam, Diaconum quendam eius cantantem Evangelium, propterea quòd parum Romanè id faceret, nec juſſus deſiſtere vellet, exutum ſacerdotalibus veſti-

bus

bus degradaverit, ut ipſi loquuntur. Qua injuria ita commotum eſſe Archiepiſcopum, illa hiſtoria refert, ut ſub medium Miſſæ conſideret, negans eam ſe peracturum, aut quenquam alium id facere paſſurum, *niſi ſibi ſuus miniſter à Papa redderetur*, ſeu in priſtinam dignitatem reſtitueretur. Papamque Archiepiſcopi poſtulatione permotum, ei ceſſiſſe; ac indutum ſuis ornamentis Diaconum, priſtinæ dignitati reſtituiſſe, quandoquidem in ejus Diœceſi eſſent. Vnde apparet tum adhuc, non fuiſſe Epiſcopos alios tam adſtricta Papæ mancipia, ut jam ſunt; nec ſenſiſſe, Papam eſſe talem & tantum quendam Deum, cui ſtatim in omnibus parere ſit neceſſe, ut nunc Papiſtæ ſentiunt.

Circa idem tempus, ille idem Papa, unà cum prædicto Imperatore, & nonaginta duobus Epiſcopis, *Synodum Moguntiæ* celebraſſe dicitur; ibiq; ſtatutum eſſe, *ne Clerici canes vel aves ad venationem alerent, nevè ſecularia negocia & turpia lucra exercerent.* Item, ne quiſquam ante legitimam ætatem Monachus fieret: videntes nimirum multos præcipitari in illas impoſſibiles obligationes caſtitatis, antequam ſibi ipſi ſatis noti, rationisque compotes ſint.

CXLI. *Nicetas Pectoratus, Monachus Conſtantinopolitanus.*

NIcetas quidam Græcus, teſte Sigeberto, circa annum 1050. edito ſcripto defendit *Conjugium Sacerdotum.* Credo id eum propterea feciſſe, quod vidit tunc temporis Papas in id totos incumbere, ut Conjugium Sacerdotum abolerent. Sed ob hunc tam gravem errorem, ab Antichriſto tanquam hæreticus damnatus eſt. Scripſit contra eum Leo Papa, cujus ſcripti multa fragmenta paſſim in Decretis citantur, tametſi & alioqui inveniatur.

* Sigeb. ad A. 1053. p. 598.

CXLII. *Privilegia & Donationes.*

MAgnæ ſunt Diſputationes *de Privilegiis*, quæ vel *Pontificibus Cæſares* dederunt, vel contrà *Cæſaribus Papæ* reddiderunt, & de eo, *num Papa ſuper Cæſares ſit* aut contra. Primùm, *Donatio Conſtantini* ab omnibus intelligentibus ſine controverſia repudiatur, & veris argumentis refutatur; de qua alibi dictum eſt. Secundò, *Ludovici Pii Donatio*, de qua *diſtinctione* 63. habetur, proculdubio & ipſa eſt commentitia; quod evidenter probat Carolus Molinæus in ſuis Commentariis. Sed adſcribam ejus verba.

Caroli Molinæi ICti, judicium de Donationibus Papæ factis.

Cæterùm his quæ ſuprà dixi num. 72. non obſtat, quod Plat. in Bened. II. & poſt eum Sabell. Ennead. 8. lib. 6. Anton. tit. 13. c. 1. §. 5. ſcripſerunt, Conſtantinum IV. Imperatorem Conſtantinopolitanum, dicti Benedicti ſanctione permotum, ſtatuiſſe, ut quem deinceps Clerus, populus, exercitusque Romanus in Ponti-

ficem delegiſſet,ordinaretur,nulla Conſtantinopolitani Principis vel ItaliæExarchi expectata authoritate, ut antea fieri conſueverat (id enim ratum erat in creando Pontifice,quod Princeps confirmaſſet, vel qui ejus vices in Italia gerebat)tum quia ſanctitas Pontificis ſolito more inſtituti (præter id quod vix nota eſſe potuit ultra mare, cum dictus Benedictus vix decem menſes ſuperſtes fuerit) potius movere debuit ad obſervandum tam utilem & receptum morem, quàm ad illum infringendum: tum quia illud mutuati ſunt à bibliothecario, autore ſuſpecto, quippe qui ſcripta ſua conſarcinavit, ex quibuſvis apocryphis vel fictis ſcripturis in ſcriniis vel bibliothecis Papæ, quibus præerat, repertis, modò eſſent in domini ſui favorem: tum quia prætenſa illa conſtitutio Conſtantini (quam falſam puto) nunquam effectum ſortita fuit, ut expreſsè teſtatur Volaterranus Anthropolog. lib.22. Ex cujus verbis poteſt deprehendi, vel modico tempore ſervatam non fuiſſe: de quo ſatis conſtitit, paulò poſt Benedictum, in Canone apud Plat. Et per prædicta, minus etiam obſtat *cap. Ego Ludovicus. LXIII. diſtinct.* ubi dicitur, Ludovicum I. Paſchali jus eligendi & inſtituendi Romani Pontificis remiſiſſe. Hoc enim à ſuſpecto autore proceſſit, videlicet à præfato Bibliothecario,ut Plat. in Paſch. 1. Sab. Enne. 8. lib.9. Volaterr. Anthropolog. lib.22. teſtantur. Vt autem non eſt in favorem Paparum credendum Bibliothecario, potentatus eorum fautori, famuloque domeſtico; ita non eſt credendum Gratiano Monacho, qui & ipſe affectibus & ambitioni novorum ſui temporis Paparum, quantum potuit, favit; nec aliunde quàm à Bibliothecario dictum *cap. ego Ludovicus*, tranſſumpſit: & ſic nec aliis, qui tantum dicta ejuſdem Bibliothecarii recitant,nec aliunde ſciunt, nec examinant. Sed examinando veritas eluceſcit in contrarium; quia ut ſuprà num.77. idem Paſchalis à populo vi coactus, Pontificium munus obire ante habitam authoritatem Imperatoris, Legatos excuſatum & ad culpam non inficiandam, ſed in populum transferendam, miſit ad Ludovicum Pium, qui ut manſuetus erat, ſatisfactionem quidem accepit, ſed cum increpatione Cleri & Populi, & abjecto præcepto majorum inſtituta pactaque ſervandi, utque caverent, *ne deinceps ſimili exemplo Majeſtatem læderent*, ut expreſsè Platina & Sabellicus teſtantur. Quid autem magis contrarium aut repugnans eſt præfatæ & ſuſpectæ Bibliothecarii ſcripturæ? Certè vel ex hoc falſitatis convincitur; nec tamen etiam per ſe ſufficienti exemplo tantum, ſed etiam ex eo quòd tempore Eug. II. immediati dicti Paſchalis Succeſſoris, Ludovico Pio adhuc vivo, Lotharius I. filius ejus in Imperii conſortium aſſumptus, Romæ politiam ordinavit, & Magiſtratus inſtituit, ut ſuprà num. 78. & 112. Hoc autem fieri non potuiſſet, ſi Ludovicus Pius Romam ipſam, caput Imperii, Papæ dediſſet. Quid quòd Volaterr. Geograph. lib.3. prætenſam illam Ludovici donationem longè aliter & difformiter, quàm Gratian.in dict.cap. Ego, refert? ſed ex ſcriptura quadam apocrypha, quam in Bibliotheca Papæ ſeſe inveniſſe dicit. Et ſic illius Bibliothecæ ſcripturæ, unde tam Bibliothecarius quàm

Gratia-

Gratianus & Volaterranus ſumpſerunt, ſibi ipſis non conſtant; & non ſolum quòd domeſticæ, & è loco ſuſpecto, ſed ut variæ rejiciendæ ſunt; & multò magis ex eo, quòd fides hiſtoriæ repugnat per prædicta; tum ex eo, quod Volaterr. ibi Calabriam inferiorem & ſuperiorem, & Ducatum Neapolitanum includit, & alia quæ conſtat ex fœdere diviſionis inter Carolum Magnum & Imperatorem Conſtantinopolitanum factæ, Græcorum Imperio ceſſiſſe, & diu pluribusque ſeculis etiam poſt Francorum imperium in Germanos translatum uſque ad Gulielmum Ferrebach Normanum, Tancredi Galli Normani filium (qui è Neuſtria in Italiam trajicientes, regnum Apuliæ anno milleſimo ſeptimo, deinde Siciliæ, Sacerdotibus tamen Græcis relictis, occupaverunt) remanſiſſe: ut etiā ex hiſtoriis eorum qui tempore Caroli Magni, & deinceps vixerunt, & ſcripſerunt, liquet. Porrò nec verum, nec veriſimile eſt, quòd Ludovicus Pius *ea donaſſet, quæ non poterat, & nullo modo poſſidebat*, & quæ Pater ejus ex dicto fœdere, Græcorum imperio reliquerat. Quin ſicut Regnum Francorum alienare non poterat, ita nec Imperium & regiones Imperii Occidentalis (quæ ex dicta diviſione Carolo Magno & Succeſſoribus ſuis ceſſerant) & multò minus Romā caput Imperii: *Albericus in c.1. de ſu. tri. & l. bene à Zenone. C. de quadr. præſcript.* Et ſic donatio Ludovici, ſi qua fuit, eiſdem cauſis nulla eſſet, ex quibus prætenſa donatio Conſtantini Magni, quam Gloſ. & Doctores communiter, qui eam factam fuiſſe putant, tamen non valuiſſe concludunt, ut Gloſ. Accurſ. in auth. quomodo oporteat Epiſ. verb. conferens generi. coll. 1. Petri. in procem. Inſt. num. 11. cum ſeq. Signorol. de homedeis conſil. 26. ſentit. Bart. in procem. & Bal. de novo cod. in prin. tenet, quòd valere non potuit ſine conſenſu populi. Atqui prætenſæ donationi Ludovici populus Romanus nunquam, ſicut nec prætenſæ donationi Conſtantini Magni conſenſit, nec ſolum non apparet de conſenſu, ſed de diſſenſu conſtat, etiam per continuam populi Rom. reſiſtentiam tempore Eug. 3. Adr. 4. Alex. 3. Lucii 3. Vrba. 4. ut ſatis ſuprà. Tum nullus unquam Papa inventus eſt, qui ſe fundarit in prætenſa donatione Lud. de qua in d. c. *Ego Ludovicus*; nec qui eam unquam allegaverit. & licet Nic. 3. in c. fundamenta, de elect. in 6. fabulam illam Conſtantini Magni allegaverit, tamen non facit fundamentum in ea, ſed in verbis ſacræ Scripturæ, Phariſaico & Iudaico more ad terrenum regnum detortis, ut ibi patet, & ſuprà num. 36. Pariter Greg. VII. qui tanto molimine Imperium Germanorum aggreſſus eſt, & attrivit, nullo modo donationis cujusvis ab hominibus ſive à Conſtantino Magno, ſive à Ludovico Pio meminit (quæ tamen maximè in rem ſuam feciſſent, ſi quid veri aut veriſimilis habuiſſent) & omnino non omiſiſſet; ſed tantum nititur verbis Chriſti, ad regnum & Imperium totius orbis malè detortis. Sic & Benedictus XII. contra Ludovicum Bavarum Imperatorem, non alio titulo Mediolani & aliis urbibus Imperii Vicarios nomine ſuo inſtituit (quibuſdam etiam vectigal impoſuit) quàm vel unicus Chriſti Vicarius in terris, hoc eſt, etiam in terreno totius orbis Im-

perio. Et ante eum Benedictus II. eodem modo novos magistratus Florentiæ constituit, ut apud Plat.

Præterea adhuc vivo Ludovico Pio, & biennio ante ejus obitum, Greg. IV. electus, nunquam novit inire Pontificatum, nisi prius sua electione ab Imperatore legatísve suis ad hoc destinatis diligenter examinata & confirmata, ut omnes testantur, & addit Plat. quòd Præfatus Ludovicus hoc non faciebat ex superbia, sed ne jura Imperii amitteret. Ergo falsum est, illum prius ea remisisse Paschali, ut ex Bibliothecario refert Grat. & alii. Quia Greg. IV. posterior est, & tertius à Paschali I. & idem Ludovicus Pius adhuc vivebat: & recens adhuc fuisset memoria dicti prætensi pacti inter Ludovicum & Paschalem, si quòd tale fuisset. Nullus autem Paschalis Papa fuit ante illum primum, Ludovici I. authoritate confirmatum, nec alius secutus est, nisi ferè post trecentos annos. Iam ergo non minus manifesta est vanitas & impostura dictæ prætensæ donationis, de qua in d.c. Ego Ludovicus. quàm famosæ illius fabulæ Constant. Magni, necnon prædictæ donationis vel remissionis Constantini IV. prout etiam nunquam habuerunt effectum; nec leguntur Papæ acceptasse, vel usi fuisse, sed aliis sibi efficacioribus præstigiis, terrificisq; & pertinacibus censuris & seditionibus ad contemnendum imperia & regna concitatis. Hæc Molinæus.

Idem sanè historia pro appendice Eutropio adjuncta, quam alibi n. 102. in hoc opere posui, testatur; nempe Ludovicum continuisse sibi suum jus integrè. Verùm postquam refutata sunt falsa Privilegia, vera adscribemus ex *Theodorico Niemio*, qui multorum Paparum intimus Scriba ac Secretarius fuit, qui etiam prolixis Commentariis ea illustravit, quæ apud me manuscripta habeo; de authore autem hoc postea plura.

TEmpore ex quo Longobardi intraverunt Romam, quam obsederunt & cœperunt, Italicũ verò Regnum invaserunt, & XII. annos absq; Rege detinuerunt. Itaq; ex ipsis Regem constituere, & prævaluere usq; ad Carolum Regem, qui Desiderium cœpit Regem Longobardorum in Papia, post longam obsidionem; cujus filius Adelchis fugam cœpit in maritimis, hucusq; Legati Constantinopolitanæ urbis Romæ Italiæq; commorantes, detinebant oppida, & tributa colligebant, & ærario Augusti Neapolitan. deferebant, Romanam & alias Ecclesias Italiæ non defendebant. Cumque expulsi sunt à gente Longobardorum, ipsiq; Longobardi usq; ad Carolum Regem regna detinuerunt. Accidit verò, quòd Limprandus Rex Longobardorum Ravennam obsedit, & captam destruxit. Exarchatus verò Ravennæ cum Ravennis Romam petierunt, & Constantinopolim direxerunt.

Post hoc autem Astulphus Rex Longobardorum exarchatum Ravennæ, & exarchatum Hystriæ, seu Ducatum Ferrariæ invasit, & Faventiam & Cesenam tulit de Romana Ecclesia. Tum temporis Stephanus Papa iste transtulit imperium de Græcis in Germanos, in personam dicti Caroli, qui fuit in Germania natus, educatus,

catus, mortuus & ſepultus. Pro tanta perſecutione Legatos miſit ad Germaniam Carolo Regi Francorum , rogans ut prædia Romanæ Eccleſiæ defenderet pro amore beati Petri. Iſte verò Carolus pietate motus, Aſtulpho Regi ſæpius Legatos miſit, nihilque perfecit. Aſtulphus tamen omnia bona Eccleſiæ Romanæ ablata ei, reſtitui mandavit. Et ſatisfacere ſe in omnibus promiſit: ſed nihil horum obſervavit poſt mortem Aſtulphi Regis, Deſiderius.

Hujus filiam dictus Carolus habuit in uxorem: quâ defunctâ, contraxit matrimonium cum quadam filia Ducis Sueviæ in Germania, quæ mater Pii Ludovici, filii ejuſdem Caroli, & qui ei in imperio immediatè ſucceſſit, regnumque obtinuit, & res Eccleſiæ nihilominus invaſit: ad quem etiam Carolus Rex ſæpè Legatos miſit ejuſdem Regis. Ipſe verò Deſiderius Rex bona reddere Eccleſiæ, illaque relinquere velle promiſit, & nihil profecit. Itaque iſtis temporibus Adrianus Papa, qui dicto Stephano ſucceſſit in Papatu , ipſi Carolo Legatos miſit: & ut Romam veniret ad defendendum res Eccleſiæ, poſtulavit. Iſte Carolus fuit natus in regali palatio, in oppido Imperiali Ingenheim, Moguntinæ diœceſis, ſuper flumine Rheni conſiſtente: in quo Carolus quartus Pater moderni Regis Romanorum, Domini Sigiſmundi , ad honorem ipſius Caroli primi Regis , dictum palatium tranſtulit in cœnobium Canonicorum regularium nationis Bohemiæ, qui pauci numero ſunt, & Domino famulantur ibidem. Hujus autem Caroli primi mater vocabatur Erberta, de regali ſtirpe de Græcia oriunda. Carolus vero Rex ingreſſus Italiam, Papiam obſedit: & relinquens ibi exercitum, Romam tetendit, ad diem ſolennem reſurrectionis ſanctæ; ibique honorificè ſuſceptus eſt à beato Adriano Papa: & à cunctis etiam ordinibus Romanis, in laudibus etiam ei acclamantibus Carolo perpetuo ſemper Auguſto à Deo vitam & victoriam.

Poſt diem verò reſurrectionis reverſus Papiam cœpit Deſiderium Regem, & duxit in captivitatem. Poſt hæc reverſus eſt ad Romam, ubi conſtituta eſt ſancta Synodus à beato Adriano Papa in Patriarchio Lateranenſi , videlicet in Eccleſia ſancti Salvatoris, quæ reverendiſſimè celebrata eſt à centum & quinquaginta tribus viris religioſis, Epiſcopis & Abbatibus judicibus etiam & legis Doctoribus ab univerſis regionibus & ordinibus hujus almæ urbis, à cuncto etiam Clero hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: exquirentes uſus leges & mores ejuſdem Eccleſiæ & imperii, quemadmodum etiam hæreſes & ſeditiones aboleri poſſent , de Apoſtolica ſede & dignitate Patriciatus , & Romano imperio, ex quibus omnibus nimius error creſcebat in univerſo orbe. Populus itaque Romanus legem condebat more ſolito, ſed difficile erat pro unoquoque negotio totiens in unum congregari; unde ſua in jus & poteſtatem Imperatori conceſſerunt, quemadmodum legitur. Populus itaque Romanus conceſſit ei, & in eum tranſtulit omne jus ſuum, & poteſtatem.

Nota qualiter Adrianus Papa cum Clero & populo & univerſa ſancta Synodo,

nodo, concessit eidem Carolo Regi jus eligendi summum Pontificem, ut habetur 53. dist. Adrianus, & illud Privilegium renovatur & confirmatur per Papam & Cardinales & populum Romanum, ac generale Concilium, in personam Otthonis primi magni Augusti, suosque Successores in Romano imperio, in perpetuum, ut sequitur inferius.

Ad eorum autem exemplum præfatus quoque Adrianus Papa, cum omni Clero & populo, ac universa sancta Synodo, concessit Carolo Augusto omne suum jus & potestatam eligendi summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatemque Patriciatus, insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas Provincias ab eo accipere Investituras diffinivit. Post hoc verò * consecrationem accipiant, unde pertineat, unde tamen abolita sit veterum scientia, moresque in posterum, quatenus nemo per cognationem vel amicitiam, aut per pecuniarum acceptionem sibi eligat Episcopum, sed soli Regi Romanorum hujusmodi reverentiæ tribuatur facultas. Veruntamen si ab universo Clero & cuncto populo aliqua præsumptione Religionis causa eligatur Episcopus, nisi à Rege laudetur & investiatur, à nemine consecratur.

Ex hoc ipso toto prolatis sententiis ab universis qui in hac sancta Synodo congregati fuerunt, In nomine sanctę Trinitatis, Adrianus Papa pro omnibus hoc concessit, laudavit, & affirmando constituit. Ad hoc etiam totum roborandum decrevit, ut si quis post hæc contra hanc sanctam Synodum temerator repertus fuerit, sive contra hoc totum quod prædiximus repugnaverit, cujuscunque sit gradus, ordinis vel officii, aut dignitatis, vel generis, sciat se in iram beati Petri Principis Apostolorum, & omnium Sanctorum & prædecessorum nostrorum casurum & anathematis vinculo damnatum perpetualiter victurum excommunicatione quoque universalis Ecclesiæ & cuncti populi Christiani emersurum. Insuper nisi à malo resipuerit, irrevocabili exilio prematur, vel ultimis suppliciis feriatur, & bona ejus publicentur. Qui verò pro intuitu custos horum & observator in omnibus extiterit, benedictionis gratiam vitamque æternam cum omnibus sanctis suis sine fine habere mereatur in secula seculorum, Amen.

Item de eadem re Leonis. Convenit Apostolico moderamine pollentibus benevola compassione succurrere, & poscentium animis alacri devotione assensum præbere. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium reperitur. Deinde quoque & cunctum Clerum, & omnem populum asserimus esse concordem, & ad meliorem statum fore productum, atque ideo, quia justè rationabiliter vestra humilitas nostro Apostolatui humiliter postulat, quatenus gratulantur peragrantes sancta Synodum vestro Concilio congregatam Patriarchio, Lateranensi in Ecclesia sancti Salvatoris constitutam à pluribus viris Catholicis, Episcopis, & Abbatibus, insuper judicibus & legis Doctoribus, promulgantes qualiter quietè ac pacificè stare & vivere valeamus, præsentibus omnibus & singulis

lis regionibus hujus almæ urbis Romæ ,& ex omnibus ordinibus Cleri & populi, afferentibus & confirmantibus per omnia , ut hæresi & altercatione ac omni errore expulso : quoniam nimis his temporibus error ex hoc accrescere discernitur, tam de Romano imperio, quàm de Apostolica sede ac dignitate Patriciatus,& de investituris Episcopatuũ.Idcirco ad Exemplum beati Adriani,sedis Apostolicæ hujusmodi Episcopi,cujus vitam & actionẽ satis discretam audivimus, & rationabilis admodum suis spiritualibus sanctionibus regni Italiæ Patriciatus dignitatem & ordinationem sedi Apostolicæ concessit. Insuper & Episcopatum investituras, velut ipsi cum discretione & reverentia libitum fuerit , præter quos tam Pontifici summæ sedis quàm Archiepiscopus ipsi Carolo reliquit. Igitur nos Leo servus servorum Dei, Episcopus , ac idem Exemplum beati Adriani ,cum cuncto similiter Clero & universo populo Romano, omnibusque ordinibus hujus almæ urbis, sicut in suis scripturis apparet, constituimus, confirmamus, per manum Apostolicam, dignitatem concedimus atque largimur Domino Otthoni primo, Teutonico, Regi doctissimo.

Vocat enim Otthonem primum,qui voluit esse certus,quòd Regnum Italiæ sibi suisque Successoribus, Imperatoribus Germanis,qui essent pro tempore usque in perpetuum, per eundem Papam & suos Successores,etiam qui essent pro tempore,nunquam posset aut deberet conferri. Nihil enim,aut modicum invenit,quod spectaret ad jus & proprietatem Romani Imperii,dum illud in se assumpsit. Erat enim propter impotentiam & negligentiam Gallicorum , descendentium ab ipso Carolo Rege, Græcis & barbaris Nationibus, atque paganis illud ubique impugnantibus,quasi totaliter dissipatum atque confusum. Eratque iste Ottho primus Augustus, filius Henrici primi ; ad quem Ludovicus tunc Imperator & Rex Francorum,qui ultimus fuit de successione dicti Caroli primi Augusti, tunc debilis, accersivit Enceardum Comitem Elcatiæ, & quarundam vicinarum partium, dicens ei: *Frater charissime , video res nostras de die in diem malè procedere, & Saxonum negotia multivariè prosperari. Fac igitur quod tibi mando , & accede ad Henricum Ducem Saxoniæ , & illi insignia veterum Regum Francorum mei parte præsenta ; quia meliorem & utiliorem eo ad defendendum Rempubl. non cognosco modum.* Qui quidem Comes fraternum sequendo mandatum , dictum Ducem ad oppidum Frizlaven Maguntinæ diœcesis convocavit; cui venienti illic mentem dicti fratris sui aperuit, eumq; rogavit ut tantum donum sibi oblatum nullatenus refutaret.

Ipse autem Henricus convocatis illic Prælatis & Proceribus Regni Galliæ & Saxoniæ,& eorum omnium accedentibus exhortationibus & precibus, se de regimine imperii & regni Galliæ intromisit. Noluit tamen in Regem ungi, asserens non mereri ungi, pro eo quòd dicto regno obvius aliquando extitisset.Qui sic assumpto in se regno , laudabiliter & strenuè ipsum rexit imperium. Alemaniam reintegrando quoad omnia dominia quæ prius Reges Francorum, & Imperatores illius

illius nationis in ipſa Germania aut jure belli, vel aliàs quomodo libet uſque ad illa tempora tenuerunt. Et ultra dictus Ottho primus Auguſtus, filius (ut prædicitur) dicti Henrici primi, tanquam fidelis & conſtans Imperator, ſuo addidit imperio Lotharingiam, & etiam Regnum Burgundiæ in partibus Gallicanis, quæ ex tunc ſub jure & proprietate Romani imperii hactenus permanſerunt.

Spirituali in CHRISTO filio noſtro, ejusque Succeſſoribus hujus Regni Italiæ in perpetuum, tam ſibi facultatem Succeſſorem eligendi, quàm ſummæ SEDIS Apoſtolicæ Pontificem ordinandi: & per hoc Archiepiſcopos, ut ipſi tantum ab eo inveſtituram accipiant, & conſecrationem, ubicunque pertinuerit, exceptis his quos Imperator Pontifici & Archipresbyteris conceſſit. Ita demum aſſerimus, quòd nemo deinceps, cujuscunq; gradus vel conditionis, aut dignitatis ſeu Religionis, eligendi Regem vel Patricium ſive Pontificem ſummæ ſedis Apoſtolicæ, aut quemcunque Epiſcopum vel ordinandi habeat facultatem, ſed ſoli Regi Romano Imperii hanc reverendam tribui facultatem, quam abſque omni pecunia diſponat.

Nota, quòd ſemper excipitur Simonia in conceſſionibus Epiſcopatuum, & etiam majorum ſedium. Et cum ita ſit, cur igitur ita introductum ſit per Eccleſiam & Eccleſiaſticos, qui Romanæ Eccleſiæ præfuerunt, S. Papam & Cardinales, qui tunc in Aviniona reſiderunt, quòd per eos promovendi in Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates concordarent cum Camera Apoſtolica, & pro communi ſervitio Dominorum Cardinalium: & aliàs nulli ex tunc providebatur, vel nullus creabatur Antiſtes, niſi hæc ſolveret, ſeu ſe ſub horribilibus pœnis ad id obligaverit.

Et roget, utpote Rex & Patriciatus Romanus. Quòd ſi à cuncto Clero & univerſo populo quis eligatur Epiſcopus, niſi à dicto Rege laudetur & inveſtiatur, non conſecretur. Si quis contra hanc authoritatem Apoſtolicam & traditionem aliquid molitus, aut temerator in aliquo repertus fuerit, ſive contra hoc noſtrum Conſilium agens, ſciat ſe in iram ſancti Petri, Principis & filii noſtri Domini Otthonis, ejusq; Succeſſorum, & omnium Prædeceſſorum noſtrorum cenſuram, & ſub anathematis vinculo emerſurum, ac per hoc excommunicatione univerſalis Eccleſiæ omnisq; populi Chriſtiani eum ſubjacere decernimus. Inſuper, niſi à malo reſipuerit, irrevocabili exilio premat ur, vel ultimis ſuppliciis feriatur. Qui verò pro intuitu cuſtos & obſervator extiterit, benedictionis gratiam vitamq; æternam cum omnibus Sanctis ſine fine mereatur habere in ſecula ſeculorum, Amen. In his actis interfuere Seniores, Proconſules, exarchatus quidem tenentes, regionarii ſcholæ Græcorum.

Et nunc eſt titulus Cardinalis prædictæ ſcholæ, & olim in ea legebantur ſeptem artes liberales, & præipuè Rhetorica. Et etiam in ea legit quandocunque beatus Auguſtinus, & Ioannes vocatus de Anglia. Et fuit mulier de Maguntia nata,

quæ

quæ ſtuduit Athenis ſub virili habitu, & in tantum profecit in artibus ipſis, quòd tandem veniens ad Romam, & per biennium in eadem ſchola artes ipſas liberales legit: & adeò ſufficiens fuit, quòd etiam majores & nobiliores urbis ejus lectiones frequenter audiverint: & poſtea in Papam eligitur concorditer à Romanis, & Papatum biennio & amplius tenuit. Sed tunc diutius ocio & deliciis vacans, non potuit continere ſicut prius fecit, dum ardenter in paupertate poſita literarum ſtudio inſiſtebat. Vnde dum quadam die in rogationibus cum Clero Romano, ſicut tunc moris erat, in ſolenni proceſſione incederet, Papalibus ornata divitiis, edidit filium ſuum primogenitnm, ex quodam ejus cubiculario conceptum, prope Templum Pacis in urbe: ut adhuc vetus Statua marmorea illic poſita figurativè monſtrat, unde ſummi Pontifices dum ad Lateraneuſ. de Baſilica Principis Apoſtolorum & econtrà vadunt, illud rectum iter non faciunt, imò per alias vias per indirectum tranſeunt, illud aliquantulum prolongando.

Arabum, Iudæorum & Paganorum, & de majoribus omnium platearum. Inſuper Cardinales, Archiepiſcopi, omnes Presbyteri & Epiſcopi definitimis civitatibus Proceſſuarii, Notarii, Cancellarii, & ex omni plebe Romani imperii.
Hæc autem ſcripta reperiuntur in antiquiſſimis Bibliothecis, & penè præ nimia vetuſtate conſumptis, quæ reſervantur ad roborandum dignitatem Romanorum Imperatorum in ſecula ſeculorum, Amen.

Is qui ſtat pravus, de vitæ codice raſus,
Abſq; Deo maneat, morte mala pereat.
Hic qui conſervat, Chriſtum ſuper æthera cernat.

Hic infrà reſtituuntur Romano imperio omnia temporalia, quæ per Romanos Imperatores Eccleſiæ Romanæ per prius collata fuerunt. Et hæc reſtitutio facta fuit ſolenniſſimè, etiam per Papam & Cardinales & generale Concilium, nec non per totum populum Romanum, & omnibus illis conſentientibus & volentibus cum abjuratione. Ad idem ſequitur aliud Privilegium dicti Leonis Papæ, conceſſum eidem Otthoni primo Magno Auguſto, & omnibus ſuis Succeſſoribus Romanis Imperatoribus & Regibus in perpetuum.

EGo Leo ſervus ſervorum Dei Epiſcopus Otthoni, ſpirituali filio noſtro in Chriſto, Imperatori Auguſto, & omnibus Succeſſoribus ſuis Imperatoribus & Regibus Regni Italiæ, quatenus Dominus Carolus Rex Francorum & Longobardorum, & Patricius Romanus, nec non Pipinus Pater ejus, de Regalibus Regni Italiæ tribuerunt in ſancta Romana Eccleſia B. Petro Apoſtolo, ſive inſtrumenta ſcripta fuerunt per Etherium Notarium ſuum, ſive per ſacram, ſive donationes, ſeu per alios modos ſibi obvenerunt donationes à Iuſtiniano Rege, & à Ruperto Rege, hæc omnia largimur & diffinimus vobis Otthoni Imperatori, & Alheidæ conjugi tuæ, regniq; conſorti, veſtriſq; Succeſſoribus regni Italiæ in perpetuum, præſentibus ſacroſanctis Evangeliis, & patrociniis plurimorum ſanctorum videlicet. &c.

Nota, quomodo Papa in generali Concilio super istis venerabilibus reliquiis abjuravit perpetuò illa regalia & temporalia, quæ transtulit in ipsum Otthonem primum Augustum ejusq; Successores, ac Romano imperio restituit irrevocabiliter & in perpetuum. Et advertendum est, cum quanta autoritate & solennitate etiam illa restitutio processit, propter rationes & causas potissimè, prout habetur in Textu: scilicet fuerunt multæ aliæ majores & potiores, sicut præcipuè in gestis Saxonum continetur.

De cruce Domini, & de caligis pedum suorum, & de vestimento inconsutili, & super corpus B. Petri, cum terribilibus Sacramentis, à Papa prædicto & suis Cardinalibus, per consensum & autoritatem totius populi Romani, tam Clericorum quàm Laicorum, de omnibus Ordinibus Romanis ex unaquaq; regione præsentibus, laudantibus & confirmantibus, pro nimia persecutione paganorum: & Deus omnipotens tibi victoriam tribuere dignetur, & expellere eos de provinciis Rom. Imperii: Prædictas autem donationes, quas specialiter hic nominabimus, & & perpetuatim in regalibus rebus subjacere volumus per nostram Apostolicam traditionem: Surrianum, Montembordon, & Lunæ Insulam, Corsicæ regnum, parvam Mantuam, Montenselete, Insulam Venetiarum, Ducatum Ferrariæ, Canellum, Caniodam, Ducatum Histriæ, Dalmatiam, Exarchatum Ravennæ Faventiam, Cesenam, castrum Tiberiatus, Roccam Mediolanum, Roccam Comiza Term. teriminum, castrum Ceperianum, terram Cornulariam, Roccam Favillam, Petram de Appla, seu castrum Cusianum, Petram Mauri, Cernutullam, Ducatum Arimini, Contam, Montemferretũ, Montem Capiniam seu Olympicum, castrum Exforii, Robin, Eugubin, Vrbin, Forum Sempronii, Galli & Senogalli, Anconam, Auximani, Gosam, Ducatum Perusii, Vtbenetam & Tudertum, Amelia ortu Montisci capti cum Oppidis suis, Castrum Cimianum, Castrum Gallera, Castrum Suranum, Castellanum, Tiburtinum, Ducatum Spoletanum, Marsi & Anchar, Theanum, Locumbareni, & Capitenatam Apuliam, Calabriam, BarTheantrum, Ducatum Neapolim, Ducatum Beneventi, Capuam, Salernum, Sorrenti Insulam, Cardiniam Infulam, Mesen, Anciæ Insulam seu Montislutrem, Montis argetarii, territorium Prænestinum, & Cornetum prope mare cum multis Castris, terram Silandis, terram Clusium, terram Fundam, terram Cassipate, terram Vegetan. terram Claudianam, terram Cemisinam, terram Fabinen. terram Siram, terram Coranii, terram Portuensem cum Insula Archis, terram Ostiensem cum maritimis: Castrum Lucolis, & Montisbobium cum tota Campania, civitatem Fundis, citatem Aquinens. Ferentium & Terracium, civitatem Lamentum, & Sufforariam, Lisuvairias, Septiim, Tranuveicies, civitatem Nephisii, civitatem Falisenam Fidenam, Villam magnam, Feretrum, Clyternam, Vitrialam, Pontenlongum, Erefsuroctam, Bergalli, Roccam, Faman, Roccam palioli, Castrum Ruptum, Alborum, Castrum Rubeum, Neapolim, Galiopolim, Cotronum, Regium Almæsitonis, Transpodum ca-

put

put Apuliæ, Mehim Belleum pineum Fortemini civitat. Maritan. Territan. in regno Trinacriæ Paterensen, Mercenens. Cataniens. Athenarium monasterium sancti Benedicti, in monte Casino. Mon. Farrens. monasterium, Imbellium monast. sancti Archangeli Bononiens. Mon. aula regia. monast. Novancule, monast. Martyr. constitutum in Tuscia, ut hæc omnia habeatis, teneatis.

Quare igitur ista sunt oblata eidem imperio Romano, & nunc per diversos tenentur occupata, tanquam si sint de jure & proprietate Ecclesiæ Romanæ. Et illa forsan est causa, quare tam sinistrè procedunt in capitibus negotia Catholicæ fidei.

Et possideatis in perpetuum adversus curiæ & militiarum vestrarum ad bellandum & expugnandum contra prædictos paganos, & contra rebelles Romani Imperii, ideoque per hujus nostri autoritatem justam confirmamus, corroberamus, in omnibus progeniebus vestris de generatione in generationem in perpetuum. Nam si quisquam hanc autoritatem nostram destruxerit, & hujus violator esse repertus fuerit, sive contra hoc agens, sciat se in iram B. Petri Principis Apostolorum, & nostram nostrorumque Prædecessorum casurum: insuper nisi à malo resipuerit, subjacebit legi Iuliæ, & ejus Regiæ potestati & Reipub. ut ii contra Rempub. contra Imperat. majestatem aliquid moliti fuerint, tunc amissionem sustineant, & bona eorum publicentur: fiat, fiat. In actis hisce interfuere Archiepiscopi, Episcopi, & alii de vicinis Comitatibus, Archiepiscopus, Calaritan, Ciconatus Episcopus, Eustasius Albanensis Episcopus, Gratiosus Prænestin. Episcopus, Martin. Narnien. Episcopus Benedictus Tudertinus Episcopus, Boardus Castrens. Episcopus, Ioan. Perusiensis Episcopus Georgius Ortens. Episcopus, Andreas Mamentan. Episcopus Theodosius Melitens. Episcopus Sanic. Ferans. Episcopus Albertus Lucerin. Episcopus, Damianus Alanas. Hi omnes Archiepiscopi & Episcopi in his actis interfuere. Cardinales Presbyteri, Georg. Cardinalis ad vincula, Benedict. Cardinalis de præsepe S. Mariæ, Cardinalis Presbyter Leo sanctæ Hierusalem, Cardinalis Presbyter Ianuarius sanctæ Ceciliæ, Andreas Patriarchatus Lateran. Cardinalis Presbyter Faustinus S. Petri, Marcus Presbyter Cardinalis S. Petri Apost. Hi omnes Cardinales his actis interfuere, omnes scholæ Rom. deinde Poscrinarii Satellarii ex omni ordine Rom. atque minoris populi Rom. item Eaustinus, caput Senati Exconsul, Probonus Exconsul Pala. Lucianus Roman. de Forma Trojana, Paulus de Templo Palatani, Iohannes de via Claudiana, Leo de vita Salaria, Remigius de via Amelia, Scaniphus de via Mamertina, Romulus de via Ardeatium, Gardus de via Flaminea, Marcus de via Portunens. Gorbus de via Latina, Savinus de via Apia, Marianus de via Tuburtin. Gardus de Macello Lidiæ. In his actis interfuere de omnibus istis regionibus: regio vico Princii, regio Violeta, regio Caputtauri, regio Celimonte, regio rivi Argentarii, regio prima Aventini, regio ad duos montes, regio urbis Ravennæ, regio octava sub capitolio, regio ad Gallinas

albas, regia Labantica, regio Herea, regio Fuctim, regio secunda Mamertini, regio secus Pormetronii: Ianuarius ex nota Græcorũ, Trojanus de monte molbio, Ioannes consul de Palio: Soforitans. Amacius consul de Palio Vatican. Ioannes de monte aureo, Petrocius de Cuto, Greg. de Cellanova. Scripta per manum Gregorii Archinotarii nostri. Datum in Patriarchio Lateranensi, tertio Calend. Maii. Indict. VI. Anno ejus secundo, & dicti Domini Otthonis secundo fœliciter.

Sed ne quis suspicetur istas donationes me commentum esse, possum proferre vetustum manuscriptum Exemplar. Adfero etiam testimonia Henrici Token Canonici Magdeburgensis, ex ipsius rapulario, ut vocant, adscriptum.

CLXIII. *Ex Sylva locorum communium Henrici Token, quam ille Rapularium vocavit.*

Episcoporum Otthonis I. seculo investitura.

Præmissum hoc est testimonium Tractatui Theod. à Niem de privil. & jur. Imp. Basil. 1566. edito.

THeodoricus Niem temporis Ioannis 23. Florentiæ invenit in quodam antiquissimo lib. de investitura Episcopatuum. Dicit enim, secundum quod habetur 63. dist. in Synodo: Quod Successoribus Otthonis Regibus, Italiæ in perpetuum concessit potestatem eligendi summum Pontificem, & dicit: Solum Regi Romani imperii tribuimus hanc facultatem. Quod si à cuncto Clero & universo populo quis eligatur Episcopus nec à dicto Rege laudetur & investiatur, non consecretur. Et ponit, quòd hoc Concilium sub pœna excommunicationis universalis Ecclesiæ latæ sententiæ servari debeat. Hoc Privilegium servatur Florentiæ, pro Imperatoria dignitate. Item idem Papa Leo Otthoni & suis Successoribus Roman. Imperatoribus & Regibus in perpetuum restituit omnia bona Romanæ Ecclesiæ, per prius ab Imperatore collata: & fuit factum per Papam, Cardinales & P. R. & universale Concilium, cujus copia sic incipit: Leo servus servorum Dei Episcopus Duoni spirituali filio nostro in Christo, Imperatori Augusto, & omnibus Successoribus suis, Imperatoribus & Regibus regni Italiæ, quartus Dominus Carolus Rex Francorum & Longobardorum, & Patricius Romanus, nec non Pipinus Pater ejus de Regalibus regni hujus tribuent in sancta Ecclesia Romana beato Petro Apostolo, sive ver instrumenta scripta, sive per Ethereum Notarium suum, sive per sacram, sive per donationes seu per alios modos, sive proveniunt per donationes à Iustiniano Rege, & à Ruperto Rege, hæc omnia largimur & diffinimus vobis Domino Imperatori & Alheidæ conjugi tuæ, regnique consorti, utrisque Successoribus regni hujus Italiæ in perpetuum, præsentibus sacrosanctis Evangeliis, & patrociniis plurimorum sanctorum, &c. Et nominantur omnia dominia, & castra nominatim, & subscriptiones nominatim, & præcedunt Episcopi in subscriptione, Cardinales, &c.

Ex eadem.

OTTHO Primus Imperator dictus Magnus, cœpit Anno Domini 938. regnavit triginta sex annis, ex illo tempore conversi sunt, & ex postea, Bohemi, Nortbegi, Livones, Escones, Curoni, Luzates, & multi alii diversorum peregrinorum & Provinciarum incolæ & habitatores, tunc pagani. Mortuo Otthone III. sine filio, Gregorius V. natione Teutonicus, de parentela edicti Otthonis Augusti, in Rom. Pontificem assumitur · cujus tempore Electores Imperii constituuntur. Hæc Henricus Token.

Facit alioqui & Gratianus dist. 63. Canone, in Synodo, &c. Privilegii Carolo Magno & Otthoni I. reddito mentionem. Verùm mox post trium Otthonum mortem, cum denuò Cæsarum potentia languesceret, cœperunt Papæ magna vi tyrannidem super Ecclesias & Imperium affectare, & excommunicationibus ac bello civili in Germania & Italia excitato eam occupare. Non dici potest, quot seditiones contra Henricum IV. excitari curaverit, quantumque Christiani sanguinis effuderit. Quo demum per proprium filium oppresso, cum Henricus V. Romam coronationis causa venisset, ibi Papa Paschalis ab eo juramentum fidelitatis petere cœpit: quo negante, Imperatorem cuiquam fidelitatem jurare debere, aut cujusquam subditum esse, sed omnes ipsi jurare oportere: exorta est contentio, unde porrò etiam acre prælium. Demum victis Curtisanis & Romanistis, cœpit Henricus Papam, eique benedictionem, unctionem, pacem, & vetera jura seu Privilegia Imperii extorquet: quæ Papa ei & juramento & sacrosancta excommunicatione, si quis unquam contrarium statuere auderet, confirmat. Sed eas ipsas tam sanctas & ratas confirmationes & transactiones, Papa mox ubi Imperator in Germaniam recessisset, in suo quodam conciliabulo rescindit, & Henricum insuper excommunicat. Vnde nova incendia & nova bella, quæ non destituuntur Germania atrociter grassari, sacrificis & Episcopis, aliisque partim superstitionis, partim rapinæ studio Papæ auxiliantibus: quo ad tandem Henricus V. sua, vel Imperii potius Iura Papis tradidit, ac prodidit. Verùm ne sic quidem Papæ conquieverunt, quin subinde magis ac magis Imperium & Ecclesias opprimerent, omnibusque eos Iuribus ac Privilegiis penitùs fermè spoliarent.

Hæc præcedentia, ac sanè etiam sequentia, cum jam scripsissem, inveni locum in Sleidani Historia, ubi succinctè ista Gallicorum Regum certamina comprehensa erant. Quem, quòd & commodè ac compendio rem totam complecti videbatur, & Sleidanum hæc omnia me certius nosse non dubitabam, hic adscribere volui. Sicut per omnes alias Provincias, ita per Galliam quoque, si quis vacaret Episcopatus, aut Abbatia, quam vocant, eligendi liberam habebant olim facultatem hi qui dicuntur Canonici & Monachi. Minora verò Sacerdotia, quæ non sunt electiva,

 sicut

ſicut ajunt, Epiſcopi conferebant, & Patroni: deinde lites omnes de rebus ſacris aut beneficiis, in ſua quaque Provincia diſceptabantur. Pontifices autem Romani, creſcente cupiditate, cœperunt electiones illas evertere, & per reſervationes atque gratias expectativas, uti vocant, emolumentum omne Romam & ad ſe derivabant, & lites omnes etiam primæ, ſicut loquuntur, inſtantiæ, Romam evocabant. Hujus verò mutationis factum eſt initium in Galliis, Ludovico nono rege: verùm is animoſe reſtitit, & anno Salutis humanæ MCCLXVI. legem tulit, ut mos antiquus retineretur, nec ullum eo nomine tributum Romano Pontifici perſolveretur. Iſta quidem lex multis annis valuit: ſed pervicit tandem vis Pontificum, & quàm latè nomen Chriſtianum patet, ſuas illas, de quibus dixi, gratias & reſervationes evulgabant, & omnibus erant vehementer graves, donec Synodus Baſilienſis aucupium iſtud & expilandi rationem ſuſtulit, vetereſque leges de collationibus & electionibus reſtituit, & annatas exigi prohibuit.

Decretum hoc Concilii, Rex Galliæ Carolus Septimus, re cum ſuis deliberata, ratum habuit, & Anno MCCCXXVIII. confirmavit edicto, quod vulgò Pragmaticam vocant ſanctionem. Eugenius verò quartus Concilium hoc irritum pronunciavit, uti libro primo diximus: & qui ſecuti ſunt eum Pontifices, decretum iſtud repudiarunt, & ſchiſmaticum eſſe dixerunt. Et Pius quidem Secundus Ludovicum Vndecimum, Caroli ſeptimi filium, miſſo Legato magnopere ſolicitabat, ut ſanctionem nullam aboleret. Rex autem à Senatu Pariſienſi, totius Galliæ celeberrimo, qui totus ferè conſtat è Iureconſultis, conſiliũ exquirit. Hi multis ex vetuſtate repetitis, quid ſuperiorum temporum Pontifices, quid Synodi, quid ipſius denique majores, Clodoveus, Carolus Magnus, Philippus Deodatus, Ludovicus IX. Philippus Pulcher, Ludovicus Hutinus, Ioannes I. quid ipſius deniq; pater & annus in eo ſtatuerint, quàm florens eo tempore Gallia fuerit, & quàm nunc ſit afflicta, demonſtrant: & niſi leges antiquæ ſerventur, futurum eſt (inquiunt) ut Eccleſiaſticus ordo conturbetur totus, & ut infrequentior ſit Gallia, pleriſque Romam tranſcurrentibus, & facultatibus exhauriatur: ut templa & id genus alia ſumptuoſiſſima, plurimaque per Galliam ædificia, negligantur & corruant. Et ad rem numariam quod attinet, niſi patris tui ſanctio valeat, efferentur è Galliis Romam aureorum millia decies centena quotannis. Etenim ut reliqua taceamus, Pio Secundo jam Pontifice, vacarunt Epiſcopatus ad minimum viginti, qui ſinguli tam pro annatis, quàm pro reliquo ſumptu, dependerunt millia ſena, vacarunt Abbatiæ circiter LX. ſingulæq; ſolverunt millia bina: vacarunt ex reliquis beneficiis pluſquam ducenta, quæ ſingula numerarunt aureos quingentos. Deinde ſunt in tuo regno patœciarum millia centum & amplius, è quibus infinita vis auri per inventum illud Pontificium conflata fuit. Patris igitur inſiſte veſtigiis, nec à Baſilienſi decreto diſcedas. Hoc quidem erat Senatus conſilium: ſed Rex Pontificis vel autoritate vel arte victus, aboleri ſanctionem voluit: ejuſq; rei fuit adminiſter Cardinalis Baluenſis Regi mul-

tum

tum familiaris, quem sibi Pontifex devinxerat. Verùm & Procurator regius, & schola Parisina, cujus permultum intererat, magnis animis obsistebant, & à Pontifice provocabant ad Concilium. Ludovicus deinde XII. graves exercuit hoc nomine cum Iulio II. inimicitias, & in Lateranense Concilium illata res fuit: & qui successit Ludovico Franciscus I. cum Leone X. certis demum transegit conditionibus Bononiæ, post captam Pisubriam: nimirum ut Epantu vacante, vel Abbatia, non quidem eligendi facultatem haberent Collegia, sed Regis tamen esset, intra sextum mensem nominare quempiam Romano Pontifici, quem eo munere dignum esse putaret, &c. Commodè hisce adjicietur vetus scriptum De investitura Episcoporum: quandoquidem veteres consuetudines ac jura in hac re recenset.

CXLIV. *De Investitura Episcoporum scripta anno Domini* 1100. *ex veteri Codice manuscripto desumpta.*

LEo Constantini filius Imperavit annis quinq; in Regno Græcorum & Romanorum, post quem uxor ejus Hyrena filia Chaiani Avarum, id est, Hunnorum Regis cum filio suo Constantino imperavit annis X. Verùm Constantinus matrem suam Hyrenen Imperio privavit, solusq; annis sex imperavit. Hyrene autem super adempto sibi Imperio fœmineo dolore abusa, Constantinum filium suum oculis & Imperio privavit, & sola annis 6. imperavit. Romani autem qui ab Imperatore Constantinopolitano jam animo desciverant, propter tardum & infructuosum ipsius auxilium contra tyrannos, accepta occasionis opportunitate (quia mulier excœcato Imperatore Constantino filio suo imperabat) unanimi consensu Carolo Magno Imperatorias laudes acclamarunt, eumq; per manus Leonis Papæ coronaverunt Cæsarem & Augustum appellantes. Igitur ex quo Byzanium civitas tertiò à primo Constantino in novam amplificata & in Regiam urbem est exaltata evolutis annis circiter CCCCLXVIII. diviso à Constantinopoli Romano Imperio, Carolus Magnus Rex Francorum primus imperavit Romanis annos XIIII.

Autor Walthramus, Episcopus Naumburgensis, à Schardio sub hoc nomine editus Basil. 1566. p. 711. ad p. 717.

Extunc à Græcis in Reges Francorum translata est Imperatoria dignitas: & Adrianus Papa, collaudantibus Romanis & plena Synodo primatum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Ducum, & Principum acclamante, Carolo Magno ejusq; Successoribus futuris Imperatoribus sub anathemate concessit Patriciatum Romanum, & per se vel per Nuncios suos confirmationem in electione, vel in consecrationem Romani Pontificis concessit, & investituras Episcoporum eis determinavit, ut non consecretur Episcopus, qui per Regem vel Imperatorem non introierit purè & integrè, exceptis quos Papa Romanus investire debet & cõsecrare ex antiquo dono Regum & Imperatorum cum aliis, quæ vocantur regalia, id est, à Regibus & Imperatoribus, Pontificibus Romanis data in fundis & redditibus.

In hac concessione continentur regales Abbatiæ, Præposituræ. Ex hoc cõstituto

Caro-

Carolus Magnus Eistulfum, Desiderium, aliosque Reges & tyrannos cæde bello & exilio delevit, qui fundos & bona Ecclesiæ Romanæ aliarumque Ecclesiarum invaserant, omnia reddens libertati.

Alii Reges & Imperatores Successores Caroli Magni, defensionem Romanæ Ecclesiæ & aliarum Ecclesiarum timore Dei & charitate S. Petri devotè prosecuti sunt, investituras Episcoporum facientes, eorum consecrationibus vel per se, vel per Nuncios suos assistentes: juxta quod Paulus Apostolus ait ad Corinthios: Non primum quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. Magnus etiam Gregorius Theoderico, Theodberto, & Brunihildi scribit, ut absque symonia investituras Episcoporum faciant. Hic etiam primus Gregorius non est consecratus, donec Mauritii Imperatoris non interfuit assensus.

Ioannes Papa investituram Leodicensis Episcopatus, quam Carolus Rex concesserat, Richario Prumiensi Abbati planè confirmat & invasionem Hilduini per Giselbertum Comitem de Capre monte sub anathemate damnat.

Papa Leo I. Otthoni aliique plures Pontifices Romani idem confirmaverunt sub anathemate Regibus & Imperatoribus.

Vnde mirum est imò periculosum in salutem animarum, quod sancti Antecessores ex magna necessitate & potenti ratione sub anathemate confirmaverunt, hoc à tempore Gregorii, qui & Hiltibrandus, sub absolutionem immutatur.

Qui à primo Constantino gesta & decreta revoluerit, patenter inveniet quod per Reges & Imperatores, & devotos laicos Romana Ecclesia, aliæque in orbe terrarum Ecclesiæ in fundis & mobilibus ditatæ & exaltatæ sunt, sibique tutelas & defensiones contra tyrannos & raptores retinuerunt, ut gladius Regalis & stola Petri sibi invicem subveniant, quasi duo Cherubim conversis vultibus respicientia in propitiatorium.

Romani Pontifices aliique Præsules, de rebus & fundis per devotos laicos, & laicas acquisitis, & à seculari potestate confirmatis struxerunt, & ornaverunt Ecclesias, & à quibus acceperunt gratiam, non debent eis inferre contumeliam, & si de investituris peccaverunt, exemplo primi Gregorii exhibeantur. Quòd Paulus dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.

Hieronymus in Epistolis suis dicit: Quadringentos Episcopos Imperiales literæ ad Synodum contraxerunt. In hoc virtus Imperialis egit, quod excommunicatio Pontificis agere non potuit, ut sine captione, sine damnatione, sine contumelia tot Episcopi ierint & redierint. Excommunicatio enim quantum intelligitur & timetur, tantum cavendo vitatur, & punitio corporalis in vita vel in membris, in rebus vel in fundis plures resipiscere facit ex justitia regali.

Omni autem Pontifici summopere cavendum est ex medulla scripturarum, ne quando ille ligat in terris, Deus solvat in cœlis: vel quando solvit in terris, Deus liget in cœlis. Hoc evenit ex illa gloria prælationis nimiis motibus animorum,

quando ſuccedentes Pontifices præcedentium Pontificum decreta, & excommunicationes immutant & ſolvunt.

Vnde cùm Dominus Ieſus ipſa veritas dicat: ſi malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo. Mirum eſt & periculoſum in Chriſti puſillos, quod antiqua conſtituta ſub anathemate confirmata, novis immutationibus ſolvunt, & inde nolunt reprehendi, objicientes: Romana judicia non ſunt retractanda. Si Romana judicia non ſunt retractanda, non videtur puſillis Chriſti Canonicum & ſalubre, ut à tempore Gregorii, qui & Hildebrandus, ea ſolvantur, quæ ſub anathemate confirmaverunt, Sylveſter, Leo Adrianus, Primus Gregorius, Leo, Benedictus, erga Reges & Imperatores de inveſtiendis Epiſcopis per illos, à quibus etiam à devotis laicis, & fœminis fundi & alia mobilia Eccleſiis Domini in orbe terrarum provenerunt, ſibique tutelas & defenſiones rerum Eccleſiaſticarum retinuerunt contra tyrannos & raptores.

Si in ſucceſſione quiſq; ſolvit, quod prædeceſſio ſub anathemate confirmavit, ecce oritur cõfuſio puſillis Chriſti, cui parti potius aſſentiendũ ſit antiquæ an novæ?

Pars antiqua in paupertate mediocri & honeſta arguit, obſecravit in patientia & doctrina, & parcendo juſtitiæ majores & inferiores perſonas ad correctionẽ adduxit. Nova autem pars ex votis fideliũ inſoleſcẽs ſub ſpecie religionis omnia trahit ad ſe manibus expanſis. Cum Dominus dicat: Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei. Gregorius, Auguſtinus, Ambroſius, ea quæ ſunt data Eccleſiis à ſeculari poteſtate & confirmata, teſtantur potius à ſeculari poteſtate retinenda.

Legitur etiam de Epiſcopis Hiſpaniæ, Scotiæ, Angliæ, Vngariæ, quomodo ex antiqua inſtitutione uſque ad modernam novitatem per Reges introierint, cum pace temporalium purè & integrè. Qui pacificè ſolicitus eſt, revolvat vitas Patrum & hiſtorias legat & intelligat.

Sed Epiſcopatus, qui ſub Romano degunt Imperio majoribus fundis & amplioribus vigent juſtitiis, & ideo propter majus ſcandalum à ſtola Petri diſertius tractandi ſunt, Quia non omnes ſunt Petrus, qui tenent ſedem Petri: ſicut Scribæ & Phariſæi qui ſederunt ſuper cathedram Moſis, non omnes fuerunt Moyſes. Elatio enim ex prælatione, & indiſcretio ex correctione pariunt ſcandalum in confuſionem, & fit manifeſtè illud quod Dominus in Evangelio dicit: Vos Scribæ & Phariſæi circumitis mare & aridum, ut faciatis unum proſelytum, & cum inveneritis faciatis filium gehennæ duplo magis quàm vos.

Longè etiam ante Decretum Adriani Papæ ejusque ſucceſſorum Reges, qui erant uncti, & majores domus Inveſtituras Epiſcoporum fecerunt, ſcilicet Dagobertus, Sigibertus, Theodericus, Hildricus, Pippinus filius Begge Major domus, Theobertus. Ab his intronifati ſunt Remaclus, Amandus, Andomarus, Antpertus, Eligius, Lampertus, aliiq; ſanctiſſimi Præſules, cum Reges iſti in moribus ſuis ſatis fuerint notabiles, & ſolo nomine Regum per majores domus vivebant.

Ii Poſt-

Poſtquam autem Romani ingruentibus vicinis & gravibus bellis deſciverunt à Græcis Imperatoribus, ex cauſis ſupra dictis, Papa Stephanus ob infeſtationem Longobardorum venit Pariſios, & aſſenſu Romanorum & Francorum in Regem & Imperatorem unxit Pippinum filium Caroli Marcelli, nati ex Aſpaide, propter quam ex pellicatu increpatam Pontifex Lampertus martyr factus eſt. Vnxit etiam idem Pontifex Stephanus filios ejuſdem Pippini Carolum qui agnominatus eſt Magnus, & Carolomannum fratrem ejus, confirmans ſtirpem eorum in Regia & in Imperatoria dignitate.

Ibi de inveſtiendis Epiſcopis per Reges antiquam conſuetudinem confirmavit. Ex horum collectione purè & integrè ſervanda eſt antiqua conſtitutio, ne puſilli Chriſti ſcandalizentur. Nihil enim refert, ſive verbo, ſive præcepto, ſive baculo, ſive alia re, quam in manutenuerit inveſtiat, aut intronizet Rex & Imperator Epiſcopum, quo die conſecrationis veniens, annulum & baculum ponit ſuper altare, & in curam paſtoralem ſingula accipit à ſtola & autoritate S. Petri. Sed congruum magis eſt per baculum qui eſt duplex, id eſt Temporalis & Spiritualis. Operarius enim in ſeminandis ſpiritualibus dignus eſt mercede ſua, non in accipiendis temporalibus juxta quod Paulus ait: Si ſpiritualia vobis ſeminamus, non eſt magnum ſi carnalia, id eſt temporalia à vobis metamus.

Præcedens inveſtitura per Regem in fundis & rebus Eccleſiæ, contra tyrannos & raptores quieta & pacifica reddit omnia.

Sequitur autem conſecratio, ut bannus Epiſcopalis banno Regali conveniens in communem ſalutem operetur: & ſi Epiſcopis favendum eſt Regibus homagium, & ſacramentum de regalibus apertius eſt ante conſecrationem, cum Paulus dicat Apoſtolus, Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet. Omnia divina & Eccleſiaſtica per Magiſtros Eccleſiarum ad pacem & quietem puſillorum Chriſti tendere debent. Legitur enim in libris Regum & Maccabæorum, quod à Regibus, Iudæis, & gentilibus Sacerdotes inveſtituras accipiunt in Iudaiſmo.

A Petro autem uſque ad Sylveſtrum, qui Conſtantinum baptizavit, Imperatores Romani erant gentiles, & Chriſtianorum perſecutores, & in fundis & in rebus Eccleſiaſticis pauperes erant Eccleſiæ, & à timoratis Chriſtianis, qui tunc pauci erant Romæ & alibi, conſtituebantur Epiſcopi.

Poſtquam autem à Sylveſtro per Chriſtianos Reges & Imperatores dotatæ, ditatæ, & exaltatæ ſunt Eccleſiæ in fundis & aliis mobilibus, & jura civitatum in teloneis, monetis villicis & ſcabinis, comitatibus advocatis, Synodalibus bannis per Reges delegata ſunt Epiſcopis, congruum fuit & conſequens, ut Rex, qui unus eſt in populo, & caput populi inveſtiat, & intronizet Epiſcopum, & contra irruptionem hoſtium ſciat cui civitatem ſuam credat, cum jus ſuum in domum illorum tranſtulerit.

Primus Gregorius conqueritur dolendo de quodam Epiſcopo, qui adeò pauper

per erat, ut de Episcopatu suo contra frigus, hyemalem vestem habere non posset. A tali Episcopo forsitan sancto non erat Regi necessarium exigere homagium, sacramentum, obsides. Ex hoc prout sunt consuetudines in regnis per orbem terrarum de Episcopis investiendis, servanda sunt antiqua jura.

Sicut enim primus Gregorius dicit: Si voluissem hodie gens Longobardorum, nec Regem nec Duces haberet. Et quia Deum timui, in alicujus sanguinem me miscere nolui: Ita Successores ipsius Gregorii cavere debent scandalum, ne contristent vaniter Reges in suis antiquis moribus per quorum antecessores caput & membra exaltata & confirmata sunt. Sed juxta Paulum à Pontifice Romano & Regibus omnia fiant in charitate & humilitate, remotis superbia & contentione.

Quapropter apud Pontifices & Reges fiant Ecclesiastica purè & integrè. Quia Dominus Iesus dicit: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, id est, si intentio bona est, & opus bonum est.

Si Romani Pontifices intendunt Regibus auferre antiqua jura de investiendis Episcopis, timent, dubitant, dolent pusilli Christi, Reges enim si in Episcoporum investituris excesserint, possunt à timoratis viris, & Pontifice Romano argui, & ad rectam correctionis lineam reduci. Si autem in promotione & consecratione Episcoporum Pontifex Romanus exorbitaverit, & sub verbo summæ prælationis ad voluntatem suam egerit, non vult ut reprehendatur. Cum Dominus Iesus se reprehendi concesserit dicens: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo &c.

Isti autem, inquiunt, summus Pontifex à nemine judicetur. Et si ab illa summa autoritate sub specie religionis introducuntur personæ contra oculos Dei, ecce periculum est in capite & in membris, id est, qui scienter operantur, & scienter cooperantur. Vnde Dominus Iesus hypocrysim, & avaritiam & cupiditatem sacerdotum in Evangeliis super omnia arguit, vocans illos sepulchra dealbata, & peccatum mulieris adulteræ misericorditer suscipit, & tria genera Eunuchorum humanè definit. pro se & pro Petro tributum solvit, Regibus jubet debita reddi, Petrus, Paulus aliiq; in orbe terrarum viri sanctissimi concedunt in sententiam Domini nostri Iesu Christi, qui omnibus dixit: Beati pacifici, quoniam regnum Dei possidebunt. Sunt autem pacifici qui ex contentione, arrogantia, cupiditate, ex nimiis motibus animarum, non movent, non adinveniunt commutationes contra antiqua jura propter pacem constituta, maximè propter potestates superiores in quarum pace juxta Paulum tranquillam agere vitam debemus.

Notandum est autē Pontificibus Romanis & eorum civibus quando orta fuit divisio in electione Pontificum, vel in communione civium, non est pax restituta, nisi per Græcos Imperatores, quamdiu Imperiū ibi fuit, vel per Francos Imperatores, ex quo Imperium Romanorum datum est eis. Et quidam Græci Imperatores Christiani quosdam Romanos Pontifices viros sanctissimos usq; ad exilium & mor-

tem immisericorditer rractaverunt. Sicut legitur de Agapeto,& de Ioanne. Imperatores autem ex Francis honestè & piè deduxerunt. Sicut legitur de Stephano & de Leone excœcato.

De divisione populi & Cleri in electione Pontificis Romani compressa per Honorium Augustum ex Græcis ita legitur. Bonifacius XL. Romanorum præsedit Ecclesiæ. Contra hunc Bonifacium ordinato Eulalio & per hoc dissidente Ecclesia, ambo jussu Honorii Augusti ab urbe egrediuntur, & sic reprobato Eulalio jussu Augusti Bonifacius, quia Prior ordinatus fuerat, sedi Apostolicæ restituitur.

De divisione Romanorum civium in Electione Pontificum per Imperatores ex Francis adnihilata ita legitur. Ottho I. Ioannem, quem Adalbertus Pontificem constituerat, judicio Canonico deponi fecit, & Leonem ordinari fecit. Et iste Ioannes se cum uxore cujusdam oblectans à Diabolo percussus est, ac sine viatico mortuus. Post reditum Otthonis Romani ex ambitione quendam Benedictnm superposuerunt. Imperator rediens obsessa Roma Romanos cæde & fame adeo afflixit, ut Leonem Papam se recepturos promitterent, & jurarent. Benedictus rejectus non solum Papatu, sed etiam sacerdotio à Leone exordinatur.

Item Benedictus Simoniacè Papatu Romano invaso, cum esset rudis literarum, alterum ad vices Ecclesiastici officii exequendas, secum Papam consecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tertius superducitur, qui vices duorum expleret.

Romæ uno contra duos, & duobus contra unum altercantibus Rex Henricus Conradi F. contra eos Romam vadit, & eis Canonica & Imperiali censura depositis, Suinggerum Babenbergensem Episcopum Papam fecit, qui & Clemens Romanæ Ecclesiæ. CXLVI. vocatus est, & vicissim ab eo Rex Henricus in Imperatorem benedictus est, jurantibus Romanis, se sine ejus consensu ejusque Successorum nunquam Papam electuros.

Igitur hæc scandala Pastores animarum cavere debent, coram Domino ambulantes in vera simplicitate propter Christi pusillos. Ex quo Imperium Romanorum Carolo Magno acclamatum est, sunt anni CCCIX. Est autem annus præsens M. CIX. quando ultimum Pascha fuit ab Incarnatione Domini secundum cyclum Dionysii. FINIS.

Hic audis prolixè tum ex historiis ac consuetudinibus, tum & ex rationibus probari, quod meritò ac jure investituræ Episcopatuum ad Principes & Reges pertineant, sub quorum Dominio Episcopatus sunt; eoque injustissimè facere Papam, qui eos contra omnia jura ac veterem morem & Privilegia Principum ac Regum ad sese rapiat. Hæc igitur tractatio quoque meritò ad Privilegiorum titulum adscribitur. Sunt verò ob hasce controversias postea ingentia bella mota, & planè infinitus Christianorum sanguis præsertim Germanorum effusus, ut postea indicabitur, & omnes penè historiæ testantur.

CXLV. An-

CXLV. *Antiqua Agenda.*

UTinam antiquiſſimas Agendas plures, pluriumq; Eccleſiarum habere poſſemus. Plurimum enim olim inter ſeſe variarunt. Omnes tamen longè puriores magisq; Chriſtianæ præſentibus fuerunt. Non libet porrò omnia ea hic exponere, quæ antiquitus in paulo meliori uſu, quàm præſentia ſunt, fuerunt. Nimis enim latè hæc materia pateret, propriumq; librum impleret. Quare tantum pauca quædam recenſebo. Vidi non unam, ſed multas Agendas, etiam non ita antiquas; ubi diſertè præcipitur in forma viſitationis ægrotorum, ut eis detur corpus ſanguis Domini. Vidi etiam quandam, ubi *extrema unctio*, ut nunc vocatur, nõ ultimo loco, ſed ante communionem ægroto dari præcipitur; nec ſemel tantum in vita, ut nunc fit, ſed ſæpius iteratis vicibus in eodem morbo; diſertè addens, *donec convaleſcant:* Vnde etiam apparet, finem ejus unctionis tunc ſecundum veterem morem fuiſſe, impetrare ægrotanti ſanitatem, & dictum Iacobi. Vidi item aliam Romanam, quæ duas diverſiſſimas unctionis formas continebat, alteram in ipſa pœnitentia, alteram poſtea faciendam.

Eſt anno 1497. Romæ *Pontificiale*, ſeu *Pontificialis Agenda* impreſſa; in qua ſi vetuſtiorem, (nam duæ ſunt) formam ordinationis Epiſcoporum perlegeris, à folio 24. uſque ad 42. manifeſtè invenies, olim Epiſcopos non à Papis Romanis, ſed à ſuis Metropolitanis confirmari ſolitos; nec etiam moris fuiſſe, ut Papæ jurarent fidelitatem, ſed tantum ſuo Metropolitano obedientiã pollicerentur. Sed recentior Formula ibidem poſita cũ ipſi Papæ jurare jubet. Quod valde dignum memoria ac cogitatione eſt. Quis enim hinc non poteſt animadvertere, olim centuplo anguſtiorem fuiſſe Paparum tyrannidem quàm nunc ſit? Olim enim ſingularum provinciarum Eccleſiæ ſuo Metropolitano nonnihil parabant, ſicut Nicæna & ſexta Carthaginenſis ſtatuit, ut in hujus hiſtoria ſeparatim edita expoſui.

Verùm tum uberioris fidei cauſa, tum quo perſpici poſſit qualis ratio olim fuerit electionis, ordinationis, & omnino functionis Epiſcoporũ, adjiciam quædam monumenta ex *Hincmaro* Remorum Archiepiſcopo, quoniam vetuſtiora habere non poſſum; qui tempore Caroli Magni, & Ludovici ejus filii, vixit; nempe primùm *Epiſtolam ad Ludovicum Cæſarem*, qua petit, ut ſi author, ſeu concedat eligi novum Epiſcopum in locum mortui. *Deinde* ejuſdem *Epiſtolam ad ſuum quendam Coepiſcopum*, quem jubet adire Eccleſiam Epiſcopo carentem, ac inſtare, ut à Clero ſimul & populo alius idoneus eligatur. *Tertio*, ejuſdem Epiſtolam ad illam ipſam orbatam Epiſcopo Eccleſiam, qua & hortatur eam, ut idoneum Epiſcopum deligat & quaſdam ejus conditiones ſeu qualitates ex ſacris literis & canonibus præſcribit. *Quarto*, promiſſionem ſeu profeſſionem electi Epiſcopi coram ſuo Archiepiſcopo. *Quinto*, teſtimonium ordinationis, & inſtructionem ſimul, quomodo ſe ille electus & jam ordinatus gerere in ſua functione debeat. Ex

quibus omnibus ordine positis, totam (ut ita dicam) historiam, quomodo olim Episcopi eligi, ordinari, & sese in functione gerere soliti sint, perspicere potes.

Pag. 585. ed. Paris. 1615.

CXLVI. *Epistola Hincmari ad Carolum Regem pro Ecclesia Sylvanectensi, Pastore viduata.*

Petitoria, ut Rex concedat eligi novũ Episcopum in demortui locum.

DOmino glorioso sit semper laus & vita. VII. Idus Iunii, circa horam secundam, venerunt tres Clerici, & duo Laici Sylvanectensis Ecclesiæ ad exiguitatem meam, innotescentes, eandem Ecclesiam fratre & Consacerdote nostro Erpoino defuncto, viduatam esse Pastore; ferentes etiam ipsius Ecclesiæ tam Cleri quàm Plebis petitionem, ut eis Pastor secundum sacras regulas tribuatur. Quos interrogavi, si verbum haberent de pace Cleri ac Plebis, Ecclesiæ ipsius ex aliqua designata persona; qui responderunt se non aliam petitionem ex parte sociorum suorum afferre, nisi ut apud solitam misericordiam vestram liberam illis ac regularem electionem obtinere satagerent, quatenus secundum sacras Regulas ille Canonico Visitatore directo ab omnibus Ecclesiæ ipsius alumnis valeat eligi, cui debet ab omnibus obediri. Ego autem, licet, ut præfatum est, Sacerdotem vestrum Erpoinum per fratrem Hildeboldum, Compresbyterum nostrum VIII. Idus Iunii defunctum audierim, non tamen statui antea Dominationi vestræ quidquam inde suggerere, aut pro eadem Ecclesia postulare, priusquam secundum regularem morem ab ea Legatos acciperem. Quia, ut Leo in Decretis suis dicit, *si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter scienterq; curandum est, ut in domo Domini nihil sit inordinatum, nihilq; præposterum; quantò magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non sit in capite.* Vbi est illa beati Pauli Apostoli per spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omnium Christi Sacerdotum numerus eruditur? & proinde unicuique nostrûm dicitur: *Manus nemini citò imposueris, neq; communices peccatis alienis.* Vnde religiosa sapientia vestra inter hæc alia duo Decreta B. Leonis, sagacissimè ponderabit, quibus dicit, *ut in domo Domini nihil sit inordinatum, nihilq; præposterum.* Quæ si idem sanctus & sapiens ita apertè non poneret, subtilitas intellectus vestri sufficienter enuclearet.

1. Tim. 5.

Propterea, Domine reverendissimè ac clementissimè, dignetur mihi Dominatio vestra literis suis significare, quem vultis de Coepiscopis nostris, ut ei ex more literas Canonicas dirigam, & Visitatoris officio fungens, in eadem Ecclesia electionem Canonicam faciat, & aut per se, aut per literas suas, Vicario suo deferente eandem electionem, cum Decreto Canonico singulorum manibus roborato ad me referat, vel per me ipsa Electio ad Dominationis vestræ discretionem perveniat; & quia in domo Dei, ut ex verbis Leonis præmisimus, *nihil authoritas patitur inordinatum esse, nihilq; præposterum*, cum vota concordia Cleri ac Plebis in electione regulari, vel vestræ Dominationis consensũ cognoverimus, literas Metropo-

tropolitanæ authoritatis super electionem certæ personæ ad Coepiscopos Remorum dioeceseos dirigemus, certum diem ac locum eis designantes, quando & quò ad ordinationem ipsius Electi, aut ipsi conveniant, aut literas sui consensus per Presbyterum aut Diaconum vice sua transmittant.

Epistola Hincmari Remorum Archiepiscopi, ad Hadebertum Silvanectensis Ecclesiæ Episcopum, pro eligendo Belvacensis secundæ Ecclesiæ Episcopo. Pag. 589.

HIncmarus sanctæ Metropolis Ecclesiæ Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, Dilecto fratri ac venerabili Coepiscopo nostro Hadeberto salutem. *Admonitoria ad Coepiscopum pro electione Episcopi.*

Dilecto Fratre ac venerabili Consacerdote nostro Hodone, Episcopo Ecclesiæ Belvacensis defuncto, hortor ac moneo dilectionē tuam, Frater charissime, ut ejusdem Ecclesiæ officio Visitatoris consensu Domini nostri Ludovici Regis nostræ humilitatis Metropolitana delegatione suscepto, ad eandē Ecclesiam quantocyus studeas properare, & assiduis hortationibus Clerū plebemq; ejusdem Ecclesiæ publicè admonere festines, ut remoto privato studio, uno eodemq; consensu, talē sibi præficiendum expetant & eligant Sacerdotē, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis Canonibus nullatenus respuatur. Formam autem electionis, qualiter & qualē eligere debeant, tuæ Dilectioni transmitto, quam publicè coram omnibus tua solertia relegi faciat, ne de ignorantia se quilibet excusare valeat. Quæ electio non tantùm à civitatis Clericis erit agenda, verùm & de omnibus monasteriis ipsius Parrochiæ, & de rusticarum Parrochiarum Presbyteris occurrant Vicarii, commorantium secum concordia vota ferentes; sed & Laici nobiles ac cives adesse debebunt, quomodo *ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Et si post electionem formæ electionis à nobis per tuam dilectionem eis transmissæ, concordes omnes in quamcunq; regularem personam inveneris, moneas eos, Decretum Canonicum ab eis fieri, & singillatim omnium manibus roborari, & cum Decreto Canonico, atque cum tantis, qui sufficienter omnium vice testimonium electo ferre possint, eundem Electum ad nos adducere tecum examinandum procura. Tua autem dilectio, Frater charissime, solerti cura in hac electione invigilet; præsertim cum nobiscum tibi necesse erit, ei qui ordinandus est, manus imponere, qui benè nosti præceptionem beati Pauli Apostoli per Spiritum Dei emissam, qua in persona Timothei omnium Christi Sacerdotum numerus eruditur. Proinde unicuique nostrûm dicitur: *Manus nemini citò imposueris, neq; communicees peccatis alienis. Quid est,* inquit Leo, *citò manus imponere, nisi honorem tribuere non probatis? & quidem communicare peccatis alienis; nisi talem effici ordinantem, qualis & ille est, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo Sacerdotem, judicium; ita gravi semetipsum afficit damno qui in suum Collegium scienter assumit indignum. Non ergo in cujusquam personam prætermittendum est, quod institutis generalibus continetur. Nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra divinæ legis præcepta collatus; & non est hoc consulere populis, sed nocere: nec præstare regimen, sed augere discrimen.* 1. Tim. 5.

Epistola

Pag.587.

Epistola Hincmari, Archiepiscopi ad Hedenulfum, Laudunensis Ecclesiæ Episcopum, pro eligendo Cameracensis Ecclesiæ Episcopo.

HIncmarus sanctæ Metropolis Ecclesiæ Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, dilecto fratri ac venerabili Coepiscopo nostro Hedenulfo salutem. Dilecto fratri ac venerabili Consacerdote nostro Ioanne Ecclesiæ Cameracensis, defuncto, hortor ac moneo dilectionem tuam, frater charissimè, ut ejusdem Ecclesiæ officio Visitatoris nostræ humilitatis Metropolitana delegatione suscepto, ad eandem Ecclesiam quantocyus studeas properare, ac assiduis hortationibus Clerum Plebemque ejusdem Ecclesiæ publicè admonere festina, ut remoto privato studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant ac eligant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis Canonibus nullatenus respuatur. Formam autem electionis, & qualem eligere debeant, tuæ Dilectioni transmitto; quã publicè coram omnib⁹ tua solertia relegi faciat, ne de ignorantia se quilibet excusare prævaleat. Quæ electio non tantùm à Civitatis Clericis erit agenda, verùm & de omnib⁹ Monasteriis ipsius Parrochiæ, & de rusticanarum parrochiarum Presbyteris occurrant Vicarii, cõmorantium secum concordia vota ferentes; sed & Laici nobiles ac cives adesse debebunt; quoniam ***ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.*** Et si post lectionem formæ electionis à nobis per tuam Dilectionem eis transmissæ, concordes omnes in quantumcunque regularem personam inveneris, moneas eos, Decretum Canonicum ab eis fieri, ac singillatim omnium manibus roborari; & cum Decreto Canonico, atque cum tantis, qui sufficienter omnium vice testimonium electo ferre possint, cum eis mandavero, eundem electum ad nos adducere curent.

Pag. 599.

Ejusdem Hincmari ad Clerum & Plebem Belvacensis Ecclesiæ Epistola.

Hortatoria, ut Ecclesia Episcopum sibi idoneum eligat.

HIncmarus sanctæ Metropolis Ecclesiæ Remorum Episcopus, ac Plebis Dei famulus, Clero & Plebi in parrochia Belvacensi consistenti. Quia defuncto dilecto vel venerabili Confratre & Consacerdote nostro, Patre videlicet ac Pastore vestro Hodone, electione Canonica à Domino nostro Rege vobis solita benignitate concessa, necesse erit, ut de eligendo atque constituendo vobis Pastore, vel Doctore atque Rectore secundum Ecclesiasticas regulas votis nostris in unum Domino mediante convenientibus, præmissis jejuniis & letaniarum obsecrationibus, tractare quantocyus maturetis, & exorato eo, ***à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum***, quique facit unanimes habitare in domo; ita vos cum

studiis

ſtudiis hujus venerandi Fratris ac Coepiſcopi noſtri, cui ſecundum inſtitutionem Canonicam Viſitatoris officium in Eccleſia, cujus amore vel vigore fovemini, delegavimus, in electione regulari concorditer uniatis, ut Paſtore vos diutius deſtitutos non doleatis. De cujus videlicet è vobis conſecrandi Epiſcopi electione, pro impoſito nobis miniſterio, & cura totius Provinciæ ſecundum myſticæ Nicænæ Synodi Canones delegata, Fraternitati veſtræ authoritatem divinitùs promulgatã intimare ſatagimus; primò ſcilicet, ut Decretũ ſine Viſitatoris præſentia nemo conficiat, cujus teſtimonio Clericorum ac civium poſſit unanimitas declarari. Deinde, ut de Eccleſia veſtra, ſive ſit in Civitate, ſive in Monaſteriis, his diſciplinis inſtitutũ, & ita Apoſtolicæ formæ convenientem dedicationibus vel presbyteris eligatis vobis authore & fautore Domino conſecrandum Epiſcopum, ſicut, cum de eligendo atque conſtituendo Epiſcopo ageret, Tito & Timotheo Paulus depingit Apoſtolus. Et ſi, quod abſit, de civitatis ac parrochiæ veſtræ civium ordinandus Epiſcopus Clericis nullus dignus vel idoneus ſummo ſacerdotio, quod evenire non credimus, poterit inveniri: tunc alterum de altera diœceſeos noſtræ Eccleſia, unde nobis ſecundum Africanum Concilium, ſine cujuſquam contradictione, ordinandi quenquam Canonicè electum & peritum eſt attributa licentia, eligere procurate, qui merito vitæ & ſcientiæ doctrina vobis præeſſe valeat & prodeſſe; quiq; ſacris Canonibus, præcipuè Capitulo Carthaginenſis Concilii, *qualis debeat ordinari Epiſcopus*, non debeat obviare; & à Decretis Patrum, Siricii videlicet, Innocentii, Celeſtini, Leonis, Gelaſii atque Gregorii, quantum patitur humana fragilitas, & poteritis conſpicere, non valeat quoquo modo diſcrepare. Si etiam de alterius diœceſi Archiepiſcopi, vel Parrochia Epiſcopi, quenquam vobis notum, proficuum & utilem eligere malueritis, neceſſe vobis erit cum beneplacito illius Epiſcopi, cujus intererit, & literis Canonicis petitum obtinere, & ad nos illum mediante Viſitatore veſtro examinandum adducere, quatenus ſi congruus ſacris Canonibus inventus fuerit, vobis ordinetur Epiſcopus. Ante omnia autem cavete in electione Pontificis *Malum Symoniacæ hæreſeos*, ne pro dato aliquo, vel promiſſione inlicita, neque pro gratia cujuſcunq;, vel familiaritate, aut propinquitate alicujus, quenquam attentetis eligere; non eum, cui nulla natalium, nulla morum dignitas ſuffragetur, vel qui originali aut alicui conditioni obligatus detineatur; neminem ex Laicis *neophytum*, id eſt, noviter attonſum, & ſine diſciplina, vel non per tempora conſtituta ad Eccleſiaſticos gradus provectum. Quod ideo ſpecialiter deſignamus, quia cum Canones dicant *Nullus ex Laicis ordinetur*; demonſtrant, quòd non de omnibus ſit Laicis conſtitutum. Neque enim Clerici naſci, & non poſſunt fieri, ſed deſignata ſunt genera, de quibus ad Clericatum pervenire non poſſunt: id eſt, ſi quis fidelis militaverit, ſi quis fidelis cauſas egerit, hoc eſt, poſtulaverit; ſi quis fidelis adminiſtraverit, ſi quis vir æde ſervivit; ſi quis publicam pœnitentiam pro culpis criminalibns egit; ſi quis bigamus, vel qui maritus viduæ fuit; vel ſicut Concu-

Carth. Conc. 4. can. 1.

binam vel pellicem novit. Cavete nihilominus, ne in literatum vel alicujus hæreſeos peſte corruptum, ac aliquorum membrorum damna perpeſſum, nō negociatorem Clericum, aut inhoneſtis & lucris turpibus incubantem, aut horrendis quibusdam criminibus implicatum vel diffamatum, vel dæmoniis ſimilibusq; paſſionibus irretitum eligere attentetis; ſed domui Dei dignum, fidelem atque prudentem miniſtrum & diſpenſatorem eligere. Quatenus interius exteriusq; decenter ornatus, formam vivendi vobis religioſa converſatione demonſtret, vel ſana doctrina inter hujus mundi ac tribulationum tenebras, recto calle gradiendi ſine offenſione ad portum ſalutis æternæ lumen manifeſtare prævaleat; & contra barbaricam infeſtationem, ſi, quod abſit, acciderit, vobis ferre auxilium prudentia ſciat, virilitate valeat, temperantia conſulat, & ſic exteriora adminiſtret, ut interiora non deſerat; ſic interioribus ſerviat, ut exteriora penitus non relinquat, & ambidexter, contemplationi mente inſerviat, vitæ activæ ſervitiis intentus, ut fidelis ſervus & prudens conſervis in tempore tritici menſuram, id eſt, modum verbi fidei probatæ diſpenſet. *Luc. 12.* Non ſolum in prædicationis ſermone, ac converſationis exemplo; verùm in cunctis ſalutis ac vitæ neceſſariis, neceſſaria & opportuna provideat. Hujuſmodi autem, quantum Dominus dederit, ipſo cooperante electum, cum Viſitatore veſtro præſente, ſcilicet confratre noſtro, & cum Decreto Canonico ad humilitatis noſtræ ſolicitudinem examinandum adducite, quia (ut longè ante nos dictum eſt) non eſt facilè dimittendus, cui eſt proximus committendus. Prænoſcere vos denique volo, qui, ſi perſonam à ſacris Canonibus deviam ſcienter vobis adduxeritis, non ſolùm ex ea Pontificem non habebitis, verùm etiam pro illicita electione, ut contemptores Canonum judicium incurretis; ſed & noſtro ac Coepiſcoporum noſtrorum judicio refutata rationabiliter electione veſtra incongrua, talem ſecundum Laodicenſes Canones ſtudebimus eligere, qui veſtris vitioſis voluntatibus non debeat conſentire. Quia ſicut benè petentibus dicit Dominus, *Petite & accipietis*; ita & per Apoſtolum malè petentes redarguit, dicens, *Petite, & non accipietis, eò quòd malè petatis.* Petite fratres, at ut vobis paſtorem ſecundum cor ſuum tribuat. In cujus electione ſi non plus temporalia quàm ſpiritualia commoda ſtudueritis attendere, gratiam ſuæ electionis, electioni veſtræ, bonorum operum & piorum ſtudiorum auctor & cooperator ſtudebit accommodare; qui non ſicut homo, tantum in facie, ſed ſingulorum corda ſcrutatur, & renes; cui eſt honor & gloria, poteſtas & imperium ſecula ſeculorum, Amen.

Pag. 388.

Ejuſdem Hincmari ad Clerum & plebem Cameracenſis Eccleſiæ Epiſtola.

De electi Epiſcopi profeſſione.

HIncmarus ſanctæ Metropolis Eccleſiæ Remorum Epiſcopus ac plebis Dei famulus, Clero & Plebi in Parrochia Cameracenſi conſiſtenti. Qui defuncto

dilecto

dilecto & venerabili Confratre ac Consacerdote nostro, Patre videlicet ac Pastore vestro Ioanne, necesse est, ut de eligendo atque constituendo vobis Pastore & Doctore atque Rectore, secundum Ecclesiasticas regulas votis nostris in unum Domino mediante convenientibus, præmissis jejuniis ac letaniarum obsecrationibus, tractare quantocyus maturetis; & exorato eo, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum*, quique facit unanimes habitare in domo; ita vos unà cum studiis hujus venerandi Fratris ac Coepiscopi nostri, cui secundum institutionem canonicam Visitatoris officium in Ecclesia, cujus amore ac vigore fovemini, delegavimus, in electione regulari concorditer uniatis. Talem autem vobis futurum Pastorem eligite, qui merito vitæ, & scientiæ doctrina vobis præesse valeat, & prodesse, quiq; à Canonibus sacris non discrepet. De cujus electione Decretum canonicum unanimi voto agere, & singillatim omnium vestrûm manibus in præsentia hujus Visitatoris vestri roborare satagite. *Iac. 1.*

Hæc sequentia Capitula præcedenti Epistolæ adhærent, ex Decretis Celestini Papæ cap. 18.

NVlius invitis detur Episcopus; Cleri Plebis & Ordinis consensus & desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Primùm enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de aliis Ecclesiis meritò præferantur. Habeat unusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat; nec alii debitam, alter sibi audeat vendicare mercedem. Sic facultas Clericis renitendi si sit, viderint prægravari, & quod sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare; quasi non debitum præmium, vel liberum, de eo qui eos recturus est, debent habere judicium.

Item ex Decretis Papæ Leonis, cap. 12.

Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Provincialibus Episcopis cum Metripolitani judicio consecrati.

Item ex Decretis ejusdem, cap. 35.

Cum ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri Plebisq; consensus concorditer postularit; ita ut si in aliam fortè personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præponatur, *qui majoribus & studiis vivat, & meritis*; tantum ut nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quàm convenit, cui non licuerit habere quem voluit.

Item ex Decretis Papæ Celestini, cap. 20.

Celeſtinus univerſis Epiſcopis per Apuliam & Calabriam conſtitutis. *Nulli Sacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum poſſit regulis obviare. Quæ enim à nobis res digna ſervabitur, ſi Decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permiſſa frangatur?*

Ne quid ad cognoſcendum totum ordinem promotionis Epiſcoporum deeſſet, pauca hæc ſequentia ex Veteri Pontificali, hiſce Hincmari monumentis adjecimus.

Epiſtola Vocatoria pro ordinando electo Epiſcopo.

Extat inter Hincmari Epiſtolas p. 619.

Dilectiſſimis Fratribus & filiis presbyteris, Diaconis honoratis, Clericis & poſſeſſoribus, vel cunctæ plebi illius Eccleſiæ: ſimulq; vocato Epiſcopo illo Maximo auxiliante Domino Metropolitanus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ illius.

DIlectionem veſtram ſalubriter alloquimur; quia prædictum talem à vobis electum Epiſcopum, virum venerabilem, tali Eccleſiæ ordinare compellimur, laudemus & honoremus Ieſum. Chriſt. ut qui vobis hanc electionis devotionem dedit, nobis quoque perficiendi tribuat facultatem. Iam ſatum virum religioſa violentia tenete, & ad ſanctam ſedem noſtram illum perducere feſtinate: qui fortè magis dignior erit, ſi ſe occultare voluerit. Ob quam rem hanc direximus admonitionem, quemadmodum optimè placuit ſanctæ Synodo, Epiſcopum ſine vocatoria ſuſcipi non debere, ne obſcuritas dubiæ ordinationis incurrat.

Decretum, quod Clerus & Populus firmare debet de electo Epiſcopo.

Hincmari Opuſcul. p. 616. 617.

DOminis Patribus illis venerabilibus ſcilicet Epiſcopis diœceſeos Metropolitanæ, Clerus, Ordo & PLEBS huic ſanctæ Eccleſiæ ſpecialiter obſequentes. Veſtræ paternitati eſt cognitum, quantum temporis eſt, ex quo accidentibus variis eventibus hæc ſancta Eccleſia Metropolis noſtro ſit viduata Paſtore, ac deſtituta Rectore; quod nō ſolum ad noſtrum, verùm ad veſtrum, ac omnis diœceſeos detrimentum pertinere dinoſcitur, cùm totius provinciæ ſolicitudinem Metropolitano conſtet eſſe comiſſam. Propterea eligimus hujus diœceſeos hujus Eccleſiæ presbyterum nomine illis nobis ſufficientiſſimè cognitū, natalibus & moribus nobilem, Apoſtolica & Eccleſiaſtica diſciplina imbutū, fide catholicū, natura prudentē, docibilem, patientem moribus, temperatū vita, caſtum, ſobrium, humilem, affabilem, miſericordē, literatum, in lege Dei inſtructum, in ſcripturarū ſenſibus cautū, in dogmatib⁹ Eccleſiaſticis exercitatum, & ſecundū ſcripturarū tramitem traditionemq; ortho-

orthodoxorum, & Canonum ac decretorum ſedis Apoſtolicæ præſulum conſtitutiones, ſano ſenſu Eccleſiaſticas regulas intelligentem, ſanoque ſermone docentem ac ſervantem, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, & cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt, & ſi qui ſanæ doctrinæ adverſantur, eis reſiſtere & redarguere prævalentem, hoſpitalem, modeſtum, ſuæ domui benè præpoſitum, non neophytum, habentem teſtimonium bonum, in gradibus ſingulis ſecundum traditionem Eccleſiaſticam miniſtrantem ad omne opus bonum & ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea quæ in illo eſt ſpe paratum. Quem vobis quantotius petimus ordinari Pontificem, quatenus authore Domino regulariter nobis præeſſe valeat, & prodeſſe, & nos ſub ejus regimine ſalubriter Domino militare poſſimus. *Quia integritas præſidentium ſalus eſt ſubditorum; & ubi eſt incolumitas obedientiæ, ibi ſanè eſt forma doctrinæ.* Vt autem omnium noſtrum vota in hanc electionem convenire noſcatis, huic decreto Canonico promptiſſima voluntate ſinguli manibus propriis laborantes ſubſcripmus.

Item ſubſcriptio Epiſcoporum in electionem Epiſcopi.

ILL. illius Eccleſiæ Archiepiſcopus in electionem Domini N. Eccleſiæ ill. Epiſcopi ſubſcripſi. Iſti in ordinationem illius Eccleſiæ Epiſcopi ipſo conſentiente ordinati conſenſerunt, quod præſens inſcriptio manifeſtat. Et paulò poſt ſequitur Rubrica. *Tunc advocantur in Baſilicam Presbyteri à dextris ejus, & Diaconi à ſiniſtris.* Hincmar. Ep. p. 620 *Ipſe verò inclinato capite in medio eorum incedit, uſquedum veniat ante altare, tunc exuatur caſula, & induat eum Pontifex planeta, & legat brevem, hunc modum continentem.* Cives, *inquit*, noſtri elegerunt ſibi illum paſtorem. Oremus itaque Deum pro hoc viro, ut Deus omnipotens infundat in eum gratiam Spiritus ſui, ut dignus habeatur ad cathedram Epiſcopatus regendam. Et reſpondetur à Schola, *Chriſte audi nos:* & cantatur letania, &c.

Ex eodem Pontificali, quòd etiam Sacerdotes à plebe eligi oportuit.

ET alloquatur populum ſequentibus verbis, pro *ordinando Presbytero:* Quo modo dilectiſſimi fratres, rectori navis & navigio deferendis eadem eſt vel ſecuri- Hincm. Ep. p. 620, 621. tatis ratio, vel timoris; ita communis eorum debet eſſe ſententia, quorum cauſa communis exiſtit; nec fruſtra à Patribus reminiſcimur inſtitutum, ut de electione eorum qui ad regimen altaris adhibendi ſunt, conſulatur & Populus, quia de actu & converſatione præſentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, ſcitur à paucis. Et neceſſe eſt, ut facilius quis obedientiam exhibeat ordinario, cui aſſenſum præbuit ordinando, fratrum noſtrorum & Presbyterorum N. converſatio, quantum mihi videtur, probata ac Deo placita eſt, & digna ut arbitror Eccleſiaſtici ho-

noris augmento: ne unum fortaſſe vel paucos aut decipiat aſſenſio, aut fallat affectio, ſententia eſt expetenda multorum. Itaque quid de eorum moribus aut actibus noveritis, quid de meritis conſentiatis, Deo teſte conſulimus. Debet hanc fidem charitas veſtra habere, quam ſecundum Præceptum Evangelii & Deo exhibere debetis, & proximo, ut his teſtimonium ſacerdotii magis pro merito quàm affectione aliqua tribuatis. Et qui devotionem omnium expectamus, intelligere tacentes non poſſumus. Scimus tamen, quod eſt acceptabilius Deo. Aderit per Spiritum ſanctum conſenſus unus omnium animorum. Et ideo electionem veſtram debetis publica voce profiteri. Illis autem profitentibus, dicat eis Epiſcopus, qui ad Preſbyterii gradum provehendi ſunt, &c. Iam ad Hincmarum noſtrum redibimus, & *formulam fidei & regiminis*, quam Epiſcopi exhibere Metropolitano ſoliti ſunt, adſcribemus.

Hincmar. Epiſt. p. 622, 623.

Formula fidei.

Profeſſio Morinenſis Eccleſiæ, Epiſcopi nomine Adalberti, ad Hincmarum Remorum Archiepiſcopum, &c. Ego Ill. Presbyter vocatus Epiſcopus, &c. Reverendiſſimo patri Hincmaro Remorum Archiepiſcopo. Quia fundamentum bonorum operum, per quod ad cœleſte regnum gratia Domini pervenitur, fidem, quæ per dilectionem operatur, eſſe non dubium eſt: non ab re cenſuit veneranda Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo, ut ab eis qui ad prædicationis promoventur officium, fidei integritas & confeſſio requiratur. Quia, ſicut Magiſter egregius & Doctor gentium Paulus declarat, Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Et ideo mox gratia ſuperna per ſacroſanctum miniſterium veſtrum, Morinenſis Eccleſiæ futurus Epiſcopus, profiteor unam fidem eſſe, eamq; operãte gratia ſuperni largitoris me tenere, prædicare atq; defendere, quam à Deo inſpiratam, & ab Apoſtolis traditam, atque à Succeſſoribus eorum cuſtoditam habemus. Confiteor unum baptiſma, in remiſſionem peccatorum: unam Apoſtolicam & univerſalem Eccleſiam, in qua ſola poſſunt relaxari peccata in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, tam per catholicum baptiſmum, quàm & per dignos pœnitentiæ fructus, & Apoſtolicæ authoritatis largitam ſibi à Domino poteſtatem. Extra hanc autem Eccleſiam Catholicam neminem ſalvari poſſe confiteor. Sex denique ſanctas & generales de fide Synodos, quas ſancta & Apoſtolica Eccleſia recipit, me recipere & venerari profiteor: videlicet Nicænam trecentorum decem & octo Patrum, ſub Sylveſtro Papa & Conſtantino Imperatore, contra Arrium & ejus ſectatores celebratam: Conſtantinopolitanam, CL. Patrum, contra Macedonium & Eudoxium, temporibus Damaſi Papæ & Gratiani principis actam: Epheſinam, CC. Patrum, contra Neſtorium, ſub Theodoſio Magno principe & Papa Celeſtino, cui per ſuos Vicarios præſedit idem beatus Papa Celeſtinus, & ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus: Chalcedonenſem, ſexcentorum triginta Patrum, cui præſedit per Vicarios ſuos ſanctus Leo Papa, temporibus Martiani principis, contra Eutychen nefandiſſimum Præ-

ſulem

ſuſem Monachorum celebratam:item Conſtantinopolitanam, temporibus Vigilii Papæ, ſub Iuſtiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos: item Conſtantinopolitanam CL. Patrum, ſub Agathone Papa, Conſtantini & Heraclii ac Tiberii Principum temporibus, pro adunatione facienda ſanctarum Dei Eccleſiarum, de duabus naturis & operationibus in una perſona Dei & hominis Filii Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eos autem quicunque ab eiſdem ſanctis Patribus in memoratis Synodis, vel poſtea, ſimiliter per Spiritum ſanctum ſentientibus diverſis vicibus literis divinitus inſpiratis, damnati leguntur, eandem venerandam Patrum authoritatem ſequens condemno. Sed & Epiſtolam beatæ recordationis Leonis Apoſtolicæ ſedis antiſtitis, ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum datam, & omnes ejus Epiſtolas de fidei firmitate perſcriptas, per omnia & in omnibus inviolabiliter cuſtodire, & me liberè ſemper prædicare profiteor. In quibus inter cætera (ſicut & in ſermone beati Athanaſii, quem in Eccleſia Catholica venerando uſu frequentare conſuevit, qui ita incipit, *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem*) poſt documentum quo docemur, quomodo trinitas perſonarum in unitate divinitatis, & unitas Deitatis in trinitate perſonarum veneranda ſit, evidentiſſimè continetur, unam ex eadem ſancta Trinitate perſonam Dominum & Salvatorem noſtrum Ieſum Chriſtum Dei hominisq; filium, ex duabus & in duabus naturis, hoc eſt, divina & humana, in una perſona conſiſtentibus, & in ſua proprietate differentiaque manentibus, eſſe credendum & prædicandum: qui ſecundum Apoſtolicum Symbolum, de ſemper virgine Maria, quæ & veraciter Dei eſt genitrix, ſecundum carnem natus, paſſus, mortuus, reſurrexit, & in cœlos aſcendit, ſedet quoq; ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines reſurgent cum corporibus ſuis, & reddent de factis propriis rationem, & recipiet unuſquiſq; prout geſſit, & in factis ſuis perſeveraverit, ab eodem juſto judice, & ſine fine regnante, cum ibunt impii in ignem æternum, juſti autem in vitam æternam. Anathematizo quoque omnes hæreſes ac ſchiſmata, quæ Catholica & Apoſtolica Eccleſia anathematizat: & quicquid ſanæ fidei intelligentiæ contradicit, reſpuo & anathematizo: & quicquid Catholica & Apoſtolica Eccleſia recipit & tenet, me adjuvante Domino recipere & ſequi, & à ſacris Canonibus atque Regularibus Decretis Apoſtolicæ ſedis de Eccleſiaſticis ordinibus & diſciplinis Canonum promulgatis, ſeu à Synodalibus Conſtitutionibus, quas Catholica Eccleſia ad authoritatem recipit, me per contemptum pertinaciter non deviaturum profiteor. Privilegio etiam Metropolis Remorum Eccleſiæ ac ejus Præſulis, ſecundum ſacros ſanctorum Conciliorum Canones, & decreta ſedis Apoſtolicæ ex ſacris Canonibus & legibus promulgata, pro ſcire & poſſe abſque dolo & ſimulatione, vel indebita & pertinaci

con-

contradictione me obediturum profiteor. Sed & observationes ac regularia mandata, sacrorumque Conciliorum placita, quæ post ordinationem Episcopalem in literis Canonicis secundum morem Ecclesiasticum propriis subscriptionibus roboratis collecta, & mihi tradenda coram omnibus prædixistis, me servaturum profiteor, & omnibus suprà scriptis cum cordis & oris professione subscribo.

Pag. 590. *Hincmarus, sanctæ Metropolis Ecclesiæ Remorum Episcopus, Clero, Ordini & Plebi in sancta Tornacensi Ecclesia consistenti, in Domino pacem & salutem.*

Adversus Ministerii Ecclesiastici varias corruptelas. SIcut beatus Papa Innocentius docet, *oportet nosse, quicquid Ecclesia Romana custodit, à qua principium sacræ institutionis nos accepisse dubium non est.* Propterea documento ac verbis beati Gregorii vos alloqui procuramus, insinuantes, quòd probabilibus desideriis vestris nihil attulimus tarditatis: fratrem jam ac coepiscopum nostrum vobis ordinantes præsentia vel consensu ac literis coepiscoporum totius nobis commissæ Provinciæ, secundum sacros Canones Sacerdotem, Pastorem quoque, atque Rectorem. Cui his literis, quas sacri Canones, ordinatos prius de Conciliorum placitis, ne se aliquid contra eorum statuta fecisse pœniteat, instructos ab Ordinatoribus suis, manibus eorum conscriptas, jubent accipere, secundum traditionem Ecclesiasticam dedimus in mandatis; *ne unquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem, (si de conjugatis agendum est,) non est sortitus uxorem, neq; illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex publica pœnitentia vel Curia aut cuilibet conditioni obnoxium, notatumq; ad sacros ordines permittat accedere.* Sed & si quos hujusmodi fortè repererit, respectu divino non audeat promovere. Alienum etiam Clericum sine voluntate & consensu Episcopi sui contra sacras regulas non solicitet, non suscipiat, non in sibi commissa Ecclesia ordinet: nec eos qui probatæ fidei non fuerunt, sacris ordinibus præsumat quoquo modo

Pag. 591. applicare. In ordinatione autem Presbyterorum ac Diaconorum, cæterorumque Ecclesiastici ordinis ministrorum, ac totius muneris, id est, à manu, à lingua, ab obsequio in debito, juxta quod Dominus per Prophetam præcipit, quantum patitur humana fragilitas, mundas, & cordis & corporis manus exhibeat, ne uno eodemque gladio & dantem & accipientem munus interimat: & illicito munere polluens manus, aliis se benedictionem credat tribuere, cum fuerit jam propriæ iniquitati substratus, & sua nihilominus ambitione captivus. Ab eis etiam quos ordinaverit indebitum & contra sacras regulas sibi sacramentum fieri non compellat: sed sicut Dominus, præscius nonnullos accepti Spiritus sancti donum in usum negotiatio-

Matth. 10. nis inflexuros, præcepit dicens, *Gratis accepistis, gratis date*: quod gratis, id est, sine ulla venalitate dati vel accepti, aut etiam promissi vel sperati muneris, quantum ex vobis est; cæterùm ipse viderit, habens conscientiæ suæ testem, quem habebit, & judicem.

dicem. Quæ igitur per ministerium nostræ exiguitatis accepit, suis etiam commini- *Matth. 21.*
stris gratis conferat; sciens ex Evangelio, quòd Redemptor noster per semetipsum fecerit, videlicet quòd ingressus templum cathedras vendentium columbas everterit. Columbas enim vendere, est de Spiritu sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Quod qui agere præsumit, suam Deo judice cathedram ipse evertit: & quos cum precio ordinat, provehendo agit ut secum & ipsi Simoniaci hæretici fiant; & pro benedictione maledictionem à beato Petro Apostolorum principe, Simoni Mago, qui donum sancti Spiritus pretio emere voluit, *Act. 8.*
justè illatam, unà cum ipso, per ipsum à quo non benedicuntur, judicio ejusdem Spiritus sancti suscipiunt. Et quoniam, sicuti comperimus, quidam diversis adinventionibus turpia lucra sectantes, quod ministris altaris minimè convenit, defunctis Presbyteris, juxta quod didicerant viduatas Ecclesias facultates habere, xenia pro his obtinendis exegerunt, & gradus Ecclesiasticos eis non tribuebant, antequam illis eadem xenia persolverentur, & Synodos temerè frequentabant, ut factione ministrorum suorum diverso modo denarios quasi pro eulogiis acciperent. Et, (quod dictu nefas est) etiam pro sacri chrismatis dispensatione, vel de Ecclesiarum consecratione quæcunque emolumenta ingenio caperent; & necesse est, ut contra pestifera morborum genera salubria medicamentorum quærantur experimenta, sicuti & de manus impositione, ita & de hac simoniacæ hæreseos ingeniosa & malè studiosa collatione, quiddam eum accipere interdicimus, monentes illum attendere comminationem Domini per Prophetam dicentis: *Ne fortè* *Ier. 4.*
egrediatur, ut ignis, indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat propter malitiam studiorum vestrorum. Vnde iterum iratus dicit: *Visitabo super vos juxta fructum* *Ier. 21.*
studiorum vestrorum. Verbis quoque beati Gregorii eum monemus, illiq; interdicimus, ut Sacerdotes per suam parrochiam constitutos, quotiens ad consignandos infantes egressus fuerit, ultra modum gravare minimè debeat: nec summam collationis, quas sui prædecessores, qui hoc benè, misericorditer, ac rationabiliter, atque sacris constitutionibus convenienter contenti fuerunt, excedat. Et de Capellis antiquitus subjectis Ecclesiis, non æqualem sicut de principalibus Ecclesiis collationem exigat: sed principalis Ecclesia cum sibi subjectis capellis, debitam & antiquitus consuetam collationem conferat. Principales verò Ecclesias aliis Ecclesiis loco Capellarum non subjiciat: Quia secundum sacros Canones, non licet Episcopis, parrochiam antiquitus constitutam inconsultè confundere atque dividere, nec mansionaticos suis amicis aut suis hominibus à Presbyteris parari. Nec etiam quasi ad receptionem Regis, vel Legationum, aut ad ornatus suæ Ecclesiæ faciendos adjutoria, quasi petendo potius aut exigendo denarios, vel caballos, aut verres, seu friskingas, aut ad iter aliquod paraveredos, aut alia quælibet accipiat, id est rapiat: à quo verbo

Ll accipe-

Pag.593. accipere, aves quæ alias aves capiunt, accipitres nominantur; cum Episcopi suos subditos non ut accipitres rapere, sed sicut gallina pullos suos fovere, & quosque infirmos ut peritus Medicus convenienti medicamento ac tempore debeant curare: & quos curare non potuerint, aut patienter tolerare, aut regulariter usque ad correctionem sustinentes à sano corpore submovere. Regulam siquidem, quæ de quarta parte redituum Ecclesiæ juxta consuetudinem aliarum regionum, ita ut est scripta, intelligat: & non pravè illam interpretans, perinde in his regionibus quæ sunt Presbyterorum contra regulas sacras diripiat. Vnde si qua fuerunt gravamina illis imposita, temperet: qui & in præsenti & in futura vita sibi prospiciet, si eos qui sibi commissi sunt, sine gravamine conservare studuerit. Ministros verò, id est Archipresbyteros, & Archidiaconos, secundum quod providere Domino inspirante & cooperante valuerit, tales constituat, qui oderint avaritiam, & non diligant munera, nec sequantur retributiones, neque pro ordinandis Clericis vel reconciliandis pœnitentibus munus accipiant, & ipso munere eum corrumpere satagant, & Presbyteros in paratis & exequiis indebitis non affligant. Et sicut suprà de Christo diximus, per diversas petitiones, ut illis adjutorium faciant, quæ sunt Presbyterorum, unde ipsi vivere, & hospites recipere, & suas Ecclesias continere debent, colludio quocunque diripiant. Et ut eisdem ab inquisitione sui ministerii parcant, & pro infamia eorum calcanda vel cooperanda quodcunque emolumentum non accipiant: & si agentes talia ministros repererit, in ministerio manere non sinat, & Canonica invectione corripiat.

Edit. Paris. Monasterialibus Ecclesiis-Pag.593.

Ipse quoq; pro constituendis Ministerialibus Ecclesiasticis, videlicet Oeconomum, id est, Ecclesiasticarum facultatum dispensatorem, Archipresbyteros & Archidiaconos, in quibus fidei synceritatem & probos mores ac religiosam vitã debet eligere, præmio non constituat. Quia Ecclesiasticum obsequium, quod malè comparaverint accipientes munus à subditis, pœnis venundare curabunt. Nec pro quocunq; judicio contra sacras leges, neque super innocentem contra veritatem precium ullum accipiat; nec etiam odio vel gratia, livore aut iracundia, quantum scierit & potuerit, à judicio recto declinet, dicente Domino: *Non facias quod iniquum est, nec injustè judicabis, justè judica proximo tuo, & justè quod justum est exequaris.* Iustè namque quod justum est exsequitur, qui in adsertione justitiæ eandem ipsam justitiam quærit. Pro baptizandis deniq; infantibus, vel pro sepultura, obaudiens decreta beati Gregorii, precium de terra concessa putredini quenquam non permittat in parrochia sua quærere, & de alieno velle facere luctu compendium: sed si quando aliquem quisq; sepeliri in commisso sibi loco concesserit, siquidem parentes ipsius proximi vel hæredes pro luminaribus vel in eleemosyna defuncti sponte quid offerre voluerint, accipere non prohibeat: peti verò, aut aliquid exigi omnimodo

modo vetet, ne quod valde irreligiosum est, aut venalis (quod absit) dicatur Ecclesia, aut de humanis sacerdotalis religio videatur moribus gratulari, si ex eorum cadaveribus studuerit quærere modò compendium.

Ab omni quoque avaritia & usura, & turpi lucro secundum sacros Canones & ipse abstineat, & ministros Ecclesiasticos abstinere faciat, & etiam laicos abstinere suadeat. Se autem & sibi commissos ministros Ecclesiasticos solerter sollicitéque custodiat, ne contra sacros Canones conductores vel possessores alienarum possessionum fiant. Nec turpi negotio aut inhonesto lucro victum quærant, neque secularia negotia, sub cura sua suscipiant, Deique ministerium parvi pendentes, per secularium domos non discurrant. Nec propter avaritiam gratiæ, aut honoris, vel pecuniæ patrimoniorum solicitudines, aut alienorum testamentorum defen- *Pag. 595.*
siones adsumant, nec fidejussionibus inserviant; à familiaritate nihilominus ac contubernio illicito & vetito fœminarum se & comministros suos, sed & à tabernis secundum sacras regulas Ecclesiasticos ministros faciat abstinere. Attendat quoque, quod beatus Iob dicit, *Si adversum me terra mea clamat, & cum ea* *Iob. 31.*
sulci ejus deflent, si fructus ejus comedi absque pecunia. Vnde beatus Gregorius: *Omnis*, inquit, *qui præest, si perversa in subditis exercet, contra hunc terra clamat, & sulci deflent; quia contra ejus injustitiam rudes quidem populi in murmurationes erumpunt, sed perfecti quiq; pro pravo ejus opere sese in fletibus affligunt. Fructus enim terræ absq; pecunia comedere est, ex Ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prædicationis* *Matth. 25.*
precium non præbere. De qua videlicet prædicatione authoris voce dicitur: Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utiq; quod meum erat, cum usura. *Terra igitur fructus absque pecunia comedit, qui Ecclesiastica commoda ad usum corporis percipit, sed exhortationis ministerium populo non impendit. Exigit quod suo debetur corpori, sed non impendit, quod subjectorum debetur cordi.* Non igitur redemptionem aut precium de collatione Presbyterorum Episcopus debet exigere, & alimenta Ecclesiastica munus manducare. Et cum Dominus *Luc. 10.*
prædicatoribus præcipiat, ut intrantes in domos eorum quibus pacem prædicant, illa edant ac bibant quæ apud illos sunt: per parrochiam prædicando ac confirmando pergens Episcopus, non debet superfluas pensiones in pigmentis & aliis quibusque à Presbyteris, quæ non habent, requirere, & alia quæ fortè in domo sua non accipit, voluptati potius serviens quàm necessitati, exigere, & suis parcens opibus, de superfluè acceptis & venditis ditescere. Nec ideo debet prædicare, ut sumptus accipiat: sed ideo sumptus accipere, ut sufficiat prædicare. Ecclesias quoque in proprietatibus liberorum hominum ac cohæredum consistentes, ut suæ tradantur Ecclesiæ, non debet cogere; sed secundum Synodalia & Imperialia Capitula, quæ *regularia* esse probat Ecclesia, satagat, quatenus dotis immunitatem, *Pag. 596.*
sicut cæteræ Ecclesiæ, authoritate Regia habent, & ipse ab eisdem liberis hominibus potiantur. Talemque se cooperante Domino in cunctis exhibeat, ut sacrum

ministerium non vituperet; qui etiam ab his *qui foris sunt, testimonium bonum*, juxta Apostolicam doctrinam, *habere debet*. Nam cujus vita despicitur, restat ut & prædicatio contemnatur. Et cum Pastor per abrupta graditur, solet fieri, ut tandem ad præcipitium grex sequatur.

Et ne quenquam Ecclesiastici ordinis ministrum occasione turpis lucri, ut aliquid ab eo absoluto capiat, contra sacras regulas excommunicet, inhibemus. Quia
De pœnit. c. 3. ut sanctus Augustinus, exponens sententiam Pauli Apostoli, *Auferre malum ex vobis*, demonstrat; *non temerè & quomodolibet, sed per judicium auferendi sunt mali ab Ecclesiæ communione*; multò magis autem cavendum est, ne sine regulari judicio ministri Ecclesiæ officio suo priventur. Quapropter sicut beatus docet Gregorius, *si quid de quocunq; Clerico ad aures suas pervenerit, quod eum justè possit offendere, facilè non credat, nec ad vindictam illum res accendat incognita, attendens quod scriptum est*: Causam
Iob. 29. quam nesciebam, diligentissimè investigabam; *& præsentibus Senioribus Ecclesiæ suæ diligenter veritatem perscrutari modis omnibus studeat; & tunc, si qualitas rei poposcerit, canonicè districtio culpam feriat delinquentis, secundum ordinem à sacris regulis propositum*. Et, ut cuncta brevi cingulo perstringamus, nihil per contemptum contumaciter faciat, vel fieri in parrochia sua permittat, quantum ex ipso fuerit, quod sit Evangelicæ veritati & Apostolicæ traditioni atque sacris regulis inimicum.

Si autem factum contigerit, arguendo, obsecrando, increpando, secundum quod cuique viderit expedire, juxta traditionem majorum, quantum potuerit, emendare procuret. Pastoralem siquidem regulam beati Gregorii mente, ore, ac manu, quantum sibi Dominus scire ac posse contulerit, in cunctis sequi procuret.
Pag. 597. Ministerium itaque, ornatum, vel patrimonium atque redditus vel facultates Ecclesiæ, prout leges divinitus promulgatæ præfigunt, studeat conservare, ampliare, augere vel dispensare. Et monasteriis in parrochia sua sitis Canonicam providentiam gerat: & quantum ex ipso fuerit, debita Privilegia & antiquam ac regularem consuetudinem servet. Ordinationes verò Presbyterorum & Diaconorum, & sacrosancti baptismatis sacramentum, secundum traditionem Ecclesiasticam, studeat agere. Cui etiam licet inspirante divina gratia abundans adsit doctrina, tamen pro nostri officii debito, ex scrinio sanctæ Metropolis Ecclesiæ Remorum, documentum dare studebimus, qualiter se cooperante Domino morum probitate & doctrinæ studio debeat gerere. Ipsum verò non nescium, quòd totius Provinciæ cura per sacros Canones sit Metropolitano commissa, ad eandem Metropolim suam sicuti ad matrem, ut ex ejus Catholicis uberibus salubrem sugat doctrinam, humiliter ac sedulò atq; obedienter monemus recurrere, & non amplius quàm sibi per sacras regulas est concessum, indebitè usurpare, cum tanto charitatis ac humilitatis glutino præceptis salutaribus ad invicem simus
Deut. 32. connexi, ut dicente sibi mandato divino: *Interroga patrem tuum, & annunciabo tibi*
Eccles. 32. *majores tuos, & dicent*, *tibi* & nobis *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis*

quasi

quasi unus ex ipsis; & qui major est vestrum, erit minister vester; obedientibus scilicet ministrando paternam doctrinam, & in obedientibus (quod majoris est) regularem charitatis correptionem: nos Patrum ac Consacerdotum nostrorum salubribus debeamus uti consiliis, & ipsi obedire paternis ac regularibus monitis. Huic ergo & hæc & alia præcepta salubria observanti devotis animis vos obsequendo obedire oportet, ut irreprehensibile placidumq; fiat corpus Ecclesiæ, per Christum Dominum nostrum, qui vivit & regnat cum Deo Patre omnipotente in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Hincmarus sanctæ Metropolis Ecclesiæ favente Christi gratia Ordinator, his literis canonicis & ordinato & electoribus ipsius, datis anno incarnationis Dominicæ ill. ill. Kalend. ill. indict.

Sed addamus sanè adhuc pauca ex Agendis vetustioribus, & primùm *de jure Electionis*, quoniam ea de re potissimum in præcedentibus actum est. De qua re sic in Moguntina quadam manuscripta Agenda hebetur.

Rubrica ex Pontificali Moguntino, de Ordinatione Episcopi.

I*Ta quoq; examinatus, & plenè instructus*, cum consensu Clericorum & Laicorum, ac conventu totius provinciæ Episcoporum, *maximeq;* Metropolitani authoritate aut præsentia *ordinetur. Nullus invitis detur Episcopus.* Cleri, Plebis, & ordinis *consensus, & desiderium requiratur. His ita peractis, duo Episcopi cooperatores ordinis sacri, reducunt electum in sacrarium.* Et paulo pòst sequitur sermo Metropolitani ad Plebem & Clerum: *Servanda est*, dilectissimi Fratres, *in excessu sacerdotum lex, & antiqua Ecclesiæ consuetudo, ut decedentibus aliis, quiq; dignissimi subrogentur, per quorum doctrinam fides Catholica & Religio Christiana subsistat, ne in ovile Domini prædo violentus irrumpat, & dispersas absque Pastore oves fur nocturnus invadat. Recepto itaq; dispensatione Dei sacerdote nostro, solicite vobis agendum est, ut in locum defuncti talis successor præparetur Ecclesiæ, cujus pervigili cura & instanti solicitudine, ordo Ecclesiæ & credentium fides in Dei timore melius convalescat, qui (præcipiente Apostolo)* in omni doctrina formam boni operis ipse præbeat; *cuiq; habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina, virtus sit, qua nos ut Pastor bonus instruat, exemplo patientiæ doceat, doctrina Religionis instituat, & in omni opere bono confirmet charitatis exemplo. Secundum igitur voluntatem Domini, in locum sanctæ memoriæ illius, nomine virum venerabilem* illustri testimonio Presbyterorum & totius Cleri, consilio CIVIUM & consistentium, *credimus* eligendum virum, *ut nostis, natalibus nobilem, moribus clarum, religione probum, fide stabilem, misericordia abundantem, humilem, castum, pacificum, patientem, charitatem habentem, tenacem in cunctis, quæ in sacerdotibus eligenda sunt, bonis operibus exuberantem. Hunc ergo,* dilectissimi Fratres, *testimonio bonis operibus electum, dignissimum sacerdotio consonantibus laudibus clamate & dicite,* dignus est.

CXLVII. Petrus Damiani, Cardinalis,

Dissertatio de correctione Episcopi & Papæ, quomodo etiam inferior possit superiorem reprehendere & corrigere.

PEtrus Damiani, Episcopus Ostiensis, & etiam Cardinalis, floruit circa 1050. Domini annum. Is in multis locis abusus Ecclesiæ suorum temporum taxat. Scripsit inter alia libellum, titulo *De correctione Episcopi ac Papæ*; ubi multis rationibus, & in primis ipsius Petri exemplo probat, omnes superiores Prælatos ac Episcopos, suorum inferiorum reprehensionem ac correctionē patienter & cum gratiarum actione accipere debere. Verùm abscribam totum eum libellum, quoniam nondum est quicquam hujus autoris, quod quidem ego sciam, editum. Illud quod dicitur, Non licet cujuslibet Ecclesiæ filium, ad majorem Ecclesiam proprii reatus Episcopi, & quæcunque sunt corrigenda deferre; nimis absonum, & prorsus Ecclesiasticæ disciplinæ probatur adversum; nam cui melius dicitur quòd delinquit, quàm ei qui magistri officio fungitur? & ideo inter reliquos fratres præeminet, ut quod aliis non licet, ipse solus per propriæ sedis Privilegium errata corrigat sacerdotum? Quis est enim hic arrogantiæ tumor, qui elationis fastus, quæ deniq; tanta superbia, ut liceat Episcopum per fas & nefas ad propriæ voluntatis arbitrium vivere; & quod insolenter excessum est, à subjectis suis dedignetur audire? præsertim cùm illi non adierint tribunalia Præsidum, nec forensium pulsaverint examina cognitorum; sed Ecclesiam potius adeant, & Sacerdotibus judicabilia sui Sacerdotis exponant, ut quod secularibus evenire poterat in derisum, graviter & honestè per Sacerdotale corrigatur officium. Vbi profectò dignum est, ut is qui impetitur, vel ex ratione se exhibeat innocentem, vel confiteatur humiliter peccatorem, nec his allegationibus utendum est, ut dicat, se non debere ab his qui sibi subjecti sunt accusari, ne videatur excessibus suis velamen obtendere & judicium subterfugere, dum conatur in alium montem quæstionis injuriam retorquere. Quis enim nesciat, quòd princeps Apostolorum Petrus potestatem regni cœlestis accepit, virtutem ligandi sive solvendi, quæ vellet in cœlis ac terris obtinuit; supra mare pedibus ambulavit, sola sui corporis umbra ægrotantes erexit; mentientes, jaculo nudi sermonis occidit; oratione mortuos suscitavit. Hic itaque tam sublimis meriti vir, cum ex admonitione sancti S. ad Cornelium, gentilem videlicet hominem, fuisset ingressus, adversus eum quæstio facta est, ab his, qui erant ex circumcisione, cur ad alienigenas introisset, atque cum eis manducare præsumpsisset, insuper & in baptismate recepisset? Hic inquam tot donorum cœlestium incomparabili virtute suffultus, tot miraculorum offensione conspicuus, querelæ subjectorum non ex potestate restitit, sed rationem reddendo humiliter satisfecit, causamque per ordinem veridicus relator exposuit; quomodo videlicet vas quoddam velut linteum, in quo quadrupedia terræ, reptilia atque volatilia inerant, de cœlo submitti viderit vocem audierit: Surge Petre, macta & manduca, qualiter enim tres viri venientes, eum ad Cornelium vocaverint; qualiter postremo S. sanctus eum cum illis ire præcepit; & quemadmodum idem S. sanctus, qui supervenire jam baptizatis consueverat, in genti-

gentiles & ante baptiſmum venit. Si igitur iſte cum à diſcipulis culparetur, authoritatem, quam in Sancta fuerat ſortitus Eccleſia voluiſſet obtendere, reſpondere potuerat, ut paſtorem ſuum oves, quæ ſibi commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed ſi in querela fidelium poteſtatis ſuę titulum objeciſſet, doctor profectò manſuetudinis non fuiſſet. Non ergo eos Privilegii ſui authoritate repreſſit, ſed humili potius ſatisfactione placavit; & tanquam ſolus ipſe ad faciendam fidem non ſufficeret, etiam teſtes adhibuit. Venerunt, inquit, mecum & ſex fratres iſti. Diſcat ergo cùm de ſuis actibus convenitur Epiſcopus, rationem humiliter reddere, non de ſui primatus eminentia ſuperbire; nec ſibi fieri credat injuriã, cum à juniore corripitur, ſed conſulentem potius vel medicum ſui vulneris arbitretur. Nunquid enim Nathan Propheta, cum David tam auſteræ ſeveritatis invectione corripuit, indignationem Regii motus incurrit? Nunquid ille Regalis excellentiæ culmen oppoſuit, ac velut illatam à ſubjecto ſuo contumeliam propulſavit? Sed mox ut ſe cognovit ægrotũ, ſuſcepit libenter antidotum, detexit vulnus, & ſectionis ſuæ non horruit ferramentum. Vide humilem languidum. Peccavi, inquit, Domino. Audi etiam velox medicinæ remediũ: Tranſtulit Dominus peccatum tuum, non morieris. E contra Rex Achab, qui corripientem ſe Prophetam audire deſpexit, ultionis gladium, quem ille minatus eſt, non evaſit. Quia dimiſiſti, inquit, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus. David ergo culpam ſuam æquanimiter audiens, ſententiam mortis, quam merebatur, evaſit; Achab autem correptionis impatiens, impiæ pietatis, quoniam indigno Regi contulerat, veniam non invenit. Nunquid & mulieres illæ hoſpitæ videlicet Salvatoris, invicem inter ſe litigaverunt, dum altera quereretur adverſus alteram, quia ſolam ſe miniſtrare compelleret? poterat enim Maria dicere noſtrorum more Pontificum: Accuſaſti me, & torporis ac negligentiæ condemnaſti. Non ſanè omnis querela protinus accuſatio dicenda eſt; nàm aliud eſt querela compaſſionis, aliud accuſatio ſimultatis & odii. Iſta nimirum fit, ut offenſio corrigatur; illa verò, ut is qui offenderat, condemnetur. Petrum planè in faciem reſiſtens Paulus objurgat, & coram omnibus reprehenſibilem indicat. Quod ille in accuſationis non tulit injuriam, ſed benignè & patienter accepit, quod non ex livore, ſed ex charitate procedere perſpicuè recognovit. Sed ecce dicitur: Ego ſum Epiſcopus, ego ſum Paſtor Eccleſiæ, non debeo à commiſſis ovibus accuſationem pati; moleſtus, & niſi in cauſa fidei, dignus ſum etiam in pravis motibus æquanimiter ferri. Sed dic mihi, quiſquis es; Nunquid non legiſti, quod in Evangelio ſcriptum eſt, Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum; ſi te non audierit, adhibe tecum duos vel tres teſtes, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum; ſi autem eos non audierit, dic Eccleſiæ, *ſi Eccleſiæ, ergo referenda eſt cauſa quorumlibet fratrum, quomodo non etiam Sacerdotum? porrò ſi Sacerdos,*

qui

qui in Ecclesia peccat, dedignatur in Ecclesia discuti, quis jam ferat Ecclesiæ se legibus coerceri? porrò si Ecclesiæ tuæ filiis, ut asseris, adversum te mutire non liceat, nunquid aliunde producendi sunt testes, qui te & facta tua per absentiam domesticæ cohabitationis ignorant? Beatus Iob *dicit*: Si contempsi subire judicium cum servo meo; *& tu dicis*, absit ut digner ad examen venire cum Clerico meo? *Deus omnipotens per Esaiam clamat:* Iudicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me. *Si is qui judicat omnia, non dedignatur à servis argui; tu superbus utiq; cum conservo in judicium venire fastidis? & cum sis terra & cinis, vermis & pulvis, humiliare te despicis ad imaginem conditoris? præsertim cum Scriptura dicat,* Ducem te constituerunt, noli te extollere, sed esto in illis quasi unus ex illis. *Quis planè nesciat, quia* Samueli *Israelitica plebs præjudicium intulit, eumq; de Principatu injustè dejecit? Et cum eos arguere meritò potuisset, ultro se arguendum nullius accusationibus obtulit, & utrum eos in aliquo violenter oppresserit, inquisivit.* Ecce præsto sum, *inquit*, loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum; si quenquam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujuspiam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis. *Cum ergo tam incomparabiles, tam eminentes atq; sublimes viri, subjectis suis rationem reddere de propriis actibus non despiciant; quis arrogantiæ typhus, quis est iste tantæ superbiæ fastus, quo Sacerdos hujus temporis intumescens, titulum sui præsulatus opponat, & Ecclesiæ suæ filiis, qui se gravatos asserunt, æquo judicio non respondeat? Excludatur ergo ab Ecclesiastica disciplina* perniciosæ consuetudinis regula, *tollatur hæc subterfugii versuta calliditas, ut is qui tam perversis audacis superbiæ allegationibus utitur, immunitatem commissi piaculi non lucretur.*

De Vigilio quoque Papa, qui sedit circa 535. Domini annum scribit in quodam opusculo. *Quid dicam de Papa Vigilio? qui sceleratus & impius prius Bonifacio Papæ est molitus insidias, postmodum Sylverinum Papam aggressus nequiter condemnavit, & demum data pecunia in Papam assumptus est?* De *simonia* quoque suorum temporum graviter questus est, & proprium de ea re libellum scripsit. Indicat etiam in quodam libello, suo tempore fuisse Mediolani Episcopum Auxentium, qui conjugio Sacerdotum sit patrocinatus.

* Alia ex Damiano dicta exhibet Goulartius Tom. 2. lib. 12. p. 322, 323, 324. Hist. Franc, lib. 5. c. 14. p. 63. ed. Hanov. 1613.

CXLVIII. Annonius, vel Aimonus.

De Opusculis ejus quæ sint quidq; tractent, Centur. XI. Magd. c. 10. p. 544, 545.

HIc Benedictus Monachus paulò ante millesimum annum Dom. vixit. Scripsit Historiam Regum Gallicorum. In ea quædam memorabilia ad nostrum quoque institutum facientia narrat, ut quòd Gregorius III. adjuverit seditionem, quam filii contra Patrem Ludovicum Pium moverant; ubi simul etiam Episcoporum Gallicorum

Gallicorum constantia contra Papam inducitur. Sed adscribam ipsius verba, tametsi hæc historia melius fuisset posita supra in Ludovico Pio.

Humano generi pacique contrarius Diabolus nequaquam ab infestatione Imperatoris feriabatur, sed per satellitum suorum versutias filios solicitabat, persuadens illis quòd Pater eos ultro perdere vellet non considerantes, quòd qui mitior omnibus esset externis, immanis non poterat effici suis. Sed quia corrumpunt mores bonos colloquia prava, & lapidum etiam duritiem mollis aquæ guttula sæpius illisa terebrare solet, tandem ad id ventum est, ut filios Imperatoris in unum cum copiis quibus poterant, & coire facerent, Gregoriumq; Papam advocarent sub ornatu, quasi qui Patri solus filios reconciliare deberet, ut posset, rei tamen veritas pòst claruit. Imperator è contrario mense Majo VVarmatiam venit cum valida manu, ibique quid agendum sibi foret diu deliberavit. Missisque destinatis Bernardo scilicet Episcopo cum reliquis, filios hortabatur ad se redeundum. Sed & Papam Romanæ sedis conveniebat: ut si more præcessorum aderat suorum, cur tantas necteret moras non sibi occurrendo. Cum verò rumor usque quaque diffusus sereret de cæteris quid verum erat: de Papa verò Romano, quòd ideo adesset, ut tam Imperatorem quàm Episcopos excommunicationis irretire vellet vinculis, si qui inobedientes essent suæ, filiorumque Imperatoris voluntati: parum quid subripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audaciæ asserentibus, nullo modo se velle ejus voluptati succumbere, sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret: cùm aliter se habuit antiquorum authoritas Canonum. Tandem ergo ventum est in festivitate sancti præcursoris Christi Ioannis in locū, qui ab eo quod ibigestū est, perpetua est ignominia nominis notatus, ut vocetur Campus mentitus. Quia n. ii qui fidē Imperatori promittebāt, mentiti sunt, locus in quo id cōtigit testis nequitię in suo nomine remansit. Cùm a. haud procul inde ordinatis acieb9 cōsisterent, jam jamque ruendum in arma putaretur, nunciatum est Imperatori advenire Papam Romanum. Quem venientem in ipsa acie Imperator consistens suscepit, licet indecentius quàm debuit: imputans ei quòd ipse sibi talem susceptionem præparaverit, qui inusitato modo ad se veniret. Ductus autem Papa in habitationem castrensem multis assertionibus perdocuit se tantum iter non ob aliud suscepisse, nisi quia dicebatur quòd inexorabili contra filios discordia laboraret. Ideoque pacem in utramque partem serere vellet. Audita verò parte Imperatoris mansit cum eo aliquot diebus. Remissus autem ab Imperatore ad filios ut pacem mutuam necteret, cum penè omnis populus partim donis abstractus, partim promissis illectus, partim minis territus ad eos, populumque cum eis consistentem more torrentis deflueret, nequaquam ut fuerat jussus, redire permissus est. Tot ergo copiis inibi adductis, & Imperatori subductis, adeò defectio indies invaluit: ut in festivitate S. Pauli plebei contra Imperatorem adulando filios ejus irruptionem minarentur. Quibus Imperator viribus obniti non valens, filiis mandavit, ne se populari expo-

nerent direptioni. Cui remandant ut castris relictis ad se veniat: te autem maturrimè obviam ipsi processuros: Quibus altrinsecus sibimet occurentibus Imperator filios admonuit equis desilientes & sibi occurrentes, ut promissionis suæ memores tam sibi quam filio & uxori illibata, quæ olim promiserant, conservarent. Quos congruè respondentes osculatus est, & ad castra illorum est profectus. Quo pervenienti uxor subducitur, & ad Ludovici tabernacula convertitur. Ipsum verò Lotharius ad sua cum Carolo admodum puero deduxit, & cum paucissimis in Papilione ad hoc deputato consistere fecit. Præter hæc autem jam populo juramentis obstricto Imperium inter fratres terna sectione patitur. Vxor Patris à Ludovico Rege recepta exilio iterum deportatur in civitatem Tartonam. Restituit tamen Deus singulari misericordia hunc Regem paulo pòst in suum locum. Idem etiam sensit imagines adorandas non esse, & liberè quadam de octava Synodo narrat.

Cap. 28. p. 486. Hæc enim sunt ejus verba. *Adrianus Papa, secundum quod Nicolaus prædecessor ejus disposuerat, Legatos suos, Donatum scilicet Hostiensem Episcopum, & Stephanum Nepesinum Episcopum, & Martinum Diaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad Basilium Imperatorem, & ad filios ejus Constantinum & Leonem Augustos Constantinopolim direxit, cum quibus & Anastasius Bibliothecarius Romanæ sedis utriusq; linguæ Græcæ scilicet & Latinæ peritus perrexit*; & Synodo congregata, *quam* octavam universalem Synodum *illuc convenientes appellaverunt*, exortum schisma de Ignatii depositione & socii ordinatione *sedaverunt, socium anathematizantes & Ignatium restituentes. In qua Synodo* de imaginibus adorandis aliter quam orthodoxi Doctores *ante diffinierant, statuerunt, & quædam pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam* contra antiquos Canones & contra ipsam Synodum suam *constituerunt*; *sicut qui eandem Synodum legerit, patenter inveniet.* Denique etiam idem narrat, quod Papa anno Dom. 876. voluerit *Primatum* dare in Gallia *Ansegiso Senensi Episcopo*, eumque *suum perpetuum Legatum*

Cap. 33. p. 491, 492. constituere, atque res sit diu acta in Synodo apud Pontigonem, *sed constanter repugnantibus Episcopis nihil planè sit à Papa effectum*; unde apparet, quanta adhuc tum fuerit libertas, & constantia fuerit in Ecclesia contra Papas perpetuò, tyrannidem super totam Ecclesiam affectantes.

Sed adjiciam & alias duas ejus historias, alteram quomodo Reges Francorum nomen *Augusti* multò ante Carolum M. obtinuerint; nactus enim est id Chlo-

1. H. 22. p. 269. doveus, qui est primus inter eos Reges baptizatus; de qua re sic præsens ut breviter scribit libro suæ historiæ Cap. 22.

Brumali autem recedente rigore, vernalique succedente temperie, Clodoveus Tolosam petit; inde thesauros Alarici auferens ad Engolismam properat; in cujus adventu murus urbis divino nutu spontè ruens, advenienti Regi apertum præbuit iter. Qui universos Gothos quos inibi reperit, gladio interemit, pari etiam modo per vicinas urbes adversarios interficiens, suosque constituens, eas

sibi

ſibi parere compulit. Rebus ergo cunctis ex ſententia compoſitis Turones iter dirigit; ubi dum ſtativarum gratia aliquantiſper moratur, Legationem ſuſcepit Anaſtaſii Conſtantinopolitani Principis, munera Epiſtolasque ei mittentis; in quibus videlicet literis hoc continebatur, quod complacuerit ſibi & Senatoribus eum eſſe amicum Imperatorum, Patriciumque Romanorum. His ille perlectis conſulari trabea inſignitus aſcenſo equo in atrio, quod inter Baſilicam S. Martini, & civitatem ſitum erat, largiſſima populo contulit munera. Ab illa die Conſul ſimul & Auguſtus meruit nuncupari.

Altera hiſtoria eſt de Symmachi & Laurentii ſchiſmate, quam etiam adjungam, ut perpetua Rom. Pontificum ambitio cognoſci etiam hinc poſſit. Eo tempore defuncto Anaſtaſio Papa Romano, pro ejus Succeſſore, fœda in Clero ſimul & populo erat diſſenſio. Quædam etenim pars in perſonam cujuſdam Laurentii conſenſum præbebat. Major verò &, ut poſt patuit, ſaniori utens conſilio ſanctiſſimum ſibi elegerat Symmachum. Ordinantur ergo una die ambo, & Symmachus quidem in Baſilica Conſtantiniana: Laurentius verò in Eccleſia S. Mariæ. Sed cum neutra pars alteri cederet, conſtituerunt, ut lis cœpta judicio ſupra memorati Regis Theoderici finiretur. Qui Ravennæ poſitus dum Legatos utriuſque partis audiviſſet, decrevit, ut qui prior ordinatus eſſet, aut quem major pars Cleri ſimul & populi elegiſſet, in ſede Apoſtolica reſideret. Vnde Symmachus Pontifex factus conſtituit Laurentium in Nuceriana civitate Epiſcopum intuitu miſericordiæ. Hæc autem plenius in geſtis Pontificalibus, qui ſcire voluerit, inveniet. In hac verò diſſenſione ut B. ſcribit Papa Gregorius, Dial. 4. c. 40. Sanctiſſimus Paſchaſius, Eccleſiæ Romanæ Diaconus partibus favit Laurentii. Qui dum contemptor ſui atque amator eſſet pauperum Chriſti, eleemoſynarumque ſedulus diſpenſator, nunquam tamen flecti potuit, ut Symmacho communicaret, illum diligens, illum ſemper præferens, quem Eccleſia juſto Epiſcoporum judicio ſibi præeſſe repudiaverat. Hic ergo Paſchaſius dum tempore Symmachi Pontificis terminum hujus eſſet ſortitus vitæ, ad Eccleſiam eſt delatus mandandus ſepulturæ; cujus Dalmaticam quæ ſupra feretrum ejus poſita erat, cum quidam Dæmoniacus tetigiſſet, ſtatim liberatus. Hæc Aimonus.

1. H. 11. p. 2. 262.

CXLIX, *Infœlices Cæſares ob Paparum tyrannidem ex Platina & hiſtoricis aliis.*

NArrat Platina, aliique plurimi hiſtorici, ingentia fuiſſe certamina longo tempore Papis cum Imperatoribus, aliisque Regibus, Principibus & civitatibus, multumque Chriſtiani ſanguinis fuſum, dum ſubinde Papæ creſcere, pluraque ad ſe rapere, & orbem terrarum ſibi in ſervitutem vendicare conati ſunt.

Deficiente jam debilitatoq; regno Romano, cœperunt Papæ creſcere; quod &

Paulus futurum prædixerat 2. Theſs.2. Primùm rapuerunt ſibi Romam,(quam tamen admodum ſerò, nempe circiter ante annos 300. & ægrè ſua libertate, teſte Sabellico, prorſus ſpoliarunt)& circumvicina loca. Ac,quò facilius illa retinere poſſent, commenti ſunt fictitiam (ut multi poſtea probarunt) donationem Conſtantini. Nec eo contenti , cum viderent Gallicorum Regum potentiam ſibi ad augendas opes uſui eſſe poſſe, conati ſunt Imperatoriam dignitatem à Conſtantinopolitanis Imperatoribus ad eos transferre. Verùm Carolus Magnus pro ſua modeſtia noluit eum titulum recipere , (videbat nimirum transferri eam dignitatem ab eo, qui tale jus non haberet) priuſquam ei Orientalis Imperator concederet. Cum deinde Carolus in Italia vi Reges Longobardorum,& alios quoſdam Dominos oppreſſiſſet , partim imperito quodam Zelo Romanenſibus artibus excitato permotus,partim etiam,ut gratitudinē ſuam teſtaretur, multas civitates,magnamque Papæ largitus eſt poteſtatem. Remanſit tamen adhuc aliquandiu vetus jus, (firmiſſimo Papæ Cardinaliumque juramento,& Decreto denuò firmatum)penes Imperatores,confirmandi Romanos Pontifices,conferendiq; Epiſcopatus, Archiepiſcopatus & Abbatias. Poſtea ambitionis furiis extimulati Papæ ſtatuerunt contra priorum Paparum ſanctiſſima jura, mentisq; firmata Decreta,ut liceat Romanenſibus Curtiſanis eligere Papam, quem velint,ſine Cæſaris conſenſu. Deinde ne hoc quidem contenti,decreverunt, *ne ullius Imperatoris electio rata ſit ſine ipſorum comprobatione*, ut ſcilicet vice verſa, ſicut antea Papa pietatis confirmationem à Cæſare,ſic jam Cæſar à Papa eam emendicare cogatur. Quartò,extorſerunt per multa & triſtia ac pluſquam civilia bella Imperatoribus, *jus conferendi Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Abbatias & alias Prælaturas*; quas non niſi ſuis mancipiis,aurumque afferentibus contulerunt. Atque ita orbis terrarum opes ac potentiam ad ſe pertraxerunt. Denique & veluti infimæ ſortis ſubditos ſuos juramento ſibi obſtrinxerunt; jusq; creandi & deponendi pro libitu Cæſares, tanquam ſuos viliſſimos famulos,ſibi rapuerunt;adeò,ut cum vel in parva re Imperator aliquis peccavit(ut quòd Fridericus Primus ſiniſtrum fulcrum ephippii tenuit) aut ipſis obedire noluit, protenus eum, tanquam hæreticum,Papa excommunicaverit, depoſuerit, & alium in locum ejus ſubrogaverit. Hanc tyrannidis ſuæ arcem Papa dum occuparet,nihil penſi habuit, clavibus abuti, infinitum ſanguinem Chriſtianum fundere, civilibus bellis populum Dei affligere, fratres ac filios contra parentes incitare,ſubditos juramentis fidelitatis ſolvere, Eccleſias miniſterio verbi & Sacramentorum per ſua impia interdicta privare, & denique cœlum terræ miſcere,omniaq; humana & divina jura furenter violare & prophanare.

Longum nimis eſſet commemorare, quas nam turbas conciverint , & quæ bella geſſerint,Papæ cum Cæſaribus , Henricis,Fridericis, cum Ludovico Bavaro & aliis,ut hæc Imperii vel Eccleſiarum potius jura ad ſe raperent, orbem terræ ſibi ſubjugarent , Cæſares ad oſculandos ſibi pedes cogerent, & Eccleſiam in ſervitutem redigerent.Quare ea ex hiſtoricis Lectores petere poterunt,& à pluribus etiam hoc

hoc tempore ſunt collecta, ut ab Hutteno, Carione, & Franco. Breviter tamen quoſdam Imperatores recenſebo, eorumque certamina ac ſententias contra Papas annotabo.

CL. *Henricus IV.*

Acerrimæ fuerunt contentiones Cæſari Henrico IV. qui cœpit imperare circa annum Domini 1060. cum *Gregorio VII.* antè *Hildebrando* vocato, ejusque ſectatoribus, *de jure conferendi Epiſcopatus, Abbatias & Prælaturas*; nam uſque ad id tempus penes Cæſares fuit, conſtituere quos vellent, Papam, Epiſcopos, Abbates & Prælatos per Imperium, aut ut minimum confirmare eos. Nec ratione res ea caruit; quippe cum & dotaverint ampliſſimis opibus ac reditibus Epiſcopatus Cæſares, & Epiſcopi ac Abbates Germanici magis prophani principes quàm Eccleſiæ doctores ſint. Quis verò ſapiens Princeps aut Rex, ita alteri in ſuo regno Provinciam aliquam, aut etiam ſolùm unam potentiorem civitatem attribuere velit, ut ille prorſus omni jure ac obligatione ejus, qui ei tantum beneficium largitus eſt, omni momento bellum ſuo domino inferre, & hoſtibus ejus ſeſe conjungere poſſit? Hoc ſanè nihil aliud eſſet, quàm alium in ſuam perniciem gladio armare. Sed hoc tempore Papæ, & potiſſimum hic Gregorius tum ipſe inconſulto Cæſare electus eſt; tum ne porrò Imperatores Epiſcopos conſtituere poſſent, maximo niſu, horribilibus tumultibus, ſeditionibus, & plus quàm civilibus, vel etiam parricidialibus bellis agere cœperunt, & tandem etiam perfecerunt. Objecit quidem & alia crimina Papa cum ſuis mancipiis huic Imperatori, ut eum tantò facilius opprimere poſſet. Sed omnino hæc fuit illa Helena, de qua tam atrociter & diu certatum eſt; nempe ut Papæ Regibus & Cæſaribus colla calcarent. Verè autem omnino dici poteſt, hucuſque aliquas vires aliquamque libertatem & majeſtatem Imperii Romani fuiſſe; ſed in hoc Cæſare, ac ejus filio, expugnatam à Romano Pontifice, oppreſſamque eſſe. Sed adſcribam quædam ex Aventino, de hoc exitiali diſſidio, quò major ſit narrationi fides. *Lib. 5. Annal. p. 446.*

Eadem tempeſtate, dum talia fiunt, Alexander Pont. Max. moritur, ſubſtituitur à Senatu populoque & Sacerdotibus Romanis Hildebrandus, qui & Gregorius VII. isque ſtatim Præſidi Italiæ Cæſario ſe lectum literis aperit. Scripturusque jam Reip. Chriſtianæ Occidentalis Eccleſiæ, Romanique Imperii bella, cædes, homicidia, parricidia, ſimultates, odia, ſtupra, furta, peculatus, ſacrilegia, diſſidia, ſeditiones plus quàm civiles, plus quàm domeſticas, præfandum operæprecium duxi; nos, quemadmodum decet hiſtoricum ſolam veritatem ſpectare, & ab omni odio atque amore vacuum eſſe, ſcribemus. Quippe cui Hildebrandus & Henricus, quos narrabo, nec beneficio nec maleficio noti, ut qui ante quadringentos annos, quàm ego naſcerer, mortui ſint. Legi multos, præſertim Paulum Bernriedtenſem, Gero-

chum Reicherſpergenſem antiſtitem Auguſtinianos myſtas in Boiaria ortos; uterque de hujuſcemodi diſcordia pernicioſa libros edidit, uterque pars hujus tumultus fuit; ille Reginoburgii, hic Auguſtæ primariæ ædis Sacerdos; ambo rebus Hildebrandi ſtuduere. Quamobrem ſedibus pulſi, in exilium acti ſunt. Extant præterea in Bibliothecis noſtris Epiſtolæ, Diplomata, Edicta, Reſcripta Henrici & Hildebrandi ultro citroque miſſa. Ego horum inſtrumentorum publicam ſequar autoritatem, utriuſque cauſam ſedulò & ex fide perorabo; vitiis utriuſque (ut homines fuerunt) notandis, amicis; in virtutibus prædicandis, hoſtibus credam; nam Henricum ſtupris, amoribus impudicitiæ & adulterii flagraſſe infamia, ne amici quidem negant. Cæterùm in pauperes, Monachos, Sacerdotes munificentiſſimum, conſtantia in adverſis, fide in dedititios, clementia in hoſtes, pietate, prudentia civili & militari, eximia ſpecie, ac majeſtate corporis magnorum operum capaci, quibus eum natura dignata, omnes anteceſſiſſe, hocque faſtigio digniſſimum fuiſſe, etiam inimici fatentur. Et Gregorium virum ſanctiſſimum, pervicaciorem extitiſſe, Paulus Bernritenſis, qui ejus vitam libris duobus complexus eſt, & reliqui ejus partium acerrimi propugnatores produnt. Gerochus quoque (quo nemo acrius ſcriptis libris Hildebrandum tutatus eſt, utpote qui crimina Cæſari objecta, quæ apud nullum alium legerim, explicat) tandem ſuæ partis pertinaciam, ne dicam tyrannidem, hiſce verbis coactus veritate notat: Romani (inquit) ſibi divinum uſurpant honorem, rationem actorum reddere nolunt; nec ſibi dici æquo animo ferunt, Cur ita agis? Illud Satyricum inculcant:

Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.

Quænam fœlicitas ejus temporis fuerit, vel hinc exiſtimari licebit, quòd ejus tempeſtatis illuſtris & gravis in primis ac eloquentiſſimus ſcriptor, nomen ſuum prodere non audet. Et admodum ſcitè acriterque. Ad factiones, ad fraudes, ad ſcelera (inquit) perventum eſt; vera ſcribere periculum, falſa crimen. Hactenus Pontifices Rom. comitiis curiatis, calatis, à Sacerdotibus, equitatu, plebe, ſenatu, per omnium generum ſuffragia electi fuerant; id tum ratum fuiſſe reperio, ſi Imperatores Romani autores fierent, qui illos, ſicuti alios Epiſcopos, ad Concilia jure ſuo evocabant. Cæteros quoque univerſos Pontifices Monachorum myſtarum magiſtros, ex Conſilii Decreto, comitiis centuriatis per ſuffragia purpuratorum, more majorum, Imperatores per Germaniam, Galliam. Teutonicam, Italiam, Romanum orbem, ſicut in Carolo Magno commemoravi, capiebant. Sanctiſſimi Patres, quemadmodum Chriſtus Dominus & *Pag. 447.* Deus noſter, Comites & Legati ejus fecerunt, & alios docuerunt, Cæſares in terris à Deo ſecundos, ante omnes mortales primos, à ſupremo numine datos, divinitus conſtitutos, ab immortali Deo electos, & (ut illi vocant) coronatos, venerabantur, Dominosque ſuos vocare ſolebant. Eiſdem tributum, cenſum, non denegabant: pro eorum ſalute quotidie comprecabantur. Imperata detrectan-

ctantes, tanquam cœlesti provinciæ resistentes, videri contra pietatem Christianam fecisse decernebant. Grande nomen esse Imperatoris, à Deoque tradi prædicabant. Reipublicæ turbellis, nedum armis, ut milites Christi, se non immiscebant; paupertate & modestia cum cæteris Christianis decertabant; quo quisque submissius se gereret, hoc majorem esse sentiebant, Ensem ancipitem, gladium duplicem, Christianæ civitati datum ad servandum, vivificandumque non occidendum esse putabant; eundemque spiritalem appellabant, qui est sermo Dei, vita & lux hominum, & mortuos ad vitam revocat, ex hominibus Deos, ex mortalibus æternos facit; tantum abfuit, ut illi vel Regum quempiam, vel impium, vel Arrianum regno pellere, eidem sacrificiis interdicere, populum Sacramento solvere tentarent, atque regna evertere, sanguine humano se polluere, pro Principatu Christianis decertare sibi permitterent. Vicissim hos Principes, sicuti Principes animorum communes amabant.

Gregorius Septimus, qui & Hildebrandus, fretus armis Nordmannorum, qui tum per Apuliam, Calabriam, Campaniam, quas vi occuparant, debacchabantur, confisus etiam opibus Machtyldæ mulieris impotentis, & discordia Germanorum, primus contra morem majorum, contempta Imperatoris authoritate, Pontificatum Maximum occupavit. Vtramque personam sibi impositam esse à Christo, se quodcunque, ut liberet ligare, solvere posse, jactitare; utramque personam agitare, Occidentem adserere, omnem potestatem in se transferre; neminem parem, nedum superiorem ferre; justa aliorum diminuere, cæteris jus atque honorem præripere, cuncta in se transferre; Cæsares, Reges, Augustos, ut precario regnantes, floccifacere; Pontifices, Episcopos in ordinem redigere, devovere, capite diminuere: lites, bella concitare, discordias serere, factiones confirmare; jusjurandum, pacta, Sacramenta solvere cœpit. Etiamsi injuria vel ipsum Cæsarem affecerit, tamen se metui oportere, in quadam gloriatur Epistola, utpote qui errare non possit, & à Christo Domino Servatore nostro, Petroque acceperit potestatem ut solvat, ligetque utcunque libeat. Sacerdotes illa tempestate publicè uxores, sicuti cæteri *Pag. 448.* Christiani, habebant, filios procreabant, sicuti in instrumentis donationum, quæ illi templis, mystis, monachis fecere, ubi hæ nominatim cum conjugibus testes citantur, & honesto vocabulo presbyterisse nuncupantur, invenio. Cæsar tum, quemadmodum in Carolo Magno & jam explicavi, Episcopos, Pontifices, Antistites, Monachorum magistros, virginum maximas, suo jure capiebat. Et ut homines, non dii sumus, nihilque est ex omni parte beatum, eveniebat interim, ut & honorarium scribis pro diplomate, xenium suffragari, condonare necesse foret: Sacerdotes illos Nicolaitas, hos Simoniacos appellat; eosdem devovet ambitus, incestus condemnat, cura Sacerdotum movet. Scribit deinde Cæsari, Ducibus, Principibus, dynastis, tetrarchis, maximè Berchtoldo à Zaringen, Rudolpho, Suevo, VVelphoni Boio, Adalberoni, & uxoribus horum, atque mulieribus, cæterisque quoscunque

idoneos

idoneos credidit, item Episcopis, præcipuè Otthoni Constantiensi, sacrificulis, populo, ut superiores Mystas velut sceleratos atque impios devitent; eorum sacrificia, colloquia, sermones, convivia, haud aliter quàm contagionem fugitent; illos salutare, resalutaréve, maximam impietatem esse docet; iisdem parere, si sibi non pareant, æs Ecclesiasticum reddi vetat. Gravissima itaque seditio gregem Christi perculit, nec unquam talis lues populum Christi afflixit. Mystæ adversus Pontifices, populus adversus Sacerdotes, prophani adversus initiatos sævire, omnia divina humana permiscere cœperunt. Viri, mulierculæ, ut quisque maximè avarus, ambitiosus, aut invidus erat, bella, lites & odia amabat, levi admodum suspiciuncula excitatus, sacerdoti suo resistendi, bona templi diripiendi ansam præripiebat; populares sacerdotulos, qui uxores habebant, flocci faciebant: religionem polluebant, sacra temerabant, lustrica aqua passim expiabant, decimas igni concremabant; sacrosanctam hostiam (horresco referens) à mystis, qui conjuges habebant, consecratam, in lutum abjiciebant, pedibusque conculcabant. Tales enim non esse Sacerdotes, neque sacrificare, Hildebrandus docebat. Hincque occasione arrepta, multi falsi Prophetæ nebulas offundunt, fabulis, miraculis (exempla vocant) à veritate plebem Christi avertunt; sacras literas interpretando, suo negocio servire cogunt. Porrò paucissimis Veneri bellum indicentibus, quibusdam castitatem jactantiæ, questus ergo simulantibus, maxima pars sub honesto castimoniæ nomine stupra, incestus, adulteria, passim & impunè committunt. Alii verbis quidem ambitus crimen abominabantur, sed plus auri sub magna pietatis superficie, dum se gratis dare cuncta jactant, corrasere, plurisque sacra venundedere.

Pag. 451. Grata admodum Gregorio, alioqui faciles aures vituperantibus atque criminantibus Cæsarem, præbere solito, istæc fuere; qui tanto cardine rerum nequaquam cessandum arbitrabatur. Quippe sibi persuaserat, tempus opportunum venisse, quando Romanos flamines à servitute vindicaret, Imperatoris jugum ejus opibus diminutis excuteret, authoritatem antiquaret, omnem potestatem in se transferre liceret: itaque principatum Pontificalem confirmaret. Nil speciosius videbatur, quàm sublato metu, neminem mortalium formidare, & ut liberet libertate Ecclesiastica perfrui: atque esse Imperatorem, cujus arma, vis, non metuerentur, ut qui arbitrio Romani Pontificis precario duntaxat regnaret. Gregorius ergo hæc mente observans, Saxonum animos verbis confirmat, sibi hanc rem curæ fore respondet, se propediem in Germaniam profecturum, Concilium totius Imperii in certum diem indicturum, ubi communi consensu de hujusmodi rebus agitetur, pollicetur. Itaque dimissis Saxonibus, ipse plenus spei, haud tamen inscius quid incœptaret, quàm difficilem rem moliretur, Machtyldam, primariam Italiæ fœminam, filiam Bonifacii locupletissimam, crebris colloquiis familiarique consuetudine sibi devovet. Deinde Nordmannos, quibus formidolosa potentia Cæsaris erat, socios sibi asciscit. Nempe hi Campaniam, Calabriam, Apuliam, magnam

Græ-

Græciam vi occuparant, ne hisce locis à Cæsare armis pellerentur, metuebant; ne cœptum in nervum erumperet, sensim fortunam Hildebrandus tentare statuit.

Primò Hagnam Augustam (quæ in paucis diebus obiit, & sepulta est Romæ in templo divæ Petronellæ) deinde ejus prolem Machtyldam, matrem & cognatam Cæsaris adhibet. Hisce præsentibus, sorices, tineas, purpuratos aulicos, universos à consiliis Henrici fulmine suo afflat, tonitru suo attonitos facit. Idem Cæsari, nisi hosce omnes aula procul à se eliminet, sermones, aditus eorum devitet, interminatur. Nuncios Cæsaris objecta crimina à Saxonibus confutaturos, conatibusque ejus obstituros, in vincula conjicit, frigore, fame, siti excruciat, per urbem circumductos Roma pellit.

Hæc Cæsar refert in Epistola, quàm ad Archimystam Aggrippinensem dedit. Idque facinus plerisque mystis, Senatui Populoque Romano displicuit.

Quamobrem Hugo, flamen Romanus, cum literis in Germaniam mittitur. Is ubi eò venit, voluntate Cæsaris, & Sigefridi Moguntini Pontificis, in Vangionum urbe Quinquagenalibus Concilium cogit. Interfuere omnes Episcopi Galliæ, Germaniæ, præter Saxonas. Lectæ sunt frequenti Senatui Epistolæ flaminum primorum populi Romani, in quibus Hildebrandum ambitus & perjurii accersunt, eundem pleraque avarè, superbè facere conqueruntur; hocque rejecto, alium pastorem postulant. Fit patrum consultum hujuscemodi: Hildebrandus, qui se Gregorium nuncupat, primus sine consensu nostro adversus Imperatoris Romani, rerum Domini à Deo constituti, voluntatem, contra morem majorum, contra leges, contra auspicia, Pontificatum maximum, quem pridem ambivit, & judicio convictus perpetuò abjuravit, invasit, Monachus desertor est, novis dogmatibus sacrosanctam Philosophiam adulterat, divinas literas falsò interpretantando suæ causæ servire cogit, concordiam Collegii scindit, sacra, prophana, divina, humana commiscet, utrunque juxta polluit. Diabolis, hoc est, acerbissimorum hostium spurcissimis criminationibus, iniquorum maledictis aurem commodat & credit. Testis, judex, accusator, inimicus idem est. Maritos ab uxoribus separat; scorta pudicis conjugibus, stupra, incestus, adulteria casto præfert connubio; populares adversus Sacerdotes, vulgum adversus Episcopos concitat. Neminem initiatum ritè esse docet, nisi qui ab eo sacerdotium emendicaverit, atque ab ejus aurisugis mercatus fuerit; vili plebeculæ, gratificari studet, vulgi imperiti auram captat, simulata religione decipit, defraudat, circumvenit; in senatulo muliercularum de sacratissimis religionis mysteriis pertractat; supremi numinis legem, qua se idem quoque ligavit, solvit; utrunque & Imperium & Pontificatum, sicuti Decii & falsorum deorum cultores factitare consueverunt, usurpat. Hasce ob causas, sanctissimus Imperator, Pontifices, senatus, populusque Christianus, illum Hildebrandum abdicandum, sibi eundem non placere, neque oves lupo committendas censent. Huicque, non solum Germaniæ Galliæque, sed Italiæ quo-

Hugo Cardinalis.

Pag. 453.

que Episcopi, conventu Ticiniacto, subscripsere; juraruntque, se nunquam Pontificem maximum istoc nomine recepturos. Cæsar quoque & Hildebrando & Sacerdotibus populoq; Romano binas scribit literas, imperat ex consilii decreto, ut ille ad privatam redeat vitam. Hi deserto Hildebrando, Pastorem more majorum sibi deligant: atque manus quidem ab Hildebrando abstineant, supremique Prætoris tribunali relinquant.

Inter hæc Gregorius, ubi ista agitari per Saxonas, & eos qui rebus suis studebant, comperit, (cognita ipsis erat Romani Pontificis infirmitas, & quòd avidus novarum rerum esset) Romæ Concionem in templum vocat cum Sacerdotibus, equitatu, plebe, senatu agit. Caput mundi (inquit) Romani rerum domini, victor gentium populus, & imperium & Pontificatum, in quos libuerit, transferre potest, sicuti ante ducentos & septuaginta quinque annos à Græcis in Germaniam transtulit. Quemadmodum militem ignavum Imperator exautorare potest, ita militi Ducem injustum deserere licet. Vestrum munus est, Quirites, vestrum est beneficium, vestro sanguine atque sudore partum, tantum Imperium; quod bonum, faustum fœlixque sit. Mecum (filii charissimi) decernetis, quinam Romæ posthac regnarit: nec, me superstite, Rex libero populo, quem non crearit, imponetur.

Post hæc Gregorius millia talentorum quindecies viritim distribuit. Ea à Nordmannis & Machtylda contributa fuere. Opes quoque Ecclesiasticas, quibus hactenus pauperes alebantur, militibus & rei bellicæ peritis largitus est. Quod & Hildebrandini Gerochus & Paulus non inficias eunt: & hic tanquam benè factum excusat, & id licere defendit. Romanos ergo hoc donativo oppigneratos, specioso nomine libertatis inescatos, Gregorius facilè ad se deficere persuasit. Dum autem talia fiunt, Rulandus Sacerdos Parmensis literas Imperatoris, consilii decretum deferens, ædem sacram ingreditur, & absque omni salutationis honore: Tibi (ad Hildebrandum inquit) Cæsar noster Christianissimus, sanctissimi Italiæ, Germaniæ, Galliæ Episcopi, sacer ordo Christianus præcipiunt, ut te munere, quod astu, pecunia, gratia occupasti, confestim abdices. Nec enim fas est, invitis illis te adversus authoritatem Imperatoris, contra Christianæ Ecclesiæ decretum, ovili Dei ultrà incubare. Deinde ad cæteros versus: Pientissimi (inquit) fratres, pastorem jure vestro deligite, deinde sacratissimus consul, tribunus & princeps vester more majorum author fiat. Iste enim Hildebrandus neque Pastor, neque Pater, neque Pontifex, sed fur est, lupus, latro, atque tyrannus. Vix hæc fatus erat, & Iohannes Portuensis prosilit: Capiatur, capiatur, ingeminat. Fit tumultus. Vrbis præfectus & cæteri Parmensem gladiis strictis circumsistunt, in temploque confodere parant. Ille vix ope Gregorii (ita Paulus refert) evasit.

In hoc suo Conciliabulo Papa *Cæsarem excommunicat*, proscribit, Cæsarea dignitate privat, idq; per orbem terrarum omnibus Christianis atrocissimis bullis denun-

denunciat, omnes contra eum ſub religionis prætextu inſtigat, etiam ſubditos ejus, quos à præſtito juramento omniq́ue obligatione ſolvit. Quare ſequitur paulò poſt in Aventino. Plerique tum privatim, tum publicè indignum facinus clamitant, pro Concione Gregorio maledicunt, Hildebrando malè precantur, ipſum odio atque libidine dominandi præcipitem agi vociferantur, Antichriſtum eſſe prædicant, pietatis ſub ſpecie (inquiebant) debacchatur, honeſtis nominibus bonum publicum ſimulat, titulo Chriſti negotium Antichriſti agitat. In Babylonia, in templo Dei ſedet, ſuper omne id quod colitur, extollitur, quaſi Deus ſit, ſe errare non poſſe gloriatur; in excolenda gloria ſua, pertinaci ſpei atque concupiſcentiæ Imperatoris ſuo arbitrio conſtituendi, ſe devovit. Homines non peccatis, ſed lege Chriſti atque ſacramentis ſolvit; pacem atque pietatem religionis noſtræ labefactat; bella, ſeditiones concitat; ſtupro, cædi, perjuriis, perfidiæ, rapinis, incendio indulget. Non ſolum ad ambitionem ſuam occulendam fabulas comminiſcitur, Annales corrumpit, res geſtas invertit, ſed etiam cœleſtia oracula adulterat. Divinas literas falsò interpretando, ſuæ libidini ſervire cogit; ſacram hiſtoriam lacerat: inter mulierculas de ſacris philoſophatur literis. Quicquid dixerit, legem Dei putat, ad aviditatem ſuam incongrua conquirit teſtimonia, ſententias depravat, ad voluntatem ſuam ſcripturam trahit repugnantem. Nimium ſibi de Phariſæorum ſupercilio ſumit, ut quoſq; damnare vel ſolvere arbitretur; cum apud Deum non ſententia Sacerdotis, ſed vita hominis quæratur. Præterea Hildebrandus ille divinæ majeſtati refragatur, Chriſtianiſſimo Principi divinitus conſtituto, & à Deo inaugurato reſiſtit; verſutus, fallax, obſcurus, callidus, imperium orbis titulo Chriſti ſub ovina pelle ambit. Alios, pecudes ignavas, ſtultos, ſtipites, caudices, aſinos, qui ejus ſycophantias vaframentaq́ue non intelligant, putat. Huc omnes nervos intendit, ut duce gregis oppreſſo, in ordinemq; redacto, in oves deſertas præſidio Imperatoris licentius impuniusq; graſſetur. Si omnis poteſtas à Deo eſt, maxima quoque, nempe Cæſarea, ab eo ſit neceſſe eſt. Chriſtus, cum eum populus rebus imponere conaretur, aufugit; & duos de hæreditate ambigentes, qui eum arbitrum cœperant, ad Cæſarẽ, cui imperium orbis terrarũ commiſſum eſt, ablegavit. Pontificibus quoq; Iudæorum præcipit, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; cui vectigal ſolvit, tributum pendit, cenſum dedit. Idem nos D. Petrus docet: Deum timete, Regem honore afficite. D. Pauli præceptum eſt: Fidem Regi ſervare. Quòd ſi quiſpiam cælitum aliter docuerit, devotus eſto. Flagitium hujuſcemodi Hildebrandi inexpiabile, ſcelus hactenus inauditum, procul ab orbe Germano abigendum, enſe (quem Imperator ſupremus ad vindictam malorum Cæſari tradit) reſecandum; lupus ſub ovina pelle ſæviens, ferro tollendus. Septimus ille non verbis & diſputationibus, ſed vinculis & carcere fatigandus eſt. Nempe dictum eſt à Chriſto, Deo Optimo Max. Petro & ejus Succeſſoribus Romanis Epiſcopis: Vade retro ſatana, offendiculum mihi es: &, Qui gladium acceperit, gladio pereat.

Pag. 455. *Pag. 456.*

Appendix de Hildebrando, ſeu Gregorio VII. ex Faſciculo rerum ſciendarum Coloniæ 1535. fol. 44. impreſſo deſcripta.

Qua occaſione Hildebrandus ab Imperatore abiectus, & Guibertus in locum eius ſurrogatus ſit. Caput 1.

Ottho Friſingenſis.

CVm ſub Imperatore Henrico, qui inter Reges quartus, inter Imperatores tertius hujus nominis invenitur, imperium graviſſimè ſciſſum fuiſſet, partéque maxima optimatum Principi ſuo rebellante, tota penè regni latitudo ferro flammaque fœdaretur, Gregorius Septimus, qui tunc urbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem tanquam à ſuis deſtitutum, anathematis gladio feriendum decernit. Cujus rei novitate eo vehementius indignatione motum ſuſcepit imperium, quo nunquam antè hæc tempora hujuſmodi ſententiam in principem Romanorum promulgatam cognoverat. Eapropter pluribus ex Italia, Gallia, Germania, apud Baiorariæ civitatem Brixinoram in ipſo Pirenæo, haud procul à valle Tridentina ſitam, coadunatis Epiſcopis, Princeps curiam magnam celebravit, ubi omnibus advenientibus injurias ſibi à Romana Eccleſia irrogatas affectuoſe conqueritur, quòd videlicet ipſo inconſulto, qui tanquam Rex & Patricius, primus in electione ſuæ urbis Epiſcopi eſſe deberet, Romani ſibi Pontificem præfeciſſent, cum à Patre ſuo Imperatore plures ibidem quaſi ſine electione inthronizati fuerint. Hac querimonia omnium animi eo facilius contra Romanam Eccleſiam inclinari poterant, quo & laici ſecularis honoris conſideratione accenſi, & Epiſcopi Conſilio Clericorum ſuorum, quibus recenter connubia ab eodem Pontifice inhibita fuerant, inflammati, voluntati principis accedebant. His igitur acclamantibus, præfata electio ab eis caſſanda judicatur, Guibertusque Ravennatenſium Archiepiſcopus, Clemens vocatus, aſſenſu principis urbis Epiſcopus creatur: Gregoriusque ſeptimus, ab ipſis Pſeudomonachus vel necromanticus appellatus, exufflatur. Vnde communi conſilio prænominato Pontifici ſcriptum conviciis & detractionibus plenum dirigere præſumpſerunt, inter cætera dicentes: Sicut hactenus ſolebas dicere, quòd nullus noſtrum eſſet Epiſcopus: ita ſcias, quòd nullus noſtrum deinceps erit Apoſtolicus. Hæc Ottho Friſingenſis.

In Faſciculo Gratii fol. 43. b.

Literæ, quibus vocati ſunt Hildebrandini ad audientiam.

Gregor. VII. hæreſeos, ſchiſmatis & ſeditionis crimine notatus.

ADalbertus Epiſcopus ſanctæ Rufinæ Sylvæ candidæ, Ioannes Epiſcopus Hoſtienſis, Hugo Epiſcopus Præneſtinus, Albertus Epiſcopus Nepheſinus, Beno Cardinalis Presbyter urbis Romæ, Romanus Presbyter urbis Romæ, Guido Cardi-

Cardinalis Presbyter urbis Romæ, Octavianus Cardinalis Presbyter designatus, Paulus Primicerius Romanæ Ecclesiæ, Nicolaus electus Abbas sancti Sylvestri urbis Romæ N. Abbas sancti Pancratii urbis Romæ, & clerus, & clarissimi Principes Laici, Theobaldus Chinebii, & Vdalricus de sancto Eustachio, & populus Romanus, omnibus Deum timentibus, & salutem Romanæ Reipublicæ diligentibus.

Nolumus ignorare prudentiam vestram, quòd ad destruendas hæreses noviter ab Hiltebrando inventas, & antiquas sub nomine pietatis impiè ab ipso renovatas, & ad defensionem fidei Catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum qui noviter ipsam fidem Catholicam (quantum in ipsis erat) scindere non timuerunt, Deo authore, Nonis apud S. Blasium convenimus, octavo Idus apud S. Celsum, septimo Idus apud S. Mariam, in Ecclesia quæ vocatur Rotunda consedimus, ipsas hæreses damnatas, sic ut majores nostri, & nos damnamus: omnes sectatores, communicatores, complices semel damnatæ pravitatis, pari sorte censemus, ne si vel paululum taceamus, consentire videamur. Eos verò qui authoribus errorum communicant, data securitate liberè veniendi & abeundi vocamus, & ut per majores suos, D. Raynerium & Ioannem Burgundionem causam suam agant, admonemus: securitatem integram, in quantum possumus, usque ad festum omnium Sanctorum proponimus, etiam cum in causa sua defecerint, neminem circumvenientes, nullius sanguinem, sed omnium vitam & honorem sitientes, nec seditiones in populo commoventes. DE CAUSA enim sua diffidere videtur, quisquis author est seditionis: Pacem veram, dilectionem synceram, proponimus omnibus pacem, & veritatem, & unitatem Ecclesiæ Catholicæ amplectentibus, ut simus filii Patris nostri qui in cœlis est. Qui enim ex patre Diabolo sunt, opera Patris sui faciunt: conspirationibus, seditionibus, cujus filii sint, manifestè ostendunt. Nos verò illius discipuli esse desideramus, cujus doctrina etiā inimicis sanè est intelligenda. Orent pro nobis Ecclesiæ filii, ut crescat sermo Domini, &c. Datæ Romæ contra schismaticos, in sacro Conventu: Anno ab incarnatione Domini Millesimo nonagesimo octavo, indictone sexta, septimo Idus Augusti.

His literis vocati sunt. Declinaverunt autem audientiam schismatici per sedecim annos, per obsides potentes & clarissimos, & Sacramenta sibi oblata invitati, ne caperentur suis mendaciis, ne suis libellis convincerentur, quibus authores eorum corruperunt terram hæresibus variis, longè lateq; disseminatis per Apostolos multiplicis erroris. Sacer enim Conventus, toties deprehensa eorum versutia, in conspectu Ecclesiæ coram multitudine Romanorum ait: Eos qui sanctam Ecclesiam scindere non timuerunt, iterum vocamus ad Synodum, quam (Deo authore) celebrare disposuimus circa Calend. Novemb. In præsenti tamen, quia venire renuunt, testes invocamus contra eos cœlum & terram, quòd nullum consensum adhibemus eorum perversitati: & in testimonium illius, in medio Ecclesiæ, *Hildebrandini fugiunt lucem.*

in conſpectu Angelorum & hominum, incendio tradimus Decreta eorum hæretica, quibus orbem terræ perverterunt, Verbum Dei adulterantes ſub ementito colore pietatis, quærentes plus ſe quàm fidem Catholicam amari. Qui per ſedecim annos nullum dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris erroris aſſueti, falſis expoſitionibus intorquenres ſcripturas, in adjumentum nefandiſſimi ſchiſmatis. Hildebrandus in extremis ſuis vocavit ad ſe unum de Cardinalibus duodecim, quem multum diligebat præ cæteris: & confeſſus eſt omnipotenti Deo, & toti Eccleſiæ, ſe valde peccaſſe in paſtorali cura, quæ erat ei ad regendum commiſſa. Atque hunc confeſſorem ſuum miſit ad Imperatorem, & totam Eccleſiam, ut optarent illi veniam. Hanc culpæ confeſſionem etiam Siggibertus teſtatur.

Acta Synodi Brixienſis contra Hildebrandũ.

Hactenus Appendix, cui viſum eſt addere ex Chron. *Abbatis Vrſpergenſis*, ad A. 1080. pag. 237. Decretum celebris Synodi Prælatorum & Politicorum Procerum, Brixiæ Noricæ contra Hildebrandum congregatæ. Hæc autem ejus verba ſunt. Quia (inquiunt) *non à Deo electum illum conſtat, ſed à ſeipſo in fraude ac pecunia objectum, quia Eccleſiaſticum ſubvertit ordinem, qui Chriſtiani imperii perturbavit regnum, qui Regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui perjurum defendit Regem, qui inter concordes ſeminavit diſcordiam, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala, inter conjuges divortia* (diſtrahebat enim Sacerdotum conjugia, teſte Henrico Mutio) *& quicquid quietè inter piè viventes ſtare videbatur, concuſſit; Nos autore Deo congregati in unum, Legatis ac literis freti 19. Epiſcoporum, die S. Pentecoſtes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandũ procaciſſima ſacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria ac homicidia defendentem, Catholicam & Apoſtolicam fidem de corpore & ſanguine Domini in quæſtione ponentem, hæretici Berengarii antiquum diſcipulum, divinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem, & idcircò à vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum & expellendum; & niſi ab ipſa ſede, his auditis deſcenderit, in perpetuum condemnandum.* Facta autem ſunt hæc 7. Calend. Iulii, feria 5. indictione 3. Hoc Decretum ad Papam miſerunt, & Epiſtolam, teſte eodem Vrſpergenſe, in qua poſt multa crimina ipſi Papæ objecta, ſic concluſerunt: *Quia ergo & introitus tuus tantis perjuriis eſt initiatus, & Eccleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam per converſationem tam multiplici infamia deboneſtaſti, obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero ullam ſervaturos eſſe renunciamus.* Hactenus Vrſpergenſis.

Cardinaliũ tabella.

Iam addam pauca ex quadam Epiſtola Friderici primi, ubi inter alia & hæc quoque ad Adrianum 4. ſcribit: *Cardinalibus veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ, & non patent civitates noſtræ; quia non videmus eos* prędicatores, ſed prædatores; *non* pacis corroboratores; *ſed* pecuniæ raptores; *nõ* orbis reparatores, *ſed auri inſatiabiles corraſores*. Epiſtolam eam concludens dicit: *Superbia deteſtabilem beſtiam uſq; ad ſedem*

Petri

Petri reptasse videmus. Narrat Gebuilerus, nostri temporis & quidem Papisticus scriptor, fuisse tempore Henrici Quarti in Germania & Gallia circiter viginti quatuor Episcopos, qui unà cum Clero suarum diœcesium conjugati fuerint, conjugiumque Sacerdotum constanter defenderint; unde apparet, conjugium Sacerdotum tunc temporis nondum fuisse penitus abolitum; tametsi hoc ex Herfeldensi alibi clarius sit monstratum. Verùm de hoc Cæsare & Pontifice etiam in sequentibus titulis dicetur.

* Extant in Tom. 3. Constit. Goldasti Henrici hujus IV. Decreta, Mandata & Rescripta diversa contra Gregorii fraudem & injustitias p 314. seqq.

CLI. *Rudolphus Dux Sueviæ.*

TEstatur Vrspergensis, & alii quidam historici, Rudolphum Ducem Sueviæ, qui primum fortissimè contra omnes seditiosos, pro Henrico IV. Imperatore pugnarat, demum à Papa & Episcopis, qui subinde alium post alium extinctis prioribus adversarium illi optimo Cæsari excitabant, persuasum, ut coronam Imperii sibi vendicaret, demumque post aliquot cruenta Germaniæ civilia prælia, juxta Mersburgum ei manum abscissam esse; ac eum fugiente exercitu, vix Mersburgum cum seditionis complicibus Episcopis aufugisse, ibique advocatis illis abscissam eis dexteram monstrasse, ac graviter gementem dixisse: Ecce manum, qua Domino meo Imperatori fidem dedi, quòd ei subditus esse, fidelissimeque tanquam meo ordinario Magistratui servire, & nunquam resistere velim: & vos me cum Papa persuasistis, ut moto contra eum bello, regnum ei & vitam eripere conarer. Ecce nunc ego morior, regnumque ejus relinquo. Vtinam me per veram Christianamque viam duxissetis. Dignissima planè memoria est hæc historiola, quòd furorem Antichristi ejusque sacrificorum tristissima bella, seditiones & perjuria inter Christianos excitantium, & iram pœnasque Dei contra tam nefarios conatus demonstrat. Liber de Vnitate Ecclesiæ, de quo mox dicam, eodem anno necis Rodolphi conflagrasse, tum Baltenbergense summum Templum, ubi fuit electus, tum & Moguntinum ubi est inauguratus. Miserat huic Rudolpho Papa dono diadema Cæsareum, inscripto hoc versiculo:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Quo indicare voluit, omnia regna ac dominia mundi Petro, Papis ac sibi à Christo commendata esse, ut ipse ea cui velit, pro suo arbitrio tradat. Vide extremam audaciam, impudentiam & impietatem Romani Antichristi.

CLI. De

CLI. *De unitate Ecclesiæ conservanda.*

Venerici Vercellensis putatur liber editus Basil. à Schardio 1566. Extat etiam in Tom. 1. Germ. script. Freher cùm præfatione Hutteni à p. 153. ad p. 236.

EDidit Huttenus anno 20. librum prolixum, titulo *de Vnitate Ecclesiæ*, scriptum ante annos 470. contra Gregorium VII. ejusque complices, qui horribiliter tum excommunicationibus & interdictis, tum etiam armis, Henricum IV. persequebatur. Probat in eo prolixè author, quicunque demum est, tum argumentis ex Scriptura & aliunde desumptis, tum etiam historiarum commemoratione, Papas & Episcopos non tantum nullas justas causas habere, quòd Cæsarem persequantur; sed etiam in ipsa persequutione adeò modum excedere, ut planè scelerate ac impiè contra omnia humana ac divina jura furant. Nullam pacem ferre posse, cum toties eis sit æquissima oblata; imò, si quando simulent se pacem expetere, omnia tamen agere eo fine, ut novis majoribusq; turbis dent occasionem.

Sanè tunc abundè res ostendit, verum esse proverbium Germanicum, cum sacrificulis non aliter posse componi semel susceptas inimicitias, nisi ut eos jugules. Locos porrò communes, qui quidem à nobis in hoc libro annotantur, potissimum hosce duos tractat; *Papam non habere politicum gladium, multo minus aliquod dominium super Imperatorem*; *Nullo jure posse eum subditos Imperatoris aut aliorum dominorum juramento fidelitatis solvere.* Diligenter denique inculcat illud Pauli præceptum, *Omnis anima sit subjecta superioribus potestatibus*; atque ideo etiam spirituales summos & infimos, politicis magistratibus obedire debere docet. Adscribam unum aut alterum ejus dictum: *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam majus judicium sumitis; sicut dixit Iacobus Apostolus ex doctrina Domini, & Salvatoris nostri.* Vos, *inquit*, nolite vocare Rabbi; unus est enim Magister vester. *Vnde Augustinus in libro, qui prætitulatur de Magistro, disputans, quærens, & inveniens, Magistrum non esse, qui docet hominem scientiam,* nisi Deum. Magistros, *inquit*, tunc plures fieri existimo, cum diversa, atque inter se adversa sentiunt; cum verum id ipsum dicunt, omnes & verum dicunt, ab unius veri Magistri, Magisterio non recedunt. Qui enim, *inquit Christus*, major est vestrum, erit Minister vester. Qui enim se exaltaverit, humiliabitur, & qui se humiliaverit, exaltabitur. *Sed cum ipse unus Magister CHRISTVS idemq; Deus mutet tempora, & transferat regna, tenens corda Regum in dextra sua; legimus docuisse Hildebrandum Papam, quod potestatem ipse habuerit super Reges & super regna, & postea id facere, quod per Deum tantum fieri dicit Psalmista:* Hunc humiliat, & hunc exaltat. *Nam reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Quam certè regulam proprio confirmavit Exemplo dicens Petro Apostolo:* Vt non scandalizemus eos, *id est, ne nos Cæsari contradicentes tumulandi eis occasionem præbeamus, vade ad mare, & mitte hamum,* & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens da eis pro me & te: Et discite à me, quia mitis sum & humilis corde.

Fol. 36. dict. edit Basil.

Qui

Qui etiam docuit Apostolos Ecclesiam non Regnum disponere, vel ordinare, quod nec ipse legitur affectasse; qui fugit in montem solus orare, cum turbæ venissent rapere eum, & Regem constituere. Quoniam cum in forma Dei esset, formam servi accipiens, venit non ministrare: *juxta quod etiam Paulus Apostolus, cùm liber esset ex omnibus, omnium se servum fecit, ut plures lucrifaceret.* Vnde & Gregorius Papa *cum esset summus Pontifex, & virtutum artifex, in tantum se infra omnes humiliavit, ut primus ipse in Epistolis suis servum* servorum Dei *se appellaverit, & hoc humilitatis nomen ad posteros quoq; transmiserit.* Item paulo pòst. *Ecce quomodo ille Minister Diaboli,* Pag. 39. *ecce quomodo insanit? quomodo nos secum in foveam perditionis mittere quærit? qui apud XIII. tantum, aut paulò plures Episcopos Hildebrandi Papæ scribit, sancta Dei esse sacerdotia; cæterorum autem qui sunt per orbem terrarum, sacerdotia, ab Ecclesia Dei esse separata. Cùm certò non solum Gregorii atq; Innocentii testimonium, sed omnium sanctorum Patrum judicium concordat cum sententia beati Cypriani* Episcopi, *qua testatur in libro* de Vnitate Ecclesiæ, quòd alienus sit, prophanus sit, hostis sit, quòd Deum Patrem habere non poterit, qui non tenet unitatem Ecclesiæ, *quam consequenter etiam describit* unum Sacerdotium habere; nam ut unitatem, *inquit*, manifestaret Dominus, unitatis ejus originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit, & quia erant utique & cæteri Apostoli quòd fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur; quam scilicet unitatem tenere firmiter & vindicare debemus: maximè nos, *inquit*, Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque unum atque indivisum probemus. *Sed Hildebrant Papa, sic divisit etiam Sacerdotia*, quemadmodum Hildebrandi scelera. *Ecclesiam Dei, atque Rempublicam imperii, quoniam partes inde segregavit sibi. Inter* ipsum *namq;* & inter Regem Henricum, *graves ortæ sunt atq; inexorabiles discordiæ;* Pag. 40. *Papa plurimum annitente*, ut Rex deponeretur à Regia potestate pariter & dignitate; *Rege verò contra nitente* ut defenderet se ab hostium suorum circumventione; *qui pro parte ejusdem Papæ certant, quærebant eum opprimere. Exinde divisa est Ecclesia, & divisa sunt Ecclesiæ sacerdotia; atq; omnia scandalorum orta sunt genera. Exinde crevit* grave & diuturnum bellum, *& non solum* civile, *sed &* plusquam civile bellum, *& factæ sunt absq; divino pariter atque humano respectu vastationes Ecclesiarum, & cædes hominum. Exinde etiam corruptæ sunt divinæ pariter & humanæ* LEGES *sine quibus non subsistit vel Dei Ecclesia, vel Imperii Respublica. Exinde violata est fides & publica & Catholica; Exinde etiam crevit illa injustitia, ut pro veritate falsa testimonia, & pro fide Catholica abundent perjuria. Vt postquam leges bello siluere coactæ, impleatur jam ista Domini sententia, per Oseam Prophetam*: Non est, *inquit*, veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra, maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. *Hæc nunc abundant & superabundant, propter doctrinam Hildebrandi Papæ, qua divisit corpus vel Ecclesiæ, vel Reipub.* Nunquid hoc est Apostolicum esse? &

Gregorium, *id est*, benè vigilantem esse? *& in doctrina & in conversatione* Catholicum *esse secundum sententiam scriptoris proposita Epistola? Atque cum tali Hildebrando partes habere, & ejusmodi, qualia supra dicta sunt, flagitia nutrire, fovere, vel defendere, nunquid hoc est filios DEI esse, & spirituales, & cœlestes esse, juxta sententiam scriptoris*
Pag. 116 *ejusdem Epistola? Absit hoc, &c.* Item de Monachis. *Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere, sed quia jactantur, sicut inanes palea tempestate, quorum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Ergo longum est* inter monachos certamen atque discordia de veste monachica; *& apud eos*
Pag. 117. *qui religiosores videntur pro sua jactantia; apud eos inquam tam solenne est & celebre, tamque sanctum & venerabile nomen, quod est duplex vestis, ut reliqui per monasteria Monachi nullius meriti vel momenti æstimentur ab eis, nisi induantur hac dyploide confusionis* Sed duabus, *inquit Dominus*, tunicis ne induamini, & habentes victum & quibus tegamini, his estote contenti. *Contra hæc etiã divina mandata affectant* laxas vestes, *qui sunt sibi in hoc quoque placentes, cum superbi secundum Scripturas sanctas, alio nomine appellentur sibi placentes. Sed per naturale ingenium, quo illi minus sapiunt, intellexit* Lucanus *quidam* gentilis Poëta, *quod laxæ vestes prætendant teporem quendam & mollitiem eorum, qui desides ac pigri videntur ad virtutum exercitia.*

> *Quicquid ad hos* (inquit) *tractus mundiq; teporem,*
> *Labitur, emollit gentes clementia cœli:*
> *Illic & laxas vestes & fluxa virorum*
> *Velamenta vides.*

Sed sanctissimus Pater Benedictus describens quatuor genera Monachorum, *tertium inquit Monachorum teterrimum genus est* Sarrabattarum, *id est*, sibi viventium, qui nulla regula approbati, experientia magistra, sicut aurum in fornace; sed in plumbi naturam molliti adhuc operibus servantes sacculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur; quibus pro lege est desideriorum voluptas, cum quicquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere. *Unde & per Salomonem dicitur*: Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. Sed vos qui secuti estis me, *ait Dominus*, intrate per angustam portam, quia lata porta, & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta *inquit*, porta & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. *Ad hanc verò qui difficilis est ascensus, ideo sanctus Hieronymus inter alia institutionis monita proponit Monacho mysterium sui habitus*, Vis, *inquiens*, scire, quales Dominus quærat ornatus? habeto prudentiam, justitiam, temperantiam, fortitudinem. His inquit cœli plagis includere, hæc te quadriga in altum velut aurigam Christi ad metam concitum ferat. *Ergo sancti Patres qui verè erant Monachi, non verbis, sed factis ita constituerunt & tenuerunt modum, atq; regulam Monastica vestis, ut esset*

ad ædificationem ea utentibus : & ad venerationem foris eam aſpicientibus. Item. *Sed quia ocioſitas inimica eſt animæ, ideo propter opera tantum conſtituit S. Benedictus* alteram cucullam, *quæ dicitur* ſcapulare, *eò quòd ejuſmodi veſtis apta ſit caput tantum & ſcapulas tegere. Sic enim ſcribit & docet beatus Baſilius in regula ſua de inſtitutione Monachorum*: Revera, *inquiens*, neceſſarium videtur, eum qui manuum opere uti in aliquo debet, expeditum eſſe, & in omnibus præparatum, ac ſine ullo impedimento inveniri ad omne boni operis miniſterium. Vidimus nos aliquando veſtem cucullatam, parvam quidem, ſed ita moderatam, ut deſuper uſque ad renes tantum deflueret, & utrinque uſque ad humerorum confinia perpertingeret; qualis certè forma atque menſura propriè dicitur *ſcapulare*, quod Monachis propter opera tantum aſſignatur, ex mandato regulæ: quia ibi exprimitur utrunque, ut & Monachus ſingularitatis ſuæ cuſtodiam per veſtem cucullatam attendat: & per brevitatem ejus ſimul ac per brachiorum nuditatem magis explicitus, & impiger ad opera fiat. *Rara autem eſt nunc apud Monachos & inuſitata ejusmodi veſtis; quia pauci aut omnino nulli iſtius temporis Monachi ſtudent more Patrum labori, aut exercitio operis. Cum apud antiquos Patres fuerit uſitatum, ut nullum ſuſciperent in conſortium ſuum, niſi probatus hoc meruerit per operis exercitium, quod poſt orationum ſtudia atque lectionum, præcipuè valet contra impugnationes vitiorum. Unde* & Sarabattas, *hoc eſt*, ſibi viventes *appellat ſanctus Benedictus tertium genus Monachorum.* Quoniam nulla, *inquit*, regula approbati experientia magiſtra, ſicut aurum in fornace, ſed in plumbi naturam molliti, adhuc operibus ſervantes ſeculo fidem, mentiri Deo, per tonſuram noſcuntur, quibus pro lege eſt deſideriorum voluptas, cum quicquid putaverint vel elegerint hoc dicant ſanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere.

Pag. 120.

Pag. 121.

Hinc beatus Hieronymus ſcribit ad ſacram virginem Euſtochium: Tria, *inquiens*, ſunt genera Monachorum, ex quibus tertium eſt deterrimum atque neglectum, & quod in noſtra provincia aut ſolum eſt, aut primum, apud quos, *inquit*, affectata ſunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis groſſior, crebra ſuſpiria, detractio Clericorum, & ſi quando dies feſtus venerit, ſaturantur ad vomitum. Sed quia ſciunt Monachorum nomen glorioſum, ſub ovium pellibus lupos tegunt, Chriſtum mentitur Antichriſtus: & turpitudinem, inquit, vitæ falſo nominis honore conveſtiunt, qui etiam dum erubeſcunt pro Chriſto glorioſam ſuſcipere cum Apoſtolo nuditatem, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & deſideria multa & inutilia, & noxia quæ mergunt homines in interitum & perditionem. *Conſideranda ſunt hæc, quæ ſancti Patres conſcribunt ſuper eo genere Monachorum, quod nunc in noſtra quoque provincia aut primum eſt, aut ſolum, quales etiam in publicum jam emerſerunt exitium, concitantes regnum adverſus regnum: qui non ab Apoſtolica ſede quidem abſtinuerunt, ſed multa contra eum geſſerunt, ſcripſerunt, & docuerunt, ideoq; etiam à Catholica Eccleſia apoſtataverunt, qui in cathe-*

dra pestilentiæ sederunt, & supra altitudinem nubium sedem suam posuerunt: quale scilicet mysterium iniquitatis prætendunt in veste sua, utentes capitio tunicæ pro cucullâ, *quæ dicitur* minor cella, *& habet speciem crucis, sicut dictum est supra.*

CLIII. *Valtramus Naumburgensis.*

VAltramus Episcopus Naumburgensis, floruit ante 450. & amplius annos, scripsit pro Henrico IV. contra Papã. Suspicor hujus authoris esse præcedentem librũ *de unitate Ecclesiæ.* Testatur certè Trithemius, eum contra Papã scripsisse.

ARGUMENTUM LIBELLI sequentis.

HIldebrandus ille, de quo ex historia Bennonis plura scribuntur, Cluniacensis sectæ Monachus, demum artibus suis post annũ Christi M. LXXIV. Pontificatum Romanum obtinuerat sub Gregorii septimi nomine; nullo tamen Romani Imperatoris, qui tunc Henricus IV. erat consensu accedente. Quod quidem ut contra ritus sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ esset, atq; juribus authoritatiq; Imperii multum derogare videretur, sic Reip. maximam calamitatem peperit. Statim enim quibusdam Symoniacæ hæresis quæsitis calumniis, Principibus Romanis potestatẽ conferendi Ecclesiastica officia eripere tentabat; quam Imperatores ab eo tempore, quo in Germania Christus prædicari cœperat, habuerant integram. Papa autem causæ caput ab ipso Imperatore inchoans omnia miscebat; cum bellis occupatus Augustus, initiis obstare non posset; atq; Conciliis, quæ Papa hinc inde indicebat, consultò interesse nollet. Hinc in ipsum insidiæ struebantur, adeò ut de vita periclitaretur. Quibus nõ succedentib⁹, aperta vi grassabatur in Imperatorẽ ambitiosus Pontifex, ac summissis inauguratisq; demũ tyrannis supplicẽ sibi reddit. Tandẽ devictis tyrannis, & Hildebrandum ipsũ solio deiicit Augustus; cujus tamen victoria tanta nõ fuit, quo minus Victor & Vrban⁹, insequentes duo Pontifices eo etiã invito Romanã sedẽ ascenderẽt; Clemente, quẽ ipse ad eandem dignitatẽ intulisset, excluso. A Paschali deinde exagitatus Imperator; atq; ab Henrico V. filio, quẽ Pontifex instigaverat, & imperio & vita spoliatus, dum Pontifex odio adhuc flagrans, investiendi Episcoporum jus *Imperatorib. nititur extorquere; quapropter variæ de hac re hinc inde habentur consultationes, diversis in locis congregantur Concilia, Doctorumq; virorũ ingenia feriis disputationib. exercentur; inter quos* VValtramus *hic* Naumburgensis Episcop⁹, *hunc quẽ damus Libellũ exaravit. Pontifex autem ambitiosissimus, qui authoritatẽ suã omnibus modis amplificare studebat, nullius acquiescens consiliis, captus tandẽ, & vix liberatus, Henrico privilegia Francorũ Imperatorum confirmavit: cujus confirmationis exempla apud Marianũ Scotũ. Nauclerũ, atq; aliis permultis in historiis extant. Statim verò post discessũ Imperatoris, Pontifex retractavit quod concesserat* Privilegiũ *nominãs, quod scripto ediderat; quanquã morte prævent⁹, quod moliretur exequi, atq; ipsius successor Gelasi⁹ dignitatẽ, quã inconsulto imperatore invaserat, retinere nõ posset. Atqui Calixtus, qui ex Burgundiaca familia Papa effect⁹, minis, diriisq; abstentionib⁹ invisũ omnibus Imperatorẽ reddidit; & ita terruit, ac nescio quo consanguinitatis vinculo enervavit, ut maximo, ac adhuc nunquã deleto Germaniæ ac Imperii totius dedecore,* iis investiendi Pontificis *condonaret, idq; apud VVormaciã ad Rhenũ in campo quodã spaciosissimo*

procla-

proclamare juberet. Literis insuper cõscriptis, & obsignatis, quas Põtificii postea Romæ in victoriæ signũ, & triumphatæ Germaniæ testimoniũ publice in æde Apostoli Petri suspenderũt.

DE EPISCOPORUM INVESTITURA PER IMPERATORES facienda, VValthrami Episcopi Naumburgensis Libellus, ex antiquo membranaceo Codice bona fide descriptus.

LEo Constantini filius, imperavit annis quinq; in regno Græcorum & Romanorum. Post quem uxor ejus Hyrene, filia Cajani Avarum, id est Hunnorum Regis, cum filio suo Constantino imperavit annis decem: verùm Constantinus matrem suam Hyrenen imperio privavit, solusq; annis sex imperavit. Hyrene autem super erepto sibi imperio, fœmineo dolore abusa, Constantinum filium suum oculis & imperio privavit, & sola annis sex imperavit. Romani autem, qui ab Imperatore Constantinopolitano jam animo desciverant, propter tardum & infructuosum illius auxilium contra Tyrannos, accepta occasionis opportunitate, quia mulier, excæcato Imperatore Constantino filio suo, imperabat, uno omnium consensu Carolo Magno Imperatorias laudes acclamaverunt, eumq; per manus Leonis Papæ coronaverunt, Cæsarem & Augustum appellantes. Igitur ex quo Byzantium Thraciæ civitas, à primo Constantino in novam amplificata, & in regiam urbem est exaltata, evolutis annis circiter CCCCLXVIII: diviso à Constantinopoli Romano imperio, Carolus Magnus Rex Francorum primus imperavit Romanis annos XIII. Ex tunc à Græcis in Reges Francorum translata est Imperatoria dignitas: & Adrianus Papa, collaudantibus Romanis & plena Synodo, primatum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Ducum & Principum acclamatione, Carolo Magno, ejusq; Successoribus futuris Imperatoribus, sub anathemate concessit patriciatum Romanum: & per se vel per nuncios confirmationem in electione, & in consecratione Romani Pontificis concessit, & investituras Episcoporum eis determinavit, ut non consecretur Episcopus qui per Regem & Imperatorem non introierit purè & integrè: exceptis, quos Papa Romanus investire & consecrare debet ex antiquo dono Regum & Imperatorum, cum aliis quæ vocantur Regalia, id est à Regibus & Imperatoribus Pontificibus Romanis data, in fundis & reditibus. In hac concessione continentur regales Abbatiæ, Præposituræ. Ex hoc constituto, Carolus Magnus Aistulfum, Desiderium, aliosq; Reges & tyrannos, bello, cæde & exilio delevit, qui fundos & bona Ecclesiæ Romanæ, aliarumque Ecclesiarum invaserant, omnia reddens libertati. Alii Reges & Imperatores Successores Caroli Magni, defensionem Romanæ Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum timore Dei & charitate S. Petri devotè prosequuti sunt, investituras Episcoporum facientes, eorum consecrationibus per se & per nuncios suos assistentes, juxta quod Paulus Apostolus ait ad Corinthios: Non quod primum spirituale, sed quod animale, deinde spirituale. Magnus etiam Gregorius, Theodorico & Theodeberto, & Brummihildi scribit, ut absque Symonia investituras Episcoporum faciant.

ciant. Hic etiam Primus Gregorius non eſt conſecratus, donec Mauritii Imperatoris interfuit aſſenſus. Ioannes Papa inveſtituram Leodicenſis Epiſcopatus, quam Carolus Rex fecerat, Richario Prumienſi Abbati planè confirmat, & invaſionem Hilduvini per Giſilbertum Comitem de Capremonte ſub anathemate damnat. Papa Leo Primo Otthoni, aliique plures Pontifices Romani idem confirmaverunt ſub anathemate Regibus & Imperatoribus. Vnde mirum eſt, imò periculoſum in ſalutem animarum, quòd ea quæ ſancti Anteceſſores ex magna neceſſitate, & patenti ratione ſub anathemate confirmaverunt à tempore Gregorii, qui & Hiltibrandus, ſub abſolutione immutantur. Qui à Primo Conſtantino, quem Sylveſter baptizavit, geſta & decreta revolverit, patenter in veniet, quòd per Reges & Imperatores, & devotos Laicos, Romana Eccleſia, aliæque in orbe terrarum Eccleſiæ, in fundis & mobilibus ditatæ & exaltatæ ſunt, ſibiq; tutelas & defenſiones contra tyrannos & raptores retinuerunt, ut gladius Regalis & ſtola Petri ſibi invicem ſubveniant, quaſi duo Cherubin converſis vultibus, reſpicientia in Propitiatorium. Romani Pontifices, aliiq; præſules, de fundis & rebus per devotos Laicos & Laicas adquiſitis, & à ſeculari poteſtate confirmatis, ſtruxerunt & ornaverunt Eccleſias: & à quibus acceperunt gratiam, non debent inferre contumeliam: & ſi de inveſtituris peccaverunt, exemplo Primi Georgii exhibeantur. Quod Paulus dicit: Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Hieronymus in Epiſtolis ſuis dicit: Quadragentos Epiſcopos Imperiales literæ ad Synodum contraxerunt. In hoc virtus Imperialis egit, quod excommunicatio Pontificis agere non potuit, ut ſine captione, ſine damnatione, ſine contumelia, tot Epiſcopi ierunt & redierunt. Excommunicatio enim quanto intelligitur & timetur, tanto cavendo vitatur: & punitio corporalis in vita, vel in membris, in rebus vel in fundis, plures reſipiſcere facit ex juſtitia regali. Domino autem Pontifici ſummoperè cavendum eſt ex medulla Scripturarum, ne quando liget in terris, quæ Deus ſolvat in cœlis; & quando ſolvit in terris, Deus liget in cœlis. Hoc evenit ex illa gloria prælationis, nimiisque motibus animorum, quando ſuccedentes Pontifices præcedentium Pontificum Decreta & Excommunicationes immutant & ſolvunt. Vnde cum Dominus Iesus, ipſa veritas, dicat: Si malè loquutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: mirum eſt, & periculoſum in Chriſti puſillos, quòd antiqua conſtituta ſub anathemate confirmata, novis immutationibus ſolvunt, & inde nolunt reprehendi, objicientes: Romana judicia non ſunt retractanda. Si Romana judicia non ſunt retractanda, non *videtur puſillis Chriſti* canonicum & ſalubre, ut à tempore Gregorii (qui & Hildebrandus) ea ſolvantur, quæ ſub anathemate confirmaverunt Sylveſter, Leo, Adrianus, Primus Gregorius, Leo Benedictus, erga Reges & Imperatores, de inveſtiendis Epiſcopis per illos: à quibus, & etiam à devotis Laicis & fœminis, fundi & alia mobilia, Eccleſiis omni in orbe terrarum provenerunt, ſibique tutelas & defen-

ſiones

ſiones rerum Eccleſiaſticarum retinuerunt contra tyrannos & raptores. Si in ſucceſſione quiſque ſolvit, quod prædeceſſio ſub anathemate confirmavit, ecce oritur confuſio puſillis Chriſti, cui parti potius aſſentiendum ſit, antiquæ an novæ. Pars antiqua in paupertate mediocri & honeſta arguit, obſecravit in patientia & doctrina, & parcendo juſtitiæ majores & inferiores perſonas ad correctionem adduxit. Nova autem pars ex votis fidelium inſoleſcens, ſub ſpecie Religionis omnia trahit ad ſe manibus expanſis, cum Dominus dicat: Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris: & Deo, quæ ſunt Dei. Gregorius, Auguſtinus, Ambroſius teſtantur, ea quæ ſunt data Eccleſiis à ſeculari poteſtate, & confirmata, potius à ſeculari poteſtate retinenda. Legitur etiam de Epiſcopis Hiſpaniæ, Scotiæ, Angliæ, Vngariæ, quomodo ex antiqua inſtitutione uſque ad modernam novitatem, per Reges introierint cum pace temporalium purè & integrè. Qui pacificè ſollicitus eſt revolvat vitas Patrum, & hiſtorias legat, & intelligat. Sed Epiſcopatus qui ſub Romano degunt imperio majoribus fundis, & amplioribus vigent juſtitiis: & ideo propter majus ſcandalum, à ſtola Petri diſcretius tractandi ſunt: quia non omnes ſunt Petrus, qui tenent ſedem Petri. Sic Scribæ & Phariſæi qui ſederunt ſuper cathedram Moyſi, non omnes fuerunt Moyſes. Elatio enim ex prælatione, & indiſcretio ex correctione, pariunt ſcandalum in confuſionem, & fit manifeſtè illud, quod Dominus in Evangelio dicit: Vos Scribæ & Phariſæi, circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum: & cum invenieritis, faciatis filium Gehennæ duplo quàm vos. Longè etiam ante Decretum Adriani Papæ, ejusque Succeſſorum, Reges qui non erant uncti, & majores domus, inveſtituras Epiſcoporum fecerunt: ſcilicet Dagobertus, Sigibertus, Theodericus, Hildricus, Pipinus filius Beggæ major domus, Theodebertus. Ab his inthronizati ſunt, Remaclus, Amandus, Audomarus, Autpertus, Eligius, Lampertus, aliique ſanctiſſimi præſules: cum Reges iſti in moribus ſuis ſatis fuerint notabiles, & ſolo nomine Regum per majores domus vivebant. Poſtquam autem Romani, ingruentibus vicinis & gravibus bellis, deſciverunt à Græcis Imperatoribus, ex cauſis ſupradictis: Papa Stephanus ob infeſtationem Longobardorum venit Pariſios, & aſſenſu Romanorum & Francorum in Regem & Imperatorem unxit Pipinum, filium Caroli Martelli, nati ex Alpaide: propter quam ex pellicatu increpatam, Pontifex Lampertus Martyr factus eſt. Vnxit etiam idem Pontifex Stephanus, filios ejuſdem Pipini, Carolum qui agnominatus eſt Magnus & Carolomannum fratrem ejus, confirmans ſtirpem illorum in Regia & in Imperatoria dignitate. Ibi de inveſtiendis Epiſcopis per Reges, antiquam conſuetudinem confirmavit. Ex horum collectione purè & integrè ſervanda eſt antiqua conſtitutio, ne puſilli Chriſti ſcandalizentur. Nihil enim refert, ſive verbo, ſive præcepto, ſive baculo, ſive alia re quam in manu tenuerit, inveſtiat aut inthronizet Rex & Imperator Epiſcopum, qui die conſecrationis veniens, annulum & baculum

ponit.

ponit ſuper altare,& in curam paſtoralem *ſingula ſuſcipit à ſtola & ab auctoritate S.Petri.Sed congruū magis eſt, per baculū,qui eſt duplex,id eſt temporalis & ſpiritualis.Operari⁹ n.in ſeminandis ſpiritualib⁹ dignus eſt mercede ſua,nō accipiendis temporalib⁹, juxta quod Paul⁹ ait: *Si ſpiritualia vobis ſeminamus,nō eſt magnū ſi carnalia*, id eſt temporalia,*à vobis metamus*.Præcedens inveſtitura perRegē in fundis & rebusEccleſiæ contra tyraños & raptores,quieta & pacifica reddit omnia.Sequitur autem *Conſecratio*,ut bannus Epiſcopalis bannoRegali conveniens,in communem ſalutem operetur; & ſi Epiſcopis faciendum eſt Regibus hominium, & Sacramentum de regalibus, apertius eſt ante conſecrationem, cum Paulus Apoſtolus dicat: *Vnusquiſq; in ſuo ſenſu abundat.* Omnia divina & Eccleſiaſtica per Magiſtros Eccleſiarum ad pacem & quietem puſillorum Chriſti tendere debent. Legitur etiam in libris Regum & Machabæorum, quòd à Regibus Iudæis & gentilibus Sacerdotes inveſtituras acceperunt in Iudaiſmo. A Petro uſque ad Silveſtrum, qui Conſtantinum baptizavit, Imperatores Romani erant Gentiles,& Chriſtianorum perſecutores;& in fundis & rebus Eccleſiaſticis pauperes erant Eccleſiæ; & à timoratis Chriſtianis, qui tunc pauci erant, Romæ &alibi conſtituebantur Epiſcopi.Poſtquam autem à Sylveſtro per Chriſtianos Reges & Imperatores dotatæ, ditatæ & exaltatæ ſunt Eccleſiæ in fundis,& aliis mobilibus ; & jura civitatum in teloneis, monetis,villicis & ſcabinis,comitatibus, advocatiis,ſynodalibus bannis per Reges delegata ſunt Epiſcopis: congruum fuit & conſequens, ut Rex qui eſt unus in populo,& caput populi,inveſtiat, & inthronizet Epiſcopum, & contra irruptionem hoſtium ſciat, cui Civitatem ſuam credat,cum jus ſuum in donum illorum tranſtulerit. Primus Gregorius conqueritur dolendo, de quodam Epiſcopo, qui adeò pauper erat, ut de Epiſcopatu ſuo contra frigus hyemalem veſtem habere non poſſet. A tali Epiſcopo, forſitan ſancto, non erat Regi neceſſarium exigere hominium,Sacramentum,obſides.Ex hoc,prout ſunt conſuetudines,in regnis per orbem terrarum,*de Epiſcopis inveſtiendis*,ſervanda ſunt antiqua jura. Sicut enim primus Gregorius dicit : *Si voluiſſem*,inquit,*hodiè gens Longobardorum nec Regem nec Duces haberet: & quia Dominum timui, in alicujus ſanguinem me miſcere nolui.* Ita Succeſſores ipſius Gregorii cavere debent ſcandalum, ne contriſtent noviter Reges in ſuis antiquis juribus, per quorum anteceſſores caput & membra exaltata & confirmata ſunt; ſed juxta Paulum à Pontifice Romano & Regibus omnia fiant in charitate & humilitate,remotis ſuperbia & contentione. Quapropter apud Pontifices & Reges fiant Eccleſiaſtica purè & integrè, quia Dominus IESUS dicit: *Si oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucerna erit*; id eſt,ſi intentio bona eſt, & opus bonum eſt. Si Romani Pontifices intendunt Regibus auferre antiqua jura de inveſtiendis Epiſcopis; timent,dubitant,dolent puſilli Chriſti. Reges ſi in Epiſcoporum inveſtituris exceſſerint, poſſunt à timoratis viris & Pontifice Romano argui,& ad rectam correctionis lineam reduci. Si autem in promotione & conſecratione

* *Signa.*

cratione Episcoporum Pontifex Romanus exorbitaverit, & sub verbo summæ prælationis ad voluntatem suam egerit, non vult ut reprehendatur; cum Dominus Iesus se reprehendi concesserit, dicens: *Si malus locutus sum, testimonium perhibe de malo.* Isti autem Summus (inquiunt) Pontifex à nemine judicetur. Et si ab illa summa auctoritate sub specie Religionis introducuntur personæ contra oculos Dei, ecce periculum & in capite & in membris: id est, qui scienter operantur, & scienter cooperantur. Vnde Dominus IESUS hypocrisin, & avaritiam, & cupiditatem Sacerdotum in Evangeliis super omnia arguit, vocans illos *sepulchra dealbata*; & peccatum mulieris adulteræ misericorditer suscipit; & tria genera eunuchorum humanè definit, pro se & pro Petro tributum solvit, Regibus jubet debita reddi. Petrus, Paulus, aliique in orbe terrarum viri sanctissimi concedunt in sententiam Domini IESU, qui omnibus dixit: *Beati pacifici, quoniam regnum Dei possidebunt.* Sunt autem *Pacifici*, qui ex contentione, arrogantia, cupiditate, ex nimiis motibus animorum, non moventur, non inveniunt commutationes contra antiqua jura propter pacem constituta, maximè propter potestates superiores, in quorum pace juxta Paulum) tranquillam vitam agere debemus. Notandum est autem, Pontificibus Romanis & eorum civibus, quando orta fuerat divisio in electione Pontificum, & in communione civium, non est pax restituta nisi per Græcos Imperatores, quandiu imperium ibi fuit; & per Francos Imperatores, ex quo imperium Romanorum datum est eis. Et quidam *Græci Imperatores Christiani*, quosdam Romanos Pontifices, viros sanctissimos, usque ad exilium & mortem immisericorditer tractaverunt: sicut legitur de Agapito, & de Ioanne; *Imperatores* autem ex *Francis*, honestè & piè deduxerunt, sicut legitur de Stephano, & de Leone excæcato. De divisione Cleri & populi in electione Romani Pontificis, comprehensa per Honorium Augustum, ex Græcis ita legitur: *Bonifacius XI, Romanæ præsedit Ecclesiæ.* Contra hunc Bonifacium ordinato Eulalio, & per hoc diffidente Ecclesia, ambo jussu Honorii Augusti, urbe egrediuntur, & sic reprobato Eulalio, jussu Augusti Bonifacius, quia prior ordinatus fuerat, sedi Apostolicæ restituitur. De divisione Romanorum civium in electione Pontificum per Imperatores ex Francis adnihilata, ita legitur: Otto primus Ioannem, quem Adalbertus Papam constituerat, judicio Canonico deponi fecit, & Leonem ordinari fecit, & iste Ioannes se cum uxore cujusdam oblectans, à Diabolo percussus est, ac sine viatico mortuus. Post reditum Ottonis, Romani ex ambitione quendam Benedictum superposuerunt. Imperator rediens, obsessa Roma, Romanos cæde & fame adeò afflixit, ut Leonem Papam se recepturos promitterent, & jurarent. Benedictus rejectus non solùm Papatu, sed etiam Sacerdotio, à Leone exordinatur. Idem Benedictus symoniacè Papatu Romano invaso, cum esset rudis literarum, alterum ad vices Ecclesiastici officii exequendas, secum Papam consecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tertius superducitur, qui vices duorum expleret Romæ. Vno itaque contra duos,

& duobus contra unum de Papatu altercantibus, Rex Henricus filius Chonradi, contra eos Romam vadit: & eis Canonica & Imperiali cenſura depoſitis, Svviggerus Babenbergenſis Epiſcopus, qui & Clemens, Romanæ Eccleſiæ CXLVI. præſedit: & ab eo Rex Henricus ad Imperatorem benedictus eſt, jurantibus Romanis, ſe ſine ejus conſenſu, ejusque Succeſſorum, nunquam Papam electuros. Igitur hæc ſcandala gravia Paſtores animarum cavere debent, coram Deo, in vera ſimplicitate, propter puſillos. Ex quo Imperium Romanorum Carolo Magno acclamatum eſt, ſunt anni trecenti & unum; eſt autem annum præſens, Milleſimus centeſimus nonus, quando ultimum Paſcha fuit ab incarnatione Domini, ſecundum Cyclum Dionyſii.

CLIV. *Venericus, Vercellenſis Epiſcopus.*

CIrca idem tempus ſcripſit & Venericus Vercellenſis Epiſcopus librum ad Papam, in quo eum reverenter monet de iis omnibus, quæ contra fas ac jus, præſertim contra Henricum IV. fecit. Libri eſt titulus, ***De diſcordia Regni & Sacerdotii.***

* Centur. Magdeb. XI. c. 10. Col. 548.

CLV. *Sigisbertus Gemblacenſis.*

SIgisbertus Monachus Gemblacenſis, floruit ante annos 440. defendit Henricũ IV. & ſcripſit contra Gregorium ſeptimum, & Epiſtolam Paſchalis Papæ. Quos nam porrò præcipuè errores oppugnaverit, ignoro, hæc enim tantum ex Trithemio deſcripſi. A Vincentio ſæpe citatur; multa enim ſcripſit. Facile tamen eſt ex ſcopo conjicere, eum aſſeruiſſe, Papam non habere utrumque gladium, nec aliquod jus ſupra Imperatorem. Molinæus teſtatur, eum multa tetra facinora Papæ Gregorio objeciſſe. Trithemius dicit, eum plures Epiſtolas & opuſcula contra Gregorium ſcripſiſſe; quæ extare, valde optandum eſſet. Sed adſcribamus quædam ***ex Aventino*** de Sigiberti dictis, deque Henrico IV. cui pleraque omnia hæc capita conjuncta ſunt.

Sacerdos expiranti ſimilis triduò in Saxonia decubuit. Is ubi ad ſe rediit, apud inferos Hildebrandum, Rudolphum, Hermannum, tyrannos æternis mactari ſuppliciis, revelavit. Falſi tum Prophetæ, falſi Apoſtoli, falſi Sacerdotes emerſere, qui ſimulata Religione populum deceperunt, magna ſigna atque prodigia ediderunt, & in Templo Dei ſedere atq; extolli ſuper omne id quod colitur cœperunt. Dumq; ſuam potentiam, dominationem ſtabilire conantur, charitatem, ſimplicitatem Chriſtianam exti nxerunt.

Sigebertus horum temporum ſcriptor, vir alioquin etiam, ut quiſq; illa tempeſtate poterat, omnis divini humaniq; juris cõſultiſſimus: Pernicioſiſſima (inquit) ſeditio-

ſeditio, & ut pace bonorum dixerim, hæreſis omnium peſtilentiſſima, populum Chriſtianum percellit. Sacrificuli illius, qui ſe dixit pueros effeminatos, falſos Prophetas, tyrannos (qualis Imperator noſter Princeps optimus non eſt) populo ob ſcelera imponere, his à Deo datis, non ſolum non parendũ eſſe, verùm etiam fraude, vi quovis modo tollendos, populum Chriſtianum docere audent: perjuria, homicidia, civilia bella, cædes, perfidiam, pietatem vocant: hujuſcemodi Deo placere prædicant: Sacramento rogatos, Religione jusjurandi Cæſari aſtrictos, exautorant: fidem frangentes, fœdera diſſolventes, pactum prævaricantes, juramentũ violantes, perfidos atq; perjuros non eſſe, ſibi credi poſtulant. Quin eos qui fideles ſunt, qui rebellionem, incendia facere, ſtupra, inceſtus committere, prædas agitare, proximos opprimere, occidere, compilare, ſanguinem Chriſtianum effundere ſummo opere cavent, in numero ſceleratorum atque impiorum computant. Ceu verò non extet perpetuum immortalis prætoris edictum: Qui pactum ſolvit, non effugiet: &, Perjuri regnum Dei non poſſidebunt. Pleriq; omnes boni, aperti, juſti, ingenui, ſimplices, tum imperium Antichriſti cœpiſſe, quòd ea quæ Chriſtus Servator noſter tot annos antè nobis cantavit, eveniſſe eo tempore cernebant, memoriæ literarum prodidere. Hactenus Aventinus. Teſtatur Sigisbertus etiam in ſuo Chronico, Gregorium VII. ſeu Hildebrandum, tandem ſcelus ſuum agnoviſſe in extrema hora, pœnitentiam egiſſe; advocaſſeq; ad ſe quendam ſuum intimum ſacrificum, quem ad Cæſarem, ut ſibi veniam peteret, ablegaverit. *Pag. 605.*

Idem Sigisbertus in Chronico ſuo dicit, anno 1088. eſſe non tantum errorem, ſed & *hæreſim*, quòd *Papa audet abſolvere ſubditos juramento Imperatoris, aut aliorum politicorum dominorum.* Dicit etiam, eum malè *abuti jure, claviumq; poteſtate*, cauſamque præbere contemptui Religionis, quòd tam temerè ac ſine cauſa Imperatores excommunicet. In expoſitione ſuorum temporum narrat quædam mira, vel potius miraculoſa, de muliere quadam, quam dicit Romam ad Alexandrum tertium veniſſe, ac inter alia indicaſſe, quòd Romano Clero graves calamitates ac pœnæ immineant, niſi ab exercitio doli (ut ipſe loquitur) diſcederent, ſub quo à multis retro temporibus uſque in eam diem laboraverant. Narrat ſanè crebrò tetra Paparum ac Cleri facinorum Exempla, quæ hic commemorare nimis longum eſſet. Trithemius teſtatur eum plures Epiſtolas & opuſcula ſcripſiſſe contra Gregorium; quæ extare vehementer optandum eſſet. *Pag. 606. edit. Franc. 1613.*

* Wolfius Cent. 11. Lect. Memor. p. 333, 334, 335, 336, 337.

CLVI. *Leodienſis Eccleſiæ Epiſtola adverſus Paſchalem II.*

Circa annum Chriſti 1100. & paulo antè aliquot Papæ atroces inimicitias cum Imperatore Henrico IV. & V. cum maxima Chriſtianorum, & præſertim

Germanorum calamitate, & sanguinis effusione gesserunt. Quo tempore multa scripta contra Paschalem II. nam Paschalis crudeli Epistola hortatus erat Robertum Comitem Flandrensem, ut Leodiensem Ecclesiam & provinciam ferro ac igni vastaret, eò quòd adhuc suo Imperatori Henrico obediebat; sicut paulo antè Cameracensem crudeliter vastaverat, cujus miserabilem faciem admodum deplorant.

Respondet ergo Ecclesia Leodiensis Papæ piè ac eruditè; indicat se divinum mandatum habere, ut suo politico Magistratui obediat, datumque semel juramentum servet. Objicit Papæ crudelitatem & malitiam, fraudesque ejus complures. *Edita unà cum variis opusculis à Schardio Basil. 1566.* Hoc scriptum in secundo Conciliorum Tomo editum est; quare ibi à Christiano Lectore legi potest. Referam tamen aliqua inde, quo iis inserviam, quibus vel libri vel tempus deest. Vocant Romam *Babylonem*, dicuntque eam à Petro sic Prophetico spiritu vocatam esse, quòd Romanis turbinibus & procellis Ecclesia esset perturbanda. Accusant vehementer, quòd Papa bella contra Ecclesiam Christi excitet. Adscribam verò & verba aliqua inde, amplioris fidei causâ. *Pag. 130.* *Nos attoniti hac novitate rerum, quærimus unde sit hoc novum exemplum, ut prædicator pacis, suo ore & alterius manu inferat Ecclesiæ bellum. Contra Barbarorum & inimicorum Dei assultus, concedunt Canones etiam Clericis arma, ad defensionem urbis & Ecclesiæ. Bella verò indici Ecclesiæ per authoritatem Canonicam, nusquam scripturarum legimus.* Item aliquanto pòst. *Pag. 138.* *Quis Pontificum Romanorum suis decretis unquam authorizavit, ut debeat Pontifex gladio belli in peccantes uti?* Et iterum: *Cur pro malis Regibus orari debere Paulus dicit? scilicet ut tranquillam vitam agamus. Esset Apostolicum, imitari Apostolum; esset Propheticum, imitari Prophetam. Sed peccatis nostris merentibus Apostolicus, qui etiam jam orare deberet pro quamvis peccatore, ut tranquillam & quietam vitam agamus; agit bellando, ne tranquillam & quietam vitam agamus.* *Pag. 132.* Item objiciunt Papæ, quòd propter suas traditiones & Dei mandata violari velit. Inquiunt enim: *Nobis legem Dei tenentibus objiciunt, quòd transgrediamur eorum novas traditiones. At illis dicit Deus:* Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? *Iubet Deus, ut quæ sunt Cæsaris reddamus Cæsari: &* *Pag. 134.* *quæ sunt Dei, Deo. In hanc sententiam Petrus & Paulus pedibus eunt.* Item. *Quis jure reprehendet quod Episcopus partibus Domini sui favet, cui promissam cum juramento fidelitatem debet? Perjurium, nemo dubitat esse grande peccatum. Deus ipse jurat, & non pœnitet eum: Quia sapientia custodit præcepta juramenti Dei. Sed nos, quos jurasse sæpe pœnitet, jurare prohibemur. Si jurat homo, jubet Deus, ut reddat Domino juramentum suum. Hoc nec ignorant illi, quòd regnum & Sacerdotium scindentes novello schismate, & novellis (ut quibusdam placet) traditionibus illos qui Regi perjurant, se à culpa perjurii absolvere promittunt; non attendentes, quòd Ezechiel ex ore Dei dicat de Sedechia, qui perjuravit Domino suo Regi Nabuchdonosor: Qui solvit, inquit, pactum, nunquid effugiet?* Item.

Hinc

Hinc omnes perpenditis, quòd sit reus capitis, qui non reddit Cæsari quæ sunt Cæsaris, secundum Decretum Dei: vel qui Regem inhonorat, contra Decretum Apostoli; vel pejerando assumit nomen Dei in vanum, per quod juravit Regi fidelitatem. Ecce, quare excommunicari *dicimur.* Item. *Petrus Apostolus docet:* Non dominantes in Clero, Pag. 135.
ſed forma facta gregis. *Paulus Apostolus ad Galatas delinquentes ait:* Filioli, quos iterum parturio in Domino. *Hos igitur attendat D. Paschasius, pios admonitores, non impios convitiatores. Maledictum excommunicationis D. Paschasius nobis improperat; sed illud ante omnia timemus, quod S. sanctus per os Psalmistæ dicit:* Maledicti omnes qui declinant à mandatis tuis. *Maledictum excommunicationis, quod ex novella traditione Hildebrandus, Odardus, & iste tertius indiscretè protulerunt, omnino abjicimus, & priores sanctos Patres usque nunc veneramur, & tenemus, qui dictante Spiritu sancto non animi motu, in majoribus & minoribus potestatibus graviter delinquentibus quædam dissimulaverunt, quædam correxerunt, quædam toleraverunt. Dominus noster Episcopus communicat Regi & Imperatori suo, cui ex Regalibus ejus acceptis fidelitatem juravit. Nimium effluxit tempus, quo hæc consuetudo incœpit: & sub hac consuetudine migraverunt à seculo sancti & reverentes Episcopi, reddentes Cæsari ea quæ erant Cæsaris, & Deo quæ erant Dei. Sed quid Ambrosius super Lucam?* Si Christus (*inquit*) non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, ſed reddidit mundo quod erat mundi. *Et tu, si non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis igitur nihil debere Regi terreno, dimitte omnia, & sequere Christum, &c.* Item. *Ecce quare excommunicati vocamur, eo* Pag. 136.
quòd sanctos, & moderatos, & antiquos Patres tenemus, & pro posse imitamur. Episcopum, Archiepiscopum, nostrum Provincialem & Comprovincialem Synodum ex antiqua traditione tenemus: & quicquid ibi de Scripturis sanctis diffinitum fuerit, Romam non refertur, usq; ad graviora negotia, de quibus non invenitur in Scripturis sanctis authoritas. Illos verò Legatos à latere Romani Episcopi exeuntes, & ad ditanda marsupia discurrentes, omnino REFVTAMVS; sicut temporibus Zosimi, Celestini, Bonifacii, Concilia Aphricana probaverunt. Etenim ut à fructibus eorum cognoscamus eos, non morum correctio, non vitæ emendatio; sed inde hominum cædes, & Ecclesiarum Dei proveniunt deprædationes. Quia igitur antiquæ regulæ inhæremus, & non omni vento doctrinæ circunferimur, ecce unde excommunicati dicimur. Item aliquanto poſt. *Cur ergo Dominus Paschasius vult, ut exolvamus quod non rapuimus: ut Pseudoclerici vocemur, ubi rectam lineam tenemus? Potius deposito spiritu præsumptionis, cum suis Consiliariis solerter recolligat, quomodo à beato Sylvestro usque ad Hildebrandum, sedem Romanam Papæ obtinuerint, & quot & quanta inaudita ex ambitione illius sedis perpetrata sint, & quomodo per Reges & Imperatores diffinita sint, & Pseudopapæ damnati & abdicati sint; & ibi plus valuit virtus imperialis, quàm excommunicatio Hildebrandi, Odardi, Paschasii. Dominus in Evangelio dicit:* Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo. *Et Paulus Apostolus in faciem Petro principi Apostolorum restitit. Ergo*

remoto Romanæ ambitionis typo, cur de gravibus & manifestis non reprehendantur & corrigantur Romani Episcopi? Qui reprehendi & corrigi non vult, Pseudo est, sive Episcopus sive Clericus.

Graviter item accusant Papam, quòd prædicto Comiti remissionem peccatorum, propter atrocem persecutionem Christianorum, sit policitus. Sic enim
Pag. 140. Papa in sua bulla blasphemat: *Ubicunque poteris, Henricum hæreticorum caput, & ejus fautores persequaris. Nullum profectò gravius Deo sacrificium offerre poteris, quàm si eum impugnes, &c. Hoc tibi & militibus tuis in peccatorum remissionem & Apostolicæ sedis familiaritatem præcipimus, ut hisce laboribus & triumphis ad cœlestem Hie-*
Pag. 141. *rusalem Domino præstante pervenias.* Quare illi contra ita scribunt. *Hactenus Evangelicis, Apostolicis & Propheticis testimoniis innitebamur, & quod minus habebat materia, augebat exemplorum copia; hic verò quid dicam nescio: quò me vertam, non video. Si enim utriusq; legis totam Bibliothecam, si omnes totius Bibliothecæ veteres expositores revolvam, exemplum hujus Apostolici præcepti non inveniam.* Solus Hildebrandus Papa *ultimam manum sacris Canonibus imposuit, quem legis præcepisse Mathildi Marchionissæ, in remissionem peccatorum suorum, ut debellaret Henricum Imperatorem. Quod justè, nec ne, ipse vel alii fecerint, nulla authoritate discimus. Hoc solum discimus, quia non potest aliquis aliquem indiscretè solvere vel ligare.* Demum verò concludunt illo Micheæ dicto: *Seducunt populum Dei, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem.* Et: *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum bellum.* Clarè indicantes, Papas & eorum Curtisanos esse seductores Ecclesiæ, ore loqui pacem, dentibus verò mordere, & tristia bella excitare contra Christianos, si ea omnia quæ cupiunt, non ultro eis largiuntur.

* Extitit hoc scriptum in Veteri Conciliorum editione; sed sequentes editiones non habent.

CLVII. Beno Cardinalis.

BEno Cardinalis floruit fermè ante 500. annos. Scripsit *Vitam Hildebrandi Papæ*, qui Gregorius VII. est vocatus. In ea horribilia scelera Papæ illius, & quorundam aliorum enumerat, quæ alioqui ab aliis Idem in Cent. XI. Magdeb. c. 10. col. 546. perscripta non sunt.

Primùm prolixè recenset, quænam scelera, antequam fieret Papa perpetraverit. Postea docet, qua arte sibi Episcopos, præsertim Germaniæ, devinxerit. Dicit petiisse à Cæsare Henrico amicè, ut quosdam Episcopos tanquam Simoniacos expelleret; quod cum ille (dolum non intelligens) bono zelo fecisset, Hildebrandus eosdem illos tanquam ab Imperatore insigni injuria affectos, maximis prius sibi juramentis adstrictos, ac contra Imperatorem irritatos, restituit. Deinde cum hoc modo Episcopos ab Imperatore abalienasset, sibique obstrinxisset,

xiſſet, ſubitò ſine ulla juſta cauſa, imò & neglecta omni legitima citatione, multo magis accuſatione, Imperatorem & excommunicavit & depoſuit: aliumque quendam Imperatorem eſſe, & ſeditionem contra Cæſarem movere juſſit. Narrat quoque ſedem, in qua ſedens Cæſarem prædictus Papa excommunicaverat, cum quidem eſſet ex novis lignis fabricata, ſtatim ſua ſponte diſciſſam disjectamq; eſſe: fuiſſeq; id ſignum, eum ſua illa iniquiſſima excommunicatione horribiliter Eccleſiam diſſipaturum eſſe: ſicut etiam poſtea accidit; nam quatuor ſeditioſos tyrannos ordine excitavit, qui graviſſima & planè exitioſa Chriſtianitati bella contra Henricum IV. geſſerunt. Quartò narrat, eum fuiſſe *Magum*; ſolitumque, cum adhuc Monachus eſſet, concuſſis manicis projicere ſcintillas, quò multitudini ſuam eximiam pietatem perſuaderet. Narrat quoque, quid poſtea duobus ejus miniſtris acciderit, librum ejus magicum ei afferentibus, ac in itinere legentibus. Quintò narrat, eum *conſecratam Eucharistiam in ignem projec ſſe*, conſulentem dæmones contra Henricum IV. Imperatorem. Sextò dicit, eum in Paſcha Pontificialibus ornamentis indutum, poſt Evangelium ſuggeſtum aſcendiſſe, ac coram Cardinalibus toto Clero & Populo Rom. prædixiſſe: Imperatorem ante Petri feſtum moriturum, aut certè omni dignitate privandum: idque ſi non accidat, juſſit ſe non pro Papa haberi, ſed ab altari abſtrahi. Intra illud verò tempus ſubmiſit Imperatori conjuratos ſicarios. Aliquando etiam curaſſe lapides, ait, ſub tecto templi aptari, qui Imperatori ſtato tempore ac loco pro ſuo more oranti, ſupernè immitterentur; ſed inſidiatorem, dum aptat lapidem, ab eo detractum & contritum eſſe. Denique multa crudelia facta Hildebrandi commemorat. Verùm de hoc Papa alibi; nam hic quoque vel maximè ſacerdotum conjugia in Germania diſtraxit, & fermè penitus abolevit; ac ob hæc aliaque ejus flagitia & errores à pleriſque tum aulicis Prælatisque ſuis (fuerunt enim adhuc tunc aliqui inter eos boni) tum etiam Vniverſitatibus deſertum eſſe. Narrat etiam idem Beno Cardinalis, Sylveſtrum II. Benedictum IX. & Gregorium VI. & Gregorium VII. de quò ſuprà dictum eſt, fuiſſe Magos. Illud verò vel maximè in hoc ſcriptore obſervandum eſt, quòd diſputat, eos ſe ipſos ex Eccleſia Dei ejicere, qui de ſua poteſtate confidentes, alios reſpondere paratos, ac ſe excuſare, inauditos excommunicant. Quod & nos hoc tempore rectè noſtris Papiſtis reſpondemus. Non eſt profectò dubium, quin ſi hiſtorias Paparum ſynceri homines, & non adulatores, ut Platina & ſimiles fuerunt, perſcripſiſſent, plerosq; Paparum iſtis ſimiles fuiſſe intelligeremus. Sicut & Veſellus teſtatur inquiens: *Summorum enim Epiſcoporum pleriq́ peſtilenter erraverunt, ut noviſſimis diebus noſtris in Conſtantiæ celebri Concilio claruit. Benedictus, Bonifacius & Iohannes 23. quàm graviter fidem lacerarunt? Et noſtris poſtremis diebus* Pius Secundus, & Sixtus Quartus? *quorum* alter *patentibus bullis regna terrarũ ſibi vendicavit*: alter *turpiſſimas diſpenſationes non ſolum de præſtito in civili cauſa juramento, ſed etiam de præſtando de plenitudine poteſtatis plumbatas bullas emiſit, in*

abuſu

abusu potestatis Apostolicæ. Quicquid frater Petrus, vel Comes Hieronymus insolenter aut avare gesserint, ipse postea, cum resciret, ratificavit, etiam bullis plumbatis. Talibus atris (ut ita dicam) coloribus pingit & *Theodericus Nyem*, Episcopus Verdensis, aliquot Papas, quorum quidem intimus Scriba seu Cancellarius antea fuerat; ut nec inimicus eorum fuisse, nec res ipsorum, facta, moresve ignorasse, verè dici possit. Sed adscribamus sanè totam Bennonis hujus historiolam, quoniam & dignissima lectu est, & à nostro instituto non aliena.

Extat in Fasciculo Orbini Gratii à p. 39. ad f. 43. Wolfio Cēt. II. Lect. Memor. p. 290. seqq.

VITA ET GESTA HILDEBRANDI, QVI ROMANVS PONTIFEX factus, Gregorius septimus dictus est, descripta per Bennonem Cardinalem, *Archipresbyterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui eo tempore vixit. Vbi narratur, cur fuerit depositus; & miranda referuntur de aliis Pontificibus Romanis, videlicet Benedicto Nono, Gregorio Sexto, Sylvestro Vndecimo, Iohanne Vigesimo, Leone Nono, Alexandro Vndecimo, & aliis, quæ nullius historicorum adhuc prodidit, neque Platina, neque quisquam alius.*

Reverendissimæ Matri S. Romanæ Ecclesiæ, devotus filius eius, & humilis servus Beno, *Cardinalium Archipresbyter.*

Qui à communione Hildebrandi discesserint.

QVum de omnibus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ferè solus Eusebius Liberium Papam declaraverit hæreticum, & Clerici Romanæ Ecclesiæ Anastasium secundum, duas Ecclesias excommunicatis communicando facientem damnaverint: non absurdum existimavi, majorum nostrorum nomina atque dignitates memoriæ commendare, qui Hildebrandum reliquerunt, cujus intolerabiles & gravissimos errores publicè detestati, nunquam ad eum reversi sunt. Diversas etiam scholas Romanæ Ecclesiæ literis adnotavimus, quæ ab ejus communione recesserunt. Leo tunc temporis Archipresbyter Cardinalium, & Beno, & Vgobaldus, & Ioannes Cardinalis, & Petrus Cancellarius & Cardinalis, ordinati ante tempora Hildebrandi: Natro, Innocentius, Leo, hi tres ab eo consecrati, deseruerunt eum, errores ejus execrati. Similiter Theodinus Archidiaconus, quem ipse constituit Archidiaconum, & alii Cardinales Diaconi: Ioannes modò Archidiaconus, & Crescentius, Ioannes Primicerius scholæ Cantorum, cum omnibus suis: Petrus oblationarius cum omnibus suis, excepto uno: Papa prior scholæ Regionariæ, cum omnibus suis Subdiaconis, Archiacolythus & Subpulmentarius cum suis, Cencius judicum Primicerius, cum aliis judicibus & cuncti milites signabanda gestantes, Prior scrinariorum cum plerisque suis. Ipsi etiam Episcopi cum jam vellent eum deserere, Hildebrandus convocatis ad se laicis, eis consilium suum aperuit, & quòd Episcopos à colloquio Cardinalium vellet separare, indicavit.

cavit.

cavit. Posthæc ipsos Episcopos convocavit: & turbis laicorum stipatus, sacramentum ab ipsis Episcopis cum terrore & minis exegit & extorsit: & in manu sua jurare coegit, ne unquam ab eo dissentirent, nunquam Regis causam defenderent, nunquam superordinato sibi Papæ faverent, vel obedirent. Quo facto, eos per principem Salernitanum in Campaniam misit; & sic eos à consortio Cardinalium, & à Romana urbe separavit. Non solum Episcopos, sed etiam urbis Presbyteros, & inferioris ordinis Clericos, insuper & laicos, juramentis alligavit, ne ulla ratione, ullo tempore condescenderent in causa Regis.

Alexandro Papa juxta vespertinam horam defuncto, eadem die contra Canones à laicis electus est. Sed Cardinales non subscripserunt in electione ejus: sub anathemate enim Canones præcipiunt, neminem eligi in sedem Romani Pontificis ante diem tertium post sepulturam ipsius prædecessoris. Postquam aliunde ascendit, à consilio removit Cardinales sacræ sedis. Cum quibus personis, consilia sua diebus ac noctibus habuit, Roma vidit & audivit. Ejectis à consilio & à custodia ejus Cardinalibus, vita ejus & fides & doctrina sine testibus fuit: cum sacri Canones præcipiant, ut in omni loco tres Cardinales Presbyteri, & duo Diaconi Papam non deserant, propter testimonium Ecclesiasticum, & propter stylum veritatis. Scripturas sacras violenter intorsit in adjutorium falsitatis: quod genus idololatriæ quantum sit, latè patet in Scripturæ sacræ campis spaciosis. Præter voluntatem & consilium Cardinalium, extra ordinem judicandi sacris Canonibus determinatum, Imperatorem in nulla Synodo canonicè accusatum, præcipitanter excommunicavit, in qua excommunicatione nullus Cardinalium subscripsit.

Quibus artibus Pontificatum invaserit.

In Imperatoriam Majestatem conjurat.

Vt primùm ad excommunicandum Cæsarem de sede surrexit, sedes ipsa noviter lignis fortissimis composita, subitò Dei nutu terribiliter scissa est in plures partes: ut manifestè daretur intelligi, sessor ille, tam periculosa excommunicatione, tanta præsumptione, quanta, quamque terribilia schismata seminaret contra Ecclesiam Christi, contra sedem beati Petri, quàm crudeliter dissiparet cathedram Christi, inculcando leges Ecclesiæ, imperando cum potentia & austeritate. In descriptione ejusdem excommunicationis ea interseruit, in quibus manifestè à fide catholica erravit, cum injustè excommunicatum Imperatorem, & Episcopos communicantes ei, excepit ab excommunicatione: & tertio gradu communicantes eis, & unitatem Ecclesiæ scindens (quantum in ipso fuit) duas Ecclesias fecit. Idem præsumptor jejunium indixit Cardinalibus, ut Deus ostenderet, quis rectius sentiret de corpore Domini: Romanáne Ecclesia, an Berengarius. Per hoc manifestè probatus infidelis, cum in Nicæno Concilio scriptum sit: Quia dubius in fide, infidelis est. Et de corpore Domini signum quæsivit, quod petente beato Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigit, quando panis Christi formam accepit digiti. Et misit duos Cardinales, Attonem & Cuno-

Superstitio.

nem ad ſanctam Anaſtaſiam, ut cum Suppone ejuſdem Eccleſiæ Archipresbytero triduanum jejunium peragerent, & illis tribus diebus ſinguli per dies ſingulos Pſalterium & Miſſas decantarent, ut ſupradictum ſignum eis Chriſtus oſtenderet: quod minimè contigit.

Crudelis animus. Imperator ſolitus erat frequenter ire ad orationem, ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ eſt in monte Aventino. Hildebrandus autem cum per exploratores ſuos omnia ejus opera ſollicitè inquireret, locum in quo frequentius Imperator vel ſtans vel proſtratus orabat, notari fecit: & quendam, promiſſa pecunia, ad hoc induxit, ut ſupra trabes Eccleſiæ, occultè lapides magnos collocaret, & ita aptaret, ut de alto ſuper caput orantis Imperatoris dimitteret, & ipſum contereret. Quod miniſter tanti ſceleris, cum feſtinaret implere, & lapidem magni ponderis ſuper trabes aptare vellet, lapis pondere ſuo eum traxit: & fracta ſub trabibus tabula, & lapis & ille miſer homo Dei judicio in pavimentum Eccleſiæ cecidit, & eodem lapide contritus penitus eſt. Hujus rei geſtæ ordinem poſtquam Romani cognoverunt, pedem illius miſeri fune ligaverunt, & triduò per plateas urbis ad exemplum trahi fecerunt. Imperator autem ſolita clementia juſſit eum ſepeliri.

Impietas. Ioannes Portuenſis Epiſcopus, qui intimus fuerat à ſecretis Hildebrandi, aſcendit in ambonem B. Petri, & inter multa, audiente Clero & populo, ait: Tale quid fecit Hildebrandus & nos, unde deberemus vivi incendi: ſignificans de ſacramento corporis Domini, quod Hildebrandus, reſponſa divina quærens contra Imperatorem, fertur injeciſſe igni, contradicentibus Cardinalibus qui aſſiſtebant ei. In Paſcha Domini, feria ſecunda, cum ad Eccleſiam S. Petri ad Miſſam clerus & populus conveniſſet, poſt Evangelium in ambonem aſcendit, ſicut erat indutus Pontificalibus indumentis. Et in præſentia Epiſcoporum & Cardinalium, in frequentia Cleri & Senatus & populi Romani publicè clamavit, inter multa ſuæ divinationis verba: Regem Henricum uſque ad proximum ſancti Petri feſtum, ſine dubio moriturum, aut à regno penitùs dejiciendum, in tantum, ut ulterius non poſſet congregare quàm ſex milites. Prædicavit etiam Epiſcopis & Cardinalibus, & omnibus qui aderant, de ambone clamans: Nullo modo habete me pro Papa ulterius, ſed ab altari me avellite, ſi uſque ad prædictum feſtum prophetia hæc effectum non habuerit.

Proditio, perjurium & mendacium. Eiſdem diebus paravit Imperatorem perdere per occultos proditores. Deus autem eum cuſtodivit. Et eodem tempore fuerunt nonnulli, qui exiſtimaverunt ipſum Hildebrandum conſcium extitiſſe, & ordinatorem proditionis: quia eiſdem diebus paulò ante proditionem de morte Regis falsò prophetata præſumpſit. Quod verbum vehementer percuſſit corda multorum. Et palàm factum eſt, Hildebrandum voce propria in conventu Eccleſiæ eſſe damnatum, qui (ut dictum eſt) judicaverat ſe nullo modo eſſe Papam, neque pro Papa ulterius habendum, ſed prodi-

proditorem & mendacem esse credendum, nisi usque ad proximum festum sancti Petri Imperator moreretur, aut omni honore spoliaretur, adeò ut ultra sex milites congregare non posset. Et divino nutu actum est, ut à se ipso quoque damnaretur hæreticus. Sic ait Apostolicus. Dominus ipse inquit: Propheta qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi, ut diceret, aut ex nomine aliorum deorum, interficietur. Quòd si tibi tacita cogitatione responderis, Quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est loquutus? Hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est loquutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.

Tempore autem transacto, quod Hildebrandus in divinatione sua præfixit, Rege verò neque mortuo, neque militibus suis imminuto, timens se suis verbis deprehensum, & ore proprio condemnatum, ad callida argumenta se convertit, persuadens vulgo indocto, non de corpore Regis sed de anima Regis prophetasse: quasi anima Regis milites omnes præter sex perdidisset, vel illo spacio mortua esset. Et his verbis vulgus indoctum delusit. Contra hujusmodi Prophetas beatus Gregorius super Ezechielem ait: Inter Prophetas veros & falsos ista est distantia: quia Prophetæ veri, si quid aliquando per suum spiritum dicunt, citius corriguntur: Prophetæ autem falsi, & falsa denunciant, & alieni à sancto Spiritu in sua falsitate perdurant. *Impudens effugium.*

Tres homines non convictos, non confessos, absque secularibus judicibus, Hildebrandus morti adjudicavit: & eos in patibulis juxta Ecclesiam sancti Petri, in loco qui dicitur Palatiolum, interfici suspensos coegit, sine dilatione, sine discussione, contra leges, quæ præcipiunt, etiam manifestos reos intra spacium & retractionem triginta dierum non interfici. Quæ etiam apud Paganos vigent, & servantur, sicut docet authoritas beati Ambrosii, & passio sanctorum Marceliani & Marci. Centium filium præfecti Stephani, prius fidelem suum, in carcerem misit, & in vase undiq; aculeis vestito, mille & mille mortibus cruciavit. Qui postquam evasit, ipsum Hildebrandum cœpit. De cujus captione antequam evaderet, omnibus qui captionis illius cooperatores fuerant, hoc debitum publicè remisit, quod postea infideliter vindicavit. Centium, cui omnia remiserat, persequi cœpit: & novem de hominibus Centii in patibulis suspendio interfecit, ante portas sancti Petri. Filius cujusdam viduæ, captioni ejus interfuit: cui cum multis aliis pœnitentiam & exilium unius anni indixit. Quo expleto, vidua ampliori satisfactione volens placare animum Hildebrandi, funem immisit collo filii sui, & fune filium trahens, pariter cum filio ad pedes Hildebrandi protulit dicens: Domine Papa, de manu tua volo recipere filium meum, qui exilium unius anni, & pœnitentiam à te injunctam portavit. Adhæc Hildebrandus in præsenti propter eos qui aderant, iram dissimulans, filium ei reddidit, cum austeri- *Immanitas.*

tate dicens: Vade vade fœmina, dimitte me in pace. Poſtea miſſis apparitoribus ſuis, filium viduæ apprehendit, & judicibus,ut eum morti damnarent, præcepit. Qui uno ore reſponderunt, ſe ulterius non poſſe illum condemnare, qui ad judcium Papæ confugiſſet, & pœnitentiam & exilium unius anni ab ipſo Papa injunctum jam implevisset. Ad hæc glorioſus Hildebrandus judicibus iratus, præcepit abſcindi pedem filio viduæ, quæ fruſtra apud Hildebrandum exiſtimaverat pœnitentiam, & leges, & jura valere. Et pede truncato,dolore illo poſt triduum mortuus eſt. Multa quidem alia fecit Hildebrandus, in quem clamat ſanguis Eccleſiæ, gladio linguæ ejus miſerabili proditione effuſus, propter quæ à communione ejus juſtiſſimè Eccleſia receſſit, ſicut fecerunt Imperatores noſtri temporibus apoſtatarum Liberii & Anaſtaſii.

Vt Liberii feſtum celebraretur, juſſit. Hoc præcepto ejus hæreſim firmavit, qui ex laudabilibus meritis damnabiles exitus habuit.

Necromantia ſtudium Die quodam,cum de Albano Romam veniret, oblitus eſt ſecum ferre familiarem ſibi librum Necromanticæ artis, ſine quo nuſquam aut rarò incedebat. Quod cum in itinere ei ad memoriam rediſſet, in introitu portæ Lateranenſis feſtinanter vocavit duos de familiaribus ſuis aſſuetos, & fidos miniſtros ſcelerum ſuorum,& ut eundem librum citiſſimè ſibi afferrent præcepit: & terribiliter interminatus eſt, ne librum in via aperire præſumerent, ne ulla curioſitate ſecreta libri inveſtigarent. Sed quantò amplius inhibuit, tantò vehementius eorum curioſitatem ad inveſtigandum ejuſdem libri arcana accendit. Igitur dum in reditu librum reſeraſſent, & diabolicæ artis præcepta curioſè legerent, ſubitò adfuerunt angeli ſatanæ, quorum multitudine & horrore duo illi juvenes propè effecti amentes, vix ad ſe reverſi ſunt. Et (ut ipſi retulerunt) maligni ſpiritus inſtabant,dicentes: Ad quid nos vocaſtis? quare fatigaſtis? citò præcipite quod nos agere vultis, alioquin inſurgemus in vos, ſi nos diutius tenueritis. Ad hoc alter juvenum: Feſtinanter (inquit) muros illos dejicite. Et hæc dicens, manu oſtendit muros altos vicinos Romæ, quos in momento maligni ſpiritus dejecerunt. Et juvenes ſanctæ crucis ſigno ſe ſignantes,tanto terrore exterriti,trementes & palpitantes, vix Romam ad Dominum ſuum pervenerunt.

Hypocriſis & perfidia. VEnerandis Eccleſiæ Romanæ Patribus, & dilectis in Chriſto, & ſemper diligendis fratribus, Beno Cardinalis Romanæ Eccleſiæ fidele ſervitium, & ſalutem,ſervantibus Eccleſiæ Catholicæ communionem. De cujus communione & diſciplina, vel poteſtate, fruſtra ſibi applaudit, quiſquis injuſtè ex poteſtatis præſumptione quenquam ligaverit, vel ſolverit. Injuſtè autem ligat, quiſquis aliquem paratum ſatisfacere, & audientiam implorantem, neque convictum, neque ſponte confeſſum, anathematizat: imò ſeipſum fruſtra maledicendo, quaſi proprio jaculo in ſe intorto maledicit,& condemnat. O nova proditio, procedens de ſanctuario: imò de eo qui ut ſummus ſacerdos videbatur Eccleſiā regere,& ſenioribus

bus judicibus præesse. Hildebrandus instabat Imperatori, ut ejiceret Episcopos Simoniacos. Imperator credens, quasi ex zelo legis, quasi à throno Dei procedere hæc mandata, sine mora obediebat: sine mora, sine discussione, sine judiciario ordine Episcopos ejiciebat: dum per hanc obedientiam se Deo sacrificare existimabat, dum adhuc versutias Hildebrandi minus intelligebat. Hildebrandus verò expulsos à Rege Simoniacos, relocabat: & quos Regi infestos reddiderat, eos sibi familiari amicitia reconciliabat: & multis & magnis juramentis sibi fidos & obnoxios efficiens, præ aliis exaltabat. Et modico tempore iis artibus Regia domo perturbata, & penè amicis destituta, sibi verò amicitia majorum Principum comparata, ex improviso sine legitima accusatione, sine canonica vocatione, sine judiciario ordine, obedientem sibi Imperatorem excommunicavit, & regni Principes ab eo separavit Et cum Apostolus præcipiat, ne quis in negotio circumveniat fratrem suum: quantum in eo fuit, mortificavit potius quàm castigavit. Sic autem Imperator multimodè circumventus, præter canonicum ordinem excommunicatus, & consensu Hildebrandi, & consilio, magna ex parte Imperii honore expoliatus, & bellis & cædibus immensis fidelium suorum prægravatus, frustra canonicam audientiam imploravit, & extortam confessionem invitus ac coactus apud Canusium in præsentia Hildebrandi protulit.

Dicite quæso, qui justitiam diligitis, qui ad dextram vel sinistram favore alicujus personæ declinare non nostis, dicite quæso, si confessio tanto tempore extorta cuilibet pauperi, nedum Cæsari, præjudicare debuit: si ex confessione extorta potius non extitit reus canonum hic qui extorsit, quàm qui perversè judicatus perversoris judicis injuriam & violentiam patienter & publicè, & cum lachrymabili afflictione, nudis pedibus, in laneis vestibus, hyeme præter solitum aspera, apud Canusium, spectaculum angelorum factus & hominum, & Hildebrandi ludibrium triduò pertulit? Dicite quæso, si quisquam sanctorum Pontificum, quenquam plebeium, nisi aut spontè confessum, aut in Synodo convictum, nec in eadem provincia, sed in longinquis terrarum partibus semotum, tam præcipiti judicio damnare præsumpsit? Si quis tam audacter abusus est potestate ligandi & solvendi? Equidem Ambrosius Theodosium ligavit, sed præsentem, sponte confessum. Maximus, Salonitamus Episcopus, per plures annos extra provinciam sui Episcopatus, apud Romam, apud beatum Gregorium, de Symoniaca hæresi, de diversis adulteriis accusatus: uno tandem anno deficientibus accusatoribus, Sacramento sola manu præstito, purgatus est, sicut in registro ejusdem beati Gregorii legitur. *Superbia & injustitia.*

Et beatus Augustinus in libro de Pœnitentia: Satis (inquit) ostendit Apostolus, non temerè & quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione, ut si per judicium auferri non possint, tolerentur potius, ne perversè malos evitando, ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam, Multi (inquit) corriguntur, ut Petrus: multi tolerantur, ut Iu- *Censura tanta injustitia.*

das: multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum. Et quidem (inquit) metuentes præcepta severitatis, quibus admonemur corripere inquietos, non dare sanctum canibus, ut Ethnicum habere Ecclesiæ contemptorem, à compage corporis membrum quod scandalizat evellere, ita perturbant Ecclesiæ pacem, ut conentur ante tempus separare zizania: atque hoc errore cæcati, ipsi potius à Christi unitate separentur. Qualis nobis causa est adversus schismata Donati: & non cum illis qui noverunt Cecilianum non veris, sed calumniosis criminibus appetitum, & perniciosam sententiam suam mortifero pudore non deserunt: sed cum illis, quibus dicimus, etiam si mali fuissent, propter quos in Ecclesia permanere debuistis. Et paulo pòst: Nos (inquit) ad sanam doctrinam pertinere arbitramur, ex utrisque testimoniis vitam, sententiamque moderari, ut canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus: & canibus sanctum, ubi Ecclesiæ pax tuta est, non demus. Hildebrandus autem non solum Ecclesiæ perturbavit pacem, sed etiam Ecclesiasticam scidit unitatem, & unicæ fidei vestem inconsutilem, dum Cæsarem & Episcopos communicantes Cæsari, absque judiciario ordine excommunicabat: & tertio gradu communicantes eis, ab excommunicatione nova pietate excipiebat: quos hujusmodi artibus & Regi subducere, & sibi allicere festinabat. Dicant nunc Hildebrandi discipuli, quibus commentis, quibus coloribus deaurare possint, quod ipse Hildebrandus in Synodo generali hæretica prædicavit, prædicando excommunicatis communicare consensit, prædicata scripsit: prædicatione & scriptis alteram Catholicam, alteram excommunicatorum Ecclesiam faciens, unitatem scidit, & scripta per orbem terrarum disseminavit: prædicando, scribendo, scripta disseminando, seipsum hæreticum manifestavit, & ore proprio, & confessione hæreseos non extorta, divino urgente judicio condemnavit, dum vulgus erroneum sanctum existimaret, & Apostolis exæquaret spiritum tanti erroris, cum etiam prudentiores ejus laqueis caperentur, & inducerentur in tentationem si fieri posset etiam electi.

Mentimur, nisi tredecim Cardinales, sapientiores & religiosores, ipse archidiaconus, & ipse Primicerius, & multi alii Lateranensium Clericorum, quorum judicio ex Privilegio sanctæ sedis totus subjacet mundus, apostasiam ejus intolerabilem perpendentes, ab ejus communione recesserunt.

Hildebrandi schisma. Dicant (oramus) Hildebrandi discipuli, qua præsumptione Magister eorum unitatem Ecclesiæ in duas vel plures partes divisit? Si enim Cæsarem injustè, & absque judiciario ordine damnavit, seipsum potius ab Ecclesia separavit. Si verò justæ excommunicationis gladium in Cæsarem vel Episcopos communicantes Cæsari exeruit, quare communicantes ipsis Episcopis tertio gradu per scripturam excipiendo absolvit? Nunquam etiam unius diei infans ab excommunicatis conceditur aliqua necessitate baptizari: vel ab excommunicatis baptizatus, & continuò mortuus, creditur salvari. Equidem sacer Chalcedonensis Canon prædicat,

apud

apud hæreticos non posse ad salutem baptizari: & damnat eos, qui parvulos extra Ecclesiam baptizandos obtulerint. Quid propriè de parvulis apud excommunicatos baptizatis B. Augustinus scribat Bonifacio Episcopo, in serie ejusdem Epistolæ facilè & lucidè potest reperiri.

Reperitur & hoc ipsum in Epistola beati Gregorii, quam pro parvulis solicitus Episcopus Longobardiæ misit. Reperitur etiam multipliciter in campis sacræ Scripturæ latis & spaciosis, Gloriosus autem Hildebrandus, & pedissequus ejus *Turbanus*, nova potestate solventes Decreta Chalcedonensis Concilii, non solum verbis, sed & scriptis publicis consenserunt, extra Ecclesiam communicare & baptizare: quàm cæci essent, quàm hæretici, scriptis propriis deprehensi. Proh nefas! ii præsumpserunt de Ecclesia judicare, qui nusquam reperiuntur non errasse, quibus etiam ipsa veritas reputatur in mendacium: quam solo fallendi studio verbis & scriptis suis, ne veneno erroris eorum perciperentur, quasi mel veneficiorum more admiscuerunt. Mendacium enim est (ut B. Augustinus ait) omnis enunciatio prolata intentione fallendi.

Turbanus, discipulus Hildebr. schismaticus.

Vterque autem, Hildebrandus scilicet, & Turbanus, in hæresim Liberii recidit: qui postquam publicè communicavit excommunicatis, duas Ecclesias faciens, unitatem scidit. Sed non tacuit beatus presbyter Eusebius, quo legitimè defendente unitatem usque ad mortem, & vita & morte ejus clarificante doctrinam Catholicam, *Liberius* declaratus est hæreticus. Liberium unus Eusebius, communionem ejus deserendo, & juxta Evangelium tanquam ethnicum & publicanum devitando, ligavit, uno spiritu cum B. Augustino, magis opere quàm verbo dicens: Cœpisti habere fratrem tanquam publicanum, ligas illum in terra, sed ut justè facias, vide: nam injusta vincula justitia disrumpit. Vnus Eusebius Liberium recedendo à communione ejus ligavit: quantò magis Hildebrandus in errore perseverans, cum Angelis suis apostatis damnatus in abyssum relegatus est, Romanæ Ecclesiæ Patribus ab ejus communione recedentibus, & ejus hæreses & ligandi & solvendi abusionem execrantibus? *Anastasius* Papa canonicè intravit: sed quia uni excommunicato sine satisfactione publica communicavit, quidam Romanorum Clericorum ex potestate & Privilegio sanctæ sedis communionem ejus deserentes, eum ligaverunt, quia communicando excommunicato Ecclesiam dividere præsumpsit. Hildebrandus verò à discipulis suis sanctus prædicabatur, quasi æqualia & longè deteriora non commiserit, quasi Romanæ Ecclesiæ Clerici & Laici publicè ab ejus communione non recesserint.

Censura Bennonii in nonnullos Pontifices.

Sileant hypocritæ (sicut ait beatus Petrus) piratis similes, beati Petri nomen, igne malitiæ sub nomine Catholico, sub obtentu justitiæ artificiosè supposito, destruentes, & ferè demergentes. Obstupescant Pseudoprophetæ ad vocem Petri

in facie humani, in cauda ſcorpiones, lupi ſub ovina pelle latentes, corpora trucidantes in oris gladio, & animas pariter devorantes: quorum religio nihil aliud redolet, niſi proditionem & avaritiam: penetrantes domos viduarum, captivas duxerunt mulierculas oneratas peccatis, ſub occaſione impacati temporis, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, quas accepit Hildebrandus Magiſter eorum, à Magiſtris ſuis: à Theophylacto, qui cognominatus eſt Benedictus Papa Nonus: à Laurentio, à Malſitano Archiepiſcopo, à Ioanne Archipresbytero ſancti Ioannis de porta Latina, qui poſtea cognominatus eſt ſextus Gregorius Papa.

Benedicti IX. impietates.

Theophylactus ſacrificiis Dæmoniorum deditus, in ſylvis & montibus mulieres poſt ſe currere faciebat, quas magicis artibus ad ſui amorem coegerat. Teſtantur hoc libelli ipſius, inventi in domo ejus, poſtquam vitam malè finierat. Et hæc fabula adhuc ruſticis Romanorum eſt notiſſima. Is dum ad Eccleſiam rediret de ſylvarum ſecretis, ubique ſecum habens prædictum Laurentium Principem maleficiorum, cum eo etiam publicè de Matheſi diſputabat: & vulgus avidum novarum rerum, novis divinationibus in ſui admirationem excitabat. Nomen autem Laurentii apud ſimplices pro eo habebatur celebre, quia videbatur aliquando ex improviſo prophetare. Et de complice & diſcipulo ſuo Papa ſecurus gaudebat, etiam publicè in Conventu Epiſcoporum & Cardinalium & Senatorum auguria ſua magnificare, & ad cantum avium ſubitò auguria denunciare, quid ipſo die, vel heſterno, vel nudius tertius factum eſſet in oriente & occidente, in meridie, in ſeptentrione, & in remotioribus vel extremis terrarum partibus, ſive de bellis, ſive de morte Principum. Ad quem tentandum cum die quodam multi conveniſſent, ſubitò audita eſt avicula, quæ vulgò paſſer dicitur, dulces voces frequentare. Et Laurentius ſubitò interrogatus, in præſentia Theophylacti & Epiſcoporum, qui convenerant, quæ avis illa caneret? ſubitò reſpondens: Avicula hoc (inquit) aliis canit aviculis, ut citò conveniant ad portam majorem, ubi modò fractus cujuſdam ruſtici currus, & effuſum eſt milium, quod ſuper illo ferebatur. Invitat autem frequenti cantu, ut illuc citò conveniant, & ſaturentur. Quo audito, plures aſtantium concito curſu ad majorem portam, alius alium certatim prævenerunt, & ſicut dixerat invenerunt. Auguria ejus nullo divino legis zelo vindicabantur, inſuper à complice ſuo Papa ſemper magnificabantur. Vnde factum eſt, ut aliqui curioſa ſectati, publicè & liberè frequentarent contubernium & magiſterium ejus. Morabatur autem in domo prædicti Archipresbyteri Ioannis de porta Latina, qui ſtudioſè ejus magiſterio adhærebat, & imbuebatur artibus illius.

Sylveſtri II. impietas. ejusdemq́; ſucceſſores.

Theophylacto autem & Laurentio adhuc juvenibus, infecerat urbem iis maleficiis *Gerbertus* ille, de quo dictum eſt,

Tranſit ab R. Gerbertus ad R. poſt Papa viget R. Et Gerbertus quidem paulo pòſt completum millenarium, aſcendens de abyſſo permiſſionis divinæ, quatuor annis

annis ſedit, mutato nomine dictus Sylveſter ſecundus. Et per quæ multos decepit, per eadem Dæmonum reſponſa deceptus, morte improviſa, Dei judicio eſt interceptus. Hic reſponſum à ſuo Dæmone acceperat, ſe non moriturum, niſi prius in Hieruſalem Miſſa ab eo celebrata. Hac ambage, hac nominis æquivocatione deluſus, dum civitatem Hieruſalem prædictam ſibi credit, Romæ in Eccleſia quæ vocatur Hieruſalem, Miſſam faciens in die ſtationis, ibidem miſerabili & horrida morte præventus, inter ipſas mortis anguſtias ſupplicat, manus & linguam ſibi abſcindi, per quas ſacrificando Dæmonibus, Deum inhonoravit. Et hic quidem dignum ſuis meritis exitum invenit. Sed diſcipulos illius Theophylactum & Laurentium, Magiſtri mors teterrima à ſtudiis idololatriæ non abſterruit, quibus ultio divina (ut paulo pòſt dicendum eſt) non defuit. Igitur poſt infœlicem exitum Gerberti, certamen erat inter diſcipulos ipſius, dum quiſque anhelaret ad rapiendum Papatum ſibi. Sedit autem poſt eum octavusdecimus Ioannes, & quinto menſe veneno ſuffocatus dicitur à ſuis. Huic ſucceſſit nonusdecimus Iohannes, & vix annum peregit. Cui ſucceſſit unus Sergius, & ſedit tribus annis. Anno quinto poſt Gerbertum, ſedit octavus Benedictus Laicus, frater Alberti Tuſculanenſis, patruus Theophylacti, & undecimo anno deceſſit. Huic ſucceſſit frater ejus carnalis, & patruus Theophylacti, vigeſimus Ioannes neophytus, & ſedit añis novẽ His duobus ſuis patruis ſucceſſit Theophylactus, & anno vigeſimo quinto poſt Gerbertum, Magiſtrum ſuum, ſedem fraudulenter obtinuit, Theophylacto in ſylvis à Dæmone ſuffocato, Archipresbytero in exilium abducto, Laurentio in fugam præcipitato. Anno igitur poſt Gerbertum vigeſimo quinto, Theophylactus diſcipulus ejus ſedem violenter obtinuit, & condiſcipulum ſuum Laurentium, & Archipresbyterum Ioannem Gratianum, intimos & ſecretorum conſcios habuit.

Eodem tempore Hildebrandus derelicto monaſterio, prædicto Archipresbytero adhæſit, & Archiepiſcopi Laurentii magiſterium ſequutus, in brevi factus eſt utriusque magiſterii egregius imitator. Qui cum vellet, manicas ſuas diſcutiebat, & in modum ſcintillarum ignis diſſiliebat: & iis miraculis oculos ſimplicium, velut ſigno ſanctitatis ludificabat; & quia Diabolus per paganos Chriſtum publicè perſequi non poterat, per falſum Monachum, ſuo habitu monaſtico, ſub ſpecie Religionis, nomen Chriſti fraudulenter ſubvertere diſponebat. Sed quamvis peccatis exigentibus talia fieri permitteret diſpenſatio divina, tamen tempus retributionis propinquabat. *Antichriſti miracula.*

In diebus illis, defuncto Conrado, legis & religionis cultore fideliſſimo Romanorum Imperatore Auguſto, Theophylactus, qui & *Benedictus nonus*, habito Conſilio cum familiari ſuo Laurentio, & aliis ſuis complicibus, molitus eſt filium Imperatoris Conradi, Henricum Imperatorem, ſucceſſione Imperii exturbare, & in Eccleſia ſchiſmata diverſa ſeminare. Hoc enim eſt quod amplius exigitur à mundi principio, à tenebrarum Principe. Miſit igitur coronam Romani Imperii *Benedicti IX perfidia & Simonia.*

Petro Regi Vngarico. Sed ad Petrum expugnandum direxit Imperator Henricus Ducem Lotharingiæ Godfridum, virum fidelem, & bello strenuum,& inter regni Principes clarissimum. Qui primo conflictu, Petrum bello captum,& omnes vicinas nationes, ne in eum aliquid præsumerent, deterruit: & ut digna factis tanti schismatis authori Theophylacto redderet, Romam venire disposuit. Quo audito, Theophylactus timore perterritus, vendidit papatum complici suæ, prædicto Archipresbytero Ecclesiæ sancti Iohannis de porta Latina, Magistro Hildebrandi, acceptis ab eo libris mille quingentis. Qui ascendens sacram sedem tantæ iniquitatis gradibus, nomine mutato dictus est sextus Gregorius. Igitur Hildebrandus in schola tam profundæ perversitatis, usu & arte edoctus, erat tantorum fidus minister maleficiorum,& pessimis magistris pejor discipulus. Quod ex fructibus perfidiæ ipsius postea percepit Ecclesia, per eum sub obtentu Catholici nominis gravi schismate lacerata: percepit & mundus, bellis feralibus & immensis cædibus ipso authore laniatus, & sub colore mellis veneno propinato hæresibus nefandissimis propè suffocatus.

Rerum facies horrenda.

Eisdem diebus superpositus est in Papatum prædicto Archipresbytero Sabinensis Episcopus, qui mutato nomine dictus est Sylvester tertius:& factum est, ut Romana Ecclesia in partes diversas scindi videretur. Cum autem tanta perversitas Romam ludificaret, divino nutu adfuit Imperator Henricus,& (ut multa breviter concludam) religiosorum Cardinalium precibus effiagitatus, ipsis authoribus, Romanam Ecclesiam pro loco officii sui, pro officio Imperiali, pro potestate sibi à sacris Canonibus concessa, ad purgandam Ecclesiam, ad exturbandum,& ulciscendum vi sacrilegos, devotum se præbuit, Theophylactum in fugam coegit. Sextum Gregorium in custodiam reclusit, quem postea in exilium misit. Sabinensem Episcopum quem non ambitio, sed vis ad Papatum coegerat, ad sedem propriam redire compulit. Romana verò Ecclesia ejus respirans auxiliis, secundum Clementem Papam elegit, sub quo Ecclesiæ unitas: à quo & subsequenter Romanorum Imperator Augustus, venerandæ memoriæ Henricus, coronatus est: & pro tantis meritis unicè glorificatus, triumpho singulari, unici amoris privilegium, pellendo idololatras, symoniacos,& unitatem Ecclesiæ defendendo, promeruit.

Henr. IV. noxia clementia.

Quibus strenuè peractis, sextum Gregorium (ut suprà dictum est) cum Hildebrando discipulo suo in Teutonicas partes deportatione damnavit. Nimia tamen pietate deceptus, nec Ecclesiæ Romanæ, nec sibi, nec generi humano prospiciens, novos idololatras nimis laxè habuit: quorum memoriam æterno carcere à contagione hominum removere debuit. Defuncto autem in exilio sexto illo Gregorio, Hildebrandus perfidiæ simul & pecuniæ ejus hæres extitit. Eodem tempore Clemens Papa defunctus est. Huic successit Damasus,& sedit viginti tantum & tribus diebus, veneno (ut dicitur) propinato suffocatus. Theophylactus enim Magister Hildebrandi, post fugam reversus Romam, cum familiari suo Laurentio,

multis

multis maleficiis sacram sedem vexabat: & per literas discipuli sui Hildebrandi, ea quæ in palatio Imperatoris gerebantur, resciebat. Eo igitur immaniter vexante, iterum Romana Ecclesia Legatum ad Imperatorem dirigit, & ut Consilio Cardinalium Papam eligendum Romam mittat, exposcit. Bruno igitur, qui & Leo, ex Consilio Cardinalium Romam invitus & coactus dirigitur. In cujus Comitatu nimia Imperatoris indulgentia permissus est reverti Hildebrandus, hac permissione Sacerdotium pariter & regnum sub specie Religionis eversurus, & juramenta Imperatori præstita non diu servaturus.

Brunoni igitur, multa loquendo in itinere se supposuit. Et, ut Romam venit ab eo obtinuit, ut fieret unus de custodibus altaris beati Petri. Et in brevi loculos implevit: & cui pecuniam illam committeret, filium cujusdam Iudæi noviter quidem baptizatum, sed mores numulariorum adhuc retinentem, familiarem sibi fecit. Et jam diu conciliaverat sibi quendam alium incomparabilioribus maleficiis assuetum, Gerhardum nomine, qui cognominabatur Brazutus, amicum Theophylacti, qui subdola familiaritate dicitur sex Romanos Pontifices intra spacium tredecim annorum veneno suffocasse, quorum nomina hæc sunt: Clemens, qui sexto Gregorio damnato, & Theophylacto expulso, sedit mensibus novem, & diebus septem: post Clementem Damasus, qui sedit dies viginti tres: post Damasum Leo, qui sedit annis quinque: post Leonem Victor, qui sedit annis duobus, mensibus tribus, diebus septem: post Victorem Stephanus, qui sedit menses septem, dies viginti octo: post Stephanum Benedictus, qui sedit menses septem, dies viginti, hic non veneno, sed vi & dolis Hildebrandi fuit ejectus. Post Benedictum Nicolaus, qui sedit annis duobus, mensibus sex, diebus viginti quinque.

Artes Pontificiæ.

Hujus tempore Hildebrandus prædictis duobus familiaribus suis pecuniam suam, & Consilia sua communicavit, & per eos venales linguas multorum sibi comparavit. Et post hæc Theophylactum antiquum Dominum suum, & Magistrum, simulantem pœnitentiam, Leoni Papæ in dolo reconciliavit, & Theophylacti consilio & factione ipsum Papam Leonem contra Normannos animavit. Igitur Leo Papa eorum dolos minus intelligens, & Romam deserens, alpes transivit, & multis Teutonicis sibi aggregatis ad expugnandos Normannos, deinde Romam rediit: & Hildebrando & Theophylacto instigantibus, in Apuliam contra Normannos transivit. Et quia Theophylactus manifestè eum lædere non audebat, simulato obsequio cum eo manens, & ingressus & egressus ejus explorans, singula per secretos nuncios intimabat Normannis: & in manus eorum, Hildebrando dictante, ipsum Papam tradidit. De quorum manibus, vix Papa (interfectis per proditionem Teutonicis) desolatus evasit. Leone post modicum defuncto, Theophylactus de parentum potentia præsumens, Romanam Ecclesiam, quam prius toties vexaverat, iterum vexare non destitit.

Hildebrandi & Theophylacti ingenium subdolum.

Interim Hildebrandus novus Proteus, novis præsumens tergiversationibus, de Roma ad Imperatorem, de Imperatore ad Romam, absque consilio Romanæ

Nova Hildebrandi consilia.

Ecclesiæ discurrebat. Et si quis alius in Papatum eligeretur quàm ipse prædictus Gerhardus, cognomine Brazutus, familiaris ejus, in brevi illum veneno suffocabat. Postquam autem sedit Nicolaus Papa, Hildebrandus, quia Papatum adipisci non potuit, ad Archidiaconatum quoquo modo invadendum se convertit, Et Mancium tunc Archidiaconum Romanæ Ecclesiæ multis injuriis afflixit & circumvenit. Qui victus contumeliis & dolis, & pecus Hildebrandi ad ultimum concessit, ut Hildebrandus vice ejus Archidiaconatu fungeretur. Hac concessione Hildebrandus arrepta, Nicolaum Papam ex improviso aggressus, coegit inverecundis precibus & minis militum, quos pecunia collegerat, metum etiam mortis quibusdam terribilibus significationibus incutiendo, ut eum Archidiaconum ordinaret & constitueret. Et post paucos dies ipse Nicolaus defunctus est, veneno (ut dicitur) soffocatus.

Cardinalium prudentia inutilis.

Cardinales autem ambitionem Hildebrandi non ignorantes, Imperatorem multis precibus coegerunt, ut eis in electo suo Parmensi Episcopo Cadolo favorem & auxilium præstaret. Quod factum, cor Hildebrandi altius percussit. Et manifestè factus est Imperatoris inimicus. Omnia juratæ fidelitatis vincula disrupit: & facta conspiratione cum inimicis Imperatoris, & cum Normannis, quem Parmensi Episcopo Cadalo à Cardinalibus electo apponeret, Anshelmum Lucensem Episcopum decepit, & eum in Papam eligi à quibusdam Romanis fecit. Et ipsum Anshelmum, mutato nomine, Alexandrum vocaverunt. Igitur Anshelmum, quem in dolo elegerant, pariter & Parmensem Episcopum, quibus poterat artibus vexabat: quia utrique succedere anhelabat.

Alexandri Pontificis intempesta resipiscentia.

Igitur ubi Alexander intellexit, se dolis & arte ab Hildebrando & inimicis Imperatoris electum, & inthronizatum, die quodam, cum intra Missarum solennia sermonem haberet ad populum, prædicavit, se nolle sedere in sede Apostolica, absque licentia & gratia Imperatoris. Et publicè dixit, se literas hujus rei gratia missurum ipsi Imperatori. Quo audito, Hildebrandus vix manus, multa murmurando, donec Missa compleretur, abstinuit. Missa expleta, ipsum Alexandrum cui militari manu ab altari duxit in cameram, & nondum exutum Pontificialibus indumentis, pugnis durè colaphizavit, increpans & improperans, quòd vellet inquirere gratiam Imperatoris. Et statuit, ut ex eo die non daretur ei amplius quàm quinque solidi Lucensium denariorum. Et ex tunc ipse Hildebrandus omnes redditus Romanæ Ecclesiæ sibi retinuit, & immensam pecuniam congregavit.

Militaris & seditiosa Hildebrandi electio.

Alexandro igitur sub miserabili jugo Hildebrandi quodam vespere defuncto, eadem hora Hildebrandus à suis militibus, sine assensu Cleri & populi est inthronizatus, timens ne alius per moram eligeretur. In cujus electione nullus Cardilium subscripsit. Ad quam cum veniret Abbas Cassinensis, ait ipse Hildebrandus: Frater nimium tardasti, Respondit Abbas: Et tu Hildebrande nimium festinasti, qui

nondum

nondum ſepulto Domino tuo Papa, ſedem Apoſtolicam contra Canones uſurpaſti. Hoc modo inthronizatus Hildebrandus, qualiter vixerit, qualiter à ſe Cardinales, qui teſtes vitæ & doctrinæ ejus eſſe debuerant, removerit, quàm miſerabiliter vexaverit, quantis hæreſibus mundum corruperit, quanta perjuria, quàm immenſas perditiones conſecraverit, vix à multis deſcribi poteſt. Clamat tamen altius ſanguis Chriſtianorum, eo authore & incentore miſerabiliter effuſus.

Hoc eſt Decretum Hildebrandi, in quo à doctrina & fide Catholica aberravit.

GRegorius Papa Romanæ Synodo Præſidens dixit: Nos ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut ſacramento conſtricti ſunt, Apoſtolica authoritate à ſacramento abſolvimus: & ne ſibi fidelitatem obſervent, omnibus modis prohibemus. Item: Et quoniam multos, peccatis noſtris exigentibus pro cauſa excommunicationis, perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam neceſſitate de victu, unà anathematis ſententiam ad tempus, prout poſſumus, temperamus opportunè. Apoſtolica itaque authoritate ab anathematis vinculo ſubtrahimus, videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, nec non ruſticos & ſervientes, & omnes alios qui non adeò curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur: & illos qui ignoranter excommunicatis communicant, ſeu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicunque autem aut Orator, ſive Peregrinus, aut Viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non poſſit emere, & non habet unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Etſi quis excommunicatis non pro ſuſtentatione ſuperbiæ, ſed humanitatis cauſa aliquid dare voluerit, non prohibemus.

PRo ampliori declaratione illius, quod *de Sylveſtro II.* dictum eſt, qui priuſquam per artem Diabolicam Pontifex fieret, Gebertus ſive Gibertus eſt appellatus, ita ſcribit Iohannes Stella Venetus, ad Patriarcham Aquilegienſem, Romanæ Eccleſiæ tituli ſancti Marci Presbyterum Cardinalem. Illius ergo verba hæc ſunt, ut ſequuntur.

Sylveſter Papa ejus nominis ſecundus, natione Gallicus, Gibertus antea vocatus, hoc anno Gregorio Pontifici ſurrogatus, ſedit annis quatuor, menſe uno, & diebus octo. Hic malis artibus Pontificatum obtinuit, eo quòd ab adoleſcentia cum Monachus eſſet, relicto monaſterio, ſe totum Diabolo obtulit, modò quod optabat obtineret. Et ut bonis artibus operam daret, primò ad Hiſpalim Hiſpaniæ urbem acceſſit: ubi cum doctrinæ admodum cupidus eſſet, ea in re tantum profecit, ut brevi optimus doctor evaſerit: & Otthonem Auguſtum, atque Robertum Regem, & nonnullos alios inſignes præclaroſque viros habuerit diſcipulos: quo-

rum opera primò Remensis, deinde Ravennatis Archiepiscopus fuerit factus: postremo Romanus Pontifex Diabolo adjuvante fuerit constitutus, hac tamen lege, ut post ejus obitum totus illius in anima & corpore esset, cujus fraudibus tantam adeptus esset dignitatem. Post hoc quæsivit Gibertus à Diabolo, quàm diu in Pontificatu victurus esset? Respondit: Quamdiu, inquit, in Hierusalem celebrabis, vives. Postremò, quarto sui Pontificatus anno, dum quadragesimali tempore in basilica sanctæ Crucis in Hierusalem Romæ sacrificaret, fato se moriturum statim cognovit. Vnde pœnitentia ductus, errorem suum coram populo confessus est. Rogavitq; omnes, ut corpus suum Diabolicis artibus seductum, membratim detruncarent, disiectumq; ac laceratum super currum imponerent, & eo loci sepelirent, quo sponte ab equis foret vectum. Ferunt itaq; Dei nutu (ut scelerati discant, apud Deum veniæ locum sibi relictum esse, modo in vita pœnituerint) equos ipsos sponte ad Lateranensem Ecclesiam pervenisse, ibidemq; sepultum fuisse.

CLVIII. *Lambertus Schafanaburgensis.*

LAmbertus Schafanaburgensis, qui ante 500. annos floruit, & Monachus Hirsfeldensis fuit, scripsit Latinè ac eruditè Chronicon, quod vulgò Hirsfeldense appellari solet. In eo quædam digna notatu contra inolitos Papatus abusus dicit. *Chron. f. 41 edit. Tubing. 1533.* Narrat se Hierosolymam religionis causa peregrinatum esse, magno quidem *zelo*, sed *sine scientia*; ubi peregrinationum stultitiam damnare videtur. Testatur item in narratione *Synodi Erfurdensis & Moguntinæ* ubi Archiepiscopus nomine ac jussu *fol. 158. & 184.* Papæ Sacerdotum conjugium abolere est conatus longo tempore in Germania, Sacerdotum conjugium in usu fuisse non tantum in Germania & Gallia, sed & in quibusdam locis Italiæ. Narrat idem, plures Pontifices ab Henrico IV. Romæ morientibus aliis constitutos, quin & Benedictum quendam ab *fol. 41, 42, 48.* eo depositum esse, sed Hildebrandum primum inconsulto Cæsare Papam factum esse. Narrat item, cruentum certamen bis accidisse Goslariæ in templo, *fol. 48, 49.* de superiori loco sessionis, inter Hecelonem Hildesheimensem Episcopum, & VVederadum Fuldensem; idque inspectante Cæsare, qui eos cohibere haudquaquam potuerit.

Simile quid & antè sub Henrico III. Moguntiæ, inter Moguntinum & Fuldensem accidisse, Nauclerus affirmat. Sed posteriore valde multos in templo, atque adeò ad ipsa altaria, fœdè trucidatos esse. Narrat item, inter duos Papas Romæ suo tempore atrociter armis depugnatum de Pontificatu esse, & addit epiphonema, inquiens: Sic depravata Ecclesiastici rigoris censura, homines non ut quondam, ut præessent Ecclesiæ Dei, injecta manu præliabantur, fundebantque sanguinem, non pro ovibus Christi, sed ut dominarentur ovibus Christi. Sæpe alioqui graviter conqueritur, Monachos penitus suam disciplinam

cor-

corrupiſſe: & alios Clericos, præſertimque Prælatos, penitus neglecta omni pietate, ac Eccleſiæ Dei cura, ambitioni & turpibus lucris & aliis ſceleribus penitus deditos fuiſſe. Poſtquam prolixè narravit, quomodo ingentibus pecuniis Monachi & alii Clerici Abbatias aliosque Epiſcopatus liceri & emere ſoliti ſint, ſubjungit: Mirabitur mundus, unde tantus pecuniarum ſcateret fluvius, unde Crœſi & Tantali opes congeſtæ fuiſſent in privatos homines, & eos potiſſimum homines, qui crucis ſcandalum & paupertatis titulum præferrent, & præter ſimplicem victum & veſtitum nihil rei familiaris habere ſe mentirentur, &c. Pulchrè etiam narrat, quomodo Papa Germanorum Epiſcoporum Simoniam corrigere norit. Dicit Alexandrum II. advocaſſe ſimul plures Germaniæ Epiſcopos hujus criminis cauſa. Sed ſatis fuerit ipſius hiſtorici verba adſcribere. Epiſcopus Moguntinus & Colonienſis & Babenbergenſis à Domino Apoſtolico evocati, Romam venerunt. Ibi Epiſcopus Babenbergenſis accuſatus, quod per Simoniacam hæreſim, data pecunia, Epiſcopatum invaſiſſet, multa & precioſa munera Papæ dedit; & per hæc efferatam adverſum ſe mentem ejus ad tantam manſuetudinem reduxit, ut qui non ſine periculo honoris & gradus ſui evaſurus putabatur, non ſolum impunitatem criminis, quod objectum fuerat, conſequeretur, ſed etiam pallium & alia quædam Archiepiſcopatus inſignia ab ſede Apoſtolica pro benedictione perciperet. Ecce ſic norunt Pontifices Simoniam corrigere triplicata Simonia.

fol. 95.

fol. 76.

CLIX. *Conradus, Traiectenſis Epiſcopus.*

Concionis à Conrado habitæ fragmentum.

SCribunt quidam hiſtorici, Conradum Traiectenſem Epiſcopum acriter defendiſſe cauſam Henrici IV. tum voce tum ſcriptis. Quæ extare valde profectò optandum eſſet. Verùm cum ea haberi nequeant, adſcribam lib. 5. p. 463. *ex Aventino* tantum ſummam unicæ ejus Concionis, in Conventu quodam procerũ Germaniæ habito, unde ſumma ejus ſententiarum ac cogitationum in hac materia utcunque animadverti poterit. Sublatis itaque Gregorio & Victore capitibus pernicioſæ diſſenſionis, feſſo tot cladibus orbe Romano, placuit utriuſque partis Epiſcopis, jure atque literis, non armis atque ferro more barbarorum diſceptandum eſſe. Fit igitur Conventus Garſtungi, tertio decimo Calendas Februarii, conveniunt Epiſcopi Germaniæ, Galliæ, utriuſque partis. Vbi conſedere, Conradus Epiſcopus Traiectenſis ita verba fecit: Ad pacem, quam vobis, *Patres conſulti*, Servator noſter abiturus reliquit, ſtabiliendam convenimus; vim, temeritatem, violentiam, errores peſtiferos eorum, qui cœleſte donum contaminare non erubeſcunt, gladio duplici, enſe ancipiti ad vivum reſecare, utriuſque inſtrumenti teſtimoniis juxta præceptum Chriſti refellere, operæ precium duximus. Ioſues hoſtibus aſtutis fallacibus juramentum, quod mendaciter extorſerant, ſervavit.

vit. Nabuchodonoſoro impio Regi Iudæos Reges, eorum fidem frangentes, immortalis cœli majeſtas per Hieremiam atque Ezechielem vates ſuos coarguit, ſeq; ſpretum teſtatur. Qui juramentum contemnit, fœdus ſpernit, pactum ſolvit, ſedem frangit, illum deſpicit per quem juravit: illi facit injuriam, cujus nomini adverſarius credidit. *Vivo ego*, dicit Dominus, *juramentum quod ſprevit, fœdus quod prævaricatus eſt, ponam in caput ejus. Nunquid ſolvens pactum effugiet?* Non conſiderandum cui, ſed per quem juraveris. Multò enim fidelior eſt ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, quàm tu, qui occaſione divinæ Majeſtatis hoſti tuo, imò jam amico, moliris inſidias. De *Tiberio* & *Nerone*, non ſolum leviſſimis tyrannis, ſed impuriſſimis quoque monſtris, præceptum legimus: *Reddite Cæſari, quæ Cæſaris ſunt*; *&, Deum timete, Regem honorate.* Principibus, qui non ſine cauſa gladium portant, etiamſi mali fuerint, non modò dicto audientes eſtote; verùm pro iiſce ſupremum Deum deprecamini, quò tranquillam quietamque vitam agamus. *Omnis enim poteſtas à Deo eſt. Qui poteſtati reſiſtit, divinæ providentiæ repugnat.* Idcirco ambitioſi & ſuperbi ſunt, qui illud Domini Deique noſtri elogium (*quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit & ſolutum in cœlis*; *& quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit & ligatum in cœlis*) perfricata fronte interpretando adulterant, ſuæ libidini ſervire cogunt, & nobis ceu pueris atque omnium rerum imperitis aſtu illudere ſtudent. Quaſi verò neſciamus, peculiare eſſe ſacris Vatibus divinæ ſapientiæ conſultis, pro capacitate auditorum diverſis nominibus idem appellare, eandem rem pro diverſitate affectuum, modò propriis, modò translatitiis verbis, quod idem valet, nunc figuratè nunc ſimpliciter, dicere, crebris ſimilitudinibus, frequentibus Proverbiis atque exemplis, aptis comparationibus, & hujuſcemodi tanquam luminibus rem illuſtrare, animum atque aures tanquam ſtimulis ferire, & ut ſunt varia ingenia, varia orationis ſententiarumque ſupellectile homines inſtruere, docere, recreare, rapere, trahere, movere, oblectare. Et ut D. Aurelius Auguſtinus docet, veritas divina ita tradita, ita ornatu tecta plus movet, plus delectat, plus honoratur, quàm ſi nuda abſque veſte proſtitueretur. Nempe animus noſter quamdiu mortali carcere clauſus detinetur, nolit velit, rebus, fluxis, fragilibus, quæ videri, tangi ſolent, nimium addictus eſt, ad æterna & clara, quæ cerni, tactu ſentiri nequeunt, cæcutit atque hebetatur, niſi igniculus ingenii hiſce fomentis motus excitetur. Proinde Pontifex æternus, id quod ſubobſcurè de vinculo dixi, *Pax vobis*, inquit, *Sicut me miſit Pater, & ego vos mitto: Accipite Spiritum ſanctum. quibus remiſeritis peccata, remittunt*; *& quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et ut concordiam aſſereret, ut unum ſe verum Paſtorem eſſe indicaret, uni dixit: *Siquidem amas me, paſce oves meas*, id eſt, *Ite in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*: atque, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*: *ite ergo docete omnes gentes.* Hanc ob cauſam aperuit diſcipulis mentem cœleſtis doctor, ut intelligerent Scripturas, Moſen, Prophetas & Pſalmos. Iuſſitque eos *in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum*

torum prædicare apud omnes gentes, testesq́; horum esse. Has ergo ob causas Hildebrandus ambitione in præceps abivit, cum potestatem immortalis Dei, cujus Nuncius duntaxat est, sibi usurpavit. Ita mores, ita tempora, ita homines sunt. Malè consuluisset rebus humanis suprema illa Majestas, si ita gladium in manum mortalis cujusquam traderet. Quis concupiscentiæ humanæ finem statueret? aut quis moderaretur? Ne sapientissimus quidem æquo animo tantum onus tulerit. Non necesse habemus, ut quispiam nos doceat, quo nam pacto spiritali potestate, vel, ut verius dicam, dispensatione atque procuratione divini peni (Oraculorum enim cœlestium promi atque condi duntaxat sumus) Petrus ejusque Collegæ usi fuerint. Clarius luce, in libro quem de gestis Legatorum Christi Lucas Medicus scripsit, liquet: *Arma nostræ militiæ, spiritus*, non ferrum, neque rapinæ, cædes, homicidia, perjuria sunt: nimirum lorica, thorax, galea, baltheus, ensis, scutum, sunt: Pax, Amor, Iustitia, Spes salutis, Veritas, Sermo Dei, Fides. Quæ munera divina sæpius Imperator noster Christianissimus ultro Hildebrando obtulit; sed ipse recipere recusavit. Non inficias imus, *homo est ille*, peccare solet. Nam nemo viciis sine nascitur, *optimus ille est, qui minimis urgetur.* Nulla tamen illi, nisi ex permisso, voluptas Veneris, juxtaq; naturale desiderium usus, quæ sicut juventa irritari, ita senectute mitigari solent. Iam id fateor, peccatum primum quidem magnum, at humanum tamen; fecere alii sæpe, item boni. Et profectò rectè æstimantibus Principem nostrum, liquet bona natura ejus esse, vitia vel fortunæ vel ætatis ingentia animi bona, illa indoles in rebus moliendis, conficiendis velocitas, periculisq; subeundis fortitudo, vis incredibilis animi, laboris patientia, consilium per magnitudinem animi, & quantam vix potest ætas ejus capere solertia. Rei militaris, juris, civilium morum, divinarum humanarumq; rerum peritia, fortitudo propemodum nimia, non modò inter Reges excellens, sed inter illos quoq; quorum hæc sola virtus fuit. Iam perpetuum pacis pietatis atq; religionis studium, in pauperes liberalitas, majora tribuentis quàm à Deo petuntur; clementia in devictos, benignitas in amicos, erga milites benevolentia, in nullo unquam Germano Romanóve tanta fuere principe. Quòd si flagitiosissimus is foret tyrannus, tamen ei obtemperandum, nequaquam resistendum esset. Prohibent humanæ leges, decretaq; Patrum, adversarios, hostes, inimicos, accusatores, testes atq; judices esse. Augustus tum in Italia, tum Hildebrando pacem facit, paucorum scelere atq; perfidia Saxonia excidit; perfidus tyrannus, qui perfidiæ graves pœnas reddidit, spreta religione jurejurandi, violata affinitate, necessitudine eam invasit. Nemini privato, nisi ante in integrum restitutus fuerit, dica scribi potest. *Hæc ubi dixit, librum dat Pontificalem Weziloni archimystæ Moguntino, recitariq́; legem jubet, qua non licet spoliatum rebus suis respondere, accusari, nedum condemnari. Eundem codicem deinde* VVernherus Mersburgensis Pontifex *accipit. De fœminis quoq́; idem cautum legit, ne scilicet eæ prius in jus ambulare cogantur, quàm familiarē rem domi composuerint. Posteaquam hæc*

Pag. 464.

Arma Christianorum, maximè Sacerdotum.

ita dicta factaq; sunt. Gebhardus Salisburgensis Boiorum primarius Episcopus, *ætate, eloquentia, scientia egregiè præter cæteros Hildebrandinos venerabilis, cui socii respondendi Provinciam demandarunt, omnino obmutuit, ne hiscere quidem potuit, &c.*

Verùm age adjiciamus & *Epistolas quasdam* ex vetusto manuscripto Codice, de prædicto dissidio, ex quibus etiam magis, quàm injustè Papa egerit, pateat.

Epist. Henrici IV. adversus Hildebrandū.

HEnricus Dei gratia Rex, gratiam, salutem, dilectionem non omnibus, sed paucis eandem. In maximis negociis, maximis maximorum opus est Consiliis, qui & facultatem habeant exterius, & voluntate non careant interius, ut rei cui bene cupiunt consulere & velint & possint. Quia in cujuslibet rei profectu nec facultas sine volunte, nec voluntas sine facultate proderit. Quod utrunq; tu fidelißime, ut arbitramur, æqualiter poßides; vel, ut verius dicamus, licet maximo tibi maxima non desit facultas, major tamen adhuc maxima facultate, si benè te novimus, in nostram & regni utilitatem exuberat voluntas. De præteritis enim fideliter exhibitis, in futuris crescit spes fidelius exhibendis. Tuæ autem dilectioni committimus, ne spe nostra sit fides tua, quia de nullius regni principum fidelitate, quàm tua, majora speramus: sicut hactenus non modò in præteritarum rerum exhibitione, verùm etiam in sperandarum promißione tua gavisi sumus. Aßit ergo in tempore hoc opportuno tua cum facultate voluntas, quam non modò nostra, verùm etiam omnium Coepiscoporum fratrum tuorum in uno totius oppressæ Ecclesiæ exoptat voluntas. Non enim oppreßionem ignoras, tantum ne oppressæ Ecclesiæ solatium *subtrahas*; sed regno & sacerdotio *condoleas, quo utroq; sicut Ecclesia est exaltata, humiliata, heu utroq; viduata; nam unus dum utrunq; sibi vendicavit, utrunq; dißipavit: nec in uno profuit, qui in neutro prodesse voluit, nec potuit, & ne diutius notati nomine te suspendamus, accipere quem dicimus*, Hildebrandum *scilicet*, Monachum *quidem dictum* Apostolicum, *non pastoris cura*, sed invasoris *violentia Apostolicæ sedi præsidentem, & de sede pacis Catholicæ*, pacis unicæ vinculum *dißipantem, ut tibimet ipsi in promptu est scire. Vt enim de pluribus pauca referamus*, regnum & sacerdotium *Deo nesciente sibi* usurpavit, *in quo piam Dei ordinationem contempsit, qui non in uno, sed in duobus duo, id est, regnum & sacerdotium principaliter consistere voluit; sicut ipse Salvator in paßione de de duorum gladiorum sufficientia typica intelligi innuit. Cui cum diceretur:* Domine, ecce duo gladii hic: *respondet,* Satis est: *significans, hac sufficienti dualitate,* spiritualem & materialem gladium *in Ecclesia esse gerendum, quibus omne nocivum fore amputandum, videlicet* sacerdotali, *ad obedientiam Regis pro Deo*; Regali *verò, ad expugnandos inimicos exterius, ac obedientiam interius; omnes homines docens, fore constringendum: ut ita de alio in alium tenderetur, dum nec sacerdotii regnum, nec sacerdotium regni honore privaretur. Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica confuderit insania, tu ipse nosti, si scire novisti, vel voluisti.* VVormaciam *venias, & ibi plura, quorum pauca docet chartula, cum centum principibus audias, & quid agendum sit doceas, rogatus per dilectionem Coepiscoporum, moratus per utilitatem Ecclesiæ, obligatus per vitæ nostræ regni totius honorem. Valete.*

Dile

Dilectis in Christo fratribus & Dominis, Archiepiscopis, Episcopis, Principibus Romani Imperii ducibus, Marchionibus, Comitibus, majoribus & minoribus Clero & Populo sanctæ Ecclesiæ cultoribus N. Verdunensis Episcopus Dei gratia, id quod est, fraternam dilectionem, debitam servitutem, perpetuam in Domino salutem. Regni nostri perturbatio, & ut verius dicam, nisi Dominus avertat, proxima nimis annulatio, in maximum dolorem nos excitat, in lachrymas vocat, in miserabilem querimoniam coram Deo & hominibus nos animat. Hildebrandus, qui dicitur caput, jam est cauda Ecclesiæ: qui fundamentum, jam detrimentum est Ecclesiæ. Hic dispergit, qui dicebatur congregare: hic Ecclesiam odit, qui dicebatur diligere; jam usque ad omnimodam hæresim infirmat, qui dicebatur Ecclesiam sanctam confirmare. O inaudita arrogantia hominis, supra omnem Ecclesiam in se gloriantis; supra omnem malitiam malè agentis, unitatem Ecclesiæ scindentis: quod inauditum est, regnum & Regem Catholicum destruere præsumentis: impios justificantis, pios injustissimè damnantis, decreta patrum pervertentis, Regem adulterinum extollentis, Regem liberum & legitimum etiam cum memoria nominis Regii extinguere meditantis. Perjuria fidelitatem dicit, fidem sacrilegium facit: imoque ab initio fuit mendax pater ejus, per omnia mentitur, & in omnibus veritati contradicit: Videat Deus & judicet, videte vos & judicate: Hominem impium, hominem abominatum, membra Ecclesiæ subvertentem, caput nostrum faceremus? nos omni Ecclesiastico honore verissimè destituentem, patrem nobis constitueremus? Vita sua illum accusat, perversitas damnat, obstinatio malitiæ illum anathematizat. In qua re vobiscum esse, vobiscum facere, vobiscum laborem subire, assensus consilium, auxilium vestrum non recusat. De eligendo autem Pontifice, qui errata corrigat, qui destructa restituat, qui hujusmodi fortia confundat, Deo cooperante vobiscum operabimur, Deo consentiente vobiscum sentiemus, & pro honore Ecclesiæ, & pro recuperatione Regis & regni, in nullo vobis deerimus. Valete. *Censura Episcopi Verdunensis.*

Patribus, non fratribus, Dominis, non amicis, N. designatus Trevirensis Episcopus, Ecclesiæ devotissimas orationes in Christo. Ferre sententiam contra Apostolicum, non est tutum: imò insanum, & omnino nefarium, aliquid audere in illum, qui in vice S. Petri fungitur legatione ipsius Christi. Iste autem, qui invasit sedem Apostolicam, qui inaudita elatione effertur, qui prophanis novitatibus studet, amplo nomine delectatur, quem neque Christianum appellem, quia non habet characterem, id est, pacem & charitatem, quam Christus suis militibus impressit, qua Christus suos notavit: non occurrere contra hunc, non insurgere, magnum sanctæ matris Ecclesiæ est periculum, & planè est contra Deum. Quis enim nescit, ex hoc quasi fonte omnis dissensionis, & capite omnis schismatis, exclusa pace Ecclesiæ, discordiam totius mundi emersisse? Quis inquam non videt, per hunc quasi signiferum, tantum sanguinem mundi effusum esse? De *Censura Episcopi Trevirensis.*

multis rationibus, qui non ſequitur Chriſtum, nequeo verè appellare Chriſtianum: ita certè nec Papam, quem video toties & tam manifeſtum homicidam. En bonus & ſanctus Papa, cujus Conſiliis, cujus inſtinctu & ductu, membra Chriſti tot & tam perditis modis ſunt dilacerata. En bonus Paſtor, qui in illos tanta crudelitate graſſatur, pro quibus Chriſtus in cruce pependit, quos ipſe proprio ſanguine redemit. En verus Pontifex, & juſtus Sacerdos, qui ſicut dubitat, ſi illud quod ſumitur in Dominica menſa, ſit verum corpus & ſanguis Chriſti: ita non pœnitentibus etiam ea, quæ juſtè fracta ſunt condonat ſacramenta. Nihil certè ita eſt impium & nefarium, nihil ita eſt deteſtabile & execrabile, quòd ipſe curet, dum alios contra Regem armet: dum alios ad bellum, quod ipſe omnibus intendit, excitet. Inter has multiplices calamitates & miſerias, quas patitur & conqueritur ſancta Eccleſia, mihi quoque illata eſt ab eo tam ſuperba quàm violenta injuria. Cum enim Treveris pari conſenſu tam Cleri quàm plebis eſſem electus Epiſcopus, tamen eo impediente, nullam culpam obtendente, ferè per biennium conſecrationem obtinere non potui, omnibus ejuſdem Eccleſiæ filiis & ſuffraganeis intercedentibus, & inuſitatam ſuæ Metropoleos viduitatem multum querentibus. Nihil mihi profuit ſyncerus introitus, & legitima mea electio apud illum, nihil valuit conſona authoritas Epiſcoporum, & ſtudioſa loci interceſſio. Vt taceam mea, ut prætermittam privata, Quia malus, & non purus ejus introitus, quæ minatus eſt, pervenit ad perditiſſima exempla: ne plus per hunc ſancta, quæ modò extremum trahit ſpiritum, periclitetur Eccleſia: ex me dico, quòd nullam ei obedientiam poſthac ſervabo: nec meo judicio amplius ſedebit in loco & in vice ſancti Petri, quem ipſe non ſequitur obſtupenda abuſione novitatis ſuæ, & inauditi decreti.

CLX. Sententia Epiſcoporum Germanicorum, damnans Hildebrandum.

CVm primùm Eccleſiæ gubernaculum invaſiſſes, etſi benè nobis cognitum eſſet, quàm illicitam & nefariam rem contra jus & fas familiari tibi arrogantia præſumpſiſſes: diſſimulanda tamen, diſpenſatoria quadam taciturnitate, tam vitioſa introitus tui exordia putavimus, ſperantes videlicet, tam criminoſa principia conſequentis regiminis tui probitate & induſtria emendata, & aliquatenus obliterata. Verùm nunc ut lamentabilis univerſalis Eccleſiæ ſtatus clamat & deplorat malis initiis tuis pejores actionum decretorumque tuorum progreſſus, infœlici reſpondes tenore & pertinacia. Cum enim Dominus & Redemptor noſter, pacis & charitatis bonum quaſi ſingularem fidelibus ſuis characterem impreſſerit, cujus rei teſtimonia plura exiſtant, quàm ut Epiſtolari brevitate comprehendi valeant: tu è contrario, dum prophanis ſtudes novitatibus, dum magis amplo quàm bono nomine delectaris, dum inaudita elatione diſtenderis, velut

quidam

quidam signifer schismatis, omnia membra Ecclesiæ, quæ secundum Apostolum quietam & tranquillam vitam ante hæc tua tempora agebant, superba crudelitate, crudeliq; superbia lacerasti: flammasq; discordiæ, quas in Romana Ecclesia diris factionibus excitasti, per omnes Ecclesias Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & Hispaniæ furiali dementia sparsisti, sublata enim quantum fuit, omni potestate ab Episcopis, quæ eis divinitus per gratiam S. Spiritus, qui maximè in ordinationibus operatur, collata esse dinoscitur, omniq; rerum Ecclesiasticarum administratione plebeio furori per te attributa, dum nemo jam alicui Episcopus aut presbyter est, nisi qui hac indignissima assentatione à fastu suo emendicavit, omnem Apostolicæ institutionis vigorem, illamq; pulcherrimam membrorum Christi distributionem, quam Doctor gentium toties commendat & inculcat, miserabili confusione miscuisti; sicq! per hæc tua gloriosa decreta (quod sine lachrymis dici non potest) Christi ferè nomen periit. Quis autem illud pro indignitate rei stupeat, quòd novam quandam, indebitamq; potentiam tibi usurpando arrogas, ut debita universæ fraternitati jura destruas? Asseris enim, cujuscunque nostrum parrochiani aliquid delictum ad te vel sola fama perveniat, ultra jam non habere quenquam nostrum aliquam potestatem vel ligandi vel solvendi extra, præter te solum, aut eum quem tu spiritualiter ad hoc delegeris. Quæ sententia quod omnem insaniam excedat, quis in Sacris literis eruditus non videat? Quia ergo per hos aliosq; præsumptionum tuarum Spiritus Ecclesiam Dei tam graviter periclitantem, imò ferè pessundatam, diutius tolerare, omni malo deterius judicavimus: placuit, ut communi omnium nostrum consilio, tibi, quod hactenus tacuimus, innotescat; quamobrem nec modò possis, nec unquam potueris Apostolicæ sedi præesse. Tu ipse bonæ memoriæ N. Imperatori teipsum corporali Sacramento obstrinxisti, quòd nunquam vivente ipso Imperatore, aut filio ejus Domino nostro glorioso Rege, qui modò summæ rerum præest, Papatum aut ipse susciperes, aut alium quantum in te est, suscipere patereris, absque assensu vel laudamento Patris, dum viveret. Ad hoc Sacramentum, sunt hodie testes plerique Episcopi, qui hoc tunc & oculis suis videre, & auribus audire. Illud etiam recordare, quomodo tu ipse aliquos ex Cardinalibus cum ambitio Papatus titillaret, ad tollendam æmulationem hac occasione & conditione, ut ipsi hoc idem facerent, Sacramento te obligasti, quòd nunquam Papatum habiturus esses. Vtraque hæc Sacramentorum, quàm sanctè quàm cautè observaveris, tu videris. Præterea cum tempore Nicolai Papæ Synodus celebraretur, in qua centum viginti Episcopi consederant, sub anathemate hoc statum & decretum est, ut nullus Papa fieret, nisi per electionem Cardinalium & approbationem populi, & per consensum & authoritatem Regis. Atque hujus Concilii seu Decreti, tu ipse author & persuasor subscriptorq; fuisti: atque hoc quasi fœtore quodam gravissimi scandali, totam Ecclesiam replesti, de convictu & cohabitatione alienæ mulieris familiariori quàm necesse sit. In qua re verecundia nostra magis causa laborat;

borat, quamvis hæc generalis querela ubique perſonuerit, omnia judicia, omnia Decreta per fœminas in ſede Apoſtolica actitari, denique per eas totius orbis & Eccleſiæ jura adminiſtrari; nam de injuriis & contumeliis Epiſcoporum, quos filios meretricum,& cætera id genus indigniſſimè appellas, nulla querimonia ſufficit. Quia ergo & introitus tuus tantis perjuriis initiatus eſt, & Eccleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam & converſationem tuam tam multiplici infamia dehoneſtaſti, obedientiam quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero ullam ſervaturos eſſe renunciamus; & quia nemo noſtrum,ut publicè declamas, tibi hactenus fuit Epiſcopus, ita nulli noſtrum amodò eris Apoſtolicus.

CLXI. Helmoldus, Hiſtoricus.

Henrici IV. infelix vitæ egreſſus ob tyrannidem Hildebrandi.

MVlta hactenus de Henrico IV. dicta ſunt, partim ex Aventino, partim aliis Henrici Coætaneis, in cujus rebus ac contraverſia tametſi ſupra modum lugubri & miſerabili,ideo libentius ſum immoratus,quòd in hoc potiſſimum corruiſſe Imperium,ac fermè tota Chriſtianitas, ſub jugumque ab Antichriſto miſſa eſſe videtur. Verùm de ejus fine ac ultimo caſu nihil dum dictum eſt. Eum verò cognoſce,quàm miſerabilis ſit,ex Vita Henrici jam olim deſcripta, & ex Ejus Epiſtolis, in quibus de ſuis difficultatibus, ſuorum ſubditorum propriique filii perfidia,quos Papa in ſuum exitium inſtigarat,conqueritur; nam hic ea omnia adſcribere nimis longum eſſet. Quare nos pauca tantum ex Helmoldo Sacerdote,quæ & Henricus de Erfordia ſuo Chronico inſeruit, adſcribemus. *De hoc quoq; Henrico IV. vulgariter & mythologicè dicitur in Chronicis Sclavorum, cap. XIX. Quod VVigberto Papa, Henrici, qui & Clemens, mortuo, ſopita ſunt ſchiſmata, & Paſchalis nihilominus excommunicavit Imperatorem; & eò uſq; ſententia invaluit, ut collecta generali curia Principes Teutoniæ Henrico diadema tollendum, & ad filium ejus æquivocum transferendum decernerent, quòd jamdudum per Patrem fuit in Principem deſignatus, Igitur Moguntinus, Colonienſis, VVormacienſis, à Principibus miſſi, venerunt ad Regem in turri Regia Hilgeesbem, dicentes:* Fac nobis reddi coronam, annulum & purpuram, cæteraq; ad inveſtituram Imperialem pertinentia, filio tuo deferenda. *Imperator quærit cauſam. At illi:* Quid quæris, ea quæ optimè noſti? Scis de ſchiſmate longo; ſcis qualiter Epiſcopatus, Abbatias, & cætera omnia feceris venalia, & quomodo ſit electionis facultas in Rectoribus quibuscunque conſtituendis, ſed ſola pecuniæ ratio. Pro iis & ſimilibus ſanxit authoritas Apoſtolica, & favit Principum unanimitas, te & regno & communione fidelium privandum. *Quibus Imperator:* Veſtra poteſtas eſt, hæc mihi imponere, & crimen impingere. Dico Moguntine, adjuratus per nomen æterni Dei; Quid exegimus vel recepimus à te, cum te Moguntiæ præfecimus? Tu quoque Colonienſis ſimiliter? *Illis autem*

Helmold. I. Chron. Sclav. 32. p. 26, 27, 28, edit. Francof. 1581.

autem fatentibus, nihil pecuniæ, aut oblatum, aut requisitum, aut acceptum hujus rei gratia: Rex ait, Gloria Deo. *Similiter & de VVormaciensi; & iterum* Rex. Dignam ergo pro beneficiis vestris nobis rependitis gratiam. Nolite ergo illorum participes effici, qui levarunt manus suas contra Dominum & Regem suum, & violaverunt fidem, & juramentorum Sacramenta. Parum vobis superest ævi, senio & labore confectis. Non ponatis maculam in gloria nostra. Si verò sententia vestra fixa manet, ut cedamus, constituatur dies placiti. Et si curia adjudicaverit filio nostro coronam, manibus nostris imponemus. *Illis autem è contrario nitentibus, Rex parumper avulsus ab eis, videns quòd venissent militia stipati, ipseq; omni militia & armis esset pro tunc destitutus, Principibus ipsis hoc versutè procurantibus, Regalibus ergo indutus Rex, & in sedem regni receptus, dixit:* Hunc imperialem honorem præstitit mihi DEVS & concors principum electio. Potens est autem mihi DEVS conservare, quod præstitit. Hactenus actore DEO, bellisque vicimus impugnantes. Hoc autem intestinum malum, sed nec suspectum habuimus, nec peccavimus. Quis enim in orbe Christiano tantum nefas consurgere crederet, ut jurata Principi Sacramenta fidelitatis irritentur, suscitetur filius contra Patrem? Postremò nulla beneficiis gratia, honestati reverentia exhibeatur? Certè majestas Imperialis in proscribendis induciarum remedia consuevit non negare, prius præmuniens quàm feriens, prius invitans ad gratiam quàm damnans per sententiam. Nobis autem audientia denegatur: ideoq; præfamur, ne audiamur. Quis tantam mentis alienationem à fidelibus amicis, & à Pontificibus maximè, procedere posse conciperet? Quod si nec Deum nec honestatem nostram reveremini, ecce præsentes sumus, violentiam explodere non possumus, militibus & armis destituti. *Pontificibus ergo hæsitantibus quid agerent (magnarum enim rerum ingressus difficilis est) dixit Moguntinus ad socios:* Quò usque trepidamus? Nonnè officii nostri est, Regem consecrare, consecratum investire? Nunquid ergo Principum Decreto impendere licet, eorundem authoritatem tollere non liceat? Quem meritum investivimus, quare immeritum non divestiamus? *Coronam ergo de capite ejus abrumpunt, deinde purpura & Imperialibus omnibus exuerunt. Quibus Rex confusione circundatus, ait ad eos:* VIDEAT DEUS, & judicet. Ego quidem luo peccata adolescentiæ meæ, sed vos immunes non eritis jurisjurandi prævaricatores, & portio vestra cum Iuda traditore est. Non consurgatis. *Illi verò obturantes aures suas, imperialia deferunt ad Henricum Quintum filium ejus firmantes eum in Regem. Filius ergo Patrem expulit de regno. Qui viris novem comitatus, fugiens pervenit ad Ducatum Limborgensem, de quo Principem nobilem Rex, cum adhuc potens esset, destituerat, & eum alteri tradiderat. Ipse autem Princeps destitutus, casu, cum nunc Rex fugeret, venationi deditus erat, propè viam, per quam Rex ipse filium fugit; animadvertitq; rem, quia jam fama diffundebatur. Insequitur ergo cum militibus Regem velocius. Quod videns Rex, de vita timuit, & voce magna veniam postulavit. Cui Princeps:* Malè, *inquit*, Domine veniam demeruistis, licet potestate vestra in me abusus fueritis; tamen, Deus novit, quod vobis

bis compatiar,attendens iniquitatem circa vos maximè eorum, quibus beneficus ſemper extitiſtis; *& aſſumpſit Regem in caſtrum,miſitq; circumquaq; pro militibus,collegit quaſi D C C C. loricatos. Quibus perduxit Regem in Coloniam Civitatem magnam. Colonienſes receperunt eum. Filius obſedit Coloniam. Cæſar nocte elapſus, fugit* Leodium; *& convenerunt ad eum illuc omnes viri conſtantes, & quorum corda miſeratio tetigerat; proſpectoq; auxiliatorem numero,dimicare ſtatuit,rogavitq; Principes & omne robur exercitus ſui, dicens*: Si fortiſſimus Deus hodie nos juverit,ſervate mihi filium meum, & nolite eum interficere. *Prælium ergo committitur, Pater vincit, filius fugit,multis interfectis. Prælium autem inſtauratur:* Pater *vincitur, & comprehenditur. Quantas autem contumelias vir ille magnificus diebus illis pertulerit, ſicut relatu difficile,ita auditu lamentabile eſt. Inter amicos & inimicos inſultantes,quidam pauperculus coram omnibus dixit eidem*: Inveterare dierum malorum, nunc venerunt peccata tua,quæ operabaris prius,judicans judicia injuſta,opprimens juſtum, & dimittens noxios. *Cui cum quidam plus cenſati iraſcerentur, dixit Cæſar*: Nolite quæſo iraſci in eum,ſinite eum, voluntas Dei eſt, ut maledicat. *Erat ibi* Spirenſis Epiſcopus, *Regi dilectiſsimus; quo agitante, templum ingens Dei genitrici apud Spiram conſtituerat, Civitatemq; & Epiſcopum multum pomoverat,ad quem Rex ait*: Decidi à ſpe, Da ergo mihi præbendam apud Spiram, ut ſerviam ſanctiſſimæ genetrici Dei,cui devotus ſemper extiti. Novi enim literas,& poſſum adhuc ſubſervire choro. *Ad quem Epiſcopus* Per matrem Dei,non faciam quod petis. *Tunc Cæſar ſuſpirans & illachrymans, ait*: Miſeremini mei, &c. uſque manus Domini tetigit me, *mortuusq; eſt Cæſar* Leodii, *ſtetitq; corpus ejus inhumatum in Capella quadam deſerta quinq; annis. O magna Dei judicia, quæ completa ſunt in tam præpotenti viro. Sperandum eſt autem, quòd Dominus ille tribulationis decoxerit in eo ſcoriam, & rubiginem omnem abſtulerit. Quotiens enim in præſenti judicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Hæc Helmoldus.

* Wolfius Cent. 12. Lect. Memor. p. 347, 348.

CLXII. Henricus Quintus.

HEnricus V. ſeductus à Papa & Sacrificis,adjuvit opprimere Patrem,pro libertate ac juribus Imperii, imò & pro communi omnium bono decertantem. Mortuo tamen Patre, ibi ſepoſitis dulcibus verbis cœpit ſeſe Paparum rapacitas exerere.Quare cum & Ipſe jam videret, quorſum demum evadere Paparum tyrannis conaretur, cœpit quoque tueri Ius *conferendi Epiſcopatus, Abbatias & prælaturas*: ac capto, propter non ſervatam (ut Friſigenſis lib.7.cap. 14. teſtatur) fidem, Papa Paſchali,ei omnia jura Imperii, quæ Pater aliique prædeceſſores habuerunt, extorquet. Confirmat omnia Papa literis,ſigillis,juramentis: & contrà ab Imperatore eſt ampliſſimis donis ornatus. Sed fidem non diutius, quàm Cæſar adfuit, ſervat.

ſervat. Mox ubi ille in Germaniam redit, omnia mutat ac invertit. Quare denuò novæ excommunicationes, bella civilia, novæ ſeditiones excitantur. Tandem poſt multa bella, atrociſſimasq; calamitates Germaniæ componitur cauſa, *ea* (teſte Vrſpergenſi) *ratione, ut Papa quidem inveſtiat & confirmet Epiſcopos, verum illi ſint contenti Eccleſiaſtica tantum juriſdictione, politico gladio careant, & ex oblationibus ac decimis vivant.* Verùm ad eam rationem Epiſcopos Germanicos reformare, eosque ſua politica potentia privare fuit impoſſibile. Quare retinuerunt illi quidem ſuas opes & regiones; ſed Cæſar ſuo veteri jure eos inveſtiendi & confirmandi eſt privatus.

* Vide Henrici V. Edicta & Reſcripta de Iuribus Imperii & Inveſtit. Epiſc. apud Goldaſtum T. 1. Conſtit. Imp. p. 251. ſeqq.

Mortuus eſt hic Henricus ſine liberis penitus, quod tunc plerique non immeritò ratiocinati ſunt, eſſe pœnam Dei; propterea quòd ille parùm rectè ſecundum Dei mandatum coluerat optimè de ſe meritum Patrem.

Succeſſit Henrico V. *Lotharius ſecundus*, qui hunc opprimere adjuverat. Venit is ad Innocentium, alicubi in Galliis commorantem; à quo petit Innocentius opem contra ſuum Antipapam Petrum Leonis, qui ſe Roma extruſerat. Pollicetur quidem Cæſar, ſed tamen ſimul queritur, Imperii vires graviter attenuatas eſſe, cum ei Papa jus conferendi Epiſcopatus & Abbatias ademerit. De quo quis dubitare queat, cum maxima Imperii pars in Epiſcopatus Abbatiasque diſtricta ſit?

CLXIII. Ottho, Conſtantienſis Epiſcopus.

SCribit Nauclerus, *Otthonem, Conſtantienſem, Epiſcopum* repugnaſſe Gregorio ſeptimo, Sacerdotum conjugium abroganti; ac recenſet etiam partem Epiſtolæ Gregorii, in qua ille accuſat Otthonem apud ſuos Clericos, quòd juſſus priori Epiſtola, ut Sacerdotum conjugium aboleret, non tantum id facere neglexerit, ſed inſuper permiſerit, ut & alii uxores ducant. Quare citat eum Romam, & ei tetra minatur; perhibetque Clericis ſeveriſſimè, ne ullam ſuo Epiſcopo porrò obedientiam aut reverentiam præſtent. Vtinam haberemus ejus, aliorumque ſcripta ac defenſiones, quas ille, proculdubio pro ſua innocentia ac conjugii Sacerdotum juſtitia, Papæ tyrannidi oppoſuit! Sed adſcribam illam Epiſtolam Hildebrandi, quam Nauclerum recenſere dixi. Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Clericis & Laicis, majoribus atque minoribus in Conſtant. diœceſi conſtitutis, ſalutem & benedictionem. Miſimus fratri noſtro Epiſcopo veſtro Otthoni literas exhortatorias, per quas pro noſtri neceſſitate officii Apoſtolica autoritate injunximus illi, ut ſimoniacam hæreſim de Eccleſia ſua penitus excluderet, & caſtitatem Clericorum ſtudioſè prædicandam ſuſciperet. Sed Epiſcopus veſter neque beati Petri reverentia præcepti, neque officii ſui ſolici-

2. Volum Gener. 36. f. 160. a.

tudine attractus, ut nobis relatum est, quæ paternè suasĕramus, perficere curavit & ut non solum inobedientiæ, verùm etiam rebellionis offensam contraheret: quemadmodum accepimus, palàm Clericis suis suis jussioni nostræ, imò verius, beati Petri, omnino contraria permisit, ita ut qui mulierculas habuerant, renuerent: & qui non habebant, illicita temeritate subintroducerent. Quod ut audivimus molestè ferentes, alteram ei scripsimus Epistolam, indignationis nostræ motus ostendentes: quin etiam ipsum ad Synodum Romanam advocavimus, ut rationes reddat, & inobedientiæ causas, si rationabiles fuerint, in audientia totius S. Conventus exponat. Hæc ideo, filii charissimi, vobis nota facimus, ut saluti vestræ consulamus. Si enim fronte aperta Episcopus vester repugnans & contumax esse studuerit, indignum est ut præsit, &c. Quapropter omnibus sicut prædiximus, Deo & beato Petro obedientibus, Apostolica authoritate præcipimus, si in obduratione persistere voluerit, nullam ei obedientiæ reverentiam exhibeatis, neque id animæ vestræ perniciem esse putetis; nam si præceptis Apostolicis voluerit esse contrarius, ab omni illius subjectionis jugo B. Petri authoritate vos absolvimus: ita ut si etiam Sacramenti obligatione quilibet ei fuerit obstrictus, quam diu Deo ac sedi Apostolicæ rebellis extiterit, nulla illi fidelitatis exhibitione fiat obnoxius.

CLXIV. Hildebertus, Episcopus Cenomanensis.

Hildebertus, Episcopus Cenomanensis, Vir pius ac eruditus, floruit circa annum 1115. Hoc disticho suum judicium de Papa, ejusque curia expressit.

Vrbs fœlix, si vel Dominis Vrbs illa careret,
Vel Dominis esset turpe carere fide.

Lib. 25. c. 108. f. 359. edit. Venet. 1591.

Testatur id Vincentius in Speculo historiali. Suspicor eum esse authorem Rhythmicorum versuum, de quibus modò. Scripsit enim ipse tales Rhythmicos, & tamen benè Latinos versus. Valde multa autem est istis duobus versibus complexus. Primùm judicare voluit, Papam cum suis esse egregiè sceleratos tyrannos, utpote quorum dominatio redderet urbem Romam infœlicem. Deinde affirmavit, eos non tantum perfidos, impios, vanissimosque nebulones esse: sed etiam ita perfrictæ frontis, ut sibi non turpe esse carere fide ac pietate putent. Multas tribulationes bonus ille Episcopus Romæ, quin & vincula ac carceres (teste Supplemento historiarum) pro Christo & ejus Ecclesia passus est. Quæ porrò fuerit causa, qualeve negotium, non ascribit.

* Wolfius Cent 11. Lect. memor. p. 310.

Percurri quasdam *manuscriptas Epistolas*, quæ partim huic Cenomanensi, partim nescio cui innominato Turonensi tribuebantur. Ego eundem esse opinor. Quod si diversi sunt sunt, circa idem tamen tempus eas Epistolas scriptas esse apparet. Recensebo autem quædam ex eis Epistolis, nostro instituto utilia. Reprehendit

dit Comitem quendam quod Religionis causa D. Iacobum invisere velit; & dicit eum rectius facturum, si domui ac regioni suæ benè præsit. Vbiq; eum Deum rectè colere posse. In alia Epistola reprehendit consuetudinem quandam, ubi intinctus panis dabatur, & ostendit utramque speciem seorsim dandam esse. In alia Epistola graviter admonet Honorium Papam, ne quasvis appellationes ex ultra montanis locis admittat: alioqui eum & Episcoporum potestatem omnem annihilaturum, & amplissimam fenest[illegible] n vitiis aperturum. In alia conqueritur de exactionibus Romanæ curiæ, ac dicit: *Omnes calamitates & adversitates orationibus vinci ac repelli, præter Romanas expilationes.*

In alio ejusdem Epistolarum exemplari, hæc inveni, quæ hic ad verbum subjiciam: *Romani* sunt quos timent & qui timentur. Hi sunt, quos hæc peculiariter provincia manet inferre calumnias, deferre personas, afferre minas, auferre substantias. Hi sunt, quorum laudari audis in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias. Hi sunt, qui causas morantur adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt ligaturos, protrahunt audiendos, trahunt addictos, retrahunt transigentes. Hi sunt, quod si petas & nullo adulante beneficium promittunt pudet negare, pœnitet præstitisse. Hi sunt, qui negant reverentiam Clericis, originem nobilibus consessum prioribus, congressum æqualibus cunctis jura. Nullum illis genus hominum ordinum temporum cordi est. In foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in convivio scurræ, in exactionibus harpyæ, in collocutionibus statuæ, in quæstionibus bestiæ, in tractatibus cocleæ, in contractibus trapezitæ. Ad intelligendum saxei, ad judicandum lignei, ad succendendū flamei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias ursi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Spes firmas in rerum motibus habent, dubia tempora certius amant, & ignavia pariter conscientiaq; trepidantes. Cum sint in prætoriis leones, in castris lepores, timent fœdera ne discutiantur, bella ne pugnent. Quorum si nares afflaverit rubiginosi aura marsupii, confestim videbis illic & oculos Argi & manus Briarei, & ingenium Sphyngis.

Contra Peregrinationes, Religionis ergò institutas.

HÆc habetis in Epistolâ: in memoria B. Iacobi, strenuissime Comes, & prędicāda virtute sublimis, iter, ut fertur, sumpsisti. Quod nos bonū quidē nō negamus, sed quisquis administrationē suscipit, alligatur obedientię. Qui enim ad majora vocatur, & utiliora, si relinquit, delinquit. Vnde te, fili charissime, culpa inexcusabilis expectat, qui necessariis nō necessaria, dispensationi otiū, debitis indebita pręponis. Inter talenta, qui servis suis paterfamilias distribuit, circuire vagū orbem terrarum

nullus Doctor, nulla omnino ſcriptura commemorat. Hieronymi teſtimonio B. Hilarion cum eſſet proximus Civitati Hieruſalem, ſemel eam vidit, ne loca ſanctorum contempſiſſe videatur. Porrò præter ſolitum mentis tuæ oculus caligavit, ſi non vides plenam periculoſis caſibus aſſumptam tibi peregrinationem. Præmunitiones Ducis Aquitanorum tranſiturus es, cujus tibi invidiam ſuſcitaſti: factus eſt expugnatione toarci ſuperior. Ferè apud omnes diuturnior eſt injuriarum memoria, quàm beneficiorum. Præterea neſcis, ſi renata ſit in filio paternæ nota perfidiæ. Quippe plures hodie generantur iniquitatis hæredes quàm virtutis. Tuis itaque timorem relinques & tremorem, ſi te juveni committis, in quo neceſſe eſt verearis ex parte perfidiam, levitatem ex annis, ex injuria ultionem. Audivimus enim venerabili Anglorum Regi, tuoq; avunculo, id quòd te facturum ſignificas, diſplicere altius, id ferre graviter, id conſtanter improbare. Sanè eorum aſpernari conſilium vicina dementiæ pertinacia eſt. Hi nimirum tuis providere commodis & affectu voluerunt, & ſenſu potuerunt. Fortaſſis autem dicis: *Votum vovi Domino, transgreſſionis arguar, ſi irritum facio votum.* Agnoſce, ô Princeps, quia tu quidem alligaſti te voto, ſed Dominus officio: tu viæ, ſed Dominus obedientiæ: viæ, qua ſanctorum memorias videas: obedientiæ, qua ſanctorum memoriis provideas. Appende ergo ſi tantus ſit fructus itineris, ut ſupplere poſſit intermiſſæ diſpendium obedientiæ. Quod ſi ita eſt, ſcutum depone, pro pera, baculum ſume pro gladio, feſtina egredi, & facundis adhære comitibus, qui juxta Salomonem per vehiculo in via tibi ſint. Si autem bonum adminiſtrationis longè majus eſt, & elegantius, quod inficiari nemo prorſus audebit, ſede in palatio, diſpone de ſuffragiis afflictorum, & ut omnes tibi vivant vive omnibus: Vive reipublicæ, noctes illi præſtans & dies; judicium curiæ tuæ dictet æquitas non acceptio perſonarum. Teipſum legibus amore ſubjectos Rege. Eſto tuorum cenſor, cum ignoveris exceſſit alienis. Inſontes minimè patiaris impunè lædi, tu impunè læſus. Iniquitatis ultionem inter ſplendidiores triumphos enumeres: ſanguinem nec ſine cauſa, nec libenter effundas: dole & quoties illum effuderis, quem lex judicat effundendum. In omnibus reverenter exercere poteſtatem. Da gloriam Deo, cum feceris aliquid glorioſum. Super omnia pauperibus adeſſe memineris, & Eccleſiis, quibus plerunque boni Principes proprio ſanguine quietem emerint & pacem. Ex tuis autem miniſtris neceſſe eſt divinam metuas indignationem, qui circa eoſdem pauperes & ſanctuarium Dei quicqu d impiè volunt, impunè agunt. Per hujuſmodi bonos Principes, ſed pravos habentes miniſtros, Scriptura nunc Scyllam, nunc Harpyas appellat. Etenim Scylla facie humana, ſed caninis capitibus accincta deſcribitur, Harpyæ vultum habent virgineum, unges rapaces. His quidem boni Principes comparantur, ipſi crudelitatem abhorrentes, de injuriis proximorum conquerentes, hominem manſuetudine & miſericordia exprimentes. Cæterum Miniſtri eorum odoratu, prædæ canibus rapacitate ſimiles ſunt, unguinibus

Harpya-

Harpyarum. Tu itaque pro voto rapacitatem atque exactiones tuorum compesce, quas pauperum clamor, & orphanorum gemitus, & lachrymæ comitantur viduarum. His tibi,si nescis,thesaurizatur ira in die iræ, & revelationis justi judicii Dei,quæ reddet unicuique secundum opera sua. Qui enim malum cum possit non corrigit,quia malefactori consors est,in culpa,consors erit & in pœna. Sicut ergo præsenti pagina commoneris utere tuorum consilio amicorum, utere meo domi sedens pauperum subsidiis insistens, loca sanctorum non desiderans intueri, sed tueri satagens, nec circumferri per memorias lapidum,sed circumferre memoriam virtutum. Idem Hildebertus monuit Papam Honorium, ne temerariè quasvis Appellationes accipiens, vim judiciorum & authoritatem Episcoporum imminuat. Honorio Dei gratia excellentissimo ac reverendissimo Patri suo, sanctæq; Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Hildebertus humilis Turonorum Minister debitæ integritatem obedientiæ. Philosophus ait, colere officiis,non exasperare verbis omnem potestatem, ideo cumulatis precibus exoro, ne vos, reverende Pater, præsens scriptum exasperet, aut velitis de necessitate præsumptionem figurare. Etenim necessitate scripsi, eodem quo sum læsus jaculo, lædi metuens Ecclesiæ sospitatem. Bonam spem gero in sinu meo, quia scribens pro justitia,gratiam Patris non amittam. Quaslibet ergo appellationes in Rom. vigere vel suscipi Ecclesia,cis Alpes auditum non est,nec in sacris traditum institutis. Quid si fortè hujusmodi emiserit novitas,ut placeat omnem indifferenter admittere appellationem, Pontificialis peribit censura, & omnimodæ comminuetur Ecclesiasticæ robur disciplinæ. Quis enim raptor ad solam anathematis comminationem appellabitur? Quis Clericus aut quis Presbyter frustratoriæ appellationis refugio non patrabit, aut etiam sepeliretur in stercore suo? Quis Episcopus habebit in promptu,non omnem dico,sed aliquam ulcisci inobedientiam? Ejus virgam quævis appellatio grassabit, solvet constantiam,severitatem emolliet adducens & illi silentium,& reis impunitatem delictorum: Sic fiet,ut sacrilegia,rapinæ, fornicationes, & adulteria pernicioso inundent incremento, cum præsul ad superfluas appellationas clauserit ora, & desierit persequi pejorum persecutiones locorum, cum punire manifestum Sacerdotum immunditiam,cum viduarum injurias ulcisci & orphanorum. Dilatione nimirum censuræ facinora fovebuntur,& venient in profundum iniquitatis impunè delinquentes. Præterea,quis Evangelicum illud implebit præceptum, exi citò in plateas & vicos civitatis,& pauperes, ac divites, cæcos & claudos compellet,ut intrent. Quis cæcum vel claudum intrare compellet, si cæcus vel claudus dum compellitur appellat? Denique pro delicto Heli nullus Pontificum punietur, quomodo appellationis excusationem suam quisque defendet offensam? Hinc erit qui Saulum sævientem percutiat, qui Mosis animadversionem imitetur, qui gestet gladium Phinæes, qui misericordiam Domino cantare prævaleat? Exempla quidem censuræ semper juvere: æmulatores ejus quælibet appellatio sepeliet, & vivos. Sanè parva est mihi scientia,& exilis: quæ si, juxta Iob,

inter aquilas in præruptis habitantes cum pullis eorum ſanguinem lambit, ſatis eſt. Non erubeſco meam vel accendere, vel profiteri menſuram. Inter cæteros tamen Sacerdotes ad me pervenit, quas appellationes Ciſalpina ſuſcipit Eccleſia, quas etiā ſine offenſione ſedis Apoſtolicæ renuit & abierit. Accepi enim, & univerſitas Eccleſiæ prædicat, quod gravatis judicio ſubventus appellationis debeatur. Accepi quòd ſuſpectos habens judices aut infeſtos, quòd formidans temerariæ vim multitudinis eodem remedio poſſit ac debeat ſublevari. Vnde & in Decretis Cornelii Papæ capitulo ultimo taliter Eccleſiæ traditum eſt: Si quis judicem adverſum ſibi ſenſerit, vocem appellationis exhibeat, quod nulli oporteat negari. Item in eodem: Nullus Sacerdotum cauſam ſuam alieno committat judicio, non ad Apoſtolicam ſedem fecerit appellatum: ſed unuſquiſq; cum provinciales judices ac notos habeat, niſi aliquam vim temerariæ multitudinis illic timuerit, aut infeſtos vel ſuſpectos judices habuerit, pro quibus cauſis ad minoris authoritatis judices & ad alias Provincias appellare & venire conceſſum eſt. Audivi etiam alias quoque appellationes eſſe, ſed *moratorias*, nec omnino recipiendas, de quibus in ſacris legibus his legimus verbis. Quicunque enim confidentis juſtæ cauſæ, ſed cauſa afferendæ moræ, ne contra eum ſententia proferatur, appellaverit, vel ſi de facto, conſenſus ne abdicatur, appellare voluerit, hujuſmodi appellationes non recipiuntur. Et quidem videntur mihi plures talium ſpecies appellationum, quas ſic prudens judex, ita ut neceſſe eſt, diſcernat, ut circa judicandos in omnibus debitam ſervet æquitatem. Porrò ea quæ prærogativam obtinent, ſicut parvitati meæ miniſtravit authoritas perſtrinxi. Quæ ſi plura ſunt etiam uſque ad tempus cathedræ veſtræ ſub Apoſtolica cucurrere vigilantia. Confiteor non tranſgrediendum quidem eſſe terminos, quos poſuerint patres noſtri. Moratorias autem appellationes & ſuperfluas omnino elongandas eſſe à noſtra audientia: non ſuſtinendum in horto Domini plantari toxicum mortis, quo ſubventus afflictorum morietur, quo Pontificialis rigor elanguebit, quo juſtitiæ parſimonia in nihilum revertetur, incrementum ſuſcipiet ubertas delictorum.

CLXV. Calixtus Papa.

CAlixtus Papa ſedit circa annum Domini 1120. Hunc non ideo adſcribo, quòd boni aliquid fecerit (extorſit enim omnino Conjugiū concionatoribus Germanicis & Anglicis) ſed quòd contra hunc alii ſcripſerunt, quos nominare non poſſum; Carmina tamen vetuſta invenio, quæ hic ordine adſcribam.

O bone Calixte, mundus totus prodit te.
Quondam Presbyteri poterant uxoribus uti;
Hoc deſtruxiſti, poſtquam tu Papa fuiſti;
Ergo tuum meritò nomen habent odio.

Item:

Item:

Prisciani regula penitus cassatur,
Sacerdos per hic & hæc *olim declinatur:*
Sed per hic solummodo nunc articulatur,
Cum per nostrum præsulem hæc amoveatur.
Ita quidam Presbyter cœpit allegare,
Peccat criminaliter qui vult separare,
Quod Deus conjunxerat, fœminam amare.
Tales dignum duximus fures appellare:
O quàm dolor anxius, quàm tormentum grave,
Nobis est dimittere, quoniam suave.
O Romane Pontifex statuisti pravè,
Ne in tanto crimine moriaris cave.
Non est Innocentius, imò Nocens verè,
Qui quo facto docuit, verbo vult delere:
Et quod olim juvenis voluit habere,
Modò vetus Pontifex studet prohibere.
Gignere nos præcipit vetus testamentum:
Novum quod non retinet, nusquam est inventum:
Præsul qui contrarium donat documentum,
Nullum necessarium his dat argumentum.
Dedit enim Dominus maledictionem
Viro, qui non fecerit generationem.
Ergo tibi consulo per hanc rationem,
Gignere, ut habebas benedictionem.
Nonne de militibus milites procedunt,
Et Reges à Regibus, qui sibi succedunt?
Per locum à simili, omnes jura lædunt
Clericos, qui gignere crimen esse credunt.
Nobis adhuc præcipit vetus Testamentum,
Quod nostræ jam legis est verax fundamentum,
Ut mares & fœminæ sciant instrumentum
Tale, per quod habeant prolis incrementum.
Zacharias habuit prolem & uxorem,
Per virum quem genuit adeptus honorem.
Baptizavit etiam nostrum Salvatorem,
Pereat qui teneat novum hunc errorem.
Paulus cœlos rapitur ad superiores,
Ubi multas didicit res secretiores:

Ad

Ad nos tandem rediens, instruensq́; mores,
Suas (inquit) habeant quilibet uxores.
Propter hæc & alia dogmata doctorum,
Reor esse melius, & magis decorum,
Quisq́; suam habeat, & non proximorum,
Ne incurrat odium, vel iram eorum.
Proximorum fœminas, filias & neptes,
Violare nefas est, quasi nil deceptes:
Verè tuam habeas, & in hac delectes
Diem ut sic ultimum tutius expectes.
Ecce jam pro Clericis multum allegavi,
Nec non pro Presbyteris multa comprobavi:
Pater noster nunc pro me, quoniam peccavi,
Dicat quisq́; Presbyter, cum suavi.

Hinc igitur, tametsi aliunde longè melius, apparet fuisse olim non paucos, qui pro Sacerdotum conjugio pugnaverint; sed frustra, vincente tandem ira Dei, & Romano Antichristo, cum suo Sodomitico cœlibatu.

* VVolfius Cent. XII. Lect. Memor. p 342.

CLXVI. *Theodoricus, Abbas S. Trudonis.*

THeodoricus S. Trudonis Leodiensis Abbas, floruit circa annum Domini 1120. insectatus multum est Romam, præcipuè ob Simoniam; non solum quod ob pecuniam dantur honores, sed etiam pro indignissimis dantur. Dicit, jam Romæ *Simonem Magum* pro *Petro* regnare. Sed adscribam paucos quosdam ejus versus, sparsim excerptos.

Ecce domum pacis, avis quatit impietatis.
Item: *Malleus argenti confringit ovilia Christi.*
Item: *Res nimis injusta, fit nummis Præsul & Abba.*
Item: *Cerne lupum Monachum.*

De pravo regimine Ecclesiæ inquit:
Vt Mopso Nisa, corvo datur ecce columba:
Qualis pullus erit, quem fert commixtio talis?
Et paulò post: *Quid non speremus, si nummos possideamus?*
Item: *Roma caput mundi, tu quondam talibus ultrix,*
Aut citius venias ultrices reddere pœnas:
Aut caput ut fueras, modò cauda victima fias:
Si sis venalis, quod quondam Numida risit.
Emptor non deerit: tu vendes, atque peribis.

Talibus

Talibus ipse Deus quondam cum reste minatur,
Mensas & sedes de sacris ædibus arcens,
Dic, sint Maranatha, Deus, hi: dic, sint anathema.

Hinc apparet, hunc bonum virum miserandum Ecclesiæ regimen & animadvertisse, & deplorasse, unà cum multis aliis bonis ac doctis.

* VVolfius Cent. II. Memorab. Lect. p. 321.

CLXVII. *Hugo de sancto Victore.*

HVgo de sancto Victore, dictus natione quidem Saxo, sed Abbas sancti Victoris Parisiensis, floruit circa annum Domini 1130. id est, ante 424. annos. Multa scripsit, multumq; & eruditionis & pietatis nomine à Trithemio laudatur. Is alicubi ita de Clericorum perditissima vita scribit: Clerici nostris temporibus legem nesciunt, nec discunt, sed vanitates; ocio, commessationibus, ebrietatibus student; terrena capiunt: assiduè in plateis, rarò in Ecclesiis; tardi ad investigandum culpam peccatorum, parati ad insequendum vestigia leporum; velociores sunt ad congregandum canes, quàm ad convocandum pauperes; citius porrigunt panem canibus, quàm pauperibus; citius extendunt manum ad taxillum, quàm ad Missæ librum. Ii sunt quorum thalamus ornatior quàm altaria, scyphus pulchrior calice, equus carior quàm Missale, mappa pulchrior casula, camisia delicatior quàm alba: imò quod horrendum est dicere, & nefarium, femoralia pulchriora quàm corporalia. Item Augustinus: Plus placet Deo latratus canum, & rugitus boum, grinnitus pecorum, quàm Clericorum cantus, lascivè & luxuriosè cantantium, ut placeant amasiis suis. Videte quam injuriam faciunt hi in templo Dei. Faciunt enim ex eo tabernam & domum tripudii, ubi solent lascivi cantus exerceri. Item: Restat ut prædicatio ejus condemnatur, cujus vita despicitur. Vnde licet agnoscere, qualis jam tum Cleri status moresque fuerint. Sed frustra est à tam multis doctis piisque viris reprehensus, quippe qui corrigi planè non velit.

* Alia testimonia subjicit Goulartius T. 2. lib. 15. p. 499, 500. VVolfius Cent. XII. ad Ann. 1130. p. 346.

CLXVIII. *Haymo.*

HAymo Archidiaconus Cantuariensis, teste Balæo, restitit quæstuosis Papistarum traditionibus, religionemque ad Apostolicam puritatem revocare videtur conatus. Differere enim solitus est, novos illos Pseudoprophetas iterum velle captivos ducere, in servitutemque redigere pios, semel à Christo Iudaica servitute liberatos. Qua ratione graviter offendit Papisticos Pharisæos. Floruisse putatur circa 1040. Domini annum.

CLXIX. Senatus Populique Romani Epistola ad Conradum Imper.

Ottho Fris. de gestis Frid.I.lib.1. c.28.fol.9, 10.

ROmani diu & acriter suam libertatem contra Papam defenderunt, nec libenter turpissimis Curtisanis paruerunt. Hortati sunt etiam Cæsares Germanicos, ut jus urbis à Papis extorquerent, nam prius non tantum Græci, sed & Franci Imperatores, quin & Saxonici Otthones eam in sua potestate habuerunt. Extat earum Epistola in Frisingensi, ad Conradum Imperatorem & Fridericum circa 1140. Domini annum, qua, cùm ad recipiendam Romanæ possessionem hortantur: dicunt, Papas semper Cæsaribus rebellare; dicunt æquum esse, ut quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddantur, & quæ Pontificis, Pontifici. Sed adscribam ipsam Epistolam.

Excellentissimo atq; Præclaro Vrbis & Orbis totius Domino, Conrado, Dei gratia Romanorum Regi, semper Augusto, Senatus populusq; Romanus S. & Rom. Imperii fœlicem & inclytam gubernationem.

REgali Excellentiæ per plurima jam scripta, nostra facta & negotia diligenter exposuimus, quomodo in vestra fidelitate permaneamus, ac pro vestra Imperiali corona exaltanda & omnimodo augenda quotidie decertemus. Ad quæ, quia Regalis industria, ut postulavimus, rescribere dignata non fuit, planè tanquam filii & fideles de Domino & patre, satis miramur. Nos enim quicquid agimus, pro vestra fidelitate & honore facimus. Et quidem regnum & Imperium Romanorum, vestro à Deo regimini concessum, exaltare atque amplificare cupientes, in eum statum, quo fuit tempore Constantini & Iustiniani, qui totum orbem vigore Senatus & Populi Romani suis tenuere manibus, reducere, Senatu pro his omnibus Dei gratia restituto, & eis qui vestro Imperio semper rebelles erant, quique tantum honorem Roman. Imperio subripuerant, magnâ ex parte conculcatis, quatenus ea quæ Cæsari & Imperio deberentur, per omnia & in omnibus obtineatis, vehementer atque unanimiter satagimus, atque studemus. Et ob hujus rei effectum, bonum principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem & justitiam omnibus eam volentibus observamus: fortitudines, id est, turres & domos potentum urbis, qui vestro Imperio unà cum Siculo & Papa resistere parabant, cœpimus: & quasdam in vestra fidelitate tenemus, quasdam verò subvertentes solo coæquavimus. Sed pro his omnibus quæ vestræ dilectionis fidelitate facimus, Papa Franiipanes, & filii Petri Leonis homines & amici Siculi, excepto Iordano nostro, fidelitate in vestra vexillifero & adjutore, Tolomæus quoque & alii plures undique nos impugnant, ne liberè, ut decet, Imperialem

rialem Regio capiti valeamus imponere coronam. At nos, quoniam amanti nullus labor gravis eſt, licet inde plurima damna ſuſtineamus, pro veſtro amore & honore gratanter patimur. Scimus namque, nos à vobis proinde præmium, ſicut à patre accepturos: vosque in eos, ſicut in Imperii hoſtes, vindictam daturos. Cum tanta igitur noſtra in vobis fidelitas ſit, tantaque pro vobis ſuſtineamus, precamur, ne ſpes iſta nobis deficiat, ne Regia dignitas nos veſtros fideles & filios deſpiciat. Neque ſi in Regalibus auribus aura ſiniſtra de Senatu & nobis flaverit, in eam intendat aut reſpiciat: qui enim de nobis veſtræ altitudini mala ſuggerunt, de veſtra & noſtra (quod abſit) diſſenſione lætari volunt, & utrosque (ut ſoliti ſunt) callidè opprimere moliuntur. Sed circa hæc, ne fiant, Regalis prudentia, ut decet, ſolicita ſit, & provida: reminiſcaturque veſtra ſolertia, quot & quanta mala Papalis curia, & dicti quondam cives noſtri, Imperatoribus, qui fuerunt ante vos, fecerint: & nunc deteriora vobis cum Siculo facere tentaverunt. Sed nos Chriſti gratia in veſtra fidelitate viriliter eis reſiſtimus, ac plures ex illis ab urbe, ſicut peſſimos hoſtes Imperii, ut ſunt, pepulimus. Appropinquet itaque nobis Imperialis celeriter vigor, quoniam quicquid vultis, in urbe obtinere poteritis, & ut breviter ac ſuccinctè loquamur, potenter in urbe, quæ caput mundi eſt, ut optamus, habitare, toti Italiæ ac regno Teutonico, omni Clericorum remoto obſtaculo, liberius & melius quàm omnes ferè anteceſſores veſtri, dominari valebitis. Sine mora ergo precamur, ut veniatis: & interim de ſtatu veſtro, quem ſemper deſideramus ſalubrem & proſperum, de his Regalibus literis ac nunciis nos lætificare dignemini. Sumus enim per omnia veſtræ voluntati ſemper obtemperare parati. Sciatis præterea, quia pontem Mylvium extra urbem parum longè per tempora multa pro Imperatorum contrario deſtructum, nos ut exercitus veſter per eum tranſire queat, ne Petri Leonis per caſtellum ſancti Angeli vobis nocere poſſint, ut ſtatuerant cum Papa & Siculo, magno conamine reſtauramus, & in parvo temporis ſpacio muro fortiſſimo & ſilicibus juvante Deo complebitur. ***Concordiam*** autem ***inter Siculum*** & ***Papam*** hujuſmodi eſſe accepimus. Papa conceſſit Siculo virgam & annulum, dalmaticam & mitram atque ſandalia: & ne ullum mittat in terram ſuam Legatum, niſi quem Siculus petierit, & Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento veſtro & Roman. Imperii, quod Dei gratia veſtrum exiſtit. Hæc omnia ſolicitè veſtra animadvertat, optime Rex, prudentia. Rex valeat; quicquid cupit, obtineat; ſuper hoſtes Imperium teneat; Romæ ſedeat, regat orbem.

Princeps terrarum ceu fecit Iuſtinianus
Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua præſul,
Vt Chriſtus juſſit Petro ſolvente tributum.

Nos de cætero Legatos noſtros precamur, ut benignè recipiatis: & quod vobis dixerint, credatis: quia ſcribere cuncta nequivimus. Sunt n. nobiles viri, Guido Sena-

 tor,

tor, Iacobus filius Sixti procuratoris, & Nicolaus eorum ſocius. At Chriſtianiſſimus Princeps, hujuſmodi verbis ſive veniis præbere aures abnuit; quin imò venientes ad ſe ex parte Romanæ Eccleſiæ viros magnos & claros, quorum unus Guido Piſanus, ejuſdem curiæ Cardinalis & Cancellarius erat, renovationemq; antiquorum Privilegiorum ſuorum poſtulantes, honorificè ſuſcepit, & honeſtè dimiſit.

Idem & coràm per Legatos, coràm cum Friderico I. Romani egerunt. Verùm cum viderent ſe fruſtra Cæſarum jam per civilia Germaniæ bella ac per Epiſcopos domitorum opem implorare, ipſi per ſemet nihilominus idem ſedulò egerunt. Quare creato Patricio, inſtiterunt acriter apud Lucium & Eugenium Papas, ut ſibi ſua vetera jura reſtituerent. Ipſum enim more antiquorum Sacerdotum, de decimis & oblationibus ſuſtentari oportere, aſſeruerunt. Nec tantum diſputationibus, ſed & armis certatum eſt duriter. Sed Papa tandem, adjuvantibus eum Tiburtinis, & aliis Romanorum hoſtibus, prævaluit. Sic Papæ, & eorum Epiſcopi, gregem Chriſti paſcere ſunt ſoliti.

CLXX. Fridericus Primus.

CIrca annum Domini 1154. cœpit regnare Fridericus Primus, qui & *Barbaroſſa* eſt vocatus. Conatus eſt is quoque libertatem Imperii à Pontificis tyrannide aſſerere; ac longo tempore, nempe fermè 30. annis, ſatis eſt eam fœliciter tutatus. Verùm tandem tranſegit mediocribus conditionibus cum Papa Alexandro. Operæ preciũ verò eſt, impudẽtiam *Papæ Adriani*, ex ejus propria *Bulla contra* hunc *Cæſarem* ſcripta cognoſcere, quam Aventinus ſuo operi inſeruit. Sic enim inquit:

Lib. 6. Ann. p. 506. *Interim Wilhelmus Rex Siciliæ, Dux Apuliæ, Princeps Calabriæ, cui ſuſpecta erat virtus Imperatoris, ſcilicet metuens, ne id mali nanciſceretur, quod olim evenerat Rogerio patri ſuo, Hadriano Epiſcopo Romano* clientelam Sacerdotiorũ, *ob quæ cum Innocentio, Eugenio, atq; cæteris Romanis paſtoribus ipſe & majores ſui hactenus armis decertarant, concedit.* Ambo *deinde* adverſus Imperatorem ſocietatem *ineunt. Hadrianus nodum in ſcirpo (ut ajunt) quærit.* Imperium eſſe beneficium Romani ſacerdotis, Auguſtum precariò duntaxat regnare *aſſerit. Extat E us ad Hillinum Treverorum, Arnulphum Moguntinum, Fridericum Agrippinenſem archimyſtam,* Epiſtola, *ex qua verba ipſius Hadriani ſubtexere operæ precium eſſe duximus.* Romanum (*inquit*) Imperium à Græcis translatum eſt ad Alemannos, ut Rex Teutonicorum non antè, quàm ab Apoſtolico coronaretur, Imperator vocaretur. Ante cõſecrationẽ Rex, poſt Imperat. Vnde igitur habet Imperium, niſi à nobis? Ex electione Principũ ſuorum habet nomen Regis, ex conſecratione noſtra habet nomen Imperatoris & Auguſti & Cæſaris. Ergo per nos imperat. Recolite antiqua. Zacharias promovit Carolum, fecit ei nomen grande, ut eſſet Imperator; & ut poſthac perpetuò Rex Teutonicus eſſet Imperator, & Advocatus ſedis Apoſtolicæ, ut Romano Epiſcopo Apulia

per

per eum paccata, esset subjecta, quæ nostra cum Vrbe Romana est, non Imperatoris. Romæ nostra sedes est, Imperatoris est Aquis in Arduenna, quæ est Sylva Galliæ. Imperator quod habet, totum habet à nobis: Sicut Zacharias transtulit Imperium à Græcis ad Teutonicos, ita nos possumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in potestate nostra est, ut demus illud, cui volumus; Propterea constituti sumus à Deo super gentes & regna, ut destruamus & evellamus, & ædificemus & plantemus, &c. *Deinde Germanos* imbelles *vocat*; *imbecillitatem illis objicit, qui Rogerium Italia pellere, Danos, Frisios perdomitare nunquam valuerint.* Et paulo post idem Aventinus de eadem re. *Mortuo igitur Victore, Alexandro Romam tenente; Imperator mense Majo, atq; quinquagenalibus apud VVuirzburgum, Conventum Episcoporum Senatusq; Imperii cogit. Coeunt frequentes Archimystæ, minores Pontifices, Præsides, Duces, Præfecti, Vidonem Pontif. Max. legunt*, Paschalemque *vocant. Fit Senatus consultum*, nullum posthac fore Pontif. Max. nisi qui more majorum consu Imperatoris creetur, *atq; nuncius duntaxat Christi, Successorq; Petri, non etiam Cæsareæ potentiæ pertinax æmulus esse velit. A singulis exactum juramentum, haud alium aut recepturos aut passuros Pontif. Max. perpetuò, etiam mortuo Imperatore.*

Sed dicamus sanè aliquid *ex Radevico*, qui *Appendicem Frisingensis* scripsit, de hujus dissidii origine, quo res tota melius intelligatur. Non enim tantum hic Fridericus, sed & majores ejus, qui Imperatores non fuerant, quod Frisingensis prolixè ostendit, semper Paparum furiosæ ambitioni, Cæsares oppugnanti, restiterant; nam & tempore Henrici IV. & V. soli fermè illi in extremis difficultatibus fidi Cæsari permanserant. Quare cum hic Fridericus aliquando Romam venisset, coronæ, ut opinor, causa, monstrataque ei à suis pictura in Laterano Palatio, quomodo Lotharius secundus à Papa coronaretur, cum horum versuum adscriptione: *Lib 3. c. 10. fol. 41.*

Rex venit ante fores, jurans prius Vrbis honores,

Post homo fit Papæ: sumit quo dante coronam; ægerrimè eam picturam tulit; nam Papæ *hominem* fieri, idem ei est, ac *servum* vel *subditum*. Quare egit sedulò cum Adriano, ut ea pictura tolleretur, ne causa alicujus dissidii esset. Verùm postea Papa, cum Cæsar in Germaniam discessisset, re cum suis deliberata, metuensque ne hic Cæsar nolit esse mancipium Papæ, ut proximi duo (Lotharius Secundus, qui Primus penitus se Papæ subjecerat, vir alioqui nec malus nec ignavus, & Conradus) statuit, eum ab illis suis generosioris animi motibus abducere, & monstrare eum revera suum subditum esse, & à se coronam ac Imperialem dignitatem accipere. Quare nactus occasionem captivitatis Leodiensi Episcopi, quem nescio quis cæperat, mittit ad eum superbam Legationem: simulatque se expostulare cum illo, quòd non liberet Episcopum ex captivitate, sed tamen interea sedulò & in literis & voce Legatorum ei inculcat servilis conditionis verba; nam ipsa primùm salutatio talis fuit: *Salutat vos beatissimus Pater noster Papa, & universitas*

Cardinalium: illi ut Pater, hi ut fratres. Quo ipſo volebant Legati indicare, eum perinde Papæ ſervum ac ſubditum eſſe, ac Cardinales. Deinde in literis ei objiciens enumerat Papa, quàm multa beneficia à Romana Eccleſia ſuſceperit; & inter alia dicit quoque, quòd plenitudinem dignitatis & honoris ab ea ſuſceperit. Cæſar & Principes facilè ſcopum Legationis cernentes, impatientiſſimè ambitionem tyrannidis Papæ tulerunt. Orta eſt de ea re acris contentio cum Legatis in conſeſſu Principum. Ibi exclamat unus ex Legatis: *Unde ergo habet Cæſar imperium ſi non à Papa?* Qua voce ita commoti ſunt Imperii Proceres, ut vix eos Cæſar cohibere, ne manus in Legatos injicerent, potuerit. Quare Legatos illos parum honorificè habitos, mox dimittunt, ſeveriter interminantes, ne uſquam ad quenquam de via divertant. Ne verò quis putaret aliquid eis præter meritum accidiſſe, indeq; motus aliquis oriretur, mittit Cæſar cum Proceribus literas per totum Imperium, quibus rei ſeriem indicaret. Sed adſcribam eas literas; ſunt enim in primis dignæ quæ cognoſcantur.

Fol. 41, 42. CUm divina potentia, à qua omnis poteſtas in cœlo & in terra, nobis Chriſto ejus, regnum & imperium regendum commiſerit, & pacem Eccleſiarum imperialibus armis conſervandam ordinaverit, non ſine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni veſtræ, quòd à capite S. Eccleſiæ, cui Chriſtus pacis ac dilectionis ſuæ characterem impreſſit, cauſæ diſſenſionum, ſeminarium malorum, peſtiferi morbi venenum manare videntur. De quibus, niſi Deus avertat, totam corpus Eccleſiæ commaculari, unitatem ſcindi, inter regnum & Sacerdotium ſchiſma fieri pertimeſcimus. Cum enim nuper in curia Biſuntii eſſemus, & de honore Imperii & ſalute Eccleſiarum debita ſolicitudine tractaremus, venerunt Legati Apoſtolici, aſſerentes ſe talem Legationem noſtræ afferre Majeſtati, unde honor Imperii non parvum accipere deberet incrementum. Quos cum prima die adventus ſui honorificè ſuſcepiſſemus, & ſecunda (ut mos eſt) ad audiendam Legationem eorum cum Principibus noſtris conſediſſemus, ipſi quaſi de mammoma iniquitatis iuflati, de altitudine ſuperbiæ, de faſtu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione, Legationem Apoſtolicis literis conſcriptam nobis præſentaverunt, quarum tenor talis erat: Quòd præ oculis mentis ſemper deberemus habere, qualiter Dominus Papa inſigne imperialis coronæ nobis contulerit: neque tamen pœnitentia moveretur, ſi majora excellentia noſtra ab eo beneficia ſuſcepiſſet. Hæc erat illa paternæ dulcedinis Legatio, quæ unitatem Eccleſiæ & Imperii confovere debuit, quæ vinculo pacis utrumq; colligare. Ad vocem illam nefandam, & omni veritate vacuam, nō ſolum imperialis majeſtas debitam indignationem concepit: verùm omnes Principes qui aderant, tanto furore & ira ſunt repleti, quòd ſine dubio illos duos iniquos Presbyteros mortis ſententia damnaſſent, niſi hoc noſtra intercepiſſet præſentia. Porrò quia multa paria literarum apud eos reperta ſunt, & ſchedulæ ſigillatæ, ad arbitriū eorum ſcribendæ adhuc, quibus ſicut hactenus

nus consuetudinis eorum fuit, per singulas Ecclesias Teutonici Regni conceptum iniquitatis suæ virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare nitebantur, ne ultra procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via ad Vrbem eos redire fecimus. Cumq́, per electionem Principum à solo Deo regnum & imperium nostrum sit; qui in passione Christi filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subjecit: cumque Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit: DEUM TIMETE REGEM HONORIFICATE: quicunque nos imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, divinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacii reus erit. Quia verò hactenus honorem ac libertatem Ecclesiarum, quæ jam diu indebitæ servitutis jugo depressa est, à manu Ægyptiorum studuimus eripere, & omnia eis dignitatum suarum jura conservare intendimus, universitatem vestram super tanta ignominia nobis & imperio condolere rogamus; sperantes, ne honorem Imperii, qui à constitutione Vrbis, & Christianæ Religionis institutione, ad vestra usque tempora gloriosus & imminutus extitit, fidei vestræ indivisa synceritas tam inaudita novitate, tam præsumptuosa elatione imminui patiatur: sciens omni ambiguitate remota, quòd mortis periculum antè vellemus incurrere, quàm nostris temporibus tantæ confusionis opprobrium sustinere.

Ea (ut putabant) injuria Cæsaris Papa commotus, furere, ac Cæsarem insectari cœpit, tuncque, ut opinor, illas literas, quas supra ex Aventino apposuimus, scripsit. Radevicus alias itidem *ad Episcopos* scriptas recitat, in quibus accusat Cæsarem & jubet Episcopos eum cohibere, illi contrà respondent humiliter quidem Papæ; sed tamen simul & Cæsarem diligenter excusant, & Papam accusant, eumq; ad scribendum alias molliores literas, mittendamq; modestiorem Legationem hortantur, quod & fecit Papa, quandoquidem vidit se tunc haud facilè prævalere posse. Sed adscribam & alium locum ex eodem Frisingensi, unde appareat, eum satis liberè ac severiter cum Romanis harpyis egisse. *Iidem etiam Cardinales, permissu Principis* Burchhardũ Eistetensem *senio gravem de inutilitate causantes, itidem submovere. Dumq́, post hæc in Magdeburgensem & quosdam alios sententiam ferre cogitarent, à Principe inhibiti, & ad propria redire jussi sunt.*

Ea tempestate Eugenius Papa, vir justus & religione insignis, ab hac luce transiens, Anastasio homini veterano, & in consuetudine illius curiæ exercitato, sedem reliquit. A quo dum Cardinalis quidam Gerardus nomine, ad terminandam Magdeburgensis electi causam missus fuisset, ac Principem in eadem Civitate natale Domini celebrantem adiisset, cum quædam ibi secus illius nutum tractare vellet, indignationẽ ejus incurrens, infectis negotiis pro quibus venerat, mandatis sævioribus ingloriè redire coactus, in via etiam vita decessit. Verùm Princeps missis ad Anastasium cum Guicmano nunciis, nõ sine quorundam scandalo, qui ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere, à proprio ipsorum ore audierant: Ex hinc-

hinc non ſolum in ſecularibus, ſed & in Eccleſiaſticis negotiis diſponendis, authoritas Principis plurimùm crevit.

Sed adſcribamus ſanè ex eodem Radevico & alia quædam ejus dicta; ſunt enim admodum memorabilia, & digna ſcitu.

Ex Appendice Radevici ad Otthonem Friſingenſem, Lib. 4. Cap. 34.

Fol. 66. LEgatos (Cæſar Fridericus inquit, Papæ Legatis reſpondens) *ab Imperatore ad Vrbem non eſſe mittendos Papa affirmat, cum omnis Magiſtratus inibi beati Petri ſit, cum univerſis regalibus. Hæc res, fateor, magna eſt, & gravis graviorique & maturiori egens conſilio; nam cum divina ordinatione* Ego Romanus Imperator, *& dicar, & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & inane utique porro nomen, ac ſine re, ſi urbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa.* Ex eodem libro, Cap. 68. *Deinde convocato in unum Concilio, cum reſediſſet Auguſtus, ait ad Epiſcopos: Quamvis noverim, officio ac dignitate Imperii penes nos eſſe poteſtatem congregandorum Conciliorum, præſertim in tantis Eccleſiæ periculis (hoc enim & Conſtantinus, Theodoſius, nec non Iuſtinianus, ſeu recentioris memoriæ Carolus Magnus & Ottho Imperatores feciſſe memorantur) authoritatem tamen diffiniendi hujus maximi & ſummi negotii veſtræ prudentiæ, veſtræque poteſtati committo.*

Fol. 76.

Hactenus de Friderico I. ſeu Ænobarbo adnotaſſe, contra Romaniſtarum furores, ſatis ſit; neque enim hiſtoriam ejus texere, noſtri inſtituti eſt.

CLXXI. *Fridericus II.*

Aventini narrationes de Friderico II. FRidericus ſecundus Imperator, omni planè laude tum forenſi tum bellica teſtimonio multorum ſcriptorum digniſſimus, cœpit imperare circa annum Domini 1213. Is non tantum in Europa, ſed & in Syria, recuperata Hieroſolyma, & multis aliis circumvicinis locis præclarè ſe geſſit. Verùm tanta virtus à Romaniſtarum dolis, impietate, ac nefariis conſiliis tuta ac libera minimè eſſe potuit, quin repetitis vicibus oppugnaretur. In Vrſpergenſi, quædam ejus ſcriptoris teſtimonia de hac re ſunt recitata. Verùm nunc & ex *Aventino* aliquot loca, ac præſertim ea quæ non tantum impios Papæ conatus indicant, ſed & ſententias Epiſcoporum, aut aliorum de illis nefariis Antichriſti conatibus recenſent, adſcribemus.

Annal. lib. 7. p. 525. Vbi anno eodem Auguſta filium peperit, cui avi Friderici nomen parentes dixere, Albertus à Bogen, qui in Apulia exulabat, poſteaquam hoc accepit, ad Imp. ob recens natum hæredem lætabundum cum ſuppliciis ſe confert; veniamque non ſolum ſibi impetrat, ſed & dignitatem & honorem, & ſibi & Ottocaro Bojemo recuperat; ambo edicto reſtituuntur. Philippus cum ſponſa ſua in Germaniã migrat, Auguſtæ in Rhetia regio cultu magnificè nuptias facit. Convenere frequentes Prin-

Principes Imperii, filium Augusti in cunis adhuc vagientem *Cæsarem* declarant, eidem fidem tabulis signatis astringunt.

Eadem tempestate plerique Principes finem vivendi faciunt. Henricus Brunsvvicensis, nepos Imperatoris Lotharii, Saxonia atque Bojaria pulsus; Fridericus Bardus, patruus Ludovici Bojorum Ducis, apud Nariscos in Ensdorf sepultus; Henricus ex Machtilda Anglia tres mares tulit, Henricum, Otthonem, & VVilhelmum, authorem regulorum Brunonis vici. Haud ita longo tempore in Sicilia mortem obiit Imperator, relicto filio impubere, confestim parricidali discordia orbis Christianus affligitur; duo pro imperio, authore & Antesignano primario sacerdote, decertant: Philippus frater Imperatoris, tutor nepotis impuberis, à Ludovico Bojo, sociis ejus Suevis, Noricis, Vindelicis, Cæsar salutatur. At Saxones, Bojemi, instigante Innocentio tertio Romano Episcopo, qui eos Sacramento, quo Friderico infanti authoritati erant, solvit, præterea Richardi Regis Angli pollicitis inescati amitimum ejus Otthonem, filium Henrici undecimi, Saxonia atque Bojaria exacti, nepotem Henrici Noni, itidem Bojariæ atque Saxoniæ regno deturbati, pronepotē, ex filia, Imperatoris Lotharii, rebus imponunt. Eum Angli pecunia adjuvant. Philippo Rex Occidentalis Franciæ fautor adest. Ita Germania civilibus armis, *Pontifice Max. classicum tenente*, attrita est. *Et paulo post.*

Hactenus Episcopi, Sacerdotes, Monachi, sacratæ fœminæ, ocio literario addicti, scribendis libris, uti apparet in Bibliothecis, operam navarant. Prophani, qui Sacerdotes collocupletarant, prædia Sacerdotalia administrarant, eos *Conradus* quoque *Reginoburgensis Episcopus* ex Asia reversus, à curatione Ecclesiasticarum opum Deo dicatarum, devotarumque superis, amovere viconnititur. *Eberhardus Archimysta Bojorum*, ob clientelam & parochiam Vtinensem cum Duce Bojorum digladians, socia arma collegis suis jungit, atque de improviso conjunctis copiis, nemine resistente, fines Bojariæ invadunt, castella expugnant, omnia cæde, incendiis complent, Templa expilant, nec ab aris atque sacris manus sacrilegas, egregii sanè Pastores, abstinent; oves quas pascere deberent, more luporum sub magna superficie pietatis devorant; & ne omnino res divinas floccifacere videantur, magno Religionis supercilio Chunegundam Augustam albo superum ascribunt. Mox vetus & æternus Pastor gregem suum ulciscitur, Fruxinum atque Iuvania cum templis conflagrant. Conradus Regionoburgii eodem anno animam efflat. Ludovicus Teispach inferioris Bojariæ regiam, quæ Episcopo Reginoburgensi parebat, obsidet, oppugnat, insidiis capit, mœnia solo æquat, fossam explet. Philippus Episcopos ab armis discedere jubet. Conradum filium, Conradi Phrontusii atque Medulli oppidorum Bojariæ dynastæ, Pontificem Reginoburgensem: Eckbertum ab Andechs, adhuc impuberem, fratrem Henrici Histriæ atque Carnorum Præfecti, Episcopum Bambergensem legit, deinde adversus Otthonem pugnat. Spectante itaque atque *concitante Romano Sacerdote*, Philippus & Ottho cognatas

Pag. 526.

acies committunt, frater adversus fratrem, filius adversus parentem confligere cogitur, atque invicem sanguine se polluunt. Argentoratum, Aquæ Graneæ, Agrippinensis Colonia, Erdfurdia, pleraque alia oppida obsessa; cuncta luctu, cæde completa sunt. Quis aliam tantæ discordiæ inter Christianos causam attulerit, nisi Romani Episcopi spectaculum quasi paria componentis? Populus Christianus mutuis se vulneribus cohortantibus flaminibus Romanensibus, contrucidavit. *Item*
Pag. 531. *paulo pòst*: Dum hæc in Asia geruntur, *Gregorius Nonus Pontifex Max.* qui Honorio tertio successerat, suspectam habens potentiam, prudentiam, fœlicitatemque Friderici (sicuti in quadam Epistola refert) adversus Augustum cum Italis ac Longobardis conspirat, Imperatorem devovet. Romani indignitate rei commoti, Pontificem urbe pellunt, qui triplici agmine fines Campaniæ hostili animo invadit. Nec hoc contentus, Henricum Cæsarem missis Legatis adversus Patrem conspirationis valentissimæ Principem facit. Henricus sub idem tempus Haganoiæ brumales ferias celebrabat. Ludovicum Bojorum Ducem, Rhenanumque Præfectum (invidia semper virtutum Comes est) quòd eloquentia & prudentia, pietateque in Augustum nulli secundus foret, hactenus omnium consiliorum secretorumque participem, curatoremq; à Patre sibi quasi ad regendum puerum datum, curia atque Senatu amovet. Is ubi animum Cæsaris abs se alienatum esse, & iniqua agi, parricidialiaque iniri consilia sentit, cum Otthone filio clam secedit, in Bojoriamque migrat. Subsequitur Cæsar, Bojoriam ferro, igne depopulatur. Ludovico nequaquam ne minimo quidem digitulo contrà nitente. Interim Augustus pacata Syria atq; Palæstina, quas quindecim annis possedit, in Apuliam redit, ubi fines regni ab Episcopo Romano armis occupatos, seq; per omnium flaminum Religiones devotum offendit. Quamobrem literis per universum orbem Christianū missis, acriter in Romanum Pontificem invehitur: fraudes, astutiam, acerbitates, injuriam, tyrannidem ejus commemorat, injustitiæ, impietatis eundem accusat. Germaniæ,
Pag. 532. maximè Bojorum & Noricorum Principes atq; Episcopi, Berchtholdus patriarcha Aquilejæ ex Bojaria ab Andechs & Damasia oriundus, frater ejus Otthо Dalmatiæ atque Histriæ regulus, Eberhardus archimysta Bojorum, Sigefridus Reginoburgensis Pontifex, Bernhardus Charionum, Luitpoldus Austriacorum atque Stiriorum Rector, Venetias, inde Romam proficiscuntur, Sacerdotem Primarium appellant, modestiæ Christianæ boniq; Pastoris officii commonefaciunt, eundem & Augustum in gratiam redigunt. *Idem paulo pòst*:

Pag. 535. Rursus crimina, factiones, fraudes, scelera, cædes, bella civilia, (quibus omnia divina humana commixta, Respublica Christiana discordiæ malis contusa, prædæ paucorum libidini facta est) comemorare cogor. Quod quàm molestum, quàm arduum mihi sit, quisq; veritatis amator, Christianæq; simplicitatis cultor, rerumque humanarum peritus, suo ingenio metiatur. Equidem nullius obtrectator, aut adulator sum; sicut lex historiæ postulat, libero ore loquor; id quod non fecisse L. Sisennam,

ſermam, primus Romana Criſpus in hiſtoria carpit. *In libera Civitate*, inquibat Imperator Tiberius, licet mortalium triſtiſſimus, *linguam, mentes liberas eſſe debere.* Hoc profectò magis in hiſtoria, quæ veritatis ſcrinium atque Interpres eſt, exigitur. Haud unquam mihi credibile fuiſſet, tantam vecordiam cuiquam hominum ineſſe, niſi *autographa* nactus forem, pudet explicare verbis, quæ illos non puduit facere. Quàm pauciſſimis potero, & quatenus ad Bojariam (in qua hæc primùm ſcintilla Landshutæ exarſit) attinet, ſummis duntaxat (ut ajunt) digitulis rem attigero. Imperatorem Fridericum ſecundum Cæſarem Auguſtum, haud dubiè ſecundum Carolum Magnum, potentiſſimum utiliſſimumq; reipublicæ Chriſtianæ, atque ſine controverſia ſapientiſſimum Principem fuiſſe, Nicolaus Cuſa, Epiſcopus Brixinenſis flamen Romanus, vir undecunque doctiſſimus teſtis eſt: atque Ægidius Romanus, Bituricenſis in Gallia Pontifex, Philoſophus, atque Peripateticus inſignis, qui in libris quos ſcripſit de inſtitutione regia ad Franciæ Occidentales Imperatores, hoſce ad illius exemplar properare cohortatur. Idem Fridericus libros Ariſtotelis omnes, pleraque alia in ſacris prophanis literis, univerſam ſuppellectilem philoſophiæ (quam, ut ait Albertus Magnus, inopia linguæ Latinæ à divitiis aliarum linguarum emendicare cogitur) ex Græco atque Arabico ſermone per Interpretes doctiſſimos vertendam curavit, Athenæis legendam exhibuit. Quibus rebus ſe à teneris unguiculis oblectatum fuiſſe profitetur. Levoniis, Æſtriis, Pintziis, Sennogaliis, accolis Venedi atq; Codani in Germania atque Sarmatia Europæa, quòd exploſo faſorum Deorum cultu pietatem Chriſtianam receperint, Privilegia, immunitates, Civitatemque Romanam donat. Ejus potentia, vires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, vicinitas (nam in Italia contra morem veterum Imperatorum habitabat, Germaniam egreſſus) formidoloſa atque ſuſpecta fuere Romano Sacerdotum Senatui.

Quod Gregorius Nonus Pontifex Maximus non it inficias, ſed ingenuè fatetur. Viſum eſt *flaminibus Romanenſibus, Imperium Germanum magis florere, quàm ipſis utile foret.* Placuit id contundere, atque diſcordia non ſolum debilitare, ſed in cinereres quoque atque favillas redigere, & Fridericum huncce à faſtigio rerum humanarum deturbare. Quod haud temerè per Pontifices Germaniæ, tum longè Reipublicæ literarumq; ſtudioſiores, proinde prudentiores, fieri licebat. Etenim eadem adhuc tempeſtate Epiſcopi, atque in univerſum Sacerdotes amantiores artium atq; boni publici, ac nondum ſervituti obnoxii erant, non ita (ut nunc) fugitantes laborum, ſocordiæ, inertiæ, ocio atq; voluptatibus devoti erant: ſapientiæ operam dabant libris incumbendo. Chriſtũ amando, oves ſedulò paſcendo, Remp. procurabant, Chriſtianæ concioni conſultabant. Ipſi ſacra cuncta atq; munia obeuntes, populum docebant. Atq, hujuſcemodi ſacerdotia atq; Pontificatus fuiſſe primũ beneficiũ Cæſarũ atq; Imperatorũ & principum noſtrorum·deinde ab Imp. Henrici V. tempore comitiis calatis atque curiatis viritim ſuffragiis latis, lectos

 eſſe

esse communiter à populo Sacerdotibusque universis communes animarum Pastores: demum Friderici hujus ætate, excluso populo, cæterisque sacrificulis duntaxat à Mystis imponi Pontifices cœptum esse, suprà explanavimus. Eas ob causas illius tempestatis Episcopi in titulis, initiis Epistolarum atq; Decretorum, non, uti
Pag. 563. nunc fit, ascribunt, *Apostolicæ sedis gratia* nimirum favore humano, sed more Pauli, *clementia* duntaxat *divina* id munus atq; donum acceptum referunt. Ita enim cœpisse Epistolas, senatusconsulta, placita, rescripta, exempli gratia, reperio: *Sigefridus sola miseratione divina Reginoburgensis Episcopus.* Non licebat tum Romano Pontifici, absq; illorum, utpote venerabilium fratrum suorum consilio, in cujusquam provincia quicquam attentare: nempe illi meliùs sui gregis mores cognoscebant, à Deoque se, non ab hominibus destinatos existimabant. Si quippiam peccatum aut temerè actum fuerat, quod coarguendum foret, id primum ad suum gregis pastorem referebatur, isque primùm cognoscebat, Romanus duntaxat admonebat: cuncta jure, lege, bonorum virorum ex provincia arbitratu, & more majorum, ex communis consilii popularium Sacerdotum decreto agebantur. Nihil tumultu, armis, vi, dolo malo, potentia, seditione, unius paucorumve, pessimorum etiam temeritate, atque libidine gerebatur. Hoc institutum tollere & antiquare, Episcoporum authoritatem labefactare, ad unius cuncta potestatem redigere complacitum est. Nec enim aliter Fridericus opprimi poterat, quem illi suum charissimum atque pientissimum Principem propalàm prædicantes nequaquam salvo rerum Statu deserturi videbantur. Primus enim Imperatorum, sicuti & in libris Pontificalibus legimus, & diplomata ostendunt, Fridericus ille secundus tanta immunitate Sacerdotum genus condonavit, qua mox adversum eum abusi sunt Romanenses. *Item*
Pag. 537. *paulo pòst.* Hæc ubi ritè peracta sunt, *tribus diplomatibus* (hoc est, ut vocant, Bullis) nonus ille instruit. *Primum* dat ad universos Christianos, *bestiam* Fridericum appellat, *parricidii, mendacii, crudelitatis, perjurii, sacrilegii, impietatis perfidiæ accusat*: nihil prætermittit, quod ab hoste proficisci, & irato animo dici potest, ut Augusto invidiam concitet; eundem malè sentire de Christo Domino Deoque nostro de mysteriis Religionis nostræ asseverat; Sacramentorum eidem consuetudinem objicit, ejusdem triumphos atq; victoriam calumniatur. Huc omnes versutissimum nervos intendere asserit, ut Romano Pontifice atq; flaminibus ad summam inopiam atq; egestatem redactis, & ita omnino oppressis, philosophiam Christianam penitus exibilet atque explodat. Ideo indignum esse, cui Christianus pareat. Eundem more majorum per omnium Sacerdotum Religiones devotum, eidem sacris interdictum; universos Sacramento, quo ei astricti fuere, ex consilii decreto, sententia sanctissimorum Ecclesiæ magistrorum exautoratos esse declarat: donec ille resipiscat, atque secum in gratiam redeat. *Item paulo pòst*:

Diploma primũ Gregor. IX. contra Fridericum II.

Pag. 539. Porrò Ranerius inter hæc, adversus Cæsarem diplomata Sigefrido Episcopo Reginoburgensi, Imperatoriæ aulæ Cancellario mittit, præcipit ut renunciet. Ille

surda

ſurda aure tranſit. Mox Ranerius D. Hemerani, Pruveniæ, atque Prulæ, quæ in agro Reginoburgenſi cubant, imperat, ut Epiſcopum cum Symmiſtis devotum pronuncient, & hi parere recuſant. Omnes impudentiam hominis irrident, & quid omnino leviſſimo & ſuperſtitioſiſſimo Gallo in Germania negocii ſit, aut etiam Romano Pontifici, inconſultis Collegis ſuis Epiſcopis Germaniæ, rogant, ſtomachantur, iraſcuntur tantas turbas concitari, diſcordias ſeri vociferantur, libertatem Chriſtianam opprimi: gregem ſanguine Dei redemptum, in ſervitutem à falſis paſtoribus redigi. Ranerius ultrò citrò miſſis nunciis, ſumptus fecerat, mutuò pecuniam à mercatoribus Senenſibus juſſu Pontificis acceperat, æs alienum conflaverat. Sigefridum ſuperiorem, ejus myſtas, ad urbem Trecaſſiorum in Galliam haud longè à Lutetia Pariſiorum edicto evocat: atque ubi præſtò non fuere, condemnat: & ut æs alienum à ſe contractum, Ranerio, Orlando, Bartholo, Leoni, civibus atque negotiatoribus Senenſibus diſſolvant, pronuntiat. Quod cum facere ſuperſederent, à præpoſito Aichſtetenſi & Rebdorffenſi, juſſu Otthonis reguli Boiorum, inſtigante Alberto devoventur Kal. Novembribus. *Item paulò poſt*: Hisque ita inſtructis, omnes regiones tonitru concutit; Boios Suevis, Boiemos Miſnenſibus, Auſtriacos Moravis, Saxones Turogis, univerſos inter ſe quoque viciſſim committit, diplomata omnibus Epiſcopis Germaniæ mittit; nemo Epiſcoporum paret. Iubet Monachorum patribus, ut Epiſcopos devoveant. Nec illi dicto audientes ſunt. Imperat, ut myſtæ alios Epiſcopos, Monachi alios præſules ex ſe ſuoque Conſilio, niſi hi obtemperarent, legant. *Nemo non miratur novitatem exempli, nunquam antehac tentati, nedum facti.* Nuſquam benignè audita eſt legatio. Cuncti fremere, indignari, ſtomachari cœperunt: hominis temeritatem, cujus vitam ac mores probè noſſent, deteſtabantur. Omnia tumultu in Germania complentur: indigniſſimum facinus fas atque æquum clamitant, Romanum incœptare Epiſcopum. Conradus Fruxinenſis Epiſcopus ad Imperatorem provocat, nullum jus Romano Flamini abſque conſenſu Pontificum Germaniæ eſſe in Germania pro palàm docet: Suos, inquit, Romanenſis Sacerdos paſcat Italos, nos à Deo conſtituti canes, à noſtris ovibus lupos ovina pelle tectos arcebimus. Quid aliis facturus ſit, hinc diſcite, ſi nos fratres ſuos & Collegas, ille perſonatus Vicarius ita accipiat. *Item paulò poſt*: Epiſcopi non ſolum ejus mandata in dubium revocarunt, ſed ipſum etiam veluti oſorem Chriſtianæ concordiæ, *hæreſiarcham pernicioſiſſimum*, per omnium Sacerdotum & Monachorum religiones devoverunt; deteriorem Turcis, Iudæis, Saracenis, Tartaris, prædicabat; ea fieri auſpicio Romani Pontificis apud Chriſtianos, præter fas & æquum, contra leges, contra interceſſiones, adverſus auſpicia, jus gentium, doctrinam Chriſti, quæ ne apud immaniſſimos Tartaros committerentur, vociferabantur. Reginoburgenſis atque Batavenſis Epiſcopus cruce ſignatas copias adverſus Albertum ducebant. Auguſtus ubi hæc reſcivit, principibus cunctis, maximè Otthoni Boiorum regulo, præfectoque præ-

Pag. 540.

Pag. 541.

Pag.542. torio Rheni, literas mittit. Illarum literarum hæc sententia fuit: *Pleraque crimina sibi objecta à Roma. Pontifice negando diluit, alia in illum retorquendo confutat; Pontifices Romanos auctos divitiis & dignitate à se atque cæteris Imperatoribus, æmulos esse pertinacissimos omnium Regum atq; Principum, neq; parem ultra ferre posse. Manibus pedibusq; noctes diesq; id eos conari, ut non tam se quàm sacrosancto Romano imperio, tanquam capite oppresso, facilè cæteris membris omnibus servitutem imponant, affectare eos dominationem atque divinitatem, nempe ut ab omnibus, haud aliter, imò magis quàm Deus timeantur; nam* multos Antichristos *inesse* Romanensibus illis, *nec ullos alios* (*quemadmodum opera ostendunt*) *exitio Christianæ religioni esse. Se quidem optimè sentire de Christo atq; ejus religione prædicat, nihilq; magis cupere, quàm ut suo tempore Respublica Christiana pristinam majestatem, simplicitatem, & pacem recuperet. Quod fieri nequaquam potest, nisi spinæ eradicentur: hoc est,* ambitio, superbia, fastus, luxus Sacerdotum Romanorum, *subtractis opibus atq; divitiis, extirpentur radicitus. Copia rerum sapientissimos quoq; corrumpere solet, in rebus divinis non solum Rom. Episcopum, sed unumquemq; Sacerdotem sibi patrem fore, modò rebus profanis sibi commissis abstineat, proponit.* Imperium Christianum, *cujus ipse* caput *constitutus sit à Deo,* non armis, non vi *opprimi posse*: sed luxuria, cupiditate, *quæ radix omnium malorum est, enervari, adulterari, corrumpi. Quod ne fiat, se obviam iturum; se summopere pro commisso sibi à Deo negotio, potestate, enseq; divinitus tradito contra ensifurum, ut* ovili *Pastorem*, populo *Pontificem*, mundo *parentem*, detracta persona lupi, tyranni, atq; domini *restituat; ut eundem abdicata regnorum, humanarum litium cura, prophanorum negotiorum administratione, quibus illi interdictum sit, ad æmulanda pauperis Christi, cujus* Vicarium *se jactitat, vestigia cogat; se amplius neque passurum, ut Christianæ plebi* lupus ovina pelle tectus, *diutius imponat. Opus vel maximum pietatis esse, atque charitatis, gratissimum Deo immortali, opes & aurum irritamenta malorum Sacerdotibus auferre; namq; hæc* (inquit) *perniciem esse religionis, adeò ut homo ille qui dicitur Papa, divitiis nimium auctus, maximo pietatis Christianæ detrimento omnia sibi licere, more tyrannorum pessimorum putet, rationem actuum nemini* (*quasi sit Deus*) *reddere velit. Id quod soli Deo convenit, usurpet; se errare, ullave mendacii religione astringi non posse; credi sibi impudentissimè, simulq; imperiosè postulet; fraudes, dolos, commenta, fucum taceri; sibi, ut vicino, eum intus & in cute notum esse. Proinde quicunque rem Christianam salvam esse velint, faveant, adsint, & causam Christi Servatoris nostri, omnium denique Christianorum agenti, bene precentur.* Datum in obsidione Æsculi, Iulii duodevicesimo die, indictione tertiadecima.

Cum hac quoque Epistola Legatos Conventu in Boiaria indicto ad VVenzeslaum Regem proficisci jubet, qui illum officii admoneant, beneficia ad majoribus Imp. in gentem Bohemiæ collata commemorent. Duces Bohemiæ ab avo patruóque Imp. regio diademate donatos esse, quorum tertius sit VVenzeslaus: spectandam esse audaciam Romanorum flaminum, ne horum fallacia seductus, se

atque

atque Rempub. discordiæ malis perditum eat. Pontificem Roman. insidiari nationi orbis Reginæ. Ideo dare illum operam, ut ejus valentissimas gentes Boiemos, Teutonas, Venedos, Sclavos, Danos, Cimbros, Vngros, committere quovis queat modo. Cives adversus cives, Monachos adversus Mystas, hos in Episcopos ab eodem concitari. Præsules Pontificibus, divendito illis cultu, mitra, pedo lituoque Pontificio æquari: Prophanos, avarissimum quemque, atque pecuniæ maximè studiosum, decimis distributis contra Sacerdotes benè sentientes solicitari. Qui sint Romanenses illi, opera eorum ostendere. Christum mundo pacem dedisse, illos bella civilia propinare. Duces, Regulos, tetrarchas, eisdem falsis Christis cohortantibus, invicem sævire, & velut membra Augusto capiti suo repugnare, atque divinæ majestati resistere: Gregorium nonum captum Imperii consuetudine, ut solus regnet, omnia perturbare atque commiscere: cuncta tumultu complere, ut sursum deorsum universa ferantur. Iampridem eos qui *Babyloniæ*, hoc est, *Romæ*, templo Dei incubent, divinitatem affectare, & astutè id dissimulare: solasque Germanicas vires ab his timeri, quas ut spectaculum sibi paria componant, vulpeculas illas conari: ut Germania illa victrix terrarum, ejus bellicosissimi populi, Venedi, Sclavi, Vngri, Dani, Teutones suis viribus mutuis vulneribus corruant, summopere illos studere. Ita exangues atque defessos prædæ effœminatis illis, libidini atque servituti primarii Sacerdotis proculdubiò obnoxios fore. Aliter non orbem terrarum, neque cunctas gentes conglobatas, robustissimis Germaniæ gentibus quicquam officere posse. Omnes homines natura proclives ad mala, omnia mala exempla ex bonis initiis orta esse: ubi semel Romanus Sacerdos gladium nactus eduxerit, neminem licentiæ ejus atque furori finem aut modum statuere ausurum: neque illum cessaturum, donec omnes juxta bonos ac malos in servitutem redigat. Ac nos tandem serò eventu rerum malisque nostris edocti, sapere cogamur. Hæc ubi dicta sint, &c. *Item paulò post*: Annuit Ottho postulatis. Vbi Reginoburgium ventum est, & proceres consedere, literæ Alberti Legati Papæ, quibus Otthonem Boiorum Ducem de fide suspectum Romano Episcopo facit, recitantur. Deinde hujuscemodi orationem *Archimystam* habuisse reperio: Christus Servator Dominus & Deus noster, relicto ætherio solio, atque (ut ita loquar) immortalitate, mortalis pauperque effectus est, ut nos immortales atque divites efficeret. Cumque devictis inferis triumphabundus rursus in cœlum rediturus esset, pacem suam nobis reliquit, concordiam atque mutuum amorem tanquam notam atque tesseram, qua cives sui à militibus inferi Iovis discernerentur, assignavit. Summopere quoq; admonuit, uti falsos Christos, falsos Prophetas vitaremus, qui tecti pelle ovina, nimirum Christiano nomine atque Pontificio titulo, nobis dominari atque illudere cuperent. Quos ex spinis atque operibus, nempe avaritia, luxu, contentione, odio, invidia, bellis, discordiæ malis, libidine dominandi, ambitione, cognosci oporte-

Pag. 543.

Oratio gravis Eberhardi, Salisb. Episcopi.

Avent. p. 546.

oportere docuit. Quidnam apertius hisce verbis, quàm Babylonis Pharisæos atque Scribas, cœlestis Imperator indicavit; sub Pontificis maximi titulo, pastoris pelle lupum sævissimum, nisi cæci sumus, sentimus. Romani flamines arma in omnes habent Christianos: audendo, fallendo, & bella ex bellis serendo magni facti, oves trucidant, occidunt: pacem, concordiam terris depellunt: intestina bella, domesticas seditiones ab inferis eliciunt: indies magis atque magis omnium vires debilitant, ut omnium capitibus insultent, omnes devorent, universas in servitutem redigant. Non Pontificis more gregi consulunt, sed potius immanitate tyranni licentia debacchantur, justitia rarescit: impietas, avaritia, cupiditas honorum, pecuniæ studium, libido crebrescit. Inopes & boni prædæ sunt sceleratis, ac divexantur undique ab injustis: soli autem mali opulenti sunt. Christus inimicos odio habere vetat, eosdem amari præcipit: de hisce promereri, fidem hostibus servare, beneficiis maleficia expiare docet. Romanenses contrà, sancta violare, fœdere nomine Dei sacrato ad fallendos homines abuti, benemeritis ingratos esse, malefactis beneficia compensare, bellare, litigare, defraudare, prodere, decipere, sub magna pietatis superficie jubent: divinæ majestati, cœlesti providentiæ, naturæ repugnare, supremæ majestati à Deo Opt. Max. constitutæ resistere nos volunt. Hildebrandus ante annos centum atque septuaginta *primus* specie religionis, Antichristi Imperii fundamenta jecit. Hoc bellum nefandum *primus* auspicatus est, quod per Successores hucusque continuatur. Primò illi Imperatorem à comitiis Pontificalibus extrusere, ea ad populum & Sacerdotes transtulere. Deinde & his ludibrio habitis atque explosis, nunc & nos in ordinem redigere atque servitutem conantur, ut soli regnent. Capti jam Imperii consuetudine, pensitatis suis & adversariorum viribus occasione rapiendæ dominationis & opprimendæ libertatis Christianæ, specioso Ecclesiasticæ constituendæ libertatis fuco utentur. Credite experto, non cessabunt, donec Imperatore in ordinem redacto, Romani Imperii honore soluto, pastoribus veris, qui pascant, oppressis, canibus qui latrare queant sublatis, per hunc morem omnia extinguant aut occidant. Ideo omnia turbare atque permiscere volunt. Sed dominari vel ingratis contendunt. Paulus armarium philosophiæ divinæ, præcipit: *Subjecti invicem in timore Christi estote.* Hoc interesse inter Christianorum & prophanorum Principes, cœlestis Doctor & Præceptor noster, summusque atque immortalis Pontifex docet, quòd hi dominantur subditis, illi serviunt. Formam servi suprema Majestas suscepit, ut discipulis suis serviret, eorumque pedes lavaret. Flamines illi Babyloniæ soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt: non desistent, donec omnia pedibus suis conculcaverint, atque in templo Dei sedeant, extollanturque supra omne id quod colitur; fames opum, sitis honorum inexplebilis est: quò plura avido concesseris, eò plura appetit, porrige digitum, & manum concupiscet. Licentia omnes sumus deteriores. Qui servus servorum est, Dominus Dominorum, perinde ac si Deus foret,

Pag. 547.

Imperium Antichristi quando cœperit.

esse

esse cupit. Sacros cœtus, atque Concilia fratrum, imò Dominorum suorum aspernatur. Timet, ne eorum quæ adversus auspicia, leges, intercessiones in dies magis atque magis gerit, rationem reddere cogatur. Ingentia loquitur, quasi verò Deus esset. Nova Consilia sub pectore volutat, ut proprium sibi constituat imperium: leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit, perditus homo ille (quem *Antichristum* vocare solent) in cujus fronte contumeliæ nomen scriptum est, Deus sum, errare non possum: in templo Dei sedet, longè latèque dominatur. Sed sicut est in arcanis sanctarum literarum. *Qui legit, intelligat: Docti intelligent*; omnes impii impiè agent, neque intelligent. Quemadmodum longo antè tempore Sibyllæ, apertè Hydaspes Rex antiquissimus sub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam posteris tradidit: nomen Romanum multo antè præfatus, quam illa Trojana gens conderetur. Conciones Prophetarum sub ambage aliorum nominum, ne quis facilè intelligat, denunciarunt: Romani majestas populi, qua olim orbis regebatur, sublata est de terris, & imperium in Asiam reversum est: rursus Oriens dominabitur, serviet Occidens. Regnum multiplicatum, summa rerum potestas per plures dissipata, concisa, minuta, ne dicam dilacerata: discordiæ civiles in perpetuum feruntur, nec ullam requiem bellis exitialibus esse sentimus. Imperator, vana appellatio, & sola umbra est. Reges decem pariter existunt, qui orbem terræ, Romanum quondam Imperium, non ad regendum, sed ad consumendum partiti sunt. Decem cornua (id quod D. Aurelio Augustino incredibile visum est) Turcæ, Græci, Ægyptii, Afri, Hispani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali, Romanas Provincias possident, Romanosque in his excidere colonos. Cornuque parvulum sub his succrevit, quod oculos habet, & os loquens grandia: tria potissimum, Siciliæ, Italiæ, Germaniæ regna in ordinem redigit, sibique servire cogit, insustentabili dominatione populum Christi sanctosque Dei vexat, divina humana miscet, infanda execrabilia molitur. Quid hac prophetia apertius? &c. Hactenus ex Aventino.

Hic rectè omnes *Friderici hujus Epistolæ* apponi possent, in quibus piè, eruditè & graviter *de summa Antichristi injustitia ac injuria* queritur. Sed nos vitandæ prolixitatis causa, tantum initium unius, & alteram perbrevem adscribemus.

Fridericus II. omnibus Christianis.

LEvate in circuitu oculos vestros, arrigite filii hominũ aures vestras: orbis scandalum, dissidia gentium, generale justitiæ doleatis excidium; exeunte nequitia à senioribus Babylonis, qui populum hactenus regere videbantur, dum judicium in amaritudinem, & fructum justitiæ in absynthium convertunt. Sedete Principes, & intelligite populi causam nostram, de vultu Domini judicium prodeat, & oculi vestri videant æquitatem. Scimus enim, & in supremi judicis virtute confidi-

Friderici II. Epist. adv. Pontif. tyrannidem.

mus, quod cum apud vos pondus & mensura fuerit, profectò modestiam & innocentiam vestram in judicii nostri libra præponderare videbitis, calumniosis detrahentium labiis & venenosis adinventionibus factionum, &c.

Fridericus Regibus & Principibus mundi, ut non obediant Papæ & Cardinalibus, eo quod sunt eleemosynis pauperum impinguati, & contra eos recalcitrent.

Apud Petrum de Vineis Epist. 2. lib. 1.

ILlos fœlices describit antiquitas, quibus ex alieno præstatur cautela. Status namque sequens formatur ex principio præcedentis: & ut impressionem cera recipit ex sigillo, sic humanæ vitæ formatur mortalitas ab exemplo. Hanc utinam fœlicitatem nostra serenitas prægustasset, ut cautelæ solertiam, quam vobis ô Christiani Reges & Principes ex nostra Majestatis nimia læsione relinquimus, nobis Christiani Reges & Principes reliquissent. Porrò, quia Clerici censentur pauperum eleemosynis impinguati, filios opprimunt: ipsique nostrorum filii subditorum paternæ conditionis obliti, nec Imperatorem nec Regem aliqua veneratione habere dignantur, quoties in Patres Apostolicos ordinantur. Quod autem ex circumlocutionibus nostris innuitur, ex *Innocentii Papæ* quarti præsumptione probatur: quia vocata Synodo, ut asserit, generali contra nos non vocatos, nec super aliqua fraude vel pravitate convictos, ausus est sententiam depositionis statuere, quam præter omnium Regum enorme præjudicium non poterat stabilire. Quid enim vobis & singulis Regibus singularum regionum à facie tanti Principis sacerdotum timendum? Non superest, si nos ex Principum electione solenni, & adprobatione totius Ecclesiæ, ac in Christianæ fidei religione viventium, Imperiali diademate divinitus insignitos, & alia regna nobilia magnificè gubernantes, deponendos aggreditur, & cujus, quo ad Imperiale diadema, non interest, aliquid in nos exercere rigoris, etiamsi causæ legitimæ probarentur: verùm quod sacerdotalis sic infestat abusio potestatis, à summo nos conatur præcipitare deorsum, nec primi sumus, nec ultimi. Et hoc quidem vos facitis obedientes, religionem simulantes sanctitatis, quorum sperat ambitio, quòd totus mundus defluat in os suum. O si vestræ crudelitatis simplicitas à *Scribarum & Pharisæorum fermento*, quod est *hypocrysis*, juxta sententiam Salvatoris, sibi curaret advertere; quot illius Curiæ turpitudines execrari possetis? quas inhonestas & pudor prohibet nos effari. Sanè redditus copiosi, quibus ex plurium depauperatione regnorum ditantur, quemadmodum ipsi nostis, ipsos faciunt insanire. Apud nos Christiani mendicant, ut apud eos panem Patereni manducent: ibi vestras domos obstruitis, ut illic adversariorum oppida construatis. Sicque de vestris eleemosynis impinguati, tales Christi pauperes sustentantur, qui beneficii compensatione, qua saltem gratitudinis exhibitione vobis se præbent obnoxios, qui quantò manus

eis

eis indignantibus liberaliores oſtenditis, tantò non ſolum manus, & cubitos avidius adprehendunt, ſuo vos laqueo detinentes, ſicut avicula, quæ quantò ad evaſionem fortius nititur, tantò firmius alligatur. Hæc vobis ad præſens ſcribenda curavimus mittere, inſufficienter exprimentia votum noſtrum. Cætera verò ſecretius intimanda decrevimus, videlicet in quos uſus divitias pauperum expendit prodigalitas avarorum. Quid ſuper Imperatore comperimus eligendo, niſi pax, quam per magnos Mediatores intendimus reſerare, ut inter nos & Eccleſiam ſaltem ſuperficialiter reformetur. Quid de Regum omnium communibus ſpecialibusque negotiis diſponere intendamus. Quid ſuper Inſulis Oceani fuerit ordinatum. Quid contra Principes univerſos quibuſdam Conſiliis vel Negociis, quæ nos, qui nonnullos ibidem habemus familiares & ſubditos, licet clandeſtina latere non poſſint, illa curia machinatur: quòd omnes tot viribus, tot virorum inſidiis, quos habet inſtructos ad bella in hoc ipſo jure, quod inſtat, qui nunc vos & nos opprimunt, & opprimere poſſe ſperemus.

Quod autem tales & tales fideles noſtri latores præſentium vobis retulerint, certè credatis, ac etiam, ſi Sanctus Petrus juraſſet, firmiſſimum habeatis: nec propter hoc, quod à vobis petimus, videatur vobis, quod propter in nos latam ſententiam depoſitionis, veſtra magnanimitas noſtræ Majeſtati aliquatenus incurvetur. Habemus enim conſcientiæ puritatem, ac per conſequens Deum nobiſcum, cujus teſtimonium invocamus: quia ſemper fuit noſtræ voluntatis intentio, Clericos cujusque religionis ad hoc inducere, & præcipuè maximos, ut tales perſeverent in fide, quales fuerant in Eccleſia primitiva, Apoſtolicam vitam ducentes, & humilitatem Dominicam imitantes. Tales namque Clerici ſolebant Angelos intueri, miraculis coruſcare, ægros curare, mortuos ſuſcitare, & ſanctitate, non armis, ſibi Principes ſubjugare. At iſti ſeculo dediti, ebriati deliciis Deum poſtponunt: quorum ex affluentia divitiarum religio ſuffocatur. Talibus igitur ſubtrahere nocentes divitias, quibus damnabiliter onerantur, opus eſt charitatis. Ad hoc vos omnes Principes unà nobiſcum, ut cuncta ſuperflua deponentes, modicis rebus contenti, Deo ſerviant, cui ſerviunt omnia, omnem debetis diligentiam adhibere. Valeatis.

* Extat tota hæc Epiſtola in Henrici de Kayghon, Canonici Leycœſtrenſis in Anglia lib. 2. de eventibus Angliæ p. 2441.

Huic Friderico & hoſce duos ſanè non invenuſtos verſus attribuunt:

Roma diu titubans, variis erroribus acta,
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Quo Carmine Imperator & multi alii boni viri prudentesque ejus Conſiliarii manifeſtè declararunt, quid de Papa ſentirent: nempe eum variis erroribus agitari, & veluti ebrium titubare (ſicut & Apocalypſis facit iſtam meretricem Babyloniam piorum ſangine ebriam) nec poſſe diu tam corruptum impiumque ſta-

tum permanere, sed de hoc Imperatore aliquid in cap. Petri de Vineis paulò post dicetur.

* Vide Edicta, Rescripta, & alia Friderici Imp. apud Goldastum Tom. I. Const. Imp. p. 263. seqq. Tom. II. p. 78.

CLXXII. Henricus VII. Luceburgensis.

POst Fridericum Secundum, & Henricus Septimus cognomento Luceburgensis, se nonnihil Romanæ tyrannidi opposuit; sed brevitas Imperii ac vitæ fortè ejus pium institutum impedivit. Quid verò sit hic Imperator conatus, ex Aventino & Sleidano indicabimus. Aventinus enim sic habet. Henricus Septimus perlustratâ circumquaque Italiâ Romam proficiscitur. Rupertum & Iohannem fratres Reges Campaniæ, Vrsinos bis secum congredi ausos, bis profligavit. Rudolpho Boio, Ludovico Otingensi, quorum virtus iis præliis enituit, palmam tribuit. Deinde à Nicolao Hostiensi, Arnulpho Sabonensi Episcopo, Frischone Diacono, flaminibus Romanis; quos eò Clemens V. Pont. Max. miserat, consecratur; susceptoque cognomine Augusti, rogantibus superioribus Sacerdotibus, non solum indignum majestate Augustali, verùm etiam contra majorum morem libertatemque religionis Christianæ, Principem Principum, Orbis terrarum Dominum, servo servorum sacramentum dicere existimavit. Vnde Clemens odio incensus, ad Campaniæ Apuliæque principes hostes Augusti deficit, Rupertum adversus Cæsarem concitat. Augustus sæpius ab hisce venenis appetitus, Rupertum crimine læsæ Majestatis ex consilii decreto condemnat, Romaque in Tusciam migrat.

Narratio Aventini. Lib 7. Ann. p. 597.

Et paulò post:

Pag. 598. Inter hæc in Italia Imperator Henricus Septimus Cæsar Augustus duodevicesimo Calendar. Septemb. celeberrimo Christianorum die festo in sacra æde à Bernardo Dominicano (qui auro malè ab inimicis Cæsaris conciliatus fuerat) cœlesti victima toxico oblita, atque polline Adamantino (quam præsens venenum esse ajunt) sacræ optimi Principis potioni indito, novo & inaudito exemplo extinguitur. Ita non solum in fastos, annales, acta relatum est; sed & Epigramma in ejusdem ceremoniæ consecraneos extat, & antiquis more majorum celebratum est carminibus. Quamvis Romani flamines ægritudine animi, quod homo vindictæ avidus de hostibus ut vellet supplicium sumere non posset, animam ipsum efflasse, credi sibi postulant. In paucis quoque post diebus Quintus è medio tollitur.

Narratio Sleidani. Cæterùm Sleidanus sic de hac re scribit: Porrò quod Moguntinus de Pontificis approbatione dixit, moribus ita receptum est, & inolevit converso

rerum

rerum ordine. Nam olim Episcopi Romani solebant ab Imperatoribus approbari, cum essent tenuiores: amplificata verò non solum arbitratu suo regere cœperunt, verùm etiam eò rem adduxerunt tandem post acerrimas contentiones, ut eligendi quidem jus Germaniæ septem viris permittant, confirmandi verò potestatem sibi propriam esse dicant. Et hac quidem authoritate sæpe sunt usi per omnia regna, maximè per Italiam, Germaniam, Galliam, quando designatis Regibus abrogato Magistratu substituerunt alios. Etenim, ut reliqua juris Pontificii loca præteream, in Gregorii Noni decretalibus Epistolis, Innocentius Tertius affirmat, jus eligendi Cæsaris, beneficio Pontificum & Ecclesiæ Romanæ delatum esse à Græcis ad Germanos, & ad Carolum Cæsarem cognomento Magnum: & ipsorum esse cognoscere ac judicare, num sit idonea persona. Nec eo contenti, fidem etiam exigerunt per iusjurandum à summo totius orbis terrarum Magistratu. Quæ quidem res maximis offensionibus atque bellis causam sæpe dedit. Tandem verò Clemens Quintus, qui vixit ad annum salutis milesimum trecentesimum, legem hac de re tulit, insertam juri Pontificio. Cum enim Henricus ejus nominis Septimus è familia Lucemburgica Cæsar, nollet ad hunc modum obligari, quòd diceret novi esse rem exempli, nec usurpatam ætate superiori: Clemens, ut in posterum caveret, copiosè rem explicat, & quid eo jurejurando contineatur demonstrat, nimirum ut Cæsar Ecclesiam Romanam defendat, ut hæreticos exterminet, neque cum impiis ullum habeat commercium, ut Pontificum dignitatem modis omnibus tueatur, ut Privilegia quondam Ecclesiæ Romanæ concessa quocunque tempore conservet, in primis ea quæ profecta sunt à Constantino, Carolo Magno, Henrico, Otthone Quarto, Friderico Secundo, Rudolpho, ne quid juris in illas Ecclesiæ Romanæ facultates atque possessiones quocunque titulo sibi vendicet, ut reliquas etiam ubivis Ecclesias earumque libertatem atque jura protegat. His rebus devinctum sibi Cæsarem esse dicit, & Henricum etiam per internuncios hæc sibi promisisse confirmat, utcunque postea dissimulaverit. Exiit autem hoc Decretum Henrico jam mortuo. Clemens hic est, qui primus omnium Roma Cardinales evocavit Lugdunum, & in Gallia cum illis consedit. Inter Pontifices autem, qui Cæsares nostrates vehementer exagitarunt, præcipui fuerunt: Gregorius VII. Alexander III. Innocentius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Nicolaus III. Bonifacius VIII. Clemens V. Hæc Sleidanus.

Habeo veteres Rhythmos, de hujus optimi Imperatoris tristi casu, deq; Monachi, qui eum interfecit scelere, qui jam Basileæ unà cum pluribus aliis ejusdem argumenti Poematibus ab Oporino in communem utilitatem editi sunt.

CLXXIII. FRIDERICVS ET IACOBVS REGES *Hispaniæ & Siciliæ.*

REgnarunt hi duo Reges ac fratres circa annnm Domini 1300. nempe antè sesquiter centos annos. Eos non levem aliquam purioris Religionis curam cognitionemque habuisse, abundè ex sequenti scripto Arnoldi de Nova villa apparet. Quod ideo integrum apponere voluimus, quòd & Epistolæ pientissimæ prædictorum duorum Regum interſertæ sunt, & alia multa historica ac alioqui utilia continent. Vtinam verò & alii libri, & acta pientissimorum illorum Regum haberi possent; nimirum videremus, divinam bonitatem subinde luminis sui radios in orbem terrarum sparsisse; & semper fuisse septem piorum millia, quæ non prorsum genua sua Baali, ejusque omnibus impietatibus curvarunt. Verùm omissis aliis, legatur ipsum scriptum.

COLLOCVTIO FRIDERICI REGIS SICILIÆ ET Nostra Arnoldi de Villa nova, lecta & communicata Sedi Apostolicæ.

EXORDIVM.

QVia tota series meæ narrationis essentialiter pertinet ad Evangelicam veritatem · idcirco ad perpetuam rei memoriam, & ut in posterum obtundi possint aculei quorumcunque prævaricantium, & dissipantium ea quæ audiuntur, volo, prout decet & expedit in tali nostro scripto, de omnibus clarificare Sedis Apostolicæ majestatem. Et dico, quia cùm pervenissem Cathaviam, Rex prædictus exorsus est mihi pandere causam, propter quam me vocaverat sub talibus verbis.

FRIDERICVS REX.

Ab adolescentia quidem cogitatus frequenter pulsavit cor nostrum, sed ab annis circiter quinque assiduè fervebat in nobis, in quibus annis frequenter apparuit nobis in somniis Regina, quondam Domina mater nostra, facie velata, ita quòd vultum ejus non videbamus, sed in voce cognoscebamus eam dicentem: *Fili mi, do tibi benedictionem meam, ut veritati omnino studeas deservire.* Post quæ verba disparebat visio. Ego verò sicut Laicus & ignarus, non intelligebam quid significaret, & reputabam esse illusionem. Cogitatus autem erat iste; scilicet, quòd faceremus aliquid, per quod nobiliter in conspicuum hominum omnium promoveretur honor Salvatoris. Et hinc cogitanti prædictis annis annexa fuerunt tria; scilicet unum desiderium, unus timor, & unum dubium. Desiderium erat, & adhuc est, quòd frater noster Rex Arragonum esset vel † præsenti in proposito cogitatus

Al. principali.

tatus prædictus; ita quòd sicut est major in carne, sic desideramus quòd major esset in gratiis cœlestibus, & quòd assumeret ferventer illud propositum, & quòd simul prosequeremur ipsum. Timor autem & dubium reprimebant, & quodammodo retrahebant nos à divulgatione & persecutione propositi. Timebamus enim, quòd tam frater noster quàm alii, tam Clerici quàm Laici, reputarent nos fantasticos; quia cogitatus noster dictabat nobis, quia in Statu nostro, scilicet Regis & conjugati, deberemus præcisè vivere secundum regulam Evangelii, scilicet despiciendo & contemnendo, quicquid ordinatur ad terrenam felicitatem: & quærendo & amplectendo, quicquid pertinet ad cœlestem. Et quia videbamus, quòd Christiani faciebant communiter oppositum, quia ferventer studebant & sollicitabantur obtinere & possidere, quæ pertinent ad terrenam felicitatem, & ea quæ pertinent ad cœlestem negligere, quantum ad mores & opera virtutum Evangelicarum, repressi fuimus à divulgatione & executione prædicti propositi, ne propter deformitatem nostram ab universali multitudine sperneremur. Ad hanc autem repressionem maximè impellebat nos dubium, quod occurrebat nobis de doctrina Evangelica: *Utrum esset humana inventio, vel divina traditio.* Ad quam dubitationem tria nos inducebant.

Primùm est, qualitas Clericorum secularium, qui circa nos sunt, & maximè Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum & personarum. Quia & visu & auditu, ac diversis affectibus experimur, quòd quantum ad vitam spiritualem, quam docet Evangelium facere, sunt omnino steriles. Quantum ad simulationes verò cæremoniarum, quas officia Ecclesiæ, vel aliter servant, sunt illusores: & apertè insinuant, quòd illa prosequuntur ex solo usu, & non ex devotione. Cum videamus, quòd omne id quod ad vanam gloriam & terrenam cupiditatem spectat, celebriter promovent: quantum verò ad regimen animarum in salutem æternam, sunt pestiferi, per multa opera impietatis, & multorum vitiorum, quæ palàm exercent in conspicuum populi. 1.

Secundum, quod ad hanc dubitationem nos inducebat, est qualitas regularium, & maximè illorum qui præ cæteris constituti fuerunt ad promotionem Evangelicæ veritatis, verbo & exemplo: & quos credebamus tenere apicem Apostolicæ simplicitatis & paupertatis. Isti enim faciunt eos stupere de moribus & vita ipsorum, quia videbamus quòd in tantum alienati sunt à via Dei, quod in comparatione ipsorum justificantur non solùm Clerici seculares, sed etiam Laici. Tanta enim est eorum malitia, tamque notoria, quòd jam nullus hominum status potest eos tolerare: imò nos timemus, quòd una die populus insurget contra eos. Quia cum per habitum asperitatis & abjectionis prætendant exterius humiliter mansuetudinem pœnitentium, temporalium contemptum, & plenitudinem earum virtutum quæ perfectis viris conveniunt: tamen experimur quòd in eis ut plurimùm non est species, neque decor alicujus virtutis Evangelicæ. Quia pro humilitate 2.

ubique

ubique aſcendit eorum ſuperbia, ut ſunt præſumptuoſi,irreverentes,& importunè ſeſe ingerentes, etiam ad ſecreta noſtra. Et non poſſumus aliquod conſilium facere, vel aliquam Legationem ordinare, quin ipſi ſe immiſceant,& ingenioſè procurent, & ſine fronte alicujus erubeſcentis Commiſſiones Legationum & negotiorum ſecularium. Pro manſuetudine furor eſt illis, ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: & viperinis motibus inſaniunt, ſi reprehendantur, vel denegetur eis petitum: pro actibus pœnitentiæ vacant ſplendidiſſimis epulis,pro contemptu temporalium ambiunt & ardentiſſimè quærunt laudes populi,honores ſeculi, prælationes Eccleſiarum, tam in alienis Collegiis quàm in propriis,occupationes negotiorum ſecularium, pecuniarum extorſiones abſque ullo ſpiritu pietatis. Nam experti ſumus, quòd aliquando prætextu eleemoſynæ expetebant condemnationes delinquentium,factas in noſtra curia: quas, & legata, vel quæcunque aſſignata eis titulo pietatis, obſtinacius per authoritatem curiæ ſecularis obtinere ſatagunt, quàm Clerici ſeculares aut Laici. In depoſitis ſunt infideles, in accommodatis ingrati,in promiſſis fallaces,in perſuaſionibus doloſi & fraudulenti,in narrationibus ſtudioſè mendaces. Et quanto præſidentium ſunt majores inter eos, tanto ſubtiliores ſunt fabricatores mendacii, tam in mutuam detractionem ipſorum ad invicem,quàm aliorum. Et experimur, quòd odium conceptum adverſus aliquem, immobiliter fixum tenent,& ut Dæmones acuunt,& interdum ut Scorpiones. In ſermonibus Eccleſiaſticis experimur quotidiè, quòd ſunt peſtilentes: quia in toto ſermone ipſorum utplurimùm non faciunt niſi vel adulari,aut detrahere, vel diffamare, aut philoſophari: ita quòd turbati & infecti recedimus à ſermone. Recolimus etiam, quòd aliquando audivimus eos dicere in ſermone, quòd excommunicatus erat,& mortaliter peccabat, quicunque ad curam ſui corporis requirebat Iudæum. Modò verò videmus, quòd eorum monaſteria non ingreditur Medicus ordinariè niſi Iudæus: ita quòd tam in monaſterio fœminarum quàm virorum, Iudæus Medicus ordinariè procurat infirmos: & cum quotidie celebrent miſſas, non ceſſamus admirari atque ſtupere. Videmus etiam,quòd Prælatis ordinariis Eccleſiæ, ut ſunt Epiſcopi & Archiepiſcopi,nec ſunt reverentes,nec obedientes,prout convenit viris perfectæ ſanctitatis,& Evangelicis; imò quod deterius eſt, videtur nobis quod pro nihilo habeant Eccleſiam Romanam,quia nulli * applicationi factæ ad eam deferunt,imò etiam proprios Collegas appellantes ad eam in favore Evangelii extinguunt, & occidunt crudelius omni fera. Vnde cum nullo timore Dei compeſcantur, vel refrenentur, apertè nobis inſinuant,quòd id quod de Deo docet Evangelium,habeant pro nihilo: immundicia verò carnis adeò manifeſta eſt,quòd publicè dicitur,quæ ſit concubina ſingulorum præſidum:& quantam infectionem ſeminent & relinquant ubique in domibus quas frequentant, manifeſtum eſt.

Al. appellationi.

3. Tertium quod facit nos dubitare ſuper doctrina hac Evangelica, eſt negligentia

gentia ſedis Apoſtolicæ. Audivimus enim aliquando, quòd conſuevit mittere Legatos per diverſa regna & provincias, ad inquirendum de profectu & defectu Evangelii in omni Statu. Et tamen tempore noſtro non vidimus, nec audivimus; quòd hoc alicubi fecerit, ſed ſolùm quòd aliquando miſerit eos pro negotiis ſecularibus & mundanis, ſed pro cultu Evangelii promovendo, vel conſervando, nondum audivimus: cum tamen ipſa ſciat, quòd illi qui vocati ſunt in partem ſollicitudinis, homines ſunt utplurimùm non perfecti, & proni ad malum, & multipliciter poſſunt exorbitare ab Evangelii veritate.

Item videmus, quòd pro ſchiſmatis Occidentis non ceſſat præſtare favorem: ſed pro eis reducendis non videmus eam ſollicitari, & pro Sarracenis convincendis minimè curat. Ex quorum conſideratione frequenter dubitavimus de doctrina Evangelica, quòd potius eſſet ab humana inventione quàm à divina traditione. Cum hæc omnia verſarentur in corde noſtro, ſæpe conſideravimus, cui poſſemus comunicare, qui poſſet nos & illuminare, & dirigere, & ſolidare tam conſilio quàm doctrina. Et aliquando tentavimus audire, & à quibuſdam Doctoribus ſtatum Regularem, quos communis opinio judicat vel æſtimat eſſe profundos in ſapientia & intellectu occultorum, quid videretur eis de illa viſione matris. Et finaliter cognovimus, quòd ipſi habebant pro illuſione, licet aliquis eorum dixiſſet nobis, quòd poterat eſſe indicium cœleſte, ſignificans nobis quòd Domina mater noſtra erat in purgatorio, & petebat ſuffragium. Et nos fecimus in ſuffragium ejus tam miſſas celebrari, quàm eleemoſynas fieri. Contigit autem, cum nos iſta ætate cogitaremus circa illam viſionem, quod apparuit nobis more ſolito Domina mater noſtra in ſomnio, velata facie, & vidimus ſplendorem vultus ejus mirabilem. Et tenebat diadema gemmatum ineffabilis Pulchritudinis & ſplendoris in manu dextra, & dicebat mihi: Hoc diadema portabis in capite.

ARNOLDUS.

Supradictis per ordinem auditis, reſpondi: Cogitatus, quem habueratis, & habebatis, erat ſemen divinæ inſpirationis. Et quòd Deus per inſpirationem tangeret mentem veſtram, certificat in me deſiderium annexum cogitatui: quia nulla vis naturæ inclinat creaturam rationalem, etiam angelum, ad hæc etiam abſolutè deſiderandum: ſed quòd alius eo ſit potior in gratiis, vel gloria ſeu honore. Quapropter certum eſt, quòd à virtute ſpirituali movente cor veſtrum, imprimebatur cogitatus & deſiderium illi annexum. Confirmat etiã hoc ſignificatum judicii cœleſtis, per quod exhortabamini ad ſerviendum ſollicitè veritati. Quod enim videbatis in ſomniis tam frequenter, non erat illuſio, ſed cœleſtis viſio. De hoc autem poteſtis certificari per regulam, quam Salvator & lux æterna dedit Eccleſiaſticis ſuis in transfiguratione, in qua certificavit eos de veritate ſuæ excellentiæ, per viſum Majeſtatis, & per auditum vocis dicentis: Hic eſt filius meus dilectus, &c. præſentibus Moyſe & Helia. Ex quibus datur regula cunctis fidelibus, quòd ubi aliquid

videtur propter communem curſum humanæ conditionis, duo ſunt attendenda: ſcilicet res expreſſa, & modus expreſſionis. Nam ſi res expreſſa contineat purè Evangelicam veritatem, & in minimo non diſcordet à teſtimoniis veræ Scripturæ divinæ, ſicut lege & Prophetis, quæ ſignificantur per Moyſen & Heliam: certum eſt, quòd eſt viſio vel judicium cœleſtis impreſſionis. Si verò quod exprimit, non continet purè Evangelicam veritatem: vel ſi ſit modus, tamen diſcordat teſtimoniis ſacris: tum de illuſione debet cuique eſſe ſuſpecta. Hic autem res expreſſa, ſcilicet quod ſtudiosè ſerviretis pietati & veritati, purè eſt Evangelica. Nam ſicut Deus veritas eſt: ſic & Chriſtus, qui Deus & homo eſt, veritas eſt, cui ſollicitè ſervire prædicat & hortatur Evangelium undiq;. Quòd autem in ſomnio iſtud vobis fuerit oſtenſum, nõ diſcordat, imò concordat eloquiis ſacris, expreſſione & exemplo. Expreſſione, in Lege & Prophetis. In Lege, quando dixit Dominus Aaron & Mariæ Moyſi: Loquar facie ad faciem, &c. cæteris autem, in ſomniis. In Propheticis verò, quando dicit per Iob: Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit, &c. Exempla verò de hoc in ſacra Scriptura multa ſunt, ſed duo ſpecialiter ſufficiunt nunc; ſcilicet de Ioſeph Patriarcha, & de Ioſeph ſponſo virginis matris Dei: cui etiam illa quæ pertinebant ad regimen extrinſecum Domini, ſicut de concomitatione matris & fuga in Ægyptum, & reditu in Iſrael, tantum per ſomnium indicabantur. Significatum autem viſionis non poterat vobis enucleare quis, quantumcunq; literatus, niſi datum eſſet ei deſuper. Quia Deus eſt qui claudit ſua myſteria: nec alius poteſt, cum clauſerit, aperire, niſi tempore, ſicut teſtatur Apocalypſis. Et ſi fuerit animalis homo, hoc eſt affixus ſenſui carnali, & affectui terreno, non ſolùm non intelligit, ſed etiam ſpernit & reprobat. Qui enim eſt ex Deo, lætatur, atque devotè audit quæcunque ſunt Dei, & ſapienter intelligit. *Animalis autem homo* (ut dicit * Apoſtolus) *non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed ſtulta ſunt illi, & non poteſt intelligere.* Quod ipſe fuit expertus in ſemetipſo, ad exemplum & informationem cunctorum verè fidelium. Nam quotieſcunque narrabat viſionem cœleſtem eidem factam in itinere Damaſci, vel alibi, Iudæi irruebant in eum clamore & pulvere & lapidibus, dicentes: *Tolle tolle maleficum, non eſt fas eum audire.* Gentiles verò dicebant, ut Feſtus: *Inſanis Paule, multæ literæ te faciunt inſanire.* Vnde non debetis mirari, ſi viſio non fuit accepta, vel intellecta per illos, quibus communicaſtis. Mihi verò, non meritis meis, ſed ſolo beneficio pietatis æternæ, ſuffragantibus, ut puto, meritis fratris veſtri, & veſtris, datus eſt intellectus viſionis. Et ideo facio mentionem de fratre veſtro, quia propter eum in ſimili caſu fui ad hoc illuminatus, & quia directè conſonat impreſſionibus vobis factis, narro vobis hiſtoriam. Vacante ſede poſt Benedictum, vocatus per ipſum adivi præſentiam ejus; & narravit mihi cogitatum, & dubitationes rectè per omnia ſimiles veſtris: & inſuper addidit, quòd ſæpe viderit in ſomnio Patrem ſuum & veſtrum, in habitu mirabili, tradentem ei quatuor auri petias immenſi, & ejuſdem ponderis. Et dum conſideraret in viſione:

ne quid inde faceret, dicebatur ei : Trade monetario, & ille faciet inde monetam, utilem & necessariam tibi. Et fuit ei dictum, quòd ego essem monetarius. Ego autem respondi, quòd in ejus præsentia, & in narratione prædictorum datus fuerat intellectus mihi, sic : scilicet quòd Deus quando vult beneficia suæ pietatis aliquibus indicare, seipsum ostendit eis sub figura illius rei quæ notior est eis, & magis convenit ordini, vel circumstantiis naturalibus rerum. Vnde quia Deus est Pater omnium electorum, & gratia ipsius est mater, propterea vobis, qui estis de filiis Regis Petri, major non solùm dignitate, sed etiam ætate, ostendit se sub forma Patris, quia naturaliter cura majorum fratrum convenit Patri. Quia verò cura majorum filiorũ convenit matri, propterea si fratri vestro qui minor est, deberet se ostendere Deus, faceret hoc sub forma matris. Quatuor autem petiæ auri immensi, & ejusdem ponderis, significant divinam sapientiam, quæ in quatuor Evangelistis continetur. Ad cujus sapientiæ usum hortatur vos Deus, secundum illas explicationes & expositiones, quas per me fecit scribi in diversis tractatibus vel opusculis secundum stylum clarum, & omnibus laicis intelligibilem: de quibus opusculis tunc frater vester fecit scribi quinque volumina, ut ipse etiam & Regina & liberi se exercitarent in illis legendis & intelligendis. Iam igitur elucescit vobis, quare sub forma matris ostendebat se vobis, sed velata facie: ad significandum, quòd de gratia Dei, quam faciebat vobis in illa occulta inspiratione, non habebatis claram notitiam, nec etiam beneficium gratiæ Dei cognoscebatis, nisi per vocem, id est per sensibilem & extrinsecum effectum, scilicet in eo quod providerat vobis de regno & cæteris blandimentis temporalibus. Postquam verò perveni ego ad insulam, apparuit vobis revelata & splendida facie : ad innuendum, quòd per adventum meum haberetis claram notitiam de gratia Dei. Quantum ad impressiones quas faciebat antequam occultè, in spiritu vestro : Diadema verò gemmatum, est ornamentum virtutum Evangelicarum, quod amodò palàm geritis in capite vestro, scilicet tam in regia voluntate, quàm in mente. Hæc autem omnia excellenter vobis dabuntur, solùm propter effectum exhortationis, scilicet quòd studiosè colatis veritatem · hoc est, ut in statu vestro & gradu ministerii vestri ambuletis secundum regulas Evangelii, quod est de veritate æterna, & producente ad salutem æternam. Regula verò Christi Evangelii, sicut legitur in Matthæo, est : Quòd unusquisque in suo ministerio vel statu colat Deum, aut serviat ei, non secundum doctrinas & mandata vel constitutiones hominum, sed secundum præcepta vel doctrinam Dei : circa quod jam informavi fratrem vestrum, sub talibus verbis.

Proprium ministerium vobis à Deo commissum, & omnibus Præsidibus, scilicet tam Prælatis quàm Principibus & judicibus, est, colere & dispensare justitiam publicam: quam Evangelicè colere nihil aliud est, nisi intendere ad complementum ipsius secundum doctrinam Dei. Deus autem ad perfectum, cultum ju-

ſtitiæ publicæ, quod cunctis injungitur præſidibus, unum eſt, quod habitum ſanctum in mente generant. Aliud eſt, quod omnem ordinem in opere ſervent. Quantum ad habitum, dicit ſic: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram*. Dicit Gloſſa: Non dicit Facite, ſed diligite: ut innueret, quod non ſolùm debet operari, ſed zelare pro ea, quoniam ſine zelo perfectè coli non poteſt. Ad zelum autem pertinent duo. Primum eſt, *fervor in executione reddendi* cuilibet, quod fuerit juſtum. Secundum eſt, *vigilantia* ſive *ſollicitudo inquiſitionis*, ne lædatur alicubi ſub jurisdictione cujuslibet. Ad primum non tenetur præſes, priuſquam fiat ei inſinuatio per eos qui beneficio juſtitiæ indigent. ſed ad ſecundum, ante inſinuationem. &c. inſinuationem Evangelicæ tenetur, nec poſtponere poteſt ſine damno ſalutis æternæ. Quia Evangelium dicit, quod Salvator non ſe manifeſtat niſi paſtoribus, cuſtodientibus vigilias noctis ſuper gregem. Quia, ut ait, dormientibus hominibus inimicus ſuperſeminat zizaniam tritico, & lupus rapit oves. Vigilias noctis ille tantum cuſtodit, qui ſollicitus eſt omnes tenebras ignorantiæ circa ſtatum juſtitiæ prævenire. De viciſſitudine verò ordinis in opere, dicit Dominus in Pſalmo, in quo Reges & filios regni informat de agendis in perſona Chriſti: Deus judicium tuum regi da, &c. Quid faciet Rex aut filius Regis primo & principaliter? exponit immediatè, cum dicit: Iudicabit pauperes populi, &c. Vnde ſi Præſes, quicunque voluerit ſecundum Deum, ſeu Evangelicè colere juſtitiam publicam, quandiu poteſt, debet principaliter & primò intendere negotiis pauperum, & querelis: ſecundario, divitum. Si autem fecerit econtrà, non colit Evangelium, quia pervertit ordinem divini præcepti: nec operatur ut Rex, pro Chriſto, ſed pro mundo. Et tunc interrogavi Regem fratrem veſtrum de audientia, quam pauperibus exhibebat. Qui reſpondit: Quod ſemel in hebdomada dabat eis audientiam ordinariam, & exordinariè, quando equitabat exterius ad ſpaciandum. Cui reſpondi, quod ad interitum æternæ damnationis ſervabat illum morem, & incidebat in damnationem Saulis, qui non ſerviebat Deo, ſicut Deus ordinaverat, ſed ſicut ipſe Saul eligebat. Vos n. facitis de extraordinario ordinarium, & econtrà. Divites veſperi & manè & meridie ingrediuntur ad vos quotidiè, pauperes autem rariſſimè. Vos facitis de Deo porcum ſancti Anthonii, cui datur tantum illud, quod ſupereſt, & quo nec famuli nec jumenta uterentur. Et ideo cunctos hujuſmodi Præſides vocat Deus illuſores, cum dicit per Eſaiam: *Audite viri illuſores, qui ſuper p. m.* &c. Ergo ſi vultis grati eſſe Deo, & non operari ad interitum ſalutis æternæ, primo & principaliter intendatis ubique ad negotia pauperum, & in conſilio veſtro vos ſitis advocati ipſorum. Et ne defraudari ſaltem poſſint, inſtituite unum timentem Deum, qui quotidie promptus querelas pauperum ad vos & conſilium veſtrum introducere teneatur, & illos prius & celerius expedire. Ad quem ordinem conſervandum inſequêris ſanctos Patres, qui propter hoc in Apoſtolica ſede referendarios conſti-

constituerint. Debent vos urgere tria. Primùm est efficacia testimoniorum, quibus in die judicii quisque judicabitur. Primum testimonium est eloquii Domini, dicentis per Iacobum: *Fratres nolite in personarum acceptatione*, &c. Secundum est, propriæ conscientiæ; nam conscientia cuique dictat, quòd magis gratum esse Deo, intendere negociis pauperum, quàm divitum; & sic qui facit, econversò cadit à charitate, sine qua nullus quantumcunque bonus potest salvari, dicente Apostolo: *Si linguis hominum loquar*, &c. Secundum, quod debet vos ad hoc urgere, est timor divini judicii. Quale verò contra tales datum est à Deo, potestis ex verbis ejus percipere, cum dicit: Deus stetit in Synagoga Deorum, &c. Cum enim dixerit, quòd fundamenta terræ, scilicet Præsides Ecclesiæ, movebuntur, quia nesciverant neque intellexerunt Dei voluntatem: dicit per Esaiam, *Propterea captivus datus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Sed quali captivitate captivaretur, subjungit: Dilatavit infernus seipsum, &c. Tertium quod debet vos urgere ad prædicta, est exemplum parentum & sanctorum; nam beatus *Ludovicus, Rex Francorum* clarissimus, quamdiu vixit, servavit istud; & *avus* vester & *pater* hoc ubique servaverunt, & ideo felicitavit eos Deus & temporaliter & spiritualiter.

Ad *timorem* quem habebatis, respondeo; quod est *de semine Diaboli*, qui odit gloriam Dei, sive laudem, & salutem animarum; & ideo quantum potest, satagit impedire prædicta. Sed vos debetis eum fugare *duabus virgis*. Vna est, *consideratio veri amoris ad Deum*, de quo Dominus noster Iesus Christus nobis dedit exemplum; nam adversitates humanitatis suæ sprevit, ut adimpleretur id quod pertinebat ad purum & verum amatorem Dei & hominum; nam cum aliqui dicerent, *Dæmonium habet*; alii verò, *Seductor est*, &c. nunquam tamen propter hoc deseruit colere veritatem, tam opere quàm doctrina. Vnde debetis animadvertere, quòd ille qui propter judicium perversum filiorum hujus seculi desistit prosequi documenta Evangelica, certum est, quòd non diligit Deum plus quàm seipsum, & quod aliquid de amore seculi hujus sive gloriæ mundanæ retinet in angulo cordis sui. Qui autem plus diligit Christum quàm seipsum, nec erubescit nec timet judicium seculi, imò lætatur cum percipit adversa judicia de seipso, ideo quia per hoc conformatur capiti suo Christo, & dicit cum Apostolo, *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer.* Alia consideratio, qua debetis effugere dictum timorem, est *ingens memoria divinæ exhortationis*, cum dicit per se: *Beati eritis, cum malè dixerint vobis homines*, &c. Et iterum per Apostolum: *Fratres, si quis inter vos videtur sapiens in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Per quæ verba innuitur, quòd ille verè sapiens est, quem Deus talem esse judicat, quamvis mundus reputet eum stultum; & econverso. Quapropter concluditur, quod vera sapientia est, taliter agere, quod quanto quis plus in mundo spernatur, tanto plus extollatur à Deo.

Ad dubitationem autem vestram respondeo, quod indubitanter credere debetis, & immobiliter affirmare, quod tota Scriptura Evangelica sit traditio vel

doctrina Dei; & quòd Iesus Nazarenus est ille Messias vel Christus, qui fuit promissus Presbyteribus in Salvatorem; & quod ipse est ille Deus, qui condidit universa. Et de hoc statim potestis certificari non solùm persuasione articulorum fidei, sed etiam demonstratione irrefragabili, cui nullus hominum resistere potest; sicut in quadam Scriptura, quam de præsenti offero vobis, poteritis clarissimè intueri.

Ad Motiva jam verò vestræ dubitationis redeo, quod magis debet esse vobis ad robur fidei, quàm ad ejus debilitatem. Et de duobus primis motivis, scilicet *aversione & defluxione tam Regularium quàm Secularium*, declaro per hoc, quoniam Salvator ipse, qui est fundamentum Ecclesiæ, prædixit eam esse futuram his temporibus, tam per se quàm per suos præcones, rectè ad literam, sicut quotidiana experientia vobis notificat; de quo promptus sum vos statim certificare tam per *Canonem sacrum*, quàm per *Revelationes particulares*, factas ab Ipso Ecclesiæ, per sanctas personas utriusque sexus; & quas sacri Pontifices cum multa diligentia & magna devotione reposuerunt in thesauris Apostolicæ sedis, sicut Ego vidi & contrectavi manibus meis in alma Vrbe; unde cum nullus possit futura, quæ solùm pendent ab intellectu & voluntate Dei, præscire, nisi solus Deus; hoc ipsum ostendit indubitanter, quod Iesus Nazarenus est æterna veritas.

Ad *tertium motivum* spernendum, sufficere vobis debet, quod jam fecit Dominus noster Iesus Christus tempore vestro, & quod in proximo est facturus. Quod autem fecit, est hoc; scilicet, quia *Sedi Apostolicæ bis fecit denunciari diabolicam apostasiam* regula omnium prædictorum, semel *sub Bonifacio*, & iterum semel *sub Benedicto*. Et quâdam vice faciebat fieri denunciationem cum plenitudine luminis directivi; nam Nuncius profitebatur primò, quod ea quæ nunciabat, non habebat à se, nec à motu proprio ferebatur ad nunciandum, sed à lumine & præcepto Domini Dominorum; & locum & tempus & modum, quibus illa nuncianda susceperat, exprimebat eis. Item pronunciabat eis laqueum insidiarum satanæ, ad eorum seductionem, ita quod apertè dicebantur eis duo. Primùm, quod juxta se habebant *Consiliarios*, qui erant *angeli Sathanæ*, qui *sub specie religionis, & pallio recti zeli*, satagerent eos abducere à cribratione & purificatione Statuum prædictorum. Secundum, quod denunciabatur, quod nihil facerent contra hoc ad secretum eorum susurrum, quia studiosissimi fabricatores erant mendacii, & principales in odio & contemptu Evangelicæ veritatis. Et ideo promovebatur, quod quicquid consulerent illi, facerent discuti in Consistorio circumspectè personatum totum. Item denunciabatur eis, quod si negligerent exequi denunciationem, Deus faceret eos hic degustare præsagium æterni judicii; sic scilicet, quod *Domino Bonifacio* dicebatur in scriptis, quod in discrimine tali & talis confusionis deducerentur, nec indidit, quousque gustavit. *Domino* verò *Bo-*

nifacio

nifacio dicebatur in ſcriptis, quod ſi negligerent, velociſſimè raperetur à ſede. Et à die qua legit, non ſedit niſi trigintaquinque diebus; ita quod neque ea quæ ſcribebantur ei, nec eventus Anteceſſoris moveret eum ad credendum, ſed omnia ſprevit. Item, ad *illuminationem ipſorum*, & *motum*, denunciabantur eis particulariter *abominabiles & diabolicæ perverſitates multorum illius ſtatus*, quem ſuperius memoravi, ſit licet quod ea quæ ſuperius expreſſiſtis, minutim explicabantur, & inſuper alia ſub tali forma.

Homines peſtilentes diſſipant civitatem Agni cœleſtis, & maximè in ſtatu qui de altitudine perfectionis Evangelicæ gloriatur, & ſubvertunt Evangelicam veritatem, ac dirimunt ædificium ejus in populo non ſolùm perverſis operibus & exemplis, ſed corruptione doctrinæ in ſuis prædicationibus & præconiis; nam cum ſint amatores vitæ carnalis ac terrenæ felicitatis, & oderint vitam ſpiritualem, neceſſariò ſequitur, quod *tribus modis corrumpant doctrinam Evangelicam* in ſuis ſermonibus; ſcilicet *detrahendo* illis, quibus invident, & *diffamando* blaſphemiis & calumniis; & *adulando* eis, à quibus extorquere cupiunt. Ad quæ duo ſequitur tertium, ſcilicet *prævaricatio ſacrorum eloquiorum*; nam cum in dolo & aſtutia malignitatis prædicent, quandoque indirectè allegant, quandoque impertinenter applicant, & perversè; & quandoque ſophiſticè diſtinguunt, & inconvenienter exponunt. Et ſic veritas Scripturæ obtenebratur per eos, nec exponitur auditoribus clarè, ſed adulterantur per eos eloquia Dei. Idcirco quia tales *Pſeudoprœcones* per ſuos ſermones non intendunt placere Deo, vel proficere Chriſto & populo, ſed ad nequitiam ſuæ affectionis populum inſtigare; propterea ſeducnnt ipſum dupliciter, ſcilicet omittendo neceſſaria & utilia, & tradendo nociva; & in ſpiritu Antichriſti ſatagunt populum avertere à Prælatis ordinariis, & oves ſubtrahere propriis paſtoribus, tot modis, & taliter, ſicut in ſcriptis, quæ ſunt adhuc in theſauro ſedis Apoſtolicæ, particulariter exprimebatur. Amplius in eiſdem ſcriptis dejiciebatur dæmoniaca peſtis *Inquiſitorum* de ſtatu illo, & cæteris; ſcilicet, Quod ſecundum diverſas Provincias *Officium Inquiſitionis* mercantes, obtinere precio ſatagebant, & furentes, ut dæmones, nuſquam ferè tam Evangelicè inquirebant, ſcilicet cum charitate & juſtitia, curantes ut populus ædificaretur in Chriſto; ſed cum furore & verſutia, propter odium, vel cupiditatem aut voluptatem; ita quod ſicut deberent ſtudere, ut errantes reducerent, ipſi conantur rectè ambulantes in dæmonium pellere calumniis, violentiis, furioſis oppreſſionibus; & finaliter prophanis operibus ac mendoſis clamoribus, vel ſententiis iniquis, de fidelibus faciunt infideles, & non eſt, qui eorum furorem arguat vel reprimat.

Continebatur etiam in denunciatione quòd *ſpurcitias regnantes in eis*, quas nitebantur exterioribus occultare, Deus revelaverat, cum quibuſdam, ut univerſæ Eccleſiæ panderentur; inter quas una dicebatur eſſe, qua adeò turmam Pſeu-

dopræ-

dopræconum Diabolus ſuo dominio ſubjugaverat, quod in odium & occultationem divinæ veritatis alicubi ſtatuerant inter ſeipſos de communi concordia, quod in publicis ſermonibus nullus exprimat illas expoſitiones ſacrorum eloquiorum, quas ſacri doctores adverſus pſeudoreligioſos & pſeudoprædicones tradunt in Gloſſis ordinariis aut Poſtillis, ſed in tali cauſa exponant eas potius Prophetæ quàm Evangeliſtæ. Rurſum dicebatur, quod eorum apoſtaſia perrumpat in tam libidinoſam veſaniam, quod in aliquibus Provinciis multi ex eis dogmatizabant ſpiritu libertatis utriusque ſexus, & eorum lectores alicubi aſſerebant, quod in virili commercio carnis nunquam peccatum committebatur, nec in tractibus. Denunciabatur inſuper, de occultis fuiſſe divinitùs revelatum, quod magiſterio Dæmonis multi de ſtatu illo deducerentur ad tantam apoſtaſiam, *ſub carnalibus Pontificibus Apoſtolicæ ſedis*, quod infernali obſtinatione inſurgerent contra Deum. *Primùm*, tranſgrediendo limites Regulæ datæ ad fundatorem ſtatus, ad imitandam vitam Apoſtolorum. *Secundò*, violando juramentum profeſſionis, & patrimonium eligendo atque fovendo. *Tertiò*, quoſcunque Collegas, ipſorum tranſgreſſionem deteſtantes & arguentes, condemnando, & opprimendo uſque ad mortem, tanquam ſuperſtitioſos, & ſtatui contrarios. *Quartò*, appellantes ad ſedem Apoſtolicam, non propter gravamen aut rigorem diſciplinæ, ſed propter corruptionem Evangelii, ſæviſſimis carceribus & inhumanis exiliis occidendo: omnem authoritatem & cuncta beneficia ſedis Apoſtolicæ non ſolùm ingratiſſima, ſed impiiſſima ſuperbia contemnendo, & omnia vincula ejus, ſcilicet tam propria quàm communia furioſiſſimè dirumpendo. *Sextò*, Scripturas veritatem Evangelicam exprimentes, & ſacri textus myſteria declarantes, ac eorum tranſgreſſiones & ſpurcitias deſcribentes, occaſione alicujus dicti, non erronei aut falſi, ſed tantum ambigui, tanquam ſuperſtitioſas & erroneas condemnando & comburendo. *Septimò*, cunctis Collegis illius ſtatus legere vel ſtudere in prædictis Scripturis, ubique ſub pœna mortis interdicendo, puteumque viventium aquarum claudendo ſitientibus aquam vitæ, vel intellectus ſacrorum eloquiorum. *Octavò*, ſanctitatem defunctorum in confeſſione veritatis, & deteſtatione prævaricationis ipſorum, calumniis & diffamationibus extinguendo, & claritatem teſtimoniorum cœleſtium mirificantium ſanctitatem illorum, verſutiis diabolicis obtenebrando. *Nonò*, cunctos volentes in Evangelica paupertate vel abjectione vivere, tam extra ſtatum quàm intra, furioſiſſimis calumniis & diffamationibus perſequendo, & mundanos Pontifices ignaros & incautos ſtudioſis mendaciis provocando adverſus eos, perfectio derelicta per eos, & aſſumpta per alios, in facie populi manifeſtiſſimam faceret eorum apoſtaſiam. *Decimò*, ſub pœna crudeliſſima ſtatuendo, ne quis eorum habeat cum pauperibus ſupradictis commercium, vel eos in Confeſſione audiat. *Undecimò*, interdicendo eis Eccleſiarum ſuarum ingreſſum ad orandum, aut audiendum divinum officium, & cum offenſa

corpo-

corporis expellendo: sic scilicet, quod impudicissima præsumptione denegant sacramenta filiis Christi & Ecclesiæ suæ, cumque solùm authoritate istorum duorum receperint ministerium administrandi sacramenta, seu dispensandi, nec timent nec erubescunt utriusque filios de Synagoga eorum ejicere: & actus pœnitentiæ, sicut Confessionis & Satisfactionis, quas Evangelium nullis denegat, sceleratis etiam, excommunicatis, schismaticis & hæreticis, isti denegant illis qui pannis vilibus induuntur. *Duodecimò*, satagendo quibuscunque modis in omnibus personis extinguere spiritum Evangelicæ perfectionis, ita quòd in quibusdam mundanis persuasionibus in aliis verò sophisticis & dolosis prædicationibus, in aliis autem palliatis comminationibus, vel aliter & aliter multis modis. *Tertiodecimò*, satagunt adimplere illud Isaiæ: *Iustus perit, & non est qui recogitat; & filii misericordiæ colliguntur, & non est qui intelligat.* A quibus autem colligerentur, subjungit, cum dicit: *A facie malitiæ*, id est, à cuneo impiorum, qui sunt facies diaboli, collectus est justus. Itaque eorum studium est, quòd sicut de arbore colliguntur fructus ut † vendantur ab eis; sic ab arbore vitæ, scilicet mystico corpore Christi, satagunt quoscunque habentes spiritum Christi decerpere, tam extra statum quàm intra. Et ut illud intra statum adimplere possint, dicunt Revelationes præcedere; quòd arte dæmonis, qui statum illum, tanquam ei magis contrarium, subvertere nitebatur, duo contingerent; quorum primum esset, quod in statu illo præficerentur ubique falsarii vel apostatæ supradicti, Professores autem veritatis & Observatores dejicerentur à gradibus præside * ne possint alicubi respirare. Secundum erat, quod aliquandiu *ex illis falsariis sublimarantur ad Collegium Apostolicæ sedis*, ad providendum ne clamor filiorum veritatis ad sedem Apostolicam haberet ingressum. Quorum duo designantur per *anatem* & *struthionem*. Et de *anate* dicitur, quod in aquis deliciarum carnalium nataret assiduè. De *struthione* verò dicitur, quod sicut similis est pennis accipitri & grifaldo, qui altissimè volant, & tamen à terra nunquam pennis elongantur; sic iste austeritate gestus exterioris, ac vitæ, simularet cœlestem religionem, & tamen cor ejus fixum esset in appetitum gloriæ terrenæ, per ambitionem summi Pontificatus. De quo etiam dicunt, quòd studio suo sollicitudinis manifestaret prudentibus nequitiam sive duplicatis procurando & promovendo duas iniquitates. Prima, quòd omnes illi de statu suo, qui sequerentur vestigia defunctorum testium veritatis, & observatorum, dispergerentur & opprimerentur usque ad extremum. Secunda, quòd nullus eorum de statu suo, qui testimonium haberet extrinsecus veri religiosi, & cujus devotio existimationem in secularibus excitaret, vel ad curiam Apostolicæ sedis accederet, aut in ea pluribus diebus resideret; sed quòd tales omnino elongarentur abinde non solum virtute obedientiæ, sed insuper diffamationibus, machinamentis, & mendosis textibus imperceptibilium fictionum, ne ipsius & complicum perversitates ad notitiam & judicium Apostolicæ sedis pervenirent. Taliter etiam de contrario tur-

† *manden-tur*

baretur, quod erumpentes animi motus fictam detegerent sanctitatem; nam vir sanctus nunquam impatientia frangitur, nec livore roditur, nec tristitia seculi maceratur, nec frendet ira, nec furore ignitur, nec tabescit iniquitate, nec rancore incineratur, nec suspicione murmurat, nec imaginatione delirat, nec sensibus tendit in exitium rationis, quia non buffonizat indignatione, nec fumat detractione, nec crepitat diffamando, nec spumat in blasphemiam, non stomachatur in contumeliam, non tonat minis, non fulgurat nutibus, non inficit flatibus, non susurrio studet quenquam infatuare. Denunciabatur etiam prædictis Pontificibus, quod si vellent certificari, quod * hæc essent à Deo revelata hominibus, promptū erat ostendere per Scripturas, quas sancti Patres cum diligentia reposuerunt tam in Vrbe, quàm in antiquis cœnobiis. Quod si fortè revelationes non cederent suis temporibus convenire, qua de causa postponerent scrutari de illis, poterant experimento certificari, si saltem *in provincia Provinciæ*, & *provincia Tusciæ*, de supradictis inquirerent cum illis de statu, qui testimonium extrinsecus haberent veritatis & sinceritatis. Et tamen quantumcunque omnia prædicta nunciarentur eis, tam graviter oppressit eos *letargia spiritualis*, quod noluerunt intelligere, ut bene agerent, & contumeliam Christi de terra delerent; sed fascinati, *patens mendacium acceperunt pro mysterio Evangelicæ veritatis*; nam *reprimere* vel *compescere defluxus exorbitantium Regularium*, crediderunt esse *confusionem vel ignominiam Ordinis*; cum tamen sit certum, quod ordo verus in sui purificationem clarificatur; nec est ad confusionem ipsius, sed gloriam, suppositicios ejus filios mundare, vel amputare. Taliter, quod tunc fuit Ecclesia universalis à seductoribus infatuata, quod inordinationem multitudinis offendentis & exterminantis Evangelium, Ordinem esse putent. Et potius elegit pati, quod videlicet veritas cōfunderetur, tum ad ipsius contumeliam, tum ad populi scandalum vel ruinam, quàm simoniaca providentia confunderentur pseudoreligiosi, & status perfectissimus mundaretur à sordibus; patenter ostendens, quod *potius volebat hominibus placere quàm Deo, plusq; intendere negociis hujus mundi quàm Agni cœlestis, & terrena promovere contemptis cœlestibus.* Cumque denuncians excitaret universalem Ecclesiam stimulis antè dictis, ad obviandum exterminio Evangelii, nihilominus concorditer aut averterunt aurē, aut spreverunt denunciationem, aut insanierunt contra denunciationem; ita quod inter omnes non surrexerit unus veritate Catholica laureatus, & justitia Evangelica loricatus, & probitate cœlestis militiæ animatus, qui diceret: *Iste homo zelare videtur pro decore & gloria sponsæ Christi, & animarum salute. Scrutemur igitur, & palpando diligenter experiamur, si ea quæ nunciat sive loquitur, ad conversationem sive corruptionem Evangelii potius ordinentur; vel si sint pro veritate Catholica, vel si contra. Et reddamus ei secundum limam justitiæ, quod meretur, ne videamur vel negligere quæ sunt Dei, vel spernere: quia vox justius non est occulta, neq; particularis, sed ubique auditur.* Sed obmutuit Senatus, & solùm ob hoc, quod languores & maculas sponsæ denunciabat

bat ſponſo, propter zelum adhibendæ ſanationis flagellabatur. Et hi qui vexillum Evangelicæ ſanctitatis gerebant externis cæteris acerbiori furia perſequuti ſunt eum, non ſolum charitatis & juſtitiæ regulis abnegatis; ſed inſuper humanæ verecundiæ freno depoſito ſatagebant polluere innocentiam, & perdere innocentem, & liquorem abominationis prophanæ per Spiritum ſanctum, quem in vaſis propriis continebant, in blaſphemiam Evangelicæ veritatis non erubuerunt effundere; nam qui debuit, ut vir Evangelicus, dicere, *Egredere de domo tua, & de terra cognationis tuæ, & veni in terram, quam monſtrabo tibi*: hoc eſt, relinque omnes ſcientias ſeculares, in quibus natus es, & nutritus & intende ſacris eloquiis: dixit, *Intromittite de medicina, & non de Theologia, & honorabimus te.* Quibus verbis non ſolùm pronunciabat Evangelica documenta, ſed ab agro Theologiæ parvulos Chriſti nitebatur excludere, cupiens iſtum agrum ſingulariter cum Gigantibus poſſidere. Palàm enim etiam confitebatur, quod non zelus Chriſti, vel ſalutis æternæ animarum, ſed corporum regnabat in eo, cum ob corporum commodum, & non ſpirituum miniſterio communi ſponderet honorem; ſimulq; ſpreviſſet exemplum Pauli, qui magiſtratus in Theologia ſublimiori ſella collocans quàm Pariſienſes, commendavit Lucam de ſtudio Evangelico; neque ſuaſit ei potius ſtudium medicinæ corporalis, quàm Theologiæ.

Hæc omnia ſupradicta, Domine mi Rex, vobis expreſſi, ut cognoſcatis, quod *negligentia ſedis Apoſtolicæ* non debet vobis eſſe *occaſio dubitandi de fundamentis fidei Chriſtianæ*, ſed potius ad robur & firmitatem; cum Deus tempore veſtro pulſaverit negligentiam, & exprobraverit; & Nuncius contemptus & irriſus, & carceratus, & vinculatus, maneat in fide Evangelii conſtantior & ſolidior quàm fuerit unquã, & lætetur de morſibus æmulorum, in quantum tangunt eum plus quàm famelicus de ſuaviſſimis dapibus, nec unquam expiravit à corde ſuo triſtitia, quouſque percepit quod aliqui dicebant eum eſſe *fantaſticum*, alii *ſeductorem*, alii *pythoniſtam*, alii verò *hypocritam*, nonnulli verò *hæreticum*. Non ſolùm autem confirmare vos debet in fide Evangelii, quod Deus jam fecit in negligentibus denunciationem quod * eſt infra * à Novembri tranſacto. Scio enim quod Deus tertiò faciet prædicta denuntiari ſedi Apoſtolicæ; ſed per quem, aut ubi, vel quando determinatè ignoro, quia non eſt mihi indicatum. Et ſi denunciationem ſuſceperit, & in zelo Moyſi & Phinees proſequatur, eam decorabit per divinam potentiam omnibus ſublimibus antiquis & novis. Si verò neglexerit, certi ſitis, quod Deus infra dictum triennium faciet in ea terribiliſſima judicia, ut ſint Orientalibus & Occidentalibus ad ſtuporem; & qualia, dicam vobis ante receſſum meum in ſpirituali. Nunc autem, ſi placet, certificate me de propoſito veſtro, pro expetitione mea.

Tunc reſpondit Rex Fridericus.

Poſtquam Deus per veſtra verba tam clarè nos illuminavit, firmiter proponimus vivere in ſtatu noſtro ſecundum regulam Evangelii, & exponere nos morti

pro gloria Salvatoris ; & cunctos volentes in observantia veritatis Evangelicæ vivere , diligenter fovere & sustentare , nec non protegere paterna custodia. Ego autem replicavi : *Scribatis tantum vulgari vestro totum processum, quem cogitatis circa cultum Evangelii observare. Et substantia illius insinuationis, quam vultis facere* regi Arragonum *fratri vestro. Et faciemus ambo juxta seriẽ vestri vulgaris in Latinum converti , ut ego certificatus particulariter de plenitudine cogitatus & propositi vestri possim festinare ad fratrem vestrum ; maximè quia Nuncium spiritualem his cum suis nunc misit ad me, rogans & monens in Christo affectuosè quoque , priusquam vadat in regnum Granatæ , videam eum.* Rex autem prædictis auditis , traxit se in solitudinem, & scripsit prædicta in suo vulgari , & ecce qualiter per literam suam alloquitur fratrem suum.

Friderici Regis ad fratrem Iacobum, Arragonum Regem Epistola.

¶ *Fraternitati vestræ notificamus , quòd inter cætera beneficia pietatis divinæ, hoc percepimus esse notabile , quòd interdum privata meditatione , ac multum attenta , cor nostrum morosè applicuimus ad contemplandam distantiam vel differentiam temporalis hominum durationis ad æternam. Quòd enim de illo statu qui fine caret , nullam habeamus experientiam, sed id quod nobis innotuit , sola fide suscipimus & tenemus : cogebamur diutius convertere animum ad experta , scilicet ad contemplandum circumstantias temporalis vitæ sive durationis. Et cum in animo quotidiana experientia colligeremus , absque ulla dubietate cognovimus , quod nulla stultitia potest esse major in homine maximè Christiano, quàm sollicitari pro iis exequendis & acquirendis , quæ ad vitam solã conveniunt temporalẽ , magis quàm pro iis quæ ad vivendum æternaliter spectant. Claro etiã judicio vidimus, quòd talis homo per actum suæ sollicitudinis se transformat in brutum , cũ illud præcipuè sequatur quod sensualitas appetit , & id quod est rationis & intellectus negligit & postponit. Etenim certius est unusquisq;, quòd tẽporalis duratio vitæ valde brevis existit, cum infra ætatẽ unius hominis finiatur: nec sit alicui certum, qua parte humanæ ætatis habebit finem. Cum his etiam est certissimum, quòd nullius rei temporalis Privilegio poterit mortem evadere , vel de tempore mortis certificari : quia nec genus , nec regnum , aut aliqua mundana potentia , nec pecuniæ vel thesauri , seu quæcunque divitiæ , nec aliqua prosperitas domus aut corporis potest vel hominem immortalem facere , vel de mortis hora vel anno certificare : sed supra omnia certus est , quòd ab omnibus temporalibus taliter aliquando separabitur , quòd nunquam redibit ad usum eorum : nec etiam ipsa bona unquam sequentur eum. Quibus diligenter consideratis , & attendentes quòd ad comparationem status interminabilis , vita unius hominis multò minor incomparabiliter est quàm sit una dies : & quòd tota felicitas temporalis est tanquam ludus , in quo Rex vel Episcopus ludentium evanescit in una die : absque nube cognovimus, quòd cum quilibet Christianus certificetur per fidem Catholicam , quod Dominus Iesus Christus est veritas, & quod solùm ipse potest hominibus exhibere felicitatem interminabilis vitæ , sitq; promptus eam exhibere servitoribus suis : non solùm infelix est Christianus , sed*

etiam

*etiam omni stulto stolidior, si non ponat sollicitudinem suæ temporalis durationis in obsequium Christi: sic scilicet, quòd secundum statum & gradum suum potius intendat procurare quæcunque ad ipsius laudem pertinent, & honorem, quàm quæ ad fœlicitatem temporalem personæ propriæ vel suorum. Idcirco deliberavimus, quòd ex nunc totum vitæ nostræ residuum expendamus in ejus obsequium, procurando quòd ab hominibus laudetur, ametur, & honoretur. Cum autem nullus ametur & honoretur per ea quæ sunt ei contraria & ipse (sicut didicimus à sancta matre Ecclesia) sit veritas & justitia & pax, & misericordia: proponimus ad cultum istarum virtutum diligenter intendere, ac earum contraria, prout poterimus, evitare. Unde quia vanitas veritati contrariatur, quicquid tantum servit cultui vanitatis, abscindere volumus amore ipsius, non solùm à persona nostra, sed insuper à domesticis & subditis nostris, prout ratio limitabit, tam Catholica quàm humana, injustitiam verò & iniquitatem, sive crudelitatem ac inquietudinem amicorum Christi, semper horrendè conabimur evitare. Quia verò Dominus noster Jesus Christus taliter & tantum dilexit suos, quòd acerbissimæ morti se ipsum exposuit: non videtur nobis, quòd ejus amore correspondereremus obsequio debito, nisi periculis mortis pro laude ac honore ipsius nosmetipsos exponeremus, prout ipse fecit pro nostra salute. Nam si nostro judicio velimus attendere, quantus & qualis erat ipse qui pro nobis elegit mori, proculdubio cognoscemus, quòd si millesies moreremur pro laude ipsius * summè justum existeret: & quòd injustitiam abominabilem ingratitudinis colimus, quando & quoties vitæ carnalis delicias quærimus, & pro ipsius laude & gloria nedum mori, sed etiam sumptibus & laboribus affici recusamus. Attendimus etiam, quòd cum ipse pro nobis peregrinus extiterit, veniendo ad regionem mortis: dubitanter is Christiani nomen usurpat, & falsò dicitur Christianus, qui peregrinari pro Christi gloria negligat, & incolarum eligat terreni thalami & virgulti. Quæ omnia vobis idcirco in parte sic exprimere studuimus nunc, ut nobismetipsis necessitatem aliquam imponamus ad laborandum pro Christi gloria dilatanda. Quoniam autem excellentia Regis Catholici, si obligatur ex æquitate justitiæ supradictæ, non solùm in subditis suis Christi gloriam dilatare, sed etiam in extraneis: & cognoscimus, quòd non est verè Catholicus, si ad exterminandam Christi contumeliã non ferveat incessanti zelo, tam in alienis populis quàm in suo, propterea zelum istum in nobismetipsis accendere studiosè intendimus, & exoptamus quòd in nobis inter Reges cæteros Catholicos accendatur, ut sit ambobus amarius morte, quòd blasphemi Salvatoris nostri, sepulchrum ejus possideant, in ipsius contumeliam, atque servitutem ignominiosam omnium confitentium nomen ejus; nam cum vinculum carnis & sanguinis non sit aliud in conspectu Dei, quàm quædam dispositio & introitus ad unionem spiritualem: ardenter optamus, quòd nos ambo, quos identitas generantium carnaliter fecit esse germanos, per devotum & splendidum obsequium Patris æterni, germanitatis æternæ gaudia consequamur: & fraternitas, quæ per carnis resolutionem expirat unionem spirituum in amore cœlestis Agni, vivat æternaliter cum eodem. Idcirco vobis, quem habemus præ cæteris mortalibus chariorem, volentes plenissimè*

 inti-

*intimare tam desiderium, quàm propositum nostrum, ad currendum nobiscum tam opere quàm effectu valde * materialiter, ut Laicis convenit, expressimus antedicta. Nihilominus ad pleniorem informationem vestræ prudentiæ, tam de particularibus nostri propositi, ab ordinationibus super prædictis, mittimus ad vos personam nobis unanimem in prædictis. Quapropter requirimus & rogamus vestram fraternitatem, & ex parte Domini nostri JESU CHRISTI fraterna dilectione monemus, quatenus animo & viribus universis, velitis hujusmodi unionis esse non solùm pars altera, sed etiam Pater & artifex: taliter, ut quæcunq; vestræ prudentiæ videbuntur dicta intentioni accommoda, vel fortè magis expedientia, quàm quæ per nos fuerunt excogitata, nobis tam literis quàm nuntiis intimetis. Præterea, quia Catholicorum tam desideria quàm opera debent semper in lumine ac splendore sanctæ matris Ecclesiæ consummari, ut directionis ejus & benedictionis uberibus educati promoveantur: rursum requirimus & rogamus, quatenus maturo consilio deliberetis & ordinetis, quando & qualiter dictæ matri notificetur tota veritas nostræ sollicitudinis & affectus, & de supplicationibus quas expediat & deceat fieri apud eam.*

Iacobi Arragonum Regis ad fratrem Fridericum Siciliæ Regem Epistola.

¶ Illustri ac Magnifico Principi Regi Friderico tertio, clarissimo Fratri nostro, Iacobus Dei gratia Rex Arragonum, Valentiæ, Sardinæ, & Corsicæ Sardinæ, Comesque Barchinæ, ac S. Romanæ Ecclesiæ vexillarius Amiraldus, ac Capitaneus generalis, fraternæ intimæque dilectionis plenitudinem cum salute.

Laudamus Dominum de cœlis, & benedicimus nomini sancto ejus. Et quas dignè non possumus (cum creatura non habeat quod pro meritis æqualiter respondeat Creatori) in humilitate Altissimo gratiarum exolvimus actiones, quia in vobis & nobis nostris temporibus operari misericordiam, & aperire mentis oculos propulsa caligine dignatus est. Suscepimus autem, clarissime frater, eximiæ prudentiæ virum & vitæ probatæ M. Arnoldum de Villa nova, quem novistis gratiis spiritualibus insignitum, de vobis ad nos ab illis partibus venientem, qui & nobis literas vestras obtulit, ac ex vestra parte scripta per vos non humana provisione, sed divino instinctu condita præsentavit: nosq; etiam de singulis, quæ commisistis eidem, per seriem informavit. Quibus lectis & perlectis, ac memoriæ intellectualiter commendatis, nos tanti & tam laudabilis ac utilis operis ordinatione stupentes, divinæ bonitatis clementia sublevavit, corq; nostrum firmavit, ut horum omnium intelligentiam caperemus. Ex quibus post stuporem, & lætitiam cordis ac gaudii immensitatem sumpsimus: conspicientes, hoc vos velle, ad hocq; ferventi desiderio aspirare Spiritus sancti flamine inspiratum, quòd postpositis hujusmodi finibilis & fallibilis terrenæ vitæ deliciis, quæ dignè deberent dolores ac amaritudines appellari, deliberastis eximiæ vitæ vestræ residuum in obsequium expendere JESU CHRISTI creatoris

toris humani generis, & mirifici redemptoris: & ea agere, per quæ nomen ejus, quod supra omne nomen describitur, laudetur à gentibus sequentibus vias suas: & quòd exterminentur populi, illius virtutem sanctissimi nominis blasphemantes. Ad quæ etiam tam nos specialiter, quàm alios Christianos, Christum colentes Dominum, doctrina mirifica in dictis vestre scripta commendabiliter invitatis, formamq; traditis divinum servitium & acquisitionem cœlestis gloriæ inducentem. Charissimam itaq; fraternitatem vestram nolumus ignorare, quòd visis dictæ doctrinæ vestræ capitulis, & nobis antefato Magistro Arnoldo tam ea quàm vestrum finem & laudabile propositum exponente, tanto fuimus in divinis obsequiis animosius excitati, quanto manifestius vidimus hoc à Deo, non ab homine processisse: nosq; & vos, & alii ambulantes per hæc, profectò sumus pro meritis æterna gaudia fœliciter recepturi. Sicq;, frater, vestris requisitionibus, rogationibus & monitionibus animosa voluntate faventes, proposuimus esse in unione vobiscum & animo & viribus universis per executionem operis & negotii prædictorum, non solùm etiam ut pars altera, sed ut Pater & artifex ac promotor, prout nobis (sicut ferventes appetimus) præstiterit ipse Deus, itaq; & nunc & in perpetuum ad gloriam Dei, & promotionem Evangelicæ veritatis, ad quam cœlestis inspiratio consignavit, nihil proprium, sed commune vobiscum habere intendimus, ut unitas voluntatis & spiritus in ambobus fratribus repræsentet, in cunctis nostris successoribus vestigia Salvatoris: & id quod orando pro suis effudit ad Patrem dicens, Ut sint unum sicut & nos, semper in nobis luceat coram hominibus ad laudem ipsius. Namq; charissime frater, in quibusdam capitulis præmissi Operis, quasdam declamationes seu additiones fecimus, prout videre poteritis, sicuti nobis Altissimus ministravit in Christo: firmam spem ac indurabilem fiduciam obtinentes, quòd quia tam nobile jam promovit principium, prosequetur id felicius, & fine feliciori concludet. Scitote autem, quòd jam circa hæc Rex regnantium cœpit mirabiliter operari. Etenim tempore quo vos Deus ad præmissa sua pietate vocavit, ac cœlitus inspiravit: nos à simili ad suum servitium, qui sub mundanis sollicitudinibus dormitabamus, ad exaltationem suæ sanctæ catholicæ fidei, & depressionem sectæ Mahometicæ eodem tempore excitavit: adeò, quòd ad depressionem & eradicationem Sarrazenorum fœditæ nationis, in citerioris Hispaniæ partibus existentis, unà cum magnifico Principe Rege Castellæ communi consanguineo, votis suis & nostris unanimiter concordatis, jam actu extendimus vires nostras. Super præmissis autem omnibus & singulis præscriptis M. Arnoldus viva voce, ac scriptis suis, de intentione ac nostro proposito Frat. vestr. clarius informabit. Vos præterea, chariss. frater, vestrum hujusmodi propositum virtute constantiæ prosequamini continuis actibus, ac viriliter & perseveranter confirmetis, verbum Evangelicum intuentes, quod Salvator mundi sic protulit: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Sanè expeditis (agente illo, cujus negotium agitur) depressionis & eradicationis præscriptæ fœditæ gentis negotiis, quorum exitum cum Dei gratia felicem expectamus, & proximum: confidentes in illo qui cuncta bona opera promovet ac prosequitur, & finis prosperitate concludit: tenemus firmi-

*firmiter, quòd idem taliter ordinabit, quòd nos & vos conveniemus in unum, receptis mutuæ visionis gaudiis, & ad effectum præscripti sancti operis effectualiter procedamus, scituri nos omnia * novam in nostris cogitationibus invenisse. Quam credimus ad promotionem & prosperitatem domus vestræ, & vestri hujusmodi laudabilis desiderii profuturam, & multum fructuosam, quod nulli viventi præterquam dicto Magistro Arnoldo expressimus: ob quam caussam eundem in his partibus aliquandiu deliberamus retinendum. Qui, ex quò prædicta via negotium in certo tenebimus, in cujus tractatu personas quasdam in curia Romana vel circiter existentes, utiles & necessarias expectamus, vestram adibit præsentiam, & omnia vestris sensibus clarius & perfectius intimabit. Deniq; de statu vestro, quem Dominus jugiter faciat prosperum, affectantes plurimùm informari, vestram fraternitatem mentali affectione deposcimus, inde nos nunc & sæpius informetis: nostrum autem vobis felicem esse ac prosperum, actrice divina misericordia, præsentibus nunciamus.* Datum Barchinonæ, 3. idus Iunii: Anno 1309.

INCIPIT AD HONOREM CHRISTI BREVILOQVIVM de duodecim Oneribus Vrbis.

AD illuminationem simplicium Clericorum, in præsenti opusculo librum *de Oneribus verbis*, quem composui super sequentem prophetiam, quæ incipit, *Væ mundo in centum annis*⁹ notabiliter breviabo, & sine ænigmate mysteria sigillata in ea sub occultis verbis in lumine Christi reserabo ad plenum; quia tempora valde instant, ut ea quæ prophetantur, in ea penitus compleantur, licet una pars appareat jam completa; nisi enim præintelligerentur terribiles eventus qui prædicantur, hic frustra & sine utilitate hæc scriptura revelata fuisset. Constat quòd omnisciens, infinitus, sapiens, gubernator naturæ, nihil revelat frustra, nec agit inutiliter, sed ad utilitatem Ecclesiæ veras prophetias ordinavit.

Solerter hanc Prophetiam inserit *Magister Arnoldus de Villa nova*, in libro suo quem intitularit *De mysteriis symbolorum*; sed eam non exponit, & dicit ipsam uni simplici viro, ferè sine literis devoto & sancto revelatam fuisse, salva semper Ecclesiæ sacrosanctæ ratione. Causa principalis primaria & revelans fuit Spiritus sanctus, juxta illud 2. Pet. cap. 2. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Causa secunda & instrumentalis fuit ille sanctus homo, cujus nomen ignoro. Causa materialis, sunt *terribilia Onera totius Orbis*, quæ describuntur in ea. Causa formalis est, *stilus cœlestis scholæ*, qui manifestè relucet in flamine prophetali. Causa finalis est, *gloria omnipotentis Christi, & informatio, præmunitio, instructio totius corporis mystici ejus, adversum Antichristum proximum.* Dicit ergo Deus: *Væ mundo in centum annis, quia elongatus est à decore meo.* Hic statim quæritur, primo, à quo anno & tempore isti

isti centum anni debeant inchoari, infra quos mundus nequam (pro quo Christus in Evangelio recusavit orare) maledici & onerari omnibus ponderibus sequentibus perhibetur; infrà quos, ut infrà dicetur, veniet Antichristus proximus. Respondebo breviter, quia prolixè in libro majori respondi, quòd omni ambiguitate & disputatione abjecta, isti centum anni incipiunt ab anno Domini M. CC. LXXXVIII. in quo capita fuit civitas Tripolis sub Nicolao Papa IV. de ordine fratrum Minorum. Cujus ratio est, quia primum quod in speciali prophetatur, hæc est captio Tripolis, destructio Accon, expulsio Christianorum à tota Syria. Et ideo onus fuit inchoatum super Tripoli anno prænominato, sed clarè digessi in libro meo de Chronicis, & patet per alios Chronistas; nam postquam in generali mundus maledictioni in centum annis subjicitur, à quo tempore inchoetur prima maledictio specialis, seu primum *Væ*, evidenter ostendit, cum dicit, *Habitatores Syriæ*, &c. Et hoc demonstratione concluditur certissima ex hoc, quia fantasticum esset dicere, quòd illa tribulatio Christianorum in Syria, postquam expresè dicitur *Væ centum annorum*, literaliter excludatur. Fuit ergo ante illud tempus facta hæc revelatio, & non ponitur juxta annum, in quo facta est, quia captione Tripolis hi centum anni pro certo inchoantur. Ex quo certificatur universalis Ecclesia, quòd *Antichristus* proximus *venturus est circa annum Domini 1328*; quia à captione Tripolis usque ad illum annum, sunt centum anni, neque plus, neque minus. Et ex eisdem fundamentis concluditur infallabiliter, quòd Antichristus apparebit in mundo ab hoc an. Domini 1354. infrà immediatè sequentes 34. annos, quod calculatione certissima demonstratur, quia subtrahe à 1388, nunc 38, remanent 1358. Et nota, quòd licet dicatur infra 24. annos immediatè sequentes venire filius perditionis, non propter hoc intelligas, quòd tantum tardet venire, sed quòd infra illos veniet Antichristus, maximè ab anno 1366. & ultrà, sicut digessi in libris aliis extra istum, ex numeris Danielis. Quare autem maledictioni centum annorum, quorum tantum *Væ* restant, complendi ab hoc anno hic mundus subjiciatur, immediatè ratio redditur, cum subjungit; *Quoniam elongatus est à decore meo*, hoc est, *ab omni pulchritudine Evangelicarum veritatum, & introducta est in reprobis plenitudo omnium vitiorum, in maxima parte carnalissimi Cleri, & deturpati pro magna parte populi Christiani*, sicut oculus probat ad sensum. Et hoc primum *Væ* est toti seculo generale; quia non est in mundo natio aliqua, quæ coram Deo possit dicere, *Non offendi.* Ita non est patria, quæ non sentiat furiam irati crucifixi. *Habitatores Syriæ, quos studia prophana dilacerant in indignatione * mande littore maris ejiciet gens prophana; eritq; solitudo in terra, donec novus D.D. arcem Syon veniat reparare.* Hoc est primum *Væ* spirituale, à quo centum anni incipiunt computari, & tangit maledictio ista Triopolim & Acon, quæ in libris Machabæorum appellatur. Et quia anno Domini 1268. vicies octies capta fuit Tripolis, tunc civitas Christiana per Soldanum Ægypti ab illo infra centum annos immediatè sequentes tota hujus Prophetiæ series affirma-

tur complenda. Et anno Domini 290. poſt duos annos à captione Triopolis, capta eſt & *Acon* civitas Chriſtiana, à Soldano Ægypti pariter, & deſtructa, juxta prophetias Veteris Teſtamenti. Ab eodem tempore uſque ad iſtam diem expulſus eſt totus populus Chriſtianus de regno Iſrael & Syriæ, & data eſt terra in manus impii populi Sarraceni, & celebrat terra ſabbata ſua, expulſo ſcelerato populo Chriſtiano, prout Dominus teſtatur dicens: *Quos ſtudia prophana dilacerant* videlicet univerſa peccata, quibus ob abundantiam mercationum deditus erat cultui carni Syrus populus Chriſtianus. Et quia iratus Deus, contra eos miſit Sarracenos, ob magnitudinem iræ, & hæreditatem ipſorum tradidit Chriſtus alieno populo Sarraceno, uſque ad certum tempus, ut impleretur quod ſubdit dicens: *Eritq́ſolitudo in terra Syriæ & Jeruſalem, Tripolim, Acon & Damaſci, donec novus David arcem Syon veniat reparare.* Per hunc *D.D.* recuperationem, ſeu reparationem arcis Syon, hoc eſt, *Jeruſalem & Regni Syriæ* futuram, Prophetam victorem univerſi orbis reparatorem intelligo, de quo in comento Oroſcopi Prophetæ abundanter digreſſi; ac inſuper Principem Chriſtianum ſecularem ſub eo, qui duxerit belii univerſi populi Chriſtiani. Sed quando hoc erit? Certè propè eſt, ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur. Et infra hos proximos decem annos immediatè futuros, ſcilicet ab anno Domini 1364. audiemus rumores, ſicut & quoties libri Oroſcopi in commento meo manifeſtè probavi. Quia infra hos proximos 34. annos neceſſe eſt deſtrui Sarracenos, & Iudæos converti, & juriſdictionem ſummi Pontificis per univerſum orbem dilatari, &c.

CLXXIV. *Gravamina.*

VIſum eſt omnia *Gravamina* (ut ea olim vocarunt) id eſt *politica onera*, quibus ſe à Papis & Prælatis ſæpe gentes ac regna onerari queſta ſunt, quantum fieri omnino poſſet, in unum colligere, eaque huic noſtro operi inſerere, quo à Chriſtianis aliquatenus divinari poſſit, quàm intollerabili, non tantum ſpirituali, ſed & politica tyrannide gentes & regna oppreſſerit & everterit. Tametſi pauciſſima adhuc ſuperſint, nam talia cum primis diligenter ſuppreſſa ſunt à Clericis, magis etiam quàm alia ſcripta contra Papam, quòd hæc magis propalàm injuſta fuerunt, & magis Clerici opum quàm religionis conſervationem ſpectarunt.

Diſtinctione 19. citatur Decretum quoddam ex Concilio Caroli, in quo Patres Concilii queruntur, imponi ſibi vix tolerandum jugum à ſede Apoſtolica. Nō opinor eſſe Caroli Magni tempore factum, nam tunc temporis adhuc non nimium formidabilis erat potentia. Sed de hoc Decreto ſupra dixi.

Ludovicus IX. Rex Gallorum, qui inter Divos relatus eſt, Legem ſanxit anno Domini 1228. contra fraudes Paparum, in qua queritur graviter de novis eorum adinventionibus, reſervationibus & præventionibus redituum & dignitatum Eccleſiaſti-

clesiasticarum, quibus Papa omnem fermè collationem dignitatum Ecclesiarum sibi rapuerat. Eodem anno idem Rex & contra Simoniacam legem tulit, in qua queritur, vendi Ecclesiasticas dignitates. Rursus idem Ludovicus aliquantò pòst, *Sanctionem pragmaticam* sanxit, quæ adhuc hodie celebris est, qua prohibuit omnes Curiæ Romanæ exactiones impositas & imponendas. Sic verò inter alia de rapacitate Paparum queritur: *Item exactiones & onera gravissima pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ regni nostri impositas vel imposita (quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum existit) sive etiam imponendas vel imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, &c.*

Pòst hunc Ludovicum *Philippus Pulcher*, anno Domini 1303. evulgavit Edictum, *ne Clerici*, novas exactiones *exigant, sed veteribus tantum contenti sint.* Item *Carolus Quartus*, anno 1388. jussit bona collectorum Papæ detineri, eorumque collectiones impediri. Quorum si omnium Edicta & Acta integrè haberemus, possemus inde graves querelas adscribere; neque enim sine causa, tam severa Edicta promulgarunt.

Iam adscribemus Acta & Articulos Gravaminum à Rege & Regno Galliæ Prælatis & Episcopis suis Parisiis, Anno 1329; propositos, & ex impresso libello Doctoris Petri Bertrandi & Cardinalis descriptos. *Articuli Gravaminum Parisiis deliberati.*

Anno Domini millesimo trecentesimo vicesimonono, die prima mensis Septembris, Dominus Philippus de gratia Dei Francorum Rex Christianissimus, filius quondam claræ memoriæ Domini Caroli, Comitis Valesii, mandavit Prælatos & Barones Regni Franciæ, ad diem Octovarum festi beati Andreæ, proximo subsequentis Parisiis convenire per literas suas infrà aram inclusas; quarum quidem literarum Prælatus videlicet directarum tenor sequitur, & est talis:

Philippus Dei gratia Francorum Rex, dilecto & fideli nostro Episcopo Eduensi salutem & dilectionem. Quantò magis scientiæ divinæ divinarum Scripturarum notitia, ac cæterarum virtutum magistra rerum experientia, vigent in vobis: tantò plenius nostis, quantum & qualiter omnes & singuli Clerici & Laici regni tanquam membra simul in uno corpore viventia, sibi ad invicem tenentur compati, mutuumque præstari consilium & auxilium temporaliter & corporaliter, ad defensionem & custodiam unitatis, & optatæ pacis mortalibus cunctis & veræ unionis contraria, suis quique contenti juribus pro viribus propulsanda. Cum igitur ad nostram ductum fuerit notitiam, quòd vos gentesque & officiales vestri asseritis per Ballivos & officiarios nostros, & per Barones aliquos regni nostri Franciæ, vobis ac subditis vestris, dicti Ballivi & officiales nostri ac Barones prædicti asserunt, etiam per vos & officiales vestros ac per curiarum vestrarum satellites, & cursores nobis & ipsis, nostrisque & eorum subditis quàm plura fuisse retroactis temporibus illata, & in præsenti ad huc inferri hinc inde gravamina, insolitasque & indebitas novitates, propter quæ illius veræ unitatis connexio, quæ inter vos & ipsos vigere debet, ut est dictum, suæ quodammodo indissolubilitatis integritatem amisit.

Quòd si nobis, qui subditorum nostrorum tam Clericorum quàm Laicorum concordiam & unitatem diligimus, displicet, non est mirum. Et idcirco volentes super his de salubri remedio, quantum cum Dei adjutorio possumus, providere: requirimus vos: nihilominus tenore præsentium mandantes, quatenus ad diem octavarum festi Andreæ proximè venturum Parisiis personaliter intersitis, ut admoneamini de gravaminibus & novitatibus, quæ & quas per prædictos asseritis vobis fuisse illata & illatas: nos autem prædictis Balivis & officialibus nostris atq; baronibus damus per nostras alias literas in mandatis, ut dicta die Parisiis similiter intersint personaliter, ac nisi super gravaminibus, & novitatibus, quas sibi & subditis suis per vos & officiales vestros asserunt fuisse illatas, ut super his & singulis hinc inde illatis gravaminibus per nos & consilium nostrum de tam salubri possit remedio provideri, quòd inter vos & ipsos amoris vinculum incorruptibile & syncera charitatis affectio indissolubilis futuris temporibus debeant observari. Die Veneris, XV. Decemb.

Die verò superius in dictis literis contenta, Prælati Parisiis convenerunt in palatio Regali, & comparuerunt coram Rege ibidem Prælati ad invicem, videlicet: Domini, Bituricens. Auxitanus, Turon: Ro. Rhoma. Senon. Archiepiscopi, Belvacen. Cathalanen. Landun. Parisiens. Noviomens. Constant. Andegavens. Pictavens. Meldens. Cameracens. sancti Florii, Briocens. Cabilion. & Eduens. Episcopi. Qua die ipso Rege sedente, & consiliariis suis, nec non aliquibus baronibus ibidem assistentibus, & facta dignitati Regiæ reverentia per Prælatos, nobiles & discretus vir Dominus Petrus de Cugneriis, miles & consiliarius dicti Domini nostri Regis, in præsentia omnium & in publico locutus est pro Rege, facto themate suo: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Et prosecutus est juxta illud thema, materiam suam includendo ad duo. Primò, quòd Regi debeatur reverentia & subjectio: secundò, quòd debeat esse spiritualium & temporalium divisio, ut spiritualia ad prælatos, & temporalia ad Regem & barones pertinerent. Et hoc probavit per multas rationes facti & juris, prout in responsionibus factis infrà sic per Senonens. electum & Episcopum Eduens. plenius continetur. Et finaliter conclusit, quòd Prælati essent contenti spiritualibus, & in eis defenderet eos Rex.

Quibus sermonibus completis, dixit verba quæ sequuntur in Gallico, quod intentio Regis erat reintegrare temporale. Deinde proposuit in Gallico Articulos infrà scriptos; & postea tradidit in Gallico Prælatis, licet sint translati in Latino, & proponendo eos probat, contenta in eisdem non pertinere ad Prælatos, sed ad Dominos temporales, & qua injustè procedebatur per Prælatos super eis. Et nihilominus propositione facta, dixit idem Dominus Petrus, quòd Prælati super his deliberarent & consulerent Domino Regi, tanquam ejus fideles. Sunt autem hi Articuli, & responsiones super his factæ, nec non Gravamina Regi tradita per Prælatos, quorum quidem Articulorum in Gallico traditorum, in Latino tamen translatorum, tenor sequitur, & est talis.

Hæc

Hæc ſunt Gravamina & uſurpationes, quæ & quas Prælati & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ regni Franciæ, vel eorum Officiales & Iudices, pro ipſis fecerunt & faciunt, in præjudicium Iurisdictionis temporalis Domini Regis & Baronum, & aliorum ſubditorum ſuorum Dominorum temporalium.

Primò de jure communi cognitio cauſarum, qua tangunt realitatem, ſive ſint in poſſeſſione ſive in proprietate, pertinet ad jurisdictionem temporalem; & Officiales Prælatorum impediendo jurisdictionem temporalem, nituntur ſibi attribuere cognitionem cauſarum realium, ſpecialiter ſuperpoſitione & ſuper omnibus interdictis.

2. Item quando laicus turbatur vel impeditur in poſſeſſione terræ per aliquem Clericum, & propter hoc impetrat adiornamentum à judice ſeculari in caſu novitatis, vel aliàs: Officiales Prælatorum impedientes jurisdictionem temporalem, faciunt moneri ad inſtantiam Clerici judicem ſecularem, & Patrem, ut poſt adiornamentum ceſſent ſub pœna excommunicationis, & certæ pecuniæ quantitatis.

3. Item cum cognitio perſonarum laicarum pertineat ad judicem ſecularem, exceptis caſibus ſpiritualibus: Officiales Prælatorum faciunt eos citari coram ſe ad inſtantiam partis. Et ſi dictæ perſonæ laicæ declinent jurisdictionem dictorum Officialium, vel Domini, quibus ſubjiciuntur, requirunt eas remitti coram eis tanquam coram Dominis vel judicibus ſuis temporalibus: dicti Officiales renuunt hoc facere, & compellunt per excommunicationem partes ad procedendum coram eis.

4. Item Officiales Prælatorum faciunt ſæpe moneri perſonas laicas ad inſtantiam Clericorum, dicentium ſe eſſe impeditos in rebus hæreditariis ſuis per laicos. Etſi ipſi laici afferant realitatem, & ita ſit in veritate, & ſuper hoc petant remitti ad judicem ſecularem, dicti Officiales monent eos ſub pœna excommunicationis, & ſub magna pœna pecuniaria, ne propter hoc vadant coram judice ſeculari.

5. Item Officiales Prælatorum nituntur habere cognitionem contractuum initorum, in curia ſeculari per literas aut ſine literis, & per monitiones excommunicationis, ſententias nituntur excommunicationis facere talium contractuum ſuper obligatis.

6. Item Prælati faciunt Conſilia Provincialia, & Synodalia ſtatuta, in quibus plura faciunt & ordinant in grande præjudicium jurisdictionis temporalis, de qua non ſpectat eis quoquo modo cognoſcere, & vi ſe intromittere.

7. Itē prædicti Officiales nituntur plures juratos pro recipiendis obligationibus ſuis, in contractibus in illis jurisdictionibus atq; locis dominorū temporalium ſuper venditionib. rerū hæreditate & alias, & ſic nituntur impediri jurisdictionē temporalem, cum extra ſedem ſuam obligationē recipere nō debeant, vel contractus.

 8. Item

8. Item faciunt citari plures laicos ex officio suo super aliquibus, quæ sibi imponunt maleficiis responsuros, de quibus impositis asserunt sibi cognitionem pertinere. Et quando citati hujusmodi venientes ad diem sibi ut præmittitur assignatã, negabant maleficia opposita contra eos: dicti Officiales ipsos detinent captos, nec volunt eos recedere, licet in casibus eis impositis pertineat recedentia: & licet captio & detentio ad eosdem Officiales minimè pertineat, sed ad judices seculares. Item in casibus supradictis, licet per inquestas & processus factos per Officiales prædictos, contra dictos laicos sic captos & detentos, iidem laici reperiantur puri & innocentes, & ab imposito sibi maleficio absolvantur: nihilominus dicti Officiales nolunt eos expedire, donec pro scripturis processuum, seu in questa prædictorum satisfactionem fecerint de magna pecuniæ quantitate, licet de jure in tali casu eis expensas restituere tenerentur.

9. Item memoria sit de loquendo super sententia excommunicationis, quæ datur per solam citationem, quoties quis deficit.

10. Item loquendo super obligationibus de nisi per quas excommunicatur incontinenti si non solvat certa die, licet nequeat solvere die illa.

11. Item, quanquam aliqui, quicunque sint, excommunicantur virtute excommunicationis curiæ Prælatorum, & tales excommunicati non satisfaciunt de summis contentis in excommunicatione, incontinenti re aggravantur: & tunc iidem Prælati vel eorum Officiales faciunt moneri judices seculares sub pœnas excommunicationis, compellant per captiones bonorum tales excommunicatos ad faciendum se absolvi, & ad debitum persolvendum. Et ubi judices seculares non obediunt monitioni hujusmodi, ipsi excommunicantur, nec possunt absolvi nisi satisfaciant de debito, pro quo personæ præfatæ excommunicatæ existunt.

12. Item si ballivi præpositi vel servientes Regi, aut alii subditi judices seculares talibus monitionibus inclinaverint nec aliqua bona penes excommunicatos prædictos inveniantur, oportet dictos Officiarios Regis ire cum expensis suis ad curiam Prælatorum, & ibi juramentum præstare, quod nulla bona invenerunt penes excommunicatos. Alioqui incontinenti denuntiantur excommunicati, & per sententiam excommunicationis depelluntur ad satisfaciendum de debito pro ipsis excommunicatis.

13. Item si duo laici sint processu in curia alicujus Domini temporalis, super actione reali vel personali, & contingat quod altera partium diffugiendo appellet ad curiam alicujus Prælati, coram Officiali suo, post magnos processus factos, & litem contestatam: Officiales dictarum curiarum nituntur retinere cognitionem talium causarum, tam in reali quàm personali, & virtute monitionum & sententiarum faciunt desistere Dominum temporalem, à cognitione causæ post appellationem, quod nisi faciat, excommunicatur, & trahitur ad emendam: ex quibus

tempo-

temporalis læditur jurisdictio, & amittit resortum suum. Quia nullus à curia Prælatorum appellat ad curiam Regiam.

14. Item si quis laicus in villa Regis, facit arrestari debitorem suum laicum per justitiam secularem loci, si arrestatus appellat, illos qui arrestant eum rei faciunt arrestari, Officiales volunt habere cognitionem talem. Et si aliquid attentetur super appellatione, ipsi nituntur exigere emendam à justitia, sicut ab illo cui factum est arrestum. Et si gentes Regiæ compellunt eos ad resistendum, ipsi excommunicant eos.

15. Item dicti Prælati habent magnam multitudinem Officialium, quos vocant Præpositos Clericorum, qui quidem Officiales faciunt communiter Citationes viva voce contra quasque personas per dominium Regis, & alibi sine commissione: licet in qualibet diœcesi esse non debeat nisi sedes una duntaxat, ubi cognoscatur de causis. Et ex hoc accidit pluries, quod multæ personæ sine causa coram eis citantur ad finem, quod redimant se de magna pecuniæ quantitate: quod est in magnum præjudicium Regis subditorumque suorum, & jurisdictionis temporalis eorum.

16. Item dicti Præpositi Clericorum sigillant domos Clericorum in villis Regis & aliorum Dominorum temporalium, in præjudicium jurisdictionis Domini Regis & aliorum secularium: licet in domibus & aliis tresfondis Regis vel aliorum secularium, dicti Prælati exercere aliquam jurisdictionem possint.

17. Item dicti Prælati vel eorum Officiales, sigillant bona mobilia Clericorum conjugatorum & mercatorem, licet in talibus eorum cognitio pertineat ad judicem vel curiam secularem.

18. Item compellunt personas laicas ad dandum assecuramentum Clericis coram eis, in curia Ecclesiastica, maximè Regis servientes.

19. Item in justitia & in dominio Regis & subditorum, faciunt gentes Prælatorum inventatoria de bonis laicorum decedentium.

20. Item ipsi cognoscunt de actionibus hypothecariis, quæ sunt reales, vel saltem mixtæ.

21. Item dicti Prælati nituntur habere cognitionem personarum laicarum, commorantium in domibus Dei, & leprosarum, villarum regiarum & subditorum suorum, vel extra villas, licet Domino Regi vel ejus subditis memoratis pertineat cognitio eorundem: & dant dicti Prælati vel eorum Officiales monitiones cum magnis pœnis pecuniarum, & sententiæ excommunicationis, quod nullus trahat illas personas mali à curia quam sua.

21. Item ad finem, quod dicta curia Ecclesiastica augmentetur, dicti Prælati faciunt magnam multitudinem tonsurarum pueris ætate minoribus, quorum aliqui sunt servorum filii, alii de illegitimo matrimonio procreati, ac hominibus conjugatis, insufficientibus & illiteratis.

23. Item

23. Item faciunt contagiari & compelli per ſuos Præpoſitos Clericorum mulieres viduas, & nituntur habere eorum cognitionem, nec non pupillorum,& ſibi applicare bona eorum, quando moriuntur: ſicut de majoribus ætate, quando decedunt ab inteſtato,quorum quidem cognitio ſpectat ad Regem,quia tales perſonæ ſunt cum bonis ſuis de gardia Regis.

24. Item faciunt capi per dictos Præpoſitos Clericorum, & in dominio Regis & alibi, juris ordine non ſervato,plures perſonas laicas, imponentes eis,quod in aliquo caſu commiſerunt aliquid contra fidem: & detinent eos in carceribus,licet eorum captio & detentio ſpectare debeat Domino Regi, donec tales perſonæ ſuper illo caſu impoſito ſint convictæ.

25. Item exercent ſuas jurisdictiones, currentes per villas Regias ſubditorum, licet extra ſedem ſuam non debeant jurisdictionem tenere.

26. Item quando iſti Prælati vel eorum Officiales faciunt moneri Præpoſitos, ſervientes & juſtitiarios Regis ſuper aliquo faciendo per eos, in ſuis monitionibus magnam pecuniæ ſummam apponi, applicantes Prælatis, niſi fiat, & compleatur,quod in monitionibus ſuis continetur: & cum hoc pœnam excommunicationis apponunt, & hoc eſt incœptum de novo,in præjudicium Regis & ſubditorum ſuorum.

27. Item quando Prælati vel Officiarii eorum proſequuntur aliquem laicum in curia ſua ex officio, & in caſu hujusmodi deficiunt, ſibi teſtes, ipſi faciunt plures perſonas laicas ad ferendum teſtimonium in illa cauſa coram citari, ſive ſit Burgenſis, Regius, & alterius cujuscunque & temporis teſtibus, nolunt aliquid conſtituere pro expenſis eorum. Et niſi veniant ad diem ad quam citantur, excommunicantur. Item ſi aliquis malefactor capiatur, per aliquem juſtitiarium regium accuſatus de furto ſuo: & ille cui res eſt furata, veniat coram gentibus regiis, & probet rem hujuſmodi furtivam ſuam eſſe, & ideo expediatur eidem per gentes regias, ſi ex poſt facto dicant Prælati vel eorum Officiarii malefactorem eſſe Clericum, ipſi faciunt compelli per monitiones & citationes ſuas, prædictas gentes regias ad reſtituendum eis rem furtivam prædictis: quod niſi fecerint, excommunicantur.

28. Item ſi contingat, quòd gentes regiæ capiant aliquem malefactorem pro crimine certo per eum commiſſo, & idem malefactor dicat ſe Clericum eſſe, licet nec tonſuram, nec habitum deferat, Clericales Officiales Prælatorum faciunt in continenti detinentes & capientes compelli per monitiones & ſententias, ad reſtituendum ſibi prædictum malefactorem tanquam Clericum ſuum.

29. Item ſi gentes regiæ vel alii Iuſtitiarii ſeculares cœperunt aliquem malefactorem, latronem, vel etiam homicidam, qui tonſuram deferat Clericalem, eumque reſtituant Prælatis: idem malefactor ſatis citò poſtmodum expeditur, licet cognoverint crimen: etiam licet aliqui laici,qui cum eo fuerunt ſocii in maleficiis,

ficiis, propter hoc justitiati fuerint, cumque accusaverint de maleficio: & sic tales malefactores ad talia maleficia perpetranda facilius excitantur.

30. Item si quis dicat se expoliatum fuisse, Officialis dabit sibi in continenti monitionem contra expoliatorem, & virtute monitionis hujusmodi movebitur per aliquem de præpositis Clericorum, quod restituat sibi contenta in monitione: aut quod juret, si spoliavit conquerentem de his de quibus est conquestus, & sic jurare revertit coram præposito, ipse præpositus in continenti monitionem sigillat, & excommunicat illum qui noluit jurare: nec poterit postea absolvi, donec satisfecerit de contentis in monitione, de quibus conquerens se prius dixerat spoliatum.

31. Item si quis pro delicto suo detineatur in carcere alicujus judicis secularis, licet captus fuerit in habitu laicali & sine tonsura, & quòd gesserit se antea per totam vitam tanquam laicus, pro eo solum quod adnovabit se pro Clerico: quia meliorem expedientiam habebit à Prælato & Officiariis, quàm per seculares, & delictum manebit impunitum, dicti Officiarii faciunt moneri judicem secularem, ut citò malefactorem restituat eis, atque reddat: alioquin cessabitur eis à solennibus Ecclesiæ ritibus in continenti per totam villam, ubi sic captus tenebitur malefactor. Et pro vitandis periculis, quæ venire possunt occasione dicti cessus, oportet quòd iidem judices reddant malefactorem, in magnum præjudicium jurisdictionis regis & temporalis ad quem cognitio posset pervenire in casu ressorti.

32. Item quando aliquis malefactor redditur judicibus Ecclesiæ per judices seculares tanquam Clericus, amici ipsius malefactoris veniunt ad Officiales Prælatorum, & concordant cum eis: & sic dimittunt sine punitione iræ, & sic pejora committunt quàm antè, licet crimina essent notiora.

33. Item quàm citius Clerici conjugati, mercatores, vel alii Clerici, cujuscunque ministerii existant, trahuntur in causam coram judice seculari pro aliquo delicto, ipsi Clerici impetrant ab Officialibus quandam monitionem, & adducunt secum quendam Presbyterum, per quem faciunt moneri judicem secularem sub pœna centum vel ducentarum marcarum argenti: & excommunicant, ne curiam vel cognitionem de talibus teneant, & ne molestent eos vel in corpore vel in bonis: & si Dominus Iudex eos postea, cessatur ibidem in continenti à celebratione missarum, licet hoc pro facto suarum mercaturarum existat.

34. Item dicti Officiales concedunt Citationes sine numero contra personas laicas, in casu assecuramenti personaliter coram eis, ad assecurandum personas taliter incognitas: & si cognitæ sint, in citatione continetur, quod ille qui citatus est, moneatur sub magna pœna, ne illum qui sic citari eum fecerat, ipsum pendente citatione trahat ad judicem secularem.

35. Item cum quis excommunicatus est in aliquo loco, dicti Officiales dant Citationes personales super participibus, & faciunt citari totam Patriam ad unam vel duas leucas circumquaq; : & tales qui noverunt excommunicatũ, benè XL, LX,

vel centum personæ, purgantur super participatione prædictorum. Ex quo sequitur, quod probi homines antiqui & senes, redimunt se, quilibet de duodecim denariis, vel de duobus solidis, pro vitandis pœnis: & multæ vineæ & terræ dimittuntur incultæ, & plures boni homines loca propria dimiserunt.

36. Item dicti Officiales imponunt pluribus personis famæ laudabilis & honestæ vitæ, quod sunt usurarii: & oportet eos cum ipsis Officialibus concordare, pro evitanda eorum infamia & labore.

37. Item dicti Officiales faciunt citari aliquem bonum hominem conjugatum, & imponunt ei quod adulteratus est cum aliqua. Et similiter mulierē aliquam conjugatam, imponendo sibi quod adulterata est in perpetuam infamiam ipsorum conjugum, & cum hoc extorsionem pecuniarum recipiunt ab eisdem.

38. Item memoria sit de magna multitudine Procuratorum, qui comedunt totum mundum virtute citationum, & recipiunt homines in gardia sua, & per villas tenent placita & assisias suas, & authoritate sua relaxant Citationes propter pecunias quas extorquent & recipiunt ob hoc ab eis citatis.

39. Item alia Gravamina quæ capitula, Abbates, Priores, Hospitalarii, & aliæ personæ Ecclesiasticæ regni Franciæ faciunt cōtra populū. Talia sunt, Quia faciunt citari plures burgenses Regis, & alios in pluribus & diversis locis per Privilegia, videlicet Baiocens. Nannectans. in Britannia, Lugduni, Masticoni, & alibi, specialiter hospitalarii magis utuntur istis comuniter quàm alibi, ex quibus multū damnificatur populus, & gravabitur multipliciter in futurum, nisi remedium apponatur.

40. Item Iudices Ecclesiastici quocunque casu nituntur habere cognitionem injuriarum, sive in verbis sive in factis commissa sit injuria: nec non uxores Clericorum, licet sint mercatrices, & eorum mariti similiter mercatores. Et si aliquando tales conjuges capiantur per judices seculares, officiales faciunt cessum opponi in parrochia illa, virtute Consilii Silvanectensis.

41. Item voluit habere cognitionem bonorum tam mobilium quàm immobilium, viduarum. Et si contingat quod aliqua vidua mercatrix in villa Regis per viam aresti, laicam personam faciat conveniri coram judice seculari, & jam sit processum, quod persona illa laica fuerit per sententiam judicis secularis in petitis viduæ condemnata: si veniat ad notitiam judicis Ecclesiastici, quod vidua illa in aliena curia suum convenit debitorem, ipse Iudex Ecclesiasticus trahet ipsum ad emendam, & compellet eum emendare per monitiones & sententias, & hoc sæpè contingit.

42. Item plures habitatores terræ dictorum Prælatorum, vocant se invicem ad curiam Officialium ex quadam appellatione vologia, & nituntur Officiales de talibus appellationibus cognoscere in præjudicium jurisdictionis temporalis Domini Regis.

43. Item si quis in Briga, ubi sanguinis effusio facta fuerit, capiatur, per aliquam

quam justitiam secularem puniendus, si laicus restituendus judicio Ecclesiastico, ac si Clericus existat: si talis captus appellat ad curiam Officialis, volunt dicti Officiales de hoc cognitionem habere, etiam de laico sicut de Clerico. Et cum hoc nituntur exigere emendam à curia seculari, quæ prædictam fecit captionem: & si hæc permitterentur, nunquam malefactores punirentur. Quia in continenti appellarent, & post appellationem statim fugerent.

44. Item si faciant citari plures ex officio, ipsi non admittuntur per Procuratorem: & si ad diem sibi assignatam accedunt, imponitur eis, quod usurariis: & nisi respondeant ad voluntatem Promotorum, detruduntur, licet sint puri laici: neque liberantur, donec finantiam fecerint pro voluntate Officialium, licet non sunt usurarii: & si qui sunt usurarii, Officiales recipiunt ab eis emendas: & postea sicut prius permittuntur exercere usuras, ut in eis solitas emendas exerceant.

45. Item capi faciunt per suos servientes, Clericos in quocunque trelfundo, absq; hoc quod justitiã loci faciant appellari: & si per aliquos in hoc impediantur, ipsi compellunt eos per sententiam excomunicationis ab impedimento desistere. Item quotiens judices temporales capiunt aliquem, qui postea requiritur, & redditur tanquam Clericus judici Ecclesiastico sine difficultate quacunque, nihilominus dicti Officiales faciunt ipsos judices excommunicatos à Canone nunciari.

46. Item faciunt Prælati tonsuras hominibus XXX. annorũ, & ultra, & etiam conjugatis aliquibus, quando veniunt ad eos metu intrusionis carceris, & punitionis alicujus criminalis delicti, quod antea perpetravit: & hoc pluries fuit factum.

47. Item si contingat, quod aliquis homo Regis, vel alterius cujuscunq, excõmunicatus existat, & velit satisfacere, & facere se absolvi: gentes Prælatorũ exigent ab eo emendã ad ipsorum arbitrium, unde plures remanent in excomunicatione.

48. Item, postquam propter debitum duarum personarum ad invicem contendentium, super possessione alicujus rei immobilis, res contentiosa posita in manu Regis per aliquem servientem Regis, monent ipsum ne perturbent alteram partium in possessione: quod si fecerit, excommunicant eum.

49. Item dicti Prælati, Decaniq; & Capellani, & aliæ gentes Ecclesiasticæ, tot & tantos labores dant officiariis Regis, ratione jurisdictionis Regiæ, sicut prædicitur usurpatæ, quod plures officiarii Regii expenderunt de suo pro juribus Regis observari: & per vexationes & labores faciunt eis expendere quicquid habent.

50. Item si aliquis justitiarius laicus, pro certa & justa causa ad requestã partis apponat manum suam in rebus hæreditariis Clericorum, Iudices Ecclesiæ & eorum ministri faciunt monitiones in scriptis contra dictum Iustitiarium sub pœna excommunicationis, & sub pœna pecuniæ, ut manum suam levet & amoveat, & injungit eidem, ut alteram partem de prædictis rebus gaudere permittat: aliàs ipsum denuntiant excommunicatum: à qua sententia absolvi non potest, nisi redimat se ad Officialis arbitrium, in præjudicium resorti Domini Regis.

51. Item Iudices Ecclesiastici quàm citius audiunt, quod aliquis dives decessit, vel cogitant quàm citò debet decedere, ipsi mittunt literas clausas capellano suo, quod nullatenus audeat inhumare ipsum, licet fecerit testamentum, & Ecclesiastica sacramenta receperit: & postmodum cum amici defuncti ad eos accedunt, scituri propter quæ faciunt hoc: dicti Officiales asserunt, quod dictus defunctus fuit usurarius, vel mandata Ecclesiæ non servavit. Et tam diu faciunt corpus super terram teneri, quod oportet amicos redimere de magna quantitate pecuniæ, & per talem modum magnas pecunias habuerunt.

52. Item si in aliquo cæmiterio fiat effusio sanguinis violenta, propter quam ponatur interdictum, ipsi Prælati faciunt impositionem fieri decem librarum super omnibus parrochianis pro salario suo reconciliationis cœmiterii memorati, licet aliqui parrochianorum à sua jurisdictione sint exempti: etiam licet illi tantum habeant, vel plus, de bonis illius, qui talem violentiam commisit.

53. Item alioqui Capellani dicunt se habere Privilegia Apostolica, quorum virtute sibi constituunt Iudices, quos volunt, & aliquotiens de suo proprio collegio. Et sicut Iudices in suis causis existunt, quod de jure non possunt: unde cõtingit quod post magnos processus, & expensis factis in aliqua magna inquesta, sæpius super realitate quàm alias ad eorũ notitiã per Consiliarios vel Procuratores suos pervenit, quod ipsi debent in causa succumbete, in continenti revocant suos Iudices memoratos, & sic sunt subditi Regis damnificati, nec possunt jus habere ab ipsis.

54. Item si laicus vocat Clericum in causa hæreditaria corã Iudice seculari, ipsi Iudices Ecclesiastici faciunt cessare processus, sibi cognitionem attribuentes. Et cum hoc pro impetratione talium adiornatorum, trahunt laicos ad emendam.

55. Item cognitionem Clericorum conjugatorum, mercatorum, qui sunt manu operarii, quorum cognitio pertinet ad Iudices seculares, specialiter super facto mercaturarum suarum attribuere sibi nituntur Ecclesiastici Iudices.

56. Item pluries posuerunt interdictum in pluribus villis, castris Regis, & divinum officium cessare fecerunt: contra Privilegia quæ habuit Dominus noster Rex, à pluribus summis Pontificibus.

57. Item pro custodia temporalitatis suæ, faciunt Clericos suos ballivos & servientes suos: & sic quando delinquunt, non possunt puniri, sicut decet, propter quod Iustitia non servatur.

58. Item Iudices Ecclesiastici habent Procuratores, qui si teneant aliquem excommunicatum, sive justa sit sententia, sive non, ipsi faciunt monitiones fieri, quod nullus operetur vel faciat negotium qualecunque ei qui in tali statu consistit: propter quod terræ & vineæ sæpè remanent incultæ, in præjudicium communitatis populi & Regis.

59. Item Promotores prædicti faciunt fieri Citationes, per quas citari faciunt viginti, triginta, quadraginta personas vel amplius in citatione, imponẽtes eis quod parti-

participaverunt cum talibus interdictis: & de uno capiunt decem, de altero viginti solidos, secundum quod possunt, unde communis populus est multum oppressus & gravatus.

60. Item judices Ecclesiastici faciunt jurare omnes advocatos curiarum suarum, quòd nullus litigabit sine eorum licentia contra eos, propter quos jus pauperum multotiens perit, & causæ Regis retardarentur: quia proprii pensionarii Regis non sunt admissi ad ipsorum consilium accedere, nisi de ipsorum judicum licentia speciali.

61. Item volunt inventaria facere de bonis illorum, qui ab intestato decedunt: voluntque bonorum tam mobilium quàm immobilium possessionem habere, & ipsa per manus eorum distribui hæredibus, vel illis quibus volunt conferre.

62. Item testamenta quique volunt, per maaus suas executioni tradere, inventaria facere bonorum defunctorum, eademque servare, & hæredibus distribuere: & habent officiales, qui super his exequendis duntaxat deputati existunt.

63. Item si aliquando testamentis coram tabellionibus factis nolunt adhibere fidem, nisi prius per ipsos officiales fuerint approbata.

His auditis, dixerunt Prælati, quòd super his volebant deliberare, & fuit assignata dies Veneris sequens, qua die respondit pro Prælatis dictus Dominus electus Senon; & proposuit infra scripta apud Nicænas, ubi Rex tenuit dictam diem, dicens sic videlicet: Quia Dominus Petrus de Cugneriis pridie proponens contra Ecclesiam Gallicanam, cœpit thema suum, quod scribitur Matth. 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo.* In quibus verbis dicebat notari duo: Primò, Prælatorum ad Regis obedientiam, reverentiam & subjectionem; Secundò, jurisdictionis temporalis & spiritualis divisionem. Et primùm probabat, per illud quod scribitur 1. Petr. 2. *Subjecti estote omni creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis in vindictam malorum, laudem verò bonorum.* Luc. 22. cum dicerent Apostoli, *Ecce gladii duo hic*, dixit Deus: *Sufficit.* Per *duos gladios*, intelligens, *duas jurisdictiones.* Item quòd Christus pro se & Petro voluit solvere tributum, Matth. 17. ad dandum exemplum, quomodo Ecclesiasticæ personæ tenebantur solvere, & reddere potestati temporali temporalia; & hoc confirmabat per hoc, quod scribitur 11. *quæst. prima, cap. si tributum, & cap. magnum.* Item quia hoc cavetur lege humana, cum dicitur: *Magna duo dona collacata sunt, Sacerdotium & Imperium.* Sacerdotium, ut divinis; Imperium, ut humanis præesset; in corpore Autenticorum, Quomodo oportet ipsum & Clericos ad ordines perduci, in principio collationis primæ. Ex quibus concludebat, quòd cum istæ jurisdictiones sint distinctæ à Deo, & una sit reddita sive credita Ecclesiæ, & alia Dominis temporalibus, quòd nullo modo Ecclesia debeat intromittere se de jurisdictione temporali, cum scriptum sit Proverb. 22. *Ne transgrediaris termi-*

nos antiquos, quos posuerunt Patres tui. Et benè signanter dicit *Antiquos*; quia consuetudines, si quæ essent ad oppositum introductæ, non valerent; quinimo essent potius corruptelæ. Nec *præscriptio* potest habere locum, nisi jus fisci impræscriptibile; nec Rex etiam posset à se tale jus abdicare, sicut probatur per multa cap. quæ sunt *decima distinctione.* Quare cum Rex in sua coronatione jurasset Iura Regni non alienare, & alienata ad se revocare, si per Ecclesiam aut per quemcunq; alium erant usurpata, tenebatur Rex per juramentum, ad se illa revocare.

Post propositos prædictos Articulos, ostensasque rationes, cur ferenda amplius talia Cleri vel injuriæ potius non sint, responderunt contrà Episcopi & Prælati, quantum potuerunt, certatumque est diebus aliquot ultro citroque; cum & Clerici peterent, ne jura ac privilegia Ecclesiarum imminuerentur, & Procurator Regni negaret, ea ad ipsorum privilegia ac jura pertinere. Sed adscribam aliquid de secutis dictis.

Post hæc die Veneris sequenti apud Nicænas venerunt Prælati coram Domino Rege, ad audiendum responsionem suam, ubi Dominus Petrus de Cugneriis dictus proposuit pro Domino Rege, sic dicendo: *Pax vobis, ego sum, nolite timere*, & prosecutus est, qualiter præfati non essent turbati de aliquibus, quæ essent dicta; quia intentio Domini Regis erat servare jura Ecclesiæ Prælatorum, quæ habebant tam de jure quàm de consuetudine bona & rationabili; & interservit inter primam conclusionem & ultimam, probare voluit, quòd causarum civilium non poterat ad Ecclesiam cognitio pertinere: quia talia erant temporalia, quæ debent pertinere ad temporales, & spiritualia ad spirituales. Et ultra propositiones, quas alias proposuit, allegavit 86. dist. ad verum. Allegavit etiam, quòd propter hoc Clericis radebantur capita, in signum, ut temporalia abjicerent. Et allegavit ad hoc 12. *q.2. Duo sunt genera.* Item dicebat, quòd de jure habebant Prælati cognitionem in certis casibus in jure expressis; unde isti casus faciebant regulã contra eos. Ad hæc allegavit *de reg. jur. cap. 1. ff. de lega. 1. l. Titie textoris.* Item dicebat, quòd ratione peccati non poterat ad eos pertinere; quia *decret. Novit.* loquebatur de facto Regis Franciæ, qui superiorem non habet; sed in aliis dicebat secus. Cum istis allegatis dixit & conclusit, quòd Dominus Rex paratus erat audire informationem eorum, qui vellent eum super aliquibus consuetudinibus informare, & illas consuetudines, de quibus esset informatus, quæ essent bonæ & rationales, faceret observari.

Postmodum die Dominica sequenti iteratò venerunt Prælati ad Dominum Regem apud Nicænas, & proposuit Dominus Senon. ultimam suppositionem factam per Prælatos, & ultimam responsionem factam pro parte Domini Regis. Quod cum Dominus Bituricen. significasset Prælatis, Dominum Regem dixisse, *Non timerent Prælati, quia nihil suo tempore perderent, & quòd defenderet eos in suis juribus & consuetudinibus.* Quia nolebat tempore suo exemplum dare aliis

Eccclesiam

Ecclesiam impugnandi. Quæ verba asseruit ibidem se dixisse. De quibus verbis idem Dominus Senon. nomine Prælatorum regratiatus est Domino Regi. Secundò dicit idem Dominus Senon. quòd quædam præconizationes factæ erant in præjudicium jurisdictionis Ecclesiasticæ, quas supplicabant renovari. Tunc Dominus Rex respondit ore proprio, quòd non erant factæ de suo mandato, nec aliquid sciebat, nec eas ratas habebat. Tertiò dixit, quòd de aliquibus abusibus, de quibus temporales erant conquesti, taliter ordinaverant Prælati, quod Dominus Rex & cæteri meritò deberent contentari. Quartò supplicavit sibi, quòd vellet eos consolari de benigna sua responsione.

Tunc respondit dictus Dominus Petrus pro Domino Rege, quòd placebat Regi, si Prælati emendarent ea, quæ essent emendanda & corrigenda; & Dominus Rex expectaret usque ad Festum Nativitatis Domini proximè venturum, infra quem terminum nihil invocaret; & si infrà dictum terminum Prælati non emendassent emendanda, vel correxissent corrigenda, Dominus Rex apponeret tale remedium, quod esset gratum Deo & populo. Et sic Prælati receperunt licentiam à Domino Rege, & recesserunt.

Sic re aliquandiu ultro citroque agitata, cum Episcopi & Prælati se suo solito more reformarent, ita nempe, ut specie ac verbis injuriarum quandam alleviationem simularent, re autem ipsa eas potius augerent & aggravarent quàm diminuerent; demum Rex severam quandam legem tulit, qua talem Prælatorum audaciam & tyrannidem cohibuit, seque ac suos in libertatem asseruit. Quid Carolus V. egerit in eadem causa postea in proprio titulo dicetur.

Item *Carolus sextus Rex Galliæ*, ita in quodam suo Edicto de Cur. Rom. ac Papæ rapacitate queritur: *Carolus Dei gratia Francorum Rex, universis præsentes literas inspecturis salutem. Notum facimus, quòd cum nuper pro parte quà plurimorum numero grandi Regni nostri Prælatorum, Parisiis nunc existentium, nec non filiæ nostræ dilectæ universitatis studii Parisiensis, nobis querulosè fuisset expositum, quòd Ecclesiæ nostrorum prædicti regni, & Delphinatus Viennensis pro magnitudine gravium exactionum & onerum, eisdem Ecclesiis tam per Benedictum Papam XIII. quàm suos antecessores, contra communis dispositionem juris impositarum oppressæ, atq; intantum gravatæ hactenus fuerant & erant, quòd eædem in* magnam pauperiem ac ruinam *corruebant, & in desolationem undequaq; vergebant, nisi per nos de remedio sublevarentur:* Finantiæ *etiam super iisdem Ecclesiis exactæ, de eodem Regno nostro in magnum & irreparabile Reipublicæ regni ejusdem nostri præjudicium, exportabantur à nobis,*

Impressi sunt cum Clemange *Apostoli*, aut responsio Nationis Gallicæ in Concilio Constantiensi, *De non solvendis Annatis*, oblati; qui plurimum huic negotio lucis afferent, & dignissimi sunt, qui & alioqui legantur; quare eos apponam.

CLXXV. *Apostoli & Responsio Dati per Nationem Gallicanam Dominis Cardinalibus &c. appellantibus ab ejusdem conclusione, voto, deliberatione, ac declaratione Constan. captis & factis solenniter per eandem, quod Vacantiæ, ac minuta servitia nullo jure sint debita, & de cætero nihil solvant.*

Extat in Fasciculo Opusc. Orthuini Gratii fol. 189-191.

CVm Evangelica veritas dicat, *nihil cum scandalo fiendum esse*, subjungit tamen, quòd *necesse* est *ut veniant scandala*, sed imputet sibi, per quem venit scandalum, maximè activum; quia passivum vel defensivum communiter non est in dolo, nec in culpa. Cum autem venerabilis Natio Gallicana, & ipsius venerabilia, ac honorabilia supposita tam majora, mediocria, quàm inferiora Constant. congregata, pro generali Concilio inibi convocato & debitè congregato, pro deducendo in eo id in quo habent voces judicativas, consultivas, & querelosas, secundum materias suppositas, & relationes debitas cogatur respondere, & Apostolos (ad quos teneri posset) dare cuidam interpositæ appellationi pro parte Magistri Ioannis de Scribanis, asserentis se Procuratorem, Fiscalem, nomineque Cameræ Apostolicæ & sibi adhærere volentium, & pro ipsius Nationis honore, & conclusionis in ea habitæ (ex qua oriri dicitur interposita appellatio) justificatione, ac veritatis manifestatione, in responsione hujusmodi & Apostolorum petitorum datione ordinetur veritas, quæ si scandalum generet apud aliquos vel etiam alicubi, hoc causam activam præstantibus, non autem venerabili Nationi Gallicanæ defensivam assumenti, suæque Ecclesiarum, ac monasteriorum, cæterorumque beneficiorum apud ipsam portionem necessitatibus prospicienti, ascribatur.

Descendendo igitur ad materiam, noverit idem Magister Ioannes de Scribanis, Dominique Cardinales, ac eorum Collegium, & cæteri universi, qui tunc & nunc pro generali Consilio sunt & fuerunt Constantini congregati, fuisse ordinatum, quot deputarentur de singulis Nationibus certi, qui cum Deputatis Dominis Cardinalibus convenirent ad advisandum quæ essent reformauda in curia Romana, tam in capite, quàm in ipsius membris, & de modo pro futuro providendi, sicut factum fuit & est inter sic Deputatos Nationum, cum quibus fuerunt & tunc erant Domini Cardinales *Pisanus, Cameracensis, & Florentinus*, qui Domini Cardinales contradicentibus Deputatis Nationis Gallicanæ aperuerunt materiam Annatarum, & jurium ac minutorum servitiorum, & quantum potuerunt, fundaverunt eas esse debitas, adducendo in medium rationes & justificationes, quas per prius longè advisaverunt. Discussione facta inter omnes, validioribus rationibus & authoritatibus juris divini pariter & humani demonstratum esse debitas. Et quamvis dedissent operam ad trahendum ad eorum opinionem quos potuerant, inductione tamen facta de singulorum Deputatorum votis, longè major fuit pars quòd non

non debentur, nec ulterius tolerari deberet. Propter quod Domini Cardinales concludere noluerunt, ſicut & in aliis fecerant & ſic fuerunt primi qui materiam promoverunt, & aperuerunt unde ſecuta ſibi imputent, & nulli alteri.

Novit etiam idem de Scribanis Dominique Cardinales & cæteri alii Deputatos fuiſſe certos alios de ſingulis Nationibus ad adviſandum de remediis & modo procedendi, & providendi in exorbitantiis exorbitanterq; ac indebitè factis de præterito in curia Romana per olim Ioan. tunc Papam, & alios de tempore ſuo, inter quos fuit adviſatum, quod Dominus Ioan. præfatus, & curia ſua Romana Apoſtolica, & Domini Cardinales, & eorum collegii Camerarius, ſive pro Camerario ſe gerens, à beneficiis Prælatorumque & Prælaturarum vacantibus, & quotiens vacabant (etiam ſi ter aut pluries vacaſſent in anno) pro qualibet mutatione tituli voluerunt habere & exigere fructus primi anni beneficii, ſive prælaturæ vacantis, & aliquando longè ultra, & quandoque Papa qualibet vice annatas vacantes habebat, & Cardinales nihilominus partem mediam, quodque propter vacantes fuerunt quandoque privati Prælati & tranſlati inviti, & quandoque propter plus offerre (ſumptis aliis coloribus) aſſumpti & alii Prælati, qui fortè non fuerunt præferendi? ex quibus ſequutæ ſunt ſtrages, guerræ, ſcandala etiam nondum ſopita: & quia exorbitanter factum fuerat, & contra jus & juſtitiam, in oppreſſionem prælaturam, Eccleſiarumque monaſteriorum, & beneficiorum, & etiam perſonarum quibus contigerat, & ita factum fuerat per eoſdem Deputatos, pluribus rationibus fuit concluſum, non debitum, & eſſe tollendum de præterito: & per aliquos ex eiſdem fuit dictum, propter eaſdem rationes & infra dicenda eſſe extendendum ad futura, Et ſuper hoc fuit compoſita ſchedula, & inter eos lecta: & ſicuti ſolet fieri, communicata, & deinde ad Nationes ſingulas miſſa, ſaltem per Deputatos dictæ venerabilis Nationis Gallicanæ fuit relata in eadem atque electa, & communiter ſuper ea ſolenniter ſeptem diebus deliberatum ſucceſſivè, ſciente dicto de Scribanis, Dominis Cardinalibus collegialiter ac ſingulariter, qui etiam in hujuſmodi odium & vindictam, dixerunt aliquos notabiles Prælatos excommunicatos, contra rei veritatem, etiam ex ipſorum parte eorũ nominibus non expreſſis. M. Io. Ponceti pro eorundem collegio clerico & promotore ſe gerenti, qui ſe interponere allationem dixit, aliisque Nationibus, & cunctis Conſtan. pro generali Concilio congregatis ſcientibus, & debitè in ea concluſum fuit de præterito, præſenti, & futuro eſſe tollendum.

Cardinales concludere noluerunt Annatas non eſſe ſolvendas.

Cauſa verò motiva rationesque & jura recollecta (quantum fieri potuit) ex dictis diverſorum, qui in dicta Natione deliberaverunt, & alias aperta fuerunt, ſubſequenter exprimuntur, & juxta Gregorii reſponſivum oraculum, & Concilii Lateranen. prohibitivũ editum, initium & cauſam debendi iſtarum pręſtationum fructuum primi anni prælaturarum, dignitatum, vel beneficiorum vacantium, qui aſſeruntur debiti, & quos volunt exigere, diligenter inquirentes, privilegio, conſuetudine, aut præſcriptione non poſſe defendi certum eſt, ſicut fuit obſervatum,

 & de

& de non vacantibus in Curia secundum antiqui juris ordinem, nullum reperiri posse initium, præterquam reservationem quandam temporalem, primo per Ioannem Papam XXII. factam pro certo passagio ultramarino, & quibusdam aliis necessitatibus suis de omnibus dignitatibus & beneficiis, exceptis Abbatialibus. Propter quod servatum est *in Anglia* usque ad hodiernum diem, nihil sedi Apostolicæ solvere pro hujusmodi Abbatialibus fructibus Abbatiarum vacantium. Excepitq; Episcopales, & etiam alias supra majores per expressum, certasque postmodum fecit super illis declarationes.

In Anglia pro Abbatialibus nil solvitur Papæ.

Deinde postmodum nonnulli Romani Pontifices ipsius Successores, etiam certis temporibus similes fecerunt reservationes certis causis expressis, quas Clerus, Principes, & populus aliquo tempore tolerarunt, sed postmodum nimium gravati ex eis in aliquibus regnis & provinciis recusaverunt solvere, prout fuit factum in Anglia, & quibusdam aliiis eo quòd permodum facultatis toleratum fuerat. Et sic quantumcunque eis placuit, licitè potuerunt, atque possunt recusare, maximè quia cessant causæ, quæ tunc erant, eo quòd non fit passagium ultra marinum, vel aliud virtuosum ex talibus pecuniis. Et quia Italiæ, Galliæ, Alemaniæ, & Angliæ partes per Dei gratiam sunt unitæ ad invicem propterea tolerari nō debent, cum propter divisionem temporibus retroactis aliquantulum diutius fuisset toleratum, nec sine reservatione, aut contradictione (quæ impediunt & cessare faciunt exactionem) reperitur talis præstatio decem annis continuata, & quando erunt talia præscriptionem non inducunt maximè de supremo ad inferiores, & minus consuetudinem, ut est juristis notum, & infra expressius dicetur.

Oblatio gratuita Italis servitium dicitur.

De vacantibus verò *& fructibus primi anni majorum Prælaturarum, Abbatiarum*, videlicet *Episcopalium*, & supra nullum aliud initium fuisse invenitur, quam voluntaria & gratuita oblatio quorundam, qui in discordia electi ad Abbatialem, vel cathedralem Ecclesiam, dum prosequerentur, in Curia per appellationem ad eam factam, per eum qui obtinebat finalem victoriam, promovebatur sive eligebatur. Et talis oblatio & gratuita datio, juxta vulgare italicum dicta fuit *servitium*, & secundum Alemanos *propina* dicitur. Et dicta fuerunt *servitia communia*; quia communiter inter eos dividebantur, eo quòd singulos quibus dare volebat, non convocabat, & singulis dare fuisset nimium onerosum his qui tunc agebant in publico Consistorio, sed postmodum deductum est in Consistorium secretum, quod tamen fuerat & Simoniacum, vel multum de Simonia suspectum, & species mali crudelis, etiam si prætextu consuetudinis. Tum quia ante vel post promotionem ad hujusmodi dignitates, aliquod hujus prætextu dare vel recipere secundum sacros Canones est etiam prohibitum. Tum, quia alienatio est talis oblatio, datio, vel obligatio, quam etiam facere non potest talis electus vel promotus. Et successivo tempore volentes gratuitè dare & voluntariè conferre summam certam, vel aliquid, eo quòd tunc nulla certa Taxa, est in Camera, quo ad aliquā, ad tertiam.

tertiam partem valoris Episcopatus, monasterii: aliqua verò ad mediam, in aliquibus etiam Taxa dictum valorem excedit, prout in libris Cancellariæ scriptæ sunt: & ultra pro minutis servitiis compulsi sunt dare & offerre ad solvendum se & Monasterium, sive etiam obligare per suarum literarum retentionem.

Et novissimè additum est, & compelluntur per eandem retentionem se obligare ad id, quod reperiretur esse debitum in libris eorum Cameræ, sive Dominorum Cardinalium per oblationem vel obligationem alicujus Prædecessoris Monasterii vel Ecclesiæ, ad quam assumitur, vel transfertur. Ex quo resultat periculum & maxima absurditas, propter diversitatem librorum, in quibus diversimodè possunt scribi solutiones, vel non scribi, secundum diversitatem vel obligationem, aut fortè malitiam officiariorum, qui præsunt talibus, prout quandoque compertum est, quemadmodum de hoc per formas obligationum, quas super hoc habent in Cancellaria, & quas in talibus observant (quarum copia inferius scribitur) poterit constare plenius. Et nullus talis modus inducit consuetudinem, præscriptionem, nec justam causam talia exigendi, vel etiam observandi. Tum quia gratuita vel voluntaria oblatio unius vel plurium singularium, non inducit consuetudinem vel obligationem ad quam teneantur alii, nisi velint, cum hoc sit per modum facultatis, quod præscribi non valet.

Libri Cameræ diversi hinc exactiones impares.

Nec est *jus continuum*, quia respectu diversorum & separatorum corporum oblatio, & datio perfecta est, quæ per successores continuata non est: & si continuata foret, nihil refert ad alios; & quia etiam qu amplures ex illis qui obtulerant & debebant, seque ad solvendum obligaverant, postmodum recusaverunt solvere tanquam indebitum, nec etiam solverunt. Tum quia nullo statuto, privilegio, consuetudine, præscriptione, aut alio titulo potest induci, quod propter conferre, aut consentire promotioni, aut electioni alicujus Monasterii, vel Ecclesiæ cathedralis, sive ut præficiatur administrationi Prælaturæ, beneficii, sive Ecclesiæ, aliquid possit vel debeat peti vel exigi, eò quod secundum Apostolicas & Canonicas traditiones, clarissimè foret Simoniacum. Tum, quia non petuntur, neque exiguntur hæ annatæ per Cameram Apostolicam & Dominos Cardinales, ex eo quòd vacant: sed quia conferunt, seu quia collationi & promotioni, quæ fit per Papam assentiunt. Et hoc est clarè secundũ Canones Simoniacum. Tum, quia constat, quòd propterea exiguntur quia cõferunt, seu electioni vel promotioni cõsentiunt, & nõ quia vacant, eò quòd ab illis qui promoventur ad Prælaturas hujusmodi extra Curiam, & per alium quàm per Papam, nihil habent, vel exigunt. Et constat etiam ex eo quod nihil percipiunt in tali exactione, nisi Domini Cardinales, qui actu sunt præsentes, & tamen de jure communi omni Cardinales etiam absentes participarent, si quia vacant, deberentur vel exigerentur. Tum quia talis usus vitiosus, inhonestus, continens speciem mali, & de jure prohibitus: propterea nulla consuetudo potest super eo situari, & minus præscriptio induci.

Coguntur ad solvendum in Curia promoti.

Violentantur enim, qui in Curia promoventur, ad dandum & offerendum, seque & Monasterium sive Ecclesiam, ad quod sive ad quam promoventur obligandum, ad solvendam Taxam, sive Quotam, quæ re fertur eis esse in libris Cameræ cum minutis servitiis, & omne illud & quicquid reperitur, debitari per dationem vel obligationem consimilem factam Cameræ Apostolicæ, & Dominis Cardinalibus suorum prædecessorum, per literarum suæ promotionis retentionem & detentionem. Et tales modi nunquam inducunt consuetudinem, neque præscriptionem, cùm sint violenti; & cum hoc resultat alia violentia; quia quantumcunque promoti, benedicti, vel consecrati, & notum sit Monasteriis vel Ecclesiis, quibus præficiuntur, sine literis hujusmodi non possunt intrare possessionem; propter constitutionem pœnalem factam in favorem hujusmodi indebitarum exactionum, quæ incipit, injunctæ. Tùm Simoniacum vel suspectum de Simonia: quia petuntur fructus primi anni, & solvitur in Curia realis pecunia pro fructibus colligendis in partibus; & quia solvitur ante tempus; & quia quandoque solvitur totum Cameræ, & ante adeptam possessionem; & nihilominus Cardinales Taxam requirunt, & per retentionem literarum exigunt re vel obligatione quando possunt. Tum quia ex præmissis infertur rationabilis diffamatoria murmuratio contra Romanam Curiam, quam Deus servare puritatem & justitiam, & ab omni specie mali abstinere voluit, resultatque infectio & nullitas omnium & singulorum, quæ fiunt in præmissis datione, oblatione, obligatione, sive contra obligantes fulminationem & summissionem, propter modum & causam, ex quibus fit concurrentia in actu, qui non tenet.

Censuræ propter Annatas non solutas timendæ non sunt.

Propterea qui dicuntur incidere in sententiis, quæ hujusmodi occasione feruntur, non debent eas tenere, nec timere, nec videntur absolutione indigere. Propter enim prædictam concurrentiam continent errorem intolerabilem, & quia contra jus constitutionis. Nam viderentur hominē obligare ad incidendum in hæresim, largo sumpto vocabulo, videlicet quòd sit licitum spiritualia emere, vel pro spiritualibus pecuniā & temporalia dare. Tum quia talis consuetudo, præscriptio, seu privilegium quando essent, nimium forent Ecclesiis, Clero & provinciis onerosa, & substantiarū Ecclesiarum destructiva. Et propterea de jure nulla esset præscriptio, quæ nullatenus procederet, & privilegium (si quod appareret) non solum de jure decurtandum, sed etiam totaliter submovendum utroque jure hoc testante clarissimè. Tum, quia prælatus quilibet, qui in Curia promovetur ad Monasterium vel Ecclesiam cathedralem, antequàm suæ expediantur literæ in Curia, jurat nihil de juribus Monasterii vel Ecclesiæ alienare, & ipsis literis in Cancellaria expeditis, & deinde bullatis, ac etiam registratis portantur ad cancellariam, à qua haberi non possunt, nisi primò se obliget, ut præfertur, quæ obligatio est alenatio clara.

Et sic promotus videtur cogi committere Simoniam & simul perjurium. Tum quia non fuisset credendū, nec est, Cameram Apostolicam, ac Dominos Cardinales, aut quouscunq; alios, propter quodcunq; lucrū, sive temporale comodū velle,

velle ſuſtinere, aut etiam defendere tantam inhoneſtatem, prætextu cujuscunque conſuetudinis, præſcriptionis, aut privilegii, etiam quando eſſent, in quibus includuntur labes ſimoniæ & clarum perjurium, ſcandalumq; & damnatio animarum. Tum quia adhuc præmiſſis ceſſantibus, & ſuppoſito quod annatæ petitæ deberentur, tollendæ ſunt ex toto cauſis & inconvenientibus ac ſcandalis ſequentibus. Nam licet ſecundum Apoſtolicam doctrinam, Papæ poteſtas à Chriſto immediatè ſit, tamen eſt ad Eccleſiæ ædificationem & non ad ipſius deſtructionem, quæ tamen reſultaret in obſervatione prædictorum: eſtque hujusmodi poteſtas ordinata ad juſtitiam, & rectum judicium exercendum, quod non obligaret & ceſſaret in exactionibus præmiſſis, habetque præſidere propter bonum publicum, & ſalutem animarum, & non propter ſeipſum, alias videretur abuſus.

Nec videtur facultas Papæ, nec Eccleſiæ Romanæ conceſſa, neque eis competit pro libito voluntatis, exactiones ſive præſtationes aliquas imponere Eccleſiis, aut perſonis Eccleſiaſticis, cum eorum non ſit Dominus, ſed tantummodo Chriſtus, maximè per quas cauſetur ipſarum oppreſſio, vel inde oriatur ſcandalum, deturque cauſa murmurandi, vel etiam reſultet detrimentum animarum, aut fruſtretur, ſive fraudetur intentio fundatorum Eccleſiarum cathedralium, monaſteriorum, & aliorum inferiorum beneficiorum. Tum quia per exactionem prædictarum annatarum tam ardenter & inhoneſtè exactarum, ſine Cleri principumque, in quorum dominio ſunt, & eorum de genere, qui ea fundaverunt expreſſo conſenſu, & levem decimæ impoſitionem ſequutæ ſunt oppreſſiones in Clero & in Eccleſiis, & inde murmurationes graves exortæ, & apud Regem magnosque Principes, & alios Nobiles & illos de populo uſque ad plebeios ſcandala, quia vident pati ruinas Eccleſias cathedrales, monaſteria, aliaque beneficia, quæ ſui primogenitores & alii magnates fundaverunt & uberanter dotaverunt, & largiti ſunt Ducatus, Comitatus, & alias dignitates temporales, baronias, caſtra, terras, jurisdictionem, & alia temporalia bona, pro ſuſtentatione miniſtrantium in divinis, & ad divini cultus honorem & augmentum, ſuorumque peccaminum expiationem, alimentationem pauperum, redemptionem captivorum, Eccleſiarum ipſarum ædificationem & reparationem, terrarum ac poſſeſſionum, Eccleſiarum & Monaſteriorum culturam, jurium ipſarum proſequutionem, conſervationem & defenſionem, quæ omnia ceſſant, nec fieri poſſunt: ſed numerum in Eccleſiis ſic fundatis miniſtrantium juxta fundatorum ordinationem minuere oportet, propter dictas intolerabiles exactiones. Tum quia ſcandalizantur, & inde murmuratur, cùm recurrunt ad cauſas, propter quas talia contigerunt, dicentes non fuiſſe intentionem fundatorum, nec eorum exiſtere, quod propter tales exactiones, vel etiam ſimiles, vel propter replere quadraginta aut etiam plures perſonas, deberent fruſtrari intentionibus ſuis fundatores, & ipſi in hoc pati verecundiam, quod dotata per eos & largitatam exuberanter, deducantur ad ruinam, & patria red-

Papa non conceditur pro libitu Eccleſias vexare ex actionibus.

datur infirmior ad se defendendum contra hostes, eò quod castra & munitiones nec retinere, nec defendere possunt, quibus collata sunt, & propterea nolle pati omnino dicunt, cum talia & in nullo subdantur Papæ nec Cardinalibus, ut fiant eis tributaria, cum sint feudalia aut merè temporalia.

Annatæ sunt contra Rempublicam.

Tum scandala & murmurationes insurgunt, dum vident & sentiunt, exigi hujusmodi vacantias & præstationes sine pietate & misericordia, aut aliqua remissione, quantumcunque impotentes; & hoc notum fuit, sicut contigit in Abbate Saturnini Tholosani, compulso obligari ad taxam sibi relatam, quæ erat quatuor millium & ducentornm florenorum, & non valet, annis omnibus (etiam vivendo supra locum) quingentos, & tam ipse quàm plures alii compelluntur per exactores, deputatos usq; ad impignorationē terrarū dotaliū Ecclesiæ vel Monasterii, & usq; ad venditionē calicum, etiam non conflatorum, librorum, & aliorū ornamentorum, & bonorū aliorū Ecclesiæ, quæ petuntur solvere. Tum quia scandala, & murmurationes insurgunt, quod propter hujusmodi exactionē Prælati, & alii ministri reputantur per exactores excommunicati, & per processus ac literas, quas affigunt in locis publicis, eos denunciant, injuriantur, & verecundiam faciunt in diebus solennibus, nec coram aliis audent celebrare, licet in veritate non teneant sententiæ. Inde scandalizantur Principes, & alii de populo, & in tantum arctantur ad solvendū, quod pro dilationibus non dantur nisi tres menses & pro litera & sigillo relationis sententiæ oportet solvere realiter tres vel quatuor florenos cū dimidio, si sit simoniacū videat unusquisq;, & sunt in anno XX. floreni, sine eo quod dare oportet Clericis ad hujusmodi prosequutionē deputatis, & quod expendit Nuncius in eundo & redeundo, nec per hoc principale minuitur. Tum scandala sunt exorta, & non cessant propter exactiones prædictas, ex eo quod postquā Ecclesia Romana continuavit tales exactiones, non cessavit à guerris, & major sollicitudo Romani Pontificis & suorum Cardinalium usque ad Ioannem inclusivè novissimè depositum, fuit de guerrarum continuatione, in qua fit effusio humani sanguinis.

Iura Ecclesiæ acquisita humilitate, non gladio.

Et licet etiam habeat Orientale Imperium, non tamen cadunt honestè talia in viris tam perfectis: & quia *per humilitatem, sanctimoniam, & devotionem solebant jura Ecclesiæ inesse conservari, retineri, & acquiri sine artificiali, gladio, aut alia violentia.* Tum quia propter tam promptam numerationem hujusmodi vacantiarum & aliarum exactionum, camera ac alii Domini Cardinales non curaverunt, neque solliciti fuerunt de dote & patrimonio Ecclesiæ Romanæ, de quo vivere possent & debent, neque de recolligendo tributa, pensiones, & debita, quæ rationabiliter eis deberentur, sed ea per expressum remiserunt & remittunt, prout fecerunt aliquibus communitatibus, etiam moderni Domini Cardinales centum millia Florentinis, cum quibusdam aliis, Regi Apuliæ tributæ pro quindecim annis, & cuidam Marchioni remiserunt: & ita fecerunt pluribus aliis, quibus concesserunt dari terras & castra patrimonii Ecclesiæ: de quorum fructibus vivere habent, & videntur

quodam-

quodammodo affectare occupationem dicti patrimonii, & non solutionem dictarum pensionum, & etiam tributorum: ut sub illo colore possint dictas vacantias & alias exactiones exigere, ac per hoc collationem beneficiorum & promotionem ad Prælaturas retinere: ut inde magis ab illis de Clero timeantur, & universalius revereantur, & etiam honorentur, sicut de facto observant.

Tum scandala propter præmissas & similes exactiones, & ipsum modum exigendi *in Galliis* exorta sunt, eo quod superstites de genere illorum, qui Ecclesias, Monasteria, & alia beneficia dotaverunt, audientes referri, quod pro pecuniis beneficia habentur in Curia Romana, & quod propterea ruinæ & præmissæ beneficiorum destructiones sequebantur, querelam fecerunt fieri apud Regem Francorum, eorum summum Principem, in cujus Parlamento & suo Consistorio, auditis, quæ fuerunt proposita pro parte Cameræ Apostolicæ, & Dominorum Cardinalium (quod benè sciunt aliqui ex eisdem) fuit clarè & ad plenum solenniter apertum, & evidenter monstratum, quod nullo jure deberentur, & quod clara simonia in modo se habendi includebatur, quæ plurimum erat sibi periculosa, & ad ipsum spectabat (ut dicebant) in suo dominio reprimere tales abusus & vitiosos excessus: ne consentiendo iram Dei provocare videretur in seipsum, juxta Gregorianam Epistolam Theodorico & Theoberto Francorum Regibus missam, in Decretorum volumine insertam. Fuitque clarè demonstratum, quod ultrà præmissa & multa alia inconvenientia, per tales exactiones vacuabatur regnum & dominium suum, pecuniis & divitiis, quæ ad nullam pietatem applicabantur; sed postmodum malos & pessimos pariebant exitus, & causabant effectus, quodque Romani Pontifices pluries fuerant muniti & requisiti, ut in his tam scandalosis & causantibus animarum damnationem providerent, & Canonicum ordinem darent, quod facere neglexerunt. *Gallorum querela de simonia Papali.*

Certam igitur provisionem tunc super his rationabiliter ædidit, quæ per quoscunq; regnicolas & in dominiis suis domiciliatos, sub divina & regia offensa servãda est, & quando deberentur, propter tale scandalum tollendæ sunt. Tum quia nec dicta provisio totaliter suffecit, quin per practicã Romanæ curię aliqua pecuniis intervenientibus in dominiis suis beneficia cõferrentur, & resultaret, quod prius per solẽnes suos Ambassiatores adjunctis Nunciis notabilib. pro parte Prælatorũ & Cleri regni sui, atq; Universitatis Parisiensis destinatos ad Rom. urbẽ, inter cætera Domino Ioanni tunc in sede Apostolica & Rom. sedenti proponi, cumq; requiri, exhortari & moneri fecit, ut tales exactiones, per quas tales abusus sequebãtur, & perditio animarũ submovere curaret, & providere non tardaret. Qui verbo respondit hoc sibi placere, & *totaliter submovere velle*; & super hoc onerare Legatum, quẽ destinatur⁹ (ut dicebat) erat ad Franciã. Et quia nulla provisio secuta est, licet justè potuisset, ac posset juxta dicti Gregorii Epistolã, & alias de jure per seipsum providere *Papa Iohannes promittit Legatis Galliæ se velle submovere Annatas.*

magis

magis mite in favorem & honorem Ecclesiæ volens in hoc se habere distulit; & suis Ambassiatoribus & aliis pro Prælatis atque Clero regni sui, & Delphinatus destinatis ad præsens generale Concilium, injunxit hanc provisionem & remediationem prosequi; quam multipliciter conantur quidam impedire, plus curantes de quæstu quàm animarum profectu. Tum quia multiplicatum est scandalum, & causa nova adjuncta: ex eo quod Dominus Ioannes olim Papa novissimè destitutus, testificatur & se publicè facit audiri; quod unum millionem & septingenta millia florenorum auri habet in diversis locis reposita; & Collegium Dominorum Cardinalium ad medietatem summæ tantundem præsumitur habuisse; quorum fortè major pars de Galliis processit. Quod Principes, Clerus, & populus attendentes, magis commoventur ad exquirendum remedium; cum dictæ pecuniæ nullum profectum fecerint; sed plures arces & Ecclesias macularunt, & causa destitutionis dicti Ioannis atque magni scandali.

Annatarũ malum maximum.

Fuit ergo talis exactio causa tollendi, ne similia futuris temporibus eveniant aut etiam contingant: & si prædicti locum non habuissent vel habere possent, sicut tamen habent, adhuc dictæ Annatæ & vacantiæ & hujusmodi indebitæ exactiones sunt tollendæ & totaliter submovendæ; quia dant *causam proximam simoniæ* committendæ in curia diversimode, *infamantq́ curiam Romanam*, & *infinitorum malorum* dant occasionem; & sunt & fuerunt causa, quod venderentur beneficia Ecclesiastica, Prælaturæ, & dignitates & mercarentur. Sicut factum fuisse reperitur cum Domino olim Ioanne Papa; quod quamvis simoniacum non esset, sicut est, tamen turpissimum, abominabile, scandalosum valde est. Tum quia sub prætextu & colore solvendi vacantias secundum verum laborem & taxam antiquam prætensam, triplicatur & quadruplicatur juxta verbum quorundam dicentium: quod sicut offert juxta taxam, ita potest offerre, & dare totum valorem unius vel plurium annorum: & per hoc *promoventur ambitiosi, & malè morigerati, illiterati*, & quibus desunt aliæ virtutes; recurrunt ad pecunias; repelluntur literati viri virtuosi, non habentes pecunias; & futurum est de proximo, quod si, sicut factum est, ita continuaretur in promotionibus & beneficiorum distributionibus, studia efficerentur deserta; nullusque curaret scire vel etiam studere; & posset inde pati fides & religio Christiana propter defectum doctrinæ maximum detrimentum.

Sunt etiam tollendæ & removendæ; quia juxta taxam Prælaturæ vacantis, cui committitur inquisitio & processus, mercatur & vult limitare salarium, quod asserit sibi debitum ab illo, pro quo debet relationem facere: & in securo vult habere antequam referat; prout in hac venerabili natione Gallicana per egregium Dominum Paulum Doctorem alterius nationis conquirendo fuit notabiliter propositum, & aliquantulum casus unus apertus; videlicet quod quia tunc erat Conventum cum Papa aliquem debere solvere tria millia: qui relationem facere pro vacantiis debebat: volebat habere trecentos, quos oportebat detrahere de prædicta

dicta summa; eò quod promovendus nihil plus habebat; & tunc Papa de suo proprio solvit quinquaginta, & C. procuravit pars propria:& sic pro quolibet milliario habuit quinquaginta;si sit simoniacum, judicent audientes.

Idem facit Notarius,qui scribit in processu;scutifer Papæ,& scutifer Domini Cardinalis referentis; qui de more mittuntur ad promotum, ut plurimum ad intimandum suam promotionem : qui sua salaria dicunt esse limitanda secundum quantitatem vacantiarum, & idem trium portarum ostiarii, & quàm plures alii consimiles, qui non exprimuntur de præsenti. Tum quia promotus in curia propter tales angarias cogitur esse passivè usurarius : & intrare manus mercatorum: qui pro quingentis mutuatis volunt habere & recuperare mille,cum suo interesse: quod clarè expertum est. Et adhuc cogitur fieri simonia propter hujusmodi maculatas exactiones : eò quod oportet secundum limitationem taxæ pro jure sacræ vel benedictionis munere realiter pecunias solvere : quod abhorrendum est. Tum quia etiam hujusmodi vacantiarum insurrexit quædam turpissima venalitas; eò quod licet fuerit commissum pro aliquo notabili promovendo ad Prælaturam vacantem, quantumcunque notabilis & sufficiens fuerit: nihilominus pro omnibus aliis volentibus concurrere similiter committetur; & quandoque eidem Commissario, quandoque diversis, & qui melius solvere vacantias poterit, & se Commissario gratum reddere:& apud campsores,quibus pecuniæ sunt numerandæ, de solvendo certos & cautos facere,ille sufficientior est, & præfertur alii secundum modum quandoque observatum; & inde sequuta sunt scandala diversa, ut taceamus illa.

Rursusque quia cum propter retinere solutionem vacantiarum & aliarum exactionum, hujusmodi decimæ & subsidia charitativa quandoque inducantur; venundatus est Clerus, & libertas Ecclesiastica sublata & totaliter remissa; & est data & concessa Principibus & Comitatibus, participatio in hujusmodi exactionibus; ne contradicerent, & nullatenus Clero assisterent; & ut ex eo per brachium seculare possent facere exigi; & ultra illa tributa alia & exactiones aliquibus concessa sunt super Clerum; ita quod in plerisque dominiis facti sunt Prælati, Clerus, & quicunque religiosi deterioris conditionis quàm Laici; quod fortè Papa facere non potuit, neque potest; cùm sit in subversionem, & turbationem universalis status Ecclesiastici, absolvere Privilegia & libertates eorum, qui servare ea habent, ut in pace & quiete Deo valeant famulari,& iram Dei populo placare. Præmissis igitur omnibus stantibus dicere eas debitas, & exigere posse, ut præfertur,& pertinaciter hoc tenere, esset fortè hæreticum & periculosum valde.

Ex ipsis igitur & quibusdam aliis de præsenti non expressis, & ex causa & resultantibus ex eis & parte eorum, quæ sufficere ad hoc poterant & possunt, conclusit rationabiliter & de jure hæc venerabilis Natio, & supposita ejusdem, matura de- *Conclusio Nationis Gallicæ de nō solvendis Annatis.*

 ra de-

ta deliberatione præhabita, dictas Annatas sive vacantias, & quas appellant communia & minuta servitia de præsenti & de præterito, nec aliquo tempore, nec continuari, nec per modum tributi seu debiti imponi posse Monasteriis vel Ecclesiis aut beneficiis seu personis Ecclesiasticis, non esse debitas: & quatenus de facto, prætextu eorum qui præterierunt nullus conaretur eas exigere vel levare, totaliter esse tollendas, & resistendum. Modò ad causas & rationes, quibus nititur justificare & confirmare suam appellationem interpositam præfatus de Scribanis, & qui ea composuerunt, & sibi adhærentes, restat respondere. Imprimis enim dicit idem de Scribanis, fuisse deliberatum in Natione, procedendum esse in arduis per secretum scrutinium; & ita fuisse practicatum, &c. Respondetur, quod in actibus particularibus, de quibus actum est, quod per secretum scrutinium fieret deliberatio, ita observatum est. In aliis verò, in quibus specialiter actum non est, nequaquam: quia repugnant honestati Concilii & plenariæ libertati. Et quando ita ordinatum fuisset, non esset substantiale formæ; nec decretum irritans in contrarium. Et quia Nationes singulæ deliberant apud se, quæ videntur eis utilia vel necessaria, sine aliorum convenientia: sicut factum fuit de procedendo in causis præcedentibus, & committendis supervenientibus in curia sede vacante, quod non est de jure: in quo deliberatum fuit, & etiam conclusum in quibusdam nationibus, antequam fuisset datum verbum in natione Gallicana: quæ quidem natio constringi non debet: nec plus ancillari cæteris nationibus; & ultrà quandoque fuit actum, ut in actibus certis per secretum scrutinium deliberaretur; in quo fuit solenniter & debitè oppositum: quare superfluò fundat se & nullitet præfatus de Scribanis.

Cum dicit ultra in ordine idem de Scribanis, appellansque materiæ in Nationibus deliberandæ primo deferri debent ad Deputatos quatuor Nationum. Respondetur, ita factum fuisse ut dictum est, & quando non esset factum, substantiale non est. Cum dicit idem appellans esse *Papæ subveniendum ab inferioribus Ecclesiis, quas asserit descendisse à Roma* &c. Respondetur, quod quilibet Episcopatus debet certos suos habere redditus pro donatione & sustentatione sua sive Episcopi, sicut habet Episcopus Romanus, quæ suffecere & sufficere possunt cum industria, & alia quæ extraordinariè superveniunt; nam Apostolus ex industria quærebat sibi victũ, ne quibus ministrabat, esset nimium onerosus. Etsi non sufficiant redditus Episcopi Romani de præsenti, primo habet requirere subsidium à Clero suæ civitatis & diœcesis, deinde suæ Provinciæ, & per modum subsidii charitativi temporalis, & nõ perpetui census, & postmodum ab aliis Ecclesiis immediatè subditis potest subsidium benignè implorare, quæ causa necessaria supposita expressaque & vera honestè non possunt denegare ad tempus. Nec tunc fortè venit exactio subventionis respectu datæ temporalitatis pro fundatorum Ecclesiis, ut certum onus supportetur, aut aliquid aliud fiat secundum eorum ordinationem, ne frustrentur ordina-

Episcopus Romanus à quibus debeat subsidia quærere.

dinatione & intentione eorum: sed tantum respectu eorum, quæ proveniunt ratione spiritualitatis & dotis constitutæ à jure, ut sunt decimæ, oblationes, portio Canonica mortuariorum, & similia.

Quod autem Ecclesiæ aliæ descenderint à Roma, præcessit Ecclesia Græca, in qua primò sedit Petrus Antiochiæ, & Iacobus Hierosolymis, & fuerunt aliquæ, quæ contendebant de pari, & quæ præcesserunt, ab ea non videntur descendisse: veruntamen ab omnibus recognoscitur tanquam suprema domina & magistra omnium, propter virtutes & merita eorum qui præfuerunt in ea: cujus ultima non correspondent primis. Subjunxit postmodum præfatus appellans, quod subveniendum est Dominis Cardinalibus qui Coadjutores sunt Papæ, &c. Sicut dicit. Respondetur, quod Domini Cardinales duplicem habent statum primævum: cujus retinent titulum, & principales dignitates in collegiatis Ecclesiis in curia Romana obtinent, vel sunt curati parochialium Ecclesiarum ejusdem: & illo respectu dicuntur Cardinales, id est, *Principales*; quod non competit eis specialiter; sed multæ sunt Ecclesiæ sicut Ravennatens. quæ obtinentes dignitates, in ea nominant Cardinales; & ita est in pluribus aliis Ecclesiis, in diversis regnis, & Provinciis; & ex ista præsenti institutione eorundem primum officium fuit, & est, & esse debet, confessiones audire, prædicare, & etiam baptizare &c. quo ad Presbyteros. Episcopi verò Cardinales hæc habent facere & exercere in suis diœcesibus; & isti de suis titulis, & eorum emolumentis isto respectu debent & tenentur contentari: sicut alii de Clero in singulis diœcesibus. Et si non valeant quantum valuerunt, limitent expensas, vel petant sibi provideri debere & per modum Canonicum. Et ille status fuit in charitate fundatus, & valde humilis & benignus.

Ecclesia Græca anterior Romana.

Cardinalium status.

Alium statum assumpserunt, quando Constantinus Imperium Occidentale contulit Ecclesiæ Romanæ; quam voluit habere Senatum, & quod Senatores vestibus, honore, & ornatu decorarentur, qui statum illum repræsentarent. Et illum tenent & repræsentant Domini Cardinales, ut dicit Innocentius; quorum officium est principi consulere, scilicet Papæ; sicut consulebant principi temporali. Sciens Constantinus Ecclesiam non posse onera talis status sufferre, nec expensas sustinere, & quod statum eorum propter hoc nollet admittere, nisi aliter provideret, contulit & dedit eis Patrimonium & temporalia pro statu eorum. Quod postmodum augmentatum, & si illud occupatum fuerit, culpa & negligentia eorum factum est: sicut supra dictum est. Ideo recuperent vel sint contenti eorum primo statu, cum status eorum sit nimium Ecclesiæ onerosus & non est necessarius, sicut prætendunt multi, maximè cum tanto Ecclesiæ onere.

Quod enim Domini Cardinales sunt *Papæ Coadjutores*, sicut dicit qui appellat, nihil est, super falso se fundat; quia *Episcopi* sunt *Papæ Coadjutores* & supra Cardinales de jure. Cardinales verò sunt tantummodo *Papæ Consultores*; & patet, quia dudum Cardinales, qui benè servierant, in eorum remunerationem & pro

quiete ipsorum promovebantur ad cathedrales Ecclesias. Patet etiam, quod majores esse videantur Cardinalibus; quia cùm florebat temporalitas eis data, Ecclesia & generale Concilium statum eorum limitavit ad XXV. familiares tantum; Episcoporum verò ad XXX. quos tamen contemnunt hodie; & per violentiam eos & alios de Clero opprimere conantur; atque volunt sibi facere tributarios, & per eos faciunt vi familiariter servire, nec pro quocunque Prælato etiam prono, adorante eos in terra, ponerent manum ad capellum, & salutarent eum. Quod nunquam aliquis Rex aut Princeps fecit, neque hodie permitteret, cum immediatè recipiant Episcopi potestatem & dignitatem à Christo; Domini verò Cardinales ab homine, quo ad statum assumptum Senatorum, dictum & futurum est, atq; necessarium in statu eorum providere, ut certus constituatur numerus, statusq; eorum limitetur; decernendo quod fierent tantummodo temporales, sicut aliqui dixerunt: & in quolibet generali Concilio qui benè se habuissent, confirmarentur: qui verò malè, eradicarentur, & domos suas remitterentur.

Cum ulterius subjungit, appellans quod *Papa & Cardinales sunt in possessione percipiendi à Prælatis* Annatas; *præsertim in dominio Regis Franciæ.* Respondetur prout supra, & ultra, quod nullus unquam comperiit titulus percipiendi; & si aliquando perceperunt, hoc fuit per modum permissivæ facultatis & benignæ tolerantiæ, quæ secundum Innocentium & quoscunq; Doctores potest revocari quandocunque. Et est mirum literatos talia pro fundamento allegare, quod à cætero sufferre non intendunt: quia quandocunq; esset eis aliter subveniendum, contribuendum, esset æqualiter per Nationes & Provincias, & talis provisio Annatarum nimium esset excessiva. Nam taxa vacantiarum, secundum quod descriptum est in libris cameræ Apostolicæ, de Ecclesiis cathedralibus & Abbatiis Galliarum taxatis, ascendit ad sexcenta nonaginta septem millia septingenta quinquaginta Francorum, sine prælaturis, quas non taxant, & aliis inferioribus dignitatibus & beneficiis, quæ ferè ad tantundem ascendunt: quæ summa prima sex annos (velut clarè demonstraretur) integraliter solvitur: & singulis annis divisa ascenderet ad ducenta millia, Prælaturis & aliis minoribus beneficis injunctis. Quod si in singulis nationibus tantundem reciperetur & haberetur, ascenderet summa, & esset in universo sex milliones nongenta septuaginta septem millia, & quingenti floreni: quod esset excessivum valde, etiam quando non solveretur: nisi tota in decennio & ultra, Domini Cardinales moderni obtinerent in Galliis sex cathedrales Ecclesias, & alias dignitates, ac alia beneficia: de quo deberent contentari sine tanto quæstu vacantiarum, & recurrere ad alias Nationes: tantundem eis facerent, quod esset rationabilius: quando omnes, Italica, Germanica, Hispanica, & Anglica Nationes tantum facerent eis, essent ad minus trecenta & quinquaginta annis singulis. Detrahunt enim & obloquuntur venerabili Nationi Gallicanæ, quæ sola plus facit quàm totum residuum, & sustinet pondus & æstus diei.

Summa exactionis in Gallia.

Quod

Quod autem *communia ſervitia,* ſicut dixit appellans, deberentur, propter ſervitium, quod Communitati & Reipublicæ impendit Papa & Cardinales,&c. Reſpondetur, quod Papa adminiſtrans juſtitiam & regnans ad ædificationem Eccleſiæ & ſalutem animarum, & non propter ipſum ſervit quàmplurimùm; & tali ſerviendum eſſet etiam realiter, quo ad Dominos Cardinales; ſi non debeatur eis, niſi quia ſerviunt; quàm plures ex eis de nihilo ſerviunt, imò nocent & officiunt ſuperſedendo ab expreſſione cauſarum, quæ ſuo tempore locum habere potuerunt. Quando ulterius ſubjungit appellans, *quòd ſine vacantiis vivere non poſſunt*, attento, quod patrimonium Eccleſiæ propter ſchiſma & malum regimen Eccleſiæ Romanæ & præſidentium in ea, eſt occupatum,&c. allegat ſuam turpitudinem; & devorantibus ſubſtantiam ſuam non eſt dandus recurſus ad alienas; & qui præſederunt in Romana Eccleſia, fuerunt Cardinales, & de illo ſtatu aſſumpti: & eos qui præfuerunt, elegerunt Domini Cardinales etiam qui ſunt moderni, & præſumuntur elegiſſe meliores: qui, ut confitetur appellans, & ſibi adhærentes totum deſtruxerunt. Imputent ergo ſibiipſis.

Communia ſervitia quatenus Papæ debeantur.

Et cum ulterius appellans dicit, quod *ſi removerentur Vacantiæ, Cardinales Reipublicæ ſervientes, non haberent, unde viverent,* & ſic eas non debere ſolvere nimia levitate fuit concluſum in Natione Gallicana. Reſpondetur, quòd ex ſupra dictis poteſt apparere, ſi nimia levitate vel digeſta deliberatione proceſſit concluſio, & ſi nimia cupiditate conetur eam impedire. Procedendo ulterius dicit idem appellans, *quod procurantes fieri dictam concluſionem erant debitores Cameræ Apoſtolicæ.* Reſpondetur, quod ſi debitores reputet propter vacantias quas aſſerit debitas, patet per ſupradicta non eſſe debitores, nec etiam debitas: nec eſſe ſolvendum: ſi ex alia cauſa dicat eos debitores, juſtificat actum. Quod *ſede Apoſtolica vacante,* ſicut dicit idem appellans, *nihil ſit innovandum* &c. Reſpondetur quod nihil innovatur, ſed quod eſt vitioſum, ſcandaloſumque & indebitum, tale eſſe declaratur & declarari petitur.

Quando ulterius progreditur idem appellans, oſtendens, *quòd inconſultis aliis Nationibus ad concluſionem* Natio Gallicana *proceſſit,*&c. Reſpondetur quod per medium Deputatorum aliarum Nationum, quæ omnes conſenſerunt quod de præterito tollendæ eſſent conſultæ ſatis Nationes videntur, & quod ſuper illis Natio Gallicana deliberaret, omnes ſciverunt Nationes: & etiam Domini Cardinales ultra deliberationem, motiva, & concluſionem ſuam voluerunt comunicare aliis Nationibus ad effectum concurrentiæ & proviſionis dandæ. Quod Domini Cardinales per exquiſita media impediverunt, & inter Nationes non eſt, quæ tantum fuerit gravata *ſicut Gallicana* in iſtis exactionibus, & propterea magis ſollicita eſſe debet. Et conſtat quia *in Anglia* nihil percipit niſi de Epiſcopatibus (qui ſunt pauci) Camera vel Domini Cardinales. Nec paterentur quòd interea Cardinales obtinerent beneficia, & in certis regnis Hiſpaniarum ordinatum eſt, quòd Camera

Gallicana Natio præ omnibus aliis gravatur.

nihil recipiat, & novissimè communitas Florentina Papæ Ioanni, qui tunc erat,& Dominis Cardinalibus in eorum Civitate existentibus, propter unicum abusum, quem Papa commisit in conferendo unam Abbatiam, sitam in eorum Domino, privaverunt Papam potestate conferendi beneficia in eorum Dominio usque ad quinque annos, nec tunc appellaverunt; & tamen per hoc perdunt fructus Annatarum. In Alemannia in certis diœcesibus, & provinciis percipit aliquid: in aliis verò nihil: imò nec admittuntur literæ Apostolicæ, nisi quantum placet Episcopis: qui recusant in denegando, vidimus; & propterea Gallia, quia nimium grata fuit, & obedivit, nimium gravata est, & adhuc oppropriis laceratur.

Quando verò subjungit sæpedictus appellans, quod *minis & terroribus & certorum Principum voluntatibus allegatis fuerunt impediti volentes deliberare,*&c. Respondetur quòd sicut dictum est, ad opprobria & injurias prorupit appellans, sibiq; adherentes, & appellationis compositio ad intelligendum, & est falsum quod asserit: sed Domini Cardinales fuerunt illi qui incutiebant terrores & inferebant minas atque dicebant injurias Prælatis & aliis notabilibus viris Nationis Gallicanæ, & eorum familiaribus cum nimia austeritate, ut liberè non auderent quod conscientia dictaret super illis exprimere, & aliquib⁹ dixerunt, quòd inquireretur cōtra eos ad finem destinationis eorum status. Aliis dixerunt injurias: aliis verò spem dabant promotionis, & exaltationis status, de quo adhuc confidunt aliqui, & familiares suos venire faciebant ad Nationem Gallicanam, ad vociferandum & clamandũ (sicut de facto fecerunt) ad deliberationem impediendum: & ultra videntes non posse impedire deliberationem quæ fiebat, ad invicem congregati omnes Prothonotarios, auditores Palatii, scriptores, notarios, cursores, & quoscunq; alios etiam mechanicos Romanā curiam sequentes, convocaverunt, & ad se venire fecerunt, & cum gemitib⁹ eis dixerunt, quòd Natio Gallicana per se sola præsumebat destruere velle statũ Papæ & Cardinaliũ, prothonotariorumq; Cameræ Clericorum, Cameræ auditorũ, plurium scriptorũ, notariorum, advocatorum, cursorum, cæterorum quorumcunq; Romanam Curiam sequentiũ: & ipsam Romanam Curiam incitarunt loquendo, quòd oportebat se illis opponere, & ad contrarium laborare, & conclusionem receptam de non solvendo Vacantias facere per media, ut non admittatur per alias Nationes: & fuit dubium & etiam periculum de magna comotione contra natos de Gallis. Nec talia attentaverunt, quando Natio Anglicana & eorum Rex illustris interdixit tales exactiones nolle plus sustinere in regno suo Angliæ; & videntes propter hoc posse proficere, quia rationabile est quod petitur, & irrationabile quod impedire conantur: converterunt se ad appellationes: & unam interposuerunt nominibus suis, & aliam interponi fecerunt per dictũ de Scribanis, aliam verò per Magistũu Ioannem Ponceti eorum Promotorē & Clericũ. Per tales appellationes & oppositiones, volentes impedire & illibertare dicentes vota sua; & in prædicationibus publicis materiam procuraverunt ad intentum eorũ: & per

verba

verba magiſtralia notaverunt non ſibi propitium eſſe, quòd benè fuit intentum. Quare quòd imponitur aliis, apud ſemetipſum & ſibi adhærentes quærat appellantes.

Quando enim ſubjunxit idem appellans quòd *ad dictam quæſtionem proceſſum eſt, ſine prius procedendo Dominis Cardinalibus*; &c. & in hoc Natio Gallicana non ſufficienter conſulta, fore tolendas dictas Annatas & Vacantias, conclusit, &c. Reſpondetur: quod quo ad ipſam Nationem ſatis latè & amplè proviſum eſt Dominis Cardinalibus de ſexaginta ad ſeptuaginta millia, ut ſupra dictum: & conſultiſſimè concluſit: & mirum eſt quod tanto tempore toleravit. Cum ulterius dicit idem appellans, *quod de laudabili conſuetudine protectio & tuitio Romanæ Curiæ Cameræ, ſede Apoſtolica vacante ad Cardinales ſpectat*; qui non fuerunt requiſiti in dicta concluſione, &c. Reſpondetur: quod bene facit allegare conſuetudinem pro titulo putativo: quia de jure eſt eis interdictum, ne de factis Cameræ in aliquo ſe intromittant, ſede Apoſtolica vacante; & ſiqua ſit conſuetudo occulta & totaliter ignota, nec debuerunt vocari nec requiri. Concluſio eſt Nationis, quo ad Nationem, quæ reſpectu aliarum Nationum eſt conſultiva, & quo ad totum Concilium eſt quereloſa; quam Concilio intendunt inſinuare: & apud ipſum proſequi, ut remedietur in eis: ut redeuntes ad propria, ſuis Principibus, Prælatis & Clero, qui ibi remanent, & de cæteris de populo poſſint referre diligentiam, quam fecerunt; ne videantur conſenſum præbuiſſe, nec acquieviſſe tolerationi abuſivæ in prædictarum Vacantiarum præſtatione; ut ſi Concilium proviſionem non dederit, conſtet, quod per eos non ſteterit.

Progrediendo ulterius, dicit idem appellans, *quòd Domini Cardinales ſunt cauſa unionis*, &c. Reſpondetur quod utinam ita eſſet; quod de præterito non fecerunt, nec uſque nunc eſt factum; quid fiet, videbitur poſtea. Nec quo ad hoc etiam præſumitur, quæ in facto conſiſtunt etiam de præſenti. Cum dicit ulterius ille idem appellans, *quod removere vacantias eſt ſubverſio ordinis Clericalis*, &c. Reſpondetur: quod de inordinato & vitioſo ordine vellet facere ordinem ad ipſius commodum, nec curaret de nutrimento peccati, nec de quocunq; ſcandalo: dummodo affluat aurum & pecunia. Si debeat ſubverti Ordo Clericalis propter tollere Vacantias, poteſt videri ex præcedentibus.

Ulterius præfatus de Scribanis dicit, *quòd atteſtari Simoniam intervenire in ſolutione earum, eſt venire contra vota plurium Conciliorum*, &c. Reſpondetur, quod nunquam in aliquo generali Concilio fuit ordinatum, quod quis poſſet recipere pecunias, ut ſpiritualia aut beneficium conferat, vel aliquem eligat ad dignitates & Prælaturas: ſed benè jure divino Canonico & Civili, & per generalia Concilia reperiuntur prohibita: quæ etiam damnant actum & conſuetudinem. Quando ulterius progreditur contra claram rei veritatem, & ipſius conſcientiam, videlicet *quòd ſolutio iſtarum Vacantiarum eſt onus reale*; *nec in hoc verſatur aliqua obligatio perſonalis*;

perſonalis; *cum per illam maneat officium obligatum,& non perſona.* Reſpondetur, quòd mirabiliter juſtificat, actum ex iſtis appellationibus, ſicut ſupra dictum eſt: clarum eſt quod literæ promotionis haberi non poſſunt, donec obtulerit quod petitur ab eo: ſeq; Monaſterium, & Eccleſiam obligaverit: nec alio exigitur modo, quin iſta obligatio ſit perſonalis: aut jura omnia fallunt: aut eſt perſonalis. Nec poteſt *realis*; quia per obligationem, quam fecit de Monaſterio, vel Eccleſia, non eſt hypotheca: quia Dominus non eſt; & quia non poſſidet tempore obligationis: & quia non vergit in utilitatem Eccleſiæ vel Monaſterii: & quia etiam turpi cauſa, & quia ſine conſenſu Conventus vel Capituli; & quia tempore fundationis non fuit tale impoſitum, nec poſt, per conſenſum illorum, qui conſentire habent & neceſſariò. Aliter non poteſt eſſe reale; & quando eſſet hypotheca, adhuc diſcuteretur primò perſona, quæ antea fuerat obligata.

Quod mutata perſona remaneat, onus ſupra Eccleſiam vel Monaſterium quod dimittit, non eſt verum: niſi quantum per porrectionem dictarum literarum eum obligare faciunt ad ſolvendum: in quo obligatus reperitur fuiſſe anteceſſor; & ſic poſſunt exigere ab utroque totum debitum quando volunt. Et quòd hoc ſit verum, patet per *formam obligationis*, quam ſervant in talibus in Camera Apoſtolica etiam Domini Cardinales, quæ talis eſt. Primò rubricat forma obligationis Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, aut electi; quando in propria forma ſequitur. *Vos Domine Patriarcha, Archiepiſcope, Epiſcope aut electe de licentia & authoritate Apoſtolica, vobis in hac parte conceſſa, gratis & ſponte offertis; dare promittitis & donatis pro veſtro communi ſervitio Cameræ ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini,* &c. *Alexandri Papæ Quinti, & ſacro Collegio reverendiſſimorum in Chriſto Patrum Dominorm ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium videlicet,* &c. *Floren. auri de Camera boni & legitimi ponderis; & quinq; ſervitia conſueta pro familiaribus & officialibus Domni noſtri Papæ, & Dominorum Cardinalium prædictorum,* Item recognoſcitis eiſdem, Cameræ & Collegio ac familiaribus & officialibus omnes illas pecunrarum quantitates, in quibus prædicta veſtra Eccleſia, in libris ipſorum Cameræ & Collegii, per aliquorum prædeceſſorum veſtrorum perſonas obligata eſt. Quos quidem florenos cum quinque ſervitiis & recognitis ſupradictis; promittitis reddere & ſolvere realiter cum effectu in Romana Curia, ubicunque fuerit; videlicet reverendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis, Dominis miſeratione divina Henrico Epiſcopo Sabinen. & Amedeo ſanctæ Mariæ novæ Diacono Neopolitano, & de ſalutis vulgariter nuncupatis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Franciſco miſeratione eadem Archiepiſco Narbonen. Domini noſtri Papæ & ſacri Collegii Cardinalium Camerario, vel eorum Succeſſoribus, vel Deputatis ab eis, medietatem ſcilicet in Feſto, &c. & aliam medietatem in Feſto, &c. recognita verò in alio ſimili Feſto. Quod ſi debita loco & terminis, dictam floren. ſummam & quinque ſervitia conſueta, & recognita ſupradicta non ſolvatis,

Forma obligationis Archiepiſcopi.&c.

ut

ut eſt dictum; promittatis redire ad Romanam Curiam infra quatuor menſes, poſt elapſos terminos hujuſmodi vel alterum eorum immediatè ſequentem, & coram dictis Dominis Camerariis, ſeu eorum Succeſſoribus aut Deputatis ab eis, perſonaliter comparere, & inde non recedere, donec per vos fuerit de prædictis integraliter ſatisfactum.

Super hoc obligatis vos vel Eccleſiam veſtram, & Succeſſores veſtros, ac omnia bona Eccleſiæ veſtræ mobilia & immobilia, præſentia & futura, ubicunque ſint & conſiſtant. Et ut ſitis vinculo fortioris obligationis aſtricti, ſubmittitis vos, quod Succeſſores veſtros juriſdictioni & cohertioni dictorum Dominorum Camerariorum, & cujuſlibet eorum inſolidum; ac, etiam Succeſſorum ſuorum & deputandorum ab eis, & de voluntate veſtra qui hoc vultis, & petitis, & hanc juriſdictionem in eos porrigitis; præfati Domini Camerarii, & quilibet eorum eandem juriſdictionem in ſe ſuſcipientes, & ſuſcipiens in loco mandatum faciunt & præceptum; ut de re confeſſata de ſolvendo dictam floren. ſummam, & quinque ſervitia ac recognita ſupradicta, de reveniendo ad Romanam Curiam, & de nō recedendo ab ea abſque ſatisfactione, & quod omnia alia & ſingula ſupradicta efficaciter compleatis & attendatis. Quod ſi non feceritis ſuſpenſionem, alias adminiſtrationem ſpiritualium & temporalium dictæ Eccleſiæ, & ab executione Pontificalium & majoris excommunicationis ſententias, ex nunc prout ex tunc, in vos Canonica monitione præmiſſa proferunt in his ſcriptis, communicanres nihilominus dicti Camerarii, & quilibet eorum, ſe contra vos dictum Dominum Patriarcham, Archiepiſcopum, Epiſcopum, vel electum, proceſſuros & proceſſurum, abſque alia vocatione ceu monitione, ac graviores pœnas, & ſententias ſpirituales & temporales, & aggravationes earum: prout eis ceu eorum alteri placuerit, ſeu viſum fuerit expedire. Et quod vos denunciabunt & denuntiari facient per ſe vel per alium ſeu alios excommunicatum, ſuſpenſum, perjurium, & aliis pœnis & ſententiis aſtrictum: quas propter hoc in vos duxerint proferendas.

Et vos Domine Patriarcha, Archiepiſcope, Epiſcope, vel electe renunciatis ſuper his omnibus literis, privilegiis, indulgentiis Apoſtolicis impetratis, vel impetrandis, conceſſis, vel concedendis quibuſcunque, & beneficio appellationis & reſtitutionis in integrum, ac omni foro, uſui, præſcriptioni & juri revocandi donum, & omni auxilio Iuris Canonici & Civilis; per quod contra præmiſſa de jurè vel de facto venire poſſetis, vel aliquod præmiſſorum. Et omnia præmiſſa *juratis ad ſancta Dei Evangelia tenere, ſervare,* approbare, & in contrarium non venire, directè vel indirectè per vos vel alium vel alios.

Si verò ante ſatisfactionem hujuſmodi vas contingat mori, cedere vel transferri, & ille vel illi, qui ad regimen ipſius Eccleſiæ vobis ſubſtitutus vel ſubſtituti fuerint: infra quatuor menſes poſt ſubſtitutionem, & dictæ Eccleſiæ poſſeſſionem adeptam, de floren. & ſervitiis & recognitis ſatisfacere non curaverit, ceu curave-

Fff rint,

rint, ex nunc prout ex tunc easdem pœnas & sententias in eosdem substitutos, & eorum quemlibet infligunt, & proferunt in his scriptis, prout dictum est, & narratum authoritate dictorum Dominorum meorum Cardinalium, & nostra, proferimus in his scriptis: & vos Dominum Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum vel electum, volentem, petentem & requirentem ad prædicta recitata, condemnamus. Et nihilominus monemus vos semel, secundò, tertiò & peremptoriè, ac sub excommunicationis pœna, ut prædicta adimpletis, attendatis & observetis: alioquin excommunicationis sententiam in vos proferimus in his scriptis. Et vos Domine Patriarcha, Archiepiscope, Episcope, vel electe, vultis quod per nos Clericos vel Notarios Cameræ, qui fuimus hic præsentes de præmissis omnibus & singulis, fiant unum vel plura publica Instrumenta?

Similes formæ pro eisdem, quando fit per Procuratores, & ibidem pro Abbatibus.

Fasciculi Gratii fol. 194.

ET sic per tenorem dictæ obligationis constat, quod nō est reale sed violentum personale, sicut supra dictum est, eo quòd per literarum retentionem ad hoc compelluntur. Et licet composuerint formam aptiori modo quo potuerunt, ad justificandum & colorandum factum suum: veruntamen reprobanda est & vitiosa valde: & propterea super his obligationibus nunquam voluerunt grossare instrumentum, nec copiam obligationis dare. Peccant in quinque vel quatuor substantialibus secundum formam juris; quod per quemlibet intelligentem potest clarè intueri: nec etiam Cardinales aut eorum prætensus Camerarius unquam habuerunt jurisdictionem, nec habent potestatem ad hoc, quam prætendunt.

Cum dicit ulterius idem de Scribanis appellans, quod attentis conventionibus per Regem Romanorum & Petrum de Luna factis, videlicet nihil debet invocari: cum per hoc posset impediri unio Ecclesiæ: cum sit in vilipendium totius Christianitatis removere Vacantias, &c. Respondetur quod removere causam quæ præstat & occasionem dat peccati, & damnationis animarum: per quam etiam parantur scandala & fiunt: per quam destruuntur Ecclesiæ, & universaliter personæ Ecclesiasticæ opprimuntur, & stant in errore: intentioque fundatorum Ecclesiarum, & beneficiorum fraudatur: & per quam opera pietatis impediuntur, & justitia læditur: est adornare Christianitatem & eam in devotione confovere. Nec per hoc fit innovatio vel immutatio contra promissum vel conventum: & quando hæc facta non essent aut fierent, Romanorum Rex illustrissimus, & omnes alii Reges, & quicunque Christiani, haberent increpare totum generale Concilium: quòd mora in hujusmodi data fuisset, & ultra quod citius venient qui obediunt Petro de Luna: de quo modica spes quod voluntariè aliquid boni faciat: & facilius propter hoc inclinabuntur ad recedendum ab ejus obedientia.

Subjun-

Subjungit, quod ex illis appellabat ad ſedem Apoſtolicam,& ſummum Pontificem futurum,& Apoſtolos petit,&c. omittens Concilium generale fraudulenter. Non dubium, quod deberet eſſe judex competens in cauſa hujuſmodi, & quod ſedet de præſenti & ad eum poteſt haberi recurſus faciliter, & appellando ad Papam tantum facit cauſa diffugii: nec Papa videretur judex competens,eo quod ſit pars formata: & ejus Camera Apoſtolica, & Concilio Cardinalium in hoc uteretur, qui affectum quem habent oſtendunt. Ideo ex præmiſſis & reſultantibus ex eis tam conjunctim quàm diviſim,appellationem dicti de Scribanis: neque aliam interpoſitam nomine dictorum Dominorum Cardinalium & eorum Collegii, nec aliam interpoſitam per Magiſtrum Ioan. Ponceti, ceu quoſcunque alios in materia hujuſmodi,& ipſius occaſione.

Hæc venerabilis Natio Gallicana propter hoc ſolenniter congregata, matura deliberatione habita, non ducit admittendum; nec eos admittit appellantes; nec eorum frivolis appellationibus vel alteri earum eſſe deferendum,neque defert.Parata eadem venerabilis Natio & ſe offerens, velle reſpondere plenius ac ſingulariter ſingulis cauſis, ex quibus cauſantur & juſtificare nituntur dicti Domini Cardinales,& dictus Ponceti, appellans per eos,ſuis nominibus interpoſitis;quarum copiam etiam facta debita diligentia habere non potuit; quandocunque dabitur ei vel habere poterit.Proteſtando etiam de ſpecificatione quorundam aliorum hic nõ expreſſorum. Hanc reſponſionem eiſdem de Scribanis,Procuratorique Collegii Dominorum Cardinalium,& ipſis Dominis Cardinalibus ac præfato Pontifici ſingulariter ſingulis, ac quibuſcunque ſuis adhærentibus,& adhærere eis volentibus conjunctim & diviſim,pro Apoſtolis ad quos teneri poſſet, dans & eis faciens & præſidens ejuſdem Nationis de conſenſu & mandato totius Nationis. Proteſtans eadem venerabilis Natio,& Præſidens ac ſingula ſuppoſita ejus,maximè & ſpecialiter deſtinati,pro parte Prælatorum atque Cleri Galliarum,ad hoc generale Concilium de proſequendo eorum receptam concluſionem apud præſens generale Concilium; & ubicunque de jure debitè poterit & licebit; de eadem referendo, intimandoque,& ſcribendo ſereniſſimo Principi Francorum Regi,& germano ſuo Regi Siciliæ Ludovico nominato, illuſtri Duci Aquitaniæ, primogenito Regis Francorum illuſtriſſimo, cæteriſque Ducibus & Comitibus & Baronibus Galliarum, Prælatis, ac illis de Clero, qui in partibus remanſerunt nobilibus; & de illis populo omnium Galliarum ad ipſorum excuſationem & exonerationem,& ad debitam proviſionem conſequendam, &c.

CLXXVI. Conſtitutio ſacri Baſilienſis Concilii ſuper Annatis, in Seſſione vigeſima prima.

SAcroſancta generalis Synodus Baſilienſis in Spiritu Sancto legitimè congregata univerſalem Eccleſiam repræſentans. Ad perpetuam rei memoriam in nomine

Spiritus paracliti ſtatuit hæc ſancta Synodus: quod tam in Curia Romana, quàm alibi, pro ſeu in confirmatione electionum, admiſſione poſtulationum, præſentationum proviſione, collatione, diſpoſitione, electione, poſtulatione, præſentatione, etiam à Laicis facienda: inſtitutione, inſtallatione, & inveſtitura de Eccleſiis etiam cathedralibus & metropolitanis, monaſteriis, dignitatibus, beneficiis, officiisque Eccleſiaſticis quibuſcunque, nec non ordinibus ſacra & benedictione ac pallio: de cætero nihil penitus antè vel pòſt exigitur ratione literarum, bullæ, ſigilli, annatarum, communium & minutorum ſervitiorum, primorum fructuum, deportatuum aut ſub quocunque alio titulo, colore vel nomine: prætextu cujuſcunque conſuetudinis, privilegii vel ſtatuti, aut alia quavis cauſa vel occaſione directè vel indirectè; ſolum Scriptoribus, Abbreviatoribuſque, & Regiſtratoribus literarum ſeu minutarum pro ipſorum labore competenti ſalario perſolvendo. Huic autem ſacro Canoni ſi quis exigendo, dando, vel promittendo contraire præſumpſerit, pœnam incurrat adverſus Simoniacos inflictam: ac in ipſis dignitatibus, & beenficiis taliter obtentis, nullum jus aut titulum acquirat. Obligationes quoque, promiſſiones, cenſuræ, ac mandata, & quicquid in præjudicium Decreti hujus ſal ubérrimi fieri continget, nullas obtinere vires atque irrita cenſeantur. Et ſi (quod abſit) Romanus Pontifex, qui præ cæteris univerſalium Conciliorum exequi & cuſtodire Canones debet, adverſus hanc ſanctionem aliquid faciendo, Eccleſiam ſcandalizet, generali Concilio deferatur. Cæteri verò pro modo culpæ juxta Canonicas ſanctiones per ſuos ſuperiores digna ultione puniantur.

CXXXVII. *Arreſtum Curiæ Parlamenti Pariſienſis ſuper Annatis non ſolvendis.*

Extat in Faſciculo Gratii fol. 192.

CArolus Dei gratia Francorum Rex univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem: Notum facimus: quod cum nuper pro parte quàm plurimorum numero grandi Regni noſtri Prælatorum, Pariſiis tunc exiſtentium: nec non filiæ noſtræ dilectæ univerſitatis ſtudii Pariſienſis, nobis querulosè fuiſſet expoſitum, quod Eccleſiæ noſtrorum prædicti Regni Delphinatus Viennenſis pro magnitudine gravium exactionum & onerum eiſdem Eccleſiis tam per Benedictum Papam XIII. quàm ſuos Anteceſſores contra communis diſpoſitionem juris impoſitarum, oppreſſæ atque in tantum gravatæ hactenus fuerant & erant: quod eædem in magnam pauperiem ac ruinam corruebant, & in deſolationem undequaque vergebant: niſi per nos de remedio ſublevarentur. Finnantiæ etiam ſuper iiſdem Eccleſiis exactæ de eodem Regno noſtro, in magnum & irreparabile Reipublicæ, Regni ejuſdem noſtri præjudicium exportabantur à nobis: quibus Eccleſiam, præſertim ſupradictorum Regni & Delphinatus noſtrorum ab omni oppreſſione præſervare incumbebat: & unde ſpecialiter aſtricti & obligat

obligati Deo Creatori nostro, rationem eramus reddituri; humiliter supplicando quatenus Ecclesiis memoratis super præmissis exactionibus & gravaminibus eas cessare faciendo, providere dignaremur: ut ministri & aliæ Ecclesiæ personæ divinis insistentes & famulantes, vivere; Ecclesias sibi commissas regere: earum ædificia in bono & decenti statu tenete: aliosque actus, suam professionem, & fundatorum suorum dispositionem concernentes, exercere valerent. Et ob hoc nonnulli & plures de nostro magno Consilio ad videndum, & deliberandum super his, & aliis Ecclesiam prædictam tangentibus quid rationabiliter fieri posset & deberet, dudum commissi ac deputati, aliqua nobis super dictis exactionibus referenda vidissent & advisassent, seu deliberassent: quia tamen Prælatis & filiæ nostræ præfatis videbatur dictam deliberationem largius declarandam fore: iidem Prælati & filia nostra aliquas declarationes, & additiones cum deliberatione, & advisamento supradictorum nostrorum Consiliariorum fecissent: easque nostræ Parlamenti curiæ, cum nominibus dictorum nostrorum Consiliariorum, qui dictæ deliberationi præsentes affuerant, in quadam schedula sub nostro contra sigillo misissemus: & per literas nostras patentes eidem curiæ nostræ mandassemus, & eidem potestatem & authoritatem impartiendo, expresse injunxissemus: quatenus ad eandem curiam advocatis & accersitis de nostro prædicto magno Consilio, & requæstis nostri hospitii tot & talibus, prout eidem curiæ nostræ bonum videretur: ipsa nostra curia, Ecclesiæ prædictorum regni & Delphinatus nostrorum super contentis in dicta schedula provideret, secundum quod nobis esse faciendum consuleret: prout hæc & alia latius & luculentius ex ipsarum nostrarum serie ac tenore literarum liquebant. Constitutis propter hoc in eadem nostra curia procuratoribus, nostro generali, necnon charissimi patrui nostri Ducis Eituricen. & ipsa filia nostra universitate Parisiensi, pro patre ejusdem filiæ nostræ sub his verbis Apostolicis. *Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè*; propositum fuit, quod sacrosancta mater nostra Ecclesia entium ad instar naturalium & politicarum, macrocosmi videlicet, & microcosmi; qui sunt major & minor mundus, in pondere, numero, & mensura à summo creatore (philosophis attestantibus) conditore dirigi debeat atque regi in ordine; quorum elementis quatuor primam distribuerat materiam idem creator omnium in suam grandem naturæ portionem, eorum cuilibet totaliter conferendo, quantum alteri: & iisdem ex se invicem vicissitudinem sui alimenti & sustentamenti referendo; adeo ut quod unum ipsorum sub æquinoctiali vel polo per alterius conversionem deperdidisset; de alio recipere & sibi restaurare ipsius naturæ munere, & instinctu, & increatæ sapientiæ providentia dignosceretur. Sic regalis, sic Aristocratiæ & Democratiæ politiarum: nullius quarum rectorem nutrimentum seu ipsorum majorem partem omnium subjectorum aut inferiorum absorbere ullus unquam sufficeret: quemadmodum in microcosmo, si ad excessum alterum membrorum alimoniam cæteris egentibus sumeret:

ret: unde corpus ipsum in langorem, & exinanitionem vergere contingeret: medio quodam substractivo seu restrictivo hujusmodi superabundanti membro esset occurrendum.

Sed Benedictus supradictus neque modum, neque pondus, neq; mensuram, in Ecclesia & Ecclesiæ subjectis observare consueverat: quin magis ipsos jugis & servitutibus inportabilibus: à nonnullis defunctorum Successoribus spolia auferendo, ab aliis Prælaturarum & beneficiorum Ecclesiasticorum vacantias extorquendo, à quibusdam exigendo arreragia tanquam debita præteritorum & incognitorum temporum à beneficiatis, suorum quæ de novo obtinebant beneficiorum: primam expetendo & percipiendo annatam ab his, qui tempore subtractionis obedientiæ dudum sibi per nos, & Clerum regni ac Delphinatus nostrorum prædictorum factæ ad Prælaturas seu dignitates, aut alia Ecclesiastica beneficia promoti fuerant fructus (quos dictæ subtractionis tempore malè perceptos fuisse dicebat) recipere enitendo, & procurationes capiendo, Prælatis, Archidiaconis, & aliis ordinariis pro visitatione debitas: aliisq; exactionibus ac extorsionibus indebitis adegerat, affecerat, & contorserat, adigebat, afficiebat, & contorquebat: contra jura non tam Christicolarum, quàm ethnicorum quorumcunque: apud quos & ab omni tempore Clerum, ab omni munere & servitute fuisse liberum cõpertum erat. Eos enim non ancillæ filios sed liberæ, qua libertate Christus eos liberaverat, teste Apostolo ipsosq; sub his adhortante verbis: state & nolite iterum jugo servitutis contineri. Nam (ut eadem nostra filia dicebat) in politia seculari quis principem tam à nobili quàm ignobili annatas primas omnium hæreditariorum, in aliquem quoquo titulo translatorum, excipere & extorquere satagentem non tyrannum, aut suæ politiæ eversorem censeret: & talem rectorem sustinere valeret? Quantò minus erat idem Benedictus, qui minister, & non Dominus Ecclesiæ ab Evangelica veritate asserebatur, primarum annatarum fructus sibi tyrannicè approprians beneficiorum tolerandus?

Illud parvi pendens Samuelis, in Regum libro populum alloquentis, & dicentis: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem alicujus tulerim vel asinum; si quempiam calumniatus sim, si oppressi aliquem, si de manu cujusquã munus accepi, & restituam vobis,* Ac dixerunt: *Non es calumniatus, neq; oppressisti nos, neq; tulisti de manu alicujus quippiam.* Exemplo tamen cujus instrui, & terminis rationabilibus contentari, non exactioni, & concussioni pecuniarum tyrannicis inhiare debebat: Evangelio exhortante, *neminem concutere; neq; calumniam facere, & contentum esse debere stipendiis:* ipsius Apostoli exemplo, in Apostolorum Actibus dicentis: *Argentum & aurum nullius concupivi, sicut ipsi scitis; quoniam ad ea quæ mihi opus erãt, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Ego* (inquit Apostolus) *scio, quoniam post discessum meum intrabunt ad vos lupi rapaces, nõ parcentes gregi.* Quam rapacitatẽ spiritu Prophetico clarè proponebat prænũtiasse ipsa filia nostra Prophetã Ezechielem,

lem, suis sub his verbis: *Facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devoratione: eo quod non erat pastor. Neque enim quæsierunt pastores gregem meum; sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant. Propterea* (inquit Dominus) *cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum; & liberabo gregem meum ab ore eorum, & non erit eis ultra in escam.* Ex quâ clarum est Prophetia Domino Benedicto supradicto, qui tanta confusione & inordinatione cupiditatis debacchabatur, subtractionem nedum finantiarum supradictarum sibi fieri debere, sed plenariam; quamvis alias & dudum sibi factam & jure & facto durare ac tenere censeret, & in eadem se permanere profitebatur eadem filia nostra. Ex eo præsertim quod restitutionem obedientiæ per nos eidem Benedicto factam nullam esse: quæ sub conditione non impleta & sub causa cujus nullus sequebatur effectus factam, prout per schedulas quasdam in ipsa restitutione contentas apparere dicebat. Ecclesiæ etiam regni ac Delphinatus nostrorum prædictorum authoritate dictam restitutionem minimè factam: & per consequens ipsam subtractionem durare, seu ipsam aut saltem dictarum pecuniarum & finantiarum eidem Benedicto fieri debere: cum idem Benedictus ad destruendum Ecclesiasticam potestatem non hominis (Apostolo teste) contra sanctæ Synodi authoritatem diffinientis, nullum Episcopum expetere debere aurum & argentum à parentibus vel Clericis, vel Monachis qui sub eo sunt: & Gregorii, Bernardi, & aliorum sanctorum doctorum: imò Evangelii authoritatem: dictas finantias in Ecclesiæ prædictæ subversionem & exitium extorqueret.

Eandem autem subtractionem per eandem nostram curiam, & Prælatorum, & dictæ filiæ nostræ Concilio faciendam esse dicebat eadem filia nostra, exemplo Regis Ioas: qui Concilio Iojadæ sacerdotis pecuniis ad templi reparationem destinatis: quibus sacerdotes sui temporis abutebantur, manum apposuerat, & earum partem ad necessitatem divinis famulantium: partem ad mercedem latomorum, & partem in architectorum salarium partiebatur. Vnde dictum in ipsius laudem prodierat: quod Rex Ioas rectum fecerat coram Domino cunctis diebus, quibus eum docuerat Ioiada sacerdos. Per quem eadem filia nostra summos doctores intelligi dicebat: & quod ejusdem Ecclesiæ oppressioni providere nobis aut eidem curiæ nostræ incumberet: & authoritate, & naturali ratione, & proprii jurisjurandi debito, & antecessorum nostrorum exemplo apparere eadē filia nostra ostendebat. Ambrosii in lib. de Patriarchis, necessitatem defensionis Ecclesiarum Regi pertinere asserentis. Recto præterea rationis dictamine, quo gentes etiam quæ legem non habent, eidem Benedicto dictarum finantiarum exactionem esse subtrahendam diffinirent: ad quod proprii vinculum juramenti nostræ coronationis, in qua unicuique de Prælatis & Ecclesiis sibi commissis Canonicum Privilegium & Iustitiam servare, & defensionem pro posse contra oppressores adhibere promiseramus: nos adigebat ac specialiter astringebat. In exemplum erant Rex Ioas prædictus prædecessoresq; nostri temporibus Bonifacii Clementis, Gregorii

gorii, & aliorum quondam summorum Pontificum. Per hujusmodi enim injustas exactiones piæ fundatorum beneficiorum fraudabantur intentiones: & à sua salute & gloria defunctorum animæ morabantur captivæ.

Quod si eorum hostes & veritatis suppressores, hanc persequutionem & inobedientiam esse prætenderent: cum Deo magis quàm hominibus esset obediendum, hæc hominum vaniloquia (Papa Pelagio asserente) nos nequaquam retardare deberent. Errant (inquit) hujusmodi rumoris fabulatores: Non persequitur, qui malum jam factum punit, aut prohibet ne fiat: sed diligit. Ex quibus conformiter ad sui thematis verba, eadem filia nostra requirendo concludebat: quatenus subtractio fieret eidem Benedicto obedientiæ, aut saltem dictarum finantiarum & pecuniarum exactionis: quodque pecuniæ in manibus collectorum aût subcollectorum existentes, in nostra arrestentur manu: & his quibus eidem Benedicto aliquid occasione prædictorum debere imponebatur, ne solverent inhiberetur procuratoribus generali nostro, ac dicti nostri patrui sub excusatione protestantibus: se non affectionis inordinatæ libidine aliquid dicere velle: & se si notæ aut repræhensionis dignum aliquid dicerent, debitæ correctioni submittentes, ac ulterius proponentes, quod Ecclesiæ fuerant & erant per principes temporales fundatæ ac dotatæ: quarum dos seu patrimonium authoritate capi nequibat aut debebat. Licet enim Constantinus Ecclesiæ Romanæ sedis præeminentiam, quam sibi dari Constantinopolitana, Alexandrinaque, & aliæ nonnullæ Ecclesiæ contendebant, tribuisset: ratioque suaderet, & vellet ut Prælati qui fidem publicarent, divinis insisterent, Ecclesiastica frequentarent officia: & Sacramenta ministrarent: necessaria referrent sui status & vitæ: non tamen ipsi exactiones imponerent, nulla præsertim urgente necessitate. Nam Archiepiscopos (quo nomine Romanæ urbis Episcopum scriptura nuncupat) super suis suffraganeis seu eorum subjectis exactiones imponere jura vetabant.

Quod si Ecclesia Romana cæterarum caput, & principalis existens: ut sunt seculi varietates & vicissitudines temporum, & mentium & animorum malitia, in aut à suo (quod majus & auctius regno nostro possidebat) patrimonio, sorte aliqua disturbabatur, quo minus ipso liberè uteretur, cæteras monere debebat Ecclesias, excitare, adhortari, & requirere de subsidio charitativo: quod eidem Ecclesiæ Romanæ annui posset ac deberet: cum tamen Concilio, moderamine, & justa causa, absque præjudicio culpa non præcedente, durante necessitate: ac de consensu & benignitate Principum, Patronorum, & aliorum Prælatorum: & non cum gravamine assiduo & indistincto cæterarum Ecclesiarum: quas utique & præsertim horum nostrorum regni & Delphinatus supradictus Benedictus passim, & Pharisæorum more, qui decimas indifferenter de plantulis, herbis, baccis, & omnis generis fructibus extorquebant: cum gravi compulsione, subsidiis & exactionibus insolitis, & contra libertates Ecclesiæ exagitabat & premebat: quibus cum secularis ju-

stitia

ſtitia Eccleſiaſticæ ſubſidio & juvamini ſemper fuiſſet (alterum enim alterius ſemper egebat auxilio) neceſſitas occurſandum impellebat: ſuadebat æquitas: exigebat ratio · ac totius clamor populi incutiebat. Intereſſeque præterea noſtrum, huic ruinæ impendens nos ſtimulabat: ne venerabilium hujus noſtri regni Eccleſiarum, tanto charitatis ardore extructarum, & quarum fundatores & auctores dicebamur: tam miſera, tam flebilis, & tam neglecta ſurriperet deſtructio, exemplisque inſtrueremur egregiis Theodoſii, Honorii, Conſtantini, Caroli Magni aliorumque anteceſſorum: qui corruptelis contra Eccleſiam ipſam quandoque attentatis ſolerter obviaverant, ac ſuccurrerant liberaliter.

Subſidium autem, quod Eccleſiæ eidem conferre poteramus & debeamus, erat, eidem Benedicto in hujuſmodi abuſionibus non obedire, obedientiamque ſubtrahere. In quo nullatenus juxta beati Thomæ de Aquino, & aliorum Eccleſiæ Doctorum autenticorum doctrinam peccabamus. Ex quibus aliis pluribus aſtructis rationibus concludebant ac requirebant: quatenus eadem curia noſtra juxta noſtras mandatorias literas inhibendo dicti Benedicti officiariis: ne quas ratione præmiſſorum exigerent in dictis regno & Delphinatu noſtris pecunias: ac exactas & penes eoſdem officiarios exiſtentes arreſtari uſque ad Prælatorum congregationem faciendam provideret. Pro parte Benedicti & ſuæ Cameræ officiariorum ab adverſo extitit requirendo propoſitum: quod cum materia præagitata grandis, & alta jura ſedis Romanæ (cujus erat ipſe Benedictus caput) ſuamque Cameram & antiqua deveria ſua ac Cardinales concerneret, & tangeret: iidemque Benedictus & Cardinales nullo in eadem noſtra Curia Procuratore fulcirentur: quò cauſa præſens deduci, fovere poſſet, aut defenſari, & Prælati noſtri Regni ad proximum omnium Sanctorum Feſtum congregandi dicerentur: in cujus temporis interſtitio nullum vertebatur periculum: eadem noſtra Curia ſuperſedere vellet prout tenebatur. Præfata filia noſtra in contrarium proponente, ac dicente: quòd radix pro parte ipſius Benedicti propoſitorum invalida cenſeri debebat: eo quòd eadem filia noſtra proceſſum ſubire ordinarium non intendebat: ſed ſibi ab ipſa noſtra Curia proviſionem fieri: quam abſque mora referre debebat: Nam quantuſcunq; eſſet Papa ſeu Prælatus non erat ſuus: ſed omnis ejus poteſtas ſive dignitas & alius cujuſlibet magis Eccleſiæ quàm perſonæ.

De jure igitur Benedicti ſive Eccleſiæ Romanæ faciendum erat; quod ad profectum pertinere videbatur Eccleſiæ, & non in ipſius præjudicium: teſte Apoſtolo Eccleſiæ ſuppoſita ſub his compellante verbis: *Templum Dei eſtis vos, & Spiritus ſanctus habitat in vobis; ſi quis illud violaverit, diſperdet illum Dominus. ſubdit: Non glorietur quis in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt, ſive Cephas, ſive Paulus, ſive Apollo.* Pecuniæ autem ſive finantiæ, quas idem Benedictus exigebat, non ad Eccleſiæ profectum, ſed ipſius & animarum tendebant interitum: cujus interitus & præſentis horrendi ſchiſmatis erant medium & fomes. Quare à nobis & eadem noſtra curia

(quibus justitiam ministrare erat necesse) hujusmodi mortiferæ pestilentiæ non tam rejiciendæ quàm penitus & absque ulla mora tollendæ erant: cum & unumquenque jure gentium gladium de manu interfectoris confestim eruere, & vim vi repellendo interficere liceret: ex his prout supra requirendo dictis nostro & patrui nostri Procuratoribus suam requestam fieri requirentibus, attento quod per notorias exactiones sæpe dictas, respublica ex defectu prædicationum & subjectorum, visitationum & correctionum, & alias ut supra multipliciter contra sacrorum Canonum institutiones gravabatur: quodque querelas suas non processum inituri, sed remedio aut provisioni innitentes intentabant: nec erat qui contrarium opponeret ad hoc & ut supra concludentibus: officiariis ipsius Benedicti in contrarium contendentibus, & ut negotium absque præcipitatione protelaretur quantum pro absentibus supplicari fas erat, prout supra instantibus ne quicquam innovaretur requirendo concludentibus.

Tandem auditis hincinde ad plenum partibus antedictis; in omnibus quæ dicere ac pro ponere circa præmissa voluerunt, & in arresto appunctatis, congregatis igitur ejusdem nostræ curiæ nostri Parlamenti Cameris, convocatisque, & astantibus in notabili numero de gentibus nostri magni Consilii, ac visis supradictis literis & schedula: consideratis insuper & attentis diligenter & cum magna & longa deliberatione omnibus circa hæc attendendis & considerandis, & quæ eandem nostram curiam in hac parte poterant & debebant movere, per præfatæ curiæ nostræ arrestum prædictis obtemperando literis, per eandem filiam nostram à nobis impetratis: dictum fuit, quod dictus Benedictus & Officiarii sui cessabunt in nostris regno & Delphinatu ab exactionibus annatarum primarum, fructuum, & emolumentorum, prælaturarum, & aliorum beneficiorum quorumcunque vacantium, seu quæ vacuerunt, aut vacabunt, tam pro primis annatis, quàm etiam fructuum & emolumentorum, qui tempore subtractionis alias eidem Benedicto factæ & vacationis prælaturarum, dignitatum, & aliorum beneficiorum obvenerunt, seu obveniunt qualitercunque, necnon procurationum pro visitationibus debitarum & arreragiorum quorumcunque ratione præmissorum vel aliarum exactionum debitarum: ipsasq; procurationes poterunt Prælati, Archidiaconi, & alii Ordinarii, quando ipsos suos subjectos visitare contigerit, & levare.

Cessabunt etiam Cardinales & Camerarius collegii à perceptione illius partis, quam in vacationibus prælaturarum pro primis annatis vel alias ante præsens arrestum percipiebant, arreragiorum quorumcunque occasione præmissa debitorum. Et si aliquid ex his, quæ levata seu exacta fuerunt, occasione prædictorum apud collectores seu subcollectores, aut alios quoscunque existit seu remanet sub manu nostra, arrestabitur, & id arrestavit & arrestat ipsa curia nostra. Ipsisque ne aliquid eidem Benedicto seu hoc cuiquam alteri tradant, aut solvant, inhibebitur & inhibet etiam eadem curia nostra. Et per idem arrestum eadem

curia

curia nostra ordinavit & ordinat, quod excommunicationis sententia præmissorum occasione illigati relaxabuntur & hæc quousque alias per eandem curiam nostram extiterit super præmissis ordinatum. In cujus rei testimonium præsentibus literis nostrum jussimus apponi sigillum. Datum Parisius in Parlamento nostro. Die XI. Septembris. Anno Domini millesimo quadringentesimo sexto, & regni nostri XXVI. Per arrestum Curiæ.

B A I Æ.

CLXXVIII. Sequuntur nonnulla, in quibus patet approbatio sacri Concilii Basiliens. & Pragmaticæ sanctionis à Rege Francorum.

DE facto Ecclesiæ Ambassiatores Eugenii in crastinum adventus Regis fuisse auditos; qui inter cætera quatuor petierunt. **Extat in Fasciculo Gratii fol. 161.**

Primò ut Rex reprobaret Concilium Basiliense à tempore translationis in Ferrariam, & approbaret Concilium Ferrariens. & in eo acta. Secundò ut nullo modo depositioni Domini Eugenii consentiret in electionem, per Basiliens. Concilium factam, de Duce Sabaudiæ; imò eam reprobaret, &c. Tertiò quod in illam civitatem Moguntiam nullo modo, inconsulto Papa, mitteret. Quartò quatenus Pragmaticam Sanctionem vellet suspendi & tolli, & quod Dominus Eugenius provideret. In crastinum auditi sunt Ambassiatores Felicis, & locutus fuit solennissimè & cum gratitudine omnium Dominus Thomas de Corcellis, qui per duas horas tenuit, & valde Regi placuit. Prælati & alii per sex dies deliberaverunt, & finaliter fuit responsum; ad primum, quod Rex tenuerat Concilium Basiliens. pro Concilio: ad ipsum Ambassiatores miserat, multa bona pro fide & moribus constituerat, quæ Rex approbabat; nec unquam congregatum Ferrariens. pro Concilio habuerat, aut habebat. Quo ad depositionem Eugenii, & electionem Felicis, nunquam eas approbaverat, aut approbat; imò tenuerat Dominum Eugenium pro Papa, & adhuc tenebat, & volebat, quod sibi in suo regno obediretur, nisi aliud in Concilio generali celebrando, juxta annum in aliquo loco Galliarum fuisset ordinatum, & quod requirebat Papam quatenus illuc mitteret dictū Concilium, & convocaret, & celebrari procuraret, & quod in eo personaliter interesset. Quò ad mittendum Moguntiam, & ad illam civitatem ipse advisaret tempore opportuno quid agendum. Quo ad Pragmaticam Sanctionem eam inviolabiliter volebat observari & custodiri. Et si aliqua videntur nimis rigida in illo generali Cōcilio, possent moderari. Monuit etiā Ambassiatores Cōcilii, quod tenerent manum ad aliud futurum Concilium transmisit. Datum Bituriæ IX. Septembris.

Ista Epistola est in libraria sancti Victoris prope Parisius in libro pp. X. folio. ultimo pulpitræ. p.

Epistol. Frider. III. Imp. ad Carolum Galliæ Regẽ, qua is Moguntiam invitatur ad consultationem. Extat in Fasciculo Opusc. Ortuini Gratii fol. 162.

Epistola faciens ad intellectum tertii articuli, ubi fit mentio de non mittendo ad Moguntiam inconsulto Papa; in qua sic scriptum erat supra.

Serenissimo Principi Carolo Francorum Regi, Fratri & Consanguineo nostro charissimo.

FRidericus Romanorum Rex semper Augustus Austriæ, Stiriæ, Karanthiæ, & Carmolæ Dux, Comes Tirolis &c. Serenissimo Principi Carolo Regi Francorum Fratri & Consanguineo nostro charissimo Salutem, & fraternæ dilectionis affectum. Dum ad sacri Imperii fastigia divino vocati munere, tantæ moli gravissimæ gubernationis humeros nostros in Dei nomine, ne suæ videremur ordinationi resistere, syncero corde submisimus: inter innumera mala, quibus undique orbis terrarum concutitur, hoc maximè quoq; certamen agitur, ut ævo nostro sancta scindatur Ecclesia: animum nostrum eò premit, ardentiusque sollicitat, quò eidem Ecclesiæ matri nostræ filiali dilectionis amore & nobili advocationis officio fortius constituimur obligati: ut illi sæva nunc jacula patienti pro viribus nobis distributis ab alto, diligentia celeri succurramus: atque ad concurrendum in hoc tam necessario salutari opere Reges & Principes Christiano nomine gaudentes pura synceritate hortemur. Nihil verò ad id æquè patrocinaturũ conspicimus, quã si catholici simul conveniamus Reges & Principes Ecclesiastici & seculares, ut sentiant quicunq; diffidentes unam esse vocem omniũ. Tunc enim sperandũ, quòd nemo usquam illam irridebit, aut spernet, nemo non reverebitur, neq; nõ timebit.

Vnde venerabiliũ & illustrium nostrorum, & sacri Imperii Principum Electorũ oratoribus qui pridem decretum electionis de nostra persona ad culmen Imperii celebratę, cõspectui nostro attulerant aliis quoq;, Prȩlatis, Principibus, Comitibus, Baronibus, Proceribus, & viris consularibus nostris fidelibus dilectis deliberatè cõsulentibus, *Conventionem* seu *Dietam solennem* pro communi constituimus omniũ salute *in civitate Moguntina*, rebus gerendis pluribus ex causis accomoda, in diem Festum Purificationis gloriosæ virginis Mariæ proximè futurum; quæ erit secunda mensis Februarii; ad quam dextera Dei nobis assistente propitia, intendimus personaliter nos transferre: charissimam fraternitatem vestram puro cordis affectu rogantes, quatenus orthodoxorum progenitorum vestrorum imitantes vestigia, pro laude Dei, pro consolatione Ecclesiæ suæ sanctæ, ac totius populi Christiani salute, ad Conventionem seu Dietam hujusmodi idoneos vestros Oratores, de vestræ fraternę dilectionis proposito, viis quoq; & modis *quibus ab imminentibus calamitatibus sancta possit respirare Ecclesia*, distinctè instructos, & ad tractandũ, consulendum, cooperandum, & concludendum, in his plena vestra potestate fulcitos, illic destinare velitis. Si autem fraternitas vestra convocationem & Dietam eandem accedere posset & vellet propria in persona, id profectò ingentem gloriam, & rebus gerendis fructum uberiorem afferret.

Hor-

Hortamur denique Fraternitatem vestram, advertere velle mente fideli, quæ sit nostra exhortatio, quantaque Ecclesiæ subsit necessitas, & quàm periculosum esset nostrum silentium, & agere libeat, quod expetimus, propter salutem populi ac decus vestrum, respicientes ad illum, cujus causa agitur, qui de cœlo descendit, ut moriturus homo crucem ascenderet; in quo militans fundatur Ecclesia, quatenus in ea *suborta* tollantur *dissidia*, & à gravioribus periculis eruatur. Datum Viennæ Anno Domini M. CCC. XXI. mensis Maij. Regni nostri anno primo. Sic in pede literæ, ad mandatum Domini Regis Conradus præpositus Viennen. Cancellarius.

Hisce commodè adjicitur, quòd Henricus Token, olim Canonicus & Legatus Magdeburgensis Archiepiscopi, in Concilio Basiliensi, quòd ipse se audivisse in Farragine sua, quam *Rapularium* inscripsit, affirmat. Milion est decies centum milia. Narravit Archiepiscopus Lugdunensis in Concilio Basiliensi, anno Domini 1436. quòd tempore Martini Papæ venerunt ad Curiam Romanam de Francia, novem miliones auri computati ab Episcopis & Prælaturis, absque his qui computari non potuerunt de parvis Clericis, qui quotidiè absque numero currunt ad Curiam Romanam, deferentes sæpius secum totam substantiam suam. Archiepiscopus Turonensis dixit Basileæ anno Domini 1439. quòd tres miliones auri venerunt ad Curiam Romanam tempore suo, in quatuordecim annis, de Prælatis & Prælaturis, de quibus potuit fieri computatio; absque parvis Clericis ad Curiam currentibus. Iudicet timens Deum, quæ vorago hæc sit. Hactenus Tokan. Hic commodè interseri potest, *Defensio Curiæ Parisiensis pro Libertate Ecclesiæ, ad Ludovicum XI. contra Aulam Romanam*, quam prius Duarenus Parisiis unà cum suo quodam tractatu edidit, idque cum Regis privilegio.

Libertas Ecclesiæ Gallicæ asserta contra Curiam Romanam.

CLXXIX. Franciscus Duarenus Sebast. Albaspineo, Regis Christianissimi Legato.

IN Iuris Pontificii Commentariis, quos superiore anno, cum unà essemus, conscripsi, mentio facta est à me *libelli*, quem clarissimus Senatus Parisiensis, quondam pro defendenda libertate Ecclesiæ Gallicæ adversus Romanam Aulam ad Ludovicum XI. Regem, nostrum misit. Et quia ejus libri lectio ad confirmationem eorum, quæ à nobis *de potestate Regis circa ministeria Ecclesiæ* ibidem tractata sunt, non parum conducere visa est, feci non invitus, ut eum è Gallico in Latinum sermonem à nobis conversum simul cum ipso tractatu nostro imprimendum curarem. Hujus autem defensionis argumentum ex lib. 5. ejusdem tractatus, cap. 11. petendum est. Quam cum leges, nudam, simplicem, ac rudem rerum maximarum descriptionem ea contineri cogitabis, ad quas illustrandas & amplificandas excellentis oratoris stylo opus esset. Est enim causa hujusmodi, ut vix alia gravior unquam reperiri queat, aut accurata copiosaque oratione hominis alicujus eruditi, &

Reipublicæ, patriæque miserabiliter vexatæ amantis dignior. Verùm existimavit amplissimus Ordo, orationis Commentarium paulò plenius, quòd capita & summas rerum complecteretur, tum sufficere, Legatis omnia copiosius atque uberius, si ita Regi videretur, exposituris. Hunc verò libellum, ut majoris illius operis appendicem, quòd tuo fratrumque tuorum consilio, Illustrissimæ Duci Biturigum Margaritæ dicatum potius, quàm tibi fuit, nunc à me accipies, æternum, ut spero, necessitudinis, quæ mihi tecum jam diu instituta est, monumentum. Vale, Avarici Biturig. Pridie Idus Maji 1551.

Pro Libertate Ecclesiæ Gallicæ adversus Romanam Aulam defensio Parisiensis Curiæ, Ludovico undecimo Gallorum Regi quondam oblata.

CVm Rex majora gravioraque Regni negotia maturè, & cum magna deliberatione tractare cupiens, nuper mandaverit Curiæ Parlamenti, ut si quæ sint justæ conquerendi causæ ob pragmaticæ, quæ dicitur, sanctionis, & quarundam ipsius constitutionum eidem sanctioni consentanearum abrogationem, curia eum admoneat & certiorem faciat: visum est curiæ hujusmodi querimoniarum causas simul cum idoneis quibusdam remediis hic colligere, ita ut Rex in obedientia, quam verè Catholicus & Christianissimus Rex sanctæ sedi Apostolicæ debet, perpetuò maneat. Ad hæc autem exponenda, Regi & ejus consilio sicut ipse mandavit, curia Ioannem Lofelier, & Ioannem Henry consiliarios, & inquisitionibus, ut vocant, præsidentes delegavit.

Deliberationis Capita.

IMprimis igitur ut ea incommoda facilius cognoscantur, constat fidem Catholicam, ex quo primum in Regno Franciæ instituta est, ac præsertim à Clodovei Christianorum Regum primi temporibus, magis quàm in ullo alio Christiani orbis regno, nullo errore contaminatam floruisse.

Ac ob insignem Regum pietatem, & ferventissimum erga Religionem affectum, ac in tuendo servandoque diligentiam, & Dei exaltatum nomen, & auctus cultus & Ecclesiæ libertas conservata fuit. Ea siquidem fuit Regum in Ecclesiam Dei affectio & propensa voluntas, ut ingentes opes tam in ædium sacrarum extructionem, quàm fundationem & dotationem Ecclesiarum liberalissimè, sumptuosè & magnificè impenderent. Nec minus fuit eorum studium in tuenda, & illustrem Christianissi. titulum & nomen hæreditarium sibi pepererunt.

II. Nullum est in Christiano orbe Regnum, in quo tot clarissima cœnobia & Ecclesiæ, visantur: nusquam Ecclesiarum & cœnobiorum tam sumptuosa ædificia, tam immensi reditus ac proventus, tam personarum Ecclesiasticarum multitudo: idque ex Regum ac Principum munificentia & liberalitate, partim etiam ex pii religiosiq; populi erogationibus ortum est.

III. Rex

III. Rex idemque summus ac supremus noster Dominus, qui præcipuus est fundator, tutor, custos, defensor & vindex earum Ecclesiarum, cùm libertas earundem violatur, jus habet convocandi Antistites, & alias hujusmodi Ecclesiasticas personas ditionis suæ, ut eorum inceptis & conatibus obviam eatur, qui contra eam libertatem aliquid moliri ausi fuerint. Soletque talis conventus Ecclesiæ Gallicanæ congregatio appellari.

IV. In his conventibus olim authoritate regia indictis, multa præclarè constituta extant, eaque non sine gravi cùm regii sanguinis procerum, tum Ecclesiastici ordinis hominum, & aliorum regni subditorum, ac popularium deliberatione, ut occurreretur vexationibus, molestiis & injuriis, quæ ipsis à Curia Romana cum maximo totius populi damno & pernicie inferebantur. Earumque constitutionum magna fuit authoritas ante hæc tempora, ac in eis observandis summa cura diligentiaque adhibita est.

V. Inter cæteras constitutiones una est D. Ludovici promulgata anno 1267. ut Prælaturis & dignitatibus electivis per collationem & præsentationem collatorum & Patronorum: nec ullam eo nomine pecuniam imponere aut exigere posset Curia Romana in hoc regno. Quæ omnia & alia pleraque ex lectione constitutionum à Ludovico editarum plenius cognosci poterunt: cujus viri nomen quàm celebre sit ubique terrarum, nemo est qui ignoret.

VI. His constitutionibus diu observatis, cùm Curia Romana procedente tempore multa adversus eam, de qua diximus, Ecclesiæ Gallicæ libertatem moliretur, Carolus VI. Rex adhibitis in consilium proceribus Antistitibus, cœnobiarchis, collegiis, Vniversitatibus, & aliis plerisque tam regni quàm Delphinatus hominibus, anno 1406. constitutionem edidit, qua Ecclesiam Gallicam in antiquam libertatem suam asseruit. Fuitque publicata de more, & perscripta in actis Curiæ Parlamenti, anno 1407.

VII. Eodem anno 1407. cum Benedictus Pontifex Romanus ejusque administri, satellites ac Procuratores, magnam pecuniæ vim impetrarent ac exigerent, Antistites hujus regni apud Regem eo nomine conquesti sunt: fuitque res agitata in Curia Parlamenti. Ac in ea disputatione memorabilis sanè & gravis fuit à scholastico Conventu Parisiensi habita oratio die octava Novembris, qua postulabant, ut Rex eas exactiones prohiberet. Idem à generali Regis cognitore seu Procuratore postulatum fuit & hoc amplius, ut exacta ob eam causam pecunia restitueretur.

VIII. Hæc exposita petitaque fuerunt tam à scholastico Conventu, quàm à Regio Procuratore præsentibus Cameræ, ut vocant, Apostolicæ officiariis, qui tum quicquid visum sibi fuit narraverunt, & in medium adduxerunt.

IX. Auditis omnibus, quorum intererat, & judicibus in consilium missis, tandem decrevit Curia, ne Annatarum, quæ dicuntur, nomine aut decimarum quicquam à Rom. Pontifice exigeretur, & ob eam causam excommunicati absolverentur.

verentur. Quæ omnia cum plerisque aliis eodem pertinentibus, in ipso Senatus decreto plenius describuntur, quod pronunciatum fuit anno 1407. 11. Septembris.

X. Non ita multò pòst edictum promulgavit Rex, quo decretum Senatus confirmatum est: fuitque publicatum in Curia 15. Maji 1408.

XI. Anno 1418. mense Martio de sententia & consilio Antistitum & personarum Ecclesiasticarum, regni ad tuendam Ecclesiæ libertatem facta fuit constitutio, qua reservationes omnes & gratiæ, Apostolicæ unà cum exactionibus Curiæ Romanæ interdictæ fuerunt.

XII. Eodem anno cùm niterentur aliqui diplomata regia impetrare, quibus ea constitutio revocaretur, regius cognitor in Curia Parlamenti intercessit, & contradixit.

XIII. Ex his perspicuum est, tam Regem & Proceres Regni, quàm Ecclesiastici Ordinis homines, præterea Regium Procuratorem,& Regis Consiliarios in Curia Parlamenti eò semper spectasse, & libertatem Ecclesiæ sartam tectam conservarent, ab eaque omnem arcerent injuriam.

XIV. Cùm in sacrosanctis Synodis Constantiensi & Basiliensi multa Decreta essent, tum veteribus Canonibus, tum iis, de quibus jam diximus, constitutionibus Regiis valde consona, Carolus Septimus Rex præsente Rege, qui tum *Delphinus* nominabatur, Proceribus etiam Regii sanguinis, Antistitibus, Collegiis, tum Ecclesiasticis, tum scholasticis præsentibus, prætereà auditis Oratoribus tam Pôtificis Romani, quàm sacrosanctæ Synodi universalis, tandē ea Decreta accepit & edicto suo confirmavit, quod vulgò pragmaticam sanctionem appellamus. Gestaque hæc sunt in Civitate Biturigum anno 1438.

XV. Hæc igitur sanctio eò majoris authoritatis semper habita est, quòd à sacrosanctis Conciliis, quibus præerat Pontifex Romanus, aut Legatus ejusdem, ortum habuerit. Nulla enim de iis rebus unquam fuerat lex in Francia ad id tempus lata, quæ ab Ecclesia universali authoritatem & vires haberet.

XVI. Ex eo tempore Regnum ipsum prosperiore semper fortuna, Dei benignitate, usum est, & in majore quàm unquā antehac authoritate & gloria, ac etiā rerū omnium copia & abundantia fuit. Quanto autem fuerit hostibus terrori, Aquitania & Normania testantur, ex quibus locis expulsi dejectique sunt.

XVII. Ejus sanctionis observatio ad tres & viginti annos stetit, agiturque nunc quadriennium, ex quo ea in usu desiit. Ac interim præfecti sunt Ecclesiis, easq; sine molestia & interpellatione texerunt eximiæ probitatis gravitatisque viri: quorum aliqui ob singularem vitæ sanctimoniam jam fato functi miraculis claruerunt, ut Michaël Andagavensis Episcopus, Archiepiscopus Arelatensis, & alii quamplurimi.

XVIII. Ex horum Canonum, Decretorum, Constitutionum abrogatione, innumerabilia nascuntur incommoda, quæ ad quatuor genera posse referri videntur.

tur. Primum eſt, totius ordinis Eccleſiaſtici confuſio; Secundum eſt, patriæ deſolatio ac deſertio: Tertium eſt, pecuniarum Regni exinanitio: Quartum eſt, Eccleſiarum ruina & ſubverſio.

XIX. Ante omnia proteſtatur Curia ſe nolle ſanctitati, dignitati, honori, & authoritati Pontificis, ac ſanctæ ſedis Apoſtolicæ quicquam detrahere: quin potius omnem honorem, reverentiam, & obedientiam, quam unuſquiſque pius & fidelis ſummo Eccleſiæ Paſtori debet, exhibere parata eſt, & ſi quid emendatione dignum exciderit, Eccleſiæ determinationi, quæ errare non poteſt, ſubjicere ſe non recuſat, c. à recta, 24. q. 1.

XX. Quod ad primum genus incommodi attinet, ſatis conſtat, ſi electionibus & collationibus ordinariorum ſublatis, reſervationes & gratiæ expectativæ locum habeant. Si judicia & lites in prima inſtantia ad Curiam Romanam devolvantur, mirabilem inde confuſionē exorituram eſſe. Totus enim ordo Eccleſiaſticus confunditur, cùm ſua unicuique juriſdictio non ſervatur. 11. q. 1. c. pervenit.

XXI. Vt hæc confuſio perturbatioque rerum vitetur, & quod ſuum eſt cuique relinquatur, decretum fuit in jam dictis Conciliis, & à Rege conſtitutum, ut Collegia Eccleſiaſtica & Canonica Paſtorem Eccleſiæ eligant, præſentent Patroni, & ordinarii conferant, & de cauſis, niſi ſint majores, in prima inſtantia cognoſcant.

XXII. Dubitandum non eſt, quin Rex, qui præcipuus eſt fundator, tutor, cuſtos, & propugnator Eccleſiarum ſui Regni, non ſolùm jure poſſit, ſed etiam debeat dare operam, & curare, ut Decreta & Conſtitutiones, quibus haud dubiè propulſantur ea quæ diximus incom̄oda, diligenter & bona fide obſerventur. Ac ſi ob earum conſtitutionum vel abrogationem vel contemptum, in hæc mala & calamitates inciderent Regis ſubditi, jure optimo ipſius opem implorare poſſent.

XXIII. Quòd autem electio Paſtorum ad Collegia Eccleſiaſtica pertineat, eoque jure poſſint uti abſque Romanæ ſedis offenſa, ex eo apparet, quòd cùm Epiſcopus Eccleſiæ ſponſus ſit, & matrimoniū quoddam ſpiritale inter ipſum & Eccleſiam contrahatur, neceſſariò conſenſus Eccleſiæ intervenire debet.

XXIV. Dubium non eſt quin collegia ipſa, quibus notiores ſunt perſonæ, idoneos Paſtores ad regendam Eccleſiam multò facilius eligere poſſint, quàm ſi in Aula Romana promoverentur.

XXV. Poſtquam perfecta abſolutaque eſt electio, proponuntur programmata: in vitam & mores electi inquiritur, & antequam confirmetur electio, quiſquis intercedere voluerit, admittitur. Vnde ſatis liquet, melius probari & explorari eum, qui eligitur à Collegio Eccleſiæ, quàm ſi in Romana Aula, ubi cognita non ſunt eis merita, promoveretur.

XXVI. Cùm Epiſcopus ſolenniter à Collegio eligitur confirmaturque, ſervata programmatum & inquiſitionum forma eò certè major eſt populi de eo exiſtimatio, magisque eum venerantur, obſervant, & diligunt populares, quàm ſi ipſis

invitis obtrudatur. Ideoque doctrina ejus longè fructuosior est, & ad ædificandum multo efficatior.

XXVII. Hinc tametsi Petrus Christi vicarius esset, & caput Ecclesiæ: tamen mortuo Iuda, qui unus erat Apostolorum, cæteri omnes pariter elegerunt, & sors cecidit super Matthiam, ut in Actis Apostolorum legitur.

XXVIII. Lucius Pontifex Romanus, vir sanctus & martyr, qui Ecclesiæ Romanæ præfuit anno 154. ita decrevit: *Nullus in Ecclesia, ubi duo vel tres fuerint in congregatione, nisi eorum electione canonica presbyter eligatur. Si verò aliter quis Ecclesiam adeptus fuerit, eo quòd per cupiditatem illam acquisierit, atq; contra canonicæ disciplinæ regulam egerit, expellatur* c.1. de elect. in Decretal.

XXIX. Est & aliud decretum Leonis sancti & confessoris in hæc verba: *Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Comprovincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati*, c. nulla 72. dist.

XXX. Canon Antiochen. Concilii, quod congregatum fuit, anno 340. sic habet; *Servetur autem jus Ecclesiasticum id continens non aliter oportere fieri nisi cum Synodo & judicio Episcoporum & electione Clericorum, qui post obitum quiescentis potestatem habent, eum qui dignus extiterit eligendi & promovendi.* c. Episcopos. 8. q. 1.

XXXI. Alius extat Canon Concilii Toletani in hæc verba: *Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec clerus, nec populus propriæ civitatis elegit, vel authoritas Metropolitani vel Comprovincialium Sacerdotum assensus non exquisivit*, c. qui in aliquo. 51. dist.

XXXII. Alius est canon Concilii Constantinopolitani anni, 867. cujus hæc verba sunt: *Promotiones & consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, Clericorum electione, ac de certo Episcoporum collegio fieri hæc sancta Synodus universalis diffinit & statuit.*

XXXIII. Concilio Lateranensi, quod ab Innocentio Tertio Romæ coactum est anno 1205. ubi Antistites 1336. adfuerunt; certa forma eligendi præscripta fuit; additumque est, ut negligentibus electoribus post tres menses, omne jus & potestas providendi Ecclesiæ ad superiorem Antistitem devolveretur, c. quia propter, c. ne pro defectu, de electio.

XXXIV. Prisci Reges, cùm Ecclesias regni sui rectè constitui cuperent, hanc providendi Ecclesiis rationem, quæ electio dicitur, semper maximè probarunt, eamque modis omnibus retinere studuerunt, ut legitur apud Vincent: Specul. hist. lib. 22. & 23. de Clodoveo Regum Franciæ Christianorum primo, qui Anno 400. convocatis in Civate Aurelianensi permultis Præsulibus & Episcopis, in quibus sanctus Melonus erat, præcipit in præficiendis pastoribus Ecclesiis antiquos canones servari ac retineri.

XXXV. Idem statuit Imperator Leo in Cod. Iustiniani, tit. de Episc. & Cler. cujus verba hæc sunt: *Si quenquam vel in hac regia urbe, vel in cæteris provinciis, quæ toto orbe terrarum diffusæ sunt, ad Episcopatus gradum Deo authore provehi contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia, syncero omnium judicio proferatur., l. si quenquam C. de Episco.*

XXXVI. Carolus Magnus lib. 1. Capitula hæc quæ sequuntur constituit. *Sacrorum canonum non ignari, ut Dei nomine sancta Ecclesia, suo liberius potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbemus, ut scilicet Episcopi per electionem cleri & populi, secundum statua Canonum de propria diœcesi (remota personarum & munerum acceptione) ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis usquequaq; prodesse valeant.* Quam constitutionem juris Pontificii compositores inter sacros canones retulerunt, & quodammodo consecrarunt c. sacrorum 63. dist.

XXXVII. Philippus Deodatus sancti Ludovici avus, cùm in suam & diadematis Francisci obedientiam velut divino quodam fato reduxisset Normaniam, Aquitaniam, Comitatum Andegavensem, Pictavensem, Cœnomanensem, Turonensem & Pontinensem, antè profectionem ultramarinam, ut Canonici Ecclesiarum cathedralium, & Monachi cœnobiorum eligendi facultatem haberent, & personas Deo gratas & Ecclesiæ regnoque utiles eligerent.

XXXVIII. In plerisque monumentis antiquis reperitur, permultos fundatores Ecclasiarum disertè & expressim statuisse, ut mortuis Ecclesiarum Præsulibus per electionem ipsis provideatur. Quas fundationes Romani Pontifices postea confirmaverunt.

XXXIX. Ex quò primùm orta est in orbe Ecclesia usque ad tempora sancti Ludovici nusquam reperies Pontifices Romanos in Ecclesias & beneficia, quæ electiva dicuntur, ullum jus sibi vendicasse, aut eligere volentes ullatenus impedivisse, quò minus libertate electionis fruerentur. Quinimò constitutiones eorum extant memorabiles, ex quib9 apparet curæ eis fuisse, ut rectè atq; ordine electiones fierent. Cujus rei fidem faciunt quæ in Decreto Gratiani, & in libro Decretalium Gregorii hac de re leguntur. Adde quòd in postulationibus quoque ipsis ab eo jure tanquam alieno prorsus abstinebat, & infirmata postulatione remittebat ad eligentes negotium, ut denuò eligerent, c. bonæ de postul. Prælato. Tunc autem florebat Ecclesia, Religio propagabatur, exaltabatur fides Catholica, bonis & spiritualibus & temporalibus exuberabant, ac circumfluebant omnia.

XL Cùm tempore sancti Ludovici conarentur Romani libertatem electionum infringere, & iis malis, de quibus jam diximus, viam aperire, is se Principem verè pium Christianum, & Catholicum, custodemque & propugnatorem Ecclesiarum sibi commissarum præbuit. Occurrit enim perniciosissimis conatibus & consiliis Romanorum, & Ecclesias in libertatem vindicavit.

XLI. Ludovicus Hutinus anno 1315. hanc sancti Ludovici constitutionem & quandam aliam huic similem Philippi pulchri edicto suo confirmavit. Cui postea Ioannis Regis accessit alia confirmatio, anno 1351.

XLII. Post illud tempus Romani summa opera nisi sunt electiones omnino subvertere, quorum inceptis Reges Christianissimi Conventus solenniter indicentes, fortiter obstiterunt, eorumque conatus represserunt, ut antedictum fuit. Nam sua non parum interesse existimabant eligendi morem in regno suo retineri, & eo magis quòd jure suo potestatem eligendi facere consueverant.

XLIII. Ius quod hic sibi Rex vindicat, relatum est in libros juris Pontificii, quos Gratianus edidit. Vbi dicitur Hadrianum Papam cum universa Synodo, tradidisse Carolo Regi jus & potestatē eligendi Pontificem Romanum, sedem Apostolicam ordinandi: item Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere diffinivit, ut nisi à Rege laudetur & investiatur Episcopus, à nemine consecretur, c. Hadrianus, 63. dist. Ac tametsi Ludovicus Pius jus Pontificem Romanum eligendi repudiasse dicatur, c. ego Ludovicus 63. dist. semper tamen jus investiturarum retinuit, in cujus locum postea successerunt Regalia, & jus aliud quo utitur Rex, cum vacante Episcopatu eligendi potestatem facit.

XLIV. Cum spretis omnibus, quarum jam memini, constitutionibus, Romani Hierarchiam Ecclesiæ confundere ac perturbare non desinerent, & reservationes suas passim, gratiasq; expectativas in orbem spargerent, ingens Ecclesiæ deformatio inde secuta est. Ad extremum Ecclesia universalis in Spiritu sancto legitimè congregata, per generalem reformationem capitis & membrorum reservationes omnes, gratiasque expectativas sustulit, & veteres Canones de electionibus & collationibus restituit. In qua generali reformatione illud disertè cautum exceptūque est, ut quicunque cujuscunque dignitatis etiam populis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur.

XLV. Quod ad minora beneficia attinet, quæ collativa dicuntur, obscurum non est eorum conferendorum ac distribuendorum jus ad Episcopos in sua quaque diœcesi pertinere, c. regenda. c. quicunque, c. noverint, 10. q. 2. & toto tit. de offic. ordin. in decretal. Ac Pontifex quidem Romanus cùm gratias tribuit expectativas, aut mandata quæ vocant de providendo, & ad Episcopum aliquem ea mittit, his verbis concipi diploma solet: cujus collatio jure ordinario ad te spectat. Proinde ea conferendi facultas nec eis adimi, nec minui ullo pacto absque injuria potest. Ad quam injuriam depellendam Episcopi ad Regem, ut tutorem defensoremque suum, meritò confugere possunt.

XLVI. Indignitatem hanc, ratio providendi Ecclesiis quam Romana Curia excogitavit, vehementer auget, per reservationes nempe & gratias expectativas. Præbent enim occasionem captandæ mortis alienæ, quod cum ne ethnici quidem tolerabile judicarint, multò magis Christiani horrere & execrari debent, c. nulla, de Conc. præben.

XLVII.

XLVII. Experientia vel sola docuit, postquam à pragmatica sanctione recessum est, quantam gratiæ expectativæ confusionem pariant, partim ob earum multiplicationem, partim ob prærogativarum ac derogationum clausulas & cavillationes, quæ in eis inseri consueverunt. Miras enim offundunt tenebras, & lites infinitas gignunt. Ac tametsi Pius qui novissimè diem suum obivit, statuisset, duo tantum diplomata in singulas collationes expedienda esse, tamen duodecim ac eò amplius non rarò conspiciuntur.

XLVIII. Ante ea decreta quorum supra mentionem fecimus, tanta erat confusio, ut in diœcesi Andegavensi sexcentæ gratiæ expectativæ in uno anno inventæ sint. Nec minor in plerisque aliis locis extitit numerus.

XLIX. Si eo tempore, quo istæ tot gratiæ impetratæ fuerunt, decessisset Pontifex Romanus, irritæ omnes ac prorsus inutiles redditæ fuissent, propterea quòd novi Pontifices hujusmodi gratias statim revocare solent. Itaque in singula diplomata si viginti aureos computemus, id est, quanti vulgò æstimantur, sumptus in eorum impetrationem facti, comperimus jacturam hanc duodecim millium aureorum esse.

L. Tempore etiam Martini talis erat in Ecclesia confusio: cujus tollendæ gratia decreta, de quibus jam diximus, constitutionesque factæ fuerant. Verùm simulatque ab eis recessum est, in pristinum illud chaos denuo incidimus.

LI. Ratione caret penitus hæc providendi ratio, quia certo certius est, ordinarium, qui in loco ipso commoratur, & non tantum novit, qualis sit Ecclesia, sed qualis sit etiam is de quo præficiendo agitur, melius & utilius posse Ecclesiæ providere, quàm in Romana Curia hujusmodi diplomatis provideri soleat.

LII. Si quis objiciat, ordinarios etiam collatores plerunque homines non idoneos ad gubernationem Ecclesiarum promovere: huic respondendum est, si quid ea in re deliquerint, corrigi eos, & puniri posse, juxta c. grave, de præben. At Pontifex Romanus nemini subest, ut ipsemet de se testatur, nec potest quisquam ei dicere, Cur ita facis? Adhæc præficiuntur à Pontifice Romano peregrini, non indigenæ, quorum ingenium & conditio moribus Patriæ non convenit. Itaque dissidia hinc facilè nascuntur cum gravissimo salutis animarum detrimento, & Sacramentorum irreverentia.

LIII. Decreta, de quibus hic loquimur, studiis ac literis maximè favent: quia jubent literatis ac graduatis beneficia conferri. Quod si quæ in eis obscuritas insit, ea elucidari ita potest cum aliquo Reipublicæ bono, ut nihilominus illibata decretorum authoritas maneat.

LIV. Si ita Regi videretur, posset ratio iniri, qua stantibus decretis facilius, expeditius, ac minore sumptu Regiis ministris consuleretur in distributionem beneficiorum, quàm per Curiam Romanam fiat: & eadem opera scholasticis & lite-

ratis viris prospici posset, nempe certos menses pro tertia parte ipsis debita attribuendo. Quod Rex defunctus facere cogitabat, & in animo habebat.

LV. Commodior atque utilior Regi esset ordinaria eligendi ratio, cùm sit verisimile hominem gravem & idoneum, quem ipse commendaverit eligentibus acceptum eis fore, nec quenquam futurum qui honestè Regis voluntati non facilè assentiatur.

LVI. Si fortè quis dixerit alienum non esse, ut Romanus Pontifex distributionem aliquorum beneficiorum habeat, quibus possit familiaribus suis & aliis gravissimis viris, quorum opera utitur in rebus arduis, consulere: Respondendum est satis huic prospectum esse per ea Synodorum decreta de quibus hic loquimur. Dimittuntur enim omnia beneficia, quorum reservatio in corpus juris includitur. Adhæc ubi sunt decem beneficia unum ad vitam: & duo ubi quinquaginta juxta c. mandatum. Qua ratione benè mereri de multis ei per quam facilè est, nullam confusionem afferendo Ecclesiæ, nec sibi vindicando jura ordinariorum.

LVII. Quod ad judicia & lites attinet, perspicuum est eas coram ordinariis tractari debere. Nec absque summa eorum injuria, & totius populi gravi incommodo, si majores gravioresque causas excipias, aliter fieri potest. Quamobrem si decreta tollantur, quibus huic malo præclusa fuit via, justissima erit apud Regem conquerendi causa.

LVIII. Sancti Petri exemplum, cujus Successores sunt Pontifices Romani, maximè eos movere debet, ut jurisdictionem ordinariam Episcopis dimittant. Nam cum Hierosolymis questio de legis observatione exorta esset, Petro tum præsente, Iacobus qui Hierosolymorum Episcopus erat, sententiam de ea re pronuntiavit. Ac ut Vincentius scribit in Spec. hist. c. 9. hæc quæstio ad alium nisi per appellationem transferri non poterat.

LIX. Absq; his, de quibus loquimur, constitutionibus, nemini liceret tutò Ecclesiam aliquā aut beneficium obtinere. Argumento sunt ea quæ post abrogationē earum constitutionum Romana curia hic designavit. Non enim solum causarum Ecclesiasticarum, sed etiam possessoriam cognitionem, quæ Regis est, sibi vindicare Romani cœperunt. Ac ne à regalibus quidem ipsis potuerunt abstinere: quorum cognitio ad Regem & curiam Parlamenti haud dubiè spectat. Idq; perspectum est in plerisq; negotiis, propter quæ Regem admonuit consuluitq; curia qui tū in finibus Aquitaniæ erat. Nec diu post ejus rei gratia constitutiones memorabiles edidit Rex, quæ in curia Parlamenti recitatæ, promulgatæ, & in actis perscriptæ sunt.

LX. Nec Clericos modò & personas Ecclesiasticas vexabant his litibus Romani, sed etiam laicos profanosq; homines; nam exemplum succurrit tonsoris, ante divi Dionysii ædem in urbe habitantis, qui cum Romæ agentem filium amisisset, mox pro ejusdem debito in curiam Romanam pertractus est. Idemq; Ioanni Dargonges regio advocato accidit.

LXI. Alterum ex quatuor malorum generibus, quæ ex Decretorum contemptu

temptu & abrogatione oriri diximus, est *Patriæ desolatio*, quam depulationem ut vulgò appellamus. Regis siquidem interest plurimum, desertum à populo & desolatum regnum non esse. In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis, Proverb.14.

LXII. Ante hæc Decreta & Constitutiones cum Reservationes & Gratiæ expectativæ in usu essent, & causæ in Romana Curia tractarentur, populares Regni hujus certatim concurrebant Romam. Quorum alii Cardinalibus & aulicis inserviebant; alii nullius hominis familiæ mancipati, sed aliqua spe vana illecti suam parentumque suorum substantiam absumebant; alii & hi quidem plurimi eo consilio Romam migrabant, ut cæteris hic manentibus molestiam exhiberent & Ecclesias beneficiaque ab eis quo jure quaq; injuria extorquerent. Nam experimento compertum est, maximam eorum partem, qui hinc Romam proficiscebantur, sive ob itineris periculum & molestiam, sive ob pestem, quæ Romæ crebrò grassatur, statim mortem oppetere solitos fuisse. Qui verò ex his periculis incolumes evadebant, negotium facessebant senibus, valetudinariis, & aliis hujusmodi qui in Ecclesiis suis & beneficiis erant assidui. Ac sæpenumero contingebat ut miseri homines in Curiam Romanam citati cùm adversus istos calumniatores se defendere nequirent, præ tædio & mærore vitam finire cogerentur.

LXIII. Pleriq; beneficiorum captatores, parentum & amicorum loculos exhauriebant omnino, tandemq; ad summam inopiam atque adeo mendicitatem redigebantur. Quæ res etiam plurimis mortem accelerare consueverat. Nec verò ulla spe alia tantas perferebant miserias, nisi ut plumbum fortè pro auro domum aliquando referrent. Accidebatq; interdum ut hians corvus deluderetut, utque plumbum auro redemptum nihil planè aliud quàm plumbum esset. Cum enim diplomatibus suis plumbeis confiderent, interveniebat alius qui annulationem aliquam sic enim vocant, ex insperato afferret. Ac interdum decem aut duodecim ad idem beneficium anhelantes & acceptantes existebant. Orta verò lite inter eos, Romam denuo redeundum erat litigandi causa. Sic omnibus passim Romam confluentibus, regnum popularibus ac subditis miserabiliter destituebatur.

LXXIV. Scholastici quoque conventus, quòd longè deterius & Vniversitates studiosorum desolatæ ac desertæ ob eandem causam jacebant. Nec dubium est, quin contemptus decretorum & constitutionum, quæ à majoribus nostris nobis relictæ sunt, hæc omnia incommoda trahat.

LXV. Id adeo facilè cognosci potest, vel ex eo, quod cum rumor increbuisset de pragmaticæ sanctionis abrogatione, nec dum ea de re quicquam in Curia publicatum esset, maxima popularium multitudo Romam se contulit. Ex quo conjicere licet quantus sit futurus Romam concursus, quanta regni desolatio, si confectam esse rem & authoritate curiæ confirmatam vulgò intellectum fuerit.

LXVI. Tertium incommodi genus ad pecunias spectat, quibus regnum exinanitur: nec ulla res pestilentior ac exitialior huic regno potest excogitari. Nam,

ut Philosophus inquit, nummus mensura est omnium rerum, & velut pro nobis fidem jubet ac intercedit, quoties re aliqua indigemus. Bellorum nervi sunt nummi, nec sine iis regnum defendi ac propugnari potest. Imò nec jurisdictionem quidem ipsam, qua maximè opus est in hoc regno absque pecunia tueri licet.

LXVII. Si Decreta & Constitutiones jam dictæ antiquarentur quotannis, decies centena millia aureorum & eò amplius hinc Romam exportarentur. Nam si ingentem numerum Episcopatuum, Archiepiscopatuum, Abbatiarum & aliorum beneficiorum, quæ in hoc regno sunt, consideremus, non difficile erit judicare infinitam pecuniæ vim hinc excituram esse in Annatas & alia hujusmodi vectigalia, in gratias expectativas, in controversias & lites, in quas magna pecunia vel itineris & viatici nomine impendi solet. Nam nullum est tam exiguum ac tenue beneficium, nulla collatio, quæ gratiis expectativis obnoxia non sit. Huc accedat quod duodecim interdum diplomata seu Bullæ unius beneficii nomine impetrantur. Nec ullus est mediocris fortunæ homo, qui non juvandorum promovendorumq; filiorum aut propinquorum causa, pecuniam aliquam in harum gratiarum impetrationem velut in aleam quandam, conferat ac conjiciat. Cujus consilii non alius plerumque exitus esse consuevit, quàm ut hic captator simul & rem & filium seu propinquum amittat.

LXVIII. Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ hoc in more positum est, ut omnes insigniores Abbatias accceptent. Ac ne Abbatias quidem modò, sed alia etiam opimiora beneficia, ut ab Ecclesiis Parochialibus Archidiaco non temperent. Hinc fit ut reditus eorum beneficiorum Romam perferantur; nec inde unquam redeant, quod Papa Romanus eis decedentibus succedat.

LXIX. Annatæ præter exinanitionem pecuniarum aliud quoque incommodum non leve adferunt. Est enim inventa ratio, qua benè nummati eruditis & probatæ vitæ hominibus præferantur. Cui malo ac pesti obsistere ac mederi voluerunt Imperatores, ut ex Constitutione Leonis perspicitur: cujus hæc verba sunt: Nemo gradum Sacerdotii venalitate pretii mercetur, quantum quisque meretur, non quantum dare sufficit æstimetur: profectò enim quis locus tutus, & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? quem murum integritatis, aut vallum fidei providebimus: si auri sacra fames penetralia veneranda proserpat, denique quid cautum esse poterit aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpatur? cesset altaribus imminere profanus ardor avaritiæ, & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium: ita castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut quocunque locorum pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet, non pretio, sed precibus ordinetur Antistes, tantum ab ambitu debet esse sepositus ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi: profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. Cùm sanè, si quis hanc sanctam & venerandam Antistitis

sedem

ſedem pecuniæ interventu ſubiſſe, aut ſi quis ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepiſſe detegitur, inſtar publici criminis & læſæ majeſtatis accuſatione propoſita, à gradu Sacerdotii retrahatur: nec hoc ſolum deinceps honore privari, ſed perpetuæ quoque infamiæ damnari decernimus: ut eos, quos par facinus coinquinat, & æquat, utroſque ſimilis pœna comitetur.

LXX. Eſt & aliud harum Annatarum grave & exitiale malum; quia qui eas Romano Pontifici pendunt & exolvunt, in pœnam incurrunt, quæ adverſus Simoniaci ambitus reos ſtatuta eſt, nec ullum jus in beneficium habent, quod hac ratione obtinuerunt. Id enim verbis decreti expreſſum eſt. Qua in re quantum ſit corruptelæ ac periculi nemo non intelligit.

LXXI. Poſtquam labefactata eſt Pragmaticæ Sanctionis, & veterum Decretorum authoritas, experientia nos docet auro præſertim exhauſtum hoc regnum eſſe. Nam ante hac apud nummulariorum pontem nulla erat menſa, quæ non magnopere frequentaretur ab iis qui pro auro minutiorem monetam expoſcebant: ex eoque collybo multi quæſtum faciebant. Nunc verò arte Romana ſic exuctum eſt aurum ex popularium loculis, ut ærea tantum minutaque nobis moneta relicta ſit, & nummulariis pontem dicatum, jam puerilium puparum, & nuncularum fictores incolant.

LXXII. Vt ſpeciatim ac ſigillatim demonſtremus, quantopere hoc triennio pecunia regnum exhauſtum ſit, animadvertendum eſt Pii Pontificis tempore vacaſſe in hoc regno pluſquam viginti Archiepiſcopatus & Epiſcopatus. Nec dubium eſt, quin tam pro annuo illo vectigali, quod Annatam vocamus, quàm pro reliquo ſumptu acceſſorio & extra ordinario, in ſingula diplomata ſeu Bullas ſena aureorum millia depenſa numerataque ſint. Quæ ſumma eſt centum & viginti millium aureorum.

LXXIII. Cœnobiarchiæ quoque ſive Abbatiæ ſexaginta aut eo amplius vacaverunt in hoc regno. Quarum ſingulæ duobus millibus aureorum ut minimum conſtiterunt. Summa ergo eſt centum & viginti millium aureorum.

LXXIV. Eodem tempore Prioratus, Decanatus, Præpoſituræ, præceptoriæ, & aliæ dignitates electivæ, quæ lituo inſignitæ non ſunt, pluſquam ducentæ vacaverunt. Ac in ſingula hujuſmodi beneficia aurei numerati ſunt quingenti. Summa igitur centum eſt millium aureorum.

LXXV. Conſtat in hoc regno ut minimum *centum millia parœciarum* eſſe, quæ inhabitentur & incolantur. Nec ulla eſt in qua eo tempore gratiam expectativam aliquis non impetraverit; in quarũ ſingulas XXV. aurei impenſi ſunt, tam pro itineris ſumptu quàm diplomatum confectione, pro non obſtantiis, prærogativis annullationibus, & aliis ſpecialibus clauſulis, quæ gratiis adſcribi conſueverunt. Item pro executorio proceſſu ſuper eiſdem gratiis facto. Summa hæc eſt, vices quinquies centena millia aureorum.

LXXVI. Etsi ingens esset pecuniarum exactio, earum rerum nomine, de quibus jam diximus, quo tempore jam dictæ constitutiones promulgatæ sunt, tamen ex quo convelli cœperunt, id est tempore Pii Pontificis, & hoc etiam tempore altero tanto major est & amplior hujusmodi exactio. Tunc enim Annatæ solvebantur habita veteris taxationis ratione, eaq; ad dimidiam partem ejus taxationis redigebatur. Nunc verò Annatæ taxationem & annuum reditum excedunt, adeo ut plerunque videamus diplomata ab impetrantibus apud trapezitas dimitti, quod reditu omni amplior summa exigatur, id quod in Abbatia Bernaiiensi & S. Pharaonis Melden. accidisse comperimus.

LXXVII. Inficiari non potest Romanus Pontifex, quin sublatis reservationibus & gratiis expectativis, multò plus emolumenti ex hoc regno, quàm ex duobus aliis totius orbis Christiani amplissimis & opulentissimis regnis auferat; ut puta pro Annatis vacantium Archiepiscopatuum, Abbatiarum, aliarumque dignitatum, & beneficiorum electivorum, quæ immediatè ei subjecta sunt, quorum ingens est numerus. Pro devolutionibus aliorum præsulatuum & dignitatum, pro beneficiorum præventionibus; pro commendationibus & pensionibus; pro beneficiis vacantibus in Curia Romana; pro dispensationibus ad duo, vel tria vel quatuor beneficia incompatibilia; Pro gratia & facultate visitandi per Procuratorem; pro legitimationibus; pro dispensationibus super defectu ætatis & defectu natalium: pro re pœnitentiaria, quæ latissimè patet; pro privilegiis; pro exemptionibus; pro altaribus portatilibus; pro facultate eligendi confessorem; pro gratiis, si neutri & perinde valere; pro dispensationib⁹ super vitiis corporis; pro irregularitatibus; pro contractu matrimonii in casu prohibito; pro infractione votorum religionis & peregrinationis; pro absolutione casuum Papæ reservatorum; pro indulgentiis & aliis id genus. Ex quibus summa conficitur multo amplior, quàm ducentorum millium aureorum.

LXXVIII. Reditus Episcopatuum, Abbatiarum, & aliorum hujusmodi Beneficiorum, quos residentes & commorantes in Curia Romana ad se perferri curant quotannis, excedunt summam centum millium aureorum.

LXXIX. Quartũ genus incommodi est *Ecclesiarum ruina & destructio*, quod cujusmodi sit facilè ex superioribus Articulis colligi potest; nam beneficiariis absentibus, ut jam dictum est, pecunia quæ in instaurationem sacrorum locorum impendi deberet, alio exportatur. Præsentes verò ac residentes annuo illo vectigali, quod Pontifici Romano pendi solet, premuntur mirum in modum & onerantur, ut etiam si velint sumptibus in tutelam Ecclesiarum necessariis sufficere non possint. Ex eâ re duplex malum consequetur; nam & cultus divinus deseretur in perniciem animarum; & plebecula, quæ sub Ecclesiastici ordinis hominibus vitam tolerare consuevit, præ sua egestate cedere patria & solum vertere cogetur.

LXXX. Comendationes, quæ jam dictis Canonibus & Decretis prohibitæ fuerant,

fuerant, nunc verò usitatæ sunt & quotidianæ, quid aliud sunt quàm certissima omnium Ecclesiarum eversio? Nam ex quo decreta illa pessum ierunt, vix ullum est paulò opimius nobiliusq; beneficium, quod in hanc commendationis corruptelam non inciderit: velut in diœcesi Parisiensi clarissimum omnium cœnobiorum, quo vel Regum Christianissimorum sepultura satis nobilitatur. Item Cœnobia sancti Maglorii: sancti Martini; sancti Eligii, & alia quam plurima.

LXXXI. In Provincia Rothomagensi nobilissima Abbatia S. Oven commendata est; Item mons S. Mich. Lunneges, Nontebourg, Fescamp, Lyre, Yue, S. Cather. Grammont. Ac beneficia etiam regularia, quod est indignius, hodie sine delectu Commendationis titulo dantur.

LXXXII. In diœcesi Andegavensi Abbatiæ S. Albi. S. Nicol. S. Georg. S. Florent. Ferriere, Bourguet, Cunault, & alia pleraque beneficia hujusmodi. In aliis provinciis Abbatiæ Cluniacen: Casad. Issor. Compend. Insula Bar. Sulpitii. Biturig. S. Vinc. Cœnomam. Cultera Cœnom. S. Marti. Augustod. & alia beneficia numerabilia.

LXXXIII. Harum commendationum abusus quàm pestilens exitiosusque sit huic Regno nemo satis eloqui potest. Commendantur enim opulentiora & clariora beneficia ut plurimum Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ, atque hinc fit, ut ferè vacent in Curia Romana, eorumq; distributio Pontificis Romani sit, nullaq; electio locum habeat. Et quia redditus ac proventus eorum beneficiorum Romam hinc exportantur; corruunt ædificia; disciplina omnis monastica cessat; cultus divinus friget & extinguitur. Sic ædificia omnia tam lapidea quàm spiritalia dirui funditus & everti videmus, adeo ut si quis in posterum ea restituere & instaurare cupiat vix, imò ne vix quidem unquam in pristinum statum reduci queant; nam ei sunt mores hujus seculi, proh dolor, ut perinde sit Abbatem esse, ac profani cujusvis prædii Dominum esse. Nec ullius oneris officiive gratia quis Abbatiam accipiat, nisi ut à colono quopiam aut redemptore sive conductore rationes exigat, & reliqua si quæ sint auferat & consumat.

LXXXIV. Cum Synodus Constantiensis tempore Martini Papæ eos, de quibus jam diximus, Canones edidit, non mediocris jam erat corruptio in Ecclesia. Sed longè profectò tolerabilior quàm hoc tempore; ac singuli Cardinales singulis Abbatiis contenti erant; nec ullis hominibus aliis commendabantur Abbatiæ. Hodie humilioribus & in nulla dignitate positis, nec regulares Abbatiæ modò, sed Prioratus & jam Conventuales S. Benedicti, atque adeo Hospitalia ipsa S. Antonii secularibus hominibus commendari cœperunt.

LXXXV. Hæc cum ita se habeant, censet Curia observationem Canonum, Decretorum & Constitutionum jam dictarum Regis culpæ aut inobedientiæ adscribi non posse, nec ulla obstringi eum Religione, quò minus ejus rei curam suscipiat. Quinimo gravi scelere, quod bona ejus venia dictum sit, sese obligare

videretur, si contra eos Canones aliquid admitteret: idq; propter authoritatem & sanctitatem eorum, qui hos canones nobis reliquerunt, quiq; in magna tranquillitate, prosperitate & successu Ecclesiæ eisdem visi sunt. Ex quo genere est Collegiũ Apostolorum, Sacrosanctæ Synodi Antiochensis Chartaginensis, Constantinopolitanæ Lateranensis,&c. Sancti Patres ac Pontifices, qui eos comprobaverunt & secuti sunt, Pius, Martinus, Leo confessor, Gregorius, & cæteri. Denique sanctissimi quique & Christianissimi Reges, qui eos canones & Ecclesiasticam disciplinam: quæ eis continetur, summopere amplexi sunt, & custodiendos eos diligenter curarunt; ut Clodoveus, Carolus Magnus, Philippus Deodatus, S. Ludovicus, Philippus Pulcher, Ludovicus Hutinus, Ioannes, Carolus VI. Carolus VII. quorum temporibus prosperos ac fœlicissimos successus hæc Monarchia habuit.

Adjiciamus sanè & Appellationem Scholæ Parisiensis, à Leone Pontifice.

CLXXX. *Appellatio Universitatis Parisiensis, contra Leonem X. in qua abusus Ecclesiæ Romanæ varii recensentur.*

Extat eadẽ integra in Fasciculo Opusc. Orth Gratii f. 34, 35, 36. & Tom. 2. Cent. 16. Lect. Memor. Wolfii p. 96. seqq.

UNiversis præsentes literas inspecturis Rector & Universitas Magistrorum, Doctorum & Scholarium Parisiis studentium, Salutem in Domino.

Notum facimus, quòd nos apud S. Bernardum Parisiis, super infra scriptis & aliis nostris negotiis agendis, per juramentũ congregati & convocati, modo & forma contentis in quodam codice papyreo, cujus tenor inferius describitur & inseritur, provocavimus & appellavimus, provocamusq; & appellamus. Cujus quidem codicis papyrei tenor sequitur, & est talis: Præmissis expresse protestationib[9], quod contra unam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quam totius orbis esse magistram & obtinere principatũ credimus, sanctæq; sedis Apostolicæ authoritatem, ac sanctissimi Domini nostri Papæ benè consulti potestatem nihil dicere intendimus; si quid ex lubrico linguæ forsan malè dictum sit, parati emendare.

Papa peccabilis. Papa non semper parendum.

Sed quoniam is qui vices Dei gerit in terris, quem *Papam* dicimus, quamvis à Deo potestatem im̃ediatè habeat, per hanc potestatem non impeccabilis efficitur, nec potestatem peccandi accepit: ita ut si quid quod injustũ est, faciendum esse præceperit, patienter sustinere debeat, si non fiat, quod ei prava fuerit insinuatione suggestum: eiq; parendum non sit, si quid contra divina præcepta statuendum esse decreverit: imò ei resisti jure potest. Quòd si illi potentum auxilio, forsan suggestione vel minus sano consilio deceptorum adjuto, resisti non potest, sublataq; sunt restituendi remedia: unum tamen jure naturali proditum est, quod nullus Princeps tollere potest, appellationis remedium; cum sit quædam defensio; quæ jure divino, naturali & humano cuiq; competit; quæ non potest auferri à Principe, ut in Cle. pastoralis. de sen. & re judic. & no. Splendor ille canonistarum. Imò in c. Quæ in Ecclesiarum. de Constit.

Ad hujuſmodi ergo appellationis remedium, quo oppreſſi relevantur, confugientes, nos Rector & Vniverſitas ſtudii Pariſienſis, Illuſtriſſimi ac Chriſtianiſſimi Principis noſtri Francorum Regis filia primogenita, antiqua ſtudiorum parens, vice ac nomine noſtris ſingulorumque doctorum, magiſtrorum & ſcholarium Pariſienſium, ſtudent, animoque & intentione provocandi & appellandi à perſonis & gravaminibus infrà ſcriptis, dicimus & proponimus, noſque loco & tempore opportunis & congruis probaturos offerimus, quæ ſequuntur. *Appellationis commodum.*

In primis, quod cum priſcis illis temporibus hæreſes multæ pullularent, plurimique errores inſurgerent, & Chriſti fidelium diſſidia orirentur, Eccleſiaſticique ſtatus deformatio conſpiceretur, fuerunt ſacra generalia Concilia providè ſtatuta, in quibus hæreſes extirparentur, mores reformarentur, Chriſticolarum diſſidentium ad invicem reconciliationes fierent, prout ſacrorum generalium Conciliorum incumbit officio. Et præcipuè ante omnia ſacra *Conſtantienſe* & *Baſilienſe Concilia*, quæ ſucceſſivè ac legitimè in ſpiritu ſancto congregata, univerſam Eccleſiam repræſentantia, quàm plurima circa præmiſſa ſtatuerunt, maximè circa ſtatus Eccleſiaſtici tam in capite quàm in membris reformationem, quæ illis diebus præcipuè indigere reformatione videbantur, cum deformitates in Eccleſia Dei excreſcere, & mores corruptos eandem Eccleſiam inficere conſpicerent, ut repreſſis deformitatum ſcelerumq; regnantium enormitatibus pernicioſis, quæ per Chriſtianitatem (ſpretis antiquorum Patrum decretis & inſtitutis ſalutaribus) multas clades multaque diſcrimina injeciſſe videbantur, divinus honor reflореret in terris, lumen Catholicæ veritatis, Chriſto vera luce auxiliante, effulgeret, & Eccleſiaſticæ libertatis converſatio ſubſiſteret, populusque Chriſtianus ſalubriter regeretur, & ad ſalutem perduceretur æternam. *Conciliorum laus.*

Et inter cætera perpendit ipſum ſacrum Baſilienſe Concilium, qualiter per ſanctos Patres antiquos, ſacri Canones, ſalubriaque Decreta pro fœlici regimine jam dicti ſtatus Eccleſiaſtici tam ſuper electionibus modiſque miniſtros Eccleſiæ aſſumendi & inſtituendi conditi fuerunt, qui quamdiu fuerunt obſervati, Eccleſia Dei fructus honoris & honeſtatis fœlici ubertate produxit, diſciplinæ Eccleſiaſticæ vigor perſtitit, religio, pietas, charitas ubertim floruerunt, hominesque in quietudine animi conſtituti, Deum authorem pacis devotiſſimè coluerunt. Sed poſtquam damnatæ *ambitionis* improbitas, & deteſtandæ *cupiditatis* inſatiabilitas, humanitatis jura violando, ipſa ſanctorum Patrum decreta paulatim cœpit deſerere atque contemnere, & in vitia ruere, ſubſecutæ ſunt deformationes ſtatus Eccleſiaſtici, atque decolorationes & uſurpationes, præſertim per prælaturarum dignitatumque & aliorum beneficiorum reſervationes, & gratiarum ad vacatura beneficia expectativarum à jure exorbit. multiplicationes & innumerabiles conceſſiones, & alia graviſſima & importabilia onera, quibus Eccleſiæ Eccleſiaſticæque

personæ graviter afflictæ, & ferè ad extremam evacuationem & destructionem illis diebus ruere conspiciebantur.

Cùm beneficiorum Ecclesiasticorum patrimonia & bona indigni occupabant, & sæpe dignitates ac beneficia notabilia & opulentiora, personis conferebantur incognitis & indignis, quæ in eisdem beneficiis minimè residebant: & animarum cura, quæ est ars artium, neglecta, velut mercenarii solum temporale lucrum quærebant, sicque cultus minuebatur divinus, animarum cura negligebatur, Ecclesiastica jura peribant, ruebant ædificia, quæ magnificentia extruxerat prædecessorum.

At Clerici literarum scientiis & virtutibus effulgentes, qui ad Christianæ plebis ædificationem salutarem vacare possent, quorum perlucida & salutaria documenta, prædictam illustrarent Ecclesiam, decorarent virtutibus, & moribus informarent, per quos quasi per luminosas ardentesq; lucernas super candelabrum in domo Domini positas (errorum tenebris profugatis) totius corpus Ecclesiæ tanquam sydus irradiaret matutinum, eorumque fœcunda facundia cœlestis irrigui gratia influente, Scripturarum ænigmata reserarent, obscura dilucidarent, dubiaque declararent, profundisque ac decoris illorum sermonibus, ampla ipsius Ecclesiæ fabrica velut gemmis vernantibus rutilaret, & verborum elegantia singulari gloriosius sublimata coruscaret: qui etiam regnorum & rerum publicarum consiliis forent opportuni, propter spem congruæ promotionis eis ablatam, divinarum & humanarum scientiarum studia deserebant.

Beneficiorũ pluralitas execrabilis.

Insuper reservationum & expectativarum occasione, spes capta de mortis alienæ votis ingerebatur, lites suscitabantur, contentiones & rixæ inter Christi ministros oriebantur, ambitio pluralitatis beneficiorum execrabilis fovebatur, pauperes Clerici variis & innumeris personarum & rerum discriminibus subjiciebantur, & per callidos & calumniosos opprimebantur: beneficia quoque Ecclesiastica per litium involutiones & multiplicationes sæpius injustè occupabantur, & sine divinis officiis sæpius remanebant, materia injustis vexationibus parabatur, abusus pestiferi, horrenda & *detestanda specie labis Simoniacæ* respersi committebantur; juvenibus bonæ indolis, qui studiosis & virtuosis actibus intendere deberent, evagandi materia præbebatur: & breviter, status Ecclesiæ confundebatur, plurimaque adversus divina & humana jura in animarum perniciem, ac Ecclesiæ & regnorum atque Provinciarum, præcipuè regni Franciæ & Delphinatus Viennensium oppressionem & destructionem perpetrabantur; quorum quarumque thesauri in extraneas regiones asportabantur, ut eo exhausto, sacerdotioque depresso, regna ipsa & subditi debiliores in adversis redderentur; beneficiaque jam non gratis, juxta Evangelicam doctrinam, Christique præceptum dicentis, *Gratis accepistis, gratis date:* & contra Concilium Lateranense, & c. *unicum.*

ut Ec-

ut Ecclesiastica beneficia cum summa authoritate & avaritia, aurique & argenti exactione conferebantur.

Concilii Basiliensis laus.

His igitur tam detestabilibus incommodis divinæ proculdubiò displicentibus voluntati, saluberrimè providere cupiens *Concilium Basiliense* memoratum, contra hæc saluberrima constituit & edidit statuta & decreta, volens & ordinans, ut tales Ecclesiæ præficerentur pastores, qui tanquam columnæ & bases ipsam Ecclesiam doctrina & meritis firmiter sustentarent, non quidem per reservationes generales Ecclesiarum hujusmodi reprobando (certis duntaxat exceptis) certam salutarem formam antiquis formis, à jure introductis adjiciendo. Et insuper, ut per singulas Ecclesias *Ministri* instituerentur *idonei*, qui scientiis & virtutibus effulgerent ad Christi gloriam, & populi Christiani salutarem ædificationem, reprobando multitudinem gratiarum expectativarum, quæ digniorum ministrorum institutioni & promotioni obviabat, ac reservationes quascunque beneficiorum sive per Papam sive per Legatos reprobant, ac nullas & invalidas declarant.

Voluit insuper & statuit, ut per Prælatos, & eos ad quos beneficiorum collatio & dispositio spectare dignoscitur, viris studiosis certisq; qualitatibus specificatis præditis, qui per Vniversitates generalium studiorum eisdem Prælatis & Patronis nominarentur, canonicè provideretur, certis modificationibus & decreto irritant. adjectis. Præterea ut fraterna charitas in Clero & populo vigeret, & ne quis proximum suum indebitis vexationibus opprimeret: sed justitia ordine debito cuilibet ministraretur, ad obviandum infinitis abusibus & variis incommodis quæ inoleverant: statuit, ut pro salute & quiete subditorum, justitia in partibus cum honestate & facilitate ministraretur, ne studium & alii subditi extra regna & Provincias suas ad curiam Romanam traherentur & citarentur, ne etiam per hoc hujusmodi regnorum & Provinciarum facultates exhaurirentur.

Annata reprobata.

Damnavit insuper hujusmodi sacrum Concilium, abusum illum jam damnatum *de annatis solvendis*; Salutiferè prohibens illarum exactionem & solutionem: multaq; alia sancta & salubria statuit idem Conciliũ, ad divini cultus augmẽtum ac salutem & quietem subditorum, quæ omnibus innotescunt. Quæ quidem statuta Serenissimus ille Princeps, divini nominis & Ecclesiastici honoris exaltator devotissimus, & conservator excellens, Carolus Septimus Francorum Rex, in suo celebri Concilio Ecclesiæ Gallicanæ Bituris celebrato, recenseri fecit; & ea sit salutifera, & suo regno ac Delphinatui utilissima, saluti & quieti subditorum consulens, inconcussè servari præcepit, & per regnum & Delphinatum promulgari fecit, prout conservata & observata fuerunt. At ex eorum observantia cultus perseveravit divinus, salus advenit subditorum, omniaque in eisdem regno & Delphinatu prosperè successerunt. Sed Romani propriis cupiditatibus & commoditatibus inhiantes, attendentes his mediis aurum & argentum,

Carolus VII Galliæ Rex servari mandat Consiliũ B.

sicut

Concilium Basiliense, vel invito Leone X. laudandū.

ficut antea, ex dictis regno & Delphinatu ad fe pro fuo voto non deferri, hujusmodi ftatutis invidentes, ea per Romanos Pontifices abrogare facere ftuduerunt; quod auxiliante Domino hactenus prohibitum extitit, donec advenit Dominus *Leo Papa Decimus*, qui Romanis plus debito favens, in quodam cœtu in Romana civitate, quæ contra nos eft, nefcimus qualiter, non tamen in fpiritu Domini congregato, cum quo nihil contra legem divinam & facra Concilia ftatui, decerni aut ordinari poteft (opera enim quæ ego facio, ipfa teftimonium perhibent de me) præmiffa tam falutifera *ftatuta abroganda* effe, nefcimus quo fretus confilio, cenfuit, *contra fidem Catholicam & authoritatem facrorum generalium Conciliorum*, veniendo, facrum Bafilienfe Concilium damnavit; in quo inter cætera judicatum eft, gloriofam virginem Mariam fine peccato originali fuiffe conceptam, nec de illo Ecclefia habet aliam decifionem.

Leonis X. iniqua facta.

Quædam alia ftatuta pro libito voluntatis (cum venia dictum fit) condendo, in perniciem regni & Delphinatus prædictorum & fubditorum Illuftriffimi Principis noftri Franciæ Regis detrimentum. Per hoc enim Canonicas electiones, quibus fanctè & falubriter Ecclefiis Metropolitanis, cathedralibus, monafteriis, & aliis collegiatis Ecclefiis eorundem regni & Delphinatus providebatur, deftruxit. Hujufmodi Ecclefiarum provifiones, cum vacaverint, collationem fibi refervando, collationesque & impetrationes beneficiorum non expreffo vero valore irritas effe declaravit; fubditorumque Regni in prima inftantia per Cardinales & Curiales fedis Apoftolicæ paffim vocari, & nominationes Vniverfitatum in parte reprobavit, & damnavit; ita ut à modò fi talia ftatuta tollerarentur, non his quibus virtutum merita & literarum fcientia, fed quibus pecuniarum acervus & potentum favores fuffragabuntur, ad ipfarum Ecclefiarum non dicimus regimen, fed (proh dolor) perniciem & ruinam affumantur; cum hujufmodi perfonarum mores & vitia non perfcrutabuntur, & indigni fæpius ad regimen affumentur animarum, & propterea ftatuens, ut is, ad quem pertinet electionis confirmatio, proceffum, electionis & electi perfonam diligenter examinet, antequam eidem electo munus confirmationis impendat pœnam contrà facienti imponens.

Indignorū promotio.

Per hæc etiam & alia quæ idem Dominus Leo ftatuendo decrevit, viris ftudiofis & literarum fcientia pollentibus fpem promotionis ademit; & aptiffimum modum, facultatem & fubftantiam totius regni & Delphinatus exhauriendi invenit, quo etiam hujufmodi regni & Delphinatus fubditi improbis machinationibus ad curiam Romanam evocentur, & indebitis vexationibus fatigentur. Hujufmodique fic noviter editis ftatutis, jam dictus Dominus Leo Papa Sereniffimum Principem noftrum *Francifcum Regem*, modernum in partibus Italicis, agentem in maximo ftrepitu armorum, *confenfum præbere quorundam fuafu coegit*. Et ne promiffionis infractor idem Princeps illuftris videretur, jam dicti Domini Papæ monitis obtemperans, hæc quæ dicta funt de novo edita ftatuta (quæ *Concordata* vocantur)

Francifcus Galliæ Rex à Leone deceptus.

cantur) ruinam Ecclesiæ totiusque regni inde imminentem non attendens, nobis, dictaque Vniversitate, & aliis quorum intererat, non vocatis, nec auditis, publicanda esse imperavit; non dijudicans, quàm ei, dictoq; Regno & Delphinatui ac subditis perniciosa esse viderentur.

Ex quibus *nos Rector & Vniversitas* gravatos, læsosque & oppressos esse sentientes, cum per ea ad superius enarrata incommoda sensim perveniri posse prospiciamus: idcirco à Domino nostro Papa non rectè consulto jam, dictique sacri Basiliens. Concilii & ei adhærentes pragmaticæ sanctionis statutorum abrogatione, novorum statutorum editione, consensus præstatione, ac attentata illorum quadam publicatione: & omnibus inde secutis & secuturis tam pro nobis quàm omnibus & singulis suppositis ipsius Vniversitatis, & nobis & illis adhærere volentibus, ad futurum Concilium legitimè ac in loco tuto, & quem liberè & cum securitate nos eadem Vniversitas vel à nobis & ab ea deputandi adire poterimus: & ad illum vel illos, ad quem seu quos de jure, Privilegio, consuetudine vel aliàs nobis provocare licet & appellare, provocavimus & appellavimus, prout in his scriptis provocamus & appellamus, instanter, instantius & instantissimè protestantes, hanc appellationem prosequi per viam nullitatis, abusus, iniquitatis, vel injustitiæ, & aliàs, prout melius poterimus, optione nobis reservata: astantes in testimonium invocatum addendi, diminuendi, mutandi, corrigendi, & in melius reformandi, omniumque alio juris beneficio nobis ac nostris adhærentibus & adhærere volentibus semper salvo. Datum & actum Parisiis, in nostra congregatione generali apud S. Bernhardum solenniter celebrata: Anno M. D. XVII. die vicesima septima mensis Martii, ante Pascha.

Postmodum verò præ inserta appellatione sic interjecta, die prima mensis Aprilis, vir venerabilis Magister Arnolphus Mormart, in artibus Magister, & in jure civili Licentiatus, noster Procurator generalis, & ad hoc specialiter constitutus, coram venerabili circumspecto viro, Magistro Guilhelmo Huc, utriusque Iuris Licent. insignis Ecclesiæ Parisiensis Decano, tanquam coram persona authentica & in dignitate constituta personaliter comparens: cum illum seu illos, ad quem seu quos appellamus, adire non possumus, hujusmodi appellationem & contenta in ea nomine nostro & pro nobis intimavit, insinuavit & notificavit, Apostolosque cum instantia debita sibi dare petiit & requisivit. Qui quidem Dominus Decanus cum reverentia & honore debitis eidem appellationi reverenter detulit, & Apostolos reverentiales, & tales quales de jure & consuetudine vel Privilegio dare poterat & debebant, dedit & concessit.

Acta fuerunt hæc ultimò dicta & facta, in Ecclesia Parisiensi, Anno & die prædictis: præsentibus ibidem venerabili & scientifico viro Magistro Petro de Valle in Theolog. Doctore, Canonic. dictæ Ecclesiæ Parisiensis, & Magistro

Arturo Alauff in artibus Magiſtro, teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis. Sic ſign. le Roux & Hubert, & ſigillata in duplici cauda, & cæra rubea magno ſigillo dictæ Vniverſitatis.

Verùm ut aliquando tandem *Gallicas miſerias* finiamus, & ad *Germanicas* redire poſſimus, quædam epilogi vice *ex Molinæo* adſcribemus: utque paucis videas, quanta vis pecuniarum ſingulis annis exhauritur è Regno Franciæ, Primò, innumeræ myriades auri expiſcantur per eas, quas vocant *Annatas*, ſeu *Vacantias Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, Conventualium, & aliorum Sacerdotiorum electivorum*, Et hoc tributum exigit Papa ante ullam expeditionem, vel traditionem bullarum.

Secundò, non ſolum exigit de ſacerdotio tunc collato, ſed etiam de omnibus aliis ſacerdotiis, quæ impetrans tenet, & qui cum ut ea ſimul cum collato novo ſacerdotio retinere poſſit, diſpenſatur, non obſtante, quòd in prioribus collationibus eorundem ſacerdotiorum Annatas perſolviſſet.

Tertiò rurſus omnium eorundem novas Annatas exigit, etiam ab eodem poſſeſſore vel titulario toties, quoties eodem modo per novi ſacerdotii aſſecutionem vacant, ſeu vacare finguntur, & de novo diſpenſatur, etiam ſi bis, ter aut quater in anno hoc contingat. Ita quòd ſæpius contigit & viſum eſt in Gallia, eundem Prælatum pro eodem beneficio tres aut quatuor Annatas integras Papæ dependiſſe, non ſine magno etiam imperitorum & ſimplicium ſcandalo, cum videant feuda & res prophanas ſemel tantum in vita Vaſalli Domino directo unius anni tantum reditum dependere, & adhuc hoc raro contingere: & quando caſus exigendi contingit, non plus quàm ſemel in vita vaſalli exigi. Quòd ſi unquam maximè hic exclamat ſancta illa L. Si quenquam. C. de Epiſcip. & Cleric. *Quem* (inquit) *murum integritatis aut vallum fidei providebimus, ſi auri ſacra fames penetralia veneranda proſerpit? Quid deniq; cautum eſſe poteſt, aut ſecurum, ſi ſanctitas incorrupta corrumpitur? Ceſſet* igitur deinceps *altaribus imminere prophanis ardor avaritiæ, & à ſacris adytis repellatur piaculare flagitium.*

Quartò, infinitas quotannis exigit pecunias etiam de ſimplicibus, ratione præventionum à ducentis circiter annis, contra diſciplinam Eccleſiaſticam & antiquos canones uſurpatarum. Hac enim via nequiſſima provocantur homines ambitioſi, ut Romam mittant: quin quandoque vel pauperes verſuram facientes huic aleæ committant, quin etiam (ut aliquando vidi) viles, imò famuli ad furta etiam domeſtica alliciuntur, ut inde cum trapezitis Papæ, ſpe venandi beneficia, negotientur: adeò ut nonnunquam ad idem beneficium tres, quatuor: vel ſex (ut vidi) per Simonicæ hæreſis trapezitas (ita vocat eos text. in c. I. XXIII. diſt.) Romam mittant, ut etiam pro eodem beneficio quandoque plures bullæ pretium numerantes. Nihil enim ad eos de exitu, lucro vel damno emptoris ſeu collatarii, morbo pretium habeant. Et hac via non ſolum affligitur regnum in

pecunia-

pecuniarum ingenti evacuatione, ſed & in morum depravatione, diſciplinæq; Eccleſiaſticæ corruptione. Hac enim arte Romana non ſolum irritantur, qui ſuapte natura ſunt ambitioſi, ſed etiam & majores & minores provocantur, ut poſtergata vera diſciplina, ambitioni & avaritiæ ſtudeant: cumq; multi eandem aleam ſubicrint, & unus tantum ex currentibus bravium obtinere poſſit, ſeſe litibus infinitis, nec non odiis & vexationibus invicem atterunt & conficiunt, hic ſcilicet interim officii Eccleſiaſtici cura ſubeat.

Quintò, propter reſignationes in favorem: quæ licet quandoque de idoneis ſyncerè fieri poſſent, ut ſunt exempla veterum c. petiſti. VIII.q.c.1. VIII.q. 1.& hoc etiam admittit Ægid. Bellemere: tamen Papa majoris cujuſdam religionis prætextu in univerſum prohibuit, ſed ut ſibi ſoli hoc genus negotiationis exercere liceret, ut eventus docuit. Sextò, ratione commendarum.

Septimò, ratione vacantium in curia quovis modo. Eſt enim recens inventum novorum Pontificum: & utcunque Clemens Tertius in c. II. de præbend. in VI. jactat antiquam conſuetudinem talem eſſe, tamen illa prætenſa conſuetudo etiam poſt ejus obitum non erat ab omnibus cognita & recepta: tantum abeſt, ut vivo Clemente Tertio, & multo minus ante eum, antiqua fuerit, ut patet in c. inter cætera. De præbend. extrà ubi Celeſtinus Tertius, Succeſſor dicti Clementis, non declaravit, nullam eſſe collationem ordinarii factam de beneficio reſignato, in manu ſui deceſſoris: quod non omiſiſſet, ſi quid tunc fuiſſet de illa prætenſa conſuetudine, quæ tamen ſenſim cum reliquis abuſionibus cancri more ſerpſit: & quia non mox compreſſa fuit, pro lege venerari cœpit, inquit Rex in c. mala conſuetudo. VIII. diſtinct.

Octavò, propter infinitas diſpenſationes, puta ætatis, ordinis, beneficiorũ incompatibilium, & varias ſpecies incompatibilium, puta numeri, ordinis, certi monaſterii, & tecti, tum diſpenſationis variarum ſpecierum irregularitatis, ſive corporalis vitii vel delicti, vel cæremoniæ omiſſæ aut præpoſteratæ, tum diſpenſationum in gradu prohibito matrimonii, vel affinitatis canonicæ inventa etiam arte qua gradus diſtenderentur. Hinc enim acervi pecuniarum Romam fluunt, ubi non erubeſcunt publicas graveſq; taxas proſtare, velut leges certo præſcripto precio refingendas. Vidi, qui ultra mille aureos numeraverunt pro diſpenſatione commentitiæ cujuſdam, quam ſpiritualem cognationem vocant. Et nuper ſimplex prioratus à Rupe Guidonis, in diœceſi Carnotenſi, non conventualis, nec electivus, ob curam animarum & minorem ætatem impetrantis, conſtitit Romæ nongentis aureis: & tamen impetrans arreſto Pariſienſis Senatus & precium & mercedem amiſit, ob levem quandam omiſſionem vel ſubreptionem diſpenſationis: & juſtè quidem amiſit. Sed indignum & pudendum eſt, Romanos inſtitores & trapezitas ſic Eccleſiæ Gallicanæ illudere, & tam ingentem & auream meſſem pro illius vexatione & difformatione percipere.

Nonò, ab infinitis privilegiis, exemptionibus, gratiis, quas vocant, non visitandi, vel Procuratorem visitandi, confirmationibus Privilegiorum, homologationibus concordatorum, transactionum sub beneplacito Papæ factarum, permutatione beneficiorum cum dispensatione, vel pensionis creatione, aut alia negotiatione jure communi vetita.

Decimò, de mandatis. Singuli enim Papæ infinita propè concedunt mandata, cum quilibet ordinarius uno, si decem vel quinquaginta ad suam collationem vel præsentationem habet, duobus mandatis, ab unoquoque Papa gravari possit, & pro singulis mandatis circiter viginti ducati exiguntur. Hinc ingens vis pecuniarum æruscatur, & quanquam non possunt, nisi unum, vel ad summum duo mandata super singulis ordinariis concedi: tamen tot venduntur & bullantur, quot sese redemptores offerunt & numerant periculo suo.

Vndecimò, propter aliud genus aucupii, quam pœnitentiariam Papæ vocant, propter absolutiones casuum Papæ reservatorum, infractiones vel commutationes votorum, translationes Monachorum non solum de uno Monasterio ad aliud, sed etiam de uno ordine in alium, potestatis ingrediendi quævis monasteria, altaria deferendi, & alia innumera mensæ pœnitentiarii Papæ deputata.

Duodecimò, propter confessionem vel confirmationem condonationum, quas vocant indulgentias Papæ, quæ mirum in modum non solum in magnis templis, sed etiam in privatorum quorundam ædiculis multiplicatæ sunt, adeò ut jam vulgus hoc genus τῆς καπηλικῆς irrideat: tamen ab institoribus & lucrum inde quærentibus, quandoque centum vel quinquaginta aureis Romæ redimuntur.

Decimo tertiò, in creandis Protonotariis, & aliis Notariis (quos Apostolicos vocant) & Episcopis, quos Rota & aulici Papæ nullatenances vocant, vulgus Gallorum portativos, quidam ludibrii causa potativos vocant.

Decimoquartò, propter Bullas & commissiones novarum fundationum, vel immutationis antiquarum, vel reductionis regularum monasteriorum in secularem statum, vel restitutionum in integrum, & infinitorum rescriptorum ad lites, etiam in his quæ jure communi per ordinarios expedire deberent; ex quibus etiam non computato primo annatarum articulo, tempore Ludovici Vndecimi inventum est, *ultra ducenta millia aureorum* singulis annis regno efferri. Quare idem Rex omnino vetuit Romam quicquam deferri, vel ullam bullam inde avehi, ut suprà eo. gl. XV. num. 181.

Certum est autem, hodie quantitatem illam ad minus duplicatam esse, tam propter augmentationem populi, plus media parte ab illo tempore aucti, quàm propter augmentationem taxarum curiæ Romanæ. Postquam autem locum pragmaticæ subintravit concordatum, & sic locus apertus est annatis, cœpit

pir ultra quantitatem præcedentem (quæ circiter quater centum millia aureorum aſcendit) alia ſimilis quantitas Annatarum nomine extrahi.

Præterea cæperunt multi Curiæ Romanæ Aulici, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias, & pinguiora beneficia regni poſſidere, quorum reditus ſingulis annis regno evehuntur: ita quod ſingulis annis ferè decem myriades (quem *milionem* vocant) ſoleant regno Romam evehi; unde nihil unquam redit, ſed vel in luxu Romanæ curiæ conſumitur, vel inimicis Regis datur. Nulla enim negotiatio mercaturæ ad uſum hominum utilis, nobis cum illis intercedit. Aliæ quidem nationes bonas, & utiles pro pecunia inferunt, juſta & æquali commutatione: Romana verò Curia plumbum duntaxat, niſi quòd (ut dentes Cadmi) ingentia ſeminaria & anfractus litium: pro ingentibus acervis auri ingerit.

Nunc veniamus ad *Germanica Gravamina*, & primum ea adſcribemus, quæ circa annum Domini 1274. acciderunt. *Gravamina Germanica Nationis. An. 1274.*

Circa M. CC. LXXIV. Domini annum, Gregorius Decimus, ſacricolarum Concilium Paſchalibus Lugduni habet; undecunque Pontifices certos accivit ex Alemania, Gallia, Anglia quaternos, Hiſpania duos; ex Sicilia, regno Eccleſię, Vngaria, Dacia, Bohemia, Polonia, Suionibus, Nordovicis & Scotis ſingulos, vocataque concione, ex libris ſacræ hiſtoriæ, quos Machabæorum nominant, præfatus, curam ſtudiumque belli, utriuſque reipubl. adminiſtrationem, ad Epiſcopos & Antiſtites attinere, multis verbis perſuadet Collegis Palæſtinam expeditionem, & ad Græcos ſubigendos Romano Sacerdoti, arma induenda cenſet. Deinde leges, quibus vitia Sacerdotum, Monachorumque Antiſtitum caſtigentur, & corrigantur, rogat; *Zopfnonnas*, genus fœminarum ſacratarum, abolet. Tum omnium rerum Eccleſiaſticarum decimas in ſex annos Monachis, myſtis majoribus minoribus Pontificibus imponit: partem octavo Calendas Iulii, alteram portionem octavo Calendas Ianuarii numerare jubet. *Ex Aventino deſumta, lib. 7 p. 568, 569.*

Poſtremò hæc Decreta ſciſcit, promulgat; piaculari atque ſacro auriculario præfecti dent operam, orent, inſtent, ſuadere non deſiſtant, ut rei, ſanctiſſimo propoſito Pontif. Max. ære, pecunia, opibus faveant. Quiſque Chriſtianus, puer, vir, infans, puella, fœmina, ſacerdos, prophanus, capite cenſus ſit, quotannis nummum tribuat. Devotus eſto, quiſquis iis penſionibus adverſus iverit. Pleraque alia tum, ut alias, magis argutorum hominum more quàm ex æquo & bono, comenta ſunt Romulei vultures, quibus defraudari atque compilari populus ſolet, & quæ neutiquam Deo immortali cordi fuiſſe exitus probavit, eventus docuit, plerique ad conſilium coacti ire, eo luxu habitum eſt. Impendiis nō ſufficere aurum, argentum, gemmæ, veſtes præcioſæ artis, opes Templorum venundatæ, pauperibus qui ſolvendo non erant, diræ dictæ. Ciſtertienſes Monachi, quibus Pontifex Rom. amicus erat, haſce ſuarum ædium decimationes redemere millibus unciarum argenti puri ſexcentis atque quadraginta. Furſtenfeldenſis duo pondo argenti Teutonica

 penſi-

pensitarunt; sunt unciæ duæ & triginta. A cæteris omnibus decimæ superbè atque avarè exactæ; & licet Decimus eodem anno animam efflasset, nihilo secius tamen Romani flamines decimas per sex annos, extorta per vim pecunia à Germanis emunxerunt. Rumore dissipababant, se suo periculo atque stipendio Palæstinam, Ægyptum, Asiam, Aphricam erepturos Turcis, Saracenis, Tartaris.

Quamobrem & *Rudolphus* illa lege atque omine Primario Sacerdoti Bononiam Præfecturas, Ducatus, Vrbes, Regiones Italiæ, hactenus Imperatoribus parentes (Romaniolam Martinus vocat) quæ quotannis millia drachmarum auri septingenties pensitarent, concessit. Quemadmodum & *Imperator Maximilianus* anno abhinc decimo Principibus aperuit, edictoq; dato ex Oenobriga XII. Calendas Augusti, anno Christi M. D. XI. conquestus est. Dum eodem anno ad Calendas Septembris Pisam, adversus Iulium secundum Pont. Max. Senatum Christianum, novem Rom. Flamines, idem Maximilianus atque Ludovicus Franciæ Occidentalis Rex convocarent, pro *reformatione morum* (ut eorum verbis utar) *universalis Ecclesiæ*, in capite & membris primùm collapsorum, ac emendatione criminum gravissimorum interiorum, continuorum, ac incorrigibilium, universalem Ecclesiam enervantium.

CLXXXI. Sequuntur Avisamenta per Deputatos provinciarum Nationis Germanicæ concepta in Concilio Constantiensi, & postea per Deputatos ejusdem Nationis audita, super materia Apostolicarum Reservationum, & Collatione Beneficiorum hactenus per summos Pontifices & ordinarios collatores practicanda, &c.

INprimis ad tollenda illa scandala, quæ hactenus ex diminutione divini cultus Simoniacæ extorsionis pecuniarum, ambitione & cupiditate proventuum Ecclesiasticorum beneficialium, & possessionum eorum desolatione acciderunt in Ecclesia Dei, &c. pro illorum scandalorum materia resecanda videtur, quòd per hoc sacrum generale Concilium tolli, auferri & revocari debeant, reservationes omnium & singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum, tam majorum quàm minorum, quæ saltem in corpore juris non clauduntur: ut sunt videlicet illæ quæ introductæ sunt in existentia ad regimen, aut per quascunq; regulas cancellariæ, &c. quòd hujusmodi reservationes futuris temporibus nullatenus per quemcunque summum Pontificem fiant sine declaratione, authoritate, consensu, & approbatione Concilii generalis.

Item tollatur hæc nimis exorbitans abusio, quam sibi Domini Cardinales velut pro lege servare conantur, videlicet quo bona Ecclesiastica quæcunque per Cardinales obtenta, si illa vacare contingat, quòd aliis quàm Cardinalib⁹ conferre non

non debeant: quod utique magnum inconveniens esset in Ecclesia sancta Dei. Quia introduceret præcisè acceptationem personarum, quam supremus Monarcha in Ecclesia triumphante non admittit. Item, quia id officium Dominorum Cardinalium est, summo Pontifici, cui universalis solicitudo Ecclesiæ Dei commissa est, secundum suas partes assistere, & in agendis rebus consilium dare: cujus occasione verisimiliter continget, ipsos non nisi in Curia Romana decedere, & ex eorum decessu sua beneficia non nisi ibidem vacare, idcirco ne beneficia dictorum Dominorum Cardinalium, per ipsos jam obtenta, in Curia perpetuarentur, in magnum detrimentum illorum beneficiorum & suarum possessionum, & quod pejus est, divini cultus, & Christi fidelium animarum, illa ad sua remedia & Dei laudem frequentandam instituentium: statuat hoc generale Concilium, quòd Domini Cardinales habentes Ecclesiastica beneficia, de facto illa obtineant, si saltem velint, quandiu vivant, sicque ipsis decedentibus vacare censeantur, ipsis ordinariis collatoribus, non obstante *c. licet statutum, &, cap. præsenti, de præbendis, lib. 6.* sicut si ipsi ex Romana Curia decessissent.

Et præfatorum Dominorum Cardinalium numero reducto, secundum quod in aliis reservatoriis capitulis est avisatum, nulli Cardinalium tunc in antea aliquod beneficium Ecclestasticū majus aut minus detur, vel assignetur, cui in propria persona præesse, aut ipsum regere non valeat: sed ipsi sicut pro communitate totius laborent Ecclesiæ, ita ipsis secundum decentiam status eorum de omnibus fructibus Cameræ Apostolicæ, aut de regnis aut provinciis Christianitatis distinctis provideatur, sic, quòd quilibet annuatim, pro decentia sui status servandi, cum debita moderatione, & superfluorum amputatione, habeat 3. vel 4. florenorum: secundum quod huic sacro Concilio pro salubri remedio contra fastus, pompæ, ambitionis, cupiditatis & voluptatis morbos (qui à talibus Apostolorum Christi successoribus debent esse longè remoti) visum fuerit expedire.

Item statuatur & ordinetur, quòd in omnibus Beneficiis electivis, sive sint Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Abbatiæ, Præposituræ, Primiceriatus, Prioratus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus, aut alia electiva Beneficia inferiora, serventur jura de electione & Apostolatione in corpore Iuris contenta, cum omnibus eorum Capitulis, & prout posita, & ab antiquo per sanctos Patres practicata sunt: quæ etiam Beneficia electiva, sub quacunque expectativa gratia cadere non debeant, sic tamen, quòd illæ electiones quotiens occurrerunt faciendæ, postquam factæ sunt, per immediatos superiores secundum formam juris examinentur, & canonicæ factæ confirmentur: & quòd nullo modo liceat summo Pontifici, quicquam in contrarium attentare, præterquam in electis sibi immediatè subjectis. De quibus habebit prohibere: vel nisi contingat in præmissis quicquam contra formam juris factam aut esse quomodolibet attentatum, quo sicut ad id tenetur, ita sibi liceat taliter acta vel attentata retractando, sive

do, ſive in melius ordinando reformare, cum poteſtate corrigendi & puniendi transgreſſores.

Item quia ſecluſis Beneficiis electivis, de quibus in proximo capite mentio facta eſt, reliqua Beneficia Eccleſiaſtica, quæ ſaltem non ſunt de jure Patronatus Laicorum, ſunt adhuc in duplici differentia. Nam quædam ſunt minora, ut quæ Taxam decem Marcarum argenti puri non excedunt: alia ſunt, quæ communi æſtimatione hujuſmodi Trxam excedunt.

Item quædam minora Beneficia ſunt, quæ continuam perſonalem reſiſtentiam, & continuum exercitium divini officii requirunt ſic, ut quaſi manualia cenſeantur. Idcirco, ut ſecundum valorem beneficiorum fiat moderatio talis, ut, magis idoneis & benè meritis majora, & minus benè meritis minora beneficia, ſecundum æqualem juſtitiæ diſtributivæ regulam, quod melius fieri poterit, conferantur, ſtatuat & ordinet hoc ſacrum Concilium, quod ſub gratiis Apoſtolicis in forma ſpeciali conceſſis nullatenus omni cadere debeant beneficia memoria, quæ videlicet taxam decem marcarum argenti non excedunt, vel continuum requirunt exercitium divini officii: ut ſunt Vicariæ, Capellaniæ, Altariſtæ, & Præmiſſariæ tam Cathedralium quàm Collegiatarum Parochialiumque Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Conventuum ac Hoſpitalium, & ex adverſo ſub gratiis in forma pauperum conceſſis non cadant beneficia majora, taxam videlicet decem marcarum argenti puri excedent, & ſi quæ ſignaturæ gratiarum ſecus factæ reperiantur, careat impetrans commodo literarum Apoſtolicarum deſuper conficiendarum: & acceptiones & proviſiones ſuper talibus confectis literis factæ ſint irritæ, caſſæ, & ipſo jure nullæ.

Item diſponat & ordinet hoc ſacrum Concilium, quòd ſummus Pontifex futuribus temporibus quemcunque ordinarium collatorem gravare non habeat, neque debeat, per unicam Apoſtolicam expectativam in forma ſpeciali ad beneficia minora taxam decem marcarum argenti puri, ut præmittitur, excedent, & ſimiliter non niſi per unicum Apoſtolicum expectativum in forma pauperum ad beneficia minora, ut præmittitur, & ad cavendum multitudinem per variam importunitatem quandoque impetrantium, ut ſingulis gratiis expectativis, ſecundum diſpoſitionem juris communis antiqui, ponatur hæc clauſula ſi pro alio ſub tali forma, vel gratiæ ſpecialis, vel in forma pauperum ſit ipſo jure nulla. Sic ſimiliter de tertia parte & conſequenti, nec non omnia inde ſecuta nullius ſunt roboris, vel momenti. Caveatur autem in omnibus, quòd executores Apoſtolici, ſecundum tenorem literarum Apoſtolicarum, non declarent ullos ad obtinenda Eccleſiaſtica beneficia habiles & idoneos, niſi qui diſtricto examine tales de facto reperiuntur.

Item, quòd ad providendum univerſali Eccleſiæ Dei, quæ contra infideles, hæreticos, ſchiſmaticos, & bonorum morum perverſores maximè indiget viris literatis, & in ſcientia eruditis, qui in generalibus ſtudiis & aliis patrimonia ſua & labores

bores suorum consumunt proventuum, & quibus forsitan per ordinarios eis ignotos minimè vel saltem tardius provideretur: statuat & ordinet hoc sacrum Concilium, reservandi pro viris literatis quartam partem omnium Ecclesiasticorũ beneficiorum, majorum videlicet quæ taxam decem marcarum argenti videantur excedere, sic videlicet, ut in qualibet Ecclesia cathedrali, quarta pars canonicatuum & præbendarum reservetur pro Doctoribus sacræ Theologiæ, juris canonici & civilis, aut Licentiatis in eisdem. In singulis verò collegiatis Ecclesiis, quæ saltem præbendas majores & dictam taxam excedentes habent, similiter quarta pars canonicatuum, præbendarum, pro dictis Doctoribus, Licentiatis, aut in medicina Doctoribus, Magistris in artibus: ac in dictis facultatib⁹ Theologiæ, juris canonici, civilis, & medicinæ Baccalaureis, reservetur: & ita de quarta similiter cujuscunq; alterius ordinarii collatoris, sic quod ad illam nominatam quartam partem talium majorũ beneficiorũ omnium ordinariorũ, post dictorum beneficiorum vacationem sint manus clausæ, sicut per decreta summorum Pontificũ hactenus fuerunt unũ mensem, per quẽ dicti ordinarii collatores expectare, & prefati Doctores, licentiati, magistri & Baccalaurei venire, & ut recipiantur instare, teneantur. Quòd si tales nõ venerint infra mensẽ, nec ut recipiantur instent: aut forsitan instent, & dicta beneficia deservire nõ velint, aut ea etiam deservire volentes, aliàs forsan sint inhabiles & inidonei· tunc liceat collatorib⁹ ordinariis dicta beneficia vacantia, aliis personis idoneis, etiam non graduatis, ista vice conferre, sic tamen, quia in aliis futuris vacaturis beneficiis de dicta quarta parte existentib⁹ præfatis Doctoribus, Licentiatis, Magistris & Baccalaureis nullum præjudicium generetur: collectiones verò secus aut aliter factæ, sint ipso jure nullæ. Et nihilominus collatores secus seu in contrarium Ecclesiastica beneficia conferentes, eo facto suspensionem à collatione etiam aliorum beneficiorum, si quæ ultra conferre haberent, & à fructibus suorum beneficiorum, ratione quorum hujusmodi eis collatio debetur, per triennium sint suspensi: & ultra hæc talia tam apud collatorem, quàm apud eum cui secus provisum extitisset, in proxima, vel in Provinciali vel Episcopali Synodo, & secundum ejus determinationem corrigantur & reformentur, quod cæteris cedat ad exemplum. Quod in hoc sacro Canstan. Concilio non solum Episcopi & Principales infulati Abbates habere debeant voces judicativas & diffinitivas, sed Episcoporum & Abbatum, nec non Capitulorum & Vniversitatum studiorum Procuratores, Monasteriorum, & Conventuum Præceptores generales, Ministri, Provinciales, & priores Magistri, Doctores, & devotorum Christi fidelium, Oratores, ex subsequentibus videtur apparere.

Extant hæc Avisamenta ut vocantur, Tom. 1. Constit. Imper. Goldasti à p. 403. ad p. 407.

CLXXXII. *Sequuntur ordine ea, quæ tempore Basiliensis Concilii à Statibus Imperii Moguntiæ in publ. Conventu fuere deliberata.*

ANno millesimo quadringentesimo, quadragesimo, Moguntiæ, in materia declarationis animorum *super facto dissensionis in Ecclesia Dei exortæ*, per Dominos Electores facienda, & de cautione facienda Nationi Germanicæ, de sublatione Gravaminum ejusdem Nationis, fuit avisatum in Diæta inibi tenta circa festum Purificationis Mariæ virginis; quod cuicunque parti adhærendum esset, ante omnia provideri deberet, *ne authoritas Conciliorum generalium infirmetur*, & Gravamina, quæ dudum præfatæ Nationi fuerunt illata, tollantur è medio, & contra ea caveatur in futurum.

2. In primis, quia Basileæ hucusque non est nominatus aliquis locus pro futuro Concilio celebrando, juxta formam constitutionis frequens, ita quod jam non pendeat terminus alicujus Concilii: expedit, quòd ille cui facienda est hæc adhæsio, omnes & singulas constitutiones olim in Constantiensi Concilio super authoritate, honore, & reverentia sacrorum generalium Conciliorum promulgatas approbet, recipiat, & provideat: & mox in eisdem literis Bullatis conficiendis super præmissis promittat, seu polliceatur, se œcumenicum, vel saltem generale Concilium indicere velle, quantocyus id fieri poterit, in loco rebus gerendis accommodo, ubi personaliter, si poterit, alioquin si nequeat, per Legatos Apostolicos plena potestate fulcitos, Concilium ipsum prosequatur cum effectu. Promittat insuper operam se daturum, quòd in hujusmodi celebrando Concilio per Nationes procedatur, sicut in prioribus Conciliis reperitur observatum, & præmissa omnia videntur honestè & justè peti posse. Nam per hoc veritas prodibit in lucem: & illi qui ex alia parte, seu sub alia obedientia remanebunt, poterunt aptissimè nobis consolidari. Papa etiam, cui adhærebitur, ex hoc authoritatem suam & Apostolicæ sedis augebit & confirmabit, quando videbitur ab omnibus synceritas sua in factis Ecclesiæ Dei.

3. Item de præsenti non potest de loco vel de tempore specificè tractari, neq; poterit hoc alicujus arbitrio committi, ne alii fortassis indignentur, quasi non sit habita ratio commoditatis eorum, quantum ad situm vel aliam aptitudinem loci, & ideo non poterit negotium, quo ad hoc, melius specificari.

4. Deinde quo ad relevamen Gravaminnm avisatum est, quòd cum dicta Natio plus cæteris Nationibus ab Ecclesia Romana sit honoranda, propter auxilia quæ Ecclesiæ Romanæ multipliciter præstitit, ac propter Imperium Romanum, cujus vis & potestas in eo consistit, quòd Ecclesiam Romanam multis dotibus exornavit, ut ille cui facienda est adhæsio, eidem Nationi in retributionem meritorum suorum pro se & successoribus sanctaque sede Apostolica, de consensu Cardi-

nalium

naliū, propria etiam manuū suarum subscriptione subsequente constituat, ordinet, & in singulare privilegium concedat, per se & successores suos perpetuis temporibus inconcussè servandum &c. ut inferius seriatim annotatur.

5. In primis siquidem casset, annullet & irritet omnes, & singulas reservationes tam generales quàm speciales, sive particulares Ecclesiarum Metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, & monasteriorum, dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque, quibus pro electione provideri consuevit, sive per extravagantes, Ad regimen, & execrabilis, aut per regulas cancellariæ, seu quascunque alias constitutiones aut ordinationes introductæ sint, reservationibus in corpore juris clausis duntaxat exceptis: & quòd hujusmodi beneficia in corpora juris clausa Romanus Pontifex infra unius mensis spatium ab ipsius vacationis notitia computandum, conferre teneatur: deinde is cui collatio facta fuerit, eam infra tres menses continuos ordinariè teneatur insinuare. Si verò collatio vel insinuatio amplius retardetur, ordinamus, perinde habeant disponere, ac si nulla reservatio præcessisset. Beneficiis autem & dignitatibus electivis in corpore juris non reservatis, juxta dispositionem juris communis debitè provideatur, postulationibus etiam in dispositione juris communis remanentibus.

6. Item si Episcopus aut Abbas fuerit eligendus, conveniant eligentes audituri Missam Spiritus sancti: & confessi & contriti, suscepta eucharistia, ad eligendum ingrediantur, & primò jurabunt in manibus præsidentis capituli, & rursus præsidens in manibus immediatè sequentis sub hac forma: Ego N. juro & promitto omnipotenti Deo, & tali sancto, vel sanctæ sub cujus vocabulo dedicata est Ecclesia, eum eligere quem credunt futurum Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus utiliorem: & non illi vocem dare, quem verisimiliter scivero promissione aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se vel alium interposita, aut aliàs qualitercunque directè vel indirectè pro se electionem procurare. Item juramentum præstet, confiteaturq; & communicet, qui constituit Procuratorem ad eligendum certam personam: nec non & Procurator constitui potest, quòd etiam juramentum pręstetur ab iis, in quos continget super electione futuri Archiepoſcopi vel Abbatis fieri compromissum: qui etiam confiteri & communicare teneantur. Quod si prædicta non fecerint, pro illa vice eligendi sunt ipso jure potestate privati. In inferioribus verò dignitatibus eligentes, ad confessionem & communionem nullatenus sint astricti, sed in aliis formam superius traditam observare teneantur. Finita autem electione, decretum electionis immediatè superiori, ad quem jus pertinet confirmandi, præsentetur, qui in electionis negotio procedat, formam electionis, & electi merita, omnesque circumstantias diligenter examinaturus, ita ut si electio confirmanda sit, vel infirmanda, judicialiter confirmetur vel infirmetur. Confirmationes autem ratione confirmationis nil exigere, sed neque etiam spontè

 oblata

oblata recipere, ratione confirmationis sub nomine subventionis, subsidii, gratitudinis, aut alio quovis exquisito colore, prætextu consuetudinis, privilegii, superioritatis aut reverentiæ, seu quavis alia ratione præsumat. Notariis autem cæterisque ministris emolumentum moderatum taxetur, laborum & operarum habito respectu: non autem Prælaturæ valore. Confirmationes aliter factæ sint ipso jure nullæ, & confirmantes ipsi confirmandi potestate sint ea vice privati. Electiones autem & confirmationes, ut præmittitur, factæ, neque per Papam aut sedem Apostolicam, seu illius aut alia quavis authoritate infringi valeant, seu quomodolibet impediri, nisi forte in perturbationem Ecclesiæ, aut privatæ seu publicæ utilitatis electio aliqua vergere timeatur. Quo casu summus Pontifex, cum ad ipsum confirmatio delata fuerit, si talem urgentissimam causam subesse agnoverit, ea prius mature discussa, & parte plene defensa accedendo ratione Ecclesię Cardinaliū, vel majoris partis subscriptione causam hujusmodi veram sufficientemq; fore attestantiū, tali electione rejecta, ad capitulum vel conventuum remittat, ut infra competens tempus, juxta loci distantiam ad aliam, ex qua tali evenire non formidentur, electionem procedant. Omni autem casu, quo electio per media, tum superiorem fuerit confirmanda, remittatur consecrandus aut benedicendus ad suum superiorem immediatum, nec præsens fuerit in Romana Curia. Quo casu post benedictionem aut consecrationem similiter remittatur, immediato superiori debitum juramentum præstiturus.

7. Rursus avisatum est, quod cum ex ineffrenato gratiarum expectativarum concursu & antelationum prærogativis à principio vacationis beneficiorum, sub gratiis hujusmodi cadentium sciri non potest, & ex hoc ordinariis subtractionem ministerii sui moleste ferentibus intrusionis datur occasio, ex quo lites innumeræ suscitantur: avisatum inquam est, quod ille cui adhæsio sit facienda, omnes gratias expectativas ac reservationes particulares de beneficiis vacaturis in nostra Natione tollat, & de cætero non concedat, nisi pro tempore Pontificatus sui in qualibet collatione, in qua decem fuerint beneficia, de uno, ubi quinquaginta, de duobus duntaxat habeat disponere, in quibus dispositionibus indigena alienigenæ præferatur.

8. Item, ut nullum beneficium nostræ Nationis, exteris personis commendetur, aut de ipso pensio concedatur, sine assensu ordinario.

9. Item, ut quæstio de una præbenda in qualibet Ecclesia Metropolitana Theologo assignanda, etiam ad Cathedrales Ecclesias nostræ Nationis extendatur, ita ut collationes præbendarum hujusmodi teneantur Canonicatu, & præbendam Magistro Licentiato aut Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in Vniversitate privilegiata studuerit, & onus residentiæ ac lecturæ & prædicationis subire voluerit: quique bis vel semel ad minus per singulas hebdomadas cessante legitimo impedimendo legat. Quod si neglexerit, arbitrio,

bitrio capituli in ſubtractione diſtributionum totius hebdomadæ puniatur: & ſi reſidentiam deſeruerit, de alio provideatur. Nil tamen perdat, ſi abſens fuerit à divinis. Porrò poſt collatam, ut præfertur, hujuſmodi præbendam, duæ immediatè vacantes liberè conferantur. Tertia verò poſtea vacans, & deinceps ſemper, poſt duas liberè collatas. Tertia conferatur Magiſtro aut Licentiato ſeu Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in aliqua Vniverſitate privilegiata ſtuduerit: Doctori ſeu Licentiato in altero jurium, ſeu medicina, qui per ſeptem annos: vel in utroque, aut altero jurium Baccalaureo, qui per triennium, ſi nobilis ex utroque parente, & ex antiquo genere, aliàs autem per quinquennium, in aliqua Vniverſitate privilegiata ſtudium ſuum fecerit, qui de gradibus tempore & nobilitate ſupradictis fidem facere teneantur collatori, per legitima documenta. Hoc etiam in dignitatibus non electivis, perſonatibus, adminiſtrationibus & officiis dictarum Eccleſiarum obſervetur. Et qui duas præbendas cathedrales obtinuerit, aut aliàs unum vel plura beneficia, in quo vel altero reſidente ab illo vel ab utroque in omnibus obventionibus ducentorum florenorum Cameræ valorem habere valeat, inter perſonas prædictas non numeretur. Item in Eccleſiis parochialibus oppidorum muratorum inſtituantur perſonæ, quæ ad minus per tres annos in Theologia, vel altero jurium, Magiſter in artibus, in aliqua Vniverſitate contiguo ſtudentes, ſi poterint inveniri. Item, ut quolibet anno in quadrageſima qualificati ſua nomina collatoribus ſupradictis exhibeant, alioquin diſpoſitio aliter facta non irritetur. Sin autem tales reperti fuerint, diſpoſitio per quæcunque, etiam ſi Cardinalatus, Patriarchalis, Pontificalis, aut alterius cujuscunque dignitatis, aliter quàm ut præmittitur facta, eo ipſo irrita ſit, & inanis· collatio verò, ſeu proviſio, ſeu quævis alia diſpoſitio ad ſuperiorem proximum devolvatur, qui perſonæ tali habeat providere. Quod ſi non fecerit, ad alium ſuperiorem proximum gradatim, uſque ad ſummum Pontificem devolvatur. In Eccleſiis autem, in quibus *Illuſtres* aut *Militares*, ſeu certo modo geniture procreati duntaxat recipi conſueverunt, quod ſupra de literatis aut ſtudioſis perſonis eſt expreſſum: ita intelligatur, ſi perſonæ modo præmiſſo qualificatæ, inter hujuſmodi nobiles ſeu generoſos reperiri poſſunt, qui etiam nomina ſua collatoribus habeant exhibere. Quo ceſſante, proviſio aliter facta * non irritetur, ne Romanus Pontifex, aut quivis alius Eccleſiaſticus vel ſecularis, pro confirmatione, electione, admiſſione, poſtulatione, aut collatione, proviſione, præſentatione, ſeu qualibet alia diſpoſitione circa Eccleſiaſtica beneficia, ſecularia vel regularia, & pertinentia ad ea, nec non ordinibus, ſacra benedictione, ac pallio, de cætero quicquam antè vel pòſt exigat, ratione literarum pro ipſorum labore competentium ſalario ſolvendum.

* Particula *non* abeſt in Goldaſto; & verba ſequentia ſeparantur.

10. Si quis autem exigendo, dando, vel promittendo contraire præſumpſerit, ſimoniacorum pœnam ipſo facto incurrat, & in beneficio taliter obtento nullum jus nec titulum acquirat: obligationes quoque, promiſſiones, cenſuræ & mandata, & quicquid intra judicium hujuſmodi ſtatuti, quacunque etiam Apoſtolica authoritate contigerit attentari, nullius ſit roboris vel momenti: caveatur, ne illa quæ tempore receptionis beneficiandorum pro fabrica, ornamentis Eccleſiæ, vel divini cultus decore dare conſueverunt, in principio receptionis per hoc aboleantur: dum tamen non ad perſonarum, ſed Eccleſiarum utilitatem convertantur.

11. Item quòd is cui fiat adhæſio, nullam impoſitionem vel exactionem faciat in natione noſtra, occaſione proviſionis ſibi olim in Concilio Baſ. promiſſæ, niſi in alio generali Concilio de expreſſo conſenſu nationis.

12. Item quòd in partibus noſtræ nationis ultra quatuor dietas à curia diſtant, omnes cauſæ majoribus nec non electionum Eccleſiarum ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectarum exceptis in partibus terminentur.

13. Item ne gravati per ſaltum etiam ad Romanum Pontificem, omiſſo medio, ſed ad immediatum ſuperiorem duntaxat, nec à gravamine in quacunque inſtantia ante diffinitivam appellent, niſi gravamen ipſum in diffinitiva reparari nequiret: tunc enim ad ſuperiorem immediatum ſemel tantum liceat appellare. Quæ appellatio ſi frivola fuerit, appellans appellato ultra expenſas in quindecim florenis auri de Camera condemnetur.

14. Item ne Poſſeſſores non violenti, ſed colorato titulo beneficia proximo triennio hactenus poſſidentes, vel qui in futurum poſſidebunt, neque in petitorio neq; in poſſeſſorio etiam ratione juris noviter quæſiti moleſtentur, niſi actor legitimè impeditus, & de hoc proteſtatus juxta Concilium VViennenſe duxerit intimandum. Lis autem mota intelligatur, ſi ad citationem, executionem, jurisque ſui in judicio exhibitionem, & terminorum omnium obſervationem fuerit conceſſum. Ordinarii autem inquirant, & quem beneficium injuſtè poſſidere proſpexerint pridem, & alteri legitimè provideat, vel ipſi Poſſeſſori, ſi noluerit, niſi ſit intruſus violenter, vel aliàs indignus.

15. Quia verò proteſtationibus Dominorum Electorum, &c. durantibus, plures electiones & proviſiones factæ plurima beneficia authoritate ordinaria collata, ſententiæ interlocutoriæ diffinitivè prolatæ, pluraque alia geſta ſunt, ſuper quibus poſſunt ad Papam vel Concilium recurrere, obſtantibus proteſtationibus: ne igitur confidentia proteſtationum decipiamur, caveatur, quod ille cui fiat adhæſio geſta hujuſmodi confirmet ex certa ſcientia, ac ſi de verbo ad verbum expreſſa eſſent: ita quod nullus ſuper hujuſmodi beneficiis, aut aliis geſtis ſive actis in Romana curia, vel extra, moleſtetur, etiamſi lis ſuper eis alibi penderet quàm coram ordinariis, etiam ſi alicui alteri quæſitum diceretur,

ceretur, quibus talibus ſcilicet jus habere prætendentibus ſilentium perpetuum imponatur: & ipſorum poſſeſſorum tituli, ſive juris ſint ſive facti, quos durante proteſtatione authoritate ordinaria acquiſiverunt, confirmet, & autoritate Apoſtolica approbet, ipſisque poſſeſſoribus ſeu detentoribus in quantum opus, de illis de novo provideat.

16. Lites verò coram ordinariis Iudicibus pendentes, apud quos juxta formam proteſtationis licuit litigare, coram illis tantummodo proſequatur & terminetur. Sententiæ verò ſub authoritate Papali vel Conſiliariis durante proteſtatione collatæ, & nondum executæ, non exequantur: ſed acta, & quicquid ad hoc unaquæque partium habeat, allegare coram ordinario perducatur, quæ ſummariæ ſimpliciter & de plano, ſola facti veritate inſpecta, procedens, negotium ipſum unica ſententia valeat criminari.

17. Item de cauſis durante proteſtatione motis, & adhuc movendis, pendentibus, quas advocet Papa, & ſimiliter in eodem ſtatu committat ordinariis ſimili modo terminandis: & quod ibi cognitum fuerit, Papa ratificet, & authoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmet, contra facientibus, ac etiam in iis qui eos authoritate ordinaria beneficia poſſidentibus ſunt aſſecuti, impetere præſumpſerint, ſeu quomodolibet moleſtare, perpetuum ſilentium imponat.

18. Inſuper omnia & ſingula quæ dicta proteſtatione durante in præjudicium, gravamen, ſive læſionem jurisdictionis juris, vel poſſeſſionis Metropolitanorum, diœceſium, dominiorum, terrarum, Prælatorum, collegiorum, perſonarum ſeu rerum quarumcunque eorum qui hujusmodi proteſtationi obediunt, obediverunt, quomodolibet vergentia, Apoſtolica vel alia quavis authoritate impetrata, ſeu quomodolibet conceſſa, vel in poſterum concedenda, aut in judicio vel extrajudicialiter quomodolibet obtenta ſeu obtinenda, caſſet, irritet, & annullet, & pro infectis penitus habeat: ac illi vel illis taliter impetratis, conceſſis vel obtentis, concedendis vel obtinendis, quomodolibet nitterentur, etiamſi ipſis & cuivis, quivis eorum jus ex illis quæſitum foret, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ex certa ſcientia perpetuum ſilentium imponat. Vt autem præmiſſa firmiter obſerventur, polliceatur Papa pro ſe & Succeſſoribus ſuis, ſe omnia præmiſſa & ſingula inviolabiliter obſervaturum, & contra ea vel ipſorum aliquod in toto vel in parte nullo unquam tempore innovaturum, decernendo initum, &c. Pro firmiori ſubſiſtentia committet Romano Regi & Principibus Electoribus, & aliis, quo ſecum duxerint aſſumendos ſuper eorum obſervantia pragmaticam ſanctionem conficiendi, ac pœnis & cenſuris vallandi & corroborandi poteſtatem.

19. Item committet univerſis Archiepiſcopis noſtræ nationis, quod ſi unquam per eum vel Succeſſores, aut eorum ſeu alia quavis authoritate per oblivio-

nem

nem fortassis vel inadvertentiam lapsis, vel importunitatem dicentium, aut aliàs qualitercunque in præjudicium vel læsionem eorum quicquam statui seu concedi contingat: quod quivis eorum Archiepiscoporum & Episcoporum id casset, &c. Et pœnas, si quæ fortè desuper quacunque authoritate prolatæ forent, seu proferri contingeret, relaxandi, & omnia in pristinum statum producendi, concedat eis, & cuilibet eorum, plenam potestatem: & ut præmissa & omnia postquam sic statuta fuerint, conservent, manu teneant & defendant, contradictiones per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, totiens quotiens ipsis visum fuerit, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii secularis, &c.

Conclusio. Super præmissis avisamentis concordent, Serenissimus Dominus Romanus Rex, Illustrissimi Domini Principes Electores, invicem velle assistere, & alterutrum se defendere, contra omnem hominem eos vel alterum eorum conjunctim, vel divisim, occasione præmissorum molestare, invadere, seu quomodolibet perturbare conantem.

Verùm non ita magnum fructum hæ Deliberationes Imperio ac Germaniæ pepererunt, ut ex sequenti loco *Molinæi* animadvertere poteris, qui inquit: Et sic valde necessarium fuit istud edictum, prout simile valde necessarium erat in natione Germanica: quæ licet minus penderet, eò quod minus opulenta, tamen mirum in modum gravabatur, ut identidem cogeretur supplices & querulos libellos offerre Pontificibus Romanis, qui eos verbis eludebant: exprobrantes etiam, quod sua spiritualia multò pretiosiora eis seminabant, quodque centuplum etiam per eas quas vocant Indulgentias, recipiebant: ut patet in Epistolis Æneæ Sylvii, qui post ea Papa Pius II. factus est. Supervento autem Concilio Basiliensi, in d. sessione XXI. cum illud Consilium nec in Germania quidem propter potentiam Papæ suorumq; emissariorum servaretur, sed duntaxat in Gallia, mediante Regia pragmatica, similis & Imperialis sanctio necessaria erat Germanis. Primùm enim, ut scribit Platina Cremonensis, in Nicolao V. Germanorum alii Concilium Basiliense servabant, alii neutrales erant, nec Fœlici nec Eugenio obtemperabant. Sed Eugenius IV. missis Oratoribus (in quibus Æneas Sylvius) usque adeò eos delinivit, ut & Concilium Basiliense, & neutralitatem eis tolleret, adjuvante Friderico Austrasio in Imp. electo, hujus Imperatoris Caroli V. proavo, nondum quidem coronato, sed coronam sitiente: qui etiam Fœlicem Sabaudum compulit, se Pontificatu abdicare, & cedere Nicolao, à quo paulò post coronatus fuit Romæ, cum Leonora nova nupta uxore, Lusitaniæ Regis filia, XVIII. Martii, an. M.CCCCLII. incipiendo à nativitate Dom. quamvis Maria Socin. in c. cum contingat. col. ij. de foro comp. scribat, fuisse anno M.CCCCLI. quod est verum, computando more Gallico à Paschate, prout & annales Franciæ. Anno verò M.CCCCLV. audita morte Nicolai V. qui Fridericum III. coronaverat, Germani miseram sortem suam deflentes, persuadere nixi sunt Imperatori, ne Pontificibus Romanis amplius

plius obtemperaret, nisi saltem quædam ad pragmaticam tendentia prius ab eis impetrasset. Ostendebant enim, suam longè (sed immeritò) deteriorem esse conditionem Gallis vel Italis, quorum servi (Italorum in primis) nisi res immutarentur, meritò dicebantur. Rogabant, urgebant proceres, populique Germaniæ, gravissimis tum rationibus, tum exemplis, tum utilitatem, tum necessitatem Imperii, Imperatorisque fidem implorabant, obtestabantur (qua ipsis vel sacramento obstrictus erat) nec non dedecus & verecundiam, quòd decretorum in sua natione digestorum soli fructu carerent: quòd Gallica natio adversus exactiones Pontificum non frustra recursum habuit ad Regem suum, à quo protecta est: quique non diu ex dictis decretis pragmaticam sanctionem, pro libertate suæ nationis fœliciter confecerat, & utiliter servari faciebat. Quod Imperator nec minus potest in suo Imperio, nec minus debet populo & statibus Imperii, quàm alius Rex in regno suo: quídnam ad summum futurum, si exteri ad Regem suum recurrentes præsidium inveniant, & ab eo contra dictas exactiones protegantur? Germani verò & status Imperii ad suum Imperatorem recurrentes, ab eo deserantur, seu potius prodantur, decretisque in sua natione factis priventur? His rationibus victus & permotus Imperator, non minorem suis, quàm Rex Franciæ Gallis, pragmaticam facturus erat, nisi gravissima (verba sunt Plat. in Pio II.) Æneæ (scilicet Sylvii) authoritas intercessisset, cujus hæc fuit apud Cæsarem sententia: (hic audi impiam impii & perfidi oratoris vocem) Inter Principes (ait) etiam de magnis rebus inter se diffidentes, pacem aliquando & amicitiam componi posse: at inter Principem & populum immortale odium semper intervenisse; quare dicebat (hoc est, concludebat impius ille Æneas, Calisti paulò post futurus Successor) satius sibi videri, cum Pontifice sentire, quàm eorum cupiditatibus obtemperare, quorum mentes non ratione, sed appetitu & cupiditate ducuntur. Viden' qua arte, quo machinamento, quo impietatis ariete, venenata illa lingua Imperatorem venenis suis subitò infecit & dementavit? & uno verbo tam exploratam veritatem, tam evidentem justitiam, tam excussam & utilitatem & necessitatem decretorum conciliarium, quibus idem Æneas interfuerat, eaque diu etiam apud eundem Imperatorem probaverat, & exequi fecerat, tot tantasque rationes Principum & populorum Germaniæ, omniaque jam persuasa, jam evicta & admissa, tantum nondum confecta, evertit & profligavit: effecitque, ut ea unica falsa, seditiosa, & venenata ratione imbutus, imò dementatus Imperator, spreta tot populorum suorum tam æqua, justa & necessaria postulatione, eundem Æneam Oratorem deligeret, quem dignum patella operculum ad Calistum novum Papam mitteret, suo nomine juramentum in eius verba præstare, & absolutam totius Germaniæ obedientiam, utpote meram quam vocant obedientiæ patriam, conciliaribus patriisque decretis calcatis effectam: prout prius idem Orator eodem Friderico mittente, &

ejus nomine Eugenio IV. publicè renunciaverat, se scilicet Fridericum ac Germanos omnes in humanis divinisque ei deinceps obtemperaturos. Itaque Fridericus Austrasius bis Germanos sprevit & elusit, nativisque & conciliaribus dedecretis spoliatos servituti Papæ subjecit, quæ partim causa fuit, quod septem annis priusquam moreretur, curavit filium suum Maximilianum non solum eligi & coronari Regem Romanorum, sed etiam in Imperii administrationem associavit, ne post obitum suum (ut factum fuisset) transferretur imperium in aliam familiam: suspectos habens Germanos, quos bis contra conciliaria decreta (primùm antequam coronaretur, tempore Eugenii Quarti: & iterum post coronationem suam, & obitum Nicolai Quinti) postulatis eorum spretis, servituti Papalium exactionum subjecerat, à quibus deinde Anno M. CCCC. LXIII. obsessus fuerat. Hactenus Molinæus.

Quare misera Germania in paupertate, & sub Papæ durissima tyrannide & expilatione dolens, fremens ac obmurmurans usque ad Lutherum permansit; sicut sequentia scripta testantur.

CLXXXIII. *Martinus Meyr Cancellarius Moguntini præsulis, Domino Æneæ Cardinali Senensi, patri optimo, S. P. D.*

Cognovi ex literis amicorum, te Cardinalem esse creatum. Congratulor & tibi; qui pro tua virtute, digna consecutus es præmia; & mihi, cujus amicus in ea dignitate constitutus est, in qua me meosq; necessarios aliquando juvare poterit. Illud mihi molestum, quod in ea tempora incidisti, quæ sedem Apostolicam afflictura videntur; nam Domino meo Archiepiscopo frequentes afferuntur de Romano Pontifice querelæ, qui neq; Constantiensis neq; Basiliensis decreta Concilii custodit, neque se pactionibus antecessoris sui teneri arbitratur, Nationemq; nostram contemnere & prorsus exhaurire videtur. Constat enim electiones Prælatorum passim rejici, beneficia dignitatesq; cujusvis qualitatis & Cardinalibus, & Protonotariis reservari. Et tu quidem ad tres Provincias Teutonici nominis, sub ea formula reservationem impetrasti, quæ hactenus insolita est, & inaudita. Expectativæ *enim* gratiæ *sine numero conceduntur.* Annatæ *sive* medii fructus *absq; ulla dilatione temporis exiguntur, & plus etiam quàm debeatur, extorqueri palàm est.* Ecclesiarum regimina *non magis merenti sed plus offerenti committuntur: ad corradendas pecunias novæ indulgentiæ in dies conceduntur.* Decimarum exactiones, *inconsultis prælatis nostris, Turcorum causa fieri jubentur. Causæ quæ tractandæ terminandæq; in partibus fuerant, ad Apostolicum tribunal indistinctè trahuntur: excogitantur mille modi, quibus Romana sedes aurum ex nobis (tanquam ex barbaris) subtili extrahat ingenio: ob quas res natio nostra quondam inclyta, quæ sua virtute suoq; sanguine Romanum Imperium coemit, fuitq; mundi domina ac regina, ad inopiam nunc redacta, ancilla & tributaria facta est: & in squalore jacens suam fortunam, suam pauperiem multos jam*

jam annos mœret. Nunc verò quasi ex somno excitati optimates nostri, quibus remediis huic calamitati obviam pergant, cogitare cœperunt, jugumq; prorsus excutere, & se in pristinam vendicare libertatem decreverunt. Erit hæc non parva jactura Romanæ curiæ, si quod cogitant, Romani Principes effecerint. Quantum itaq; de tua nova dignitate lætor, tantum commoveor & angor, tuo tempore hoc parari. Sed Dei fortasse alia est cogitatio, & illius profectò sententia obtinebit. Tu interim bonum habeto animum: & quibus repagulis fluminis impetus coerceri possit, pro tua sapientia cogitato: & vale optimè. Ex Hasthaffenburga, pridie Kal. Septemb. M. CCCC. LVII.

* Hisce literis Meieri Aeneas Cardinalis respondit duabus Epistolis, quæ inter ipsius Epistolas leguntur num. 338, 339. ad quem postea *Replicam* Iacobus Wimphelingus, Licentiatus sacrarum literarum, composuit, amore patriæ Germanicæque Nationis, quæ extat in Tom. 2. Scriptor. German. Freheri à p. 383. ad pag. 391. *

Ex Epistolis Æneæ Sylvii.

CLXXXIV. Emittuntur plura Apostolica scripta, contra murmurantes de gravamine nationis Germanicæ.

AEneas Cardinalis Senensis Laurentio Rovarellæ salutem plurimam dicit. A latore præsentium recipies quatuor Bullas Apostolicas, & unum officium transfigurationis. Ex Bullis unam reddes Imperatori, simul cum officio, & brevi sibi directo. Alias Bullas curabis mittere tribus Principibus Electoribus simul cum brevibus suis. Extant & aliæ tres Bullæ Apostolicæ, simul cum duobus officiis, ac tribus brevibus. Officia dirigentur Regi Vngariæ ac Domino Legato; Bullæ quoque eisdem; tertia verò Strigon. Sed hæc omnia mittimus per alium Nuncium, qui post biduum recedet. Si te inveniat in curia regis Vngariæ, assignabit tibi ea. Sin autem, tradet per seipsum regię Majestati, quæ sibi diriguntur. Alia verò curabit transmitti Archiepiscopo & Legato. Nec alia circa hæc. De negociis Rheni multa referuntur non bona: propter quæ necessarium erit, ut quam primum cum consilio Imperatoris, & cum literis suis, ad partes illas te transferas, & labores juxta commissionem tibi traditam. Intereà bonum est, ut procures, quod Imperatoria Majestas scribat Archiepiscopo Magdeburgens. simulque Rigensi, & in primis Treverens. & Saltzburgens. ut si quærantur ad aliquam conventionem in factis Ecclesiæ, non consentiant, sed ad se ipsam omnia referantur, quæ quæruntur. Ea suadeat, ut si qui sunt qui novitates quærant, illis non assentiant: quia periculum est in mora. Habebis mox alias literas Domini nostri, qui plenius de hac materia ad te scribet, & intelliges rei gravitatem ac periculum. Bonum est etiam laborare apud Ducem Bavariæ Ludovicum, ut scribat Palatino Rheni consanguineo suo, ne se implicet conventionibus eorum qui contra sedem Apostoli-

cam aliquo modo moliuntur : persuadendo sibi, quod multò facilius FILII Principum promovebuntur per sedem Apostolicam, quàm per Capitula, vel Ordinarios. Et hoc benè cura in auribus Principum conculcare : quia veritas est. Vale, & scribe sæpius, quomodo tibi succedat. Datum Romæ, VIII. Kal. Decemb.

CLXXXV. Ex Concilii Basiliensis sessione XXXI. contra inordinatas beneficiorum Ecclesiasticorum oblationes, quæ à Papa fiunt.

DVm autem hæc cura reformandæ Ecclesiæ, huic sanctæ universali Synodo Basiliensi incumbit, hoc unum singulari sollicitudine prosequendum arbitratur, ut per singulas Ecclesias ministri instituantur idonei, qui scientiis & virtutibus effulgeant ad Christi gloriam, & universi populi Christiani ædificationem salutarem, cui rei grave impedimentum hactenus visa est gratiarum expectativarum multitudo, quæ gravem ordini & statui Ecclesiastico perturbationem, variasque inordinationes, ac plurima discrimina comperitur injecisse. Ex his enim frequentius dati sunt Ecclesiis ministri non probati, nec cogniti, vacaturorumque beneficiorum expectatio, quæ sicut antiqua jura testantur, occasionem desiderandæ mortis alienæ præstare solet, quod plurimum præjudicat animarum saluti : sed & insuper lites innumeræ & contentiones inter servos Dei excitantur, rancores & jurgia nutriuntur, pluralitatis beneficiorum fovetur ambitio, facultates ac pecuniæ regnorum & Provinciarum mirum in modum exhauriuntur : pauperes discurrendo ad Romanam curiam, innumerabiles vexationes subeunt, & inter viarum discrimina nonnunquam spoliantur, occiduntur, ac variis affliguntur pestibus, atque etiam suis Patrimoniis ac parentum opibus exhaustis, gravi egestati subjacere coguntur. Plurimi absque justo titulo beneficia sibi vendicant : & non quibus de jure debentur, illa obtinent : sed nonnunquam hi quibus aut circumveniendi proximum major astutia, aut ad litigandum facultas suppetit uberior. Sub involutionibus quoque prærogativarum, antelationum, aliorumque hujusmodi gratias concomitantium, fraudes plurimas, & deceptiones contingit inveniri. Iuvenibus etiam, qui sæpius per litium anfractus & varios discursus, ratione gratiarum ipsarum turbantur & inquietantur, ordinariis collatoribus suum ministerium subtrahitur, & confunditur ordo Ecclesiasticus, dum unicuique sua Iurisdictio non servatur : Romanique Pontifices dum officia inferiorum nimium sibi vendicant, à majoribus & magis fructuosis operibus retrahuntur, nec inferiorum directioni atque correctioni invigilant, sicuti publica utilitas exposcit. Quæ omnia gravem confusionem statui clericali & sacerdotali, in dispendium divini cultus, & præjudicium publicæ salutis afferunt.

CLXXXVI. Gravamina Germanicæ nationis, contra Sedem Romanam cum remediis & avisamentis ad Cæsaream Majestatem, in duos libellos distinctim divisa, eoq; ordine & modo, quo prius impressa fuere.

Extat in Ortuini Gratii Fasciculo fol. 169.

Serenissimo Rom. Cæsari Augusto Maximiliano Iac. Regius familiaris. *

AVdiens nuper, sacratissime Cæsar, Majestatem tuam Romæ adeundæ accinctam, scripsi Ioanni Collauro à secretis, ut Cæs. Majestatem tuam de nonnullis commonefaceret, quæ ad splendorem nominis tui, Germaniæque decus non parum attinere videbantur, ut ea à sacrosancta sede Apostolica tecum referres. Nihil enim credidi impetrare te non posse, quòd à Iulio II. Pont.Max. à tua Cæsarea Majestate salutando esses petiturus. Inter cætera verò Ioannem Collaurum de uno singulariter reddidi certiorem, quòd fœlicis recordationis prædecessor Henricus Romanus Cæsar, præbendam quandam (quæ ob id Regia vocatur) in Argentinensi Ecclesia fundaverit, cujus omnes in Imperio Romano successores jure fundationis procul dubio collatores fuerunt, & adhuc esse deberent sicut & hodie Cæsarea tua Majestas duarum similium præbendarum (quas progenitores tui in templo Spiren. de suis erexerunt) *jus* patronatus habet, quomodo autem ab eo jure erga præbendam Argentinen. (fortè propter interregnum) Rom. Rex ceciderit, & ad præpositum illic devolutum sit, prorsus ignoro. Hoc tamen multis persuasum est, Cæsaream tuam Majestatem *jus* illud *Patronatus* à summo Pontifice denuò in utroque mense ex æquitate facilè consequi posse; ut amodò, ad Dei laudem & Ecclesiæ decus, vir quispiam scientia & vitæ honestate conspicuus, tuæque Majestati cognitus, non inutile quoddam bestiæ aut coquinæ mancipium, sed neque leno, neque catamitus, liber & non alienus à scientiis & pietate, eidem præficeretur. Tuæ enim Majestati, cunctisque tuis in Imperio Romano successoribus mores & merita personarum longè clarius, quàm exteris gratiarum dispensatoribus poterunt esse manifesta. Sed & hoc quoque Deo gratissimum, animabus saluti ferum, tuæ autem Majestati in primis honorificum visum est, si à sacrosancta sede Apostolica *de quorundam abusibus* erudienda, inviolabili lege impetrares, ne deinceps quicunque vel natali obscurus, vel omnium bonarum literarum indoctissimus contra divinam naturalemque legem, contraque sacratissimos Canones *duo* aut *tria sacerdotia sub uno tecto, tres aut quatuor præbendas aut Canonicatus in diversis collegiis*, intra eadem Romani Imperii mœnia sitis, totidemque pingues parochias qualicunq; dispensatione (ne dicam dissipatione) à summis Pontificibus esset consecuturus, cum tot Canonicatuum, aut Ecclesiarum Parochialium quælibet alterius, aut utriusque juris sacræve paginæ Licentiatum, imò Doctorem honesto statu nutrire posset, adeò ut singuli singulis essent contenti, & in animo tranquilli.

Hac re vix aliquid Deo gratius, Germaniæque utilius Majestatem tuam arbitror efficere posse. Taceo, quòd hoc pacto pii adolescentes, qui in Gymnasiis multo labore, bonarumque literarum amore patrimonium suum expenderunt, parte Ecclesiastici stipendii nacta, cohæredes in hæreditate paterna ad rerum publicarum augmentum relevare, Christoque servire, & pro totius Imperii ac Imperatoris salute preces effundere possent. Sic quoque per singulas Ecclesias ministri instituerentur idonei, sacræ paginæ sacrorumq; Canonum docti præbendas facilius consequerentur, ac cæteri literis & virtutibus præditi ad Christi patrimonium ascenderent, occasio desiderandæ mortis alienæ tolleretur. Neque essent tot lites, totq; contentiones, cum magno rei familiaris per totam Germaniam detrimento: neque essent tot fraudes, non vexarentur insontes ab eis qui nihil nisi contendere, acceptare, inquietare, vexare norunt: non, quibus proximum circumveniendi major astutia, aut ad litigandum facultas supppetit uberior, sub involutionibus prærogativarum, antelationum, regressuum, & laqueis instrumentorum à propriis servis scriptorum, tot fraudes, tot deceptiones permitterentur, adolescentibus qui literarum studio, virtuosisque operibus intendere deberent, non daretur ansa evagandi nec per litium anfractus turbarentur. Non confunderetur Ecclesiasticus ordo, non sineretur unus solus ad nullam rem Deo gratam, aut fidei nostræ utilem idoneus, turpiter occupare stalla & loca in omnibus Ecclesiis intra eandem Imperii Civitatem sitis: sicque parrochiis per barbaros quandoque mercenarios provisis, salubrius per doctos consuleretur, nec diminueretur divinus cultus, nec animarum suffragia omitterentur: non essent vacua stalla, non cassarentur voluntates ultimæ, minus perderentur literæ monumentaq; beneficiorum, non periret hospitalitas, non eleemosynæ, non domus & ædificia cætera Ecclesiarum corruerent, non bona & prædia alienarentur: non essent tanta murmura & odia vulgi in cunctos Sacerdotes, propter paucos avarissimos & insatiabiles. Neque ego primus sum, cui tanta sacerdotiorum multiplicandorum cupiditas stomachum movet; nam & *Francisco Petracha*, viro probatissimo, hæc impietas admodum displicuit, qui nec expavit ad Vrbanum Quintum in modum sequentem perscribere. Audiebam te ambitioni antiquæ (quæ priorum licentia in immensum crevit) frenum ponere, & ut uno aut paucis pro dignitate virtutis ac scientiæ, beneficiis contenta esset, edicere: justè inquam, graviterque; nam quid turpius, quàm unum aliquem (parta forsan fœdis artibus copia) nauseantem cernere, multis hinc inde melioribus penuria fameque laborantibus? Et sapientissimus Gregorius Nazianzenus his verbis adstipulatur: Religioni ac doctrinæ nostræ opprobrium nascitur, quòd sacerdotia ambitione potius & gratia, quàm meritorum judicio deferuntur. Et *Franciscus Picus*, Princeps illustris, in *Oratione ad Concilium Lateranen.* lamentatur, *sacras ædes & templa lenonibus, catamitis, & lupis fuisse commissa.* Cætera sunt plurima, tibi sacratissime Cæsar, pro tua summa prudentia proculdubio cognita; quæ Cæ-

saream

ſaream Majeſtatem tuam, ad hujuſcemodi avaritiæ cæterorumq; vitiorum frenum & moderamen à ſacroſancta ſede Apoſtolica impetrandum, permovere poſſent. Dominus Deus tuæ Cæſareæ Celſitudini ad fœlix Imperii regimen, Chriſtianæque Religionis amplificationem propitius opem ferre dignetur.

* Extat in Faſciculo Gratii fol. 209.

Gravamina Germanicæ Nationis, cum Remediis & Aviſamentis ad Cæſaream Majeſtatem, in duos libellos diſtinctim diviſa, eoq; ordine & modo, quo prius impreſſa fuere.

Extant Tom. 2. German. Script. Freheri p. 373. 374. & Tom. 2. Cent. 16. Lect. memor Wolfii p. 202. ſeqq. & in Faſciculo Ortuini Gratii fol. 167, 168, 169, 170.

Gravamina Nationis Germanicæ, & ſacri Romani Imperii decem.

1. Quòd ad ſervandas Bullas, Pacta, Privilegia, & literas ab anteceſſoribus abſq; omni derogatione conceſſas, ſucceſſores Pontifices teneri ſe non arbitrantur; imò per crebras diſpenſationes, ſuſpenſiones, revocationes, ad cujuscunque (etiam vilis) perſonæ inſtantiam contraveniunt.

2. Quòd electiones Prælatorum quandoq; rejiciuntur.

3. Quòd electionibus Præpoſiturarum, quas quarundam Eccleſiarum Capitula multo ære impetrarunt, contravenitur; Spira ſcit, & Haſela, cujus Bulla de eligendo Præpoſito enervata eſt, eo adhuc ſuperſtite, qui dederat.

4. Quòd beneficia & dignitates majores Cardinalibus & Protonotariis reſervantur.

5. Quòd expectativæ gratiæ abſque numero conceduntur, & multæ interdum ad unum collatorem. Vnde ſurgunt quotidianæ lites, & pecuniæ dilapidantur. Tum illæ, quæ pro Bullis gratiarum (quæ nunquam effectum ſortientur) expoſitæ ſunt. Tum illæ, quæ pro litibus deducendis conſumuntur. Inde apud quoſdam ortum eſt proverbium. Quiſquis gratiam expectativam ab urbe extraxerit, centum aut ducentos aureos nummos in ciſtam ſimul ad ipſam gratiam reponat, quibus ad proſequendam litem opus habebit.

6. Quòd Annatæ abſque dilatione & ſine miſericordia (etiam Epiſcopis intra paucos annos mortuis) exiguntur. Interdum plus quàm debeatur, extorquetur, proter nova officia, & novos familiares. Exemplum de Moguntina & Argentinenſ. Eccleſiis.

7. Eccleſiarum regimina minus dignis (Romæ videlicet) committuntur, qui ad mulos magis quàm homines paſcendos & regendos eſſent idonei.

8. Indulgentiæ novæ cum revocatione aut ſuſpenſione veterum (Laicis contra Clerum murmurantibus) ad corradendas pecunias conceduntur.

9. Decimæ

9. Decimæ ſub prætextu expugnandorum Turcarum exiguntur, nulla expeditione ſubſecuta.

10. Cauſæ quæ in Germania (in qua & docti & juſti judices ſunt) terminari poterant, ad tribunalia Romana indiſtinctè trahuntur. Quod S. Bernardus, ad Eugenium Papam ſcribens, valde reprobare videtur.

Remedium contra Gravamina Nationis Germanicæ.

SI Cæſareæ Majeſtati conſultum viſum fuerit, proponatur ſummo Pontifici & ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, quòd grave, imò intolerabile ſit Nationi Germanicæ, amodò tantas expenſas & moleſtias pati, tantas pro confirmatione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum inferre Annatas, præſertim quæ in quibuſdam Epiſcopatibus ſucceſſu temporis auctæ, in quibuſdam duplicatæ eſſe dicuntur; nam ſedes Moguntina (ut dicitur) olim ſolum dedit decem millia florenorum, quæ, cum quidam illic electus dare renueret, ſicque uſque ad mortem ſuam perſiſteret, electus poſt eum confirmationis cupidus, ſe opponere timuit ſedi Apoſtolicæ, offerens antiquam ſummam, puta decem millium florenorum, is nec confirmationem impetrare potuit, niſi & reliqua decem millia ſimul redderet, quæ adhuc extabant à ſuo prædeceſſore nondum perſoluta, Sicque cogebatur dare viginti millia florenorum, quæ tunc indubiè in regiſtrum Cameræ ſignata ſunt, & uſq; ad noſtram ætatem à ſingulis Archiepiſcopis exacta: & nedum viginti millia, ſed & viginti quinque, propter nova officia, & novos Pontificum familiares. Tandem excrevit ſumma uſque ad viginti ſeptem millia: quæ Archiepiſcopus Iacobus cogebatur nuper perſolvere, ut retulit Vicarius in ſpiritualibus Moguntinus, ſicque in vita unius hominis ſepties vigintiquinque millia à ſolo Archiepiſcopatu Moguntino pro confirmatione Archiepiſcopi Romam pervenerunt. Et cum Archiepiſcopus Iacobus vix quatuor annos ſediſſet in Archiepiſcopatu, mox poſt eum electus Dominus Vriel, ad minus viginti quatuor millia coactus eſt perſolvere: quorum partem mutuò forſan accepit à mercatoribus, ſed ut illis ſatisfaciat, imponere coactus eſt ſubſidium aut exactionem in ſuos populos & pauperes agricolas, quorum aliqui nondum ſatisfecerunt tributo aut exactioni pro pallio, à ſuo prædeceſſore Iacobo impoſitæ. Sicque non ſolum eviſcerantur noſtrates, & ad extremam inopiam rediguntur (de qua reverendiſſimo Domino Bernardino ſanctæ Crucis Cardinali, & nuper Legato conſtat) verùm etiam incitantur ad rebellionem, & quærendam utcunque libertatem: & ubi poſſunt, inter ſe ſuſurrant de ſævitia in Clerum. Admonendus etiam videtur ſummus Pontifex, quòd per varia bella, terræ Germanorum paſſim deſolatæ ſunt, ac per crebras mortalitates numerus viventium diminutus. Sicque ob paucitatem cultorum, agri pro magna parte inculti jacent, & ipſa telonea diverſis eventibus attenuata, & venæ minerales exhauſtæ ſunt, pereuntq;

Pallium Archiepiſc. Moguntini carè emtũ.

euntq; indies proventus, ex quibus Archiepiscopi & Episcopi, (aliis etiam honestis & necessariis impensis gravati) sedi Apostolicæ Annatam persolvere possint. Non sine causa Iacobus Archiepiscopus Moguntinensis jam ferè moriens dixit, se de *morte sua non adeò dolere, quam ob id, quòd subditi sui pauperes, iterum pro pallio gravem exactionem dare* cogerentur. Mitius ergo summus Pontifex, velut pius Pater, filiorum suorum amator, & fidelis ac prudens Pastor, cum filiis suis Germanicæ Nationis agat, ne propediem vel in universos Christi Sacerdotes persecutio suboriatur, vel instar Bohemorum, pleriq; ab Ecclesia deficiant Romana. Mitius saltem agat, quotiens Archiepiscopus aut Episcopus ad paucos annos rexerit; sicut de Episcopis Bambergensibus accidit, quorũ tres intra paucos annos mortui sunt. Quid de aliis multis Episcopatibus? Siquidem Germania (Ænea Sylvio teste) supra quinquaginta Episcopatus habet. Quid de Abbatibus? quorum aliqui Romæ confirmantur. Esto, quòd in Germania majores essent ex agris, ex mineris, ex teloneis obventiones; indigeret tamen Cæsarea Majestas & cæteri Principes, thesauro & nervo belli, contra hostes præcipuè infideles, & ad conservandam in Germania pacem, atque ad justitiam unicuique ministrandam: ad quod Consistorium Regalis Cameræ, cum magnis impensis sanctè institutum, maximè deservit. Præterea opus habet Cæsarea Majestas, pecuniis ad comprimendos imperio rebelles, & ad exterminandos sicarios atque latrones; quorum nonnulli Ecclesiis nocere, earum bona diripere, imò in Clericorum personas sævire atq; grassari non erubescunt. Demum Natio nostra non solum pro reparatione Ecclesiarum auro indiget & argento, sed etiam pro Hospitalibus, pro pueris expositiis, pro viduis, pro puerperis, pro orphanis, pro filiabus pauperum (ne stupro cadant) desponsandis, pro domestica inopia laborantibus, pro annosis & effœtis, pro valetudinariis, ac pro pustulatis, quorum proh dolor) plena est Germania, alioqui etiam populosa, uti sexum minimè fastidiens muliebrem.

Avisamenta ad Cæsaream Majestatem.

SIcut Regnum Franciæ Pragmaticam habet Sanctionem (cui in conferendis beneficiis innititur) sic Imperium Rom. habet *Concordata Principum*; utq; ea illæsa conserventur interest Cæsareæ Majestatis. Rarò tamen hactenus per sumos Pontifices violata sunt, & Auditores Rotæ juxta illud hucusq; feruntur judicasse, & si aliquis curialiũ per quamcunq; dispensationem conaretur illa infringere, quòd Episcopus, vel Princeps vel Senatus ejusdem loci (principiis obstando) in faciem ei concordata inculcaret, piè exhortans ne contraveniat, quoniam audacia sua sustineri nequaquam, cum & Turcæ & Iudæi pacta fidemq; servent: quis Cursitanorum tam insolens aut stultus est, ut contra voluntatẽ Episcopi, Principis, aut totius alicujus comunitatis in aliqua Civitate habitare præsumat? Posset etiam Cæsarea Majestas per literas aut oratores facilè in Regno Franciæ experiri, quomodo illic beneficia

Concordata A. 1447. sub Frid. I. inita extant Tom. 1. Constit. Goldasti p. 408. seqq.

conferantur, & quam authoritatem in conferendis beneficiis habeat summus Pontifex. Secundū hoc posset moderamen fieri in Imperio Rom. & frenū inexplebili avaritiæ Curtisanorum adhiberi. Si præclaræ Universitates, præcipuè facultas Theologica Parisiensis, approbaverit modum illum, qui de disponendis & conferendis beneficiis in Francia servatur, nemo dubitet, Cæsaream Majestatem & Principes Germanos, si se isti modo confirmaverint, apud Deū tutos fore & excusatos. Præsumendum enim est, quod tanti Prælati, tanti Doctores, tam probati viri, qui in Regno Franciæ ac in studio Parisiensi vivunt, nihil approbent, quod contra Deū aut contra justitiam committeretur. Provideat tamen Cæsarea Majestas, ne Archiepiscopi electores in hoc sancto instituto à se dissentiant, sibiq; non adhæreant, propter censuras Apostolicas, quas timebunt & populus interdictum diu non sustinebit.

Provideat etiam Cæs. Maj. ne fratres mendicantes contra ipsam prædicent, qui sedi Apostolicæ libenter deferunt, timentes perdere privilegia sua, utinam Christo & naturæ innixa: quamvis justissimam causam dudum habuissent, contra tantam avaritiam tantosq; abusus prædicandi.

Timeat Cæsarea Majestas, ne Papa mandet Electoribus, ut ad electionem novi Regis Rom. procedant; sicut contra Fridericum Secundum Landgravius Thuringiæ, & Guilhelmus Hollandiæ Comes (jubente Papa) fuerunt electi.

Timeat Cæsarea Majestas omnes Prælatos Ecclesiarum, præcipuè præpositos, qui ex juramento tenentur avisare Papam.

Timeat Cæsarea Majestas, ne S. D. N. Papa obedientiam à subditis auferat, & circumjacentes populos provocet, ut in terras Cæsaris seu Archiducatus Austriæ irruant: quod isti homines sub colore obedientiæ Apostolicis Mandatis præstandæ, promptissimo animo sunt facturi.

Timeat Cæsarea Majestas censuras Apostolicas, à quibus S. D. N. Papa non abstinebit.

Timeat Cæsarea Majestas, ne Papa argutissimis locis rudi populo persuadeat, contra pragmaticam, seq; excusans, simplicium benevolentiam captet: allegaturus, quoad Ecclesiam, sive patrimonium sancti Petri pertinentes, ad quod ex officio teneatur. Circumspiciat ergo & deliberet Cæsarea Majestas, qualiter sapientissimo suo consilio omnibus illis Romanorum subtilitatibus (si necessitas exegerit) sit responsura.

Conclusio, & pia Exhortatio ad Cæsaream Majestatem.

NIhil sanctius, nihil Deo gratius, nihil sempiterna memoria dignius efficere poterit Cæsarea Majestas, quàm ut tantas Germanicæ Nationis molestias & exactiones moderetur, ut Laicis Clerum persequendi occsionem auferat, ut Parrochias (quarum aliquas, Episcopatus Italicos Æneas æquare scribit) ex faucibus Curtisanorum eripiat, eisq; frenum imponat: ut jus Patronatus Laicorū in utrisq;, & no-

& nominationes Canonicorum, collationesq; Ecclesiasticorum in ordinatiis mensibus conservet, ut multorum illustrium, nobiliū & civium filiis in Germania consulat, qui in Universitatibus ab adolescentia divinas & humanas literas discunt, ut & ipsi extra Curiam Rom. absq; inquietissimis vexationibus, sumptuosissimisq; interdum etiam indignis litibus ad præbendas Ecclesiasticas ascendant: qui & imperio Romano, consiliis & toti Ecclesiæ, orationibus suis opem ferre possint. Neque enim minima causa est, cur tantopere floreat Franciæ Regnum, nisi quòd tantos tamq; præstantes in omni bona doctrina viros multos habet. Si Cæsar hanc impietatem enervaverit, si Germaniam tributo gravi oppressam in pristinam libertatem vendicaverit, si doctis & honestis ad Præbendas aditum fecerit: tum verè *liberator Germaniæ, libertatisq; restitutor*, tum verè *Pater Patriæ*, perpetuò ab omnibus passim poterit appellari; nec minorem sibi gloriam, Germaniæq; fructum afferet, quàm si provinciam aliquam bellicis ei viribus adjecisset. Sicq; non minores uni Maximiliano Germania gratias debebit, quàm his omnibus, qui à translato ex Græcis in Germanos imperio, multis antea temporibus regnaverunt.

Regnum Franciæ florentissimum.

Edictum Maximiliani.

SUmmum Ecclesiæ Pastorem, & omnem Clerum, exemplo charissimi Patris nostri Friderici Romanorum Imperatoris Tertii, hactenus venerati, non parvos Dignitatum & Ecclesiarum Parochialium proventus ex terrarum nostrarum finibus, Clericis & Prælatis absentib⁹, clementer inferri permisimus. Quos & clam pro humana fragilitate delinquentes, cum Constantino prædecessore nostro chlamyde operire non dedignaremur. Verùm cum ex nostra largitate divini cultus decrementum profluat, unde divinæ laudis, Psalmorum & Missarum amplificatio debuerat proficisci nostra interest (qui absque meritis in solium Romani Imperii electi sumus) ut inter cæteras maximas pacis & belli occupationes, vigilanter quoque circumspiciamus, ne Ecclesiæ pereant, nec Religio labascat, ne divinus cultus diminuatur, & ne animabus defunctorum (qui Ecclesiis & Sacerdotibus de suo patrimonio benefecerunt) contra ultimas ipsorum voluntates tardius succurratur; quod manifestissimè experti sumus, & in dies experimur, ex *ineffabili atq; à nullo dispensabili quorundam avaritia* provenire, qui in beneficiis assequendis nullū finem constituunt; per quorum absentiam (cum in uno personaliter resideant, & distributiones deserviant) divinus cultus diminuitur, ultimæ Benefactorum voluntates cassantur, defunctorum animæ tardius ex igne Purgatorio eripiuntur, ædificia labant, Ecclesiæ decrescunt, Ecclesiastica libertas læditur, & monumenta perduntur, hospitalitas & eleemosynæ minorantur, patrimonia parentum & nervi rerum pub. ex crebris hujusmodi avarorum collitigationibus evanescunt; Clerici pro doctrina sua & virtute beneficiis digni, suaque prudentia Ecclesiis in temporalibus & spi-

Extat in Fasciculo Gratii fol. 170.

ritualibus utiles, à Præbendis repelluntur, impediuntur, indignè vexantur, injustè eis lites moventur, scandala Laicis præbentur, ipsorumq; odium & murmur in reliquos honestos Sacerdotes excitatur atque augetur. Eas ob res ex officio Cæsareæ Majestatis, ex amore incrementi cultus divini, ex zelo Rerumpub. hortamur & requirimus, ne quisquam amodò in una nostratum nostriq; Rom. Imperii Civitate, *Canonicatum* aut *Vicariam* possidens, in altera ejusdem Civitatis Ecclesia aliam Præbendam occupet, nisi primam infra spatium anni in personam idoneam ac Ecclesiæ utilem sit dimissurus; neque alium in beneficiis assequendis per injustas lites aut ambages indignè vexet, aut circumveniat, nec quemcunque qui non sit de numero descriptorum familiarium, juxta *Concordata Principum* & *Pacta* Nationis Germaniæ, falsò familiarem fuisse fingat, in ordinariorum collatorum præjudicium. Nec Laicis jus patronatus auferre tentet, nec exiles præbendas, potissimum verò curatas Ecclesias pensionibus gravet. Nec in adipiscendis beneficiis & Bullis, quacunq; fraude, dolo, falsis instrumentis, corruptis testibus, *simonia* etiam *palliata* utatur. Neque regressum aut alia sacris Canonibus inimica, contra jus æquum, honestum & rectam rationem impetrare præsumat, sub pœna Criminis læsæ Majestatis, & gravissimæ nostrę offensæ; quam nō solum ipsi sic contra Deum & omnem honestatem exorbitantes, sed & omnes eorum fautores, consiliū, auxilium hospitium & mutuum dantes, omnesq; nuntios, cursores, solicitatores, Notarios, Procuratores, fidejussores, & reliquos amicos incidisse volumus, condignam pro tantis iniquitatibus & nostri hujusmodi mandati contemptu pœnam accepturos. Ex Oeniponte.

Maximilianus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, &c. Honorabili, devoto, nobis dilecto, Iacobo VVimphelingo, Selestadiensi, sacræ Theologiæ Professori, familiari nostro.

H*Onorabilis, devote, dilecte, mittimus in præsentiarum ad te Secretarium nostrum*, cum pragmatica sanctione Regni Franciæ; *commisimusq; ei, tibi nostro nomine nonnulla referenda. Quæ cum ex mente nostra proficiscantur, cupiamusq; omnino interveniente opera & industria tua in talibus nobis satisfieri; ideo hortamur te, & per tuam in nos & sacrum Romanum Imperium observantiam (quam opusculis & lucubrationibus tuis jamdudum habuimus compertam) requirimus, ut non modò* Secretario nostro *indubitatam adhibeas fidem, sed te eum in his, quem etiam non requisitus à nobis præstitisti, exhibeas. Cupimus autem, dictum Secretarium nostrum (quoniam ejus opera diutius carere non possumus) cum hoc voto nostro à te expeditum, quàmprimum ad nos remitti. Datum in oppido nostro imperiali Uberlingen, die XVIII. mensis Septembris, Anno Domini M.D.X. Regni nostri Rom. XXV.*

PER

PER REGEM.

Invictissimo D. nostro Imp. Maximiliano, Iacobus Selestadiensis humilimam commendationem.

VIctoriosissime Cæsar, lecta Cesareæ tuæ Majestatis Epistola, moxque accepta à Secretario instructione, totis ad id viribus me accinxi, ut id quod Cæsarea tua Mejestas desiderat (quoniam tum cum Deo, & absque conscientiæ vulnere fieri potest) efficiam. Ab ineunte enim ætate omnem operam meam Cæsareæ primum tuæ Majestati, deinde Germanicæ nationis & sacri Romani Imperii amplificationi, devovi atque dedicavi. Quamvis me voto tuo & instituto longè imparem sciam, & multi sint in aula tua, qui hoc munus absolutissimè implere valeant: quibus major est eruditio, majorque rerum istarum communium experientia. Sunt & apud reliquos Principes, & apud Senatus Rerumpublicarum optimi doctissimique viri, qui Germaniam exornare, & ad pacem concordiamque universalis Ecclesiæ, atque ad totius Cleri Christianam disciplinam reducendi famam & gloriam persuadere possent: in qua re non modò tua Majestas, sed & tui in Imperio prædecessores, Carolus Magnus, ejusque filius Ludovicus Pius, Otthones denique, Conradi, Friderici & Henrici, novissimè autem Sigismundus summa industria operam navarunt, impellente ipsos indubiè zelo & charitate in Deum Opt. Max. & gratitudine in Christum pro ipsius in humanum genus beneficiis, præcipuè autem amarissimæ passionis. Neque enim Christus pauper pro nobis factus est, ut nos in omni rerum opulentia & luxu, de ipsius patrimonio cupiditatem nostram & ambitionem prodamus; neque famem pertulit, ut nos ingurgitemur: neque labores, castimoniam, & dira tormenta subiit, ut nos in ocio, in lascivia, inque omnibus deliciis & voluptatibus versemur. Neque hi, quibus res Ecclesiastica sua debet incrementa, quantum ad ditionem temporalem attinet, huc respexisse videntur, ut in ocio tantum Clerici degerent, omnibus rebus ad vota fruentes, citra tamen laborem. Alia certè causa fuit, cur illi seque suosque nonnunquam spoliantes, Ecclesiam ditandam censuerint: nimirum ut commodius divinis officiis vacare possent, absque solicitudine defuturi victus, quem ex agris, nemoribus, pratis ac aquis facilè colligere liceret. Et ut pauperibus Christi, viduis, orphanis, & senibus, quos robur corporis prorsus destituit, ac ægrotantibus eleemosynam liberalius impertirent. Sic enim in Institutionibus Canonicæ professionis, quas auspicio Imp. Ludovici Pii conscriptas putamus, ab Episcoporum Concilio comprobatas, sic inquam legitur. Res Ecclesiæ (sicut à sanctis Patribus traditur, & in superioribus capitulis continetur) vota sunt fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles namque, fidei ardore & Christi amore succensi, ob anima-

rum suarum remedium, & cœlestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut iis & milites Christi alerentur, Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac solerti cura providendum est his, qui ejus facultates administrant, ne eos in suos solummodo usus convertant: sed magis (juxta possibilitatem rerum) Christo famulantium, imò eorum in quibus Christus pascitur & vestitur, curam gerere penitus non negligant. Subscribit huic sententiæ Prosper, asserens viros sanctos res Ecclesiæ non vendicasse in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus divisisse; nam hoc esse possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere; nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet (inquit) Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune: nec, aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, erogare debet: quando nihil aliud est habentibus dare, quàm perdere. Hactenus aliena retulimus.

Proinde cum omnes Christi religionem professos eidem Servatori nostro gratos esse expediat, magis tamen id peculiares ejus ministros, hoc est, Sacerdotes, sacris initiatos, & de liberalitate tanta Imperatorum & Procerum, cæterorumque fidelium affatim provisos, ut ab aratro & manuum laboribus alieni simus, tantorum beneficiorum decet meminisse, quo nostra vita populo bilem non moveat, nec ad oblocutionem & odium præbeat ansam: sed ut ædificentur Laici, amicitia mutua floreat, offendicula & sentes evellantur, reverendi antistites cum suo Clero pietati dedito sint in sua veneratione, & in ipsum quoque summum Pontificem sacrosanctamque Roman. Ecclesiam universorum filialis affectus, & in spiritualibus obedientia fulciatur. Quapropter Serenissime Cæsar, celsitudini tuæ, quæ tam honesto & sancto negocio Christianissimè afficitur, non potui non morem gerere, collectis tumultuariè nonnullis, quæ dedita opera & apud diversas Ecclesias & in Conventibus præstantium virorum partim vidi, partim ex fide dignis audivi, quæ mihi, si tollantur, ad Germaniæ commodum, & ad divini cultus amplificationem plurimùm conducere videntur. Et eò ad id absolvendum, tuæque Majestati in omnibus obsequendum, promptior fui. Primùm, quod nepotem meum Iacobum Spigel, tuæ Majestatis Secretarium, ex labore meo majorem tuam in se benignitatem assecuturum confisus sum: deinde, quod sub Imperio Rom. natus & alitus, meritò, uti natura, subditus tuæ inservio voluntati: postremò, ut hac opera patriam meam Majestatis tuæ patrocinio commendatiorem facerem. Selestadium enim natale mihi oppidum, omnibus terris charius, in Alsatiæ meditullio situm, Provinciis Austriacæ ditionis parvo sanè intervallo cingitur. Quantum enim Brisages absunt? quantum Sungavii? quantum vallis Albertica in Vosego? ut de minutioribus locis taceam. Si igitur Selestadium vel à Gallis, vel ab aliis hostibus

(quod

(quod absit) premi contingat, quis illi melius subvenire possit, quàm Princeps Austriacus? siquidem vicinus vicino Deus est; & solet nonnunquam ingentis beneficii esse causa, parvum obsequium in tempore exhibitum. Ex Argentorato, Calend. Novemb. M.D.X.

Epitome in Proœmium Pragmaticæ Sanctionis.
Proœmium.

IN proœmio Pragmaticæ sanctionis narratur, quod ab exordio nascentis Ecclesiæ, Reges Franciæ, Prælati & Proceres in regno & Delphinatu, erexerint & dotaverint Ecclesias, cœnobia, & alia loca sacra, ad gloriam Dei, & ad augmentum divini cultus. Item quod instituerint in illis locis ministros idoneos ad propagandam fidem, ad bonos mores, & exempla virtutum. Item, quod à sanctis Patribus conditi sunt Canones pro fœlici regimine status Ecclesiastici. Item quod, quamdiu Canones illi observati fuerunt, floruit in Ecclesia Dei honestas, disciplina, religio, pietas & pax.

Additio ad Pragmaticæ proœmium.

SImilia narrare posset Cæsarea tua Majestas, quomodo Ecclesiæ cathedrales & Collegiatæ in Germania erectæ, & amplissimis possessionibus dotatæ sunt à Rom. Imperatoribus, ab Illustrissimis Ducibus, & cæteris Principibus: sicut in Lupoldo, de zelo & fervore veterum Principum Germanorum clarissimè reperitur. Et certò constat, multas Ecclesias à Carolo Magno & Henrico Cæsare erectas & dotatas. Spirensem à Ducibus Sueviæ & Austriæ locupletatam, &c. Argentinensem à Dagoberto Rege Austrasiæ exaltatam. Sicque de aliis Ecclesiis & cœnobiis Germanicæ nationis in Austria, Saxonia, utraq; Burgundia, cæterisq; Germanorum Principum regionibus, erectis atque dotatis.

Consequenter exordium Pragmaticæ narrat, quod ex ambitione & avaritia (quæ patrum decreta contemnit: subsecutæ sunt) majorum corruptiones atque deformationes · status Ecclesiastici dehonestationes: usurpationes gravissimæ: præsertim hæc fieri per prælaturarum & dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum reservationes, & per gratiarum ad vacatura beneficia expectativarum, à jure valde exorbitantium multiplicationes, & per innumerabiles concessiones, gravissimaque & importabilia onera, quibus Ecclesiæ & personæ Ecclesiæ regni afflictæ, oppressæ, & quasi ad internecionem redactæ his diebus conspiciuntur.

Nam Ecclesiarum & beneficiorum pecunias indigni exterique occupant. Majores dignitates opulentioraque beneficia personis conferuntur incognitis, & non

non probatis. Pauci in Ecclesiis resident: quia cum sint plurales, ubique residere & præsentias deservire non possunt, vultusque commissi sibi gregis non agnoscunt. Animarum cura neglecta, temporalia lucra solummodo quæruntur. Christi cultus diminuitur. Animarum cura negligitur. Subtrahitur hospitalitas. Ecclesiarum jura depereunt. Ruunt ædificia. Populi devotio attenuatur. Clerici regni nostri scientiis & virtutibus effulgentes, qui in ædificationem plebis nostræ vacare possent, & qui pro Regiis & Ecclesiæ publicis Consiliis forent opportuni, divinarum humanarumque scientiarum studia deserunt, propter promotionis ad beneficia spem eis ablatam. Votum alienæ mortis oritur. Lites infinitæ, contentiones & rixæ, rancores & odia inter Christi ministros suscitantur, nutriuntur atque foventur. Pluralitatis beneficiorum execrabilis ambitio fovetur. Pauperes Clerici cum rerum suarum discrimine per calumniosos cavillososq; opprimuntur. Beneficia inofficiata relinquuntur. Beneficia simoniacè adquiruntur. Iuvenibus bonæ indolis evagandi licentia præbetur, qui literis & virtutibus intendere deberent. Prælatis & cæteris ordinariis collatoribus jus suum atque ministerium aufertur. Ordo Ecclesiæ hierarchicus confunditur. Plurima adversus divina atq; humana jura in animarum perniciem, & Ecclesiarum regni nostri oppressionem, & conculcationem perpetrantur. Sicq; jura coronæ nostræ depereunt, atq; thesauri regni nostri in externas regiones deportantur.

Præmissa hæc Carolus VII. Rex Francorum, cæteriq; Prælati Ecclesiarum cognoscentes, talia stimulantibus eorum conscientiis, absque gravissima Dei offensa diutius dissimulare non potuerunt. Itaq; decreta hæc Basiliensis Synodi, partim ut jacent, partim cum quibusdam moderaminibus, aut epijkijs recipienda consenserunt.

Additio ad Proœmium Pragmaticæ.

UT ad oculum hæc omnia vera esse demonstrentur, discernant boni & æqui judices (qui saltem diligenter consideraruntur) si non floreat diligentior divinus cultus, ordinatior cantus: si non fiant pauciores in choro confusiones: si non sint minores factiones, minores lites, minor pecuniarum effusio, minora offendicula seu scandala, minor concubinarum pompa & luxus, in illis Collegiis & Ecclesiis, ad quæ per gratias Apostolicas non patet aditus. Exemplum sumatur de Ecclesia parochiali Friburgensi, de Collegio Badensi, Heidelbergensi, & Novæ civitatis Spirensis diœcesis, ubi licet parva sint Collegia, mediocresque præbendæ, quasdam tamen alias, quas insatiabiles Curtisani occupare, & in quibus post crebras lites patrimoniorumque dissipationes, præbendas pinguiores possidere possunt, in omnibus divinis officiis, in omni Ecclesiastica disciplina, & in personarum concordia, pace & tranquillitate excellere videntur. Ignoscant mihi multi optimi sacerdo-

cerdotes, qui & in cathedralibus & in collegiatis devotè, Deo serviunt, quibus contentiones, lites, levitates, evaginationes, confabulationes, & cæteræ dissolutiones admodum displicent.

Exemplum denique sumatur *ab Ecclesiis parochialibus*, ad quas gratiæ Apostolicæ sese non extendunt, quibus de idoneo rectore seu curato citius providetur, quàm his quæ sub gratiis cadunt. Quippe quæ interdum propter diversos collitigantes, variasque ipsorum astutias, ad biennium aut triennium, certo & idoneo pastore caruerunt. Et cum vix tandem aliquis Curtisanorum victor aliorum in parochia aliqua utcunque evaserit, vel in ea non residet: vel, si residet, non prædicat, nec cancellos ascendit, ut saltem pro summo Pontifice, proque sacrosancta Ecclesia Romana, proque Cæsarea Majestate, aut contra Turcas, ad Deum preces à populo fieri exhortetur. Non sic contingit de Ecclesiis parochialibus, ad quas Curtisani seu curiales per gratias Apostolicas non admittuntur. Exemplum sumatur de Ecclesia parochiali Friburgensi, Heidelburgensi, Badensi, Vlmensi, Francofurdensi, ad quas, cum vacant, evestigio de idoneis rectoribus salubriter absque omni lite, absque multa pecuniarum effusione providendas, vel Principes, vel Vniversitates, vel Senatus, jus præsentandi habentes maturè & statim deliberant, & ad Dei honorem animarumque salutem bonos atque doctos viros, eis absque controversia præficiunt: qui personaliter residentes, per seipsos prædicant, populum verbo & exemplo ædificant, ac suas oves in viam salutis (ut veri Pastores) dirigunt, de quo summis Pontificibus, Pastoribusq; nostris gaudendum & exultandum esset: qui & rectè agerent, si ad similes quoque curatos in aliis locis fideli populo præficiendos, sint cooperaturi. Ipsi enim de animabus omnium Christi fidelium, precioso ejus sanguine redemptorum, exactissimam Domino Deo in extremo judicio rationem sunt reddituri: sicut Iulius Secundus summus Pontifex noster, in exordio Bullæ suæ contra Iohannem Bentivolum, sponte & humilimè confitetur. Et Platina in Celestino V. eidem reverendissimos Dominos Cardinales affirmasse narrat, omnia mala, tum accidentia, in die judicii sibi imputatum iri.

De electione. Cap. I.

Generalis reservatio omnium Ecclesiarum, monasteriorum, & dignitatum electivarum, per Romanum Pontificem fieri non debet: neque factis est utendum, præterquam in terris Ecclesiæ Romanæ subjectis.

Quod omnibus illis Ecclesiis per electionem & confirmationem Canonicam, secundum juris communis dispositionem provideatur.

Quod Privilegiis & consuetudinibus rationalibus per hoc non derogatur.

Nec ſummus Pontifex contraveniat, niſi ex legitimis cauſis, in Bullis nominatim expreſſis.

Papa in aſſumptione ſua hæc ſe juret obſervaturum.

Electione Prælati vel Epiſcopi facta, confirmatur non ſolum (ratione confirmationis) aliquid quantumcunque parvum non exigat, ſed etiam gratis oblata ſub nomine ſubventionis, ſubſidii, gratitudinis, aut alio colore, prætextu cujusvis conſuetudinis aut Privilegii per ſe vel per alium, nullatenus recipere præſumat.

Qui his contravenerit, ipſo jure confirmationis perpetuò ſit privatus.

Nec ſummus quidem Pontifex aliquid pro confirmatione accipiat: alioquin futuro Concilio deferatur.

De reſervationibus.

Omnes reſervationes revocantur, exceptis illis, vel quæ in corpore juris expreſſæ ſunt, vel quæ in terris Eccleſiæ Romanæ ſubjectis ſiunt.

De collationibus

Præter damna quæ in procemio narrata ſunt, alia etiam incommoda oriuntur ex multiplicatione gratiarum expectativarum.

Primò, quòd Clerici in gratiis patrimonium & parentum opes exhauriunt.

Secundò, quod hi quibus aut major proximum circumveniendi aſtutia, aut ad litigandum facultas ſuppetit uberior, beneficia ſibi vendicant.

Tertiò, quod ſub involutionibus prærogativarum, aut antelationum, & aliorum hujuſmodi gratias concomitantium, plurimæ fraudes committuntur. Propter iſtas & alias in procemio expreſſas cauſas, ſtatuit ſancta Baſilienſis Synodus.

Quod ſummus Pontifex gratias expectativas aut nominationes amodo nulla ex cauſa concedat.

Poteſt tamen diſponere Papa de uno beneficio ad collationem, in qua decem: & de duobus ad collationem, in qua fuerint quinquaginta & ultra beneficia.

Locus eſt præventioni, ſi ordinarii ſint negligentes.

Ordinarii hunc ordinem in conferendis beneficiis & dignitatibus ſervent.

In omnibus Metropolitanis & cathedralibus Eccleſiis ſit Theologus.

Tertia pars præbendarum conferatur graduatis, præcipuè Theologis: niſi fortè eſſet, qui duas prius obtineret præbendas, quarum una ad æſtimationem valeret ducentorum florenorum Cameræ, hoc eſt, ducatorum.

De parochialibus Ecclesiis sic provideant ordinarii.

In Ecclesiis parochialibus, quæ in civitatibus aut villis muratis existunt, instituantur personæ idoneæ, quæ ad tres annos in Theologia, vel altero jurium studuerint, seu magistri in artibus sint.

De numero Cardinalium.

Ecclesiæ Romanæ Cardinales, sint numero tantum viginti quatuor: nec assumantur minores triginta annis. Sint Magistri, Doctores, vel Licentiati in jure divino & humano. Sit saltem tertia vel quarta pars de Magistris aut Licentiatis Theologiæ. Pauci verò ex eis sint filii, fratres aut nepotes Regum & magnorum Principum.

P. Ræsteriscus D. Iac. Wimphelingio divinarum literarum Licentiato,

S. D.

Fascic. Gratii fol. 169. & Tom. 2. Germ. script Freheri p. 376.

R*Emitto ad te, Vir ornatissime, fido cum hoc commensali meo,* medullam illam pragmaticæ, *perquàm scitè, synecreq; abs te excerptam, unà cum prudentissima Cæs. Majest. instructione. Faxit Deus Opt. Max. ut Aquila nostra circumspectissima oculatissimaq; ipsa est summo culmine (perinde ut liliatus Princeps) eripiat conservetq;, ne scilicet posthac beneficiorum isti harpagines, universam hanc nobilem Germaniam medullitus exenterent, enerventq;. Negocium ipsum meherclè commodissimum atque divinum, summopere commendo; nec non cum tuam ea in re diligentiam, tum Cæs. Majest. ad Remp. Germaniæ zelum, haud immeritò maximi facio, mirificeq; laudo. Nihil prorsus demendum in ipsofacto, adjiciendumve (hac præsertim pestifera tempestate, proindeq; nobis inquietissima) operæ precium duximus. Æneam Sylvium* de Germaniæ situ *propediem aut ipse reducam, aut fido cum tabellione ad suum remittam authorem. Vale faustissimè; Ræsteriscoq; tuo, tametsi scabro & inculto, utare pro tua synceritate, ut voles, Datum festinanter & ex tempore, urgente contubernali hoc meo, probatæ vitæ viro, quem tuæ humanitati commendo. Calend. Decemb, Anno Christi M. D. XI.*

Hisce importabilibus oneribus commodè adjicientur & ea *centum gravamina*, quæ imperante *Carolo V*, Anno Domini 1522. in Comitiis Norimbergæ Legato Papæ oblata sunt.

* VVolfius Tom. 2 Lect. Memor. Cent. 16. p. 22. *

CLXXXVII. Gravamina *Sedis Apostolicæ, non ferenda Germanis, ac primùm de Dispensationibus ære redemptis*:

Extant in Fasciculo Orthuini Gratii à fol. 177 ad f. 189 Tom. 1. Constit. Imper. Goldasti à p. 457. usque ad p. 479. & Tom. 2. Cēt 16 Lect. Memor. Wolfii à p. 205, aū p. 228. Sensim excusa sunt primū Norinbergæ, & recusa Francofurti 1612. Declaratio centum Gravaminum Germanicæ Nationis.

INter reliqua onera, vel illud minimè postremo loco est collocandum, quod constitutionibus humanis multa prohibentur, imperantur item multa, quæ nullo divino præcepto vel interdicta sunt, vel imperata. Quod genus sunt, matrimoniorum tam innumera excogitata obstacula, ex affinitatis, publicæ honestatis cognitione, spirituali, legalique, & consanguinitatis, tam multis gradibus originem trahentia. Ciborum item usus interdictus, quos Deus tamen ad hominis necessitatem creavit, ac cum gratiarum actione promiscuè sumendos Apostolus docuit. Hæ nimirum, atque his similes complures humanæ constitutiones, eousq; ligant homines, *donec pecunia sibi harum legum gratiam à statuentibus impetrent, ut ita pecunia faciat divitibus licitum, quod tenuibus gratis sit prohibitum.* Illicitisque his legum, ac constitutionum humanarum retiaculis, *non modò magna nummorum copia à Germanis expiscata, è Germania & trans Alpes lata*; sed & maxima inter æquè Christianos orta iniquitas, plura offendicula, simultates, dum tenues hisce laqueis vident se illaqueari, non ob aliud, nisi quod spinas Evangelicas (ita enim Christus divitias non semel appellat) non possideant.

De tempore interdicto.

2. Pari modo agitur etiam cum celebrandis nuptiarum solennibus, à Dominica Septuagesima, qua cantatur in Ecclesia, Circumdederunt me, &c. sub quadragesimæ usque initium, quo tempore ab Ecclesiæ Romanæ Primoribus undique nuptias celebrari interdictum est. Quum tamen interim & ab Ecclesiasticis & à secularibus passim sine discrimine publicè, *genialiter vivatur*. Sed ita demum interdictum illud procedit, si gratis hoc facere quis intendat. *Quod si nummi spes refulserit, jam quod primum erat prohibitum, impunè ac liberè facere licet. Est enim & hoc gravè Germanorum crumenis retiaculum, quo extrahuntur nummi.* Nec minus interim gravamen, quod pauperis divitisque longè diversa in relaxandis his constitutionibus sit conditio.

De oneribus Papalium indulgentiarum.

3. Illud importabile jam olim increbuit Romanarum indulgentiarum onus, quando sub persona pietatis, quum aut Basilicas Romanas construere, aut profectionem in Turcas parare polliciti sunt Romani Pontifices, omnem à simplicibus, *nimiumq; credulis Germanis exuxerunt pecuniarum medullam*. Et quod longè

majoris

majoris eſt faciendum, per has impoſturas, ac earum conductitios præcones & prædicatores, profligata eſt Germana Chriſtianorum pietas, dum qui extrudere volebant venales ſuas Bullas, laudes ſuis mercibus occinebant, miras & inauditas condonari per emptitias has condonationes, nedum noxas præteritas, aut futuras viventium, ſed & defunctorum vita exiſtentium in Purgatorio (quod vocant Cantores illi indulgentiarum) ignis, modò numeretur aliquid, modo tinniat dextera. Atque *his mercium nundinationibus, ſimul & ſpoliata eſt ære Germania, & Chriſti pietas extincta; quando quilibet pro pretii, quod in has merces expenderat, modo, peccandi impunitatem ſibi pollicebatur. Hinc ſtupra, inceſtus, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna ſemel originem ſibi traxerunt.* Quod enim malorum amplius jam horrebunt mortales, quando ſibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, ſed & poſt obitum, ære, licet immodico, comparari poſſe à nundinationibus illis indulgentiariis, ſemel perſuaſum habent? maximè Germani, quibus per hos veræ pietatis fucos, ſub Religionis perſona, nihil non perſuaderi difficile eſt: ut ingenio plane ad pietatem credulo eſt Germania.

Et licet indulgentiæ hæ non ſemel in hoc ad Germanos miſſæ ſint, quaſi *ex corraſa earum venditione pecunia*, fideles contra Barbaros eſſent tutandi ac defendendi: eventu tamen compertum habent Germani, *pecuniam hanc non in rem fidei, aut alioqui Reipublicæ Chriſtianæ neceſſariam, ſed in propinquorum luxum, ac ſublevandam familiam ipſorum eſſe verſam*, quo uno bina hæc nata ſunt per quam maxima incommoda, quod & offendicula orta ſunt ſimplicibus, & quod nunc Germani toties ſentientes luſam fidem, quum verè jam res poſtulat, ut contra Turcas inſtituatur expeditio bellica, nullis rationibus perſuaderi ſe patiuntur ut credant, quod res ipſa ferè notorium facit, ita ſcilicet inſtare cervicibus noſtris crudeles Turcas, ſuſpicantes ſemper prioribus ſimile quippiam agi. Quæ una ratio eſt, ut tam ægrè manus contra Turcas jungant. Quantorum ergo malorum, & in rebus temporalibus ac Chriſti fidelium conſcientiis, cauſæ fuerint Romanæ indulgentiæ, ſanctitas Apoſtolica pro ſublimitate captus ſui, exigua opera, vel inde, ſi non ex re ulla alia, conjectura conſequi poterit.

5. Præterea Papalis ſanctitas, cæterique Epiſcopi, ac Eccleſiæ Romanæ columnæ, caſus aliquot ſuæ tantum abſolutioni reliquos fecerunt, quorum ſi unum aut alterum commiſeris, jam *aut numerandum*, aut abſolutione tibi carendum eſt: nempe quòd in hoc reſervati ſint, ut vel inde nummorum aliquid eis accreſcat. Quod ex eo conjicere licet, quòd in caſibus etiam quantumvis pro tempore honeſtis aut neceſſariis, nunquam tamen, niſi numeretur aliquid, diſpenſant. *At ſi nihil attuleris, numerariſve*, indiſpenſatus perpetuò maneas oportet.

6. Verùm ſi quis, *unde numeret*, habeat, jam nedum præſentes indulgentur harum conſtitutionum transgreſſiones, ſed & in futurum impunè, ut eas ipſas transgredi liceat, indulto permittitur. Quo fit, ut anſam inde accipiant ii, cum qui-

bus ita dispensatum est, *pejerandi, homicidia, adulteria, & similia flagitia perpetrandi*; quando quilibet ex sacerdotum vulgo, absolutionem emptitiam virtute indulti his impartiri potest. Quæ malorum seges tota *ex habendi libidine, auriq; sacra fame, qua nunc Ecclesiasticorum nonnulli miserè excruciantur*, originem ducit.

De Prædicatoribus Indulgentiarum Stationariis.

7. Est & aliud indulgentiis vendendis addictum hominum genus, quos Stationarios vulgò vocant, hi rusticorum plerunque abutuntur simplicitate, dum omnes vicos, villas, pagos, angiportus, omniaque peragrant castella & oppidula, prædicantes sancti cujuspiam, Valentini puta, Huperti, Cornelii, Anastasiive sanctimoniam: ac quantum ad rem familiarem addat, si quotannis hunc vel illum *munusculo aliquo*, quod eis Stationariis scilicet in commodum cedat, demulceas. Inscribentesque de hinc simplices, sub sancti alicujus numen ac tutelam, promittentesque, ut hoc aut altero morborum genere vacaturus sit, qui eis annuum censum penderit. Quæ omnia in hoc excogitata sunt, *ut simplices illi ad vivum usq; exugantur*. Nam primùm hoc negotium à sancto Anthonio cœptum, in innumerata morborum genera dehinc assuevit diduci; ita ut vix supersit morbus nunc aliquis, cui Stationarii non & peculiarem sanctum, tanquam tabernæ vel negotiationi præposuerint. Processitque eò usque ejus mali serpigo, ut pauperum ac simplicium illorum, Quæstuarii ac Stationarii prædicatores, *sanguinem vorent & medullam; dumq; illi unà cum liberis suis necessariis spoliantur, in deliciis & luxu plus quàm Sybaritico degunt Stationarii.* Quæ res & inprimis præsentem sibi sanctitatis Apostolicæ medicinam postulare videtur, quo interdiceretur Episcopis, cæterisque Ecclesiæ primatibus, ac eorum Vicariis, ne pro legationis seu functionis hujus admissione *quidpiam posthac acciperent pretii*, neve eas omnino tolerantur amplius, aut quantum per eos staret, paterentur.

8. Nec minus & in hoc à religiosis gravantur prophani, maximè pauperes, quibus res est angusta domi: nempe quòd mendicitas ordinum mẽdicantium, nihil in rure, neque in Vrbe sinit non peragratum, dum à terminis, quos pervagantur, Terminarii dicuntur. Quas quidem pervagationes contra ordinis eorum statuta, neque etiam ad necessitatem, *per avaritiam insatiabilem* adinvenerunt. Ita enim fit, ut cum in oppidulo, aliquando non admodum celebri, sed perexiguo, duo, tria, aut eo amplius illorum sint conventicula, in quæ, omne quicquid eleemosynæ undiq; disquiri potest, confertur, dum tamen interim morbo aut senio confecti cives vel incolæ, qui per ætatem ex laboribus & sudoribus suis unà cum uxoribus & liberis honestè vixerant, egeant, *fame & inedia pereundum* necesse habeant.

Itaq; rogant sanctitatem Apostolicam Imperii Principes, cæteriq; status, quatenus

tenus

tenus ſanctitas ſua, paterno animi affectu, offendicula & gravamina hæc Indulgentiarum, diſpenſationum, Stationariorum, Terminariorumq; è medio tollere, atque ita negotium temperare velit, ne libertas Chriſtiana, ſervitute humanarum conſtitutionum penitus extinguatur, illaqueenturque conſcientiæ Chriſti fidelium, mandatis hominum, quibus nullum eſt peccatum majus, quàm *nummis carere*. Non ultra enim quicquam prohibent, quàm ſi gratis contravenire quis velit, & diſpenſant illicò quod prohibuerant, *numerata ſcilicet pecunia ampliore*. Verùm quòd ſyncerius cum fidelibus Chriſti, tanquam cum ſuis ovibus agatur, inſtruanturque potius ad pietatem & charitatem mutuam, ex juſſione Chriſti, quàm ad obſervationem cujuſvis traditionis humanæ, formidine pœnæ. Ac ſi errare eas aliquando labique contigerit, moneantur, & ſubleventur potius fraterne, quàm ita ſerviliter ac durè tractentur. Quo omnibus paulò notius fiat, paſtorem cupere potius & quærere ſalutem ovium, quàm *privata compendia*, ac earum lanam.

Quàm iniquè cauſæ prophanæ in prima inſtantia ad Romanum tribunal Judiciarium trahantur.

9. Quum nedum juris ratio, ſed & reipſa ſeries poſtulet, ut diſtincti ſint juriſdictionum limites, & ut quilibet Ordinarius ſuis ſit finibus contentus, alterumque in exercenda juriſdictione non diſturbet: minimè tamen Pontifices Romani pro tempore exiſtentes, æquitatem hanc communem conſiderarunt, ſed neglecta hac, ad petitionem perſonarum Eccleſiaſticarum, Laicos non rarò in cauſis etiam prophanis, puta hæreditatum, aut pignorum, & in prima quidem inſtantia, coram ſe Romam citari, ac in jus vocari fecerunt. Quæ res nedum ita (ut prædictum eſt) in ius vocatis, ſed & totius Romani Imperii ordinibus, cecidit in jacturam, perniciem, contemptum, ac juriſdictionis dehoneſtationem, diminutionemque.

Item, cum Romæ quiſpiam etiam Laicus, interpoſito juramento aſſerit, ſe non ſperare juſtitiam apud judicem competentem in Germania aſſequi poſſe, protinus ad tale juramentum admittitur, ac citatio ei contra partem adverſam decernitur. Sicque proceſſus à judice ordinario ex Germania Romam, nec judice interpellato, nec parte adverſa monita, protrahitur, inde juramenti prætextu, nec fori declinatio, nec ulla admittitur probatio, etiam ſi planè doceri poſſet, autorem illum pejeraſſe. Quæ res ſi altius radices ageret, nec principiis reſiſteretur, *omnes tandem cauſæ ad Romanæ Curiæ tribunal devolverentur*, ordinariique univerſi ſua privarentur juriſdictione. Quod non ſolum contra omnem juſtitiam, ſed etiam intolerabile foret.

Ea propter ſacri Romani Imperii ſtatus ſanctionem Apoſtolicam rogitant,

ut prædictum onus in Romana Curia posthac non tolerare velit: sed curare,ut dehinc nemo vel Ecclesiasticus,vel secularis,ob causam prophanam,in prima instantia, Romam in jus vocetur : sed personæ & causæ hæ ordinario judici,cui immediatè subjacent, relinquantur, ultraque hoc amplius contra æquitatem non graventur.

De conservatoribus ac cæteris Papalibus judicibus.

11. Item est aliud judicium, Papalium, per quos æquè ordinaria attenuatur jurisdictio,genus,quos Conservatores vulgò vocat: eos Episcopi,cæterique Ecclesiæ Principes,ex Primatibus,vel Abbatibus suæ diœcesis, à sede Apostolica in hoc impetrare solent,ut coram his,omnes illorum causæ & lites,quas jam instituere cogitant, dirimantur: evocenturque per hos in jus personæ seculares,nobiles & plebeii,in causis omnino prophanis, licet actoribus justitia per ordinarium tribunal nunquam fuerit denegata. Quòd si vocati in jus ire recusaverint, ii contra jus ac phas excommunicatione, licet nulla,feriuntur: cujus rei innumera adduci possint exempla. Ac si ut cœpit negotium, procederet, brevi eò rerum veniremus, ut omnes causæ prophanæ, ad conservatores hos,cæterosque judices Ecclesiasticos, Laicis nedum suspectos, sed & alioqui incommodos pertraherentur. Quod ut est intolerabile Germanis Principibus, ita & aperta fronte,cum sacri Romani Imperii pugnat constitutionibus ordinatis, quæ clarè & expressim volunt ac exprimunt, quòd nemo alium ex ordinario ad incompetens tribunal in jus pertrahere debeat. Quapropter Imperii Principes, Proceres, ac Status, sedi Apostolicæ supplicant,ut gravamina atque onera hæc radicitùs funditusq; tollantur & abrogentur.

De Papalibus delegatis ac commissariis.

12. Item san.Pontificia ad Ecclesiasticarum personarum petitionem, judices delegatos & commissarios, tanquam Ecclesiasticos judices, per Germaniam concedere solet, ut impetranres dehinc Laicos, cujuscunque etiam dignitatis,vel præeminentiæ, coram ita delegatis in causis prophanis, judicio convenire possint. Quod ut de facto sæpenumero præsumunt, ita excommunicationis pœna mandatam sibi inter partes jurisdictionem defendere conantur. Quæ omnia & in perniciem personarum secularium, & in jurisdictionis Germanicæ ac ordinariæ jacturam vergunt, & attenuationem.

Quo pacto Ecclesiæ Prælati per sedem Apostolicam ex Episcoporum ordinaria jurisdictione, ac cæterorum suorum defensorum tutela eximantur.

13. Insuper & hoc moliuntur summi Pontifices, monasteria aliquot eximendo ut

ut ab Episcoporum, eorum scilicet ordinariis, ac defensorum, protectorumque aliorum jurisdictione ita exempti, reddantur immunes, immediateque subjaceant sedi Apostolicæ: quæ res non tantum prædictis ipsorum ordinariis ac defensoribus, sed & toti Romano Imperio cedit in jacturam, tum, quando collatio pecuniaria pro Imperii necessitate, viritim Imperii statibus indicitur. Ita enim fit, ut ipsi per se ab oneribus publicis exempti, immunitate sua gaudeant. Dehinc etiam auxiliares manus Episcopis ac defensoribus suis, quod antehac facere necessum habebant, non porrigant; *per quam technam Romani Imperii attenuantur nervi, ac decrescunt plus justo vires.* Quapropter & hic Imperii Proceres ac Status rogant, præfata onera exemptionum abroganda tollenda, emendandaque, ac monasteria hæc Episcoporum & defensorum ordinariæ jurisdictioni relinquenda, ut vel inde *Imperium Romanum per sedem Apostolicam enervatum*, vires pristinas eo celerius recuperare queat.

De attenuatione juris quod vocant Patronatus.

14. Item, quum per mortes possessorum pro tempore beneficia vacare incipiunt, quorum jus patronatus ad Laicos spectat, seu Ecclesiasticos, tum conantur & Papalis sanctitas, & ejus Oratores vel Legati, juri huic derogare, hoc modo: ut conferant Beneficia ita vacantia, Curtisanis, aut aliis quibuscunque libuerit, ita ut Patronis ipsis jus suum præsentandi per hoc adimatur, auferaturque, ac interim hoc prætexitur à sede Apostolica, quasi præventioni hac in re sit locus, ut qui prior beneficium illud contulerit, quod hæc teneat collatio: licet patroni tempus quoddam habeant, intra cujus metas beneficia sua liberè, & à nemine præventi, conferre possint. Eam ob rem Patronis Laicis & Ecclesiasticis ex fictitia hac præventione multa oritur jactura. Quapropter sacri Romani Imperii status sanctitatem Apostolicam rogitant, ut talia Gravamina atque onera aboleantur: & posthac Beneficia vacatura, suo quæque patrono relinquantur: nec permittendum Curtisanis, ut dehinc vel per judiciorum ordinem, vel suopte ingenio ad talia beneficia se ingerant: sed statuto irrevocabili sanciendum, si quid à quoquam contra patronos beneficiorum ordinarios, prætextu imaginarii istius juris præventionis, ut præmittitur, fuerit attentatum, quod omne id nullius sit momenti, viribus careat, sitque ipso jure nullum, cassum, & invalidum.

De Ecclesiasticis, qui Romæ, vel inter eundum Romam, mortem oppetunt.

15. Item, & tum Curtisanis, cæterisq; (ut prædictum est) inhabilibus personis, per sedem Apostolicam vacantia collata sunt officia & beneficia, cum familiares

ſanctitatis ſuę; aut qui curiæ ſervirent, vel in anno (quod vocant) Iubilæo, inter eundum Romam, aut etiam Romæ agentes, mortem oppetiiſſent, tanquam ſi beneficia hæc ſedi Apoſtolicæ eſſent commiſſa, rectè atque feudorum collatio committitur. Nec conſideratur à Pontificia ſanctitate, talia beneficia vel officia de jure Patronatus, ſint necne, per quod *Eccleſiaſtici & Laici Patroni feudatarii, denuò etiam jure ſuo Patronatus ordinario privati ſunt*, & ſpoliati.

Quin etiam aliquando, quum ii qui bonis, aut multis præditi ſunt beneficiis, Romam veniunt, *à Curialibus Cardinalium tanquam officii gratia ad menſam invitantur Dominorum ſuorum, inde clam adhibentur teſtes & Notarius, quorum interventu conficiuntur inſtrumenta*, quibus cum ſuo tempore probari poſſit, tales fuiſſe *Curiales Cardinalium*, ac ideo beneficia eorum eſſe in perpetuum affecta. Quàm *doli ac fraudis res hæc ſit plena*, unuſquiſque bonus facilè perpendere poteſt.

Quo pacto ſub prætextu familiaritatis Papalis curiæ multorum beneficiorum per Curtiſanos impugnetur collatio, etiamſi poſſeſſores illorum longè antehac talibus fuerint beneficiis inveſtiti.

17. Nec minus & illud ſuetum hucuſque fuit, ut ultra prædicta omnia, quorundam magni penſi beneficiorum, ſub nomine Officialium vel familiarium Papæ & curiæ Papalis, per idiotas, & alioqui inhabiles perſonas ſit impugnata collatio: ac per illos conatum, tentatumque ſi quo modo fieri poſſet, *ut beneficia hæc in Commendas ſeu Proviſiones* (ita enim ipſi vocant) *vertere, ac cenſibus annuis obnoxia reddere queant*; hinc prætendentes, *regreſſus, reſervationes, penſiones, & plura alia incompatibilia, ſibi in his competere.* Quibus *technis ac dolis malis, beneficia illa penitus exiguntur, enervanturq́, cum perpetuò Romanæ Curiæ penſionibus annuis ſerviunt:* fitq; ut Germanorum utcunq; habilium, nemo unquam ad hæc aſpirare poſſit.

18. Item, obviam veniunt & tum Germanis non ferenda à Curtiſanis onera. Ita enim per Germaniam *ſubtili ingenio* beneficia *venantur*, ut conentur viris presbyteris ætate & integritate vitæ ſpectabilibus, qui beneficia ſua abſque omni controverſia, juſto titulo, & bona fide, multos jam annos quietè poſſederant, in longæva poſſeſſione negotium facere, poſſeſſionem interturbare, ad Romanam curiam perſonaliter ut compareant, in jus vocare, ac mille aliis artibus ita eos adigere, ut tranſactiones quantumvis iniquas inire neceſſum habeant, modò ſupremos hos annos quietè agere velint. *Coguntur enim hoc quo dictum eſt modo a Curtiſanis ad penſiones annuas, reſervata, & id genus alias præſtationes.* Atque hoc agunt Curtiſani nebulones, non propria (ut ferunt) authoritate, ſed Romanorum ſuorum ſtatutorum, ac regularum, quas vocant, *Cancellariæ*. Quæ conſtitutiones omnes quotidie pro libidine Curtiſanorum figuntur ac refiguntur, cum derogatur prioribus non admodum, ut videbatur, æquis, & ferunt iniquiores. Quare nedum ſenio con-

ffectis beneficiorum possessoribus harum decipularum atque fraudum rudibus, sed & beneficiorum collatoribus imponunt mille instructi dolis Curtisani. Nam & si possidens beneficium Presbyter, cum Curtisano litigatore fictitio non transigat, tamen ita sibi litem facit præstigiator ille Curtisanus; ut si pendente efficta hac controversia moriatur beneficii (ut prædictum est) litigiosi possessor, quòd de hinc continuò litem faciens, neglecto collatoris ordinario jure, in possessionem ejus beneficii mittatur. Eapropter denuò atque iterum Sac. Rom. Imperii status sanctitati Apostolicæ fundunt preces, velit enumerata omnia Curtisanorum importabilia onera emendare, ac penitus abrogare: neve illis posthac permittere, ut beneficia Germanorum libera, per machinationes præfatas oppugnare impunè audeant.

Quomodo provisiones Ecclesiasticarum dignitatum Romam pertrahantur.

19. Item, quæcumque dignitates, seu beneficia pinguia, utputa Præposituræ, Decanatus, Cantoratus, ac cætera officia, Canonicatus Ecclesiæ, curatę, & beneficia simplicia, quæ sub mense ordinario, extra Romana mœnia vacare incipiunt, quorum antehac ad jus ordinarium, patronatus Ecclesiasticorum & Laicorum spectabat collatio & electio, tum excogitatur à Romana sede juris patronatus ab ordinariis collatoribus abalienatio, maximè si possessores pristini beneficiorum, aut officiorum dignitatumve talium, familiares vel officiales Papæ aut Cardinalium fuerunt. Ideo rogant Romani Imperii Status, prædictum etiam onus è medio tollendum, ac patronos collatores ordinarios apud collationem, electionem, præsentationem, & nominationem talium dignitatum ac beneficiorum, jura scilicet ordinaria, defendendos, ac defensos manutenendos. Nec curandum, utrum familiares, vel officiales Romanæ curiæ fuerint, qui beneficia hæc possederint, regressum, accessumve, aut aliud quoddam jus imaginarium ad ea habuerint, ita quod tale jus prætentum ordinario patrono, ac collatori, nunc & posthac nullum faciat præjudicium, nullamq; generet jacturam, sed per omnia jura ordinaria sinantur illæsa.

De regulis cancellariæ Papalis, novis technis & reservatis super casibus futuris.

20. Adhæc Cancellariæ Romanæ regulæ, quas ad sua compendia subinde excogitare solent Curtisani, ac toties ferre ac revocare, nec non & *aliæ subinde novæ artes excogitari cœperunt, quibus beneficia Ecclesiastica ex Germania Romam eò facilius pertrahantur, aggravarenturq;* ita, ut si Germanorum quispiam beneficiorum aliquod ambiat, id quod non aliunde quàm ex Curtisanorum manu, *magna numerata pecunia, aut pensione annua reservata* assequi possit. Neque in hoc Curtisanorum inexplebilis auri sitis contenta quiescit, quin novas quotidie artes excogi-

tet: qualis est & illa, cum super beneficio aliquo vacaturo, *duo aut tria millia aureorum* ad futuros casus reservantur collatoribus ordinariis, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, eorumque juri ordinario, ac ipsis denique Ecclesiasticis beneficiis *in prægrande exitium, perniciem, attenuationem, & detrimentum.* Nam cum casus aliquis futurarum reservationum existit, adsequiturque is beneficium, cui prius tot reservata erant super hoc millia, tum ad supremam opem, technas profectò inauditas confingunt, permutationum scilicet reservationem, surrogationem, reservantes sibi ingressum, accessum, atque alias id genus decipulas, quibus jus ordinarium collatorum ita exhauritur & attenuatur, ut aut nunquam, aut vix tandem post multorum annorum curricula patroni ac collatores ordinarii ad jus suum patronatus pervenire possint.

De *Ecclesiasticis beneficiis, curatis & non curatis, in genere.*

21. Nec minus & illud in Romana curia hucusque observatum est, ut gratiæ & reservationes pectorales, mentales, generales & speciales regressus, accessus, incorporationes, uniones, & concordata, quod suis vocant excogitatis nominibus, *ob pecuniæ & privati lucri amorem* super beneficiis ac prælaturis, præsertim per Germaniam, Curtisanis à sede Romana concederentur. Neque hoc contentus fuit *habendi sceleratus amor*, quin & ea ipsa beneficia ac prælaturæ prædictæ, societatibus *mercatorum potentum ære*, cum onere census mediocris, sed ita, ut dehinc latius venderentur, conceduntur. Qua subtili practica atque techna factum est, quod plurima, aut certè pinguium beneficiorum magna, si non maxima portio, ex Germanorum manu Romam est translata: quæ beneficia hinc idiotis inidoneis, ac inhonestis etiam personis, non rarò sunt collata: & quidem nec Germanis, sed Barbaris, qui Germanam linguam neque loquantur, nec intelligant, ut inauditum dictu hoc inde sit sequutum, quod ovibus Christi præfecti sunt pastores, quorum etsi oves vocem fortè audierint, non intelligant. Verùm gravius etiam inde oritur Germanis onus, quòd quum beneficia hæc & parrochiales Ecclesiæ ipsi propria persona neque possidere, neque gubernare possunt (quod tamen pastoris officium inprimis sibi postulabat) nimirum ut subditis parochialibus, & integritate ac innocentia morum, egregium de se præberent exemplum, ut oves suas tanquam oves Christi, doctrina solida, syncera, ac ex puris Evangelii fontibus hausta, quantum ad salutem animarum ovium pertineret, ipsi Pastores me pascerent. Eorum verò neutrum per Pastores illos subdititios curatur.

Primùm

Primùm enim ipsi qui beneficia hæc Ecclesiastica à mercatoribus, quo prædictum est assequuntur mundo, quia propria persona ad possidendum ea sunt minus idonei: ideo hæc eadem aliis æquè, aut longè etiam quàm sint, ad onus hoc inhabilioribus, pro annuo censu locant, non secus atque census ac redditus annui ex agris locantur & emuntur, *ut is demum habeatur emptor idoneus, quis pluris mercem licitaverit. Ita planè pro precii quantitate elocantur nunc per Curtisanos Ecclesiastica beneficia.* Dehinc quum ferè fiat, ut majus precium annuum offerat, qui ad Ecclesiæ munus quàm minimum sit idoneus, evenit, ut conductitii illi pastores (an prædones rectius quis eos dixerit, dubium est) simplici Christi plebeculæ pro Evangelii limpidissimo fonte turbidas, protritas, ac ruderibus oppletas propinent lacunas, dum Legendas quas vocant sanctorum, nec ab Ecclesia receptas, & Gentilibus fabulis quàm Christianæ & Evangelicæ doctrinæ similiores, ad populum Christi publicè in concione docent. Quid enim aliud docerent indoctè docti, ac idiotæ illi, *qui lanam magis quàm salutem ovium ut curarent, munus hoc Ecclesiasticum pecunia etiam non modica conduxerunt? ac* mercenarii *sunt, non* (quod Evangelium abominatur) *Pastores.* Ita enim fit, ut Christi simplex plebecula, per suppositios hos Pastores, à germana Christi fide, ac in Deum fiducia, in quibus sola requiescit animæ salus, ad hominum superstitiosa somnia ac commenta, per quæ res familiaris mercenariorum conductitiorum potius, quàm Christi gloria augeatur ducatur trahaturque: ac multiplicibus etiam exactionibus interim gravetur plebs Christi quando hoc solum curant conductores, ut ultra pensionem locatori pendendam, res ipsa eorum quoque reddatur lautior: *expilaturq; interea suis nummis ab exteris nationibus, unde nulla, nec mutua benevolentia aut gratiarum actio speranda ei est Germania:* quanquam beneficia hæc non ad exteros, sed suos, hoc est Germanos, ut pertinerent, primùm fundaverit.

Quapropter sacri Romani Imperii status obnixè quoque rogant, ut præfata onera ac gravamina, per quæ *tam immenso pecuniarum cumulo spoliatur Germania,* quæ hinc per Curtisanos malè prodigitur, radicitus ac penitus tollantur & auferantur, ita ut beneficia per Germaniam nemini, quàm natis Germanis, qui personaliter ea possideant (id quod & æquitas & honestas ipsa sibi postulant) posthac conferantur ac concedantur.

Quibus nexibus Archiepiscopi ac Episcopi à suis capitulis ob collationem beneficiorum sint adstricti.

22. Nec tantum beneficia ac parochiales Ecclesiæ Romæ ob pecuniæ favoris aut familiaris consuetudinis amorem, indoctis, turpibus, ridiculis, ac offendiculorum plenis conferuntur personis: sed & simile quiddam ab Archiepiscopis & Episcopis committitur, qui per eorum capitulares congregationes ita obligantur,

ut omnia præpinguia beneficia, curata ac non curata (quæ proculdubiò à fundatoribus primum, ut ad doctos ac integros pertinerent viros, sunt fundata) Capitularibus Canonicis, utcunque ad hoc inidoneis, conferre necessum habeant: qui dehinc talia beneficia simplicia ac curata, indoctis ac ludicris personis, *modò quàm maximum pendeant censum annuum*, elocant, æquè atque suprà de mercatorum societatibus dictum est: ita quod possessores illi conductitii, majorem partem ex illicitis exactionibus vivere, atque ob id subditos eò amplius onerare coguntur. Similiter & cum cæteris cathedralibus collegiatisq; Ecclesiis, ac earum capitulis agitur. Item & per præpositos, reliquosque in dignitate constitutos agitur idem, interim dum sua conferunt beneficia Ecclesiastica.

23. Præterea, qui pinguiora (ita ut prædictum est) habent beneficia, ac Ecclesias parochiales, utcunque annuas pensiones amplissimas ex locationis titulo, à conductoribus percipiant, quibus redditibus à Laicis fundatoribus beneficia hæc ampliter sunt dotata, tamen committunt locatores, ut domus beneficiariæ, præ neglecta ædificiorum cura, penitus collabantur. Nihil enim aliud curant beneficiorum personati isti possessores, aut locatores, *quàm ut pecunia æquo majorem summam quotannis à conductoribus recipiant ac eandem hinc in varios, sed inhonestos, illicitos, ac offendiculorum peccatorumq; plenos usus convertant*, de salute & cura animarum, vel subditorum, vel etiam eorum, quorum ex marsupio vivunt, hoc est, fundatorum, prorsus apud hos nulla mentio, respectus (velut Megarensium olim) planè nullus. Eapropter S. Rom. Imp. Status, ac Principes, & Proceres Laici, hic quoque supplicant, sanctitas Pontificia velit eam offendiculorum sylvam, turbatum rerum ordinem, ac onera hæc justo graviora, tollere, emendareque: ac Archiepiscopos, Episcoposque, ab obligatione, qua ex promissionis prædictæ nexu tenentur, liberare, solutosque reddere: ac edicto cavere, ne posthac Archiepiscopi & Episcopi, talibus astringantur vinculis: sed ut dehinc nulli beneficium Ecclesiasticum, curam habens animarum, conferatur, qui non sit doctrina, ætateque & moribus ad hoc idoneus: qui & honestam, ac Presbytero dignam vivat vitam, & qui ipse propria illud possideat persona; nec plura quidem, sed unum tantum beneficium curatum, seu parochialem Ecclesiam, Christianè, hoc est, sine offendiculis ullis, sed multo cùm doctrinæ tum vitæ integritatis fructu administret.

De Prælaturarum Commendis, ut vocant, & Incorporationibus.

24. Item & illud hucusque notoriè observatum fuit, ut Abbatiæ multæ, cœnobia item plura, ac reliquæ id genus domus, seu Ecclesiasticarum personarum congregationes, fundationes scilicet Imperatoriæ ac principales, Cardinalibus, Episcopis, ac cæteris Prælatis, in tutelam comendarentur, incorporenturq;. Quare factum

factum eſt,ut per Cardinales,Epiſcopos,ac Prælatos illos,quibus ita (ut dictum eſt) comendatæ erant Abbatiæ ac Monaſteria, *ita ſunt attenuata,exhauſtaq́;, quod cum antehac in uno Monaſteriorum quadraginta,quinquaginta,aut ultra hoc etiam perſonæ ſatis commodè potuerunt foveri,ut nunc ægrè, quinque,ſex aut decem neceſſariis provideri poſſit alimentis. Quæ res omnis* in privata compendia aut commoda Cardinalium *eſt excogitata.* Vnde nedum plura oriuntur offendicula,ſed & gravamina oneraq́; ardua, ac non ferenda Germanis. Ideoq́; & hic ſupplicatur, Abbatias prædictas,monaſteria,ac religioſas cæteras domus, denuò in integrum jus eorum, priſtinumq́; rerum ſtatum reſtituendas: cavendumq́; poſthac, ne cuiquam tales Commendæ,ut vocant, ſeu incorporationes, concedantur.

De Collegiatis Eccleſiis, quæ ſuper nobilibus tantum fundatæ ſunt.

25. Inſuper, licet quædam ſint collegiatæ Eccleſiæ per Germaniam, quæ à nobilibus, & in hoc ut nobiles tantum ſummæ atque mediæ ſortis ad eas reciperentur, primùm ſunt fundatæ, in quibus per diutinæ,obſervatæ ac præſcriptæ conſuetudinis Privilegium eſt,ut tantum Principes, Comites, Barones,aut alioqui Nobiles acceptari poſſunt & debent: attamen laudabiles hæ conſuetudines, jura non ſcripta, Privilegia Papalia, nequaquam curantur,manutenentúrve,ſed è regione agitur per Curtiſanos, ad liberæ electionis Epiſcoporum, Præpoſitorum, ac Decanorum & Canonicorum præpeditionem, ut Coadjutores alioqui contra Capitularium voluntatem ac conſenſum efficiantur. Nec rarò Curtiſanis, licet indoctis & ignobilibus, parantur ad Canonicatus hujuſcemodi acceſſus: non obſtantibus ſtatutis & conſuetudinibus, & Privilegiis præſcriptis, ita quod nobilibus Germanis beneficia ſubtrahantur, & hæc eadem ignobilibus *vel ob pecuniam,* vel familiarem conſuetudinem hoc pacto conferuntur, ut licet impetrantes ignobiles ad ea non admittantur, obſtante ſibi conſuetudine,tamen ſi quis Principum, Comitum, Baronum, Nobiliúmve hæc eadem à Curtiſanis impetrare velit, *cum colore quodam excogitati oneris, ab eiſdem vel emere,vel annuo cenſu redimere cogitur.* quanquam ſubinde alia huic negotio prætexantur vocabula, quæ res ipſa quoque nobilibus Germaniæ, ſupremæ atque mediæ conditionis, in magnum cedit onerum ac gravaminum cumulum.

Inveterata Privilegia manutenenda.

26. Adhæc, quamvis omnia Eccleſiaſticis ac Laicis ſtatibus Privilegia ac immunitates ſint conceſſæ,Præpoſituras, aliaq́; beneficia & officia per ſe conferendi atque eligendi; attamen per ſedem Romanam novæ ſubinde excogitatæ ſunt technæ ac practicæ, per quas Privilegiis prædictis derogatur multifariam, imò

ea pe-

ea penitus tolluntur ac turbantur. Eapropter rogant ſacri Romani Imperii Status, hoc emendandum: & in poſterum cavendum, ac unumquenque cum ſuis viribus & Privilegiis defendendum, manutenendumque. Id quod rei æquitas ipſa per ſe ſibi poſtulat.

De Annatis.

27. Quantum ad Annatas (ut vocant) attinet, quas Eccleſiaſtici Prælati, Romano Pontifici quotannis pendunt, quasque *ante aliquot annos Germani Principes ſedi Rom. ſub certis uſque annorum metis*, eo tamen modo perſolverentur, conſenſerunt, *quo pecunia hæc ad nihil aliud quàm contra Turcas parandam defenſionem Romæ tanquam depoſita, fideliter adſervaretur.* Verùm quum anni, in quos præfato modo conſenſum erat per Germanos, jam olim effluxerint, *ac Annatas depenſas non contra Turcas, ſed aliò experientia Germani Principes didicerint verſas*: eapropter per omnes Imperii ordines illud ipſum pro onere non mediocri huc allegatur, ſupplicaturque, id quod in reſponſione generali oratori Pontificio data, ac in primis ex Cæſ. Majeſt. literis ad ſanctitatem Pontificiam eam ob rem ſcriptis, liquidò magis reperitur, quam ob cauſam Laici ſtatus Romani Imperii vela complicanda cenſuerunt.

De contributione Eccleſiaſticorum, ac religioſarum domuum, contra Turcas, ac pro defenſione juris & tranquillitatis publicæ.

28. Item, poſtquam Laicorum Imperii ſtatuum majores Eccleſias, monaſteria, cæterasque religioſas domos, per Germaniam, ad laudem omnipotentis ita ampliter atque hoc pacto dotarunt, divitiisque auxerunt, quod jam Laici ipſi vix tertiam aut quartam partes in bonis temporalibus poſſident, atque ob eam cauſam neceſſitati tam Eccleſiaſticorum quàm Laicorum ſublevandæ, propugnandæque, ac manu defendendæ paci ac juri publicis, nec non & in Turcas, cæterosq; Eccleſiæ Catholicæ ac Sac. Rom. Imp. hoſtes parandæ expeditioni, præ rerum inopia vires minus ſuppetunt: ideo negotii ipſius exigit neceſſitas, æquitasque, quod ſanctitas Pontificia ita æquè ac paternè rem temperet, ut Eccleſiaſtici etiam tanquam qui ampliores poſſident divitias, nedum contra Turcas ad ferendum opem teneantur auxiliares porrigere manus, ſed ad tuendum jus publicum, ac tranquillum Reipub. Chriſtianæ ſtatum, quotannis pecuniæ quippiam contribuendum, ita quod Archiepiſcopi & Epiſcopi Eccleſiaſticis Prælatis ac perſonis ſuæ ditioni ſubjectis, ipſi ſoli ad ferendum hanc opem, contributionem prædictam indicere, jus ac poteſtatem habeant.

29. Atque illud eo moderamine agatur, ut Electores, cæterique Principes

& Ma-

& Magiſtratus Laici ab Eccleſiaſticis Proceribus, in eorum Principatibus, Comitatibus, oppidis, ac territoriis, in exercenda juriſdictione non perturbentur, aut præpediantur. Nempe hac re fiet, quod Laici inter Eccleſiaſticos jus ac tranquillitatem publicam tueri, & Eccleſiaſtici ſub Laicis degentes, eò facilius ac commodius etiam jus quemque ſuum defendere ac manu tenere poterunt, cum Eccleſiaſtici paria onera unà cum Laicis Magiſtratibus ac Gubernatoribus Provinciarum ferre & contribuere jubebuntur, quemadmodum ad idipſum ex Chriſtiana & germana charitate, ac ob æquitatem paritatemq; ſervandam alioqui tenentur, obligatique ſunt.

30. Et quando quidem omnes Eccleſiaſtici in primis ac præcipuè, meritò pro viribus contra Turcas, tanquam hoſtes Chriſtianæ fidei, ad ferendam opem, parandam defenſionem recuperandumque manu, quas olim credulis ille ferro ſubjugarat Chriſtianorum Provincias, teneantur: eam ob rem pro licito, bono, ac pariter Chriſtianæ Reipub. utili & neceſſario viſum placitumque eſt, ut ſi quando exigere id neceſſitas videbitur, quod mundus & precioſior ſuppellex Eccleſiarum cathedralium, Monaſteriorum, cæterarumque Eccleſiarum ac religioſarum domuum, auri, argenti, unionum, aliorumque precioſorum lapillorum, denique & campanarum pars non neceſſaria, pro communi Chriſtianæ Reipub. utilitate in medium conferatur, ne theſaurus ille Eccleſiæ Turcis potius quàm nobis cuſtodiatur, adſervetúrve, id quod & per Græciæ regnum jam olim uſu veniſſe experientia ipſa docuit. Quæ res Turcis magno ceſſit lucro, præſidioque quando reperto hoc Eccleſiæ mundo, ſeu theſauro, militibus ſuis comparare potuerunt uberiorem commeatum, ut etiam inſtructiores hinc cæteras Chriſtianorum urbes oppugnarent, ac Provincias.

Vt perſonæ Eccleſiaſticæ ob perpetrata maleficia commeritam nullam luant pœnam.

31. Item, quicunque Eccleſiaſticos recipit ordines, majores ſeu minores, per hoc omnium pœnarum magiſtratuum ſecularium, utcunque magna perpetret maleficia immunis eſſe contendit. Neque hoc ita ordinati temerè præſumunt, quod ab Eccleſiaſticis ſummæ conditionis ſtatibus in peccandi hac licentia manu teneantur. Sæpenumero enim compertum eſt, ut quum ita conſecratis, præſertim Sacerdotibus, per jura Canonica legitimæ uxores ſint interdictæ, quod dehinc pudicitiam matronarum, virginum, Laicorum ſcilicet uxorum, filiarum, ſororumque attentant, ac noctu interdiuque ſollicitant. Efficiunt quoque per aſſiduum ac indefeſſum laborem, partim muneribus, donis ac blanditiis, ut complures honeſtæ alioqui virgines, & matronæ, partim etiam in ſecretis (quas vocant) confeſſionibus, id quod eventu ipſo compertum eſt, diuturna opera labefa-

befa-

befactentur, ad peccata, offendiculaque commoveantur. Nec rarò etiam evenit, ut hi, uxores, ac filias, maritis patribusque detineant, & remorentur, minantes interim, gladio, aqua, ignive, ulturos repetitas uxores, atque tantorum malorum segetem ex libidine insana contrahunt, mirum quid latrociniis, homicidiis, innocentum delatione, igni, rapina, furto, falsa cudendo numismata, ac mille scelerum formis, interim contra divina humanaque jura omnia, non sine magno etiam aliorum offendiculo, liberrimè ac impunè quotidie committunt. Nempe immunitate ac peccandi sua licentia, quam ex Privilegiis canonum sibi usurparunt, in hoc freti. Cùm enim & semel compertum habent, licere eis impunè quicquid libuerit, tum nedum magistratibus civilibus, sed & suis Episcopis ac superioribus medium ostendunt unguem, quodcunque illi vel jubeant, vel vetent. Et tandem ut in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc foveantur, præter omnem æquitatis rationem, aliquatenus interdictum est Archiepiscopis, & Episcopis, ne malefactores hos publicè criminali judicio reos agere possint, nisi prius degradatos: id quod tantis sumptibus, tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea perquàm rarissimè uncti illi malefactores merita plectantur pœna. Adhæc astringuntur, obliganturque Episcopi per sua Capitula, ut personas in sacris ordinibus, quod dicitur, constitutas, secundum Canonica etiam jura, pœnis utcunque levibus, punire, affligereque non audeant. Quæ res tota eò spectat, ut ex disparitate hac, inter Laicos ac Ecclesiasticos, simultates, dissidia, atq; odia plus quàm Vatiniana oriantur.

32. Illud quoque non mediocriter timendum est, ut si personæ Ecclesiasticæ, jam dicti oneris, aliorumque maleficiorum causa, quæ quotidie perpetrare pergunt, non æqua jura, judices æquos paresque pœnas habeant, quod eorum vita offendiculosa apud Laicorum vulgus tumultum quempiam, seditionemque pergrandem, nedum contra ipsos Ecclesiasticos scilicet, sed & contra Magistratus ac superiores omnes, quod impunita sinant maleficia tam notoria, commotura, excitaturaque sint.

33. Quapropter necessitas, æquitasq; ipsa sibi postulant, ut Ecclesiasticarum personarum prædicta præsumpta Privilegia abrogentur, aboleantur, è medio tollanturque: ac illarum gratia finaliter sanciatur, caveatur, ac statuatur, quod ordinati in majoribus vel minoribus constituti, unà cum personis laicis, æqua habeant jura, æquos judices, paresq; pœnas, ita quòd Ecclesiastici ultra laicos, in paribus delictis, nullam prætendere possint prærogativam, immunitatemve: sed ut quisq; delinquentium Ecclesiasticorum sub quo deliquit judice, ob commissum suum maleficium, secundum delicti qualitatem ac mensuram, nō secus atq; alii malefactores, pœna à jure communi Imperii imposita delicto, commensurataque, plecti, puniri, & affici possit atque debeat. Id quod verè Ecclesiasticis, hoc est probis & eruditis viris, dubiò procul impendio magis arridebit, tantum abest, ut per hoc lædi jus eo-

rum putent. Hac re namq; fiet, ut titulo tantum Ecclesiastici, alioqui improbi nebulones, ad obedientiam majoribus debitam, ac ad benè honesteque vivendum compellentur. Adhæc seditiones, simultatesq; inter eos atq; laicos præcaveantur, evitentur. Deniq; & hoc ipso laici ad observandum, colendumque, integræ vitæ Ecclesiasticos eò magis invitabuntur, permovebunturque.

De onere Banni, seu excommunicationis.

34. Item Romæ cæterisq; in locis per Archiepiscopos ac Episcopos, aut certè eorum Ecclesiasticos judices, multi Christianorum ob causas prophanas, *ob pecuniæ denique ac turpis quæstus amorem* excommunicantur; multorumque, sed eorum in fide infirmorum conscientiæ per hoc aggravantur, & in desperationem pertrahuntur: ac denique *ob pecuniæ, lucrive tantulum, aut alioqui res minimi pretii, ad internecionem usque animæ, corporis, honoris, atque rei familiaris*, contra divina humanaque jura perducuntur. Quando nemo, nisi ob convictum hæreseos crimen, excommunicationis gladio feriendus, aut pro secluso à Christiana Catholicaque Ecclesia, sacris literis testantibus, reputandus est. Eapropter S. Rom. Imper. Principes, Proceres ac status Laici rogant, ut Pontificia sanct. tanquam fidus, Christianus, ac pius pater, velit præfatum onus Banni, seu excommunicationis, apud sedem Romanam penitus abolere, ac apud cæteros Archiepiscopos, Episcopos, & eorum judices Ecclesiasticos ablegare, tollere, & denique ita sancire, cavereque, ut nemo ullam ob causam, quàm manifestum ac convictum hæreseos crimen, & quantum ad sacrosanctam Christi fidem attineret, excommunicationis fulmine feriatur, aut pro secluso à Christiana ac Catholica Ecclesia habeatur. Periniquum siquidem est, fideles Christi ob temporalium bonorum, lucrive, aut denique ullam aliam humanarum constitutionum transgressionem, excepta hæresis perfidia, à Deo optimo maximo, suaque Ecclesia Catholica excludi, sejungi, separarique.

Quo pacto multi cohabitatores oppidorum excommunicati & ipsi utcunq; innocentes excommunicantur.

35. Item & illud in plerisque sæpiusculè evenit, quod vicinorum excommunicati decem & eo amplius, quos tamen causa nihil omnino contingit, cum ipso principali excommunicationis pœna aggravantur, & non ob aliud, quàm ut *Officiales, Ecclesiastici scilicet judices, facilius, citiusq; pro libidine sua miseram plebeculam depeculentur, ac pro suo libitu eorum abutantur simplicitate, ipsosq; principales ad quascunq; etiam iniquas acceptandas transactiones per hoc compellant, adigantq;*. Nam etiamsi excomunicatus ipse, unà cũ uxore, liberisq; suis, per intolerabile hoc & ini-

quiſſimum banni onus, in exilium ire cogatur, quod hac in re nullus ſit officialibus modus, neque finis, neque ulla facultatum ratio: tamen nullus eſt hominibus illis reſpectus, num induſtria, datáve ad hoc opera, & per contemptum, an neceſſitate ita impellente, vel caſu potius, vicini cohabitatores, cum excommunicato ipſo participarint, commerciúmve habuerint, aut ſufficiensne hæc fuerit concivibus cauſa, quare excommunicatum meritò ſolum vertere juſſiſſe debuerant, horum penſi habetur nullum. Sed *unum curatur hoc per Officiales, ut quouſque principalis ipſe excommunicatus ſolvendo non eſt, concives ac vicini ſui, utut culpa vacent, ad ſolutionem tamen quod ſupereſt debiti cogantur.* Quod ſi aliquando officialibus in os obtrudatur, contra domeſtica, nempe Canonica ſua, eos hoc moliri jura, quæ pecuniæ cauſa quempiam excommunicari, aut interdictum edici vetent: nihilominus tamen idipſum conantur, cauſantes interim, non ob pecuniam, ſed contumaciam, quæ tantò ſit major, quantò unde ſibi originem ducit, minorem habeat cauſam, tales excommunicari, atque hac decipula, *avaritiam ſuam Officiales nugando contegere nituntur.*

Item & de illicitis interdictis.

36. Præterea, quum Sacerdos, aut alioqui Eccleſiaſtica perſona caſu occiditur, tum nedum occiſor excommunicatur, ſed & totum oppidum, aut totus pagus iniquiſſimè interdicitur: quod interdictum eò uſque durat, tamque diu interrupta pendent publica Chriſtianorum officia, quouſque vel occiſor, vel tota incolarum ejus loci communitas *fecerint homicidii compenſationem*, homicidiumque expiarint: non conſiderato eo, dederítne occaſionem, aut ſe geſſerit probè, vel nequiter verſatus fuerit occiſus Sacerdos, vel aliàs Eccleſiaſtici ordinis aſſcriptus, licet jura Canonica ipſa in quibuſdam caſibus, modum negotio præſcribant; prægravantúrque itaque ex delicto unius, centum alii nihil tale commeriti: nedum contra communem æquitatem, ſed & contra omnia divina & humana jura.

De abrogatione feriarum aliquot dierum.

37. Inſuper & feriarum, feſtorumque dierum tanta copia Laicorum vulgus non mediocriter urgetur. Nimirum, quum tot ſint religioſi facti dies, ut vix ægrè tempus agricolis ſuppetat, quo fructus agri, tot ſudoribus è terra pellectos, aliquando aqua, pluvia, immodicóve æſtu, non rarò etiam grandíne, aliáve tempeſtate periclitantes, in horrea conferant: quos tamen fructus, ſi non feriarum ſolennibus præpediti forent, commodè ac citra jacturam ex agro legere, domumq; ferre potuiſſent. Adde, quod feriatis quoque diebus, qui dubiò procul bono con-

no consilio, ac in Dei Opt. Max. honorem, primùm benè sunt feriati, innumera perpetrantur delicta, peccataque & scelera, potius quàm his omnipotens colatur, venereturve. Id quod res ipsa notorium facit; tantum abest, ut testibus hoc egeat. Eamque ob causam Sac. Rom. Imp. Status Laici consultius putant, ac reip. Christianæ conducibilius, si effrenis feriarum (quæ animis, quàm externo cultu, Christianis, hoc est his quibus à peccatis semper feriandum est, rectius celebrantur) festorumque dierum numerus paulò coerceatur in arctum, minuaturque.

De Domibus ordinum militarium, ac baliviis (ut vocant) per Apuliam, Siciliamq; ordini militari Teutonicorum vi doloq; Germanorum ditioni ereptis.

38. Item, licet Dominis ordinis divæ Mariæ virginis (quos vulgò fratrum Teutonicorum vocant) ex liberalitate Romanorum Imperatorum celeberrimæ memoriæ, item & Principum, Comitum, & Baronum, in eos collata, cæterorumque nobilium contributa actione, certa bona temporalia, ac redditus & census annui, per Apuliam, Siciliam, reliquamque Italiam, empti sint atque adaucti, non ob aliud, quàm ut contra hostes Christianæ Religionis, ad pugnam instructiores forent, haberentq; Germani nobiles pariter & fidei Catholicæ propugnatores, unde commodius & honestius vitam militiæ semper paratam vivere possent, ea ex bonorum asse præfecturæ ejus ordinis aliquot (quas vulgò Balivias, ac à commeatu ordini parando, commeaturas vocant) distinctæ sunt, & disterminatæ per classes, quas & quietè sine cujuspiam turbatione per multa secula possederunt, usurparuntque. Attamen *per præcedentes Romanos Pontifices Ordini prædicto bona talia erepta*, ac Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopisque, illisq; nec Germanis, nec præfati ordinis militari existentibus, collata traditaque sunt. Quemadmodum & in hunc usque diem militaris Germanorum ordo his ipsis spoliatus, carere cogitur. Insuper priores Rom. Pontifices domus ordinis supradicti locatas, nato Italo, nempe Hieronymo Veneto tradiderunt, ac concesserunt, eumque ordinis sæpe dicti insignibus decorarunt, contra Romanorum licet Pontificum ac Imperatorum statuta & privilegia toties antehac per eorum prædecessores roborata, quibus ad Germanos tantum ordinis milites ut hæc omnia pertinerent, cautum, sancitumque est.

Deinde & Romanenses Curtisani, ordinis suprà memorati Domos per Italiam, *Bononiæ* puta, Papalibus bullis ac provisionibus attentare conati sunt, quo facto ordinem ad ligandum secum Romæ coegerunt. Id quod non ad mediocrem perniciem & ipsius ordinis, & totius Germanicæ vergit Nationis. Demum Germanis Stablore quoque divi Benedicti monasterium, contra fundationis quanquam jura superioribus paucis equidem annis ereptum est, ac in commendam (ut

ajunt) Cardinali Columnæ collatum, quæ omnia in perniciem tendunt, ac irrecuperabile Germanicæ Nationis detrimentum: attentatumque est, quicquid id est, contra jus & fas, ac æquitatem omnem. Eapropter Imperii status hic quoque rogant sanctitas Pontificia velit militari Teutonicorum ordini, *bona erepta, censusq; & redditus ablatos*, absque ulteriore mora confestim reddere, ac restituere: aut id ipsum, & quantò citius fiat, mandare, curareve, quemadmodum juris, bonique & æqui ratio hoc sibi postulat.

De oneribus sacri Romani Imperii Statuum Laicorum, contra Archiepiscopos, Episcopos, cæterosq; Prælatos Ecclesiasticos, eorum quoq; capitula, ac suffectos judices, quos vocant Ecclesiasticos.

39. Præter onera supra memorata, Archiepiscoporum, Episcoporum & Prælatorum, quòd ii (ut prædictum est) à sede Romana conservatores delegatos, atque id genus alios plerosque Ecclesiasticos impetrant judices, per quos Laici non ferendis aggravantur modis, quòd non omnino infrequenter evenit, ut Laici in periculum ac perniciem animæ, æstimationis, corporis atque bonorum perducantur, ac quantum per hos stat judices, pertrahantur etiam. Sed hic nondum finis. Sunt enim complura adhuc alia Gravamina, prout sigillatim ea per capita nunc recensebuntur.

Primum, quibus modis Laicorum bona immobilia ad Ecclesiasticorum manus, & non contrà, ab Ecclesiasticis ad Laicos perveniant.

40. Item, quum à sede Romana constitutionibus sit cautum ac provisum, ne bona Ecclesiastica, præsertim immobilia, regulariter personis Laicis, unquam distrahi aut vendi possint: & tamen Ecclesiastici, nulla cogente necessitate, sed tantum ut eorum res familiaris reddatur lautior, crescantque census, nunquam non cessant Laicorum prædia emptionibus, innumerisq; aliis modis ad se pellicere, si qua tandem sit possibile via. Quod ipsum quoque statibus Laicis grave, damnosum, ac intolerabile est. Quamobrem S. Rom. Imp. status Laici Reipub. Germanorum utile, necessariumque putaverunt, si omnia bona immobilia, soli scilicet, quæ posthac aliquo quocunque tandem titulo à Laicis ad Ecclesiasticos pervenirent, possent à Laicis superioribus, quorum ditioni prædia hæc subjecta forent, tandem ab Ecclesiasticis redimi, lui, atque justo pretio vendicari: non considerato, quicquid contra hoc privilegiorum prætenderent Ecclesiastici.

Quomodo Episcopi bona hæreditaria Ecclesiasticorum ad se trahere conentur.

41. Nec raro & illud facto contigit, quòd cum personæ Ecclesiasticæ bona hæredi-

hæreditario titulo, à majoribus ſuis, unà cum cæteris cohæredibus, jure hæreditario ſibi fortè uſurparent, ac ſi dehinc inteſtati deceſſiſſent Eccleſiaſtici, tum per Epiſcoporum nonnullos ſibi ipſis bona illa hæreditaria Laicorum vendicari cœperunt, non in mediocrem proximorum, venientium ab inteſtato, cognatorum perniciem ac jacturam. Quæ res ipſa quoque Laicis non ferenda, imò omnimodo onerosa, intolerabilisque eſt.

Quo ingenio, bona quædam Laica, quæ Eccleſiis, aut aliis religioſis domibus certis pactionibus vendita ſunt, vel hypothecata, ditioni Eccleſiaſticæ ſubjugari conentur.

42. Adhæc, ſi quando caſu ita contingit, quòd bona Laica temporali juriſdictioni ſubjecta, fructibus, redditibus, cenſibusve annuis Eccleſiis, ac cæteris religioſis domibus legentur, vendantur, hypothecentur, aut quovis alio titulo tradantur, vel à Laicis erga Eccleſias ac monaſteria annuo cenſu tributaria efficiantur, moliuntur Eccleſiaſtici, talia prædia Laica ex civili poteſtate ac ditione in Eccleſiaſticam transferre: atque huic utcunqae iniquo illicitove conatu, Epiſcopi, Eccleſiaſticique patrocinantur Prælati, tuenturque rem longè iniquiſſimam: tantum abeſt, ut in hoc quenquam revereantur Eccleſiaſtici.

De collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum jam primum fundatorum.

43. Item, quum beneficium aliquod Eccleſiaſticum à Laicis, ſummæ vel mediæ conditionis primùm fundatur, dotaturque, tunc quidam Epiſcoporum primam ejus beneficii collationem ſibi uſurpare nituntur, ac beneficiis ipſius dotationem, fundationemve prius confirmare recuſant, quam eorũ intentioni acquieverint, quæ beneficia ex ſuis cenſibus dotarunt, hoc eſt, fundatores atque Patroni, ſecundum jura etiam Canonica collatores ordinarii.

De confirmationibus beneficiorum Eccleſiaſticorum non neceſſariis, atq; aliis id genus gravaminibus.

44. Præterea ſi quis novam fundationem beneficii Eccleſiaſtici, fraternitatisve exigere, atque eandem confirmandam petere velit, quanquam confirmationis hujuſce, de jure ac æquitate minimè indigeat: nihilominus tamen fundatores beneficiorum *præter modum, pecuniarum exactionibus ad vivum uſq; aggravantur, exugunturq;, ac per Romanorum ſtatuta, technas ac ſubtiles practicas, eò diriguntur*, ut fundationes hæ omnes, quamvis minimi ſint pretii, neceſſariò confirmentur. Quod ipſum non mediocre Germanorum Laicorum eſt onus.

De

De subsidiis, & aliis oneribus, quæ imponuntur Ecclesiasticis, qui collatores habent Laicos.

45. Deinceps, si quando contingit, Ecclesiasticam personam à Laico beneficio aliquo dotari, & Episcopo pro investitura accipienda præsentari, tum Episcoporum in spiritualibus (ut vocant) Vicarii, pro investitura tantum erogant æris, præsentatis illis, quantum collatum beneficium in annuo habet proventu, nonnunquam etiam quantum bimo. Ita enim altera portio exigitur Episcopo, & reliqua interim Archidiacono, aut Archipresbytero pro investitura, vel possessionis traditione.

46. Insuper nimiumque pro viribus, illicitis exactionibus gravant Episcopi beneficia, subsidiis nimirum, nullæ licet subsint urgentes, aut illud sibi admodum postulantes causæ: hoc est, quod jura vocant, manifestæ & rationabiles, ultra etiam modum, quem jura communia in casibus evidentibus & necessariis præscribunt. Illis nempe casibus, quibus solis jura, subsidium ab Ecclesiasticis erogari permittunt, fitque ejus rei immodico usu, ut Presbyteris vitæ necessaria, vix, aut certè ne illa quidem relinquantur. Demum & *in totius populi caput hoc redundat onus, quando ita premuntur Sacerdotes, ut respirare eis non liceat, ni vicissim subditam plebeculam arrodant. Ita ex onere seritur onus, eò usq; ut nullum gratis, nisi numeretur semper aliquid, ministrent Sacramentum, Ecclesiæq; Christianæ donum; ad quod tamen præcipuum gratis ut facerent, darentq; ea gratis, quæ nullo ære redimi possunt, atq; ipsi gratis accepissent, sacrosancti Evangelii attestantibus literis tenebantur.* At illud res ipsa fecit notorium.

Quo pacto sæpius, & quidem plures unà indocti atq; inidonei ordinentur Sacerdotes.

47. Item Archiepiscopi, Episcopi, & eorum suffecti (quos Suffraganeos vocant) sæpenumero plures indoctos, idiotas, inhabiles, vilesque ac ludicras personas ad Sacerdotii functionem ordinant, qui cum ex ministerio Ecclesiæ, ad quod minus sunt idonei vivere non possunt, tamen neque aliunde, vel ex beneficiis, vel propriis hæreditariis bonis, unde vitam presbytero dignam ducere queant, habent, sed tantum imaginarios & fictitios aliquando, neque illos quidem secum ferunt titulos: fitq; dehinc, aut ex innata malitia, morumve levitate, aut qua premuntur egestate, (sicut res est malesuada fames) ut inhonesta exerceant commercia, ac munia Sacerdotibus obeant indigna. Quæ res ansam subinde ministrat, verè Ecclesiasticos ac Christo sacros presbyteros floccipendendi, nihilq; faciendi, quòd illorum vita coram universo populo offendiculis sit quàm refertissima. In-

terim

terim à quibusdam Episcopis, sex corruptis testibus ad hoc adhibitis, dignus ne sit sacerdotii munere, vel minus ordinandus, fides adhibetur, qui passim quosque indignissimos simulatis suis vocibus testantur dignos, adq; hoc ministerium aptos ferunt & accommodos: licet non rarò nullus personatorum illorum testium, ordinandum, vel de facie albus an ater sit, noverit, conanturque ita Christianis sanctioctionibus, sub persona, atque fictitio tantum prætextu satisfacere.

De impensis immodicis, quæ in Ecclesiarum consecratione insumuntur.

48. Insuper quum Ecclesias ac templa prætenuia quidem, Deo dicant, sacrantque, nonnulli Suffraganeorum, *subditos utcunq; per se egestate laborantes, superfluis, minimeq; necessariis sumptibus onerant:* neque hoc contenti, quin *munera* quoque, & illa quidem *immodica, à misera plebecula* exigant.

49. Item quum Laici Ecclesiis altaris donant ornamenta quædam, nec non casulas, & similia, ac in Dei honorem pecunias suas expendunt: nihilominus tamen Suffraganei exigunt, ut talia priusquam ad altaris convertantur usum, consecrentur, *pro qua demum consecratione munera ac dona petuntur innumera.* Quapropter æquum est, ut tales abusus deleantur. Et si Suffraganei frustra laborare nolint, ut unicuique Prælato aut plebano talia faciendi permittatur potestas.

Quemadmodum cœmiteria nonnunquam superfluè, ac minimè necessario consecrentur.

50. Demum si fortè sine armis, pugnis tantum & capillis in cœmiterio, duo pluresve manus conserant, aut rixam habeant, ad sanguinis usque, quantumvis modici, effusionem, tum ad interdictorum severitatem recurrunt Ecclesiastici: nec prius publica Christianorum redintegrant officia, quàm *civium universitas cœmiterium denuò magna pompa, gravibusq;, nec profectò minoribus impensis consecrari curaverit,* quam primùm (ut prædictum est) ex prophano redditus sit sepulturæ is locus sacer. Quæ omnia in caput tandem redundant Laicorum.

51. Item Suffraganei excogitaverunt, ut solum ipsi, & nullus alius Sacerdos, Laicis campanas baptizent, credunt deinde simpliciores, ita affirmantibus Suffraganeis, tales campanas baptizatas, dæmones & tempestates pellere. Quapropter innumeri plerumque adhibentur compatres, præcipuè verò qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem qua campana religata est, tangunt, ac Suffraganeo præcinente (quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri solet) omnes pariter respondent, ac campanæ nomen ingeminant, vesteque nova, (quemadmodum & Christianis fieri solet) campana induitur. Inde *ad sumptuosa properatur convivia, quibus præcipuè compatres, ut eo largius munera offerant, adhi-*

bentur; nec non Suffraganei, & eorum Capellani cum multis aliis ministris regaliter pascuntur. Nec hoc satis est, sed & *Suffraganeo mercedem persolvere necesse est, quam illi munusculum vocare solent; inde evenit, ut aliquando etiam in parvis villis centum floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione:* quæ res non solum superstitiosa, sed etiam Christianæ Religioni contraria, ac simpliciorum seductio, & mera est exactio. Veruntamen Episcopi, ut Suffraganeos vel vilissima obærare possint mercede, talia, & adhuc absurdiora tolerant. Res igitur tam nephanda & illicita meritò aboleri debet. Cæterùm si conducere videtur, ut campanæ consecrentur (ita enim Suffraganei baptizationem appellant, quoties à prudentioribus de hac re interpellantur) conveniens erit, ut talis consecratio per unumquemque fiat Sacerdotum, quemadmodum cum aqua benedicta, sale, herbis, & similibus fieri solet: idq; absque pretio & expensis Laicorum, ne populus simplex ita seducatur, & *damno afficiatur, necnon avaritiæ detestandæ præsumptio evitetur.*

Quemadmodum de nova sancti cujuspiam celebritate partem petant oblationis.

52. Deinceps, si fortè per diœcesim Episcopi alicujus nova effertur sancti celebritas, ad quem passim concursus fit, tum *Episcopi aut Prælati* eo loci, *oblationum omnium tertiam, aut certè quartam partem sibi vendicare præsumunt.* Quod tamen domestica eorum, nempe canonica jura, eis non permittunt, quin oblata illa pecunia, potius ac meritò, pro totius Christianæ Reip. necessitate, ad contrahendam militum manum, parandumq; expeditioni bellicæ commeatum contra Turcas usurparetur, aut certè in proximi verteretur necessarios usus.

Quo pacto illicitam à Præpositis monasteriorum Deo dicatarum virginum petant pecuniam.

53. Item quum monasteria aliqua Deo dicatarum virginum, per præpositos, seu præfectos gubernentur, qui tamen ad libitum officio hoc moveri possunt (neque enim perpetua est hæc præpositura) attamen Episcopi, acceptationi aut missioni præpositorum, prius consensum suum adhibere recusant, quàm *à monasterio Deo devotarum, simpliciumq; puellarum pecuniæ aliquid numeratum fuerit.*

54. Item, quum Abbas quispiam, aut Abbatissa eligitur, coguntur iterum per Suffraganeos consecrari, licet antea Monachi & moniales satis superque sint consecrati: *Suffraganeumq; cum suis regiè excipere & pascere, ac insuper tanquam muneris loco magnam persolvere pecuniam.* Quæ res non in parvum damnum cedit non solum monasteriorum, sed etiam illorum quibus monasteria illa sunt subjecta.

Insuper Pontifices summi multa, & varia in Curia Romana excogitarunt officia,

officia, *quæ ipsi immani vendunt pretio*; quod quidem illi persolvere coguntur, qui (ita jubente Pontifice) opera talium indigent officialium, seu scriptorum. Hinc evenit, ut *natio Germanica, præcipuè verò Episcopi, quoties pallium redimunt, aut confirmationem à Romano petunt Pontifice, ac multi alii oppidò aggraventur: ac longè plus, quàm elapsis annis, pecunias suas dilapidare compellantur.* Hinc facilè conjicere licet, *quot Romæ, quantiq; laquei pro emungendis nummis tandantur.* Quapropter talia officia meritè deleri debent.

De Archipresbyterorum officialibus, & aliis judicibus Ecclesiasticis.

55. Archipresbyterorum quoque Officiales, ut plurimum sunt indocti, inhabiles, insuper & scurrilibus moribus, *nihil pensi habentes, nihil aventes quàm pecuniam.* Et quàm notoriè in publicis degant peccatis ac facinoribus, quotidiano discitur usu: per quod Laici, quos ob admissa, debito modo corripere, ac in pietate Christiana erudiriores & meliores reddere debebant, nedum ad meliorem frugem non perducuntur, sed offendiculis onerantur potius. Ad hæc, per leves ac viles has officialium personas, *in quorum conscientiis nulla Christianæ pietatis viget ratio, sed tantum sceleratus habendi amor, Laici miserè ad vivum usq; in bonis suis spoliantur, ac deprædantur.* Id quod Archiepiscopi & Episcopi, si quidem revera quod dicuntur, essent, hoc est Christi pastores, dubio procul diutius non tolerarent, ovesque Christi talibus offendiculosis pastoribus curandas minimè commendarent, pascendasve committerent.

Quàm iniquè Laici ad vetitum trahuntur Ecclesiasticorum tribunal.

56. Ferè & hoc quoque accidit, ut Laici ad Ecclesiasticorum, licet periniquè, trahantur judicium. Nam etiamsi actor sit Ecclesiasticus, qui Laicum reum judicio convenire intendit, attamen nihilo magis ordinariæ jurisdictioni reorum deferunt, quin passim Ecclesiastici tales reos Laicos, scilicet quascunque etiam ob causas civiles ac planè prophanas, ad Ecclesiasticum tribunal, refragantibus omnibus etiam juribus, pertrahere adnituntur: quum tamen maximè conveniat, ac jure non ignoto sit quàm expressim cautum, actorem rei forum sequi debere.

Quo pacto Magistratuum civilium subditi, propter debitam pecuniam ad judicia Ecclesiastica pertrahantur.

57. Præterea Ecclesiastici sæpiusculè Laicorum subditos ob debita pecuniaria, coram Ecclesiastico judice in jus vocant, ac prægravi eorum judiciorum ordine eosdem inibi vexant atque excutiunt, licet à civili Magistratu, adeoque judice

reorum ordinaria justitia, jurisque debita executio iis nunquam fuerit vel denegata, vel diutius quàm par sit procrastinata: fitque ita per actorum (ut dictum est) petulantiam, quia conventi judicio Ecclesiastico Laici, varios ob casus jus suum non ita examussim, vel deducere per imprudentiam, vel non probare per simplicitatem noverunt: neque edocti sunt, ut in prætentam pronuntientur excommunicationem, ac *irreparabilem rerum suarum perducantur detrimentum, perniciem & jacturam.*

Quàm iniquè Laicis judicibus præbeatur occasio ab Ecclesiasticis, subditorum suorum petendi missionem.

58. Insuper & alias plures ob causas illicitas, à judicibus Ecclesiasticis contra personas Laicas emittuntur citationes ac monitoria: quanquam tales judices, publica etiam testante fama, indubitanter perspectum habeant, vocatos ita in jus ad ditionis suæ terminos minimè pertinere, illosque ad ordinarium jus remittendos fore. Quod ipsum quoque Laicorum subjectis, non ferendis modis grave, onerosumque est. Nametsi causæ, personæque tales ad instantiam Magistratuum civilium ac Laicorum superiorum petitionem, tandem ad jus dicentis Laici ordinarium remittantur tribunal: nihilominus tamen *ita immeritò in jus vocati, gravibus onerantur impendiis, damnis & expensis,* eo quòd superiores suos Laicos, quos non rarò ultra centesimum lapidem peregrè abesse contingit, primum requirere, dehinc literas missionum ab his impetrare, ac tandem eas ipsas judicibus Ecclesiasticis mittere cogantur, interim nuntiis ad hoc conductis eroganda est pecunia, cessandum à quotidianis operibus, ferendæ impensæ itinerum atque advocatorum. Quòd si fortè superiores suos in jus vocati non continuò imploraverint, missionum literas impetrarint, easque judicibus prædictis transmiserint, ac ad monitionem usque processum interea fiet, etiam Ecclesiastici judices vel requisiti hinc à vocatorum superioribus, quæcunque tandem in jus vocati sit causa, remittere tamen ita vocatos atque admonitos ad ordinarium judicem Laicum recusant.

Quòd judices Ecclesiastici causas aliquot speciales licet laicas, ita sua asserant ditioni, ut omnino eas remittere nolint.

59. Quum apud Ecclesiasticum judicem, ob decerptum virginitatis florem, item ob id illegitimè natorum, hoc est, naturalium liberorum statum, aut servientium mercedem, viduarumve, quæcunqne etiam judicio ventilantur causæ, contra Laicos reos, tum vel interpellati à litigantium Laicorum superioribus, judices Ecclesiastici, terminum tamen sistendi jure, nec circumducere, aut ad se in jus vocatos, ordinariæ jurisdictioni ut remittant, precibus induci possunt.

De

De aliis illicitis & inutilibus expensis causarum prophanarum, quæ ad Ecclesiasticos judices trahuntur, ac denuo remittuntur.

60. Ad hæc, quum laicus coram judice Ecclesiastico (ut supra dimum est) iniquè in jus vocatur, demumq; ad petitionem judicis ordinarii remittitur, tunc temerè agentis Procurator, qui tam malè in jus vocari fecerat laicũ reum, *mercedem suam à convento*, qui tamen temerè ad vetitum tractus fuit judicium, petit: *cogiturq; de hinc excommunicationis pœna innocens ille ultra expensas, quas ob malam in jus vocationem in itinera, Procuratores, proq; impetrandis & redimendis missionum literis nenessariò expenderat*; adde & neglectorum operum æstimationem, jam tandem nulliter & iniquè emissos judiciarios processus *persolvere, atque ære non immodico, coactus licet, pensare.* Namque id si fortè recuset, anathematis præstò est gladius: hoc ei minantur judices Ecclesiastici fulmen, *ni persolutis vocationum literis, habendi libidinem ipsorum satiaverint.* Ita afflictio additur afflictio. Neque juris ratio, quæ temerè in jus vocato refundendas dictat expensas, à judicibus his curatur quicquam: imò Iudiciarius hic eorum ordo, ex diametro, quod ajunt, cum juris bonique & æqui ordine pugnat. Eum tamen judiciorum ordinem, non ob aliud, quantum conjectura assequi licet, hactenus ita religiosè observarunt, quàm ut plurima actorum turba per hoc ad eorum alliceretur tribunal. Ita *semper iniquum, ex re, quæ meritò debebat esse æquissima, student facere lucrum.*

Quomodo novæ per violentiam instituantur decimarum præstationes.

61. Item, etsi Laici per multa annorum curricula de certis eorum præ diis, neq; majores, neq; exiguas (ut vocant) præstiterint decimas: tamen per Ecclesiasticos judices, apud quos iniquis litigant conditionibus, authoritate judiciaria ita eis fit negotium, ut aut petitas judicio decimas, sive quidpiam aliud est, quod ab eis exigitur, præstare, persolvereq; aut excomunicationis pœnam ferre, necessum habeant. Neq; hoc temerè. Nam etiamsi à sententia quantumvis iniqua Romam appellaverint, non eos fugit quàm onerosus atq; dispar sit & illic litium eventus.

Quo pacto Ecclesiasticorum Officiales ac suffecti, & ipsi Laicos ad Ecclesiasticorum tribunal in ius trahere conentur.

62. Ad hæc omnia, personæ Ecclesiasticæ nedum ipsæ per se Laicos, quibus d ctum est, ac similibus casibus, ad Ecclesiasticos trahunt judices: verùm etiam Ecclesiasticorum Officiales, suffecti Procuratores, domestici famuli, famulæque, ac denique ipsorum etiam subditi, conantur, adnituntурq; idem juris, quod eorum habent superiores, sibiipsis quoque asserere, usurpareque.

De causis iniuriarum, quæ coram Ecclesiastico ventilantur iudicio.

63. Tandem, si quando ex facto evenit, ut Ecclesiasticus contra Laicum injuriarum agere illatas fortè verbo injurias intendat, conatur Ecclesiasticus judex eas ipsas quoque suæ Iurisdictioni vendicare causas, quo denuò reus judicio conventus, ordinario juri, suæq; eripitur atque eximitur jurisdictioni.

Quemadmodum causæ prophanæ ob interposita juramenta, Ecclesiastico tribunali afferantur.

64. Insuper & id præsumunt Officiales, si quando in causis prophanis, ac inter personas Ecclesiæ minimè sacratas, dicatásve, sed omnino laicas, data fide, seu præstito juramento, verbo, vel in scriptis, pacta, obligationes, contractus, vel promissiones factæ sint, vel celebratæ, quod eam ob rem, atque huius prætextus ratione, tales prophanæ laicæque causæ coram ipsis potius, quàm ordinario judice agitari debeant: quæ nova Ecclesiasticorum techna usu si increscceret, ac diutius toleraretur, jam actum foret de civili causarum auditorio, quod omnes prophanæ civilesque causæ contractuum atque transactionum, hac via necessariò ad Ecclesiasticos pertraherentur. Quis enim contractus, quæ transactio, quæ denique inter paciscentes conventio, quæ non sit solenni ita stipulatione aut promissione vallata? Illac nimirum rerum veniremus, ut in totum civilia eluderentur judicia. Quod nedum contra æquitatem ipsam, contra omnia jura scripta, sed & civili magistratui intolerabile foret. Nam ut demus hoc interim Ecclesiasticis judicibus de perjurio commisso notionem ut habeant, nihilo magis per id causæ ipsius principalis, contractus puta, aut transactionis, quamobrem ille peieravit, judices competentes erunt, quin perjuros illos ob religionis transgressionem manifestariam tantum judicio convenire possent, ac Canonicam huic indicere mulctam: reservata tamen civili magistratui, qui perjuros pœnali judicio secundum civiles sanctiones plectere jus habent, commissa sibi ob id pœna.

Quonam modo reformationes suorum judiciorum nec observent, neque manu, hoc est, executione debita tueantur.

65. Præterea, nedum rationi consona jura communia, sed & Ecclesiarum aliquot cathedralium propriæ reformationes, notoriæ, in quàm plurimis casibus negliguntur, irritæque fiunt, dum contrarius ex eisdem ducitur sensus. Exequuntur enim hæc contra hos tantum, quorum potestatem ipsi non reverentur. At si reos potentiores, aut eos quibus manu pares esse non possumus, contingat, tum

tum ex juris ſui rigore remittunt quippiam. Nam etſi maximè Epiſcopi locorum ordinarii, aut eorum officiarii à vim paſſis, aut his quibus contra jus injuriæ illatæ ſunt, pro debita juſtitiæ executione, ac talium gravaminum onerúmve abrogatione interpellentur: ſæpenumero tamen evenit, ut querela hæc vel Præpoſitum contingat, vel Decanum, vel certè Capitulum, ac Eccleſiæ Canonicos Capitulares: hoc eſt, eos, contra quos loci huius ordinarius Epiſcopus, utcunque æquitati favens, remorante eum hac via, in electione præſtita, ac promiſſa fide, meritam tranſgreſſionis emendationem atque mulctam præſumere, ciſque infligere non audeat.

66. Ad hæc, Epiſcoporum ac Prælatorum nonnulli, pro tempore Eccleſiaſticorum Iudiciorum Synodorumque, ad ſuum libitum ſpeciales quaſdam & prætentas ferant reformationes, ordinationes, leges, atque ſtatuta, quæ ipſa multifariam à jure communi diſſident, ac ſeorſum toti civili magiſtratui & juriſdictioni, eorumque ſubditis derogant, atque perniciem adferunt. Neque ullam præ ſe ferentia æquitatem, *quod ad Eccleſiaſticorum privata compendia, inq; laicorum necem ſint excogitata, atque efficta.* Eamque ob rem laici ea acceptare, aut his parere minimè tenentur. Nam neque ipſi Eccleſiaſtici domeſticas has ſuas conſtitutiones ſecundum rationabilem ſynceriorem, ac germanum æquitatis intellectum, obſervant. Etenim tametſi reformationes hujuſcemodi ut plurimum ſtatuant, coram Officialibus, eorumq; Eccleſiaſticis Conſiſtoriis, manifeſta ac notoria tantum, minimeq; occulta delicta debere agitati atque ventilari, conſiderarique in primis ſalus animarum, & honor Ieſu Chriſto debitus, potius quàm pecuniarum lucrum: attamen eius rei oppoſitum, atque ex profeſſo contrarium, negotium ipſum, innumeræque aliæ conjecturæ ac circumſtantiæ plus liquidò manifeſtum reddunt; id quod partim ex ſuprà enumeratis, partim ex recenſendis ſequentibus articulis, utcunque ſuccinctis, cuique æſtimare facile eſt.

Quemadmodum plus pecuniæ, quàm pœnitentiæ, peccatoribus imponant.

67. Patrum Canonibus ſancitum eſt, ſpiritualibus ac manifeſtis peccatis, ſpiritualem pœnitentiam ſeu ſatisfactionem imponendam eſſe, ut ſic non pecuniæ lucrum, ſed potius animarum ſalus quæri intelligatur. Id quod ſupra etiam memoratum eſt. At Eccleſiaſtici Iudices & Officiales, perperam animadverſis Canonibus, dictam ſpiritualem pœnitentiam in tantum exaſperant, aggravant & augent, ut laici priuſquam eam ſatisfactionem acceptare velint, *pecunia magis ſibi ab ipſis immunitatem comparent: quare laici multum premuntur,* Eccleſiaſtici *contrà multum ditantur, utputa qui in ſuum privatum commodum & partis agunt munus, & judicis;* quod tamen omnibus juribus diſſonum eſt.

Quem

Quem in modum honesti viri & mulieres ex falso rumore sæpenumero graventur.

68. Accidit etiam nonnunquam, quòd viri & mulieres coram Officiali, seu Ecclesiastico tribunali, ut delictorum ac scelerum sontes, sinistro rumore deferuntur, ac non prius per sententiam innocentes declarantur, quàm ubi se jurejurando purgaverint: qua purgatione facta, in pristinum æstimationis statum restituuntur. Et quamvis tam sinistrè denuntiatis incommoda, damna, impensæ, eam ob rem perpessæ, meritò refundi deberent: nihilominus tamen innocentes ipsi in dictæ restitutionis fidem, Officiali, Ecclesiasticóve judici, *duos aureos, cum aurei quarta parte, pro absolutoriis literis, nequaquam necessariis, numerare coguntur.* Et hoc est, cur Officiales, Ecclesiasticique Iudices, tam iniquas & illicitas rumoris falsi atque delationis causas, ita adsectentur, ad se evocent, solisq; sibi vindicent. Id tamen ipsum non sine magna singulari ac gravi jactura mortalium committunt. Nam sæpius evenit, quod altercantes mulieres, ita, invidia, seu alio quopiam adfectu commotæ, invicem se maledictis impetant, conviciis proscindant, in tantumq; dementen tur, quod altera alteram vel adulterii, vel magicæ artis reum insimulet. Quod ubi coram Officiali deducitur, tum illa quæ per iracundiam alteram probris ac contumeliis adfecerat, jurisjurandi Sacramento sese excusare ac purgare cogitur, scilicet quicquid injuriarum in alteram profuderit, id omne non ex certo animi proposito, sed ira, invidiaque profectum esse; parique modo altera, quæ adulterii necromantiæve insimulata est, suam innocentiam, quodque prædictorum nequaquam sibi conscia sit facinorum, juramento detegere jubetur. Interim verò quilibet apud se facilè conjicere potest, in talibus causis, mulieribus, sive memoratorum scelerum vacuæ sint, sive iisdem criminibus obnoxiæ, jurandum tamen esse, dummodo famam, honorem, ac vitalem spiritum retinere velint. Qua ex re non solum *illicitum pecuniarum lucrum quæritur,* sed deliberatæ pejerationes extorquentur, secularesq; jurisdictiones & judices in eorum mulctandi officio impediuntur. Et sic contra rationem, impunita remanere delicta necessarium est.

Quomodo Ecclesiastici judices illicitum ex jactatis matrimoniorum causis petant interesse.

69. Deinceps, quum inter virum atque fœminam, de pangendis matrimonialibus sacris illis fœderibus, negotium quod inter eos fortè agebatur, eousq; processit, quòd ab alterutra partium matrimonii contractus, ex pactionibus illis, ratus, perfectusq; prætendatur: ac inficietur altera, datumq; est ab altera alteri personæ vestium, aut alioqui mundi muliebris quidpiam tanquam arrabonis loco, ad servan-

ſervandum ac cuſtodiendum : accidatque deinde, ut aſſerti contractus matrimonii ſcilicet contemplatione , contrahentes ad Eccleſiaſticum perveniant tribunal, ac ibidem per ſententiam in diverſum ire jubeantur, ſeparenturque. Tum *Iudex ille Eccleſiaſticus iniquè hoc ſibi in hac cauſa prætendit intereſſe :* nimirum , *ut omne quicquid hinc inde arrabonis vice traditum ſit , ut hoc ſibi cedat tanquam commiſſum.* Id quod nedum contra omnia jura, ſed & æquitatem atque honeſtatem ipſam proculdubiò eſt.

Quibus artibus Iudices Eccleſiaſtici cauſas promiſcuas , quæ coram civili etiam magiſtratu in iudicium deduci poſſunt , ſibi ſolis vendicare conentur.

70. Item, licet complures ſint cauſæ ita promiſcuæ jurisdictionis, ut ſecundum jura communia,apud Eccleſiaſticos atque civiles judices agitari & puniri poſſint: ſæpiuſcule tamen evenit,ut quum civiles judices,conceſſam ſibi hac in re Provinciam & jurisdictionem adminiſtrare atque exercere velint, id ipſum ne faciant, per Iudices Eccleſiaſticos ſub excommunicationis pœna eis interdicitur, prohibeturque. Quod ſi diutius perſtare deberet, brevi Eccleſiaſtici judices à civili magiſtratu, eiusq; jurisdictione quaſcunq; etiam cauſas eximerent, ſuæq; aſſererent ditioni: id quod Cæſareæ Majeſt. cæterisque Imperii Romani membris grave eſt, & intolerabile. Et quanquam ſecundum Iura communia, manifeſta perjuria atque adulteria,maleficiorumq; præſtigiæ, ac conſimiles aliæ cauſæ, per Eccleſiaſticos ac civiles judices, promiſcuum, uter occuparit, civiliter pro tempore plecti poſſint, habeatq; ita præventio hac in re locum : attamen Eccleſiaſtici Iudices contra omnia Iura, cauſas huiuſcemodi, ſolis ſibi ſuæq; jurisdictioni uſurpare conantur. Quod ipſum jurisdictioni civili non ferendum eſt onus ac gravamen.

Quemadmodum cauſæ prophanæ, ſub prætextu denegatæ executionis, ad Eccleſiaſticorum conſiſtoria trahantur.

71. Item, ſi quando perſonæ laicæ in cauſis etiam omnino prophanis, à judicibus Eccleſiaſticis citationes impetrare conentur, prætendantq; magiſtratum civilem, debitam ſibi juris executionem facere neglexiſſe, antequam ſummariè, ſaltem per evidens aliquod docuerint inſtrumentum, juſtitiam,ut queruntur,ſibi denegatam : citationes tamen, atq; alii judiciarii proceſſus, à judicibus Eccleſiaſticis ad ſolam petentium querelam his decernuntur. Quod ſi deinceps ad petitionem vel civilis judicis, aus partis in Ius vocatæ, cauſæ huiuſcemodi ad ordinarium tribunal remittantur, præfigitur civili judici perbreve, quatuor hebdomadarum puta, tempus fatale, intra quod actoris intentioni & querimoniæ ex integro atq; ex

asse executionis ordine satisfaciat. Acsi in arctissimo ita præstituto termino, sententia diffinitiva aut non fertur, vel executioni lata non mandatur, libertatem dehinc Iudex Ecclesiasticus dat actori laico, coram suo tribunali ulterius procedendum; fitq; non rarò (mirum hoc auditu) ut causa, quæ intra mensis spacium coram civili consistorio agitari, peragiq; debebat, quod hæc eadem apud Ecclesiasticum Iudicem triennio, aut eò amplius pendeat, hinc inde cisa.

72. Ajunt præterea Iudices Ecclesiastici, in talibus casibus, prophanas ad se causas pertrahere sibi licere, si magistratus civilis in administranda justitiæ executione negligens inveniatur: è regione tamen ferre minimè possunt, ut in pari casu idem juris cum eis servetur: nimirum ut in causis Ecclesiasticis quispiam de neglecto cultu Iustitiæ ab Ecclesiasticis apud laicos aut civiles magistratus conqueri, ac Iustitiam sibi per civiles magistratus administrari, postulare possit; quanquam jura communia in genere definiant, statuantque, quo pacto Canonica civilibus, & è regione Canonicis civilia jura opem suppetiasq; ferre debeant.

Quo pacto Ecclesiastici Iudices, seculares causas prætenta iurisdictionis prætextu, in esse transferre conentur.

73. Neque hoc plerisque, longa experientia rerum ac eruditione doctis probatur, quod Iudices Ecclesiastici, quibusdam in locis diuturni usus, quasi possessionis, adimpletæque præscriptionis prætextu, laicorum controversias coram se dirimendas hactenus præsumpserunt. Nam ea ex re Cæsarea Majestas, Romanumque Imperium haud parum detrimenti patitur, utputa quod non minimus Imperii honor, temporalis scilicet jurisdictio, memoratæ præscriptionis velamine minuitur, attenuatur, & penitus ab Imperio ad Ecclesiasticos refertur. Quod contra recepta apertaque jura esse, nemo est qui nesciat: quibus statuitur & cavetur, ut nulli præscriptioni quantumvis longæ, adversus præeminentem tum Papæ tum Cæsaris potestatem sit locus.

Quàm iniquè homicidæ, aliiq; peccatores ab Ecclesiasticis Iudicibus duplici afficiantur pœna.

74. Quum divina humanaque jura vetent, ut nemo duabus cædi debeat virgis: meritò plerique, quibus cerebrum est, nonnullarum Cathedralium Ecclesiarum odiosa statuta, perversosque mores; quibus utriusque sexus homicidas, reliquósque maiorum minorúmve criminum reos hucusque vexarunt, detestantur. Nam hactenus servata est consuetudo, quod homicidii, similiumque facinorum, quos casus Episcopis reservatos vocant, rei, peracta in aurem confessione, publicam pœnitentiam, in totius populi conspectu, cùm magno suorum ipsorum

ipsorum dedecore, ignominia, infamia subire coguntur. Quæ quidem pœnitentiæ forma non usquequaque improbanda foret, utpote quæ ad primitivæ Ecclesiæ instituta quàm proximè accederet: si hac contenti, non etiam ampliorem justo *peccantibus egregii isti, maleq; officiosi officiales extorquerent pecuniæ summam, duplicig; delinquentes punirent pœna.* Qua re mirum quàm multi offendantur. Quod quàm iniquum, quamq; longè à Christi instituto sit alienum, cuique sanæ mentis conjectura assequendum relinquitur.

Quomodo funestæ pecuniæ intuitu, Ecclesiastici Iudices, & Officiales illegitimas cohabitationes & usuras tolerent.

75. Præterea Officiales *auri sacra pellecti fame, usuras ac pecuniæ fœnus illicitum, nedum non interdicunt, sed & passim permittunt, fovent ac tutantur, insuper etiam Clericos, religiososq; & seculares, accepto ab eisdem annuo censu, publicè cum suis concubinis, pellicibus, & aliis id genus meretricibus, illegitimè cohabitare, liberosq; procreare sinunt.* Quæ res ambæ quantum scandali, periculi, detrimenti, fortunis, animabus & corporibus pariant, non est quod recenseatur: quum nemo id, nisi talpa cæcutiat magis, non videat.

76. Præterea contingit aliquando, quod alter conjugum, belli, votorum, seu alia quapiam causa peregrè proficiscatur: qui si aliquanto diutius, quã alterius conferat libidini, absit, tum officialis, alteri, *pacta tamen numerataq; prius mercede satis magna,* cum alia victitare persona ac cohabitare indulget, non præhabita prius diligenti vestigatione, superstésne sit absens conjunx, an naturæ concesserit. Et ne hoc eorum factum à quoquam calumniari possit, tolerantiæ nomen ei, non sine magno mortalium offendiculo, sanctiq; matrimonii contemptu indiderunt.

Vt officialium delegati, seu Synodales Iudices, illicitos è domibus census exigant.

77. Et hoc Germanis posthac non ferendũ onus est, quod Synodales Iudices quarundam regionũ oppidula, & vicos ostiatim peragrant, *censusq; è domibus annuos exigunt; quos ubi tenuis plebecula persolvere nequit, protinus cum excommunicationis jaculis petitur:* ad eorum quoq; censuum solutionem cum summa rei familiaris attritione, atq; attenuatione compellitur. Quod si penitus amoveri non potest gravamen: aliquo saltem fine ad æqui boniq; regulam coherceatur.

Quo pacto hebdomadaria pecunia à mechanicis exigatur.

78. Pari modo proximè memorati Iudices quibusdam in locis *à stabulariis*

pistoribus, laniis, propolis, molitoribus, ejusdemq; generis mechanicarum artium professoribus, qualibet septimana *pecuniam postulant*, qua fortè per inopiam non soluta, *Ecclesiastico ad id fulmine adiguntur.*

De iniquis Ecclesiasticorum arestis (ut vocant) & impedimentis.

79. Non mediocrem item superioritatis & jurisdictionis temporalis jacturam Cæs. Maj. Romanumq; Imperium patitur, ex malè observata hactenus pluribus in locis, diuturna consuetudine: videlicet quod Ecclesiastici Iudices, ubi inter duos laicos civilis orta est controversia, ad alterius partis petitionem literas inhibitorias emittunt, quibus alteri partium mandant, ne incœptam coram seculari seu suo judice litem prosequatur, sed in Ecclesiastico coram sese judicio cōpareat. Cui mandato ubi pars vocata obtemperat, & se suamq; causam ad suum ordinariū Iudicē remitti in judicio petit, tum primùm libellus, articuli, exceptiones, replicæ, duplicæ, & cæteræ id genus scripturæ, utrinq; producuntur, quibus, reliquisq; actis & agitatis, perlectis, numeratisq; potius, quàm ponderatis, tandem interloquuntur, controversiam coram se ventilandā esse. *Cui sententiæ propterea, velint nolint, parere coguntur, etiamsi maximè ea graventur, quod* appellationem ad curiam Romanam interpositam, *ob immensos tum labores, tum impensas prosequi nequeant.* Neq, enim cuivis commodū est, adire Romam. An verò talibus, similibusq; sententiis se suspectos reddant, necne, cuilibet bono viro conjiciendum relinquitur. Vnum hoc certum est, quod ex jam enumeratis casibus, copiosa civilium causarum sylva, jurisdictioni temporali, ac civili magistratui, indies subtrahitur atq; eripitur. Quod non solum juribus & æquitati, sed etiam rationi contrarium esse dignoscitur.

Vt plerique inopia rerum laborantes, judicialium expensarum variorumq; laborum & expensarum formidine, ad iniquas transactiones compellantur.

80. Neque hoc silentio præteriri potest, quod Ecclesiastici Iudices & Officiales miseros ac simplices laicos, multoties ad illicitas, iniquas, sibique penitus nocivas transactiones adigunt. Nam si quando eos in jus vocant, magna Patronorum, tabularum forensium, scribarum, cæterorumque, quorum opera in judiciario strepitu, ut necessum habent, caterva, nullo ære conducta, sed gratuitò conquisita, stipati adstant; *ac pauperibus illis prophanis, egestate pressis, id hominum genus, non nisi magno conducendum est.* Quod ubi fortunæ, reiq; familiaris tenuitas denegat, ni penitus causa, etiam justissima, decidere velint, transactionem seu compositionem utcunque iniquam inire coguntur. Quare quantum *graventur tenues*, nemo est qui non facilè id deprehendat.

In mul-

In multis Ecclesiasticorum consistoriis, externi causarum patroni & procuratores, quàm non admittantur.

81. Et hoc hactenus Germanis multum attulit molestiarum, quòd per Ecclesiasticos judices, nulli coram se litigantium partium, aliis uti Advocatis & Procuratoribus licet, quàm iis, quos sibi suisque tribunalibus, jurisjurandi Sacramento obnoxios reddiderunt. Ne tamen nihilominus externi Patroni à litigatoribus consulantur, adeò breves præfigunt terminos, ut neque adiri unquam possint. Et ne hoc eorum factum tanquam æquitati contrarium, improbari possit, se id in controversiæ commodum facere adfirmant, quò celeriorem per Consistorii juratos Procuratores sortiatur exitum. At interim meridiana luce clarius apparet, qua synceritate, quave dexteritate id agatur: nempe compertum habent Officiales, se suosque Superiores à Consistorii Advocatis & Procuratoribus timeri. Et sic miseri clientes Patronorum verecundia, dum (quod contra Ecclesiasticum judicem, ejusve Superiores, quacunque in parte facere possent) in judicio proponere non audent, ultrà quàm par sit negliguntur. Quam rem Ecclesiastici, Prælati, iique quorum in territorio tale exercetur Consistorium, quum prohibere, penitusque eradicare deberent, tutantur ac defendunt. Et id potissimum eam ob causam, ut si quando ipsis subditisve ipsorum in Ecclesiastico judicio experiendum sit, dicti Advocati & Procuratores contra ipsos exteris suis clientulis, ea quæ caussæ sibi postulat necessitas, consulere, in judicioque proponere vereantur, ne, si diversum facerent, Prælatos sibi infensos, judicesque sibi malè propitios redderent: talemque Advocatorum & Procuratorum metum ac formidinem, nemo est cui vel cerebrum sit, cui læva in parte mamillæ cor saliat, qui inficias ire vel possit, vel audeat, cùm id quotidiana experientia adeò eluceat, ut nemini non, nisi fortè iis qui nondum ære lavantur, sit exploratissimum. Quotus enim quisque est *Advocatorum*, vel Procuratorum, *qui non amore, spe, timore, invidia, favore, muneribus, similibusve adfectibus animo non aliquando, rectoq; consilio dejiciatur*; quum nihilominus vacui etiam prædictorum adfectuum vix tandem precibus *pretiove inducuntur*, ut nihil diligentiæ, laborum nihil, nihil item clientuli juriũ prætermittatur? Enumeratis verò gravaminibus, nulla præsentior adhiberi posset medicina, quàm si litigantibus à certo usque limite, & Advocatos, & Procuratores vel consulere, vel ad Consistorium secum adducere liceret.

Quàm levibus ex causis, pauperibus Sacramenta denegentur.

82. Et hoc facinus, Christi disciplinam profitentibus penitus abominandum est, quòd iis, *quibus est res angusta domi*, ubi Parochis & Ecclesiis ad diem solutioni

destinatum, per inopiam satisfacere nequeunt, *corpus & sanguis Christi, sacrosancta quæ nobis Sacramenta in remissionem peccatorum reliquit, denegantur, imò quasi pignus præcluduntur*, non attenta ulterioris dilationis (& quidem modicæ) petitione. Quanquam tales similesque causæ pro conditione sua coram secularibus judicibus meritò finem sortiri deberent.

83. Item, quum agricolæ autumni tempore vindemiare cupiunt, quemadmodum unicuique ad sui utilitatem facere licet, nihilominus tamen, si vindemia illa displicet spiritualibus (ut vocant) qui eo loci decimas possident, *miseris inhibent agricolis, sub excummunicationis, nec non pecuniarum pœna, ne uvas colligant prius, quam ipsi id permittant.* Vnde evenit, ut sæpe pauperculi illi non parvo afficiantur damno, cum uvas suas, quas maximis expensis & laboribus per integrum coluerunt annum, vindemiare non audeant. Etiamsi illi interim vel frigore pereant, vel etiam marcessere incipiant, *tantummodo ob decimarum lucrum iniquum, sæpius etiam ob invidiam detestandam.* Quæ ambo contra jura sunt divina, fas, & omnem pietatem, ac ideo meritò aboleri debent.

Vt Ecclesiastici Synodis abutantur.

84. Nec minus molestum, grave, & Germanorum vulgo intolerabile est, quod Synodales judices pluribus in locis quotannis (id quod non nisi post annorum intercapedinem ut fieret, juribus permissum est) obequitant, ac mirum, quid fictitiæ jurisdictionis, aut superioritatis exerceant. Hoc interim constat, *simplici popello hac via, necessaria subtrahi alimenta*, neque talis peragratio eo fine & ordinatione, qua summis Pontificibus instituta est, observatur. Nam *pro pœnis & correctionibus, quibus facinorosos & criminum sontes à vitiis deterrere deberent, pecuniam præsentem & numeratam, & quicquid deniq; eis in lucellum cedere potest, exigunt.* Id quod in superioribus etiam partim memoratum est.

De Canonicis cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum Parochis, reliquisq; religiosis personis: & primùm, quod iniquis nexibus Episcopi & Prælati à suis abstringantur Capitulis.

85. Illicitum est & hoc, planeq; iniquum, quod Canonici Ecclesiarumq; cathedralium præeminentiores, quorum in manu potior Ecclesiasticorum judiciorũ, Synodorum, ac censurarum pars sita est, reliquiq; collegiatarum Ecclesiarum Canonici, quibus eligendi superiorem potestas est, nullum in Episcopum, seu Prælatum eligunt, nisi se prius jurejurando astrinxerit, planeq; devoverit: literis quoq; interdum, instrumentisq; sigillo probè munitis caverit, ipsis ipsorumq; ordinatis judicibus ab officialibus in nullo utcunque gravi, vel inhonesto, intolerabiliq; proposito, se contrarium fore. Ac si quando eos delinquere contigerit, impunè eis per ipsum ut hoc sibi liceat.

De non ferendis ultra oneribus, quibus misera plebs pro Sacramentorum administratione gravatur.

86. Pleræque item Parochiales Ecclesiæ, Monasteriis, Prælatis, aliisq; Ecclesiarum curatarum Rectoribus, incorporationis (ut vocant) seu alio quopiam jure, subditæ sunt, quas etsi ipsi juxta Canonum constitutiones, per sese providere teneantur, ubi aliis elocant gubernandas; *beneficiorum dotem, ac decimas, plerunq; sibi-ipsis reservant, & præterea tam enormibus absentiarum pensionibus gravant, atq; onerant, ut conductitii isti Parochi, eorumq; Vicarii, Viceplebani, sacellani, coadjutores, cæteriq; conductarum Ecclesiarum administratores, competentem sustentationem, decentiaq; alimenta inde habere nequeant.* Quo fit, (nam unde conductitii isti Pastores & mercenarii vivant, habeant oportet) ut *illicitis exactionibus, locatas sibi oviculas, miserè deprædent, dilanient, omnemq; substantiam tantum non absumant.* Postquam enim Altaris, Baptismique Sacramenta administranda sunt, primus, septimus, tricesimus, anniversariusque dies peragendus, auricularis confessio audienda, mortui sepeliendi, & quicquid denique reliquum est, quod ad vitam functorum cæremonias observandas operæ pretium arbitrantur, *id gratuitò faciunt nequaquam, sed tantum exigunt, extorquent, exugunt, quantum misera plebecula vel cum summo suo dispendio præstare difficulter potest: talesq; exactiones usq; ad summum indies augent, atq; accumulant,* nonnunquam quoque excommunicationis fulmine ad solvendum adigunt: plerosque etiam, quibus per inopiam non licet ad celebranda vita functis obsequia, anniversarias, & alias ejus farinæ cæremonias compellere conantur.

Vt ob Missas cantandas & legendas, pecuniam exigant.

87. Neque hoc præteriri potest, quum non minimum sit, quo Germani premantur, quod Sacerdotes, unius diei Missas, ad quas aliàs fundationis, seu annuæ recordationis jure celebrandas obligantur, *non semel, sed quater, quinquies, pluresve venundant,* unaque Missa duobus tribus, aut pluribus Ecclesiasticis Beneficiis satisfacere præsumunt.

Quo pacto Parochi, à suis Parochialibus subditis, ubi, domicilium mutare voluerint, pecunias emulgeant.

88. Item, sicubi curatæ Ecclesiæ subditus domicilium matrimonii, seu alterius cujuspiam negotii causa, in aliam transferre parochiam, animo secum volutat, non prius migrandi licentiam à Parocho impetrat, quàm ubi pro testimonialibus literis

literis aureum numerarit nummum: quem si solvere vel nolit, vel egestate pressus non possit, Sacramentorum interdicto, donec satisfecerit, mulctatur. Ex hoc itaq;, ac cæteris suprà tactis oneribus & gravaminibus, facilè deprehenditur, mirumque in modicum emicat, quòd *omnia Romanæ Ecclesiæ Sacramenta his qui opibus abundant*, auro venalia *sunt: reliquis verò quibus minimum suppetit nummorum, & iniquus est Plutus, ille divitiarum Deus; non impartiuntur*, sed penitus denegantur.

Quemadmodum sepulturæ jus quibusdam mortuorum cadaveribus, magno sit ære, redimendum.

89. Papalibus statutum est canonibus, ut his duntaxat publici juris Ecclesiastica denegetur sepultura, quos manifestis & planè notoriis, mortalibus (ut vocant) peccatis, ex communi hac mortalium sorte, absque Domini corporis, sanguinisve participatione migrasse compertum sit. Verùm Ecclesiastici non animadversis talibus Pontificum decretis, forte fortuna, aqua suffocatos, gladio, ruina, vel incendio occisos, jugulatos, atque vita casu functos, etiamsi non pateat, peccatis mortalibus obnoxii decesserint nec ne, in Ecclesiasticam tumulare sepulturam non permittunt, *quousq; tam iniquo fato, mortuorum uxores, liberi, amicive ab ipsis cœmiterium non modico ære comparaverint.*

Vt pleriq; Ecclesiastici, vitam laicam, planeq; rixosam agant.

90. Nec minus etiam Germanis molestum est, quòd potior Parochorum, Sacerdotum, Monachorum, aliorumq; Ecclesiasticorum pars, in diversoriis, stabulis ac choreis, populorum turbis, se immiscent: in plateis item habitu minus decenti, utputa gladiis, vestibusque ludicris: præterea rixis, jurgiis, litibus, altercationibus Laicos ad iram, & consequenter ad arma provocant, vulnerant, nonnunquam etiam confodiunt. Dein *excommunicationis fulmine miseros illos Laicos, vel quos læserunt, eò usq; divexant, quousq; ad libitum suum Laici cum his composuerint.*

91. Item in locis plerisque Episcopi, & eorum Officiales non solum Sacerdotum tolerant concubinatum, *dummodo certa persolvatur pecunia, sed & Sacerdotes continentes, & qui absq; concubinis degunt, concubinatus censum persolvere cogunt: asserentes, Episcopum pecuniæ indigum esse; qua soluta, licet Sacerdotibus, ut vel cœlibes permaneant, vel concubinas alant.* Quàm res hæc sit nephanda, nemo non intelligit.

Quo pacto nonnulli Ecclesiastici publicas exerceant tabernas, & illicita corradant lucra.

92. Ecclesiastici item, potissimum in his locis ubi jurisdictionem habent, in templo-

templorum dedicationibus *publicas exercent tabernas, suisq́; Sacellanis & Sacerdotibus taxillos, chartulas lusorias, & quicquid ad ludum pertinet, convivis administrare, ac omni seposito pudore illicitum inde percipere lucrum student*, idque superioritatis quodam jure sibi licere adserunt. Quanquam Pontificum Canones, Imperatorum leges, omnesque omnium provinciarum Magistratus vetent, ne Ecclesiastici ita à decoro & honesto devient, ut his se involvant negotiis, circa quæ vix Laicos occupatos esse decet.

Quomodo Ecclesiastici moribundis, ut suos & legitimos hæredes defraudent, persuadeant.

93. Inter cætera etiam hoc obticendum est nequaquam, quum non minimum sit onus, quo Germani gravantur, quòd regionum pervagatores, quos vulgò Terminarios ac Stationarios vocant, Monachi & Sacerdotes, *infirmos, animamq́; jamjam agentes, ac præsertim eos, quibus æs esse in cista norunt, temporalibusve bonis abundare compertum habent, blandiloquentia, adulatione verbisq́; venustulis* (ut ad pessima quæque hoc genus hominum semper plus æquo instructum est, atque paratum) *adoriuntur, circumveniunt, persuasionibusq́; fictitiis eò tandem adducunt, quòd sibi potiorem & pecuniarum & bonorum partem in testamentis legant.* Qua re liberi agnati, ac cognati, reliquique sui & legitimi hæredes, quibus potius tota hæreditas illæsa relinquenda erat, *contra omnem æquitatem, mirum qua jactura adficiantur,* interdumque *ad miseriam usq́;* adigantur.

Quibus mediis innumeram pecuniæ summam, mendicantium ordines Romam importent, virginumq́; vestalium monasteria molestent.

94. Quum nemini dubium sit, his qui jure experiri volunt, pecunia, eaque non modica opus esse, & plerique mendicantium ordinum regulis addicti, multas causas atque lites in judicialem controversiam, non sine magno ordinariorum, parochorum, atque laicorum detrimento, contra phas nephasque, imò nulla omnino necessitate exigente Romam pertrahant: tribus insuper eorum generalibus, quos vocant, Cardinalitii galeri dignitatem, innumera (ut fertur) pecunia comparaverint? non parum timendum est, ne non præfati mendicantium ordinibus subjugati, multa sacrarum virginum, & præsertim ea, ubi se solos dominari norunt, monasteria, in quibus Principum, Comitum, Baronum, nobilium, ac civium liberi frequenter vitam vivunt, *pecuniis expilent, ac depeculentur: & eis dehinc, quibuscunq́; aliis modis, interitus, perniciei, molestiarum, variorumq́; incommodorum radix atque origo sint.* Interimque miserè captivas moniales, sub perpetui pœna carceris adigant, ne cuiquam alii, quo secum pacto agant, manifestent: id quod quibusdam in locis plus nimio, proh dolor, compertum est.

Quibus verò pharmacis huic morbo mederi possit, cogitandum relinquitur. Num præstaret, quòd virginum monasteriis, ac mendicantium ordinibus, in meri ac mixti imperii jurisdictionibus sitis, quibus hactenus per jurisdictionum Magistratus ac potestates nulli præfecti essent curatores, seu dispensatores, duo ætate, moribus, ac probitate perspicua præstantes viri, unicuique tali monasterio seorsim præficerentur, qui omnibus eorum communibus computationibus, acceptorum videlicet & expensorum interessent: quibusque curæ esset, ne in posterum prædicta *virginalia cœnobia, à mendicantibus Monachis, eorum non necessaria præsentia, vel quocunq; alio modo gravarentur.* Qua una re proculdubiò efficeretur, quòd dictorum monasteriorum annui fructus, census, redditus, indies augerentur, monialium personæ in magnum usque excrescerent numerum, & sic multò melius, uberius, utilius, quàm si ipsarum pecunia vel Romam, vel in aliquam quempiam locum indecentem conferatur, sustentari possent.

De Romanorum Pontificum Legatis & Oratoribus, nec non Comitibus (quos vocant) Palatinis.

95. Accidit aliquando, quòd Legati & Oratores Romani, cum Papalibus (ut vocant) facultatibus in Germaniam mittantur: qui talium facultatum vigore & prætextu, liberos vulgò conceptos, naturales, bastardos, spurios, damnato ex coitu prognatos, aliosque qui contra Christi instituta, legumque sanctiones in mundum editi atque expositi sunt, legitimos efficere, & ad quoscunque actus legitimos, idoneos reddere, ad successiones item cum legitimis & naturalibus liberis habiles facere & admittere, omnium denique statuum ac dignitatum capacitatem tribuere conantur. Cujus tamen rei, in Romani Imperii territorio, nullam omnino habent potestatem. Nec parum inde litium, jurgiorum, errorum, controversiarum, offendiculorumque, in sacrosancto Romano imperio oritur, quòd ex non concesso coitu concepti, cum legitimè editis ad parem admitti debent successionem. Quam rem ut nimium Germanis molestam, Imperii ordines tolli, amoveri, penitusque aboleri summopere petunt.

96. Pari præterea modo à Romana sede jam dictis Legatis, vice Comites Palatini sufficiuntur, simili potestate legitimandi, ad successionem admittendi, & omnia ad instar Legatorum, quorum jam antè mentio facta est, efficiendi, nec non Notarios creandi. Qui tamen Vicecomites adeò sunt inidonei, adeò inhabiles, adeò literarum ignari, adeò denique rerum inexpertes, ut minimum etiam, quod ad Notariatus artem pertineat, ignorent. Vnde non immeritò subsequitur, quòd multò ineptiores, quàm ipsi sint, creent Notarios: ut semper dignum, quod in proverbio est, contingit patellæ cooperculum. Quod ipsum Imperii status, abrogari efflictim rogitant. Præfati item Apostolicæ sedis nuntii & legati à jurejurandis, pactis,

obliga-

obligationibus absolvere, & sic absolutos ad agendum de novo restituere moliuntur. Qua una re æquitati fideique humanæ nihil est adversum magis.

97. Conantur insuper beneficia quæ patronatus juri subsunt conferre, & sic patronis tam Ecclesiasticis quàm secularibus in juribus suis derogare, penitusque eos privare, quod etiam meritò aboletur.

Utriusq; sexus religiosi, in suorum monasteriorum, clausarum, fundationum aliorumq; Conventuum commodum, succedunt secularibus; quum ipsi vicissim ab illis ad hæreditates neq; vocentur, neq; admittantur.

98. Neque hoc Germanicorum Gravaminum postremum est, quamvis ultimum hic sortiatur locum. Mos non amplius ferendus hactenus inolevit, pauloq; altius quàm par sit, radices egit: videlicet quòd Monachi, Moniales, Beguttæ, Beghardæ, Nolhardi, Conventus, & quicunque tandem sunt, qui se religiosos, & à popularibus segregatos profitentur, parentibus, consanguineis, agnatis, ac cæteris amicis in hæreditariis bonis aliquando in partem, nonnunquam in totum succedunt: at vicissim eorum cognati, seu necessarii laici, à prætactis religiosis, ad ipsorum hæreditates adeundas, non solum non vocantur, sed nec admittuntur quidem. Quod Germanis & grave & molestum, injustum etiam, ac non diutius tolerandum onus est. Eapropter necessariò ac summa prudentia curandum est, ut deinceps nemo se memoratorum religiosorum votis vel astringat, vel addicet, nisi prius ea de re civiles Magistratus certiores fecerit: quorum præsentia, authoritate, & consilio Religionem ingredi volentibus, à parentibus & amicis, juxta cujusque fortunam ac facultates mediocriter provideri debet, ut habeant, unde commodè in monasteriis vivere possint. Ea tamen lege, eo pacto & conditione, ut omnibus hæreditatibus, omnibusque parentum, fratrum, sororum, cognatorum, cohæredum, ac quorumcunque aliorum successionibus renuncient: in animumque nequaquam inducant suum, se in posterum hæreditario jure quicquam nedum sperare, tantum abest ut consequi se posse putare queant. Idemque cum his qui jam olim religiosorum regulis sese subjecerunt fieri, à sacri Romani Imperii Statibus & petitur & censetur.

Quod & in proximè habitis VVormatiæ comitiis, de hactenus memoratis gravaminibus tractatum sit.

99. Potior item pars hactenus enumeratorum articulorum, Rom. sedem, Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, Officiales, Ecclesiastica Consistoria, cæterasque Ecclesiasticas personas concernentium, Cæsareæ Majestati in proximo Principum ac Procerum VVormatiæ celebrato Conventu, à laicis Imperii columnis & statibus, inscriptis, non sine supplicibus oblata est precibus, quo prædicta

Gravamina, æquitate, necessitateque ista postulantibus aboleat, atque è medio penitus tollat. Quod ipsum non clàm Archiepiscopis, Episcopis, reliquisque Ecclesiasticarum statibus in prædictis comitiis factum est. At hucusque nihil vel immutare, vel emendare cœperunt. Eam ob rem seculares Imperii ordines necessariò, urgentibusque ex causis adacti sunt, Papali sanctitati suprà memorata, ac non amplius ferenda onera, prout sua sanctitas, clementi, Christiano, pleneque paterno animi adfectu fieri petiit, indicare: atque suppliciter rogare, quo prædicta Gravamina sua sanctitas emendet atque è medio tollat.

100. Plura adhuc Gravamina ob oculos versantur, indicatu maximè necessaria, quæ tamen brevitatis gratia omittuntur. Quamvis seculares sacrosancti Romani Imperii ordines, longè graviora, multoque plura adhuc haberent onera, quæ æquitate interpellante, indicanda forent; at ne justæ brevitatis modum excedere videantur, jam recensitis hoc tempore, reservatis aliis in magis commodum tempus, contenti esse volunt. Ea spe freti, ea fiducia nixi, ubi hactenus enumerata abolita fuerint Gravamina, quòd & reliqua unà corruitura sint.

CLXXXVIII. Henricus Primus Rex Angliæ.

Ius Investituram Regi Angliæ controversum factum.

Circa annum Domini 1100. maximæ fuerunt contentiones Papis cum Imperatoribus Henrico Quarto & Quinto, *de investituris Episcoporum & Abbatiarum*; id est, *de jure conferendi eas dignitates*; nam cum antè sine controversia id jus penes Cæsares ac Reges esset, tunc Grogorius VII. & Paschalis II. id ad sese pertraxerunt, etiam Concliabulis quibusdam Romæ celebratis. De hac controversia alibi dictum est; sed idem planè certamen etiam *in Anglia* Ecclesias perturbavit; nam Anshelmus Archiepiscopus Cantuariensis cœpit resistere Henrico Primo Angliæ Regi, impediens ejus investituras, nolensque illis Episcopis & Abbatibus, qui ab eo confirmati erant, communicare. Testatur verò * Simeon CunelmensisMonachus, hujus historiæ author, jus illud investiendi seu confirmandi Episcopos & Abbates, prius in Regum Anglicorum potestate fuisse; quin & Patrem ac fratrem hujus Regis Guilhelmum nomine, illud jus antè possedisse, tametsi & illi (Guilhelmus vocabatur) id Papa, ac iste ipse Anshelmus extorquere sit conatus.

* Extat ille Historicus inter varios scriptores à Roger. Tvvysdeno Londini 1652. editos omnium primus. Quorum verò hìc mentio fit, extant sub Anno 1103. col. 228.

Hinc apparet, quomodo Antichristi sanctitas (non enim ausim dicere tyrannis) quotidiè magis ac magis creverit, & per orbem terrarum sese extenderit. Cæterùm Anno Domini 1103. teste prædicto historico, ortum est maximum dissidiū inter Regem & Anshelmum Cantuariensem, idq; usq; ad annum 1107. perduravit. Eo porrò anno congregata est Lincolniæ magna Synodus Episcoporum, Prælato-

rum

rum, & Clericorum totius Regni, fuitq; de assensu omnium commodè conclusum. Verùm ubi paulò post Anshelmus fidelis Papæ minister, & turbarum author, mox omnia susque deque pervertit & evertit. Quare mansit aliquandiu ea contentio de jure investiturarum, seu confirmationis Episcoporum, ut etiam ex contentione Henrici II. & Thomæ Cantuariensis apparet. Sed quàm varia, longa, & tantum non exitialia Angliæ certamina de Investituris ibi aliisq; rebus fuerint, audiemus postea ex Matthæo Paris. cuius excerpta quædam hisce nostris inseremus.

CLXXXIX. *Henricus II. Rex Angliæ.*

Circa annum Domini 1165. Henricus II. videns Episcoporum aliorumq; Prælatorum, & Cleri potentiam nimium crescere in Anglia, eosque etiam Papæ juramentis ac juribus à se alienari, atque ita Regiam potentiam ac majestatem penitus debilitari & vilescere, instauravit veteres quasdam consuetudines ac jura regni sui, quas antiqui Reges in usu habuerunt. Eas ille appellavit *Dignitates regni*, quod fortè ad regni, R. q; M. dignitatem, potentiam ac authoritatem tuendam erant necessariæ. Inter illa verò jura etiam fuit, ut Episcopi & Prælati jurent Regi suo fidelitatem, polliceanturque se pro viribus defensuros eius vitam, dignitatem, potentiam, & totius regni publicam utilitatem. Hoc Iuramentum juravit primum, sicut & alia omnia regis jura, *Thomas Beket* Cantuariensis Archiepiscopus, qui postea inter divos est relatus, totius Angliæ primas. Verùm postea cœpit de tanto peccato pœnitentiam agere, à Papa absolutionem petere, & acerrimè talia juramenta, tanquam prorsus impia, damnare. Quare Rex homini perjuro iratus, privavit eum omnibus suis rebus, ac in exilium pepulit; tametsi ille prius clàm ultro aufugerit, exulavitq; quinquennio in Galliis.

Litigatum diu est inter Regem ac Episcopum, etiam Romæ, ubi studio causa producebatur; & jam huic, jam illi malè minabatur Pontifex Alexander II. quo eos subinde argento emungeret; sicut Cantuariensis graviter queritur in suis Epistolis, præsertim in ea quam ad Moguntinum Archiepiscopum scribit, ubi prolixè queritur, *matrem Romam esse factam meretricem, & pro mercede prostitutam esse.* Favebat Cantuariensi Gallus, ut scilicet & ipse vicissim potentem aliquem proditorem in regno Angliæ haberet. Sperabat etiam, Regem ex sua filia sobolem procreaturum; ac Cantuariensem, cuius est coronare Reges, si restitueretur, illi potius suo nepoti, quàm puero ex priore uxore nato fauturum. Quare mittebantur sursum ac deorsum multæ Legationes, magnoq; studio rixa fervebat. In illis Legationibus fuit etiam M. Gratianus Decreti collector, Legatus Papæ, & Petrus Lombardus, Legatus Cantuariensis, duo columina religionis Antichrsti Romani; item Ioannes Oxenforde, Legatus Regis Henrici, cuius etiam quædam scripta extare putantur. Tandem verò cum Papa nil amplius corruptorii argenti speraret, & à

Artes proditoria Pontificis avari

Cantuarienſi aliisque Epiſcopis Gallicis & Anglicis edoctus eſſet, eam obligationem non tam in unius Cantuarienſis perniciem, quàm in omnium Prælatorum, & præcipuè ipſius Papæ, ex cujus juramento ac obligatione regio juramento eximantur, pronunciat ſecundum Epiſcopum, eumque liberum illis obligationibus jubet in integrum reſtitui. Quod & factum tandem eſt. Timebat enim Rex excommunicationem Papæ, ac interdictum; qua occaſione metuebat, ne ſui Proceres novas aliquas turbas concirent, Galloque ſeſe adjungerent. Verùm cum Cantuarienſis eſſet jam reſtitutus, nec tamen adhuc quieſcere poſſet, aut illos abſolvere vellet, quos prius, quod Regi contra ſe faverant, excommunicaverat, juſſu Regis interfectus eſt. In hac verò tota hiſtoria præcipuè illa verba Cantuarienſis ex prolixa Epiſtola ad Alexandrum II. obſervanda ſunt. Dicit enim, id actum eſſe à Rege & ſuis in illa controverſia, *ut vigerent conſuetudines* (verba ejus ſunt) *aut potius abuſiones veterum tyrannorum* (id eſt, Regum Angliæ) *Rom. Pont. neſciretur in Anglia, & ſponſæ Chriſti privilegia* (id eſt, nimia licentia Epicureorum ſacrificulorũ) *ſine reparationis ſpe delerentur.* Hinc enim intelligitur primùm, illas conſuetudines ſeu jura non fuiſſe nova, ſed etiam veteribus Regibus uſitata. Deinde, tum illos vetuſtiores Reges, tum hunc Henricum Secundum id ſedulò egiſſe, ut Romani Pontificis tyrannidem & expilationes, Clerique nimiam potentiam, opes, ac licentiam, quæ illi Privilegia vocant, nonnihil cohiberent, ne Regiam potentiam ac dignitatem tantopere debilitarent & coarctarent.

Idem ſanè & Gallici ac Germanici Monarchæ ſedulò egerunt, ut alibi in hoc libro dictum eſt, & dicetur; ſed fruſtra; quia, ut Daniel inquit, Antichriſto ſuccedere debebat, quoad ira Dei ſuper populum ſuum finiretur. Hinc ergo judicent rectè ſentientes, an meritò hic contemptor ſuperioris poteſtatis ſit canonizatus. Hanc hiſtoriolam ex Epiſtolis quibuſdam, unà cum alia membrana ex Anglia Norinbergam allatis, bona fide excerpſi. Vide Balæi Catalogum ſcriptorum Anglicorum. Sæpè enim in pluribus nominibus facit iſtius idoli Thomæ mentionem, dicitque eum etiam propterea, illas turbas conciviſſe, quod Rex volebat punire Clericos, qui tunc illic immaniter cædibus & libidinibus graſſabantur; verùm hunc præclarum martyrem contendiſſe, pertinere ad Privilegia Eccleſiæ, ne Rex raſos & unctos attingeret.

Pag. 186. edit. Colon. 1591. Cæſarius (Heiſterbacenſis) libro Dialogorum 8. cap. 69. dicit, quadrageſimo octavo anno poſt mortem hujus ſeditioſi nebulonis, diſputatum eſſe Pariſiis inter Magiſtros, *an damnatus vel ſalvatus eſſet*; ac Rogerum quendam Normannum dixiſſe, *eum fuiſſe dignum morte, propterea quod contumax fuiſſet erga Regem, Dei miniſtrum.* Verùm alios dixiſſe, *eum meritò inter Martyres referri, quia pro Clero mortem obiiſſet.* Ita habes Chriſtiane lector, Papiſtarum regulam; eos eſſe bonos ac pios, qui pro utilitate ac dignitate ſacrificulorum, contra reliquum Chriſtianorum cœtum ſedulò laborant ac pugnant. Balæus multos præclaros viros nomi-

nominat, qui contra istum Beketum scripserint, aut alioqui ejus causam improbaverint, Regemq; defenderint: ut, Ioannem Oxenforde, Gilbertum Foliot, Ioannem Pictaviensem Episcopum, & alios. Quin & Petrum Blesensem, ejus arrogantiam improbare solitum, testatur. De Henrici porrò secundi vitâ ac laudibus, vide Petrum Blesensem in Epistola ad Gualterum Panormitanum Episcopum, & Balæum. Sed adscribam locum Blesensis. *Non sicut alii Reges* (inquit) *in palatio jacet, sed per Provincias currens, explorat facta omnium: illos potissimum judicans, quos constituit judices aliorum. Nemo est argutior in consiliis, in eloquio torrentior, securior in periculis, in prosperis timidior, constantior in adversis. Quoties potest à curis & sollicitudinibus respirare, secreta se occupat librorum lectione, aut in cuneo Clericorum aliquem nodum quæstionis laborat evolvere. Regibus aliis longè eruditior est, urbanior, munificentior. Ad pacẽ populi pertinet, quicquid cogitat, quicquid loquitur, quicquid agit. Nullus sublimior, nullusq; magnificentior invenitur. Pater ejus, potentissimus & nobilissimus Comes, fines suos amplissimè dilatavit. Sed iste patris facultatibus superaddens, in fortitudine manus suæ ducatum Normanniæ, ducatum Aquitaniæ, ducatum Britanniæ, regnum Angliæ, regnum Scotiæ, regnum Hiberniæ, regnum Galliæ, paternæ magnificentiæ titulos inæstimabiliter ampliavit. Quadam n. divinitatis imagine semper ambivit opprimere fastuosos, oppressos erigere, & adversus superbiæ tumorẽ exitiales suscitare molestias &c.*

CXC. *Richardus Rex Angliæ.*

CIrca annum Domini M. CC. regnavit in Anglia Richardus Rex; Is, teste Engelhusen, admonitus fuit à quodam sancto Sacerdote, *Sulkone*, ut filias suas nuptui daret, ne eum Deus adhuc gravius puniat; cumque ille negasset se ullas habere filias, respondit Sulco: Imò tres, easque pessimas habes: *superbiam, avaritiam, & luxuriam.* Quare consentiens Rex, convocatis suis Proceribus, dixit: *Do superbiam, avaritiam & luxuriam templariis & hospitalariis Monachis & Ecclesiasticis Prælatis cum Clero.* Vnde apparet, quid & illi homines de Clericorum probitate ac pietate senserint. *Apophtegma scitum in luxum Pontificum.*

CXCI. *Rupertus, Episcopus Lynconiensis.*

RVpertus Episcopus Lynconiensis, vixit circiter 1250. id est, ante annos 300. Habuit quasdam contentiones cum Papa; noluit admittere quendam Papæ amicum ad Canonicatum Lynconiensem, propter inscitiam. Balæus scribit, eum etiam restitisse Papæ expilationibus, Angliam deglubentis; fuitque ideo à Papa excommunicatus; quam excommunicationem adeò constanter contempsit, ut & mortuus in ea sit. Disputat, Papam nihil contra justitiam veritatemque posse: imò cum id faciat, pejorem eum Lucifero & Antichristo esse. Tandem à Papa ad curiam *Veritatis assertor fortis & Ecclesiasticæ disciplinæ vindex.*

citatus,

citatus, & injustè damnatus, ab eo appellavit ad Christum: ac narrat Cistrensis lib.7. teste Huss, & quidam alii, quod obeunte Lynconiensi, audita sit vox in curia Papæ, clamans: *Veni miser in judicium Dei*; repertusque sit sequenti die Papa in lecto exanimis, ac livida in eo plaga, tanquam si fuste percussus fuisset. Fateor autem, non posse me ordine totam ejus historiam recitare, nec id jam ago; sed Matthæus Paris, historicus Anglicus, qui circa ea tempora vixit, testatur, eum voluisse anno Domini M. CC.XXX. suum Clerum ac Prælatos reformare; verum illos impetrasse à Papa literas, quibus ab ejus jure in ea parte liberarentur. Quare profectum eum esse Romam, ac cum Papa acriter expostulasse; verùm frustra. Papam enim respondisse, cum quidem suæ conscientiæ ac officio satisfecisse, quòd suos reformare voluerit. Quare non esse quod amplius tristetur, aut queratur. Nam quod ipse Papa aliquid cum aliquibus dispensavit, se de eo coram Deo rationem redditurum. Atque ita illum Episcopum re infecta, consumptis multis pecuniis, vexataque senectute in tam longo itinere, quasi cum quodam dedecore domum rediisse.

Concio corã Rom. Pontifice.

Verisimile mihi est, in hac profectione eum sequentem concionem habuisse; nam Hussus recitat partem cujusdam concionis hujus boni viri, quam coram Papa habuit, in suo Sermone *de Pace*: quæ, quia non extat impressa, integra hic à me describetur, cum præsertim haudquaquam indigna sit, quæ publicè legatur. Sic igitur incipit, ut & Hussii verba adscribam:

Magnus Doctor Robertus Lynconiensis Ecclesiæ Episcopus, in Sermone quem fecit coram Papa, loquitur his verbis: Et quæ inconsolabiliter lugendæ coarctionis & imminutionis, ac per hoc dilationis complementi regni cœlestis causa in promptu est, bonorum videlicet pastorum defectio, & malorum multiplicatio. Vnius enim una est causa, & oppositorum causæ oppositæ. Vnde cum boni pastoralis libertas causæ fuerunt dilatationis fidei, & religionis Christianæ: necessariò è contra coarctionis & imminutionis ejusdem fidei & religionis sunt, pastores mali & eorum multiplicatio, & potestatis pastoralis repressio. Et quia boni corruptio, est mali oppositi generatio, malique Pastores sunt causa corruptionis fidei & religionis Christianæ, necessariò ipsi sunt causa infidelitatis, schismatis, hæreticæ pravitatis, & vitiosæ conversationis per orbem universum. Ipsi enim sunt secundum vocem prophetalem, portionis Domini desiderabilis in desertum solitudinis datores, omnis terræ desolatores, & gregis Domini dispersores, dilaceratores & dissipatores, vineæ Domini depastores & demolitores, & pollutionis super omnem terram effusores. Nec mirum. Non enim annunciant Christi Evangelium, verbo oris veniente de vita cordis, zelo videlicet salutis animarum aucto, roborato, & consummato exemplo operum, operibus Iesu Christi ut possibile conformium: ac per hoc secundum legislatores & Prophetæ testimonia, ipsimet in seipsis sunt mortui, & animarum curæ suæ commissarum occisores & mortificatores: ac per conse-

Scelera Pontificum & Cleri.

consequens, cum principale opus Christi, propter quod ipse venit in mundum, sit animarum vivificatio: & satanæ opus proprium, & maximè ab eo inventum, utpote homicidæ ab initio, sit animarum occisio & mortificatio: ipsi pastores personam Iesu Christi induti, verbum Dei non annunciantes, & si non superadderent malitias alias, sunt Antichristi, & satanas transfiguratus in Angelum lucis, fures & latrones, mactatores ovium, & perditores, facientes domum orationis speluncam latronum: superaddunt autem & omne genus prævaricationis, ut jam non sit super quo percutiat eos Deus ultrà. Superbia enim eorum manifestissimè ostendit semper, nec non cupiditas & avaritia, ut jam completa sit vox prophetalis, qua dicitur, Quod unusquisq; declinat ad avaritiam suam, à summo usq; ad novissimum, lucrum avaritiæ sectantes in hoc nescientes saturitatem. Indeq; effecti sunt viduarum deprædatores, pupillorum direptores, crassi quidem in grege occisores, pellium gregis desuper carne eorum, & carnium eorum desuper ossibus eorum violenti ablatores, & ossium confractores & concisores, sicut in lebete sanguinis effusores. Insuper luxuriosissimi sunt, super omnes fornicatores, adulteri, incestuosi, omni genere gulositatis summè gulosi: & ut breviter transeatur, omni genere flagitii, facinoris, abominationis, & novæ in his adinventionis, sicut dicunt Prophetæ, coinquinati, Deo & curiæ cœlesti summè abominabiles & odibiles effecti. Quia per ipsos nomen Dei in omnibus gentibus blasphematur.

Cumque pastorum conversatio gregis sit libera doctrina & instructio, ipsi sunt evidentes magistri malorum omnium: & quomodo non tunc hæretici maximè, cum verbum operis efficacius suadeat verbo oris, & cum ex officio ipsi sint generationes in vitam æternam, quomodo sic abutentes hac ingenerativa, non sunt consonantes verbis Prophetarum, corporalibus illis Sodomitis pejores & abominabiliores, præsertim cum melioris virtutis pejor & abominabilior sit abusio? Ipsi etiam pastores sunt ex officio lux & sol mundi, ipsum illuminans & vivificans. E contrario autem facientes, pro luce densissimas tenebras effundentes, & pro calore vitali frigus corrumpens & mortificans, manifestissimè sunt mundi totius proditores. Sed quæ est hujus mali tanti pejor & originalis causa, fons & origo? dicere vehementissimè tremisco & expavesco: silere tamen non audeo, ne incidam in illud Væ Prophetæ dicentis, Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Causa, fons & origo hujus est hæc Curia, non solum ex eo quod hæc non dissipat, & has abominationes non purgat, cum ea sola hæc maximè possit, & ad hoc summè teneatur: sed eò amplius, quod ipsa per suas promissiones, dispensationes & collationes, curiæ pastoralis tales, quales prætacti sunt pastores, imò mundi proditores, in oculis solis hujus constituit.

Hæc per totum Lynconiensis Episcopus, in sermone quem exhibuit in præsentia Domini Papæ Innocentii Quarti, & in præsentia Dominorum Cardinalium constitutis.

Hactenus ex Hussio partem sermonis Lynconiensis descripsi. Cæterum Balæus in suo Catalogo testatur, eum Sacerdotes, non Dei, sed hominum mandata docentes, solitum esse appellare Satanæ ministros, Antichristos, fures nocturnos, latrones diurnos morum corruptores, animarum carnifices, & angelos tenebrarum. Narrantur & miracula quædam ejus: sed quia Papæ adversarius fuit, non potuit, nec debuit (ut Papistæ loquuntur) canonizari, seu inter sanctos referri, utpote hæreticus & schismaticus.

Matthæus Paris scribit, hunc sanctum Patrem paulò ante mortẽ lethaliter decumbentem, advocasse ad se quendam Monachum Ioannem de S. Ægidio, virũ apprimè eruditum, cumq; graviter accusasse, quod ipse & alii Monachi nõ aliquanto acrius Papæ expilationibus & tyrannidi resistant. Scribit quoq; idem, fuisse ei aliquando venenum propinatum, sicut & multis aliis, Romanistarũ opera: sed liberatum, Dei ac eruditi medici beneficiis. Ad hæc idem Paris dicit, Papã voluisse hujus boni Episcopi cadaver effodi, cumq; per orbem terrarum pro ethnico & hæretico proclamari & diffamari. Verùm in ipso conatu extinctum, habita etiam quadam visione irati Lynconiensis. Nimirum conscientiam & furias ejus est perpessus.

CXCII. Sevaldus, Eboracensis Archiepiscopus.

Contra tyrannidẽ & dominium Papæ.

NOn multò post mortem Lynconiensis, est excommunicatus à Papa Romæ, & ab ejus ministris in Anglia, Sevaldo, Archiepiscopus Eboracensis, ob easdem causas paulò antè expositas; ille scilicet, propterea quod repugnavit tyrannidi & expilationibus Papæ. Mira enim, & planè incredibilia narrat Matthæus Paris, historicus Anglicus; quàm miserè tunc Romanus Pontifex sit solitus Angliam non tam expilare, quàm deglubere, aut potius excoriare. Verũ hic bonus Pontifex fretus causæ ac conscientiæ suæ bonitate, exemplo Lynconiensis, Papam, ejusq; excõmunicationem contempsit. Quare Papa permotus, sua fulmina iteratis vicibus in eum exasperavit. Sed adscribit historicus, quod quantò ille magis à Papa maledicebatur, tantò magis à Deo & hominibus benedicebatur. Scribit & hæc de eodem idem historicus. *Sevaldus Archiepiscopus Eboracensis, dum constanter contra Romanæ curiæ tyrannidem dimicaret, tribulationibus lacessitus expiravit, Hic in amaritudine animæ constitutus cogitavit*, Papam ad multorum perniciem à Deo super Ecclesiam permissum, *exemplo Roberti Lynconiensis provocatus, & dolens inconsolabiliter, scripsit ad Papam breviloquium quoddam, ut à consueta tyrannide temperaret, humilitatem sanctorum sequendo prædecessorum; ut & exemplo Petri pascat oves Christi non tondat, non excoriet, non eviſceret, aut devorando consumat; promoverat n. ad Ecclesiastica officia ignaros, ac linguæ Anglicanæ inexpertos, præcipuè Iordanum quendam Decanum. At Papa subsannans & contemnens omnia, majorẽ cõcepit indignationem, renuitq; inclinari,*

* Idem hoc testimonium repetit postea sub titulo: Matthæus Parisiensis.

CXCIII.

CXCIII. *Epistola de extrema expilatione ac servitute Angliæ per Papas effecta, ex veteri Codice descripta.*

ECclesiæ nobili Anglicanæ, in luto & latere ancillatæ, Petrus filius Cassiodori, miles Catholicus, pugil Christi devotus, salutem, & captivitatis jugum abjicere, & bravium accipere libertatis. Comparabo te cui, vel cui assimilabo te Ierusalem filia? cui exæquabo te virgo filia Syon? magna enim est tua contritio. Velut mare, sola facta es sine solatio, tota die mœrore confecta. Data es in manus ejus, de quo non potes surgere absque auxilio sublevantis. Nam Scribæ & Pharisæi super cathedram Mosi sedentes, Principes Romani hostes tibi in capite facti, sua phylacteria dilatantes, ambientes locupletari tuorum ossium ex medullis, gravia & importabilia in tuis & tuorum ministrorum imponunt humeris onera: & ultra quàm decet, te constituunt sub tributo, quæ libera fueras ab antiquo. Recedat abhinc omnis admirationis materia, quia mater tua nomina gentium, viduarum more suo subdito desponsata tibi, ipsum in patrem constituit, & Romanæ urbis Pontificem summum præelegit, qui quod ita sit, tibi in nullo paternitatis genere hoc ostendit. Super te quidem suas magnificat fimbrias, & experimento edocet se tuæ matris esse maritum. Commemorat enim apud se Propheticum sæpe verbum, quod est in scrinio pectoris sui sic digestum: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis velociter, Spolia detrahe, citò prædare. Nunquid eum Apostolus, ad hoc constituendum, sic scribit: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum? non ad spolia & rapinas, non pro annuis censibus imponendis, nec pro necandis hominibus, sed ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui etiam his condolere possit qui ignorant & errant. Et de Petro legitur piscatore, cujus se esse commemorat Successorem, quod post Christi resurrectionem cum cæteris Apostolis ad piscandi officium est reversus: qui cum nihil in sinistra navigii parte caperet, Christo jubente ad dexteram se convertit, & in terram plenum magnis piscibus rete traxit.

Est igitur ministerium Ecclesiæ utile in parte dextera exercendum, per quod & diabolus vincitur, & eidem Christo copia animarum adducitur. Certè sic labor sinistræ partis navigii non se habet: quia in eo fides titubat, dominatur tristitia, cum quod inquirendo appetitur, minimè invenitur. Quis enim credat, simul & semel posse servire Mammonæ atque Deo? ac suæ voluntati placere, & carnis ac sanguinis revelationibus inhærere, & offerre Christo munera digna? Et dubio procul pastor qui supra gregis ædificationem non vigilat, aliunde rugienti leoni, quærenti quam devoret, parat viam. Vide inquam, facta inaudita nuncupativi filia patris tui, qui bonos pastores à caulis ovium amovet, & suos nepotes, cõsanguineos, & parentes aliosq; nonnullos literas ignorantes, & velut mutos & surdos ovium earundem

non intelligentes balarum, nec de morſibus luporum curantes, velut mercenarios vellera auferentes, & metentes ſemina aliorum in ipſis, non ut proſint, ſed ut præſint, cõſtituit pro eiſdem, quorumq; manus in cophinis ſerviunt, & ipſorum dorſa ab oneribus divertuntur. Ex quibus liquet, quod ſacerdotium prætermittitur his diebus, obſequium divinum ſubtrahitur, & eleemoſynarum largitio adnullatur, per quod Regum, Principum & Chriſtianorum ſancta devotio evacuatur.

Nónne debet in oculis omnium mirabile reputari, quod ubi Chriſtus pro ſe & Petro Regibus ſolvi juſſit tributum, ipſe regna & regnorum Principes contra voluntatem illius, cujus dicit ſe eſſe Vicarium, qui ab ſe regna & mundi judicia abdicavit, ſuæ ſubjicere nititur ditioni, dominio ſui ſtyli, quia totũ ſibi vendicat, quod ſcripſerat eſſe ſuum? De te, filia, quid plus agit? Ecce à te trahit quodlibet: nec tamen reputat ſe contentum, ſi partem rerum tuarum decimam à te ſumat, niſi primos fructus beneficiorum tuorum habeat miniſtrorum, ut tam pro ſe quàm pro ſuo ſanguine novum conſtituatur patrimonium, de eiſdem abjectis piiſſimis voluntatibus fundatorum: & alia etiam execrabilia pro curſorum ſuorum ſtipendiis, quos tranſmittit in Angliam, jam imponit, qui non tantum tuum ac tuorum victum auferant & veſturas, ſed eorum pelles ac carnes lacerent velut canes. Nunquid Nabuchodonoſor Regi debeat comparari, qui templum Domini devaſtavit, & vaſis ſuis argenteis & aureis ſpoliavit? quod egerat enim ille, agit & iſte, & ille domus Dei ſpoliavit miniſtros, & ipſam debito deſtituebat auxilio: hæc & hic facit. Certè melius eſt occiſis gladio, quàm fame aliqualiter interfectis: quia illi ſunt mortui ſtatim, & iſti ſunt à terræ ſterilitate conſumpti.

Compatiantur tibi filia, omnes tranſeuntes per viam, quia non eſt dolor ſimilis ſicut tuus, jam enim præ dolore nimio, atq; effuſione tua nimia lachrymarum ſuper carbones, ô facies tua denigrata ita, quòd non es cognita amplius in plateis, in tenebroſis te tuus præfatus ſuperior collocavit, inebriavit te abſinthio & felle. Afflictionem populi tui, ejusq; gemitum audi; vide Domine, & deſcende: quia cor dicti viri ſuper cor Pharaonis eſt nimium induratum, quem, populum abire liberum non dimittit, niſi in fortitudine manus ſuæ, non enim ſuper terram flagitat miſerabiliter, ſed poſt mortem: quia quorumcunq; Chriſtianorum bona ſub nomine tituli de inteſtatis conſiſtunt omnia, poſt deceſſum omnia devorat. Etenim Eccleſia Anglicana, qualiter à retroactis temporibus, Franciæ in Regnum Angliæ ſuos concupiſcentiæ oculos dirigentes machinabantur, illud ſuæ ſubjecere poteſtati, ſed quod in ipſis hactenus defuit, eſt timendum, ne ſuppleat prædicti viri nova conjecturatio novi hoſtis: quia Regni deficiente theſauro, & ejus deſtructo ſacerdotio, efficietur verè Regnum impotentius contra hoſtes.

Ne igitur tua filia, tuiq; ſacerdotes in miſeriam deducamini longiorem, expedit ut pro tua & tuorum ſalute, quòd Rex tuus Chriſtianiſſimus & Regni potentes, qui ampliſſimis beneficiis te ornaverunt, quiq; vos & beneficia hujuſmodi, ha-

berent

berent in hoc casu tueri, resistant conjecturationibus, conspirationibus, arrogantiæ, ac superbiæ dicti viri, qui non Dei contemplatione, sed pro præmissis & pro suis ditando parentibus, ac pro nido suo, quia Aquilam exaltando per præmissa & alia imposita per eundem, totalem pecuniam Anglicanam novi dominii genere jam compellit, ne dissimulata in hac parte simplicitas Regni hujus subversionem auferat, velut tuam, & adhibeatur serò remedii tunc cautela. Avertat nempe Dominus virtutum de corde viri illius velamen, sibique cor contritum & humile largiatur; & agnoscere eum faciat vestigia veri Dei, per quæ à suis tenebris eruatur & præmissos labores sinistros dimittere compellatur: nec non & vinea quam plantavit Dei dextra, sacræ fidei cultoribus repleatur. Animadverte enim verba Domini, & Prophetiam Ieremiæ, ad propulsandum hujusmodi inchoata, quæ dicunt: Tu Pastor, qui Populum meum dispersisti, & eum de suis habitationibus ejecisti, ecce visitabo super te tuorum malitiam studiorum, nec erit vir qui super solium David de tuo semine sedeat, nec qui in Iuda ultrà habeat potestatem, fiat nidus tuus desertus, & sicut Sodoma & Gomorra, taliter fit subversus: qui si perterritus ex his dictis non destiterit ab in cœptis, & restitutionem non fecerit de perceptis, psallent pro eo ex tunc nequiter corde indurato Psalmum centesimumoctavum, illi cui omnia serviunt, apertè singuli singulis diebus in Christo devotissimi dicimus laudem.

* Wolfius Cent. 13. Lect. Memor p. 534, 535.

CXCIV. *Matthæus Parisiensis, Albanensis Monahus.*

MAtthæus Parisiensis, Anglicus historicus, floruit ante annos 300. & redegit in compendium Historias Angliæ, seu præcipuos flores inde decerpsit. In eo opusculo valde multa narrat de *gravissima Papæ tyrannide*, qui miris artibus omnia Ecclesiarum Iura, Electiones, Investituras seu Confirmationes ad sese rapuerit; imò & quàm miris ac multiplicibus artibus Angliam penitus sit deprædatus, expilaverit, & exuerit. Narrat idem multa & *de certaminibus scholæ Parisiensis cum Monachis*, quæ ordine adscribam, sepositis minus ad scopum nostrum pertinentibus. Adscribam verò etiam ipsa verba prædicti historici, majoris fidei gratia. Dolendum verò est, numeros aliquando esse corruptos. *Contra varias Pontificis artes.*

Anno Domini 1094. Rex Angliæ non multum favebat Ecclesiæ Romanæ; quia solito impudentius munera postulabat. Nullum igitur de suis permittebat Romam abire, allegans, quòd Petri vestigiis non inhærebant, præmiis inhiantes, nec ejus potestatem retinerent, cujus sanctitatem probabantur non imitari. Et paulo pòst Romæ fuit Anshelmus, qui ex Regno Angliæ profugerat, Concilii moderator, præsidente Vrbano, cujus consilio Papa investituras Ecclesiarum laicis ademit, & accipientes Synodali authoritate privavit, aliisque rudimentis Anshelmus Papam reformavit.

Anno 1095. Anshelmi providentia Vrbanus apud Clarum montem in Alvernia Concilium tenens, hæc fecit statuta inter alia: Quòd Ecclesia Catholica sit in fide casta, & ab omni seculari servitute libra, ut Episcopi vel Abbates vel Clerici Ecclesiasticas dignitates de manu Principum non accipiant, neque ab aliquo laicorum, sed tantùm à Papa. Quòd qui cæperit Episcopum, exlex fiat: & qui sacri ordinis viros, anathema: & qui morientium bona acceperit. Quòd qui ad Ecclesiam vel crucem confugerit, immunitate gaudeat.

Emericus Primus Rex, in coronatione promisit: Mortuo Archiepiscopo vel Abbate, nihil accipiam de dominio Ecclesiæ, vel de hominibus, donec successor in eam ingrediatur. Anshelmus rediit Regis permissione, ac sedem repetiit.

Anno Domini 1012. Anshelmus Concilium tenuit Londini in Ecclesia sancti Pauli, ad festum Michaelis, in quo Decreta Romana de investituris publicavit, ne scilicet ullæ Ecclesiasticæ dignitates de manu laica susciperentur. Deposuit etiam quosdam Abbates, à Rege in eam dignitatem promotos, Et quoniam noluit consecrare quosdam à Rege institutos Episcopos denuò factus est profugus: perduxitq; secum Romam à se degradatos Abbates, denuoque ei pristinas dignitates intermediantibus muneribus impetravit. Circa idem tempus maxima fuit Romæ inter Anshelmum & legatos Regis de investitutis contentio. Tandem Rex suo jure de investituris cessit, Anno Domini 1017.

Anno Domini 1119. Anshelmus obiit post multa certamina, pro potentia ac opibus Papæ, & Clericorum contra Regem suscepta.

Legatus Pontificius insignis hypocrita. Anno Domini 1128. Ioannes Cremensis Apostolicæ sedis Cardinalis, de licentia Regis Anglorum veniens in Angliam, in Episcopatibus & Abbatiis perendinans, lucris & delitiis inhiabat. Et tandem metens ubi nō seminaverat, cum multis donariis saginatus, ad nativitatem beatæ Mariæ Londoniis solenne Concilium celebravit: in quo inter cætera, concubinas sacerdotum, & sacerdotes damnavit concubinarios. Tandem verò in eodem vitio ipse legatus in delitiis crapulatus cecidit, ac compeditus & deprehensus, scandalum in Ecclesia non minimum suscitavit.

Anno Domini 1133. Rex Stephanus, investituras Prælatorum sibi reservat.

Thomæ Beketi vita. Anno Comini 1162. Thomas omnium primus fœlicitatem juravit Henrico, Regis Henrici primogenito. Idem Thomas adhuc laicus eligitur in Archiepiscopū Cantuariensem, ab Episcopo Roffensi Gualtero. Sacerdos postmodum ordinatus, habitumq; Monachorum à Papa suscepit. Mariam invocabat (ut integritati favere videretur) & Thomam Apostolum, quia in ejus die in lucem primùm prodierat.

Anno Domini 1164. apud Clarendam, Ioanne de Oxonia præsidente, multa fiunt super investituris, officiis, & facinoribus Cleri. Thomas Cantuariensis cum concessisset leges regias, & eas observare juramento firmasset, ad se reversus, facti pœnituit ab altaris officio se subtrahens, donec à Pontifice Romano absolut⁹ fuisset.

Anno Domini 1171. Thomas Cantuariensis occiditur. Rex Henricus Hiberniam.

niam ingressus, à clero & populo Rex salutatur, permisitq; postea ad Papam liberè appellationes fieri & consuetudines contra Ecclesiæ libertates in irritum revocari.

Gildebertus Thomæ Cantuariensis indefessus persecutor, Ecclesiæ Londinensi restituitur.

Anno Domici 1176. veniente in Angliam Petro Leone legato, concessit Rex, quòd nullus de cætero Clericus ante judicem secularem personaliter pro crimine traheretur: quòd Episcopatus vel Abbatia non tenerentur in manu Regis ultra annum, ut interfectores Clericorum convicti Episcopo præsente punirentur, & Ioannes Regis filius sit hæres Gloverniæ.

Anno Domini 1179. puer quidam apud VVadescoch martyrizatur. Conciliũ generale Romæ celebratur, in quo inter cætera constitutum est, ut Clerici continentes vivant. Et si qui deprehensi fuerint in eo vitio laborare, quod est contra naturam, excommunicentur, & à Clero abjiciantur. Archiepiscopi in visitatione sint contenti quinquaginta equis, Episcopi triginta, legati XXV. Archidiaconi VII. Decani II. nec stare compellantur Ecclesiastici laicorum judiciis. *Levis pœna in pæderastas.*

Anno Domini 1189. Baldevvinus Cantuariensis, Galfrido Eboracensi electo Regis fratri prohibuit, ne ab alio quàm à se ordinem susciperet sacerdotalem, vel consecrationem Episcopalem. Et ne à quoquam redargui posset idem Episcopus, infinita pecunia voti solutionem de peregrinatione à Papa impetravit.

Innocentii Tertii favore exortum est in Italia novum Prædicatorum genus, qui Iacobitæ dicebantur: quia Apostolicam vitam cœperunt imitari.

Anno Domini 1198. surrexit dissensio inter Archiepiscopum & Monachos Cantuarienses, propter Ecclesiam quam ad Lambetham ædificabat. Timebant Monachi, ne sedem illuc transferret cathedralem, advocatis Monachorum loco secularibus sacerdotibus, in eorum opprobrium aut contemptum: præcipuè in contemptu sanctorum, quorum plerique fuerunt Monachi. Romam igitur profecti, Innocentio Papæ graviter sunt conquesti, ære prodigaliter effuso: quod Papa non refutavit, quamvis esset collectum de pauperum oblationibus. Vnde sequenti anno compulsus est Archiepiscopus, Pontifice impetrante, Ecclesiam suam ignominiosè complanare. Eo anno fiebant horrendæ tempestates. Papa Innocentius sub colore subventonis terræ sanctæ, pecunias colligebat: hoc tolerantibus Regibus, ne qui indigebant, in pace suspecta, auxilio Papali destituerentur. Quæ argumentosa extorsio per futuros eventus Deo creditur displicuisse. *Hypocritarum digladiationes & Pontificis avaritia.*

Anno Domini 1206. Ioannes Ferendinus legatus in Angliam veniens, eamque perlustrans, magnam pecuniæ summam congessit & tandem ne nihil fecisse in spiritualibus videretur, Radingæ Concilium celebravit. Quo pacto sarcinulis cum magna cautela dispositis, festinus ac repentinus victor Romam remeavit.

Anno Domini 1207. Romæ post multas hinc inde susceptiones de Archiepiscopo Cantuar. electos cessavit Pontifex, admisso Stephano de Langron Cardinali,

quo

quo non erat in Curia major. Extunc ergo non potuit ei deesse Papa in omni tribulatione: quia creatura sua fuit, inquit Matthæus Parisiensis.

Innocentii conatus tyrannici adversus Angliæ regnũ.

Anno Domini 1211. Innocentius Papa omnes à fidelitate ac subjectione Regis Ioannis absolvit: imo à mensa, consilio, & colloquio inhibebat, sub anathematis comminatione. Vnde fugientium ab eo major pars diversa morte interiit. Papa Innocentius sententionaliter diffinivit, ut Rex Ioannes à Regni solio dejiceretur, injunxitque illud officium Regi Francorum in remissionem peccatorum: promittens ei, si id faceret, quòd jure perpetuo ipse & successores sui Angliæ Regnum possiderent, scripsitque ad alias nationes, ut cruce se signarent, pro vindicanda universalis Ecclesiæ injuria contra ethnicum. Accinxit se Rex Francorum, paratis navibus ad pugnam, coronam Angliæ authoritate Papali adempturus: veneruntque cum illo omnes Episcopi & Monachi Angliæ proscripti, cum clericis & laicis exulantibus, jactabantque se habere omnium ferè Angliæ Magnatum literas, de conniventia & favore. Interim Angli ceperunt ex Francorum navibus trecentas, frumento, vino, farina, carne, armis ac aliis rebus oneratas, aliis injecto igne cõmbustis.

Anno Domini 1213. hæresis Albingensium dilatata, totam provinciam cœpit maculare. Nicolaus Tusculanensis legatus, qui cum quatuor equis & duobus mulis intrabat, quinquaginta in brevi stipatus, & multa familia incedebat, miramque in Ecclesiis tyrannidem fecit.

Anno Domini 1214. postquam se submisisset Rex Ioannes, iratum Francorum Regem deridebant, qui expenderat plus quàm L. millia librarum in illo magnifico apparatu, præter amissas naves. Asserebat insuper coram Pontifice, adversus Simonem Langton, Archiepiscopi Stephani fratrem, Ioannem Regem benignissimum fuisse, & modestum, Ecclesiæque Romanæ pronum ac devotum: sed in exactionibus ablatorum Archiepiscopum & Episcopos fuisse protervos contra Regem humiliatum, & supra modum avaros, & quòd Regni libertates plus æquo deprimerent, laxatumque est interdictum.

Pontifex libertatem Angliæ abolere studet, renitentibus Francia Rege & Proceribus.

Anno Domini 1215. Papa in Angliæ Barones offensus & iratus, vultu rugoso & indignatione maxima, chartam libertatum Angliæ, licet pia & justa continentem, in perpetuum per sententiam diffinitivam damnatam cassavit, excommunicabatque rebelles. Suspensus erat Archiepiscopus ab ingressu Ecclesiæ, & à divinorum celebratione, quia nolebat Barones excommunicare per suam diœcesim. Barones in Regem eligunt Francorum Regis filium: cujus in Angliam progressum Guilo Cardinalis impedivit, adferens ad Francorum Regem mandatum, ut Ioannem Ecclesiæ Romanæ feudatarium protegeret, defenderet, & diligeret. Respondit Francorum Rex: Regnum Angliæ patrimonium sancti Petri nunquam fuit, nec est, nec erit: nullus Rex vel Princeps dare potest Regnum, quod est Reipublicæ dominium, sine assensu Baronum suorum, qui Regnum tenentur defendere. Et si Papa hunc errorem tueri decreverit, perniciosum Regibus & regnis omnibus præbebit exemplum.

exemplum. Non approbo factum Anglorum Regis Ioannis, adversarii mei: sed doleo de regni ejus ancillatione, cum Princeps provinciarum fiat sub tributo.

Tunc circumsedentes Franciæ Magnates, quasi uno ore clamare cœperunt: Per preciosam Christi mortem, in quem credimus, in hoc Articulo stabimus ad capitum sectionem, quicquid fecerit Anglorum Rex: quòd Princeps non poterit Principatum suum dare tributarium, ut Regni nobiles inde efficerentur servi, præsertim Sacerdoti. Superveniensque ex industria Ludovicus Regis filius dicebat: Rogo ne propositum meum justum impediatis, me elegerunt in suum Dominum Anglici Barones, pro hæreditate mea: dum cor in pectore palpitat, decertabo, dissimulatque idem Pater.

Magister Simon Langton, frater Archiepiscopi Cantuariensis, & Gervasius de Hopprugge, Ecclesiæ sancti Pauli Lond. præcentor, cum quibusdam aliis, Papæ excommunicationem inanem habuerunt.

Anno Domini pace inter Anglos & Francos composita, excepti sunt ab eo beneficio Episcopi, Abbates, Priores, Monachi, Canonici, & Cleri multi, qui Ludovico ac Baronibus consilium & auxilium præstabant: maximè Magister Simon de Langton, & Gervasius de Hobrugge. Qui omnibus beneficiis spoliati, Romam adierunt, propalàm misericordiam expectaturi, quæ parva erat. Legatus in clerum mirabilem (ut par erat) tyrannidem.

Papa eo tempore hydropisi spirituali laborans, evacuavit per Legatum Clericorum & claustralium loculos. Hugo Lyncolniensis pro Episcopatu recuperando mille marcas exposuit, ac legato centum numeravit, ejus exemplo & alii sunt edocti, eandem sedare sitim.

Anno Domini 1221. dissensio orta est inter Richardum de Marisco Episcopum Dunelmensem, & ejusdem cœnobii Monachos, Romæ tandem se mutuò accusantes de Simonia, adulterio, sacrilegio, & perjurio. Et cum servus Episcopi Monachum semel Dunelmi percussisset, dicebat conquerenti Episcopus: Malas grates habeat deses ille famulus, qui tonsum illum non interemerit, locumque depauperavit.

Anno 1226. Papa per Othonem legatum præbendas à toto Angliæ regno petiit sibi dari. Debent (inquit) matris inopiam filii naturales sublevare. Petiit ab omnibus Ecclesiis cathedralibus duas præbendas sibi dari: unam de portione Episcopi, alteram de capitulo. Similiter de cœnobiis diversas portiones. Pro Rege atque omnibus aliis, respondit Ioannes Bedefordensis Archidiaconus, hæc non debere fieri.

Eodem Anno Magister Romanus ad Francorum partes legatus, Bituricense Concilium tenuit: & eadem in Galliis fecit, quæ Ottho in Anglia. Comitem Tholosanum deputat cruce signari. Eodem anno obiit Franciscus Minoritarum institutor, & Pundulphus Legatus.

Anno Domini 1227. obiit Papa Gregorius, Leo feritate, ſanguiſugus avaritia: ſucceſſit Honorius, de quo ſcribitur:

O Pater Honori, multorum nate dolori.
Eſt tibi decori vivere, vade mori:

Anno Domini 1228. exigebat Papa Gregorius adverſus hunc Cæſarem, decimas omnium rerum mobilium, in tota Anglia, VVallia, & Hibernia. Quod clero mediante, pro majori parte obtinuit, ex redditibus, proventibus, fructibus, & de omnibus obventionibus Eccleſiarum, altarium, vel poſſeſſionum, quocunque nomine cenſeantur, non debitis, vel expenſis aliqua occaſione deductis, habuitq; collector authoritatem excommunicandi & interdicendi.

Anno Domini 1231. Anglorum clerici videntes oppreſſiones Italicorum clericorum, eorum blada ſubitò flagellata violenter rapuerunt, pauperibus vendiderunt, quibus inquietudines miniſtrabant.

Anno Domini 1232. Gregorius Papa conſtituit viſitatores, ſuper viros religioſos per orbem generaliter univerſum, cum iſta authoritate, Gregorius, Epiſcopus, &c. Egreſſus eſt à facie dei ſatanæ. Rogerus Londinenſis eo anno accuſatus de conſenſu, diſtractionibus frugum Romanorum Clericorum, Romam profectus ut ſe purgaret, Parmæ pecuniam ſuam nocte amiſit: nec ideo ei in aliquo pepercit Romanæ curiæ cenſura judicii.

Anno Domini 1235. Iudæi effuſa pecunia admirandum privilegium à Papa impetraverunt, ne à Regibus aut Principibus pro exactione pecuniæ turpiter tractarentur: & quòd liceret eis Chriſtianos habere ſervientes, etiam Chriſtianas puerorum ſuorum nutrices, in deriſum magnatum Chriſtianorum.

Eodem anno Papa in Angliam uſurarios miſit, quos vocabat ſuos mercatores, ſeu eſcambiatores. Londoniis hi habitabant, terram infecerunt. Hos Rogerus Londinenſis Epiſcopus, vir optimè literatus, excommunicabat: qui à Papa procurabant, ut valetudinarius perſonaliter citaretur, Romæ reſponſurus. Extunc ſine contradictione uſuras exercebant.

Anno Domini 1240. ab Imperatore reprehenſus eſt Anglorum Rex, quòd tam impudenter permiſerit terram ſuam per Papam depauperari. Leolinus Nortvvaliæ Princeps moritur. Papa per ſuum Legatum petiit in Concilio Redingenſi, quintam partem bonorum omnium contra Imperatorem. Diſſuadet Imperator ac benè contradixiſſet Rex, niſi prius conſenſiſſent Prælati, ab Eadmundo perſuaſi.

Abſolvebat quoque Papa cruce ſignatos pro pecunia, Chriſtianis in terra ſancta ſine numero occiſis. cum Duce Britanniæ, exulat Eadmundus Cantuarienſis. Petrus Rabeus pro pecuniis legatus in Angliam venit, convocans clerum ad Northantonam.

Anno Domini 1241. Magnates Angliæ iter Hieroſolymitanum arripuerunt,

ex Prælatis multi fiunt per Cæſarem ſubmerſi, dum irent ad Concilium generale. Duo remanſerunt in Anglia Papales nuntii, pro colligendis pecuniis: de quorum extorſionibus, ne aures offendantur, melius eſt ſilere, quàm aërem cædendo recitare.

Anno Domini 1244. Martinus Papæ Innocentii nuntius, pro colligendis pecuniis in Angliam venit. E contrà Cæſar ſupplicabat, ne aliquid in ſuum damnum Papæ contribueretur. Reſponderuntque Prælati, quòd Patri ſpirituali pro Eccleſia dimicanti non deeſſent.

Anno Domini 1245. Fridericus Cæſar excommunicatur. Dum Papa eſſet Lugduni in conſilio, repentino incendio combuſta eſt ejus Camera, miniſtris incautè ignem curantibus. Eo igne creditur ipſa charta obligatoria de Angliæ tributo fœliciter combuſta. Dum Fridericum perſequeretur, Magiſter Richardus de VVicko eligitur in Epiſcopum Ciceſtrenſem. In Concilio Lugdunenſi conqueſtus eſt Rex Angliæ per Procuratores, ſuper innumerabilibus exactionibus Papæ. Et contradictum eſt tributo Angliæ, quo involvit eam Rex Ioannes tempore belli, & alii inter ipſum & nobiles de regno, &c.

Anno Domini 1246. proviſum eſt in Parlamento, ut efficaciter ſcriberetur Domino Papæ, ut à conſuetis oppreſſionibus ceſſaret. Scripſerunt igitur per ſe Epiſcopi, ſcripſerunt Abbates & Priores, ſcripſerunt Comites & Barones, ſcripſit & ipſe Rex, ita ut omnium ſcripta ferina poſſent emollire corda. Hæc & alia eò facilius Matthæus Paris ſcripſit, quia ex præcepto Regis accepit. Eo anno Papa audiens per quoſdam ſuſurrones, quòd clerici quidam in Anglia opulenti, indecenter à ſeculo migraſſent, ſtatutum fecit, ut defunctorum clericorum bona cederent in uſum ipſius. Robertus Habes Archidiaconus Lyncolnienſis, moriens inteſtatus, plura millia marcarum cum vaſis argenteis reliquerat. Almaricus Archidiaconus Bedefordienſis, pecunia abundans maxima, morte præoccupatus obierat. Et Iohannes Hoteſt Archidiaconus Northampton, morbo repentino correptus, V. millia marcarum, cum XXX. cuppis argenteis, & aliquot aureis, cumque infinitis jocalibus reliquit. Cum hæc ad Regis aures pervenirent, reclamavit conſtanter, ne hæc inaudita novitas procederet, prohibuitque Prælatis, ne pecunias Papæ contribuerent. Sed Papa hæc omnia contemnens, ſcripſit in contrarium, ut ſibi contributio ſolveretur: potentes executores conſtituens Epiſcopos, VVintonienſem & Nortuicenſem. Athi negotium Papale ita fulminibus exequebantur, ut territis Prælatis, Regi ſilentium impoſuerint, in quo confidebant, ne mutiret. Et quid juvat hos Regis conatus fruſtratorios deſcribendo recitare, qui frequenter finem tam flebilem ſortiuntur?

Gualterus Carleolenſis Epiſcopus, Oxonii prædicatorum ordinem ſuſcepit: poſtquam Papa & ſui clientes Imperatorem depoſuiſſent, in ejus necem traditoriè conſpiraverunt. Aſſumens ex præteritis audaciam Papa, miſeros Anglos oprimere

 tentabat,

tentabat, solito imperiosius demandans Prælatis, ut omnes in suis beneficiis residentes, tertiam bonorum suorum partem ei per triennium conferrent: non residentes, dimidiam, adjectis conditionibus durissimis, ad quod exequendum, Episcopum Londinensem constituit. At prohibuit per suos Clericos Rex, ne consentirent. Eadmundus canonizatur.

Extorsiones & avaræ postulationes Pontificiæ. Anno Domini 1247. tepuit fidelium devotio circa Ecclesiam, propter quotidianas extorsiones. Vnde quidam Francorum nobilissimi contra Papam mirabilem fecerunt conspirationem, Epistolas & facetias inter se multas conficientes. In Parlamento Londini reposita est querimonia lamentabilis, ad protectionem Reipublicæ, pro pellendis injuriis Regno illatis, super imperiosa Romanorum postulatione pecuniæ. Epistolas solito mordaciores ad eos scribebant Angli. Destinantur in Angliam duo Minores, Iohannes de Cantia, & Adamus, Papa jubente, pro pecuniaria subventione, auxilium ad opus Papæ charitativè petituri. Post multas verò disceptationes, consenserunt Prælati ad contributionem XI. millium marcarum.

Eodem 1248. anno, Matthæus Paris, hujus operis compositor, ex præcepto Papæ missus est in Nortvvegiam, pro reformando nigro ordine in cœnobiis Monachorum S. Benedicti.

Prædicatores comperientes Regis devotionem, magna industria acquisiverunt petram quandam albi marmoris, in qua vestigium pedis Christi dum ascenderet, impressum videbatur. Minoritæ Christi sanguinem in multis locis, ac Cistertienses lac Mariæ. Erantque multi per hos dies per incubos (id est, Monachos) generati.

Anno Dom. 1250. Robertus Lyncolniensis citabat religiosos suæ diœcesis, meliorandæ vitæ gratia. Sed exemptionibus à Papa per pecuniam impetratis impeditur. Ad Papam ergo querulus venit, dicens: Domine credidi, ut auxiliante consilio vestro omnes, de quibus sum conquestus castigarem atq; ab errore penitus revocarem. Ipsi verò de prato monstrato, & quidam alii data pecunia, proh dolor, redemerunt. Cui Papa: Frater, liberasti animam tuam: Quid ad te de gratia mea: fecim⁹ eis gratiam. Numquid oculus tuus nequã est, quia bonus sum? Hæc de consilio Cardinalium fecit, unde vacuus recessit Lyncolniensis Episcopus, & suo frandatus proposito, atq; confus⁹, multorũ evacuatis crumenis, & ipso Episcopo sene ac infirmo.

Iudæi collati cum Pontificiis. Anno Domini 1251. cum Henricus Rex plenè delere vellet Iudæos à suo regno, dictum ei fuit; ne penitus de sub cœlo delerentur, sed quòd sint ad instar Cain maledicti, profugi: nec omnino occidantur, sed toti mundo pateat miseria eorum continuata. Detestabiliores eis erant tunc judicati falsi Christiani, ac Papæ usurarii tunc impinguati.

Eodem anno Lyncolniensis Episcopus incontinentes Sacerdotes castigabat, beneficiis eos privans: quosdam fustigabat, quosdam expellebat. Tenebræ palpabiles atque horribiles eo anno fiebant,

Anno Domini 1253. Lyncolnienſis apud Buggeden decubuit, graviter infirmatus: qui ſpiritu prænoſcens Eccleſiæ tribulationem futuram, vocavit ad ſe fratrem Ioannem de S. Egidio Dominicanum, in arte medicinali peritum, & in Theologia magiſtratum regentem, recitansque quædam facta Romanorum, eum graviter redarguit, reprehenſis Diaconis atque Minoritis, quod liberius eorum vicia non reprehenderit, eosque ob id *hæreticos* vocabat. *Hæreſis* (inquit) *eſt, ſententia humano ſenſu electa, Scripturæ ſacræ contraria, palàm edocta, pertinaciter defenſa.* Et poſt reprehenſionem Prælatorum, maximè Romanorum, ſubjunxit: *Dare curam animarum parvulo, vel indocto, ſententia eſt alicujus Prælati humano ſenſu electa, propter carnem vel temeritatem; & eſt contraria Scripturæ ſacræ, quæ prohibet fieri paſtores, qui non ſunt idonei ad arcendos lupos. Et eſt palàm edocta, quia manifeſtè portatur ſigillata charta. Et eſt pertinaciter defenſa: quia ſi quis voluerit contradicere, ſuſpenditur & excommunicatur. Cui enim hæc hæreſis diffinitio convenit,* hæreticus *eſt. Et qui poterit eis contradicere, & non contradicit,* hæreticorum fautor *eſt; juxta illud Gregorii*: Non caret ſcrupulo ſocietatis occulto, qui manifeſto facinori deſinit obviare; *nam vulgò dicitur*; *Cantabit vacuus coram latrone viator.* Hæc & alia multa lugubria propoſuit ante mortem, graviter infirmatus, ob graves Eccleſiarum oppreſſiones. Migravit ergo ab hujus mundi exilio ſanctus Præſul, pius Regis ſui monitor, terrificus Papæ redargutor, manifeſtus Prælatorum correptor, Monachorum corrector, Presbyterorum director, Clericorum inſtructor, Scholarium ſuſtentator, Populi prædicator, incontinentium perſecutor, Scripturarum perſcrutator, Romanorum malleus & contemptor, Lyncolniæ ſepultus. Suborta eſt tunc diſcordia inter Vniverſitatem Pariſienſem & fratres Prædicatores, qui multiplicati & exaltati renuebant Scholarium juribus ſubjacere. Robertus Lyncolnienſis Zelum habens Dei, Canonicos ſuos vexavit, in Religioſos terribiliter, in Religioſasque terribilius fulguravit. Anno Domini 1254. Romanus Pontifex dicebat: Verè, inquit, de Philoſophia dici poteſt. *Proſtat, & in precio pro meretrice ſedet.* Cum vellet Papa Innocentius iratus oſſa Lyncolnienſis Epiſcopi extra Eccleſiam projici, ut acclamaretur per totum mundum ethnicus, rebellis, & inobediens: Sed in viſione nocturna ab eo (ut fertur) percutitur ad mortem. Innocentius Papa obtulit Regnum Siciliæ Regi Anglorum, ad opus Eadmundi filii ejus, Conrado Rege defuncto. Rex nimis indiſcretè regnum ſuum obligat Papæ mercatoribus.

Iudicium de hæreſi & hæreticis.

Innocentii mors.

Anno Domini 1255. dixerunt ad Regem Iudæi uſurarii: *Papæ nos ſupplantaverunt, permitte nos liberè exire de tuo Regno.*

Gravis diſſenſio Pariſiis erat inter Scholares & Dominicanos, qui contra Vniverſitatis conſuetudines pleraque fecerunt in magna ſuperbia. Stetit Rex pro Vniverſitate. Similiter & Cives. Prævaluerunt tamen Dominicani, Papæ devoti ob multimoda eorum obſequia. Iudæi Lyncolniæ, Hugonem puerum crucifixerunt.

Ruſtandus Legatus in Angliam venit, ut *decimas* in Anglia, Scotia & Hibernia colligeret pro Papa, ad debellandum Manfredum, Friderici Cæſaris filium, Romanæ Eccleſiæ inimicum. Rege enim per Petrum de Egebrancko Epiſcopum Herefordenſem dementato, multa deteſtabilia à ſulphureo fonte Romanæ Eccleſiæ, proh dolor! tunc temporis emanarunt, ad multorum perniciem. Infinitam enim poſt crucis prædicationes exigebat Ruſtandus pecuniam. Inaudita erat exactio, quam petebat Pontifex. Vnde Londinenſis Epiſcopus dixit: *Antequam tantæ Eccleſiæ ſervituti conſentiam, & injuriæ, ac intolerabili oppreſſioni, profectò decapitabor.*

Revocata erat Pariſiis Vniverſitas, quæ diſperſa fuerat propter ſuſpenſiones lectionum & diſputationum per fratres Prædicatores, qui omnia, ſed ſuo malo, perturbabant. Orta eſt diſcordia inter Epiſcopum Batonienſem, & Abbatem Glaſconiæ.

Papatus jugum Anglis excuſum. Tranſiit hic annus Romanæ Eccleſiæ, & Papali Curiæ, ſi devotionem reputes virulentiſſimus. Expiravit enim, quæ conſuevit haberi devotio, habita à Prælatis & Populo penes matrem Romanam Eccleſiam, & Patrem ac Paſtorem noſtrum Dominum Papam. Etſi illa Curia fideles Chriſti multoties uſq; ad amaritudinem ſpiritus cruentaverit, nunquam tamen, ſicut & ſequenti anno, tam lethaliter univerſos Chriſti ſervos & ſingulos ſauciavit. Coguntur enim inſontes idololatræ, & quaſi apoſtatæ, veritati, quæ Deus eſt, abrenuntiare. Et præter hoc quod intolerabile eſt, temporalia bona violenter deprædantur. Papa operatur omnia non in ædificationem, ſed in ruinam. Conſueverunt ſemper Laici Prælatis, ſcilicet Papæ uſurariis. Conceſſa fuit *decima* in ſubſidium terræ ſanctæ. Cogimur eam transferre in ſubſidium Apuliæ, contra Chriſtianos. Ex obligatione injuſtiſſima, graviora ſubire cogimur, multipliciter mentiri falſo juramento præſtito, quod in utroque teſtamento cœlitus prohibetur. Concedere cogimur terminos ſolutionis, quos nullo modo poſſumus obſervare, niſi incidamus in laqueos uſurariorum, quos ſocios eorum & participes novimus. Datur poteſtas perſonis prorſus indignis ſuper nobiles Eccleſias. Venduntur Prælati, ut boves & aſini. Hæc *ultimæ ſervitutis* conditio. Ecce venditores ejiciendi à templo, ac flagellandi. Sed quia ignobilius eſt facere injuriam violenter, quàm pati cum innocentia, credendum eſt, quod ſuper hoc clamor aſcendit querulus ad Deum Dominum ultionum, &c.

Cupiditas immenſa Pont. Rom. Anno Domini 1256. Rex Henricus VVintoniæ cum fratre ſuo Athelmaro Epiſcopo Natale Domini tenens, inter alia rogabat, ut diſperſos Monachos, qui ipſum ſublimaverant, congregaret. *Numquid non noſti* (inquit) *Romanorum hydropicam ſitim toties expertam? Novi* (inquit) *quod nunquam ſedabitur, nec unquam ſiccabitur mei fons theſauri, quin folloſis eorum rictibus & ſpongioſis viſceribus ſatis infundatur, donec meum de Monachis mihi averſantibus deſiderium adimpleatur, &c.*

In

In Congregatione Londinensi, cum Rustandus diceret, *Ecclesias omnes esse Domini Papæ*; respondit pro omnibus magister quidam Leonardus satis modestè: *Verum est* (inquit) *tuitione, non fruitione, vel appropriatione*; ac si diceretur, defensione, non dispersione. Adduxerunt chartam Regis Iohannis, qua resignavit confirmationes & investituras Prælatorum pro se & hæredibus, cum confirmatione Innocentii III. ut omnia confunderent. Prævaricatores, susurrones & magnatum adulatores, omnia his diebus perturbabant, ac molestabant, habentes in ore: *Nolumus Principes offendere. Oportet enim his diebus multa dissimulare, & conniventibus oculis (licet lædant) pertransire.* O meticulosos, &c.

Hoc anno obiit Ioannes Romanus, Archidiaconus Richemondiæ, quàm plurimis signatus redditibus, & thesauris hominum avarissimus. Hic fermè annis 50. thesauris incumbens acervandis, explorator impiissimus, arcana Angliæ reseravit: ac provocavit Romanos, ut Angliæ thesauris solito avidius per fas & nefas inhiarent. Quo defuncto, Rex omnia occupabat. *Pontificius Legatus, in signis prædo.*

Eodem anno obiit Guilhelmus de Eboraco Sarisburiensis Episcopus, alumnus curiæ ab adolescentia, per quam promotus fuerat. Hic quandam pro lege consuetudinem pessimam in regno suscitavit, scilicet ut pro quantulocunq; teneamento tenentes, in subditorum damnum ac detrimentum, parvum verò superiorum emolumentum, curiam vel dominum inviti sequerentur, &c.

Bonifacius Cantuariensis Archiepiscopus vexabat Ecclesiam Roffensem, quem noluit Rex ob Reginam molestare.

Minoritæ Londini scandalum incurrebant, quia LXXI. Iudæos ad supplicium reservatos, ob necem pueri Lycolniensis, suis intercessionibus, pecuniis conducti, à morte & carcere liberabant. Tepuit Londinensium devotio penes Minoritas, sicut Parisiensium refriguit charitas erga Prædicatores, qui Vniversitatis consuetudines infirmare conabantur. Iohannes de Derlingthona, de ordine Prædicatorum, literatura & consilio excellenter pollens, ad Regis familiare consilium vocabatur, unde regnum patuit Papali discrimini. Tepuit devotio multorum erga Papam & Ecclesiam Romanam, ob eorum extorsiones. In principio suæ creationis precum suffragia à fidelibus exigebant, quam aliqui hypocrisin putant pro secularitatis palliatione. Quia opera sequentia, contrarium prædicabant. Spes ergo de sanctitate Papæ prorsus evanuit exufflata. Quod sit tempestas horribilis venti, grandinis, pluviæ tonitrui, coruscatis & fulguris eversis domibus, molendinis, & horreis, quosdam occidit, ac multos terruit. *Minoritæ & Dominicani descripti.*

Quod Rex Angliæ tunc fuerit imago bestiæ, patet per hoc, quod idem Rex ab Alexandro Papa susceperat. De illorum (inquit) molestiis plus dolemus, quorum circa sedem ipsam, sic semper devotio servivit, claruitque synceritas. Hi meruerunt uberiore ab eadem sede fulciri favore, & attolli honorificentia potiori.

potiori. Horum namque gravamina illicò ſentimus in nobis, cum læduntur, deguſtamus ſuarum amaritudinem læſionum, &c.

Iohannes de Diva, de ordine Minorum, in Angliam venit, ut authoritate Papali, quæ emendatione indigebant, reformaret. Omnia enim poterant in Romana curia pecuniæ.

Apud ſanctam Trinitatem Londini Canonici ſæpe de lana caprina contendebant. Ira litem ſuſcitavit, lis contentionem & odium parturivit, odium ultionem ſtuduit, ac Diabolo procurante per occiſionem fratris conſummavit. Nam unus tandem alterum interfecit; & ut videretur ad hoc provocari, ſeipſum graviter vulneravit.

Manfredo Rege Siciliæ Imperatoris filio, contra Papam pugnante, proſperante ac triumphante, nullus erat qui Papæ condoleret.

Papa exoſus & prædo famoſus. Prior VVintonienſis Andreas expulſus, dedit menſe Papali 365. marcas per annum, ut reſtitueretur in perpetuo redditu, quem Papa patentibus rictibus deglutivit. Tanta his temporibus ex avaritia Procerum nocendi cupiditas, ut quos Prædeceſſor excoriaverat, Succeſſor immiſericorditer eviſceraverit.

Cum audiſſent Prælati, quod Rex & Papa confœderati eſſent in avaritia, in ſubverſionem Eccleſiæ Anglicanæ, multi reſtiterunt: præcipuè Prior Dunelmenſis, & Prior de Giſeburna, ſuſtinentes in tali certamine ſuſpenſionem à diris Romanæ curiæ, perſecutionem, & mercatorum Florentinorum uſurariorum jurgia.

Canonicis Eboraci in collegio prandentibus, clanculo intrabant Romani, & inaudita fraude ignotum Decanum moleſtabant. Authoritatem tam tyrannicam Domini Papæ, cui Rex ſe totum inclinavit, & ut aptius dicam, incurvavit, multi vehementer formidabant, imago, *

Rex in ira ſua, præcepit Officiariis, ut nulla Ciſtercienſibus gratia exhiberetur: unde plures eorum ſunt coacti, cucullas & tunicas ſuas vendere. Quidam introducti, ac Monachi fraudulenter facti, Glaſconiæ & VVintoniæ cœnobia ſpoliabant.

Epiſcopus Herefordenſis Reipublicæ proditor, ſub licentia Regis & Papæ decimam collegit. Pudor prohibet modum extorquendi hujus iniquiſſimi hominis recitare. Diſcurrentibus in curia Romana muneribus, ac ſimonialibus præmiis, Andreas Prior VVintonienſis intruditur, poſt infinitas expenſas.

Diebus his Rex peſſimo fretus conſilio, ut filium ſuum Eadmundum in regnum Siciliæ umbratile promoveret, paupertatis vinculis per Papæ negotiatores irretitur. Dederat enim Rex intelligi, quod in Anglia pecuniæ puteus eſſet inexhauſtus. Vſuræ autem pecuniæ alienæ, ad pluſquam centum quotidie libras aſcenderunt, ut immineret Angliæ deſolatio & ruina.

Turba in Schola Pariſienſi. Crebreſcentibus ſcandalis & odiis inter Magiſtros Pariſienſes & Fratres Prædicatores, electi ſunt cum magna deliberatione celeberrimi Magiſtri, Guilhelmus

helmus de S. amore, Odo de Doaco, Christianus Canonicus Beluacensis, Nicolaus de Baro super Albam, Iohannes de sicca villa Anglicus, Rector Vniversitatis Parisiensis, & Iohannes Belin Gallicus, omnes Philosophi, omnes Rectores in Artibus, in Decretis, & in Theologia, de nobilibus procreati, ut Romam adirent ad Dominum Papam, pro tranquillitate Vniversitatis Parisiensis, & fidei reintegratione, quæ detrimentum patiebatur magnum; nam Fratres nova quædam prædicabant, legebant & docebant deliramenta, ex libris Ioachimi Abbatis; incipitq; eorum liber, *Evangelium æternum*, & quædam alia, quæ non expedit recitari. Prædicatores autem suos expeditos Nuncios contra Vniversitatem miserunt, ut magistris in faciem contradicerent. Subsannabat populus eleemosynas consuetas subtrahendo, vocans eos hypocritas, Antichristi Successores, Pseudoprædicatores, Regum & Principum adulatores, falsos conciliatores, ordinariorum contemptores, & eorundem supplantatores, thalamorum regalium subintratores, confessionum prævaricatores, & qui ignotas Provincias pervagando peccati audaciam subministrabant. Auditis igitur hinc inde querelis, præcipit Papa, ut novus ille liber, quem *Evangelium æternum* nominant, secretò, & si fieri posset, sine fratrum scandalo combureretur, & alia, quæ de Ioachim scriptis emanasse dicebantur. Diligentia igitur Hugonis Cardinalis, & Ioannis de Columna Archiepiscopi Messanensis, qui de Ordine Prædicatorum erant, cautè ac tacitè procuratum est, ut tumultus ad horam conquiesceret.

* Idem infrà aliis recensuit verbis sub titulo, *Guil de S. Amore.*

Anno Domini 1257. Richardus Cornubiensis Regis frater, in Regem Alemaniæ eligebatur, quia odio tunc habebatur Francorum superbia; Alemanorum intestinum bellum, & Italorum insatiabilis rapacitas. Elegerunt eum propter linguam Anglicanam Alemanicæ consonam, atq; originis communitatem. Elegerunt eum ob fidelitatem, constantiam & sapientiam, thesauriq; abundantiam. Vnde Satyricus quidam inquit. Nummus, ait, pro me nubit Cornubia Romæ.

Albanus Martyrio coronatus est anno Domini XXVII. Quidam ordo fratrum Londoniis apparuit, novus & incognitus, Papale tamen autenticum ostendentium, ita ut Ordinum confusio videretur. Ioannes Messanensis Angliam visitat. Rex allocutus est Matthæum Parrisiensem ad phanum S. Albani, & conqueritur Matthæus super Vniversitate tam Oxoniensi quàm Parisiensi. Prædicti fratres, quia saccis induti, *Saccii* vocabantur.

Romanus Pontifex per Archiepiscopum Messanensem, & Archiepiscopum Tarentinum, infatuabat Regem super Siciliæ & Apuliæ regno, pro suo filio Eadmundo, fecitq; in Clero tyrannidem.

Cantabrigiæ conceditur mansio *Fratribus Bethleemitis* in vico versus Trumpiinthonam. In habitu similes erant Prædicatoribus, habentes tamen stellam rubeam in pectore quinq; radiis crinitam, in cujus medio rotunditas erat aërei colo-

ris, propter stellam, quæ nato Domino apparuit in Bethlehem. Totq; jam ordines apparuerunt in Anglia, ut Ordinum confusio videretur inordinata.

Liberati tandem erant Monachi Dunelmenses, & Canonici Giseburnenses, à suspensione Papali per pecuniam. O si habuissent in tribulatione consortes, & in eorum constantia coadjutores; quàm fœliciter Anglicana Ecclesia de tortoribus triumphasset.

Cum Adamus de Marisco Minorita in Episcopum Eliensem esset electus, dixit: *Absit, ut occupem tam nobilem Episcopatum, aut usurpem cauteriata conscientia tantum ministerium.* Nam videbat se ea prius functione destitutum.

Prælati miserabiliter enervati, & meticulosi, concesserunt Regi quadraginta duo millia marcarum, ad mancipandum Apuliæ regnum Eadmundo ejus filio, in enormem Ecclesiæ læsionem.

Romani vigilanter temporalia procurant. Prior & Monachi V Vintoniæ; atq; Abbas & Conventus Glasconiæ, per ambitiones & discordias scandalum suscitarunt ac schismata, quæ Curiæ Romanæ fomenta præstabant, reticenda.

Turbæ Parisienses. Scholares Parisienses, propter fratrum Prædicatorum persecutionem recedentes, civitatem pro magna parte vacuatam reliquerunt. At frater Hugo Cardinalis instabat vigilanter & potenter, ut partem Scholarium infirmaret, & fratres roboraret. Rustandus omnium in Anglia locupletior habetur, quod Papæ displicet.

Stephanus de Lexintona, natione Anglicus, Abbas olim Clarevallensis clarissimus, obiit; hic Scholam Parisiensem, quæ Chadanæi dicitur, plantavit primùm, & initiatam sustentavit.

Statutum est Romæ, quemlibet electum transalpinare, ut Romanorum loculos imprægnent, in ruinam regni Anglici. Ecce venalitas Prælaturarum, vexatio personarum, Ecclesiarum interitum.

Sevvallo Archiepiscopus Eboracensis excommunicatur, pulsatis campanis, & candelis accensis, in terrorem. Papalem tyrannidem exemplo Roberti Lyncolniensis patienter sustinuit. Indignis noluit sacerdotia conferre. Sed quantò plus præcipiente Papa maledicebatur, tantò plus à populo benedicebatur, licet tacitè propter metum Romanorum.

Anglicum Pontifex emungi. Anno Domini M. CC. LVIII. Brancaleus Senator Papam vicit, juvante quodam Anglo Matthæo de Bealverio, incurrens amicitiam Manfredi, quem dilexerat: unde pecunia, quam Rex Henricus illuc transmiserat pro regno Apuliæ, inæstimabilis, non sufficiebat ad quietandum usuras, quæ tacitè subrepuere. Imponit ei igitur Papa, quod Ecclesiam deceperat: unde sorduit ejus fama inter nationes.

Excanduit ira Papalis in Regem, proposuitque sententiam excommunicationis in eum fulgurare, ac regnum interdicere. Succedentibus graviori-
bus,

bus, Rex mente confusus, quinque millia marcarum ultro numeravit: ut iram cordis ejus temperans, sententiam ad tempus prorogaret. Inde periit tota spes de Apuliæ regno.

Rustandus in Angliam venit, qui solito medicamine Pontificem placaverat pro colligendis in Anglia relictis divitiis, & pro decipiendo Rege circa Apuliam. Magister Gualterus de Oxonia, consecratur in Episcopum Oxoniensem.

Herlotus Papæ Nuncius in Angliam venit, super Apuliæ regno responsum recepturus, exigit in parliamento pecuniam infinitam, quam obligabat se Rex soluturum Papæ mercatoribus, sub magnis pœnis, quas reor inhonestum recitare; numerus autem pecuniæ ad tantam ascendit summam, ut stuporem ac horrorem auribus generaret.

Aggravavit manum suam Papa contra Archiepiscopum Eboracensem, & deteriorata est ad seculum conditio, ad Deum verò meliorata: quia multiplicibus persecutionibus, *patientia incrementum suscepit.* *Iniquitas Papalis.*

Venit in Angliam frater Mansuetus Minorita, sequens Erloti vestigia, maxima roboratus potestate, in tantum, ut votis mutatis absolveret (ut dicebant) Regales quoscunque pro libitu, vel excommunicatos ac falsidicos & perjuros justificaret. Vnde multi rei audaciam sumpserunt delinquendi. Nam facilitas veniæ, peccandi parit occasionem: sed prudentibus sibilum & derisum, sicut sequens declarabit sermo. Erlotus intravit XX. superbissimis equis.

Responderunt in Parliamento Nobiles, periculosa esse ac dubia, quæ Regi offert Pontifex de regno Apuliæ. Quod cum Pontifex intellexisset, alios misit Nuncios, qui vulpinis sermocinationibus credulam Regis simplicitatem circumvenirent, unde certatim advenerunt, Sterlingorum speciem olfacientes, ut munera reportarent: Episcopus Bononiensis, qui ex parte Papæ annulo quodam Eadmundum Regis filium pro regno Apuliæ investivit, Archiepiscopus Messanensis, nunc Ioannes de Diva, nunc Magister Bernardus, nunc Senisius, nunc Rustandus, nunc Erlotus, & alii nonnulli. Quos omnes infatuatus Rex cum summa reverentia suscepit, in regni sui damnum. Magnates igitur, quia Prælati meticulosi siluerunt, meritò provocati, Regis vias deinceps dirigere conabantur, in fineque responderunt, se amplius nolle tales extorsiones sustinere. *Vulpina sermocinationes.*

Simon de Passelovv, Clericus Regis, dolosus & mendax, confictis statim literis conabatur ab Abbatiis multas extorquere pecunias, ad frivolum Regis usum; & cum ab eis responsum fuisset, quod præter alia incommoda timuissent perjurium: *Amici* (inquit) *charissimi, ne super hoc solicitemini; habet Dominus Rex fratrem quendam sanctissimum, nomine* Mansuetum, *de ordine Minorum, à Papa ad cautelam destinatum, qui omnes juramentorum transgressores in urgenti neces-*

sitate absolvendi potestatem plenam habet. Hoc(inquit) *non solum, ut crus quis frangat pro inveniendo chirurgo, durante parliamento Regi impositum erat à Legatis, quod promissa non servaret, sed Ecclesiæ claves contemneret.*

Minores authoritate Papali sese intruserunt in civitatem Buriensem, audaces effecti, contradicentibus Monachis; tandemque prævaluerunt, admirantibus multis eorum impetum violentum.

Præsulis obitus, & testimonium adversus Pontif. tyrannidem.

Sevvalus, Archiepiscopus Eboracensis, dum constanter contra Romanæ Curiæ tyrannidem dimicaret, tribulationibus lacessitus expiravit; hic in amaritudine animæ constitutus, cogitavit Papam ad multorum perniciem à Deo super Ecclesiam permissum, exemplo Ruberti Lyncolniensis provocatus, & dolens inconsolabiliter, scripsit ad Papam Breviloquium quoddam, ut à consueta tyrannide temperaret, humilitatemque Sanctorum sequendo prædecessorum; ut & exemplo Petri pascat oves Christi, non tondat, non excoriet, non eviscеret, aut devorando consumeret. Promoverat enim ad Ecclesiastica officia ignaros, ac linguæ Anglicanæ inexpertos, præcipuè Iordanum quendam Decanum. At Papa subsannans & contemnens omnia, majorem concepit indignationem, renuitque inclinari.

* Suprà eadem verba, sub nomine & titulo: *Sevvaldus Eboracensis.*

Brancaleon Romæ Senator in favorem Manfredi, qui ad Imperium anhelabat, parentes & affines Cardinalium suspendit; plures Iohannes de sancto Egidio Dominicanus.

Medicus peritus, à periculo venenati poculi Comitem Cyloverniæ liberavit; sicut olim ab eadem potione liberaverat Robertum Lyncolniensem. Multi hoc poculo potionati contabescebant, ac moriebantur; putabantq; toxicum illud à Pictaviensibus aut Iudæis venisse, quorum primi per Barones, alii per Papæ usurarios vexabantur.

Bernhardus de Nimpha, propè Romam oriundus, Nuncius Papæ, ex improviso obiit. Qui vir vafer, & extortor nummorum à cruce signatis, argumentosus erat. Inventum est apud illum scrinium plenum scedulis bullatis & scriptis, ut pro voluntate sua talibus fraudulenter abuteretur.

In locis quibusdam secretissimis vasa, quæ *costrelli* vocantur, veneno plena reperiebantur, seris tutissimis munita. In illis generaliter inventus erat liquor cæruleus, venenum habens lethale; quem canibus oblatum noluerunt gustare, nisi cibis permixtum; & tunc moriebantur. Hoc in Anglorum interitum ab alienis procurabatur. Tres enim adversarios habebat tunc Anglia, Romanos, Pictavienses, & Iudæos.

Famis inedia plerique tunc perierunt; & honorabiles quidam hostiatim mendicando impransi & esurientes, multiplicatis etiam suspiriis noctes transegerunt insomnes. Vnde, quod inauditum erat, adhuc in Festo omnium Sanctorum

rum messis expectabatur: quæ, licet inutilis, domum asportabatur, alibi verò, tanquam sterquilinium terram impinguebat, videbatur tamen primitus fertilis.

Erlotus Papæ Consiliarius, Clericus & Notarius, cum vidisset regni perturbationem, tacitè ac prudenter recessit ab Anglia. Interim Opidamus Dovore custos littoris, & transeuntium indagator, multos invenit numismate onustos, quia alienigenis desiderata detulerunt: quos ut levius transirent, quàm citius exoneravit. Et inventæ sunt mille marcæ electi Wintoniensis, quas ad stipendia quatuor militibus dabat, ut Romam adeuntes ex parte Regis & Magnatum, dispendia compendiosè narrarent, & quomodo post mortem Bernhardi bullatas schedulas invenissent vacuas.

Manfredus Friderici Imperatoris filius, in Regem Apuliæ coronatus, vilescere fecit Romanum nomen, nulla de Eadmundo Anglorum Regis filio facta mentione. Creaverat enim invito Papa, Archiepiscopos & Episcopos, qui plus Regi quàm Papæ obediebant. Vnde Rex Angliæ graviter est conquestus, quòd Papa tam magnum thesaurum ob illud regnum habuerit, misso etiam annulo.

Brancaleo senator Romanus, superborum malleus, malefactorum extirpator, populi Protector, veritatis defensor, ac justitiæ amator obiit, erecto ejus in cleri inproperium triumpho. Successorem verò protinus elegerunt ejus avunculum, Papales nuncios contemnentes atque cachinnantes: sequebatur tonitruus in Anglia, vehemens ventus, & coruscatio terribilis.

Anno 1259. Pictavienses magnum thesaurum in saccis lanarum subdolè detulerunt. Richardus Rex Alemaniæ in Angliam rediit. Fratres Prædicatores eadem faciebant apud Dunstable, pro habitatione habenda, quæ minores in villa Guriensi faciebant, in Canonicorum nocumenta. Domicilia enim construxerunt sumptuosa, exhaustis oblationibus, Et hos juvabat Hugo Cardinalis.

Vniversitas Parisiensis per Prædicatores & Minores non mediocriter est molestata: Totque ordines exorti sunt, ut hi hos, & è converso supplantarent; nec sufficiebat (ut consuevit) populus eleemosynis eos sustentare.

Templarii, & Hospitalarii, fratres de S. Lazaro, & fratres Thomæ Acconenses, se mutuò interfecerunt in terra sancta. Vnde qui olim erant Ecclesiæ defensores, jam facti sunt dissipatores. Papa Regi Alemaniæ Richardo Imperium procuravit; sed sub silentio callidè, ne manifestus videretur Hispaniæ Regi adversarius; quia thesauris Richardus abundabat, in Anglia latitando quietius. Hucusque scripsit venerabilis frater Matthæus Paris. qui eo anno (ut fertur) obiit mortem. Alius ejusdem Cœnobii Frater sequentia addidit, cujus opus sic incipit. Rex Henricus componit cum Rege Franciæ de terris. Eodem anno Manfredus Friderici Imperatoris filius, se fecit in Regem Siciliæ coronari: quem Papa, ut regni invasorem, excommunicabat. Ex Regis desidia in multis opprimebatur Anglia, Pictaviensium & Romanorum dominatione, præcipuè Homerici Regis, fratris quoque

Regis uterini, & Petri de Sabaudia avunculi Reginæ, atque aliorum. His etiam diebus Romani, & eorum legati, super Ecclesiasticis admissionibus in Anglia multa Gravamina intulerunt, providentes suis vacantia, & ampla beneficia pro voluntatis suæ arbitrio, excommunicantes ubique sibi adversantes: hos tandem cum Pictaviensibus, licet serò, exire compulerunt.

Anno Domini 1260. Alexandro successit Vrbanus, qui auxilio cruce signatorum fugavit Romæ exercitum Manfredi, contulitque Carolo Francorum Regis fratri regnum Siciliæ, gestareque deinceps eum fecit arma Francorum. Teukisburiæ moritur, in latrina.

Anno Domini 1265. Vrbanus Anglici regni perturbationi compatiens, Sabinensem Episcopum in Angliam misit, nec ingredi potuit. Claruerunt Thomas Aquinas, & Bonaventura: Octobonus in Angliam venit.

Anno Domini 1266. reformata est pax inter Regem & Comites, qui tandem se Regi submiserant. Heli capitur.

Anno Domini 1267. in Concilio Northantonensi, Octobonus legatus excommunicabat Episcopos comitibus faventes, ediditque nova statuta. Manfredus à Carolo Siciliæ Rege occiditur. In Parliamento Buriensi legatus decimas vendicabat ad opus Romanæ Curiæ, propter debita Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ, in nomine filii Regis Eadmundi. Quod negatum est, cum non esset ad utilitatem Regis aut regni. Ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam vocabantur rebelles in Insula Eliensi, per legatum: cui respondebant, quòd Romanæ Ecclesiæ tanquam capiti obedirent, sed non cupiditatibus aut exigentiis eorum voluntariis. Et rogant legatum ad suas literas restitui, ne amplius habeant deprædari.

Anno Domni 1268. Legatus Londini prædicat crucem, adversus Comitem Cloverniæ, Regi tunc rebellem: qui tandem reconciliatur.

Anno Domini 1269. Octobonus legatus Londini Concilium convocavit, in quo multa statuit ad reformationem Cleri Anglici.

Anno Domini 1273. Theobaldus Placentinus Leodinensis Archidiaconus, qui cum Eduardo venerat ad Acon, in Papam eligitur. Hic cassato electo Cantuariensi, Roberto Rilbardi Dominicanorum Provinciali Pontificatum dedit. Rexerat iste ante ordinis ingressum, Parisiis, in artibus. Crematur Ecclesia Norvvicensis, per furientes cives. Obiit Henricus Rex, qui Sacerdotibus in eorum missis assistere solebat, atque eorum osculari manus. Cui cum S. Ludovicus olim dixisset, non semper Missis audiendis esse vacuandum, sed frequentius sermonibus audiendis; fatuè respondit, se malle amicum sæpius videre, quàm de eo loquentem audire.

Verum ut aliquando tandem expilationes & calamitates Ecclesiæ Anglicæ finiamus, præcedentibus ex Matthæo Paris. descriptis, unam ipsius *Regis Angliæ supplicatoriam Epistolam ad Papam* apponemus, quæ vel sola tristissimam

mam tyrannidem Antichristi Romani super Ecclesiam abundè depingere potest.

* Wolfius Cent. 14. Lect. Memor. p. 694. ad p. 719.

CXCV. *Flores Historiarum.*

MUlta non contemnenda ex hoc libro citari solent, licet rarò reperiatur. Viclefus in libro *de Ecclesia*, admodũ celebrem historiam de rapacitate & fraudibus Romanistarum recenset, quæ certè vel sola impudentiam ac technas eorum hominum abundè, ac vivis coloribus depingere possit, inquit enim: *Unde in prædicta Chronica, quæ intitulatur* Flores historiarum, *dicitur, quomodo anno Dom. 1226. Magister Otto Nuncius Domini Papæ, ostendit* literas Domini Papæ *consilio regni nostri, apud Vestmonasterium,* in quibus *Papa allegavit scandalum Rom. Ecclesiæ, & opprobrium vetustiss. notam scilicet cupiditatis, quæ radix est omnium malorum; & in hoc præcipuè, quod nullus potest aliquod negotium in Rom. Curia expedire, nisi effusa magna summa pecuniæ, & donorum exhibitione. Sed quoniam scandali hujus & infamiæ Romanæ paupertas est causa, deberent matris inopiam sublevare filii naturales; quia nisi à vobis & aliis viris honestis dona receperimus, deficerent nobis vitæ necessaria, quod esset omnino Romanæ contrarium, incongruum dignitati.* Ad illud itaq; scandalum *penitus eradicandum per Consilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium providimus formam; cui si volueritis consentire, à scandalo matrem vestram poteritis liberare*, & in Curia sine donorum obsequio exhibitionem justitiæ *obtinere. Forma autem provisa est hæc:* Petimus in primis ab omnib. Ecclesiis cathedralibus, duas nobis Præbendas exhiberi; unam de portione Episcopi, & alteram de Capitulo, & similiter de Cœnobiis, ubi diversæ sunt portiones Abbatis & Conventus. A Conventibus, quantum pertinet ad unum Monachum, æquali facta distributione bonorum suorum, & tantundem de Abbatia. *Sed postquam maturatum est Consilium, posuit cursum Clerus in ore Magistri Ioannis Archidiaconi Bedfordensis, qui cum dixisset Nuntio, quòd cum petitio concernat jus Regis, jus Dominorum secularium, & multorum absentium Patronorum, Clerus non possit in eorum absentia finaliter respondere. Interim venit Dominus* Ioannes Marescallus, & alii Nuntii Regis, *districtius inhibentes, quòd* nec Clerus nec Ottho Nuntius *attentet aliquid, quod tangit* feudum Regis, *vel* secularium Dominorum; *nec molestet* Clerum Angliæ, qui *tenet Baronias, vel alias eleemosynas de Rege in capite. Sic scandalosi Papæ petitio est frustrata. Habes autem mandatum Regis, rationem vivacem; cum enim ante dotationem Ecclesiæ fuerit regnum nostrum jure possessionatum conformiter legi Christi, nimis monstrosum foret, quòd Papalis exactio extorqueret aliquid contrarii juri regni. Rex autem nedum debet defendere secularem Ecclesiam, sed etiam*

Matthæus Westmonasteriensis in Floribus Historiarũ pag. 284, 285 edit. Francof. 1601.

Cleri

Cleri Angliæ in sua libertate primæva, ut dicit beatus Isidorus de summo bono lib,3. & incorporatur, 2. q.7. Vide astutias ac technas, rapacitatem ac externam impudentiam Antichristi, ejusque Curtisanorum, quæ sub prætextu amoliendæ rapacitatis ac fugiendæ avaritiæ, vel maximè voluerunt involare in bona, ac reditus omniũ Ecclesiarum. Quis tantam audaciam, & perfrictam frontem putaret inesse illis sanctissimis Patribus ac Vicaribus Dei sui? Verùm licet tunc eis parum successerit hæc fraus, tamen illi falsi quidem, at non defatigati, paulo pôst non tantum Ecclesiarum reditus, sed & totum penè regnum in suam potestatem ac feudum redegerunt, sibique tributarium effecerunt; imò & exuerunt ac expilarunt, ut postea suo loco apparebit.

CXCVI. Salomon, Rex Britonum.

HIc Rex regnavit circa annum Domini 860. Restitit autem unà cum suis majoribus Paparum tyrannidi, ut Nicolai I.* & Præcessorum, qui voluerunt ejus Episcopos pro arbitrio alienis ac peregrinis Episcopis subjicere. Quin & judicia de Episcopis, pro suo arbitrio, inconsultoque Papa, Synodaliter tamen (hic idem cum suis Præcessoribus) exercuerunt, duravitque ea lis contra Papas longo tempore. Vnde apparet, Reges ac Episcopos non perinde tunc fuisse Paparum mancipia, ut postea. Vide ca. *Hæc quippe. 3.q,6.* Vtinam & illorum Regum & Episcoporum scripta, quæ tyrannidi ac importunitati Paparum opposuerunt, extarent! Est verò ibidem memorabile dictum Iulii Papæ, qui cum superbæ pro suæ sedis potestate contendat, fatetur tamen, sæpe inconsulto Papa Episcopos judicatos, dejectos, ac planè depositos fuisse, inquit enim: *Aliquando inconsulto Romano Pontifice pleriq; Episcopi damnati reperiuntur, & alij in eorum locum subrogati, quorum damnationem & subrogationem pro bono pacis ex dispensatione tolerasse legitur Ecclesia.* Fuit autem hic Iulius multo antea.

* Extat Nicolai I. Epist ad hunc Regem Salomonem inter Hincmari Epistolas p.718.

CXCVII. Reges & Optimates regni Siciliæ.

TEmpore Paschalis secundi, nempe circa annum Domini 1100. fuerunt Reges Siciliæ *Rogerus* & *Boemundus fratres.* Miserat tunc Paschalis Archiepiscopo Panormitano pallium, & simul fidelitatem exegerat. Ea res ut planè nova, valde offendit non tantum ipsum Archiepiscopum, sed & Reges ac Optimates totius regni, dicebant enim, rem esse tum novam, tum habere speciem tyrannidis in Ecclesia constituendæ. Opposuerunt item, in nulla unquam Synodo esse constitutum aut decretum, ut Episcopi aut Archiepiscopi juramento sese Romano Pontifici obstringant. Verùm Pontifex destitutus jure, victusque rationibus, respondit:

Sic

Sic utilitatem sua Ecclesia postulare, seq; Synodos aut Concilia (ut qua omnia sint infra suam auctoritatem) non morari. Vide decretalem *Significasti.* Utinam illud ipsum scriptum Panormitani integrum haberetur, & quæ alia tunc Reges & Proceres ejus regni in eam partem sententiamve egerunt, aut dixerunt.

CXCVIII. *Arnulphus.*

NIcolaus Cusanus citat in 3. Epistola ad Bohemos, cujusdam Arnolphi paulo prolixiorem textum, qui circiter ante 400. annos vixisse videtur. Is igitur narrat simul & defendit sui temporis consuetudinem communicandi de intincto pane. Eum totum locum Cusani simul & Arnulphi adscribam, quo appareat, quomodo paulatim à Christi sincera consuetudine discessum sit ad istos tetros Pontificiorum abusus; quòd licet ab initio & postea sese aliqui meliores opposuerint, tamen tandem abusus obtinuerit, idque probantibus Papis & Episcopis. Verba ejus hæc sunt: *Unde etsi alia gratia per corpus* sub panis specie, *alia per sanguinem* sub vini specie *erogatur; non tamen illa sanguinis gratia futura post Domini corporis Sacramentum expectatur; qua non corporis sumptionem consequuta sit; ubi post communionem panis, calicis communio Ecclesia non expectatur. Rectè (uti temporibus quondam* primi Iulii Papæ, *quando quidam propria authoritate à ritu sub utraq; specie communicandi recedentes, loco utriusq; intinctum panem dederunt, & non rectè ritum sua authoritate minutare poterant) per ipsum* Iulium Papam *reprehendebantur, ut* de consec. d. 2. cum omne. *Post hoc nihilominus in Ecclesia Catholica* (licet novitati primò Iulius restiterit) *ex certis rationalibus caussis ritus extat introductus*, cum intincto communicandi *in multis locis, ut in Concilio Turonensi statutum legitur, de quo in libro Burchardi 5. cap. ut omnis Presbyter universali Ecclesia demum approbante, & non contradicente. Quare illud gratia, quod quondam* servato priore ritu sub diversa specie *Christianus consequebatur, nunc comedendo separatim, tunc & bibendo, illud postea* ex unico actu communionis sub specie intincti panis *extat assecutus*; *& licet tunc* non parva altercatio in principio mutationis illius prioris ritus *in Ecclesia fuerit* ob praxim Christi & priorum Patrum, *ut in eodem* cap. cum omne: *tamen* universalis Ecclesia, *quia ita* tempori congruebat, *populum* cum intincto pane *communicare permisit. De qua re quidam* religiosus frater Arnolphus ad quæstionem cujusdam Lamberti *circa illa tempora scribens, dicit post principium:* Prima ergo posita percontatio de altaris Sacramento extitit, cur hodierna consuetudo Ecclesiæ censeat porrigi corpus Dominicum aliter, quàm à Domino in cœna discipulis fuit distributum, id enim quotidianus usus præsentis Ecclesiæ, ut porrigatur hostia sanguine intincta, cum à Domino prius corpus, deinde sanguis porrectus fuisse memoretur, etiam Iulio Papa illud quondam prohibente. De cujus dubietatis ambiguitate, quod intelligimus, quod à nostris Doctoribus accepimus, respondere parati

ſumus : Redemptor noſter veniens in mundum, quia propter hominum ſalutem inter homines apparuit, quæcunque reparationi humanæ infirmitatis accommoda ſeu neceſſaria fore prævidit, ſicut oportere vidit in ſapientia ſua, ita ab omnibus fieri & eſſe voluit in Eccleſia ſua: hæc eis quæ facienda erant, eis cum quibus converſari dignatus eſt, verbo vel exemplo inſinuavit, certum quo facienda erant præfigere modum omittens. Hinc eſſe videtur, quod ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Non ait, *Hoc modo facite, & ita baptizate.* Non ait, *Hoc modo ſemel aut ter mergendo.* Non ait, *Scrutinum facite, Chariſma conficite.* Quare inſinuaſſe videtur, circa modum mutationem ex cauſis rationabilibus accidere poſſe, ſicuti hæc experientia in multis comperimus: quia diſcipulis poſt cœnam, nobis jejunis traditur: ut Auguſt. de conſecrat. d. 2. liquido. Hieronymus ad Ianuarium narrat, ſuper Epiſtolam ad Titum, quo modo prius communi ſacerdotum conſilio Eccleſia regebatur. 93. d. legimus. & 95. d. olim. Imponebatur aqua calici, quæ per Chriſtum impoſita non legitur. Alius eſt ritus hodie conficiendi, alius fuit quondam. Et poſt pauca dicit: *Ob honorem & reverentiam Sacramenti, & periculum effuſionis, ac ut ſacerdos ſine periculo miniſtrare poſſet, conſuetudinem introductam, panem intingendi.* Ad decretum Iulii reſpondet: *Quòd licet rationaliter pro ſuo tempore fuerit inſtitutum, prævaluit tamen poſtea rationabilis Eccleſiæ conſuetudo, quæ cum invaleſcit, decreto derogat: ut & decretum Teleſphori de tempore celebrationis Miſſæ, & aliorum de baptizationis, & chriſmationis in fronte, cum multis ſimilibus, per conſuetudinem aliter introducta pro temporis convenientia reperimus. Ad hoc enim tendit voluntas paſtoris, ut quamdiu poterit prodeſſe ſaluti, obſervetur decretum. Quare per rationabilem conſuetudinem nemo dubitat ipſis ſtatutis derogari.* Superaddit aliam rationem dicens: *Quandiu ob perſequutionem fundendus fuit ſanguis Chriſti fidelium, voluit Chriſtus, dum memoriam fuſionis ſanguinis Chriſti per ſumptionem calicis agerent, quod ad mortis & ſanguinis fuſionis tormenta viriliter confortarentur, juxta illud: Ad magnam menſam ſediſti, ſcito quoniam talia oportet te præparare.* Ex quo videtur mihi, ut infrà dicetur, colligendum, uſum Sacramenti charitatem Eccleſiæ ad Chriſtum oſtendere, ut tunc ſæpe, & ſub utraque ſpecie, quando ardens eſt: tunc rarius in anno, quando calida eſt: & ſub intincti panis ſpecie, tunc rariſſimè in anno, & ſub una ſpecie, quando tepida eſt, ut hoc tempore. Et quia tunc erant nonnulli, qui primum ritum utriuſque ſpeciei nondum relinquerant, qui tamen hos non judicarunt qui ritum mutarunt: ideo nec Eccleſia eos qui primum ritum obſervarunt. Quare ait circa finem quæſtionis hujus: Omittimus de ea re ulterius loqui, fautores Dominici ordinis nequaquam arguentes; Eccleſiaſticæ verò diſciplinæ cautelam minus providis commendantes. *Videtis exinde notandum,* quomodo diverſus ritus in concordanti unione Eccleſiæ catholicæ *æqualiter laudatur. Nec hic ideo melior, quia ordinem Dominicum ſequitur; quando alius ob Eccleſiaſticæ diſciplinæ cautelam, per Eccleſiam admiſſus, per omnia ordinem ipſum ſequi poſtponit. Patet*

etiam,

etiam, quòd si comedere & bibere sacramentaliter caderent sub præcepto, non tamen obligarent ad aliter faciendum ipsam bibitionem & comestionem, quam habet ritus Ecclesiæ pro tempore, nunc separatis speciebus, *nunc* sub intincto pane, & *nunc* sub altera specie, *sub qua totus Christus est corpus & sanguis, licet ipsa species non sit nisi aut edibilis aut potabilis; sicut intinctus panis non fuit potabilis, per quem tamen præcepto de bibendo (si præceptum est) fuerat satisfactum.*

¶ Adjiciamus & hoc coronidis vice, quod idem sub finem ejusdem Epistolæ narrat, Synodum Rom. sub Innocentio Tertio, anno Domini 1415. sanxisse communionem sub una specie; quod tamen verisimile non est, cùm Constantiensis Synodus anno Domini 1415. id sanciens, nullam prorsus ejus Decreti mentionem fecerit. Quod sanè non prætermisisset, si tunc temporis adeò controversia esset à Bohemis contra Romanam Ecclesiam agitata. Accedat sanè & illud, quòd idem Epist. 7. narrat, in Rotomagensi Synodo prohibitum fuisse, ne amplius sacerdotes dent laïcis in manus corpus & calicem Domini, cum tunc adhuc id moris fuerit. Idem narrat ibidem, in Turonensi Concilio fuisse decretum, ut panis intinctus laicis traderetur. Ita videmus & hoc Sacramentum, & alia maxima Christianæ Religionis capita bene pravis consuetudinibus, abusibus & opinionibus imperitorum superstitiosorum sursum ac deorsum agitata fuisse, quæ tamen nunc tanquam pro dogmatibus à Christo sancitis ferro & igni defenduntur.

CXCIX. *Thomas Branduardinus Anglus, Archiepiscopus Cantuarensis.*

FLoruit hic longè doctissimus vir circiter 1330. Domini annum. Pugnavit acerrimè *pro gratia Dei, contra liberum arbitrium*, & Pelagianos ejus Patronos, nempe scholasticos Theologos; idque nec sine approbatione multorum bonorum, nec sine multorum seductorum gravissima offensione, suoque priculo; tandem exoratus à piis doctisque viris, quæ de ea controversia in publicis lectionibus differuerat, tribus libris, justum volumen explentibus, complexus est. Laudatur hic scriptor nomine eximiæ eruditionis, etiam ab illustribus viris, Raphaele Volaterano & Ioanne Pico. Animadverto verò ex ejus scriptione, id certamen Parisiis habitum; tametsi Balæus diversum judicare videatur. Habeo autem eum Codicem, ac ex animo optarim, reperiri posse Mæcenatem, aut etiam Typographum, qui in ejus editionem sumptus faceret. Verùm quoniam ejus rei, quæ nunc est temporis ratio, non in magnam spem concipere possum, quædam excerpta inde, ut Præfationem & Epilogum adscribam, ne pii omnino omni fructu aut saltem gustu tam boni autoris destituantur. Sic enim primum librum incipit. *Magnorum & multorum petitionibus stimulatus, incessanter sollicitor, ut quæ nuper* de causa Dei contra Pelagium, & *de* virtute causarum *in castris Scholasticorum sollicitus militando, voce transeunte de improviso, ea scripturæ mancipem remanenti, verùm sunt duo,*

Liber nunc editus extat.

ſicut Dei amici, *in cauſa Dei poſtulare me provocant, & confortant*; *rurſum* & amici Pelagii, *ſuper numerum plures iſtorum, me revocant & deterrent: Etenim quod non niſi tactus dolore cordis intrinſecus refero, ſicut olim contra unicum Dei Prophetam octingenti & quinquaginta Prophetæ Baal & ſimiles ſunt reperti, quibus innumerabilis populus adhærebant*; *ita & hodie in hac cauſa. Quot Domine hodie cum Pelagio pro arbitrio libero, contra gratuitam gratiam pugnant, contra Paulum pugilem gratiæ ſpiritualem? Quot etiam hodie* gratiam gratuitam *faſtidiunt*, ſolumque liberum arbitrium ad ſalutem *ſufficere ſtomachantur? aut ſi* gratia *utantur vel perfunctoriè neceſſariam ſimulant ipſam? Sed ſe jactant ſui liberi arbitrii viribus promereri, ut ſint.* Salutem *nequaquam* gratuitum, *ſed venditum videri bonum, quòd vel (Deus omnipotens) impotentes, de ſui poteſtate arbitrij præſumentes, tuæ operationis auxilium in operationibus ſuis recuſant, dicentes cum ipſis,* Recede à nobis. *Quot inſuper* (Domine) *ſui libertatem arbitrii extollentes, tuam refugiunt ſervitutem? vel ſi te cooperari cum eis, ſaltem labiis fateantur, cum illis ſuperbis & odibilibus civilibus tuis quibuſdam, te ſuper eos regnare defugiunt*; *imò & ſuperbiores Lucifero, æqualitate tui nequaquam contenti, ſuper te Rex Regum impudentiſſimè geſtiunt ſe regnare? Non enim verentur aſſumere ſuam voluntatem in actione, & præire ut dominam, te ſubſequi ſicut ſervum: ſe autem ut Reges præire, te tanquam ſubditum & voluntati ſuæ, incontingenter facientes, omnino tribuunt libertatem in tantum, ut & contra vocem propheticam à tua ſubjectione exemptionẽ prætendant, voluntatem tuam liberi arbitrii omnipotentiam & immunitatem cum huc advenerit in præcipitium relabatur de ſumma altitudine libertatis, antequam dejicere & novellæ neceſſitatis irreparabili ſervituti ſubjicere moliuntur, O Domine Deus meus, nõ niſi gemebundus recogito, quot & quanti Iudices errores Pelagianos olim damnatos, ac à totius Eccleſiæ finibus relegatos, abſolvere & reconcliiari ſollicitè machinantur? Quot turgidi Advocati pro eis vociferantur? Quot improbabiles procuratores partẽ eorum procurant? Quod inſuper duo argumenta artificialia non habentes, ad mortificantia ſe convertunt, & ut partem Pelagianorum extollant ſaltem, clamoribus, horroribus, probris, vitiis, riſu & geſtu partem tuam deprimere adnituntur? Et quot & quam innumerabiles eis favent? Totus etenim penè mundus poſt Pelagium in errorem abiit. Exurge Domine, judica cauſam tuam, & ſuſtinentem te ſuſtine, protege, robora, conſolare. Scis enim quòd nuſquam virtute mea, ſed tua confiſus, tantillus aggredior tantam cauſam, verùm talia mihi ſupplicanti diutius, & anxius deprecanti, ecce præcordia mea fudi, ſoporatus didici: & nuper in cujuſdam noctis ſilentio, poſtquam dormivi, inveni quod ipſe qui poſt tempeſtatem facit tranquillum, & qui poſt lachrymationem exultationem infundit, ac omnibus invocantibus veraciter adeſſe ſolet*; *videbar nempe mihi videre divino lumine circumfuſum, me multum ſuper terram in aera ſublevatum, ſic quod ab Oriente verſus partes occiduas aſcendendo intrepidè proficiens, quodq́; Pelagius veniens ex adverſo, apprehenſa ſiniſtra mea, confertiſq́; digitis, tota me violentia ad terram detrahere conabatur, & proprii roboris virtute deſtitutus, & confortatus fiducia, plurimùm delectabar & re-*

& reluctabar. Tali verò lucta non mediocriter anxius, diutius protundebar; sed & pro Pelagio contrariè prævalente, & me penè ad infima detrahente, ipse in me ipsum desperationis responsum accepi, & tota cum virtute renitens ad summum confugi auxilium toto corde: statimq́; Pelagius soluta manu in præceps detruditur, præcedente cervice corruit super terram, clausis oculis mortuus jacuit resupinus, Ego autem super terram remansi, & aerem ascendens, & progrediens sicut antea gratulando jucundius, & mirando. Hinc ergo spiritu fortitudinis confortatus, spem hausi, quòd de superbo Pelagio, principe Pelagianorum pestifero, & quòd ab universo exercitu ejus penitus triumpharem: nõ autem ego, sed gratia ejus mecum, ne tamen solo me pro viribus laborante: non enim mea est causa, nèc meum est bellum, sed Dei Domini scientiarum exercituum & virtutum: ego autem sub ipsò sustineo partem ejus; â quorum ergo vultibus & insultibus, à quorum furoribus aut terroribus trepidabo, tanti patroni protectione tutissima communit⁹? Quamobrem qui est Domini, jungatur mihi: imò non mihi, sed ambo jungantur Domino. Stemus simul, quis contra nos? Scio enim quòd unus cum quo est Dominus, mille adversarios perferet, & duodecim millia effugabit. Porrò sicut antiqui Pelagiani ventoso nomine secularium scientiarum inflati, consistoriũ Theologicum contemnentes, physicis argumentis confligebant: ita & moderni. Audivi namq́; quosdam advocatos Pelagii, licet multũ provectos iu sacris apicibus, affirmantes Pelagium nunquam potuisse convinci per naturalem & Physicam rationem, sed vix arguebatur utcunq́; per quasdam autoritates Ecclesiæ, quas Physici rejiciebant, quia Satrapis non placebant. Quapropter per rationes & autoritates Physicas ipsas disposui refutare; & quia insuper Pelagiani communiter tam veteres quàm recentes Scripturas Canonicas & Catholicorum Doctorum ad suæ perversitatis perniciem pervertere satagunt, ipsarum intelligentiam solidam elucidandam sincerius arbitrabar: & quia similiter immoderata multitudine partem Dei conantur opprimere, & multa testium Dei turba ipsos reprimere statuebam, ne & ipse contra tot beluas videar singulariter bellare, præsertim in tantis anticipari & sublimari. Et quis effecerit ista paucis? quot martyriis, quot vulneribus, sancti Patres sylvam Pelagianarum hæresium succiderunt? & quot adhuc propagines venenosæ de antiquis radicibus multiplicius pullulant, & succrescunt? Sicut enim antiquitùs, sic & modò. Primò namq́; horum hæresiarcha Lucifero, nolente Deo subesse & coesse, per Michaelem dejecto, surrexit Cain, existimans peccatorem nequaquam justificari gratis à Deo, per gratiam gratis datam, sed per meritum antecedens: quo divina ultione prostrato, surrexit Nimroth, qui (Josepho recitante) suadebat hominibus, ut nequaquam Deo adscriberent quod ipsis feliciter eveniret: sed quòd eis hoc virtute propria præberetur, & ut spem suam in propria virtute reponerent, non† ideo multitudo etiam prona erat ut ejus præceptis obedirent, obsequii grave Deo servitium reputantes. Sicq́; homines à Dei revocavit timore, fecitq́; elatos, ad divinam injuriam & contemptum. Attamen ad tyrannidem adducebat ejusmodi præsumptionem sacrilegam per Abrahamum patriarcham recusantem, surrexerunt illi vaniloqui & magniloqui, arbitrantes labia & sermones à se esse, quin & Deum hominibus

† in Deo.

bonum & malum hominem electioni proponatur, unumquemque ex voluntate propria hoc, vel illud eligere, sine Deo. Quibus per Prophetam correptis, surrexerunt quidam Hebræi Græci & Romani Christiani, qui dixerunt, se meritis suis fidei gratiam suscepisse. Quibus & per Apostolum redargutis, surrexit Pelagius, qui contra Dei gratiam & ejus auxilium superba bella commovit. Quo per Patres Catholicos condemnato, Iulianus & Cœlestius eandem hæresin renovarunt: quæ etiam per Patres Orthodoxos extincta, à Cassiano iterum suscitata, quam & Prosper prosperè castigavit. Circa illud tempus cœpit eadem hæresis in Britannia latissimè pullulare: propter quam, venerabili Beda in Ecclesiastica historia gentis Anglorum, & Henrico Hottindonense in historia Anglorum narrantibus, Germanus Antisiodorensis, & Lupus Tetradensis Episcopi, licet dæmonibus sævissimam tempestatem in mari concitantibus, Oceanũ transfretabant, ipsamque arguentibus, nedum vocabilibus rerum & realibus, id est periculis, strenuè confutarunt. Sed ecce post paululum præcisa jam hæresis virgulta pestifera denuò revirescunt, sicut iidẽ Historiographi conscripserunt. Quæ & idem Germanus & Severus Turonensis Episcopus in Britanniam venientes denuò rescindere curaverunt. Ad hæc, ante & post volumina temporum Scottani reliquias pestis hujus in terram sedis Romanæ sparsas Epistolis salutaribus expurgarunt, eodem venerabili Beda teste, horum & meminit sanctus Prosper. Et licet hæc ficus fatua toties sit præcisa, toties eradicata, combusta, incinerata, & usque ad ultimum conculcata, tam latè, tam densè, adhuc tamen non desinit germinare: & suo virore vitioso, quanto subtilius solito, tanto periculosius propagatur. Zelo igitur zelans pro causa Dei, manum sciens in flammam mitto. Non enim ignoro, quomodo Pelagiani pestiferi animo æstuanti tumultuosis clamoribus oblatrabunt, & dentibus effrenatis chartulam istam lacerare molientur. Et ii tamen præ cæteris solent liberius carpere aliena, qui nihil proprium ediderunt: Sed non ne, Iosepho referente, propter hanc causam Chaldæi & Mesopotamitæ, contra Abraham consurgebant? Nõ ne & antiqui veri Prophetæ propter causam Dei à Pseudoprophetis quamplurima sunt perpessi? Nonne, & quidam indocti Paulum doctissimum insania arguebant, ejusque præclaras Epistolas depravabant? Nonne & Iulianus, alumnus Pelagii, gloriosissimo Augustino, imitatori Apostolorũ, & contra Pelagianos ingratos gratiæ strenuissimo defensori, quàm multiplicibus criminationibus obgarriunt, ac libros ejus se ventilaturos, atque suarum sententiarum impietatem denudaturos & confessuros jactant? Nonne & alii Pelagii defensores in Galliis, Augustino de morte jam ad vitam translato, scripta ejusdem reprehendere præsumpserunt? Nonne & optimam Christi ac Patrum doctrinam sanctam scribæ multi pessundabant? Et quis aut qualis ego sum? scio quòd non sum melior Patribus nostris tantis, nec Domino meo major: unum autem cum totis semper visceribus desidero correptorẽ, non oleum peccatorum, qui misericorditer increpando, non personam, sed vitium prosequatur: non homines, sed errorem: hoc enim vellem: & puto me sincerè, nisi ipsi & aliis (Domino teste) amplius, aut quicunque hanc unam causam pertractare voluerint necesse videtur altius ordinando de cunctarum virtute rerum & differere studiosè: sed modulo meo pensato, admodum deterret tam inaccessibilis rerum subtilitas, & tam impenetrabilis profunditas,

& tam

& tam inextricabilis difficultas, tam impermeabilis immensitas. Nonne apud Philosophos definitum reperitur: & ideo soli sapienti congruere videtur, cognoscere causas rerum? Quare dicit Poeta:

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.

Indagare siquidem causas naturales, etenim & propinquas, difficultatem non modicam continet, & laborẽ, quantotenus universitatem harum causarum volatu mentis, corruptela cordis aggravante, transcensus usq; ad impenetrabilẽ penetralem causarum supernaturalium altissimarum ac inaccessibiliũ penetrare, ipsasq; velut nycticoraci oculo caligante perspicaciter intueri, aut animos similes similiter elevare, ipsorumq; oculos depravare, ut & ipsi ipsas similiter cõtemplentur. Nonne & huic theoriæ noscitur adjacere scrutinium de universitate causarum, de unica causa prima, de rerum productione, conversatione, & qualibet actione de potentia & voluntate divina, in præscientia & providentia, & de prædestinatione, electione, reparatione ad gratiam, de fato cœli & fortuna, de libero arbitrio, de merito & peccato, & de necessitate & contingentia futurorum, cum aliis majoribus dependentibus & emergentibus in tot & tantis? hæc igitur theoria totius Logicæ, Physicæ & Astronomiæ & Ethicæ, Metaphysicæ seu doctrinæ obsignatoria mysteria comprehendit: hæcq; omnium gentium & linguarum, graduum, sexuum priorum disputatissimum est problema: à cujus disputatione clamorosa, non etiam idiota se temperet, nec alius. Advertat quæso vestra discretio, quàm perfunctoriè illi gloriosi physicam laterosam hanc musam vix à limine salutarunt, quod & ipsa mirata, certam suo alumno de istis sollicitè quæritanti respondens ad rem, inquit: Omnium maximam quæsitam vocas me, cui vix exhausti quicquam sit satis. Nonne & Prophetæ videntes clarissimè horum quorundam excellentiam secretorum, reverberato ipso intuitu velut lupo viso, aut ideo queruli mirabantur? an non ipse cui similis in terra non erat, unum articulum per unum diem providenter non explicans, sed quærulosè admirans: Sustinete, inquit, me ut ego loquar: postea mea, si videbitur, verba videte: nunquam contra hominem disputatio mea est, ut meritò non debeam contristari.

Iis autem Dei gratia consummatis, respicio & respecto magnitudinẽ perhorrendam hujus periculosissimi pelagi, Pelagio pestilente cum suis Pelagianis pestiferis, à voraginibus ejus absorptis, duce Domino in tutissima Petri navicula jã transacti, pars multiformis gratias referens multiformes, revertor, animum revolvo, præmissa rumino & mastico, cõsiderans quoq; meas, imò meorũ potius difficultates quàm opinionum veritatẽ quamplurimam, & opinantiũ nõ minimã vanitatẽ. Credo firmiter, & indubitanter æstimo, quòd multi promptuli detractores me multipliciter accusabunt, leviter judicabunt, & præcipitanter forsitan condemnabunt. Sed nonne Patres nostri, tam veteres quàm recentes, ante legem, sub lege, atq; sub gratia, imò & Magister & Dominus noster JESUS CHRISTUS, à similibus similia sunt perpessi? quod nõ paucæ testantur historiæ, & ordinẽ huj9 Tragœdiæ tangunt. Et quis tantill9, putridus & vermis, unde tantis & talibus reputarer

com-

comparandus? Cur igitur cum eis timeam perpeti, aut refugiam tribulari, ut sit saltem, licet multum dissimiliter & distanter: veruntamen qui me errare putaverit, hortante quæso Timotheum Apostolo, suavitate consiliorum, atq; etiã consulo consimiliter, ut advertat seipsum esse hominem, similem ei, infirmitate circundatum, vanitate sui multitudine errabundum, caveat ne forsitan ipse erret. tum statuo, quòd si erro, probabiliter erro: quia non solus, sed cum multis & magnis authoritatibus Apostolicis, cum multis quoq; & magnis rationibus probabilibus, nec facile reprobandis. Unum quoq; peto humiliter, & requiro, ut qui me errare contenderit, rationes & autoritates nostras contrarias minuentes, & juxta statera non favorabili aut dolosa, & probationem sententiarum amplient. puto siquidem confidenter, imò mihi videor scire, quod pro sententia partis contrariæ essent tot & tam validæ rationes, & autoritates tam modulatæ, tam consonæ, quòd hæc sententia partis hujus, tam marcidæ rationes, & autoritates tam absonæ, quòd hæc sententia jam olim fuisset canonizata. Harum quoq; sententiarum qualitates contrarias videtur perspicuè dijudicare, quod quanto nuper ambæ sententiæ in conflatorio Scholastico diutino vehementius temperabantur, & diligentius probabantur: hæc semper velut aurum præclarior esse, illa velut aurichalcus seu scoria obscurari videbatur.

Quantum certamen huic Doctissimo & pientissimo viro cum Sophistis fuerit, de corruptione originali & libero arbitrio, in quantis etiã periculis propterea versatus sit, etiam ex istis paucis excerptis intelligi potest. Vtinam verò totũ opus excuderetur; inde enim etiã multo clarius liquesceret magnitudo controversię; & quàm id verissimũ, quod nobis hoc Opere probandũ desumpsimus; nempe semper fuisse plurimos pios, ac eruditos quoque non paucos, qui grassantibus in Ecclesia erroribus, scandalis & abusibus repugnaverint; sed propemodum frustra, vincente majore ac deteriore parte meliorem & minorem. Quo minus verò id appareat, etiam illud in causa est, quòd talia scripta ac monumenta subinde sunt à Pontificia cohorte suppressa, aut etiam prorsus abolita; plerunq; verò librariorũ imperitia ita corrupta, ut multis in locis vel sententiã assequi sit difficile; certè nemo ea sine gravissimo periculo servare, multo minus describere potuit. Dominus autẽ resuscitet nobis ista corpora sanctorum; quæ nobis verè exosculandæ & salutares reliquiæ sunt.

CC. *Vaticinium*: Quid fructuum in Ecclesia Dei adferat Cœlibatus Sacerdotum; *scriptum ante annos plus minus centum lingua Gallicana, per Magist. Alanum Chartierum, Secretarium Caroli VII. Reg. Francorum, in Opere cui Tit. fecit AVLICVS.*

CVm explicatam jam teneas institutionem sacrificiorum, reliquum est ut tibi exponam *de natura & ratione ipsorum sacrificantium.* Perspicuũ verò est, Deo offerri columbas & agnos, ita quidẽ, ut pius affectus id mun⁹ dedicet. Idonei sacerdotes edunt agnos, & vitam ducunt ex oblationib⁹ sacrificiorũ; Deus autem servat sibi cor ipsum sacrificantis. Argumentũ seu testimoniũ sacrificii sunt res oblatæ; sed ipsũ verũ sacrificiũ sitũ est in cõscientia. Indeq; scriptũ extat, esse eo grati⁹, exhibere

cor obediens, quàm ſacrificare pecudes. Creator ipſe nō opus habet ut nutriatur è victu iſtarum oblationum: quoniam ipſe qui ſatiat famelicos, non eſurit carnem agnorum: ipſaque cerea nullam lucem ejus ſplendori inferunt, qui eſt ſol clariſſimus. Vbi eſt virtus ſacrificii tui, niſi in tua obedientia & humilitate? Oblationes exteriores nihil ſunt quàm figura perſpicua, & apertum quoddam myſterium divini cultus. Et is quidem juſtum Deo factitat ſacrificium, qui ipſi tota mente ſe devovet, atque contendit ut ejus præcepta pro viribus exequatur. Id enim cor, quod totum Deo eſt deditum, nunquam poteſt deficere donum ſpei: ejusque ſacrificii gratia fuit miſſus in terras. Auſculta quid tibi dicat David, qui tam ardens fuit in ſacrificiis, tamque aſſuetus ſpei: Sacrificate Deo ſacrificium juſtitiæ, & tunc ſperate in illum.

O homo, qui Deo facis ſacrificium de rapinis, eique offers id quod à proximo tuo rapuiſti, quam ſpem debeo ego concipere de tuis ſacrificiis? Id ſanè quòd rapuiſti, dignum nequaquam eſt ut offeratur: atque idipſum quod offers, non tollit indignationem divinam, quum offeras de rapina. Tu ſacrificas oculis hominum, qui te intuentur: ſed redde quod rapuiſti, & ſacrificabis in oculis Dei. Pulchrè equidem decipitur ſtolida ſpes illorum, qui videntur ſibi magnum quoddam opus facere, quando Eccleſiæ in ſenectute offerunt, id quod in juventute malè acquiſiverunt. O craſſa intelligentia, perſonato fictoque tecta ſacrificio: per rapinam ſuſtuliſti Deo obedientiam præceptorum, & timorem nominis ipſius, & cogitas illum placare per id quod tuum non eſt. Scias quòd odor incenſi tui ipſi putet, & ſacrificia tua longè magis ſunt moleſta quàm grata. Scriptura te edocet, quòd ſæpe contempſit ſacrificia eorum qui faſtidiebant majeſtatem ipſius propter abominationem intentionis ipſorum. Audi quid dicat populo duræ cervicis, & alienato à perfecta ſua obedientia: Vos contemnitis præcepta mea, & vultis quòd laudem veſtras oblationes: Vos rejiciſtis diſciplinam meam, & vultis quòd oblationes veſtras acceptem. Faſtidium me capit veſtrorum ſacrificiorum, veſtras ſolennitates audire grave mihi eſt. Avertam igitur faciem meam, quum cogitabitis me ſacrificiis veſtris placare: quia intelligo quòd populus hic qui me labiis honorat, cor ipſum longè à me habet. Prohibeat Deus, ne hæ rejicientis ſententiæ, Iudæis jam olim vita defunctis dictæ, verificentur in Chriſtianis viventibus. Profectò vereor ego, ne corda eorum qui nunc vitam agunt, valdè ſint remota ab eo, qui ante omnes ſibi adjunxit populum Chriſtianum. Et credo quòd jam hiſce diebus noſtris remotiſſimi ab ipſius obedientia, ſint omnium proximi apud ipſius altare. Olim fuerunt fundatæ Miſſæ per homines qui contemnebant temporalia, & aſſignatæ Magiſtris ſacrificiorum: nunc verò hi quærunt omnes occupationes ſeculares, & refugiunt ſua myſteria & officia ſpiritualia, non ſecus quidem quàm opera dedecoroſa, ſive reprehenſibilia. Nemo quærit quid ſuo in officio agere debeat, ſed quanti præbenda. Ah ah maledicta introductio, ah ah diffluens abuſus: vos Eccleſiam Dei effe-

ciſtis ſpeluncam latronum, & ſanctuarium divinum ut jam ſit forum cauponatorium. Sancta Evangelica ſunt ſuppreſſa, & Canones ſublati; exercitium autem Simoniæ & lucri quàm maximè uberis regnant, & ſanctæ Patrum doctrinæ rejectæ atque poſthabitæ. Nonnulli poſſent ac deberent ſufficere unicuique myſterio in Eccleſia, ſed quiſque novam voluit ſibi induere perſonam.

Porrò fuit olim factum novum ſtatutum in Eccleſia Latina, quod *diſcidit ordinem ſancti matrimonii ab dignitate ſacerdotali*, ſub prætextu puritatis & caſtitatis ſine ſorditie; nunc viget ſtatutum *ad concubinatum contrarium*, & ipſos Clericos attraxit ad exercitia mundana, atque ea flagitia quæ carni adlubeſcunt. Et quod plus eſt, manciparunt ſeſe *immenſæ avaritiæ*, per Simoniam, aliasque rationes illegitimas & litigioſas, corruptelis ac aliis modis variè quærentes Præbendas atque Prælaturas ſpirituales; quodq́; indignius eſt, ſorditati & occupati in rebus prophanis, negotiisque & curis temporalibus. Atque hoc primum ſtatutum ſegregavit olim Eccleſiam Græcam à Latina: & inde enormis avaritia ſacerdotum fecit, ut diſcederent populi Bohemiæ ab Eccleſia Romana. Quid dico Bohemiæ? Imò verò totius penè orbis Chriſtiani. Nam homines Eccleſiaſtici ſua culpa ita prophanarunt & ſe & ordinem ſuum, quòd jam planè & à magnis & à parvis in toto mundo habeatur deſpicatui: ſuntque corda omnium abalienata ab obedientia Eccleſiæ, per pravitatem miniſtrorum ipſius. Quia, ut jam eſt dictum, illi ipſi miniſtri dereliquerunt conjugium: cæterùm hujus loco aſſumpſere ſibi illegitimas, vagas ac diſſolutas libidines. Nolo longius extendere hunc ſermonem: quia tantum hæ valent conſtitutiones, quantum inde percipitur voluptatis.

Quid autem conſtitutio, *ne ſacerdotes ſint uxorati*, affert aliud, quàm ſubvertere & evitare legitimam generationem, ut ea convertatur in adulterium; & honeſta cohabitatio cum una duntaxat ſponſa, abeat in multiplicationem effrenis libidinis? Si dicerem hic totum id quod in animo eſt, amplè dicerem, quòd pinguedo bonorum temporalium, permixta cum dolore invidiæ, & calor ambitionis atque libidinis, jam faceret ſuum apparatum, ut conjiciant flammam in Eccleſiam. Sed hoc argumentum nimis eſt gravis ac profundæ inveſtigationis, & diffinitio ambigua ſatis hoc comprobat.

De hoc igitur in præſentia taceo; niſi quòd precor illum, qui eam ipſam Matrem noſtrã ſanctam Eccleſiam ſuo digno conſecravit ſanguine, ne ſinat hoc ipſum evenire, quod nunc me ſinit animo cogitare. Quanquam hic non ſtatui vituperare bonos viros ſeculares, qui ex perfecta devotione donarunt Eccleſiæ prædia; quia exonerarunt ſeſe, ut ad Deum tanto expeditiores in ſpiritu aſcenderent, & Ordo ſacerdotalis tam magnam gravemque ſarcinam humeris ſuis impoſuit, ut ipſum planè in terram decurvet, ac impediat, quo minus ſurſum in cœlum poſſit aſpicere; nam *avaritiæ ſtudium in Eccleſiaſticis* ita corrupuit ipſorum intellectum, quòd eorum damnatio inde evidenter apparet; adeoq́; omnium etiam bonis temporalibus

calami-

calamitatem invexit, quod est veluti universali militanti Ecclesiæ opprobrium & ruina; ac maximè ipsis Ecclesiasticis, qui talia crimina committunt. Dolor hæc mihi verba extorquet; nam abjicio spem omnem de duritia eorum; quæ, ut facile est judicare, jamjam ipsis appropinquat in omni desperatione. Mare quum vehit navem minis grandem, velificatur magno cum discrimine, neque ullū flumen extra suum alveum diu perdurat. Iam recollige membratim id quod tibi dixi *de dignitate sacrificiorum*, & *de indignitate sacrificantium*; & habe hoc tibi certum axioma, quòd quando Deus vertit se contra sacrificia, tum persecutio in homines incipit, ac maximè ipsos sacrificantes. Et ut breviter tibi per exemplum satisfaciam, juxta nostrum institutum, hujus rei tibi argumentum seu confirmationē sume Ophin & Phineam, filios Heli, ministros altaris, quorum sacrificia fuerunt Deo abominabilia. Atque exitus quidem ipsorum explicatus extat in sacra Scriptura, ut res jam præterita: cæterùm reliqua adhuc est ut eveniat Prophetia Danielis, qui demonstrat adventum Antichristi, ac tempus persecutionis propter abominationem templi, & oblationem jugis sacrificii. Ex ista digressione, pendente à quæstione supradicta, potes intelligere, quòd oratio & sacrificium conducunt ad conservandas ac restaurandas res tum privatas, tum publicas.

DIALOGISMUS, UBERIUS EXPLICANS HOC ARGUmentum, videlicet omnem Ecclesiæ calamitatem proficisci à pravis moribus Clericorum. Tum neq; laicos feliciter aut vivere aut mori, qui Ecclesias invadunt, resq; sacras sibi usurpant. Deniq; bella, dissidia, ac res alias adversas, justo Dei judicio diu sæpe durare, & quid peccantium obstinationem tandem sequatur.

Ex eodem Chartieri Aulico, quo loco Fides *edocet* Prudentiam, *cur boni puniantur in hoc mundo unà cum malis; neq; de hoc mirandum. Deum enim esse in omnibus justum judicem: & quod deniq; ob delicta Magistratuum & versantium in publicis functionibus, patiantur etiam subditi, & earum functionum immunes. Tum Prudentia pergit à Fide interrogare, & Fides respondere, uti sequitur.*

PRUDENTIA.

SAtisfaciunt mihi, ô Fides, quæ respondisti hactenus. Sed cur Deus sanctam suam Ecclesiam, & consecratos eidem ministros, ita opprimi, vilipendi, & contemni patiatur, lubens equidem adhuc, si bona tua fieri posset gratia, quærerem: neque temperare mihi sanè possum, quin ita faciam, posteaquam video initiatos DEO presbyteros, sacrosque monachos, & ordiem clericalem universum haberi ludibrio, & omnium insectari primùm, ac bona Ecclesiæ exposita esse prædæ & rapinæ. Attamen ô supreme Pastor Deus, tu poteras, si videretur, Ecclesiam tuam & oves tueri ab omni violentia & bello, quemadmodum &

jussisti manum abstinere: & in sacra Scriptura protulisti sententiam, ut quicunque eosdem attingat, idem pupillam oculi tui attigerit.

SVMMA CAPITIS SEQVENTIS.

Quomodo Ambitio, Avaritia & mala exempla Vitæ Sacerdotum, in causa sunt, cur Ecclesia adfligatur, ejusq; honor adeò imminuatur. *Et planè, quemadmodum initio sui ortus per paupertatem & humilitatem elevata est, ita nunc per divitias & ambitionem est in contemptum adducta, & ejus decus abolitum.*

Fides respondet ad propositam à Prudentia quæstionem.

MAlachias Propheta hanc tibi quæstionem resolvit, per cujus os Deus enunciavit maledictionem super iniquitate hominum Ecclesiasticorum perversorum, ipsis ita dicens: Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, qui redditurus est rationem de bona observatione legis: quia Sacerdos est veluti Angelus, & legatus Dei victoriosi. Et vos recessistis de via recta, & scandalizastis populum pravo & pernicioso exemplo vitiorum vestrorum: & rupistis promissionem sanctæ puritatis, quam mihi feceratis. Ego judico & dico, quòd propter transgressionem sacri vestri ordinis dejiciemini, & proculcabimini infra quemvis alium: & nemo non vos oppugnabit ac contemnet, haud aliter quàm abominationem in universo mundo. Hæc sunt verba Dei. Nunc autem res ipsæ evenerunt, pœna executioni mandata, & prophetia fide impleta. Nunquid enim vides superbam pompam, non dicendam ambitionem & omnem pudoris terminum supergressos mores eorum, qui se dicunt ministros Dei, & serviunt mundo? Quanta est hodie eorum turba, qui tantum quærunt prædam redituum, & fructus sacerdotiorum: servitium autem Dei, & salutem animarum planè negligunt. Lubentes quidem operam ipsam officii committunt aliis, sed pro se retinent emolumentum. Ipsi se dedunt voluptatibus mundanis, & ingerunt vanitatibus aularum secularium, & laicorum prophanis negotiis: & tibi Deo cœli, cujus se volunt in terris Vicarios appellari, relinquunt curam tuæ Ecclesiæ. Ah ah bone Deus, vicariatus tam durus non erat ita audacter ambiendus, à tam negligenter administraturo. Et demiror profectò, quia audeat quispiam hominum sibi sumere superbiam & fastum ex dignitate Sacerdotii, cujus quidem etiam mysterium & officium dedignatur. Ah quòd non solùm contemptui habent ipsum officium & sacrificium, sed pudet eos vel habitum clericalem induere, & servare statum suæ professionis: & pro ignominia habent eum ordinem, cujus tantopere exoptant & laudant emolumenta. Postquam igitur ipsi non honorant suam dignitatem, quis eam est honoraturus? Si ipsi dedignantur sanctum presbyteratum, quis ipsum laudibus vehet? Si idem ipsis est pudori & oneri, à quo tandem commendabitur ac fulcietur?

O sancta mater Ecclesia, tu fuisti fundata super humilitate, quæ est lapis primus

mus ædificii Iesu Christi, & per humilitatem conservata in Dei timore, & elevata in exaltatione super mundum : nunc autem per superbiam contra Deum necesse est te infra mundanos omnes recidere. Ministri tui & Prædicatores in fide, olim fuerunt in sanguine adfecti martyrio : & nunc idem sunt tyranni, pecuniosi, & negotiatores terræ. Sancta conversatio Clericorum commovit olim corda Principum & opulentorum, ut tibi largirentur : hodie luxus Clericorum impellit unumquemque, ut tuum tibi eripiat. Et tu quidem Dantes poeta Florentine, si viveres etiamnum, haberes materiam exclamandi contra Constantinum, quem etiam tempore bene observatæ religionis ausus es reprehendere, imputans ei in quodam tuo opere, quod in Ecclesiam ipse conjecisset venenum & toxicum, allaturum eidem vastitatem & desolationem : ideo nempe, quia primus Ecclesiæ donavit possessiones & prædia : id quod sanè alii quidam probati Doctores ei vertunt laudi, ac benefactum censent. Quid movebat te, ut tam Catholicum Imperatorem vituperares, nisi fortè schismata, discordiæ, luxus & improbitates, quas videbas in Ecclesia succrescere, & abundantia divitiarum ordinis Clericalis, quæ sunt alimenta ambitionis & invidiæ, non aliter quàm pinguedo nutrit ignem, & oleum flammam? In hoc quidem ego neutiquam tibi adsentior, quod propter accipientis abusum frustretur charitas donatoris. Et si Clerici non possunt abuti possessionibus, nisi eas habeant: non sequitur tamen, Constantinum non fecisse opus bonæ intentionis, aut citra peccatum illas non donavisse: imò debet pœna recidere super abutentes, minimeq; super eum qui ad bonum usum quicquam donavit, & ut victus indigentia ne induceret aut cogeret sanctæ Ecclesiæ ministros ad peccandum, néve manifesta paupertas ejusdem Ecclesiæ tam facilè proculcaretur per aliquam potestatem secularem, aut contemptim destitueretur. Verùm id quidem est, non largitum Constantinum hominibus ipsis, sed Deo: quoniam videbat rem eò jam inclinari, ut Ecclesia & ordo Clericalis desererentur: & valde paucos ambire locum S. Petri, ob fructum & reditum inde refundi solitum. Tum igitur ad bonum permotus Constantinus, adque Ecclesiam instaurandam, donavit ei possessiones terrenas, quas tenet: quæ & postea locupletata est è decimis & oblationibus, augescentibus unà cum ipsis fidelibus & Ecclesiastico sacrificio, quæ sunt verum Crucifixi patrimonium, quod precioso suo sanguine per dolorosam acquisivit passionem. Sacerdotes autem sunt dispensatores & administratores bonorum Ecclesiæ: & exiget Deus rationem ab iis qui ea volunt tanquam res proprias possidere, & inde ditare cognatos, ac privatum suum augere patrimonium.

Quomodo negligentia Prælatorum & luxus inferiorum sacerdotum generat omne scandalum in Ecclesia.

O sancte Propheta David, tu istum abusum clarè in spiritu prævidebas, cum

verba faciens de iis qui usurpant sanctuarium Dei non secus quàm proprium patrimonium, condemnasti eos, ut fierent sicut rota cujus pars superior ad infima devolvitur: & sicut stuppa, quæ à facie venti durare haud potest. Verbum tuum nunc est opere ipso impletum, nam dura oppressio ordinis Clericalis in Francia, de qua tu ô Prudentia ingemiscis, & persecutio Presbyterorum in Bohemia occisorum, vel in exilium ejectorum, hoc ipsum nobis clarum certúmque reddit. Vtinam Deus ne permittat talem confusionem multiplicari in pejus, super Ecclesiam. Et sanè quidem rerum præsens status facit, ut insequentium eventus magno sit timori, postquam peccata Clericorum tam graviter provocant Dei indignationem, & accersunt odium & contemptum legis ipsius; nam secta illa perniciosa plus habet fautorum quàm adversariorum: & radix si in Bohemia est, frondes & rami extendent se aliò, & volet unusquisque Ecclesiæ eripere id quod non dedit. Luxus & corrupti mores inferiorum sacerdotum excitarunt istam plagam in Bohemia, & negligentia Prælatorum faciet eandem crescere & confirmari ubique, nimirum qui sancta Concilia non secus refugiant quàm pueri scholam.

Eccl. plus quàm Propheta.

Amplius etiam hoc est mali, quod volunt metui, & prorsus faciliter fulminare sententias & excommunicationes super hominibus, propter minuta debita, & leves quaslibes impetitiones. Ipsi verò interim nihil metuunt sententiam æterni sacerdotis, qui potest ligare & solvere, quique obtulit corpus & vitam suam pro peccatis nostris. Videmus palàm totum ordinem & regulam sancti Clericatus esse subversam, & velle jam subditos omnes (id quod vehementer grave ac indignum est) sese exemptos à Prælatis suis: quia & ipsi ita vivunt Prælati, seque exhibent ut exemptos ab officio status sui, & à timore Dei. Saltem id non intelligere non possunt, IESVM CHRISTVM esse supremum in Ecclesia Episcopum, cujus testamentum fuit ex humilitate & charitate, atque tali judicio à quo nemo poterit appellare. Tunc ipsis succurret in memoriam revelatio Isaiæ, qui clara voce execrabatur Pastores, qui non nisi sese ipsos pascunt. Horrorem certè tum concipient de magna calamitate, quam Deus minatur. Taceo de Simonia & contractibus illicitis, quia metuam, vel sola ex recitatione cœlum ipsum obscuratum iri. Neque libet altius penetrare ad detestandam promotionem indignorum, de qua & Ecclesia gemit, & ego Fides plango, & regna cadunt undequaque in exitium & opprobrium. Ah Deus meus, neque mirum quidem est ea debilitari, & detrimento adfici: postquam Reges ipsi procurant tales promotiones, è quibus ipsorum surgit regnis penuria consilii, desertio doctrinæ, exemplum malitiæ, & spectaculum ignorantiæ. Quia ergo jam satisfactum est tuæ interrogationi, posthac minus dolebis opprobrium & vexationem Clericalis ordinis. Vbi enim adferebas, Deum graviter interminatum, ne quis attingat ipsius ministros: vicissim cogitandum erat, per dignitatem status horum, offensam quoque fieri graviorem.

Principes ipsi indignos ad sacerdotia promovent: qui inde fructus

Præterea

Præterea autem Privilegium amittere, qui ipſo abutitur: & eum qui tranſit in aliquam apoſtaſiam aut irregularitatem, alienum eſſe ab adminiſtratione Eccleſiaſtica, & omni ſuo exutum Privilegio.

Cur polluantur & vaſtentur Eccleſiæ & loca ſacra, quæ nihil ipſa peccaverunt: & uti Deus hoc toleret, ad puniendam ſacerdotum ſuperbiam, qui ſub prætextu Eccleſiæ ſibi arrogant honorem Deo debitum.

PRUDENTIA.

NEcdum verò ſublata eſt dubitatio circa violentiam ipſarum Eccleſiarum, & locorum ſanctorum pollutionem: quæ injuria Dei eſt propria, non miniſtrorum ejus. Nam malitia vitioſorum ſacerdotum, nequaquam culpare poteſt immunitatem ſanctorum templorum.

FIDES.

Ego te ſuper hoc adire jubeo Ezechielem: ubi leges, quomodo vanitas ſacerdotum, qui ſe extollunt in præfecturis templi, & ſeſe oblectant & venditant honoribus Deo debitis, puniantur in eo ipſo quo ſectantur vanam ſuam gloriam: & divina promiſſio loca ſancta violari patitur, ut dejiciat ipſam omnia polluentem ſuperbiam eorum, qui ſibi honorem & dominationem arroganter uſurpant. At nihilominus Divinitas omnipotens remanet inviolata, & locorum quæ ſanctificavit dignitas nullum utique ſentit detrimentum ex ipſis hominum malefactis. Si pollutio aliqua aut ſacrilegium eſt patratum adverſus templum, tum conſcientia authoris jam antè eſt polluta, & ejus fides violata: neque macula templo adhæret, ſed animabus crimen committentium: aut ejus adeò, qui cauſa eſt, cur Deus tale permittat evenire maleficium. Factum in ſe quidem eſt infame, ſed omnis infamia recidit ſuper culpoſos ipſo de crimine.

Chriſtiani, quos Deus elegit conſortes vitæ æternæ, & qui extuliſtis ipſo ex ſacroſancto baptiſmo notam & inſigne IESV Chriſti Dei veſtri, & Domini ac magiſtri veſtri: cur audetis violare hoc ipſum, quod vobis reliquit hic inferius pro veſtra ſanctificatione, & ſui memoria? Vnde habetis cor? quò impellimini? unde pedes, qui vos ſuſtinent, ut per violentiam & peccatum ingrediamini eum locum, ad quem debetis recurrere, ut à peccatis veſtris purificemini? Eſt refugium pœnitentium, & vos facitis ut ſit receptaculum latrociniorum. Eſt locus hic reconciliationis, & vos ibi per vim exequimini conſilia malitiæ. Vos Deo, à quo proveniunt nobis omnia, eripitis id quod retinuit ac conſecravit ſibi pro ſua portione: & ille vos excludet à participatione gratiæ ſuæ. Miror quomodo

modo manus consecratæ possint obsequi cordi indurato, ad exequendum crimen tam grave, cujus injuria tendit rectà adversus ipsum Deum. Quare creatura audet tantum insurgere contra suum Creatorem, ut omnibus viribus moveat rebellionem & violentiam in domo Principis & Domini omnis virtutis?

Quomodo non revereri Deum, & negligere administrationem justitiæ, sunt causa ruinæ regnorum, cladium in bellis, omniumque calamitatum.

SCiant cuncti, & præsertim vos Franci, quod non revereri Deum, & negligere administrationem justitiæ, vos assuefecerunt latrociniis & sacrilegiis. Discite, si nescitis, quod hoc solùm crimen sufficit ad subversionem regnorum & ditionum, ad perditionem & dissipationem exercituum bellorum & pugnarum, & ob peccatum unius fieri possunt infœlices omnes ipsius consortes. Nam hæc offensa adeò est damnabilis, ut præcîdat omnem bene agendi gratiam, & omne robor ad virtutem proficiendi adimat. Pompejus post tot victorias stabulavit equos suos in templo Salomonis: neque inde vel sibi vel reip. Romanæ unquam profuit, aut nomini suo honorem ullum adjecit: imò ex omnibus quæ gerenda susceperat, nihil reportavit quàm jacturam, fugam, ac denique mortem infamem. Heliodorus spoliatum adveniens templum, à Deo coram omnibus percussus fuit. Antiochus ille templorum expoliator, fuit à vermibus corrosus, & vivus vidensque in fœtorem & putredinem redactus. Et regnum Assyriorum fuit ad Persas & Medos translatum, sub finem dominationis Balthasaris: scilicet ob sacrilegia patris ejus. Nec possim quidem nimium detestari horribile & tetrum hoc scelus, cujus offensa solum respicit Deum, & ipsi soli reservata ultio. Religio enim tam sublimis est excellentiæ, quod jam ob violata ethnicorum templa, Deus permisit evenire punitiones publicas. Quippe licet idololatræ divinitatem rebus vanis attribuissent, attamen noluit ut contemptus aut violentia ulla impunè committeretur in loco per ipsos consecrato sub titulo Deitatis: & hoc nimirum ideo, ne Pagani scientes ac prudentes turpiter prophanarent aut ludibrio haberent, id quod per errorem adorabant uti Deum omnipotentem. Hujus rei fecere Galli periculum post captam Romam, cum tentarunt oppugnare templum Apollinis Delphici, ubi amisere multitudinem exercitus sui, & robur militiæ eorum fuit dissipatum, & extinctum. Aliorum exemplorum copiam suppeditabit tibi Valerius Maximus. Et si quidem velis observare futuros eventus, videbis incidere vitam miserabilem, aut pudenda morte decedere omnes eos, qui se abalienarunt à Deo per hujusce peccati noxam.

PRVDEN-

PRUDENTIA.

Tametsi tuæ sanctæ resolutiones ita erudierint ac humiliarint cogitationes meas, ut optimè nunc sentiam de divina justitia: cuperem tamen amplius etiam cognoscere, quínam in partibus nostri regni punitio ipsa tamdiu perduret, atque proximis viginti annis in dies augescat.

FIDES.

Quin verò dicis tu mihi, quamdiu nunc est, quod Principes tui & populus Francicus cœperunt corda sua laxare, ac dedere vanitatibus & fœdationibus honoris ac morum vitæ: & mox ipsa respondebo.

PRUDENTIA.

Fateor equidem, nostris diebus rarò nos vidisse, qui servaret honestatem vitæ, gravitatem morum, puritatem conscientiæ: imò unusquisq; applicat authoritatem suæ potentiæ & abundantiam divitiarum, ad sui status voluptatem.

FIDES.

Si igitur Deus tamdiu sustinuit mores vestros obstinatos, & expectavit emendationem vitæ vestræ corruptissimæ, quomodo non potestis vos sustinere æquitatem justitiæ ejus? Vos vultis ut ille patiatur vivere vos iniquos & malos, & ipsum non vultis ferre justum & bonum? Tam citò vos tædet castigationum ejus, & ipse tanto tempore tolerat vestras culpas? Dimetire & confer tempora temporibus, & invenies peccata longè diutius duravisse quàm punitionem: quia & multo tempore cœperunt ante pœnam, & perdurant ac multiplicantur in dies ipsam inter castigationem. Tu vis, ut Deus flagellum suum à peccatoribus removeat, & ipsi non volunt dimovere corda sua à peccatis. Excusa mihi, si potes, tam induratam & longam cordium vestrorum obstinationem. *Nota.* Si ipse cunctatur mitigari, magis vos differtis pœnitentiam agere. Omni die manum suam ad percutiendum habebit extentam, donec populus ejus converterit faciem suam versus ipsum in humilitate. Timor & humiliatio conciliant misericordiam, murmuratio autem exaggerat vindictam. Quomodo autem essent digni ipsius gratia & pace, qui subinde eum provocant ad graviorem indignationem? Bos qui contra stimulum calcitrat, dupliciter pungitur: & qui resistit disciplinæ, & contemnit correctionem, contemnetur à correctore: & si

filius quiſpiam refractarius prehenſat ferulam patris ſui, recurrit hic ad baculum, qui longè eſt durior, & caſtigationis diſciplinæ obliviſcitur per rigorem punitionis. Et per os Sapientis dicit Deus, iis qui negligunt doctrinam, & rejiciunt caſtigationem ipſius: Quod ridebit in exitiali eorum miſeria, & in ſubitanea confuſione ſubſannabit eos.

¶ Hæc omnia Alanus Chartierus, ſubjungens ſtatim Declamationem benè longam *in corruptos Principum mores*, qui malè educati & inſtituti, ac improbis addicti convictoribus, aut ambitioni ſe dedunt, magno Reip. detrimento: aut ſolas ſectantur vanitates, & delicias pudendas, contemptis legibus & juſtitia, & neglectis ſubditorum utilitatibus; deplorans etiam Nobilitatis Franciæ inſignem à majorum pietate, religione, prudentia, honeſtate & bellica virtute degenerationem. Poſtremò de blaſphemationis peccato breviter hæc adjicit, quæ ſequuntur.

O Franci Franci, vos per damnatum & adſuetum blaſphemandi peccatum, ludibrio habuiſtis nomen ejus, cui omne genu ſe debet inflectere: & ipſe contrà per conſuetam ſuam juſtitiam fecit vos eſſe vituperium & opprobrium nationum, curvari corpora veſtra & inclinari capita coram hoſtibus veſtris. Vita veſtra violentiæ plena recidit in mortem calamitoſam, vaga & voluptuaria vanitas in anguſtam captivitatem, & ferocitas ſuperba in humilem & abjectam ſervitutem. In ſumma, qui deſerit timorem Dei, & officium magiſtratus ſui negligit, ac potius in morem brutæ beſtiæ ſolas ſectatur delicias & voluptates: viciſſim gratia, pax & ſecuritas deſerunt ipſum, & pœna, infamia & calamitas uſque in finem ignominioſum perſequuntur.

CCI. APOLOGVS PROPHETICVS, QVEM IOHANNES A RVPE Sciſſa, Franciſcanus Monachus, ſuper opibus, luxu & ambitione Eccleſiaſticorum, recitavit Cardinalibus Avinione, dum in carcere eſſet, circa Annum Salutis. M. CCC. L.

Decerptus ex ſecundo volumine hiſtoriarum, ſub finem, Iohannis Froſſardi, Theſaurarii & Canonici Chimayenſis in Comitatu Hannoniæ, diœceſis Leodienſis, qui eodem ſeculo & vixit, & hiſtoriam condidit, nempe circa Annum 1400.

DE HOC FRANCISCANO SCRIBIT FROSSARDVS, GALLORVM hiſtoricus vernaculus, poſt medium volum. 1. in rebus geſtis circiter Annum MCCC L. hunc admodum.

PEr id tempus Avinione fuit quidam frater Franciſcanus, præditus ingenio & eruditione ſumma, vocatus Iohannes à Rupe ſciſſa, quem Papa Innocẽtius VI. tenebat

tenebat vinctum in castello Baignosi, propter res miras, quas eventuras ille dicebat, præsertim super Prælatos & Præsidentes in Ecclesia, scilicet ob immensum luxum & ambitionem, quibus dediti erant: atque itidem super regnum Franciæ, & potentiores Christianitatis Principes, quoniam plebem tenuem tam miserabiliter opprimerent. Probaturum se verò ajebat Iohannes, omnia sua dicta per Apocalypsin, & veteres libros sanctorum Prophetarum, qui ipsi per gratiam sancti Spiritus essent retecti, sic ut diceret multa creditu difficilia. Conspiciebantur sanè quædam evenientia eo ipso tempore quæ pronunciaverat: neque dicebat quicquam uti Propheta, sed per Scripturas veteres, & sancti Spiritus gratiam, qui ipsi largitus erat scientiam declarandi omnes illas veteres Prophetias, ad annunciandum omnibus Christianis annum & tempus quibus debebant impleri, & confecit complures libros magna doctrina bene fundatos. Horundem in uno quodam, composito Sal. Anno M.CC CXLVI. res complexus erat tam mirabiles, ut eas ægrè quisquam esset crediturus: sed earum complurium eventus jam est visus. Et quando interrogabatur de bello Anglorum in Francos, dicebat jam antè visa nihil quidem esse, præ illis quæ superessent videnda. Neque enim fore pacem, neque finem bellandi ullum, donec regnum Franciæ per omnes undequaque regiones esset vastatum & exhaustum: idque omne est visum postea ita accidere. Nam nobile regnum Franciæ fuit afflictum, & omni calamitate prostratum, in primis eo ipso tempore quod Franciscanus ille denunciarat, scilicet anno Sal. LVI.LVII.LVIII.LIX. supra MCCC.

Porrò idem Frossardus sub finem secundi voluminis, narrans de schismate in Ecclesia, & de Vrbano VI. apud Perusium per Clementis VII. milites obsesso, ita scribit: Scio equidem demiraturos super hisce rebus posteros, & Ecclesiam in talem turbationem delabi, aut delapsam durare tamdiu posse. Sed hæc plaga fuit à Deo immissa, quo Ecclesiastico ordini ob oculos considerandum exhiberet pomposum statum & luxum, quem usurpabant: sed plures nullam ejus rei habebant curam, aut rationem. Nam ita erant superbia & arrogantia obcæcati, ut quisq; alteri par esse contenderet: ac proinde res malè succedebant. Et nisi fides nostra confirmata fuisset per manum & gratiam sancti Spiritus, qui corda de via illuminat, inque unitate continet firma: lapsabunda quidem vacillasset. Sed Principes seculares, à quibus bona primùm venere ad Ecclesiam, nihil aliud quàm ridebant ac ludebant, eo tempore quo condebam hæc Chronica, anno Salut. M. CCC.XC. Ideoq; populus mirabatur, quo modo tam potentes Principes, uti Rex Franciæ, Rex Alemaniæ, aliique Christianitatis Reges & Principes, nihil huic rei remedii aut consilii adferrent. Idem verò Frossardus, tum ut populo satis fiat, tum ut Principes sint excusati, prolixius ibidem (allato in medium simili quodam) omnem culpam in Ecclesiasticos rejicit, nimirum cum neque populus neque Principes boni plus vel teneant vel faciant, quàm ab Ecclesiasticis edocean-

tur, planè juxta illud Evangelicum: Si ſal infatuatum, &c. recenſens etiam, qui Reges ac populi cuique Papæ eſſent addicti. Tandem hæc quæ ſequuntur ſubjungit.

Scribenti autem mihi de hoc ſtatu rerum, quem meo ſeculo conſpiciebam in orbe & in Eccleſia, quæ hunc ad modum vacillabat, & de principibus ſecularibus, qui ita durabant & diſſimulabant, redit in memoriam, quomodo in mea juventute Papa Innocentius Avinione regnans, in carcere adſervabat Franciſcanum quendam, hominem bene eruditum, nomine fratrem Iohannem à Rupe ſciſſa. Iſte frater (uti Papa ajebat, & ipſe referri audivi) pluribus in locis, privatim tamen, non publicè, propoſuerat ac proponebat complures authoritates, & notabiles collectiones, & præcipuè de adverſis caſibus qui ipſius tempore, atque etiam poſt evenerunt in regno Franciæ. De captivitate Iohannis regis Franciæ loquebatur valde planè, & exponebat quædam rationi conſentanea: ſcilicet quod Eccleſia adhuc multum haberet ſufferre, propter enormem luxum, quem videbat inter eos qui baculum regiminis tenebant. Atque eo ipſo tempore quo eum vidi carcere contineri, recitabatur mihi aliquando in palatio Papæ apud Avinionem, quoddam exemplum, quod ipſe recenſuerat Cardinali Hoſtienſi, qui dicebatur ab Artheſia, & Cardinali Auxerrenſi, qui eum acceſſerunt viſum, & de iis quæ diſſereret caſtigatum. Itaque dum ſuas viciſſim affert defenſiones, id quoque addidit ſimile, quod ſubjiciam. Referebat Iohannes Rupeſciſſanus hoc modo: Cum aliquando volucris in lucem prognata eſſet absque plumis, re ad alias aves delata, venerunt illum viſum: & quia conſpiciebant eſſe bene formoſam, ac gratioſam inprimis, contulere ſuper ea conſilia, quid gratificarentur, quum ſanè abſque plumis neque volare, neque vivere commodè poſſet. Volucre autem, ob inſignem formæ elegantiam, omnino ut viveret: neque fuit ibi avis ulla, quæ de plumis ſuis non aliquid ei largiretur. Quo autem fiebat formoſior, eo plus donabant plumarum, ita ut tandem volucris illa prorſus eſſet pulchrè pennata, ac volare inciperet. Atque etiamnum, dum illam volantem intuentur aves, pennas ſuas elargitæ, magna voluptate adficiebantur omnes. Volucris autem illa cum videret ſe adeò opulenter pennatam, & pariter ab omnibus honorari avibus, cœpit ſuperbire, neque amplius habere rationem ullam earum à quibus evecta fuerat: imò illas roſtro pungebat, vellicabat, & paſſim infeſtabat. Tum verò aves in conſilium congreſſæ, deliberabant de volucri illa, quam pennis induerant atque auxerant, mutuoque ſe interrrogabant quid factu eſſet optimum? nam de ſuo tantum ſe volucri illi elargitas, ut jam plus ſatis aucta, & in ſuperbiam elata; ipſas facilè contemneret omes. Ibi Pauo reſpondit: Nimium quidem meis plumis exornata eſt, itaque eaſdem repetam. Subjicit Falco: Sanè & meas ego repetam. Ac breviter eunt iſtam in ſententiam aves reliquæ omnes, incipientes mox unaquæque revellere, ac ſibi vendicare quod plumarum

marum donaverat. At volucris illa fastuosa ita secum agi videns, illicò demisit grandes spiritus, & palàm agnovit omne id quod tenebat bonũ, honorem, & plumarum cultum insignem, non ab se ipsa profectum, sed per alias sibi donatum aves: quæ editam primùm nudam & implumem uti vestierant, ac pennis exornarant, ita & dona sua repetere poterãt. Quare supplex veniã rogavit, pollicens admissa omnia se correcturam sedulò, neque commissuram ut posthac unquam per superbiam aut luxum plumas perderet. Iterum ergo generosæ aves quæ prius plumas devoverant, cum viderent illam ita demissam ac supplicem, commotæ miseratione, omnes quas abstulerant pennas eidem restituunt, his tamen adjectis verbis: Lubentes quidem te inter nos volitantem aspiciemus, tantisper dum in animi humilitate officio tuo fungi velis: id quod egregium in primis habet decorem; verùm hoc planè ita habe, si posthac te in superbiam extuleris, mox plumis omnibus te exuemus eumque redigemus ad statum, in quo primùm invenimus. Hunc prorsus ad modum (dicebat frater Iohannes) Domini Cardinales, vobis eveniet, nam Imperator Romanorum & Alemaniæ, Regesque Christiani, ac potentiores terrarum Principes, vobis donarunt bona, fundos & divitias, ut serviretis Deo: & vos ea profunditis per superbiam, nequitiam & luxum. Quare non legitis vitam S. Sylvestri Papæ Romani, vobiscum (uti par est) expenditis, quomodo & qua lege Constantinus Imperator donaverit bona Ecclesiæ? Profectò non prodeambulabat per mandum S. Sylvester, stipatus ducentis aut trecentis equitibus: sed humiliter se Romæ continebat, & sobriam cum Ecclesiasticis solùm suis vitam degebat. Quum igitur Imperator Constantinus Ecclesiæ donaret munera præclara multa, & ditiones amplas, certè non aliud habuit consilium quàm ut juvaret religionem nostram, & Ecclesiam proveheret, atque hæc ipsa bona & ditiones administrarentur in humilitate & justitia, neutiquam per superbiam & luxum. Sed hodie fit planissimè contrarium, eoque nomine Deus irascitur. Et irascetur quidem aliquando magis etiam, contra eos qui tempore futuro subsequentur: ita quòd nobiles, qui liberaliter donarant terras, census & ditiones, quas possident Ecclesiastici, largiri jam frigidiores effecti desinant, & fortè etiam prius donata auferant: neque hic longè abest eventus. Ita quidem Iohannes Rupescissanus, quem Cardinales Avinione vinctum tenebant, explicabat verba sua iis qui intelligere volebant: atque eo sanè modo, ut Cardinales sæpe demirarentur. Optabant verò ipsum è medio tollere, si ullam necis justam causam invenire potuissent: sed erat planè nulla. Itaque vitam concessere, quamdiu se potuit tollerare: neque audebant è carcere dimittere, quòd argumenta proponeret tam profunda, & Scripturas exquireret adeò sublimes, ut mundum fortè in errorem aliquem abducturus fuisset. At certè interim visa sunt evenire multa, ut quidam asserunt, qui accuratius quàm ego ipsius verba observarunt, quæ prædixerat, & in carcere conscripserat. Volebat autem confirmare quæ dicebat omnia, per Apocalypsin: & comprobationes veræ, quibus se armabat, sæpius ipsum servarunt,

quo minus exureretur. Non deerant quoque quidam Cardinales, qui misericordia adfecti, non erant in ipsum tam severi, quàm esse poterant. Hæc omnia Frossardus, sub finem volum. 2. Chronicorum.

CCII. Rex Angliæ Eduardus III. petit à Papa Clemente VI. ne suas Ecclesias cuiquã tradat, sed sibi ac subditis liberam electionem Ministrorum Ecclesiasticorum relinquat.

SAnctissimo in Christo Patri Domino Clementi, divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Eduardus eadem gratia Rex Francorum & Angliæ, & Dux Hiberniæ, devota pedum oscula beatorum. Pensata sedis Apostolicæ clementia, quæ de fovenda devotione Christi fidelium, & animorum salute solet esse summè solicita, non quærens quæ sua sunt, sed quæ sunt potius Iesu Christi· tenet probabiliter nostra fiducia, quòd vestra maternitas, inspecta Celsitudinis Apostolicæ præclaritate meritorum, & scientiæ divinitus jam erecta, ea quæ decus Ecclesiæ ac devotionem plebis attenuant, & animorum ac rerum pericula comitantur, curabit misericorditer, tollere. In publicam autem non ambigimus notitiam pervenisse, qualiter ab exordio nascentis Ecclesiæ in regno nostro Angliæ, progenitorum nostrorum Regum Angliæ & Procerum ac fidelium dicti regni, dignè recolenda prioritas propter divini cultus augmentum construxit Ecclesias, & ipsas amplis dotavit possessionibus, & privilegiis communivit, ponens in eis ministros idoneos, qui fidem catholicam in subjectis sibi linguis & populis fœliciter propagarunt, per quorum curam & solicitudinem vinea Domini Sebaoth, in cultu & fructu itidem mirificè fœcundavit. Sed quod dolendum est, ipsius vineæ progenies degeneravit in labruscas, & exterminant eam apri de sylva & singulares feræ depascunt eam, dum impositiones & provisiones sedis Apostolicæ, quæ solito gravius invalescunt, ipsius peculium, contra piam voluntatem & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum, & præsertim exteriorum: & ejus dignitates & beneficia pinguia personis conferuntur alienigenis, plerunque nobis suspectis: qui non resident in dictis beneficiis, & vultus commissorum sibi pecorum non agnoscunt, & linguam non intelligunt: sed velut mercenarii, solummodo temporalia lucra quærunt: & sic diminuitur Christi cultus, animarum cura negligitur, subtrahitur hospitalitas, Ecclesiarum jura depereunt, ruunt ædificia Clericorum, attenuatur devotio populi. Clerici dicti regni, viri magnæ literaturæ, & conversationis honestæ, qui curam animarum possent ibi & regimen salubriter peragere, & pro nostris forent & publicis consilis opportuni, studium deserunt, propter promotionis congruæ spem ablatam, quæ divinæ scimus non esse placita voluntati: quinimò in grave nostrum & fidelium nostrorum vertitur præjudicium, & ineffabile periculum, nisi citius & consultius caveamus. Nam *jus Patrona-*

Patronatus, quod nos & fideles nostri in talibus obtinemus beneficiis, enervatur; curia nostra, in qua duntaxat causæ super jure patronatus dictorum beneficiorum tractari debent, & sic *jura coronæ nostræ regiæ*, tam probrosè quàm damnosè depereunt; & regni thesaurus ad extraneos, ne dicamus nostros malevolos, asportatur, subtili forsan conjectura, ut depresso sacerdotio, ejusque exhausto thesauro, reddatur regnum debilius in adversis. Quæ singula, & alia quæ ex præmissis sequuntur incommoda, fuerunt nuper coram nobis in Parlamento nostro generali per communitatem dicti regni palàm exposita, unanimi & ferventi petitione subjuncta, ut prædictis dispendiis, quæ dicta communitati videntur intolerabilia, celeriter occurramus. Nos autem Anglicanæ depressionem Ecclesiæ, & exhæredationem coronæ regiæ, ac mala prædicta, quæ dissimulata diutius addixerint, non verisimiliter graviora pericula cernentes, intuitu ad vos successorem Apostolorum Principis, qui ad pascendum, non ad comedendum oves Dominicas, & confirmandum, & non deprimendum fratres suos mandatum à Christo suscepit, ista deferimus, votivis affectibus supplicantes, quatenus præmissis ponderatis, & considerando, quòd de jure creandi sunt devoti populi Magistratus, & juxta dictum Prophetæ, *Dandi sunt de eodem loco populi vinitores*, quod per beatos Apostolos esse factum, dum gentibus viros linguarum suarum habentes notitiam transmiserunt: pensata etiam devotionis plenitudine, quod domus nostra regia & Clerus ac populus dicti regni præstiterunt hactenus inobedientia dictæ sedis, propter quod non haberet eis paternus affectus onera & gravia cumulare: sed velitis, ut Pater filiis thesaurizans, alleviare dictarum impositionum & provisionum ac onerum, jam per sedem Apostolicam invalescentium, gravitatem: promittentes ulterius, ut patroni patronatus sui solatium non admittant, Ecclesiæque cathedrales, & aliæ dicti regni liberas electiones & eorum officium habeant. Quas quidem Ecclesias dicti regni progenitores dudum in singulis nationibus eorundem personis idoneis jure suo regio liberè conferebant, & postmodò ad rogandum ad instantiam sanctæ sedis sub certis modis & conditionibus concesserunt, quòd electiones fierent in dictis Ecclesiis per capitula eorundem. Quæ concessio fuit per sedem ipsam ex certa scientia confirmata· sed contra formam concessionis & confirmationis prædictarum, dicta sedes per reservationes & provisiones suas dictis capitulis adunit supradictas electiones, & nobis jus & prærogativam, quæ juxta formam dictæ concessionis nobis competunt in hac parte. Propter quòd juxta legem regni nostri, ex quo lex in concessione posita non servatur, concessio resolvitur, & statim revertitur in primævum. Super præmissis igitur dignetur quæsumus vestra benignitas, ad honorem Dei & salutem animarum, nec non ad tollenda scandala & præjudicia prælibata, festivum & salubre temperamentum apponere, ut nos & nostri, qui personam vestram sanctissimam & sanctam Romanam Ecclesiam dominari cupimus, ut debemus, cessantibus dictis malis intolerabilibus in paterna vestræ dilectionis

ctionis dulcedine quiescamus revirescatque nostra devotio, per ostensam nobis piæ moderationis nostræ clementiam recreata. Conservet vos altissimus, & regimen Ecclesiæ suæ sanctæ, per tempora prospera & longæva. Datum apud VVason, die VII. Anno regni nostri Franciæ IV. Regni verò nostri Angliæ XVII.

* Extant Epistolæ in hanc rem aliæ in Chronicis Wilh. Thorne, Monachi S. Augustini Cantuar. c. 38. col. 2082. 2083. edit. Londin. 1652. quam Auctarium dabit.

CCIII. Arnulphus Aurelianensis Episcopus.

Synodalis Oratio contra Papæ primatum fit Anno 992. Extant Synodi Acta Cent. X. Magdeburg c. 9. p. 457. seqq. ex vetusto Codice accuratè conscripta.

HAbeo magno ac eleganti charactere in veteri membranaceoque codice descriptam quandam *Synodum Remensem*, celebratam anno Domini 991. Imperante Otthone II. & regnantibus in Galliis Hugone & filio ejus Ratberto, quæ nondum impressa est, credo secundam esse. In ea, inter alios multos Episcopos, fuit Arnulphus Aurelian. de quo sic initio ejus Synodi scriptum est: *Arnulphus autem venerabilis Episcopus, ordinis in ea Synodo custos, ac omnium gerendorum interpres declaratus est, eo quòd inter omnes Galliarum Episcopos sapientia & eloquentia clarissimus habebatur.* In ea Synodo actum est potissimum de depositione Arnulphi Archiepiscopi Remensis, qui Lotharii filius fuit, multasque ante Episcopatum cum Gallicis Regibus inimicitias gessit; & composita controversia, acceptoque à Regibus eo Archiepiscopatu, præstitoque fidelitatis juramento, Remes Carolo patruo suo, bellum fortè contra Reges Gallicos moventi, ita prodidit, ut civitas ea non tantum occuparetur, sed etiam diriperetur. Patraverat alioqui & alia multa ac tetra facinora. Hunc Reges Galliæ, fortassis repulso jam Carolo, cœperant, ac primùm coram Papa per literas accusaverant. Deinde Papa nihil respondente, Synodum prædictam congregari curaverant. In hac igitur Synodo cùm judicaretur iste proditor Arnulphus, ac defensores ejus vellent causam Romam ad Papam rejici, scientes nimirum ibi facilè sceleratos elabi ab absolvi, contradixit eis constanter & eruditè Arnulphus Aurelianensis, de quo initio dixi. Cujus orationis, quoniam lectu digna est, partem aliquam adscribam, & quædam illam præcedentia.

Ex Synodo Remensi secunda, capite XXV. *Ad Romanum autem Pontificem causam perlatam fuisse dicebant, Epistolarum exemplaribus in hunc modum prolatis,* Beatissimo Papæ Ioanni Hugo gratia Dei Francorum Rex. *Novis atq; inusitatis rebus permoti,* &c Item cap. XXVI. *Domino & Reverendissimo Papæ Joanni, Episcopi Remorum diœceseos,* &c. Sic autem finit: *Suffragetur nobis vestra authoritas & in hujus apostatæ dejectione, & in ejus qui domui Dei præesse possit, Archiepiscopi nova ordinatione; simulq; invocatis Episcopis nostris fratribus necessaria promotione, ut sciamus & intelligamus, cur inter cæteros Apostolatum vestrum præferre debeamus.* Observa aculeum in fine. Volunt, Papam aliquid eximium re ipsa præstare debere, ut appareat, cur sit cæteris præferendus. Sequitur ordine ad præcedentia, cap. XXVII.

ejusdem

ejusdẽ Synodi, sic ad verbũ. *His Epistolis in media Synodo recitatis, missionis earũ temp⁹, & relata legatio ab defensoribus Arnulphi perquirebatur; & de primo quidem, mensis undecimus reperiebatur; de altero autem, nihil memoria dignum sed Legatos tantum scripta Romano Pontifici porrexisse, primoq́ȝ se blandè acceptos esse; postea verò quàm Hiriberti Comitis Legati equum corpore præstantem, niveo colore insignem, cum aliis muneribus Pontifici obtulerunt, se per triduum ante januas palatii defatigatos, nec admissos, infecto negocio rediisse. Adstipulabantur etiam huic rationi Brunonis Episcopi præsentes Clerici, qui se pro ejus captione Romanum Pontificem adisse dicebant, à quo maledicta in reos cum ex authoritate Apostolica expeterent, ejus ministri summam solidorum X. dari censebant. Quibus derisis, eo quòd, si pecunia redimi posset, nec mille talenta moras inferrent, hoc tandem in responsis ab ipso Pontifice acceperunt, ut is pro quo captus esset, bene illi prospiceret. Non ergo sedem Apostolicam huic judicio præjudicare. Benè quoq́ȝ Aphricanos Episcopos super hoc Romanorum typo permotos fuisse, qui super hac re Synodo CCXVII. Episcoporum, tempore Zosimi Papæ inchoata, & per tempora Bonifacii distenta, tandemq́ȝ sub Celestino consummata, quid de Romani Episcopi potestate sentiri vellent, in æternis monumentis statuerunt; Quod Concilium quoniam insigne est, & beati Augustini præsentia illustrata, vimq́ȝ multiplicis argumenti huic Synodo præbuit, ad plenum his gestis adnectere utile judicavimus.* Sequitur cap. XXVIII. sic ad verbum: *Multa super his Pater* Arnulphus *publicè locutus est, multa cum sibi tunc assidentibus contulit, quæ ne fortè minus suavitatis habeant, ita sparsim posita, ut sunt ab eo prolata, ea in unum colligere maluimus, ut continuata oratio plus utilitatis studioso lectori conferat. Nos quidem,* inquit, *Reverendissimi Patres, Romanam Ecclesiam propter beati Petri memoriam semper honorandam decernimus, nec decretis Romanorum Pontificum obviare contendimus: salva tamen authoritate Nycæni Concilii, quod eadẽ Romana Ecclesia semper venerata est; statuta etiã sacrorũ Canonũ, diversis locis, diversis temporibus, sed eodem Dei spiritu conditorum, in æternum valere præcipimus, & ab omnibus servanda censemus. Duo autem sunt quæ magnopere à nobis provideri debent: id est, si Romani Pontificis silentium, aut nova constitutio, promulgatis Legibus Canonum, vel Decretis priorum præjudicare potest. Si enim silentium præjudicat, omnes leges, omnia priorum Decreta, eo silente, silere necesse est. Si autem nova constitutio, quid prosunt leges conditæ, cum ad unius arbitrium omnia dirigantur? Videtis, quia his duabus causis admissis, Ecclesiarum Dei status periclitatur; & dum legibus leges quærimus, nullas omnino leges habemus, Quid ergo? Num privilegio Romani Pontificis derogabimus? Minimè. Sed si Romanus Episcopus is est, quem scientia & vitæ meritum commendet, nec silentium nec nova constitutio metuenda sunt. Quod si vel ignorantia, vel metu, vel cupiditate abalienatur, vel conditio invidiam facit (quod fere sub hac tempora vidimus Romæ tyrannide prævalente) tunc multò minus idem silentium & nova constitutio formidanda sunt. Non enim is qui quolibet modo contra leges est, legibus præjudicare potest. Sed ô lugenda Roma, quæ nostris majoribus clara Patrum lumina protulisti, nostris temporibus monstruosas tenebras, futuro seculo famosas offudisti Olim accepimus,*

clarosLeones, magnos Gregorios; *quid dicam de* Gelasio *&* Innocentio? *qui omnem mundanam philosophiam sua sapientia & eloquentia superabant. Longa series eorum est, qui sua doctrina mundum repleverunt. Eorum itaque dispositioni, qui vita merito & scientia cunctos mortales anteirent, rectè universalis Ecclesia credita est: quamvis & in hac ipsa fælicitate hoc privilegium tibi ab Aphricanis Episcopis contradictum sit, has credo quas patimur miserias magis quàm typum dominationis formidantibus; nam quid sub hæc tempora non vidimus? vidimus* Ioannem *cognomento* Octavianum, *in volutabro libidinum versatum, etiam contra eum Otthonem, quem Augustum creaverat, conjurasse; quo fugato,* Leo Neophytus *in Pontificem creatur. Sed Otthone Cæsare Roma discedente, Octavianus Romam redit, Leonem fugat, Ioannem diaconem naso, dextris digitis ac lingua mutilat: multaq; cæde primorum in urbe debacchatus, in brevi moritur. Cui* Benedictum *diaconem, cognomento Grammaticum, Romani substituunt: eum quoque Leo Neophytus cum suo Cæsare non longè pòst aggreditur, obsidet, capit, deponit, perpetuoq; exilio in Germaniam dirigit.*

Succedit Otthoni Cæsari, Cæsar Ottho, nostra ætate cunctos Principes armis, consilio ac scientia superans. Succedit Romæ in Pontificatu horrendum monstrum Bonifacius, *cunctos mortales nequitia superans, etiam prioris Pontificis sanguine cruentus. Sed hic etiam fugatus, atq; magna synodo damnatus, post obitum divi Otthonis Romam redit; insignem virum Apostolicum Petrum Papiensis Ecclesiæ prius antistitem, data sacramentorum fide, ab arce urbis dejicit: deponit, squalore carceris affectum perimit. Num talibus monstris hominum ignominia plenis, scientia divinarum & humanarum rerum vacuis, innumeros sacerdotes Dei per orbem terrarum scientia & vita merito conspicuos subjici decretum est? Quid est hoc, Reverendissimi patres? Vel quo nam vitio fieri credendum est, ut caput Ecclesiarum Dei, quod in sublime erectum, gloria & honore coronatum est, ita in infima dejectum, ignominia & dedecore deturpatum sit? Nostrum, nostrum est hoc peccatum, nostra impietas, qui quærimus quæ nostra sunt, non Iesu Christi. Si enim in quovis ad Episcopatum electo morum gravitas, vita meritum, divinarum ac humanarum rerum scientia subtiliter investigantur: quid in eo qui omnium Episcoporum magister videri appetit, investigandum non est? Cur ergo in summa sede sic infimus constituitur, ut etiam in Clero nullum haberet locum dignus inveniatur? Quid hunc,* Reverendi patres, *in sublimi solio residentem, veste purpurea & aurea radiantem, quid hunc inquam esse censetis? nimirum si charitate destituitur, solaq; scientia inflatur & extollitur, ANTICHRISTUS est,* in templo Dei sedens, & se ostendens tanquam sit Deus. *Si autem nec charitate fundatur, ne scientia erigitur, in templo Dei tanquam statua, tanquam idolum est; à quo responsa petere, marmora consulere est.*

Quo ergo consultum ibimus? Evangelium docet, quendam in ficulneo ter fructum quæsiisse, & quia non repererit, succidere voluisse, sed admonitum expectasse. Expectemus ergo primates nostros, quoad possumus: atque interim divini verbi pabula, ubi nam reperiri valeant, investigemus. Certè in Belgica & Germania, quæ vicinæ nobis

nobis sunt, summos sacerdotes Dei, in religione admodum præstantes inveniri, in hoc sacro conventu testes quidam sunt. Proinde si Regum dissidentium animositas non prohiberet, inde magis Episcoporum judicium petendum fortè videretur, quàm ab ea urbe, quæ nunc emptoribus venalis, exposita ad numorum quantitatem judicia trutinat. Quod si quispiam dixerit secundum Gelasium, Romanam Ecclesiam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam judicio judicari: *is inquam, qui hoc dixerit, eum nobis in Ecclesia Romana constituat, ut de ejus judicio judicari non possit; quanquam hoc ipsum Aphricani Episcopi impossibile judicant.* Nisi fortè (*inquiunt*) quisquam est qui credat, unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium sacerdotibus denegare. *Sed cum hoc tempore Romæ nullus pene sit, ut fama est, qui sacras literas didicerit, sine quibus (ut scriptum est) vix ostiarius efficitur; qua fronte aliquis eorum docere audebit, quod minimè didicit? Ad comparationem quippe Romani Pontificis, in aliis sacerdotibus ignorantia utcunq; tolerabilis est; in Romana autem, cui de fide, vita moribus, disciplina sacerdotum, deq; universali catholica Ecclesia judicandum est, intolerabilis videri potest. Is enim est, ut quibusdam placet, qui secundum Ezechielem prophetam manet in gazophylatio, quod respicit viam meridianam, & excubat in custodiis templi.*

Cur autem loco prior, scientia inferior, non æquo animo ferat judicium loco inferioris, scientia prioris? Certè ipse Apostolorum princeps non abnuit judicium, quamvis loco minoris Pauli, scientia prioris, in faciem sibi resistentis; quoniam non sana videbatur doctrina magistri. Et Gregorius Papa cum dicat, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis Apostolicæ sedi subjectus non sit: *subinfert,* Cum verò culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis pares sunt. *Involutus ergo criminibus, sentiat praeesse sibi Romanum Pontificem; & qui nullis atrocioribus factis pergravatur, intelligat parem, dignam se ac Romano Pontifice in quolibet* negotio laturus sententiam. Sed esto, ponamus nunc Romæ esse Damasum, *&c. Hactenus ex Synodo ad verbum.*

Addi possunt ex eâdem Oratione sequentia verba: *Papæ Ministri Gallias occupaverunt, nosq; totis viribus premunt.* Antichristus *instare videtur, &, ut Apostolus ait,* jam mysterium iniquitatis operatur. &c. *Quod jam in aperto sit, ut Romanâ potentiâ conquassatâ, religione profligatâ, nomen Dei frequentibus perjuriis impunè humilietur; ipsius divinæ Religionis cultus etiam à summis Sacerdotibus condemnatur. Ipsa interim Roma jam penè sola à seipsa discedit, dum neque sibi, neque aliis consulit.*

Hæc celeberrimus ille Episcopus de Romano Antichristo, consentiente approbanteque tota Synodo, graviter, eruditè ac piè disseruit; unde apparet, & Romanos Pontifices jam tunc planè sceleratos ac indoctos homines fuisse; & tamen eorum tyrannidem nondum ita invaluisse, ut docti ac pii Episcopi magnum nefas esse putarent,

ab illis diſſentire, aut etiam publicè in Synodis contra eos declamitare. At verò noſtris temporibus, & proximis aliquot ſeculis, planè ingens nefas eſſet, quicquam tale vel privatim dicere, vel etiam animo ſolummodo concipere; quum quidem Paparum impietas, turpitudo, & inſcientia, planè in immenſum ab eo tempore creverit. Quare quanto quis hoc tempore magis Catholicus, magisque Orthodoxus Chriſtianus videri vult, tanto turpius Antichriſto adulatur, ejusque fœtidiſſimos (beatiſſimos volebam dicere) pedes, aliaque inferiora oſculatur. Quaſi verò id Chriſtianæ pietatis perfectio apexque ſit: aut propterea Filius Dei ſemet exinaniens, ſervique formam accipiens, ſanguinem ſuum acerbiſſima morte effuderit, ut totum genus humanum uni cuidam turpiſſimo ac nequiſſimo tyranno Romæ agenti, turpiter adularetur, ſerviret, ejus pedes ſerviliter oſcularetur, omnes ejus crepitus ac ructus pro Spiritus S. oraculis & afflatibus haberet, omnesque ſuas opes, ſanguinem, & ipſam animam ad ejus libitum impenderet, profunderet & perderet.

* Actis Rhemenſis Synodi ſubjiciuntur Gereberti contra Romani Pontificis poteſtatem ad Siguinum, Senonenſem Archiepiſcopum ſcriptæ literæ; item ad Wilderodum Argentinenſem Epiſcopũ pro Synodo Rhemenſi Apologia, in cujus fine ad Chriſtum ita ſermonem convertit: *Una ſalus hominis*, ô Chriſte, *Tu es. Ipſa* Roma, *omnium Eccleſiarum hactenus habita Mater, bonis maledicere, malis benedicere fertur, & quibus nec* Ave *dicendum eſt, communicare; tuamq; legem Zelantes damnare, abutens ligandi & ſolvendi poteſtate à Te accepta; cum apud TE non ſententia Sacerdotũ, ſed rerum vita quæratur; nec poſſit hominis eſſe, impium juſtificare juſtumq; damnare.* Apertius hæc dicta ſunt contra Romanum Pontificem, dominatu & poteſtate ſuâ abutentem.

CCIV. *Petrus de Bruis.*

VIxit hic Petrus de Bruis fermè ante 500. annos, docuit *Cruces & Imagines adorandas non eſſe.* Reprehendit, quòd tot ſuperfluæ Eccleſiæ & altaria tam ſumptuosè ædificentur. Item quòd tantum ſumptuum in earum cultum fiat: & vera Eccleſia, id eſt, miſeri Chriſtiani negligantur. Damnavit *Orationem & Miſſas pro mortuis*; unde apparet, cum & purgatorium negaſſe. Docuit item, iſtum boatum conductorum ſacrificorum, qui in templis ſine mente & ſine intellectu, ſineque vera fide fit, nihil aliud quàm Dei deriſionem eſſe. Veriſimile eſt, eum omnes ſimiles hominum traditiones damnaſſe. Tribuuntur ei alioqui & veri quidam errores; quod opinor Papiſtas ſtudio deformandi hominem mentiri, ut ſolent.

CCV. *Anna Comnena Cæſaris filia.*

ANna uxor Nicephori Meliſſeni, filia Irenes & Alexii Imperatoris ſcripſit hiſtoriam circa annum Domini 1100. quam Alexiadem vocavit. Ejus

Ejus libri ſunt XV. in quorum primo meminit contentionis ejus quæ fuit inter Henricum Regem Alamaniæ, & Papam Romanum, ait enim: Ὁ γάρ τοι πάπας τῆς ῥώμης γενναία δὲ αὕτη ἀρχὴ, καὶ στρατεύμασι περιφανῶς περιφρουρουμένη. μετὰ τοῦ ῥηγὸς Ἀλαμανίας Ἐνερίχου διαφορὰν ἐσχηκὼς, ἐβούλετο πρὸς συμμαχίαν ἑλκῦσαι Ρουμπέρτον ἤδη περιφανέστατον γεγονότα, καὶ πρὸς μεγάλας ἀρχὰς ἀκμάσαντα. ἡ δὲ διαφορὰ ῥηγός τε καὶ πάπα τοιαύτη τις ἦν. ὁ μὲν γὰρ κατῃτιᾶτο τοῦ ῥηγὸς Ἐνερίχου ὡς τὰς ἐκκλησίας οὐ προῖκα διδόντος, ἀλλὰ δωρημάτων ἀποδιδομένων, καίπου καὶ ἀναξίοις ἀνδράσι τὴν ἀρχιερωσύνην καταπιστεύοντος, καὶ τοιούτων ἐγκλημάτων ἐδίωκεν. ὁ δέ γε ῥὴξ Ἀλαμανίας τυραννίδος τὸν πάπαν ἐγράφετο, ὡς ἄτερ γνώμης αὐτοῦ τὸν ἀποστολικὸν ἁρπάσαντα θρόνον, καίτοι καὶ ἀπαυησχυντήκει πρὸς τοῦτον καὶ ἰταμωτέροις ἐχρήσατο λόγοις, &c.

Lib. 1. p. 30. edit. August. 1610.

Tum narrat Anna, quàm inhumane Regis Legatos Papa exceperit. Poſtea ſic exclamat: Καὶ ταῦτα ἀρχιερέως, ὦ δίκη, καὶ ταῦτα, πρώτου ἀρχιερέως, καὶ ταῦτα, προκαθημένου τῆς οἰκουμένης ἁπάσης γινόμενον. ὥσπερ οὖν καὶ οἱ λατῖνοι λέγουσί τε καὶ οἴονται. ἔστι γὰρ καὶ τοῦτο τῆς ἀλαζονείας αὐτῶν. Deinde ſubjicit, translato Byzantum, & adempto Romanis Imperio, ὅτι μεταπέπτωκε καὶ ἡ τῶν θρόνων ἀρχιερατικὴ τάξις, & ſynodi Chalcedonenſis meminit. Prælium poſtremò commiſſum refert inter Henricum & Papam, καὶ ὅτι ὑπὲρ τὰς τριάκοντα χιλιάδας ἄνδρες κατ' ἐκείνην τὴν μάχην, ὥς φασιν, ἐπεπτώκεισαν. Papam verò ſimul & Saxonum Duces Ταντοῦλφόντε καὶ Ὀυέλφον, qui Papæ auxilium laturi venerant, eo prælio ſuperatos. ὁ δὲ, inquit, κατάπτυστος οὗτος πάπας (οὐδὲ γὰρ ἔχω τί ποτ' αὖ ἄλλο τοῦτον αὐτονομάσαιμι, τὴν ἀπάνθρωπον ἐκείνην ὕβριν ἐνθυμηθεῖσα, τὴν εἰς τοὺς πρεσβείας (μετὰ πνευματικῆς χάριτος καὶ εὐαγγελικῆς εἰρήνης ἐπὶ τὸν πόλεμον ὁ δεσπότης ἐχώρει ὅλῃ γνώμῃ καὶ ὅλαις χερσὶ τὸν ἐμφύλιον, ὁ εἰρηνικὸς ταῦτα καὶ τοῦ εἰρηνικοῦ μαθητής, &c.

CCVI. *Conradus Epiſcopus.*

CONradus Epiſcopus *Chronicon* quoddam *Moguntinum* ſcripſit, ac narrat inter cætera, quomodo duo pii, juſti & pacifici *Archiepiſcopi Moguntini*, nempe *Henricus* & *Chriſtianus*, quod à fraudibus & à tyrannide ei generi hominum uſitata abhorrerent, à Papis ſint tanquam ſomnolenti & inutiles depoſiti, vendito Archiepiſcopatu aliis ſacrificulis, ob ingentem auri ſummam, cujus in ea Eccleſia maxima tunc copia fuit.

Seorſim excusū Francof. 1630. in 8.

* Claruit ille Epiſcopus, incertæ ſedis, A. *1170.* tempore Frid. I. Barbaroſſæ. Continet res Moguntinens ab A. 142. uſque ad annum 1291. Chronicon hoc primò emiſſum A. *1537.* Baſileæ; deinde ab Vrſtiſio A. *1585.*

Miſerabilis verò cum primis, plenaque manifeſtæ injuſtitiæ eſt hiſtoria prioris Archiepiſcopi; nempe Henrici; nam ille cum ſe apud Papam delatum intelligeret, miſit eo ſuum quendam intimum clericum, nomine Arnoldum, à ſe ad maximas quaſque dignitates evectum, qui ſe apud Papam excuſaret. Sed ille bonus homuncio pro excuſatore fit accuſator, corrumpit duos præcipuos Cardinales pecunia, ac impetrat per eos à Papa, ut illi ipſi cognitores in rem præſente mittantur. Qui cum veniſſent in Germaniam, citaſſentque Henricum,

contempta omni quantumvis justa apologia, eum deponunt: & substituunt Arnoldum, spe nimirum Ecclesiastici auri.

Qua injuria bonus ille pater affectus, hisce verbis (teste historico) Cardinales illos allocutus est: Venerabilis vir Henricus, tam manifesta perversitate commotus, ipsos perversos alloquitur in hunc modum: Si ad sedem Apostolicã appellarem, contra vestrum iniquum processum, Papa forsan ipse nihil amplius attentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerum, & afflictio spiritus, & evisceratio mentis, & evacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum Iesum Christum, tanquam judicem justissimum. Vos cito ad ejus tribunal, ibi mihi coram summo judice respondebitis. Nec enim justè; nec secundum Deum, sed mercede corrupti, sicut placuit, judicastis. At illi: *Cum tu praecesseris, nos sequemur.* Hæc autem ridentes & deridentes dixerunt. Acta sunt hæc Anno gratiæ 1105.

Pag. 20.

Posthæc, narrat historicus mortuum esse Henricum, & statim post ejus mortem duos illos Cardinales miserabiliter una die periisse. Sic enim inquit:

Pag. 23. Mors venerabilis Henrici multis innotuit. Pervenit etiã ad aures illorum Cardinalium, qui ab Episcopatu eum amoventes, se promiserant secuturos, & ludentes ad alterutrum dixerunt: Ecce præcessit, nos suo tempore sequemur. & ecce transiit tempus breve, & ambo uno die moriuntur. Nam unus sedens in sede naturæ: ut purgaret ventrem, omnia intestina sua in cloacam ejecit, & animum miserabiliter exhalavit. Alius manuum suarum digitos articulatim abmordens, & de ore expuens, deformatis manibus quasi seipsum devorans expiravit. O Deus ultionum, Domine Deus ultionum, hoc est, justum exercens judicium: & in his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Audita sunt hæc in terra nostra, & fama celebri divulgata: nec à quoquam aliud dicebatur, quàm, Benedictus Dominus, qui venerabilis Henrici justè injuriam vindicavit. Nec multum post horum exitium, etiam ipse Arnoldus horribili casu in seditione periit: aliquotque diebus *insepultus* humi, vilis. cujusque etiam scorti vexationi ac *lacerationi patens jacuit.* Exposita cæde Arnoldi, compellat Historicus hisce verbis Cardinales: O Cardinales, hujus rei vos estis, initium. Venite ergo, venite, *haurite nunc & ferte architriclino vestro diabolo, eiq; offerte cum ea, quam deglutistis, pecunia, etiam vosmetipsos,*

Pag. 30.

Sic nimirum auri sacra fame Simonem, non Petrum, sed Romanum, ejusq; filiolos satellites Cardinales, aliosque spirituales regente & agitante, Ecclesiæ Christi, & piis pastoribus, & animarum salute, & templorum thesauris sunt spoliatæ; nam idem scriptor narrat, fuisse Moguntiæ in ornatu Ecclesiastico immensum thesaurum, calices, cruces, & alia instrumenta, non tantum ex argento, sed etiam ex solido auro: inter cætera unam crucem nomine Bennam, ponderis 600. librarum, cui versus hic fuit inscriptus:

Pag. 13, 14.

Auri

Auri sexcentas habet hæc crux aurea libras.

Ita ut ſolum ejus aurum, præter gemmas, & duos maximos carbunculos, valuerit circiter octuaginta millia coronatorum. Quantum ſanè ex illis, quæ hiſtoricus hic narrat, conjicere licet, valuerunt ornamenta & inſtrumenta Moguntinæ Eccleſiæ tunc temporis, ad millies millenos florenos. At ignari rerum clamabunt, & jam clamant, Lutheranos illos & alios Eccleſiarum theſauros diripuiſſe; cum veriſſimè de illis & aliis & plerisque dici poſſit, quod mihi ante paucos annos centenarius quidam ſenex Hoxariæ in Haſſia interroganti, de vicino illic monaſterio Corbeia, dicebat: O *Corbeia, Corbeia*, auream olim Corbeiam ſoliti ſunt nominare homines, verùm ſpoliata eſt, non à militibus, ſed à ſcortis.

* Wolfius Cent.13. Lect. memorab. p 532, 533.

CCVII. *Bernhardus, Abbas Clarevallenſis.*

BErnhardus floruit circa 1130. annum, id eſt, ante annos 400. Satis acriter pugnavit pro gratuita juſtificatione per ſolam fidem, & gratia, contra merita operum, & liberum arbitrium. Vide ſerm. 67. & 50. Reprehendit impietatem Papæ, Curtiſanorum, Epiſcoporum & ſpiritualium, eosque inter cætera Antichriſti miniſtros appellat. Lib. 1. ad Eugen. & ſerm. 33. Supra Cantica alicubi dicit, *Prælatos* eſſe factos *Pilatos*. Objicit etiam Eugenio, quod neglecto verbo Dei, humanas traditiones promoveat, quodque tyrannidem ſupra Eccleſiam exerceat. Reprehendit & ſuperſtitiones Monachorum, ac dicit alicubi, ſe non credere olim tantas ſuperſtitiones in monaſteriis fuiſſe. In quodam ſermone pulchrè de conjugio dicit: *Tolle de Eccleſia honorabile connubium, & thorum immaculatum; nonne reples eam concubinariis, inceſtuoſis, ſeminifluis, mollibus maſculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum?*

Hugo Cardinalis in Poſtilla ſuper 1. Iohannis citat Bernhardum hæc alicubi dicentem: *Videtur, bone Ieſu, adverſus te conjuraſſe univerſitas Chriſtianorum, & illi in tua perſequutione primi ſunt, qui in Eccleſia tua videntur primatum tenere,* &c. In ipſo quoque mortis articulo clarè & graviſſimè omnes ſuas, ut ita dicam, ſanctitates & juſtitias damnaſſe dicitur, ac ad ſolius Chriſti meritum confugiſſe, inquiens: PERDITE vixi.

Sanè quàm fuerit corruptus jam tum ſpiritualium Papæ ſtatus, ſatis indicat ſte S. vir, in quinque ad Eugenium libris, in quibus graviſſimè in Papam, ejusque ſpirituales invehitur. An verò ab eo tempore in melius pejusve promoverint, non difficile eſt cuivis conjicere. Inquit alicubi inter cætera: *Sic factitando, probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiæ fortè non itidem. Facitis hæc, quia poteſtis; ſed utrum & debeatis, quæſtio eſt,* &c. Potuiſſem fermè infinita, eaque vehementiſſima B. Bernhardi dicta contra Papam & Clericos annotare, niſi alioqui ipſe author integer omnibus notus & pervulgatus eſſet.

CCIIX.

CCVIII. *Arnulphus, Lugdunensis Archiepiscopus.*

Tyrannidis Pontificiæ redargutio libera & gravis.

NArrat Hugo, Platina, & Sabellicus, Arnulphum quendam Archiepiscopum Lugdunensem, qui magna nominis celebritate, magnoq; mortalium concursu divinam legem per Gallias, Italiam, & tandem Romæ prædicabat, impiè à spiritualibus ob reprehensa eorum scelera, libidines, & errores, necatum esse; tulisseque id Honorium Papam iniquo animo, sed tamen quæstione abstinuisse. Quod ipsum subindicat, eum non nimium iniquo animo tulisse. Accidit id ante 420. annos. Hugo quidem dicit captum & suspensum, quod sine publica authoritate fieri non potuit. Similis fermè per omnia historia narratur & de quodam Illyrico Monacho, quæ circiter ante 40. annos Romæ acciderit. Verùm adjiciamus sanè narrationem Trithemii de hoc Arnolpho, ex ejus Chronico Hirsaviensi, quandoquidem id nondum opinor editum esse. *His temporibus sub Honorio Papa Secundo, venit Romam quidem presbyter,* Arnolphus *vir magnæ devotionis, & Prædicator egregius; qui cum inter annunciandum verbum Dei,* Clericorum lasciviam, libidinem, avaritiam, & nimium fastum reprehenderet, & paupertatem Christi & Apostolorum ejus, integerrimamq; vitam *ad imitationem omnibus proponeret; à Romana quidem nobilitate, ut* verus Christi discipulus *laudatus est, sed Cardinalium & Clericorum odio nimium est habitus, à quibus & noctu captus occultè est interfectus. Hoc* suum martyrium *antea cum adhuc esset in heremo, divinitus sibi fuit revelatum, cum per Angelum ad prædicandum Romam mitteretur; unde & publicè dixit:* Scio quod animam meam quæritis; scio quod me brevi clam occidetis; sed quare? Veritatem vobis dico; fastum, superbiam, avaritiam, luxuriam, nimiumque studium, quod comparandis divitiis miseri impenditis, reprehendo; propterea vobis non placeo. Ego testem invoco cœlum & terram, quod non annunciaverim vobis ea quæ mihi Dominus præcepit. Vos autem contemnitis & me & creatorem vestrum, qui vos per unigenitum filium suum redemit. Nec mirum, si hominem me peccatorem vobis veritatem annunciantem, morti tradituri estis; cum etiamsi sanctus Petrus hodie resurgeret, & vitia vestra, quæ nimis multiplicata sunt reprehenderet, ei minimè parceretis. *Cum hæc alta voce clamasset, subjunxit:* Ego quidem mortem subire pro veritate non timeo: vobis autem in verbo Dominico prædico, quòd omnipotens Deus non parcet impuritatibus vestris. Vos enim omni spurcicia pleni, plebem vobis commissam præceditis ad infernum. Deus vindex est. *Cumq; odium Cleri propter veritatem in eum sævire cœpisset, eorum insidiis captus submersus est.* Scribit hic *submersum esse*; sed Sabellicus & Platina *suspensum esse* affirmant; quibus ego tanquam rerum Romanarum magis gnaris, potius credendum esse arbitror.

Ad A.1128. pag.120. ed. Franc.1601

CCIX.

CCIX. *Arnoldus, Episcopus Brixiensis.*

ARnoldus, Brixiensis Episcopus, damnavit civilem administrationem in Clero, seu quòd sibi jus temporalis gladii usurparent Clerici, atque ob eam causam est ab Hadriano 4. hæreseos damnatus. Floruit circa 1150. annum, id est, abhinc ante 400. annos. Balæus.

CCX. *Iohannes Saresburiensis, Carnotensis Episcopus.*

JOannes Saresburiensis, & Episcopus Carnotensis, floruit circa annum 1150. Solitus est duriter insectari scelera Papæ, & totius Cleri. Scripsit etiam libellum titulo *Objurgatorium Cleri.* In suo [lib. 6. cap. 24. pag. 386, 387. edit. Lugd. 1639.] *Polycratico* verò sic scribit: *Sedent* (inquit) *in Ecclesia Romana* Scribæ & Pharisæi, *ponentes onera importabilia in humeros hominum*, Pontifex magnus, *omnibus gravis, ac penè intolerabilis est. Ita debacchantur ejus Legati, ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit satan à facie Domini. Nocent sæpius, & in eo sunt* diabolo persimiles. *Apud eos* judicium *nihil est nisi* publica merces. *Quæstum omnem reputant pietatem. Justificant pro muneribus impium, afflictas gravant conscientias, argento & auro mensas ornant, & exultant in rebus pessimis. Siquidem peccata populi comedunt: eis vestiuntur, & in eis multipliciter luxuriantur, dum veri adoratores in spiritu adorant Patrem. Qui ab eorum dissentit doctrina, aut* hæreticus *judicatur, aut* schismaticus. *Manifestet ergo seipsum Christus, & palàm faciat vitam, qua nobis est incedendum*, &c. *Adversus tyrannidē Pontificiā.*

Testatur Petrus Parisiensis cantor, in suo Abbreviato verbo, de quo postea, eum in Lateranensi Concilio Papæ ac Episcopis, volentibus nescio quas novas traditiones condere, restitisse, ac dixisse: *Adeò non esse novas traditiones condendas, ut etiam de veteribus aliquid potius diminuendum sit, etiam si essent utiles; nam & illarum utilium traditionum numero ac copia nimium Christianos onerari; illudq́ potius agendum esse, ut verbum Christi servetur. Jam enim verè Christianis objici posse, quòd propter hominum traditiones, Dei mandatum irritum fecerint.* Tales saniores Doctores subinde fuerunt in Ecclesia; sed non sunt ausi omnia clarè dicere ac scribere quæ opus fuisset. In Speculo est, hunc Iohannem ab Hadriano Papa audivisse inter alias querelas & hoc, *Papam* verè *servorum servum esse; quia cogatur servire Romanis, avaritiæ servis.* Idem Adrianus & illud solebat dicere ad eundem Ioannem, *multos Pontifices magis Romulo succedere in parricidiis, quàm Petro in pascendis ovibus.* Inveni in quodam manuscripto libello, cui titulus est, de Vita & honestate Clericorum, quòd hic Io. Romam ex Anglia veniens, Hadriano IV. cui familiaris, amicusq́; fuit, interroganti, *quid sui homines de Papa Romanaq́ curia sentirent ac loquerentur?*

respondérit, Eos dicere, *non posse illum expleri omnibus totius Ecclesiæ opibus, quin semper plura expetat, queraturq; se egere*, &c.

* Wolfius Cent. 12. Lect. Memorab. p. 353. 354, 355, 356, 357.

CCXI. *Edmundus, Cantuariensis Archiepiscopus.*

DE Edmundo, Archiepiscopo Cantuariensi, qui circa hæc tempora vixit, refert Albertus Rigensis Archiepiscopus cum valde solitum esse à muneribus abhorrere, ac dicere: *Per munera, quæ nunc data sunt, nunc accepta, corrupta est Christianitas hodie, deficietq; prius quàm animadvertant; nisi se curare studuerint ab hac peste.* Grandia profectò hæc verba sunt; sed credo hunc bonum Patrem respexisse ad id; quod Antichristus omnes doctos & potentes ad se muneribus ac distributione terrarum, id est, Episcopatuum & Prælaturarum, alliciat, quo suæ impietati conniveant, sicut Daniel de eo prædixit.

CCXII. *Petrus Blesensis.*

Tyrannis Pontificia exagitata. PEtrus Blesensis vixit ante annos 400. Scripsit multa, in quibus gravissimè vituperat tum vitam moresque spiritualium corruptissimos, tum neglectionem officii, tum denique & impium abusum clavium. In quadam Epistola ad quendam Officialem (ut vocant) Episcopi, monet eum, ut quamprimum ab ea functione recedat. Hortatur quoque, ut *exeat ex illa Babylone.* Dici sanè vix satis potest, quàm horribilibus verbis describat Episcoporum impiam tyrannidem, quam illi miserabiliter & nefariè per suas infernales Harpyas, id est officiales, Ecclesiam Christi turbato omni humano ac divino jure vexent, deglubant, lacerent & discerpant, dum opes coacervare student, quas postea turpissimè per luxum & libidinem *Epist. 2.* profundant. Quam Epistolam totam hic apponemus. *Quia affectuosissimè diligo in visceribus Jesu Christi, proposui te salutaribus monitionibus adhortari, ut de Ur Chaldeorum, & de medio Babylonis tempestivè exeas; ut ministerium damnatissimæ villicationis omittas.* *Officialis Pontificius ab officiendo, descriptus.* *Scio, quia munerum cupiditas subvertit cor tuum, ut fieres* Officialis Episcopi; *cumq; legeras, sed fortasse negligebas verbum illud Job.* Ignis devorabit corpora eorum, qui libenter accipiunt munera. *Igitur beatus est, qui excutit manum suam ab omni munere. Credo hominum* officiales *non ab* officio, nomine, *sed ab* officio verbo *mutuasse vocabulum; nam genus est hominum quod dicitur* officii perda. Officit, *est verbum crudele nimis & acerbum. Dictio plena malis; hinc dicitur* officialis. *Tota enim intentio* officialis, *est ad opes Episcopi suæ jurisdictioni commissas, ut miserrimas oves quasi vice illius tondeat, emungat & excoriet. Isti enim sunt Episcoporum sanguisugæ evomentes alienum sanguinem, quem biberunt. Divitias quas congregavit impius evomet, & de ventre ejus extrahet illas Deus. Isti sunt quasi* spongia

in manu prementis; *quasi quidam collatoria divitias suis Dominis influentia*, *& execrandis acquisitionibus nihil sibi præter peccati sordem & fœtulentiam retinentes. Quod enim aggregat per oppressionem pauperum*, Episcopis *cedit quidem ad delicias*, officialibus *autem ad tormentum.*

Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis accumulatis opes.

Isti sunt secretiora hostiola, per quæ minister Belis sacrificia quæ super mensam ponebantur à Rege, clanculum asportabat. Sic Episcopus *longa manu bona aliena dirimit, & notam criminis à se removens suis officialibus culpæ & diffamiæ discrimen impingit. Ideo quasi sub umbra Episcopi, & obtentu justitiæ palliatæ subditos opprimunt, Ecclesias gravant, redditus alienos violenter invadunt. Oculos habent ad munera, pupillo & viduæ non intendunt. Verba sunt filii Syrach:* Concupiscentia spadonis devirginavit invenculam. Ita & qui facit per vim judicium injustum, *spado virginem opprimit: & prolem in oppressione non quærens, corrumpit, non gignit. Sic Prælatus iracundiæ aut avaritiæ suæ satisfaciens, nec fructum justitiæ quærens, corrumpit non corrigit, exasperat non emendat. Quod enim fit* prætextu fucatæ Religionis ac simulatæ justitiæ, *non fructificat ad vitam, non ædificat ad salutem. Parcit Saul optimis gregibus Amalech, quasi sacrificaturus ea Deo, & incurrit in divinam offensam. Gedeon quidem de præda Madianitarum fecit Ephor, & hoc sibi & domui suæ versum est in ruinam. Hanc administrationem quam tibi damnabiliter usurpasti, patientius ferrem, si in sacrarum literarum scientia praemineres.* Causæ & judicia, *quibus te imprudenter, ne dicam impudenter, immisces, potius consuetudinario & seculari viro destinantur. Virum literatum & Ecclesiasticum non sic decebat secularibus negocitiis implicari. Apostolus ad Corinthios scribens ait:* Secularia negotia si habueris, eos qui contemptibiliores sunt inter vos constituite ad judicandum. *Officium* Officialium, *quorum te numero aggregasti, hodie est* jura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere, innectere dilationes, supprimere veritatem, fovere mendacium, quæstũ sequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, versutias continuare. *Isti sunt qui hospites suos gravant superflua electione, & multitudine clientelæ. Quærunt delicatos & & superfluos cibos, cum scriptum sit:* Comedentes & bibentes quæ apud illos sunt. *De alieno enim prodigi, de proprio sunt avari, verborum insidiatores, & aucupes syllabarum, tendunt laqueos & pedicas in capturam pecuniæ, jura interpretantur ad libitum, & ea pro voluntate sua nunc abdicant, nunc admittunt, benè dicta deturpant, prudenter allegata pervertunt, rumpunt fœdera, nutriunt simultates, fornicationes dissimulant, matrimonia distrahunt, adulteria fovent, penetrant domus, & mulierculas oneratas peccatis captivas ducunt; diffamant innoxias, & nocentes absolvunt; & ut multa sub verborum paucitate concludam, dum omnia venaliter agunt,* filii Mammonæ, *se diabolo* venales *exponunt. Dominus in Evangelio dicit:* Gratis accepistis, gratis date; *Et Salamon in parabolis:* Veritatem eme, & noli vendere sapientiam, justitiam &

 doctrinam.

Vereor ne rapiat ſpiritus elationis, & dominandi cupido ad vanitates & inſanias falſas; Utinam attenderes verba Sapientiæ talia comminantis : O vos qui complacetis vobis in turbis, data eſt vobis poteſtas à Deo, qui interrogabit opera & cogitationes veſtras, qui cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis. *Horrendè autem apparebit, & judicium duriſſimum his qui præſunt, fiet: at fortioribus fortior inſtat cruciatus. Amice, in* harena *hujus ſeculi periculoſiſſimè pugnas; Mors te ſequitur, vita fugit, caro palpat, mundus allicit, leo rugiens, & quærens quem devoret, circuit, cucurrit.* Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. *Utinam ab omnibus ſeculi hujus noxiis abſtineres, ut in te quod ſuum eſt, non inveniat, Princeps hujus mundi; & in palæſtra qua curritur ad bravium, nihil haberet adverſarius, quo te caperet, aut teneret, aut à bravio retardaret. Si mihi credis, imò ſi credis in Deum,* relinque *maturiùs* officialis Officium, miniſterium damnationis, rotam malorum, ſpiritum vertiginis, *qui te ad inania circumvolvit. Miſerere animæ tuæ placens Deo, cui placere non potes cum iſto damnationis officio.*

Clerum ſæpe alioqui nominat, *Syriam, Edom, vitulos Bethel, idola Ægypti, pingues Samariæ, ſacerdotes Baal, judices qui condunt leges iniquas,* & multò plura. *Epiſcopi domo,* (inquit) *ut cum familia dominum comprehendam, nihil eſt damnabilius ad meritum, nihil inhoneſtius ad mores, nihil ſordidius ad conſcientiam, nihil culpabilius ad famam, nihil pernicioſius ad exemplum. Aufer Domine de domo tua idolum, & confringe cornua peccatoris. Munera Romæ omnia pervertunt, & omnia Monachis licere permittunt: imò ad omnes carnis illecebras, quas annua redimunt penſione. Cantantur eorum turpitudines in tentoriis Geth, & in compitis Aſcalonis. Sic factus eſt Princeps Sodomorum, diſcipulus poſt eum in cathedra peſtilentiæ ſedentibus,* &c.

* Alia quædam Bleſenſis teſtimonia de nonnullis doctrinæ Chriſtianæ capitibus hic ſubjunxit Goulartius pag. 488. Nihil adjunxit Wolfius Cent. 12. Lect. Memorab. pag. 384.

CCXIII. Rhythmicæ veteres cantilenæ.

RHythmicas quaſdam Cantilenas primùm anno 48. & iterum 52. auctiores edidi; quæ quantum ex duorum codicum vetuſtate, genere muſices eis adjunctæ, aliisque quibuſdam circumſtantiis conjicere licet, videntur ut minimum ante 300. annos compoſitæ. Suſpicor autem ob ſermonis latinitatem, & metri genus, eas eſſe Hildeberti Epiſcopi Cenomanenſis, qui ante 450. annos floruit, & ſimilia plura compoſuit, nec admodum Romanenſibus Curtiſanis favit. Verùm de eo ſupra ſatis.

Inter eas admodum piè & magna ſpiritus alacritate, Chriſti beneficium celebrant; & gratuitam juſtitiam; quæ ſine omni noſtro merito contingat, prædicant.

Multæ

Multæ etiam reprehendunt Papam, & ejus abusus. Vna inter cæteras queritur, *Principem Babylonis venisse in templum Salomonis, ibiq; sibi altam sedem construxisse*. Orat etiam Deum, ut *eum inde pellat*. Quæ verba aliter intelligi non possunt, quàm quod Papa Antichristus irruerit in templum Christi, ibiq; sedeat ac regnet, ut scriptura prædixit. Alia queritur, Prælatos factos *hæredes Luciferi*, eosq; *Ecclesiam opprimere*. Alia queritur, *monastica hypocrisi meritum Christi obscurari*. Alia lamentatur, Ecclesiam factam esse *speluncam vespilonum*: id est, reprehendit vigilias & Missas pro mortuis, ad quas totum ministerium Ecclesiæ translatum sit, ita ut sacrificuli obliti prorsus mandati Christi, *Ite & prædicate Evangelium*, nihil aliud propemodùm quam *vespillones* sint. Queruntur & *de persecutione à Clero excitata*. Atq; ita aliæ alios errores & scelera spiritualium Papæ reprehendunt, & Deum orant, ut Ecclesiam repurgare velit. Potest autem fieri, ut & à pluribus authoribus compositæ sint illæ cantilenæ. Aliæ enim sunt *monodia*, aliæ *bicinia*, aliæ *tricinia*, aliæ *Latinæ*, aliæ *Gallicæ*. Adhæc, in utroque exemplari sunt multa, quæ in altero non reperiuntur; ut appareat, aliquot pios sibi diversorum authorum cantilenas collegisse, quas potuerunt nancisci.

Vnde cognosci potest, jam olim multos pios fremuisse contra Antichristum, & ejus abominationes in templo Dei collocatas; gemuisseque ad Dominum pro Ecclesiæ liberatione, & repugnatione; ac ex animo cupivisse videre diem renovationis Evangelii, quem nos ingratissimi magno cum tædio spectamus & fastidimus.

Similis his Rhythmica cantilena extat & in Vrspergense Abbate, in narratione rerum à Philippo Barbarossæ filio gestarum, in qua is (nam ab eo composita videtur) Curiam Romanam, tanquam fontem omnium malorum, insectatur. Vixit autem is Abbas ante annos 300.

Extant quoque in *Præmonstratensium*, ut dicitur, *Breviario*, in omnium Sanctorum officio, ista Rhythmica carmina, contra Sanctorum invocationem, meritum & intercessionem:

Adjuvent nos eorum merita,
* Quos *propria impediunt scelera?*
Excuset eorum intercessio.
* Quos *propria accusat actio?*
At tu qui eis tribuisti
Cœlestis palmam triumphi,
Nobis veniam non deneges peccati.

* Testimonium hoc à Flacio non rectè intellectum notat Georg Schatererus Præfat. ad Opera sua, pag. 4. interrogationem n. tollit, & τὸ *Quos* ait pertinere ad *Peccatores*, non ad Cœlites sanctos; ille autem ex Breviario, sibi à Sebastiano à Baden, Abbate Præmonstratensis Ordinis Bruckensis, donato verba producit: Adjuvent nos eorum merita, quos propria impediunt scelera; excuset intercessio, accusat quos actio; & qui eis tribuisti cœlestis palmam triumphi, nobis veniam non deneges peccati.

Quæ carmina olim fortaſſis ante annos 400. (nam tamdiu & amplius Præmonſtratenſium ordo duravit) ab aliquo pio compoſita, manifeſtè damnant invocationem & mediationem Sanctorum; & ad ſolum Deum omnis boni fontem, ejusque filii meritum nos revocant.

CCXIV. Hildegardis Vaticinia.

Clerus Pontificius depictus.

HIldegardis Monacha, & multorum judicio prophetiſſa, floruit circa annum 1170. id eſt, fermè ante 400. annos. Graviſſimè in ſuis Prophetiis Papiſticorũ ſpiritualium, non tantum ſceleratam facinoroſamq; vitam, ſed & Eccleſiaſtici officii neglectionem, atq; adeò Eccleſiæ Dei horribilem deſtructionem inſectatur. Alicubi inquit: *Nunc autem in populo ſpirituali lex neglecta eſt, qui bona docere ac facere contemnit.* Magiſtri *quoq; &* Prælati *neglecta & relicta juſtitia dormiunt. In quadam* Viſione apparet ei Eccleſia in forma fœminæ, querens, à ſacerdotibus faciem ſuam eſſe pulvere conſperſam, & veſtem diſciſſam, &c. eos nec doctrina nec exemplo populo prælucere, ſed contraria potius facere; eos innocentem agnum à ſe pepuliſſe. Dixit quoque, omnia inſtituta Eccleſieſtica in pejus inclinaſſe, ſacerdotesq; legem Dei non docere, ſed deſtruere. Atq; ob hæc horribilia ſcelera & impietates, graviſſimam eis Dei iram, & triſtes pœnas minatur ac prædicit.

Non eſt autem, quod ſibi Papiſtici ſpirituales inde blandiantur, quod illa etiam bona denuò ſequutura miniſtris Eccleſiæ pollicetur; ſicut & Ioannes de Rupe ſciſſa, aliique ejuſdem generis Vates. Præponunt enim fore, ut priuſquam meliora tempora ſequantur, illi pœnitentiam agant. Quo ſermone haud dubiè indicant pios miniſtros in inſtauratis Eccleſiis, qui plerique fuere ex ſpiritualibus, ſed turpem vitam, & impias idololatrias deſeruerunt. Iam cum ſacrificuli & Monachi, id eſt, tota lerna ſpiritualium, habeat Hildegardim pro vera prophetiſſa, agnoſcere debent, ſe non ab homine, ſed à Deo per eam ſeveriſſimè accuſatos eſſe. At Deus bone, quantum ab eo tempore, nempe hiſce 400. annis turpitudinis, impietatis & idololatriæ ſpiritualium cumulatum eſt? Adſcribam hic quandam hujus Vatis prophetiam ex Alphabetica ſylva locorum communium Henrici Token (de quo alibi) deſumptam, propterea quod noſtris temporibus impleri eam clarè cernimus. Prædicit enim præſentem religionis inſtaurationem, eamque pientiſſimam fore prænunciat: *Tunc infula Apoſtolici honoris dividetur, quia nulla religio in Apoſtolico ordine invenietur; & eapropter dignitatem illius nominis vilipendent, alioſq; ſibi viros & Archiepiſcopos præficient; ita etiã, ut Apoſtolicus eo tempore ex diminutione honoris vix Romam, & pauca adjacentia ſub infula habebit. Hæc autẽ ex parte per bellorũ incurſionem evenient, ex parte quoq; per commune Concilium, & conſenſum ſpiritualium & ſecularium perſonarum. Tunc juſtitia in ſua rectitudine ſtabit; ita ut in diebus illis homines ad antiquas conſuetudines & diſciplinas*

anti-

antiquorũ hominum honestè se convertent, & eas observabunt, sicut antiqui. Concordat glossa, &c. In hac sanè prophetia & Hildegardis & Token sunt Lutherani, imò & pessimi hæretici, qui crediderũt & scripserunt, neglecto sanctissimo Romano Antichristo, piam Ecclesiæ Dei reformationem fieri posse. Sed hæc Hildegardis prophetia unà cum quibusdam Sibyllæ versiculis separatim prolixiusq; est à me edita.

Prophetia adversus Mendicantes Monachos.

In pluribus, iisq; vetustis codicibus reperio, quandam ejus non ita prolixam prophetiam, *de venturis pseudoprophetis*; quæ non nisi de mendicantibus, qui eam paulò post secuti sunt, si quis rectè rem perpendat, intelligi potest: *In diebus illis exurget gens insensata, pomposa, cupida, perfida & dolosa, quæ peccata populi comedet, ordinem quorundam timentium devotariorum* sub dissimulata mendicantium specie *tenentes, seq; cæteris ficta devotione inflata scientia ac prætensa sanctitate præferentes, sine rubore ac Dei timore ambulantes multa nova mala adinvenientes, fortes & validi à sapientibus & Christi fidelibus ordo ille maledicetur: à laboribus cessabunt, & ocio vacabunt, assumentes potius* ordinẽ adulantiũ *quàm* mendicãtiũ. *Studebunt insuper omnes nimiũ, qualiter doctoribus veritatis perversè resistant, & eosdem cum potentibus interficiant, & potentes seducant & decipiant, propter necessitatẽ vitæ, & delectationem mundi. Diabolus namq; in eis* quatuor vitia *radicabit, videlicet* adulationem, invidiã, hypocrisin & detractionem. Adulationẽ, *ut eis largè detur*; Invidiam, *& quando aliis dabitur, & non ipsis:* hypocrisim, *ut per falsam simulationem hominibus complaceant*; detractionem, *ut seipsos commendent, extollant, & alios vituperent, propter laudem hominum, & seductionem simplicium, ac sine devotione & exemplo martyrum prædicabunt instanter, detrahent Principibus, secularibus, Ecclesiarum sacramenta veris pastoribus subtrahentes, recipientesq; eleemosynas pauperum, infirmorum & miserorum, nec non se in multitudinem populi trahentes, familiaritatem cum mulieribus habentes, easq; instruentes, qualiter maritos & amicos suos blandè & per verba dolosa decipiant; nec non res proprias ejusdem furtivè subtrahant, & ipsis tribuant. Tollent namque* res furtivas, *& malè acquisitas, & dicent:* Date nobis, & nos orabimus pro vobis; *sic, ut aliorum vitia curiosius tegant, & suorum penitus obliviscantur. Heu etiam tollent res miseras à raptoribus, prædonibus, spoliatoribus, furibus, latronibus, aut sacrilegis, ab usurariis, fœneratoribus, adulteris, hæreticis, schismaticis, apostatis, mulieribus luxuriosis, lenis & lenonibus, à potentibus, perjuris mercatoribus, falsis judicibus, militibus, tyrannis: à Principibus contra legem viventibus, & à multis perversis persuasionem diaboli, & dulcedinem peccati ac vitam delicatam, transitoriam & brevem, nec non satietatem in condemnationem æternam sectantes. Hæc autem omnia in eis aperta, & manifesta erunt populis universis. Ipsi verò de die in diem duriores & nequiores efficiuntur, & cum seductiones & iniquitates eorum exploratæ fuerint, tunc cessabitur eis dari; & tunc ibunt circa domos famelici, & ut canes rabidi, submissis in terram oculis contrahentes cervices suas, velut turtures, ut pane satientur. Tunc clamabit populus super eos:* Væ vobis miseri, filii mœroris; vos mundus seduxit, diabo-

diabolus ora veſtra infrenavit; caro veſtra lubrica, & corda veſtra ſine ſapore; mens veſtra vaga fuit, & oculi veſtri delectabantur in vanitatibus, & in inſaniis multis. Venter veſter delicatus dulcia fercula appetit, pedes veſtri veloces ad currendum in malum. Mementote, cum eratis apparenter beati æmulatores, pauperes divites, & ſimplices potentes, devoti adulatores, perfidi traditores, perverſi detractores, ſancti hypocritæ, veritatis ſubverſores, nimis directi, ſuperbi, effrontes, doctores inſtabiles, martyres delicati, confeſſores lucri, mites, calumniatores, religioſi avari, humiles, elati, pii duri, mendaces, dulces pacifici, perſecutores, ſimplicium oppreſſores, malarum ſectarum per vos de novo excogitatarum adinventores miſericordes nequam, amatores mundi, venditores indulgentiarum, ſpoliatores beneficiorum, oratores incommodi, conſpiratores ſeditioſi, ſuſpiratores crapuloſi, deſideratores honorum, zelatores criminum, mundi raptores, inſatiabiles prædicatores, applauſores hominum, ſeductores fœminarum, ſeminatores diſcordiarum. *Benè etenim de vobis glorioſus Propheta Moyſes in cantico ſuo cecinit:* Gens abſque conſilio, & ſine prudentia, utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent. *Ædificatores in altum, & dum altius aſcendere non poteratis, tunc cecidiſtis; ſicut Simon Magus, quem Deus contrivit, & plaga crudeli percuſſit; ſic & vos per ſeductionem, nequitias, mendacia, detractiones & iniquitates veſtras corruiſtis. Et populus dicet illis:* Ite doctores perverſitatis, ſubverſores veritatis, fratres Sunamitis, patres hæretici pravitatis, Pſeudoapoſtoli; quia ſimulaſtis vos vitam ſervare Apoſtolorum, nec tamen in minimo vitam illorum impleviſtis; filii iniquitatis, ſcientias viarum veſtrarum nolumus; *nam præſumptio elata vos decepit, & inſatiabilis concupiſcentia ſubvertit erroneum cor veſtrum: & cum in altum ultra quàm decet aſcendere voluiſtis, juſto Dei judicio deorſum in opprobrium ſempiternum cecidiſtis.* Et floruit beata Hildegardis, cujus hæc eſt prophetia, circa annum Domini M. centeſimum quadrageſimum ſextum, ut habetur in Martini Chronica, &c.

* VVolfius Cent 12. Memor. Lect. p. 397, 398, 399, 400.

CCXV. Ekbertus, Abbas Benedictinus.

Confuſio in Eccleſia.

EGbertus Benedictus Abbas S. Florini diœceſis Treverenſis, & frater D. Eliſabethæ, de qua mox, floruit circa annum 1160. multa magno zelo nec etiam vulgari (ut tunc quidem fuerunt tempora) eruditione ſcripſit. Inter alia etiam *Epiſtolas*, quarum ego perpaucas vidi. In eis tamen quædam ſunt noſtro inſtituto admodum convenientia; nam in quadam Epiſtola ad Colonienſem Epiſcopum ita de bonorum Eccleſiaſticorum profuſione, deque profligata Monaſteriorum pudicitia ſcribit.

Sed nondum, mi Domine, *intra viſcera Eccleſiæ* pax veſtra *recepta eſt, adhuc mater paſſionis quaſi torſiones intrinſecus ſentiens in hunc modum gemebunda congeminat:*

nat. Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, foris pax, intra prædatio. Pacem negotiatores habent, sed nondum super filios pacis pax requievit. *Ecce enim penè ubiq; ministri Ecclesiæ debita se consolatione privari conqueruntur. Sicut enim ipse nosti, ita à Domino ab initio ordinatum est, ut de altari viverent, qui altari deservirent; & ut rata hæc esset ordinatio, per manus Regum ac Principum locupletem fecit Ecclesiam, ut absq; solicitudine corporalis nutrimenti, milites Christi orationi ac lectioni scripturarum intenderent. Sed ecce in his temporibus ordinatio ista, usq; quaq; evacuari cernitur, maximè per dispensatores ac dispensatrices Ecclesiarum, qui constituti sunt super familiam Domini, ut dent illis cibum in tempore. Hi enim dum quæ sua sunt, quærunt, bona Ecclesiarum aut per injuriam negligunt, aut in suis voluptatibus consumunt, aut in laicas manus pro seculari favore, aut obsequio conferunt, atq; ita de absconditis filiorum adimplent ventres alienorum. Si quis autem* filiorum *petierit* panem, pro pane lapidem, *aut* scorpionem, *aut* serpentem *illi porrigunt, dum aut duram objurgationem, aut præurgentem læsionem ingerunt, aut versutam excusationem prætendunt. Unde fit ut* ministros Ecclesiæ *aut propriis stipendiis militare, aut si hæc non habent, aliena impudenter mendicare, aut siccis faucibus mœstas Deo laudes concrepare oporteat. Atq; hac occasione per omnes penè Ecclesias divinæ laudis organa suspenduntur, & nemo considerat; vix in una quaq; Ecclesia tribus aut quatuor ministrantibus continuè aliis urgente necessitate ad cognatos & notos, sive ad negotiationes suas discurrentibus. Verti me aliò, & apposui cor meum, ut hujus* tam generalis ruinæ causas *intelligerem. Inspexi,* Clericorum Ecclesias, *ac reperi in eis* enormitates grandes & innumeras. *Vidi* claustra virginum, *quorum alia rectius* viscarium? *id est* aucupium satanæ *appellaverim; & ecce ignis alienus cuncta vastaverat, lilia castitatis aruerant, & deplorandus universo orbi animarum interitus ubiq; apparuit. Omnia ergo considerans, & præfatæ ruinæ causas intellexi, & Domini patientiam vehementer admiratus sum. Circumspexi autem & sustinui, qui simul* mecum contristaretur super omnibus malis his, *& vix unum de mille reperi, qui dignus haberetur inscriptione TAU. Si itaq; in his diebus suscitavit nobis DEUS* Machabeum, *qui à finibus nostris gladium coherceat, utinam &* Patriarcham *nobis suscitet, qui à sanctificatis Domino alienarum avium rostra prohibeat. Utinam &* Phineam *nobis suscitet, qui & enormitates & contaminationes tabernaculorum Domini, districti judicii pugione confodiat. Hæc autem omnia in vobis Domine mi, opto concurrere, ut* vera & integra pax Ecclesiæ Dei *per vos restituatur.*

In alia item Epistola ad eundem de antecessoribus ejus Episcopis, deq; schismate inter Romanos Pontifices scribit: *Multi sapientes secundum carnem, multi nobiles, multi potentes in cathedra illa te* antecesserunt, *sed non in pluribus eorum beneplacitum erat Deo. Erant enim* homines amantes seipsos, *& non apposuerunt cor suum, ut juxta debitum officii sui magnificarent coram hominibus eum, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Indulgere *autem carni,* delitiosè otiari, pom- *Schisma Pontificiũ.*

paticè incedere, quæstui intendere, magnificare parentes; *hoc illis erat* Episcopati. *Monumenta sui quidam ex eis, ne nihil fecisse viderentur, reliquerunt* in rupibus, *sive* in ruribus *ad otium electis, structuras lapidum modicæ utilitatis, aut concupiscibiles formas celiis & penicilis curiosè laboratas. Beatius autem illis erat, ab iis lapidibus, qui ædificio congruunt, supernæ civitatis testimonium sibi conquisisse pietatis & religionis, ut cum defecissent, recipere eos possent in æterna tabernacula. Melius melius* Episcopari, *te opto, ô inclyte dierum istorum, feliciter ut dicunt incedis: utinam benè. Non enim omne quod feliciter, benè, Felicitas mundi porrexit manum tibi, & amplexata est te, & injisti fœdus cum ea,* &c. Et paulo pòst: *Moventur montes, qui stillare debuerant dulcedinem, & quomòdo non commovebitur subjacens terra? Ecce enim effusa est* contemptio super Principes principalis Ecclesiæ, *quæ* omnium mater *est, & sciderunt unitatem summi sacerdotii, ruperunt vinculum pacis Ecclesiasticæ, ita ut invicem mordeant invicem se interficiant anathematizando alterutrum. Est tamen incertum quæ duarum partium percutiat in gladio Petri, cum nec possit in partes dividi, nec indivisus sibi adversari; Unde fit, ut non jam correctionis dulcedinem, sed dissensionis amaritudinem amatissimam propinent omnibus terris.* Et omnes *inquit*, colles turbati sunt. *Ecce enim ex illorum vesano motu, non modica turbatio derivata est, in omnes subditos illis Ecclesiarum Patres, qui cui parti magis assentiendum sit ignorantes, ipsi quoque sibi invicem malitiosè adversantur, alterutrum se abominantur, odiisque & detractionibus se invicem persequuntur.*

* Wolfius Cent. 12. Memor. Lect. p. 383.

CCXVI. *Ek de Repkau Iuris Saxonici Glossator.*

GLossavit ac declaravit jus Saxonicum EK REPKAV, qui circiter ante 400. vixit annos. Is quoque non pauca pro veritate contra Pontificem dicit; nam libro secundo, articulo 24. commendans conjugium inquit. Fürwahr wie wol wuste das Gott/daß er nicht sprach in Schöpffung der Frauen Evæ/Es ist nicht gut/ daß kein Mönch noch Nonne sey/sondern er sagt / Es ist nicht gut / daß der Mann allein sey. Dann dieweil der Mann allein bleibt/so ist kein Ehe/sondern wir machen ihm ein Gehülffen/auff daß da werde ein Ehe/In diesem Orden müssen seyn alle die/ die zu Gott gehören/entweder leiblich oder beweißlich/dañ die Ehe beweiset keuschliche Liebe deß Vatters/ die er hat zu seiner Braut der heiligen Christenheit/ Es beweiset auch die reine Enthaltnuß deß heiligen Geists in den außerwehlten Seelen. Item lib. 3. Articulo 63. disputat contra Donationem Constantini, inquiens, inter alia. Sage aber dennoch das / so gethan Gab durch Recht nicht lang / und nicht tauge / und in Authen. de non alienan. aut permu. Eccles. reb. §. Si igitur collat. 3. & C. de legib. & consti. Prin. & edic. leg. digna vox. & instit. quib. mod. testamentum infirmatur. §. 1. Dann von solcher Gab möchte er das gantze Reich vergeben / Ach Pfaffe/ deß erzörne nun nicht auff mich / sondern zörne auff Accursium,

Dann diese Wort sind Accursii, in der gemeinen Glosf. ut in Authenti.ut determinatus sit numerus Cleri. §.1.super verba bonum & compotens Col.1. Dann obwol der König Constantinus gab dem Bapst Sylvestro weltlich Gewalt/ er gab ihm darumb alle weltliche Gericht nicht. Item lib.3. Articul. 57. pronunciat Papam non habere jus utriusque gladii nec esse supra Cæsarem. Inquit enim inter alia. Nun deß allen zu einem Unterricht / soltu wissen / daß der Bapst beyde weltlich und geistlich Gericht haben soll/das ist unrecht. Dann hiewider ist.10.distinct.quo jure. Da steht daß GOtt habe das geistlich Gericht und das Weltlich gescheiden an zweyen Personen / das ist an dem Bapst und an dem Käyser.

* VVolfius Cent. 12. Lect. Memorab. p. 382. 383.

CCXVII. Honorius Augustodunensis Ecclesiæ Presbyter & Scholasticus.

HOnorius Augustodunensis floruit circa 1120. Domini annum. Is in quodam Dialogo suo *de Prædestinatione & Libero Arbitrio* non obscurè indicat Papam ac Clerum ejus esse ipsissimam *Babylonem Apocalypticam.* Verba ejus hæc sunt: *Verte te ad cives Babyloniæ, & vide quales sint, & per quas tendant plateas,* &c. *Vide, veni huc ad supercilium montis, ut cuncta possis ædificia cernere damnatæ civitatis, Intuere Principes & judices* (intellige summos Episcopos & Prælatos) ecce posita est in eis Bestiæ sedes. *Omni tempore ad malum sunt intenti, semper negotiis iniquitatis inexplebiliter occupati, flagitia non solum faciunt, sed & alios facere instruunt; sancta vendunt, scelera emunt, totis viribus laborant, ne soli ad tartara veniant. Verte te ad* Clerum, *& videbis in eis* Bestiæ tentorium, *Dei servitium negligunt, terrenis lucris inserviunt, sacerdotium* per immunditiam *polluunt, populũ per simulationem seducunt: Deum* per mala opera *abnegant: omnes scripturas ad salutem pertinentes abdicant; omnibus modis laqueos ad ruinam populo substernunt, quem cæcum ipsi cæci ad interitum præeunt. Contemplare* & Monachorum conciliabula, *& videbis in eis* Bestiæ tabernacula, per fictam professionem *Deum irridentes, iram ejus provocant, normam regularem moribus & vita calcant, per habitum seculum fallunt, multos deceptos decepti ipsi decipiunt, secularibus negotiis impliciti sunt, in servitio Dei desides existunt: pleriq; illorum gulæ & illecebris dediti sunt, quidã in immunditiæ sorde computrescunt. Aspice etiam* habitacula Monialium, *& cernes in eis* Bestiæ præparatum thalamum. *Hæc à tenera ætate* impudicitiam *discunt, complices sibi plurimas ad cumulum suæ damnationis adsciscunt, vel se operire festinant, quò magis frena luxuriæ laxare queant; omnibus fornicariis pejus prosternuntur,* & *ut insatiabilis charybdis, nunquam stercore immunditiæ replebuntur. Hæ animas juvenum illaqueant, & gaudent, si plures illaqueant, & hæc vult palmam victoriæ, quæ aliis prævalet in scelere.*

Romam & in ea Episcopos sub appellatione Babylonis & Sedis Bestiæ perstringit.

* Dicta quædam ejus de libero arbitrio, de Prædestinatione; de Iustificatione, permisit Goulartius pag. 475, 476. 477. Extat ille Honorii Dialogus ad calcem Tom. 2. Auctarii Biblioth. Patrum edit. Paris. 1610.

CCXVIII. *Elizabeth Sanctimonialis Germana.*

Censura in Pontificem Prælatosq; per propheticum spiritum Elisabethæ.

ELizabeth Virgo Germana, floruit circa annum 1150. id eſt. ante 400. annos, fuit divæ Hildegardis familiaris. Scripta ejus ſunt Pariſiis, cum præfatione Fabri, opuſculis Hermis, Hildegardis, fratris Roberti, & Mechtildis impreſſa. In eis illi propheticus ſpiritus tribuitur, quòd quæcunque ſcripta reliquerit, in viſione à Deo dicta, revelataque acceperit. Inter alia Prælatos ſic Deus referente Angelo, per os ejus alloquitur: *Caput Eccleſiæ* clamat, *& membra ejus mortua ſunt; quoniam ſedes Apoſtolica obſeſſa eſt à ſuperbia, & colitur avaritia, & repleta eſt iniquitate, & impietate, & ſcandalizant oves meas, & errare eas faciunt, quas cuſtodire & regere debuerunt*, &c. Paulo pòſt: *Hæc dicit Dominus magnis Prælatis Eccleſiæ: Recordamini quam rationem reddituri eſtis in tremendo judicio meo de ovibus meis, quas ſuſcepiſtis regere & cuſtodire, quando appretiati eſtis dona ſpiritualia populi mei pretio infœlicitatis*, &c. Et paulo pòſt: *Ego delebo memoriam veſtram de terra viventium.* Item hiſce quoque verbis eos accuſat: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego mitto Angelum meum, ut annunciet vobis, qui* in ſublimi poteſtate *irritatores eſtis. Dico autem vobis, quòd iniquitates terræ, quas abſconditis propter aurum & argentum, aſcendant coram me, ſicut fumus de igne. Nunquid non animæ ſunt plus quàm aurum & argentum, quas ſuffocatis in* ignem æternum *propter avaritiam veſtram? Idcirco accuſat vos religio veſtra coram me. Ecce enim fœtere feciſtis ſanctificationem meam in conſpectu populi, & verſa eſt in abominationem mihi. Occupaſtis principatum ſanctorum meorum, & neſcivi. Maculaſtis ſtratum meum, & ſilui. Quid mihi & vobis, exaſperatores manſuetudinis meæ? Unde aſcendiſtis turbare ovile meum, & aggravare cor meum ſuper filios meos, quos genui in amaritudine animæ meæ, in die laboris & anguſtiarum mearum?* Et adjecit iterum loqui ad me dicens: Nonne *paſtores mei quaſi in gravi ſomno obdurati ſunt? & quomodo evigilare eos faciam ſuper greges meos, qui diſperguntur?* &c.

Sublimis poteſtas, ſc. Pontificia.

Epiſtola quarta ſic Hilinum, Epiſcopum Treverenſem, alloquitur: *Redde rationem, quia defraudaſti mihi margaritas electas, & gemmas pretioſas, quæ tibi miſſæ fuerant de magna Majeſtatis potentia, projeciſti poſt tergum tuum, & noluiſti obedire mihi. Nonne tu ſcis, quia dixi,* Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis? *Accipe & revolve volumen, & invenies quæ dixi, & quæ facta ſunt. Sedes Apoſtolica obſeſſa eſt ſuperbia, & colitur avaritia. Quod ſi non indicabis eis, quæ tibi ſunt revelata, & ipſi in peccatis ſuis morientur, & tu judicium portabis,* Unde animadverte, etiam illi Archiepiſcopo revelata eſſe aliqua de ſceleribus & reprehenſione apoſtaticæ Romanorum ſedis.

* Wolfius Cent. 13. Lect. Memor. p. 362. 363. quædam præfert ex Eliſabethæ Revelationibus: Vincent. Beluacenſis 7. ſpec. Hiſt 80. f. 64.

CCXIX. Ottho Frisingensis.

OTtho Episcopus Frisingensis, floruit circa annum Domini 1150. nempe ante annos 400. Is ergo sic contra politicum Papæ gladium scribit: *Sicut ad* spiritualem gladium *spirituales quoq; possessiones, id est, decimæ, primitiæ, oblationes, & alia hujusmodi pertinent*: sic materiali *omnes terrenæ dignitates, Ducatus, Comitatus ac hujusmodi subjacent. Hoc enim Deus* non in una persona simul, *sed separatim* in duabus *in Ecclesia esse voluit*; *Proinde sicut illi* personæ, *quæ* gladium materialem *portat, non licet contingere ea quæ spiritualia sunt, sic &* isti *ea usurpare, quæ hujus sunt, non convenit. Unde & in Evangelio scribitur*: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt, Deo. *Idq; Dominus sicut prædicat verbis, ita factis declaravit, quando* tributum pro se & Petro *jussit dari*. Paulus *etiam, omnem potestatem à Deo esse considerans, in causa positus, non Petrum, qui tunc Romanæ cathedræ præfuit, sed flagitiosissimum ex Dei voluntate super terram Regem constitutum Neronem appellavit*, &c. Damnavit etiam, refutavit *donationem Constantini*, quam vulgò sic vocant. Improbat quoq;, quòd Greg. VII. Henricum excommunicaverat, regnoque privaverat, affirmans nihil tale unquam prius facere ausos esse.

Prolog. lib. 4 Hist. fol. 40. b edit. Argēt. 1515.

Lib 6. c. 35. fol. 73. b.

* Wolfius Cent. 12. Lect. Memor. p. 386. seqq.

CCXX. Bernhardus Cluniacensis.

QVidam Bernhardus Cluniacensis floruit ante annos 400. & scripsit ad Petrum Cluniacensem Abbatem *tres* quasi *satyras*, dactilico carmine, in quarum duabus posterioribus acriter Clerum insectatur. Reprehendit eorum multiplicia flagitia, libidines, avaritiam, superbiam, ambitionem. Reprehendit & Simoniam item, & officii neglectionem. Queritur indignissimos ad summa officia in Ecclesia promoveri, atque ita misere negligi & perdi oves Christi. Ante omnia autem vehementissimè Romanam Curiam insectatur; ubi queritur omnia auro argentoque vendi, etiam ipsam justitiam. Sed adscribam pauca quædam inde; nam dabimus operam aliquando, Deo volente, ut simul omnia in publicum prodeant.

Insectatio acris in Papatum.

Lex mala furibus his subeuntibus intrat abundè.
O mala secula, venditur infula, Pontificalis
Infula venditur, haud reprehenditur emptio talis.
Venditur annulus, hinc lucra Romulus auget & urget,
Est modò mortua, Roma superflua, quando resurget?
Roma superfluit, arida corruit, afflua, plena:
Clamitat & tacet, erigit & jacet, & dat egena.

Roma dat omnibus omnia, dantibus omnia Romæ,
Cum pretio, quia juris ibi via, jus perit omne.
Ut rota labitur, ergo vocabitur hinc rota Roma,
Quæ solet ubere laude fragrescere sicut aroma.
Roma nocens nocet, atq; viam docet ipsa nocendi,
Jura relinquere, lucra requirere, pallia vendi,
Sæpè notarius, est ibi carius emptus, ut illa:
Quæ cupis exaret, & sacra præparet ipse sigilla,
Si tua nuntia prævenit uncia, surge sequaris:
Expete limina, nulla gravamina jam verearis.
Quam sapientia non valet, uncia dat tibi pacem:
Uncia fœderat, uncia temperat ore minacem,
Aurea lamina dat tibi lumina cæca Quiritum:
Ostia pervia, verbaq; Tullia, cor stabilitum.
Si datur uncia, stat propè gratia Pontificalis:
Sin procul hæc valet, hæc tibi lex manet, & schola talis.
Ergo prior tua dextera mortua Roma probatur,
Sparsa per extera jam tua dextera læva vocatur.
Dives indigena, pinguis es arida, libera servis,
Libera subderis, æreq; venderis ipse protervis.
Sæpe reverenderis, hinc reprehenderis ore Jugurthæ:
Scylla vorax rapis, & cupis, & capis, & trahis ad te.
Roma ruens, rota fœda, satis nota cauteriat te.
Gurges es altior, arca voracior, alta lacuna,
Insociabilis, insatiabilis, omnibus una.
Quo bibis amplius, hoc inhiantius, Huc date clamas.
Dic rogo, sufficit: at mihi deficit, ipsa reclamas.
Si tibi det sua, non repleat tua guttura Crœsus
Marca vel aureus amodò, non Deus est tibi Jesus.

Paulo pòst.

Primitus elige, postea dirige, juris amantes.
Non lucra grandia, sed synodalia jura parantes.
Qui tua nuncia per pereuntia secula clament,
Nostraq; frigida pessima, fervida facta reflamment.
Sed facis hoc secus Ecclesiæ decus, extenuantes,
*Mittis in extera tollere munera * so flagrantes,*
Quem tua dirigit huc manus, exigit ille tributum,
Nec bona secula, sed bona fercula, molleq; fulcrum.

Suetus ab ubere non nisi currere, vel peditare
Celtica curribus exit equestribus arva meare.
Qui modò gressibus ibat ovantibus incomitatus,
Militat arduus, & sibi confluus est equitatus.
Consiliarius, ipseq; nuntius, & literalis,
Papa tuus præit, acta libri vehit huc synodalis.
Hoc fremit hospite sive satellite regia plena,
Clerus equestria vix animalia pascit avena.
Serica pallia dat sibi Gallia, Roma Caprinum,
Errat ibi pedes, ambulat hic eques in resupinum.
Gens fluit, obvia fit sibi, gloria pulchra videri,
Urbs strepit, æs sonat, atq; modos tonat huic schola cleri.
Ductus in atria Pontificalia, mollè recumbit,
Pocula præcipit, agmina suscipit, oscula jungit.
Concilium vocat, in solii locat aggere sese.
Imperiosior ambit, & altior esse, præesse.
Audit amantius impia, surdius æqua subaudit:
Nam lucra terrea causa parit rea, non rea claudit.
Roma quid exequar, imò quid eloquar, aut tibi promam?
Uncia te rotat, uncia te notat, haud fore Romam.
Tu populos tibi, te rutilans sibi marca subegit.
Semper enim lucrum progenies tua vult, agit, egit,
Dum lucra Parthica, dum tuus hostica munera Crassus
Vult, sitit, inspicit, heu sibi deficit, æs bibit assus.
Hæc sitis ebria stat tibi propria marte togaq;,
Te cremat, impiat, urit, inebriat, excruciatq;,
Das sacra culmina, das moderamina sacra probrosis,
Arida mitibus, afflua ditibus ambitiosis,
Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma fuisti:
Ecce relaberis atq; resolveris ordine tristi,
Clauda ruis foris à pede roboris, intus ab equi,
Irreparabilis hic ibi labilis inscia recti.
Urbs sine juribus, & sine patribus obruta marces:
Dardanias premit Ausonias emit aureus arces.
Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma peristi:
Obruta mœnibus. obruta moribos occubuisti.
Urbs ruis Inclyta, tam modò subdita, quàm prius alta;
Quo prius altior, hoc mihi pressior, & labefacta.
Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma peristi:

Sint

Sint tua mœnia, vociferantia, Roma periſti:
Clauda redis, caput alta jaces, apud omnipotentem.

* Wolfius Cent. 12. Lect. Memor. p. 385.

CCXXI. Iohannes Monachi.

Carmina feſtive in Curiam Romanam.

VIdi quendam libellum jam olim ſcriptum, in quo ſunt variæ Picturæ Chriſti ejicientis ex templo vendentes & ementes, lavantis pedes Apoſtolis; Papæ in throno ſuæ Majeſtatis ſedentis, & aliarum perſonarum. Singulis quoque illis picturis adſcripta ſunt dicta, ex ſacris literis, partibus & decreto, plerumque contra Papæ ac Cleri inſcitiam, turpem vitam, varios eorum errores, & falſæ doctrinæ perſecutiones directa. Quorum unicum tantum adſcribam, quod ſupra Papam in throno ſuo ſedentem, & petentibus varias, ut loquuntur, gratias concedendum, poſitum eſt, ut inde, & de aliis judicari poſſit.

Curia vult marcas, burſas exhaurit & arcas.
Si burſæ parcas, fuge Papas & Patriarchas.
Si dederis marcas, & eis impleveris arcas,
Culpa ſolveris, quacunq; ligatus eris.
Intus quis? tu quis? ego ſum, quid quæris? ut intrem.
Fers aliquid? non, ſta foris, fero quid? ſatis, intra.

Iohannes Monachi dicit, quòd Roma fundata à prædonibus, adhuc de primordiis retinet. Dicta *Roma*, quaſi *manus rodens*. Verſus.

Roma manus rodit; quod rodere non valet, odit.
Dantes exaudit, non dantibus oſtia claudit.
Curia curarum genitrix, nutrixq; malorum,
Ignotos notis, inhoneſtis æquat honeſtos.

Concordat Iohannes Andreæ in Novellis de Statu religioſorum c. Iſto. libro 6. & de malitia Romanorum Iohannes Monachi, c. fundamenta, de electione libro 6. in Novellis remittit ad cap. 1. Rom. ubi Paulus ſpecialiter ſcribit de vitio contra naturam, & concordat Bernardus in Epiſtola ubi ſcribit ad Eugenium Papam, &c.

Quando porrò libellus hic ſit compoſitus, non auſim pro certo affirmare; credo tamen circiter ante 100. annos. Porrò nomen Iohannis Monachi non eò adſcripſi, quod putem eum ſcripti hujus authorem eſſe; ſed quod ejus in hoc dicto mentio ſit.

CCXXII. Concilium Lateranenſe.

COncilium Lateranenſe ſub Innocentio Tertio celebratum, circiter ante 360. annos, habet inter alia & hoc Decretum contra novos Monachorũ ordines.

Caput

Caput XIII. *Ne nimia religiosorum diversitas gravem in Ecclesia Dei offensionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero* novam Religionem *inveniat*; *sed quicunq; voluerit ad Religionem converti*, unam de approbatis *assumat*. *Similiter qui voluerit* Religionis domum fundare de novo, *regulam & institutionem accipiat de Religionibus approbatis*. *Illud etiam prohibemus, ne quis in* diversis monasteriis locum Monachi habere præsumat, *nec unus Abbas pluribus monasteriis præsidere*. Clarè affirmat in hoc Decreto Synodus, quòd ista tanta varietas religiosorum seu monasticorum ordinum, gravem Dei offensionem pariat: eoque ne plures porrò novique ordines fierent, severiter prohibet. At Deus bone, quot ab eo tempore novæ istorum fucorum sectæ inventæ ac excitatæ sunt? Quin & adhuc quotidie novæ inveniuntur, ut jam non tanta avium, aut piscium varietas sit, quanta Monachorum.

CCXXIII. *Opusculum tripartitum.*

IN secundo Tomo Conciliorum anno 1551. Coloniæ impresso, insertus est liber titulo opusculum Tripartitum, *De negotiis Ecclesiæ*. In ejus ultima parte multi & tetri nævi, seu abusus Ecclesiæ ac Prælatorum taxantur; quòd abunde indicat falsissimum esse, quòd Romanistæ, eorumque adulatores & mancipia tantopere de Ecclesiæ puritate gloriantur. Scriptum verò est id opus circiter ante 400. annos, ut collector Conciliorum autumat, & ex textu ipso divinari potest. Verùm adscribam aliqua inde, ut quale sit quod dicitur, cognosci possit. Ex tertia parte opusculi Tripartiti, in secundo Conciliorum Tomo impressi, Cap. 1. Circa hoc sciendum est, vulgare esse, quòd malæ mulieres dicunt, quòd plus lucrantur in uno festo de peccato suo, quàm per totam septimanam, vel quindenam ferialem. Similiter constat de multis aliis peccatis, quòd plura fiant innumerabiliter in festis, quàm in aliis diebus. Et ideo videtur, quòd acceptum esset Deo, quòd pauciora festa essent in Ecclesia Dei, cum in ipsis Deus plus offendatur: vel saltem quòd liceret operariis, post auditum divinum officium, in aliquibus festis minoribus ire ad opera sua, præcipuè cum plurimi non habeant, unde se & suos sustentent nisi de labore suo: & illi qui jam abundant & habent, plus expendant in tabernis diebus festis, quàm aliis ferialibus, propter quod tanta festorum multitudo plurimum cecidit in populi gravamen. *Iterum*, In quibusdam Ecclesiis cathedralibus est consuetudo, quòd quando CanonicI aliqui non reddunt Clericis quod debent, Clerici faciunt cessare à divinis. Vnde & sæpe cessatur in istis Ecclesiis: imò quandoque ex modica causa & occasione. Videtur autem, quòd multo melius esset, ut aliæ pœnæ contra hujusmodi Canonicos constituerentur, ne cultus divinus in hujusmodi Ecclesiis annihilaretur. *Iterum*: Etiam in quibusdam diœcesibus est consuetudo, quòd non cantatur per artem, quæ potest addisci ferè per annum: sed per usum, qui vix potest

 sciri

ſciri per 6. annos. Et ideo ſunt multi Clerici in hujuſmodi locis valde illiterati: quia tempus quòd deberent expendere in literis addiſcendis, oportet eos expendere in hujuſmodi uſu addiſcendo. Et ideo multò melius videretur, quod ubique cantaretur per artem. *Iterum* in multis Eccleſiis cathedralibus eſt conſuetudo, quòd ut totam Bibliam legant per annum, faciunt lectiones adeo prolixas in matutinis, quòd ferè nullus audit totas matutinas: & ſi qui remanent ibi, dormiunt, ut frequenter. Et ideo videretur melius, quòd in iſtis Eccleſiis omnes lectiones tam de tempore, quàm etiam de feſtis, fierent ita temperatæ, quòd fragilitas humana poſſet audire eas uſque in finem. *Item* in multis Eccleſiis cathedralibus, ita pauci Clerici veniunt ad horas Canonicas, quòd quandoque vix ſunt in choro plus quàm quatuor aut ſex cum tamen ſit magna multitudo Clericorum in iſtis Eccleſiis, quæ habet ſtipendia ab illis Eccleſiis, & de nullo alio ſervit, niſi de officiando Eccleſiam. Porrò remedia contra hæc omnia poſſunt haberi per ſtatuta, in quibus dicatur brevibus, & decentibus, quod in feſtis hactenus conſuetis liceat operari, poſt auditum officium, præterquam in talibus. Et quòd de cætero non cogantur homines ad aliqua feſta nova.

Cap. 2. Quia nemo inferior audet ponere os in Eccleſiam Romanam, tantò magis deceret, ut ipſe Dominus Papa & Domini Cardinales attenderent diligenter corrigenda in Eccleſia Romana, & inciperent ab illis, ut correctio aliorum, quæ ad eos ſummè pertinet, majorem haberet efficaciam. Ecce enim quantum damnum, & quantum ſcandalum emanavit per totum mundum, ut de aliis taceatur, in tantis vacationibus Papatus, quæ contigerunt in diebus noſtris.

Cap. 3. Totus ferè mundus obloquitur, & ſcandalizatur de tanta multitudine religioſorum pauperum, qui introierunt in mundum: qui non jam religioſi, ſed trutannii vocantur à multis, quod cedit in maximam vilipenſionem Religionis ſacræ. Et licet iſtorum ſtatus bonus poſſet dici, & adhuc poſſent in hujuſmodi ſtatibus bonis multi boni inveniri, tamen non videtur expediens, iſtos pauperes multiplicari, niſi tantum, quantum poteſt mundus commodè portare, & quod honor Religionis ſervetur: ſicut non fiunt Epiſcopatus vel Parochiæ, vel Canonici in eadem Eccleſia, niſi quantum rationabile videtur. *Iterum*, ſunt quædam mulieres religioſæ pauperes, quæ occaſione quærendi neceſſaria diſcurrunt per villas & caſtra: quòd eſt valde indecens, & etiam periculoſum in mulieribus.

Cap. 4. Cum innumerabilia mala ſequantur ex malis Prælatis, videtur, quòd in eorum promotione deberet apponi maxima cura, per intelligentem inquiſitionem de perſona, à perſonis quæ non conſueverunt mentiri. Iterum, tanta difficultas eſt in depoſitione Prælatorum ſecundum jura propter multitudinem teſtium, quæ ad hoc requiritur, quòd nullus, quancumcunque ſceleratus, depoſitionem timet. Et ideo Eccleſiæ innumerabiles ſub uno Prælato peſtifero ſtantes multis annis, deſtruuntur & temporaliter & ſpiritualiter. Et ideo bonum videretur, quòd ordinaretur per aliquod jus, quòd Prælati mali facilius poſſent removeri. Et ſequeretur ex hoc fructus duplex: ſcilicet,

cet, Liberatio Ecclesiarum, quæ sub ipsis pereunt: & incussio timoris in aliis malis Prælatis. Nec videtur quod in diebus istis sit eadem ratio prædictæ difficultatis secunda, quæ fuit olim: quia tunc ferè omnes Prælati erant boni: & qui contra eos movebantur, malè movebantur. Nunc autem ferè nullus movetur ad accusandum Prælatum, nisi boni, qui habent zelum Dei accendentem eos contra malos Prælatos. *Iterum*, tanta est omissio in Prælatis circa correctiones, quòd rarò sit aliquis qui corrigat, etiam de illis qui boni esse reputantur. Et cum ex hoc proveniant mala innumerabilia, esset circa hoc magnum consilium apponendum. *Iterum*, tanta vanitas & lascivia apparet in familia Prælatorum multorum, in vestibus partitis, & virgatis, & capellis de floribus, & corrigiis deauratis, & similibus multis, quòd non est Rex neque Princeps secularis, in cujus familia major vanitas inveniatur: & benè deceret, quòd in familia successorum Apostolorum major disciplina appareret in habitu & ornatu: sicut jura ordinaverunt de habitu Clericorum, quòd sit honestior, & magis disciplinatus quàm laicorum. In curiis multorum Prælatorum tanta fit extorsio pro sigillo, quòd ultra omnes expensas, quas requirit sigillatio, habent Prælati multi de lucro sigilli modò mille libras, modò duo millia, & similia: quod non videtur posse fieri sine magno animæ periculo, cum ordinarii, qui sunt competenter stipendiati, gratis ea quæ sunt justitiæ, debeant exhibere. *Iterum*, multi usurarii ad hoc inducunt debitores, quòd faciant sibi literas dari, & recognoscere eos cum juramento, quòd tantum sibi debent de sorte, quod falsum est, qua faciant sibi usuram in sortem computari. Et Officiales multi, licet sciant istam fraudem, sigillant tales literas, propter lucrum sigilli. Et expediret multum, contra fraudes istas, quæ multum sunt multiplicatæ, remedia inveniri. *Iterum*, divites Parochiæ dantur, ut frequenter talibus personis, quæ nunquam resident ibi: & rarò invenitur Episcopus, qui circa residentiam hujusmodi nimis facilè & cum multis non dispenset, in damnum maximum animarum, & destructionem Ecclesiarum. *Iterum*, quando ponuntur Vicarii à personis curatis in suis Parochiis, non habetur ut frequenter respectus ad bonitatem & sufficientiam personæ, sed ad illum qui pro minori salario habetur. Et fiunt innumerabilia mala in extorsionibus, & aliis, per hujusmodi Vicarios. *Iterum*, Parochiæ ut frequenter non dantur secundum Deum, sed per preces & familiaritates, personis omnino indignis, & quæ nihil valent ad regimen animarum. Et quod pejus est, tanta est hodie remissio in multis Prælatis, quod sacerdotes Parochiales, qui in immunditiis & aliis criminibus notoriis sunt exempla & via perditionis suis subditis, non corrigunt: etsi interdum fortassis puniunt in pecunia, in sceleribus suis dimittendo eos. *Iterum*, tanta est ignorantia in sacerdotibus innumerabilibus quod in solvendo & in ligando & in hujusmodi indiscretè multos ad infernum mittant: & ideo expediret, &c. Tanta immunditia luxuriæ notoria est in multis partibus mundi, non solum in Clericis, sed etiam Sacerdotibus, imò (quod

Cap. 5.

Cap. 6.

Cap. 7.

horribile est audire) in Prælatis majoribus. *Iterum*, tam malè expendunt illi bona Ecclesiæ modò in vanitatibus, modò in superfluitatibus, modò in ditandis & sublimandis consanguineis, modò in suis luxuriis & peccatis. *Iterum* sunt tot & tanti, qui nihil boni faciunt in Ecclesia, nisi quòd de bonis Ecclesiæ ducunt dies in deliciis: quod valde timendum est, ne Deus propter hujusmodi & alia scelera nimis grandia & multa, & quæ diu duraverunt, confundat, vel confundi permittat statum Ecclesiasticum, nisi aliqua correctio subsequitur: sicut factum est de Iudæis à Deo primùm exaltatis, & postea destructis in perpetuum, & confusis. *Cap. X.* Concilia antiqua, & etiam posteriora, vix inveniuntur, & est mirabile, quo modo hoc ita neglexit Ecclesia Romana: & quomodo non ordinavit, quòd in Ecclesiis cathedralibus, vel etiam Metropolitanis saltem, semper haberentur, multa enim sunt in eis valde utilia, quæ non sunt redacta in jus, sicut patet in Lateranensi Concilio, in quo data est forma indulgentiæ, quæ datur sumentibus crucem: & mandatur Prælatis, quòd non habeant nisi tria fercula: & alia multa bona, quæ non sunt scripta in jure. *Item* cum tota Ecclesia regatur hodie per jura Canonica, & non excusentur illa nescientes, in multis casibus: *Cap. XII.* valdè bonum esset, quod fieret, &c. Quia plurimi Prælati (proh dolor) sunt tepidi circa ea, quæ Dei sunt, imò etiam contrarii ferè omni bono, non videtur modo aliquo expedire. *Item* dicitur, quòd ciconiæ congregatæ, quandò instinctu quodam natura sentiunt, quod aliqua de illis, relicto compare suo, commixta est alii, omnes insurgunt in eam, & cum rostris deplumant eam, & in eam desæviunt: quid ergo debent facere Prælati boni congregati, de illo socio suo, cujus luxuriæ turpitudo innumerabiles inficit, & fœtet in tota sancta congregatione? *Item* 2. Esdræ 9. Capitulo legitur, quòd Esdras purgando Israel à mulieribus alienigenis, incipit à Sacerdotibus, propter quod videtur, quòd purgatio istorum, omnes alias debent præcedere, etiam juxta illud Ezechielis, à sanctuario meo incipite, &c. *Item* dicitur, quòd tempore Regis Philippi, totum regnum Franciæ fuit suppositum interdicto: qui tenebat quandam mulierem pro uxore, quæ non poterat justè esse ejus uxor. Quid ergo est faciendum de Prælato, qui non solum mulieribus maritatis abutitur, sed etiam monialibus & abbatissis evidenter? *Item*, temporibus modernis duo Imperatores depositi sunt in Conciliis, propter temporalia damna quæ Ecclesiæ inferebant. Rex etiam Portugaliæ remotus est per Ecclesiam, ab administratione proprii patrimonii, quia ad regimen ineptus videbatur. Quomodo ergo Ecclesia potest dissimulare, quin Prælatus, qui etiam innumerabilia mala infert Ecclesiæ, & ineptus est penitus ad regimen animarum, solenniter deponatur. Timendum est vehementer, ne propter tales dissimulationes & tolerantias, ira DEI contra Ecclesiam cumuletur.

* Wolfius Cent. 12. Lect. Memorab. p. 391, 392.

CCXXIV.

CCXXIV. *Alboinus.*

IN fragmentis Aventini, invenio Alboinum quendam, admodum doctum virum, qui ante 400. annos vixit, defendisse *Conjugium Sacerdotum.* Haud dubiè multi tunc ea de re scripserunt, quandoquidem circiter 24. Episcopi unà cum suo Clero, ut supra dixi, tunc uxorati fuerunt; sed cur eorum scripta non reperiantur, causa est, quòd Antichristus cum suis ministris omnia talia sedulò suppressit, & oppressit, timens nimirum lucem veritatis suis mendaciis ac erroribus futuram intolerabilem.

CCXXV. *Hugo Cardinalis.*

HVgo glossator & Cardinalis, qui floruit ante annos 320. id est, circiter 1230. annum, scribit in sua glossa, *Diabolum* olim habuisse *duas filias, Avaritiam & Luxuriam.* Avaritiam elocasse Iudæis, Luxuriam ethnicis. Cæterùm jam Clericos utrisque illorum suas sponsas eripuisse, solosque velle sibi proprias utramque habere, scilicet & Avaritiam & Luxuriam. *Apophthegma in Clerum.*

Dicit etiam idem, spirituales nullam habere coactivam potestatem: & si quam sibi usurpent, habere eos ab Imperatore, super Psalm. 77. verò inquit: *Multi Clerici sunt progenies viperarum. Fœtus enim interficit matrem, quando nascitur; quia mater crepat, & multi ex quo nati sunt in Ecclesia, persequuntur matrem Ecclesiam, & Christum patrem; & quantum in ipsis est, interficiunt.* In Postilla super 2. Ioannis, citat Bernhardum hæc dicentem: *Videtur bone Iesu, contra te conjurasse universitas Christianorum, & illi in persequutione tua primi sunt, qui in Ecclesia tua videntur primatum tenere, & gerere principatum, juxta illud: Qui edebat panem meum, magnificabat super me supplantationem, &c.* Vnde apparet sanè, cum aliquatenus Ecclesiastici ordinis summam impietatem, imò & Antichristianismum perspexisse.

* VVolfius Cent. 13. Lect. Memor. p. 519.

CCXXVI. *Petrus Comestor.*

PEtrus Comestor Scholasticæ historiæ author, & centor Parisiensis, floruit circa annum Dom. 1145. nempe ante 400. annos, is in quodam Quadragesimæ sermone in Clericos invehitur, dicens, eos in studio scripturæ esse negligentes; consumere eos bona Ecclesiæ, quæ pauperibus debebantur, luxuriosissimè in exquisitas delicias & nimiam crapulam ac ingurgitationem. Vocat eos *falsos fratres,*

ac prolixè eorum luxu perditam vitam depingit, addens ſeveriſſimam comminationem iræ divinæ.

* Cur dictus *Comeſtor*, & unde natus, ex Trithemio, Schedelio, Balæo Goulartius p. 522. præmiſerat.

CCXXVII. *Iohannes de Argentina.*

IOannes de Argentina floruit circa annum 1220. nempe ante 330. annos. Is, ut Vrſpergenſis ſcribit, fuit vehemens Concionator; ac, ut ex ejuſdẽ Vrſpergenſis narratione intelligi poteſt, *gratuitam juſtificationem* diligenter inculcavit, quæ tunc viſa eſt nova doctrina; quia doctrina de meritis operum, prorſus jam invaluerat. Poteſt autem inde colligi, eum doctrinam de gratuita juſtificatione docuiſſe, quod is Chronicus ſcribit, multos inde cogitaſſe ſic, & locutos eſſe: *Peccemus igitur, quoniã crux Chriſti nos ab omnibus peccatis liberabit, & abſolvet.* Sic enim & Pauli tempore, & noſtro, multi vel abuſi ſunt Evangelio; vel ita id ſunt calumniati, ut dicerent: *Faciamus mala, ut veniant bona.* Item, *Peccabimus igitur*, &c. Veriſimile eſt eum fuiſſe VValdenſem; nam illis temporibus fuerunt VValdenſes circa Argentinam, ut eſt alibi infrà annotatum. Vtinam haberemus ejus pleniorem hiſtoriam.

* VVolfius Cent. 13. Lect. Memorab. p. 516.

CCXXVIII. *Abbas Ioachim Calaber.*

Papæ & Clericorum accuſatio acris.

ABbas Ioachim Calaber, homo eruditionis, & Aiam ſanctitatis vitæ nomine cũ primis celebris, qui floruit anno 1230. in quibuſdam Germanicis rhythmis jam quidem olim ſcriptis, ſed recens Francofordiæ editis, affirmat, *Papam & ejus ſacrificulos* eſſe *Antichriſtos*, quod in *ſimoniam* ſint immerſi ac luxu & libidine penitus perditi, quorum utrumque ſcelus prolixè proſequitur. Dicit eos ſua turpitudine & ſceleribus abſterrere Iudæos & Ethnicos, quo minus ad Chriſtum convertantur. Inter alia quoque ſic inquit:

Sehet welch Unehr / mit dem Spott/
Der Christen Pfaffen bringen GOtt.

Extant quædam ejus *propheticæ picturæ ſuper Apocalypſim*, cum Italicis expoſitionibus, ubi etiam aſperius Papam & ſpirituales accuſat. Damnatus eſt à Papa in quodam Concilio Laterano, quod quædam minus rectè de divinitate docuerit, eſtque ea damnatio Iure Canonico inſerta; ſed à Luthero propria quadam diſputatione defenditur. In alio quodam libello prædicit etiam fore, ut Chriſtus Eccleſiam ſuam repurget: & ratio reformationis præſentium temporum rebus pulchrè conſonat.

Super Hieremiam ſic ſcribit: *Eſt & alia ficus, quæ maledictione prævaricationis jam*

jam aruit, Latina Ecclesia, *sive* navicula S. Petri; *cujus folia temporalia, de quibus conficiuntur perizomata ad excusandas excusationes in peccatis, quibus inhonestatē vitæ suæ tam Adam summi Pontificis, quàm Eva Ecclesiæ subjectorū operiant, & in ligno Ecclesiasticæ gloriæ sese miserabiliter abscondant. Sed quia patrimonium Iesu, quod ipsi Pontifices à Principibus Christianis, quasi boni & mali scientiæ lignum sumunt*; boni, *quo ad sustentationem vitæ*; mali, *quo ad dissipationem & libidinem vitæ, & abusum, cupientes gigantes fieri super terram, reipub. famosiq; viri per totā latitudinem Imperii Christiani, non contenti stipendiis, &c.* Et aliquantò post: *Nam secundum sententiam S. Brigittæ, potens est* Deus suscitare & Francos adversus Ecclesiā. *Cum n. Ecclesia Romana deficiet, quo ad obedientiā, & Pontifices ex Alemannis thesaurum extrahentes filios & filias ad culmen dignitatis secularis promoveat, volante matre cum pullo, ad errorem ducetur populus Christianus: tum finis, clamor & ululatus universæ carnis veniet ad Dominum astrorum, &c.* Curabo Deo dante ut aliquando ejus ille Commentarius in publicum prodeat; plenus autem est prophetiis de futura Ecclesiæ reformatione, & insectatione perditissimi status Ecclesiæ, præsertim Cleri & Prælatorum.

* Vltima verba, *Curabo* &c. Omisit Goulartius p. 681. Copiosè VVolfius Cent. 12. Lect. Memorab. p. 443, ad p. 503.

CCXXIX. *Petrus Cluniacensis Abbas.*

PEtrus Cluniacensis Abbas, floruit ante 400. & paulò amplius annos. In ejus Epistolis quædam ab instituto nostro haudquaquam aliena invenio, quæ adscribam. In Epistola ad Rotomagensem Episcopum, describit cujusdam amici, nomine Guilhelmi, morbum ac mortem, indicatque eum ante communionem inunctum esse, sicut & veteres Agendæ præcipiunt, contra hodiernam Papistarum consuetudinem. Fuit verò hujus viri tempore gravissima contentio Cluniacensibus cum Cistertiensibus, cum quidem eorum Abbas D. Bernhardus huic Petro amicus & familiaris, viveret de nescio quibus decimis, quibus Cistertienses volebant privare Cluniacenses. Non satis pernovi controversiam, nec sanè nostri instituti eam penitus pernosse admodum interest. Fuerat is Abbas Petrus in bona gratia apud Papam, ut ex multis ejus Epistolis apparet: & tamen illi impetraverant, ut Papa Cluniacensibus severiter mandaret, ut in decimis illis cederent Cistertiensibus. In Epistola igitur ad Emericum Cardinalem, & Cancellarium Papæ, queritur graviter, accusatq; Romanistas, quod severa sententia sit contra ordinem suum nec auditum, nec etiam vocatum, incognita causa, nulloq; processus ordine servato, lata. In Epistola ad Innocentium Papam, de eadem re scripta, queritur adeò, auctum esse numerum Monachorum ac Monasteriorum Cistertiensium passim, quin etiam in vicinis locis circa eorum Monasterium, idque contra Canones, ut si ipsi de suis decimis eos alere ac sustentare debeant, necesse sit vel minue-

Adversus Monachos.

minuere suorum numerum, vel etiam penitus cedere. At Deus bone, quantum ab eo tempore mundus istis fucorum alvearibus, accedentibus Franciscanis & Dominicanis, Augustinianis & Marianis, aggravatus est? In eadem Epistola inquit ad Papam: *Si aliter res processerit, quod salva patris gratia dico, aut sua mecum Ecclesia retinebit, aut sine me juste hucusque possessis carebit.* Unde potes pie Lector animadvertere, quàm acriter illi sanctissimi Patres, mundi desertores, paupertatisque voluntariæ Possessores, de hujus mundi opibus sint digladiati.

In Epistola ad Clarevallensem Bernardum, ac alios, graviter cum eis de eadem re expostulat. Dicit, inimicum hominem illa zizania in eos sevisse. Exclamat etiam hisce verbis: *Quis credat, semel mundo mortuos, ei iterum vivere velle? Quis credat, sanctum Collegium vestrum, luxum & seculi delicias pro Christo sprevisse, & nunc pro egestate sordibus, ac miseriis litigare?* Et paulò post: *Nam ut quod verum est, fratribus & amicis fatear, hoc uno verbo, veluti jaculo, amicorum pariter & æmulorum pectora terebrastis; & Episcopos, Clericos, Abbates, Monachos ipsos, ad quos etiam pervenire potuit, laicos, adversus vos unanimiter concitastis. Nec potuit satanas nequitiæ suæ utilius invenire consilium, &c.*

De rebus adiaphoris. In quadam admodum prolixa Epistola ad S. Bernardum, hortans eum, ut adjuvet concordiam inter Cistercienses & Cluniacenses Monachos, ostendit, non debere esse inter eos Ordines dissidium, propter rituum aut vestis diversitatem, quia illa sint libera, & citat ex Benedictina regula admodum bonas sententias, quarum prima hæc est: *Sic* (inquit regula) *Abbas omnia temperet atque disponat, ut animæ salventur; & quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant.* Qui canon indicat, omnes ritus ac cæremonias, observationesve Monachorum, ubique ad timorem Dei & charitatem attemperandos esse. Quare exponens iste Abbas prædictam sententiam sic concludit: *Monachus ergo patris Benedicti regulam profitens, tunc eam verè servat, quando in servatis vel mutatis quibuslibet ejus capitulis, charitatis legem ubique conservat.*

De *libertate* quoque *vestium* hunc canonem ex regula profert: *Regula præcipit, ut de vestium colore ac grossitudine non causentur Monachi; sed illius coloris aut qualitatis vestibus utantur, quæ in provincia, in qua habitant, vel facilius inveniri, vel levius comparari possunt.* Quæ regula clarissimam libertatem vestitus indicat. At nunc Monachi, adeò statuunt necessarium sibi ad salutem sui generis cucullam esse, ut si vel dormirent sine ea, iratum se habituros Franciscum statuerent. Quare semper pectori parvum cucullum alligant. Testatur item, summam fuisse varietatem cæremoniarum in Ecclesiis suo tempore. Sic enim inquit: *Si lex Christi, id est, charitas, ab omnibus diversos usus sequentibus relinquenda est, nusquam planè ultra quærenda est. Nusquam enim inveniri poterit, postquam ab omnibus morem diversum sequentibus exclusa fuerit. Nonne charissimi, totus orbis terrarum Christi Ecclesiis jam ab antiquo refertus est? cumq; omnem penè numerum excedat multiplicitas Ecclesiarum,*

rum, sub una fide & eadem charitate Deo famulantium, tanta penè apud eos invenitur varietas usuum, quanta infinitas est locorum. Hoc in cantibus, hoc in lectionibus, hoc in omnibus Ecclesiasticis officiis, hoc in vestitu vario, hoc præter autentica quæ mutari non possunt jejunia, in jejuniis diversis: hoc in universis similibus, quæ pro temporum, locorũ, gentium, regionum varietatibus à Prælatis Ecclesiarum, quibus secundum Apostolum, quantum ad talia pertinet, in suo sensu licet abundare, instituta sunt. Relinquent ergo omnes istæ Ecclesiæ charitatem, quia mutaverunt consuetudinẽ: cessabunt esse Christiani, quia videntur in diversis usibus varii. Peribit ab his summũ pacis bonũ, quia unusquisq; modo vario operatur bonum. Non ita sensit vita & verbo Doctor Ecclesiæ Ambrosius, qui de jejunio sabbati scribens, quod Romæ servari viderat, & Mediolani Episcopus factus servari non invenerat, ait: Quando Romæ sum, jejunium à Romana Ecclesia servatum custodio: quando Mediolani, morem ejusdem Ecclesiæ sequens non jejuno.

In alia Epistola ad Papam Eugenium sic scribit: Non pertinet quidem, quod dicturus sum, ad proprium negocium; sed quoniam alienum est, quod vestrum quolibet modo est. Est autem vestrum, totius Ecclesiæ Dei in hac valle lachrymarum peregrinantis causas audire, auditas discutere, discussas judicio Apostolico diffinire. Et licet persona vestra constituta sit super gentes & regna, ut evellat & destruat, & disperdat & dissipet, & ædificet & plantet: tamen quia nec Deus, nec Ierem. Propheta, cui hoc dictum est, estis, potestis falli: potestis ab his, qui ea quæ non Iesu Christi, sed quæ sua sunt, quærũnt, decipi. Hoc ne fieri possit, oportet ut fidelis si quis fuerit filius, quæ sibi nota, vobis fortè ignota sunt, patri fideliter pandat: & ne hi de quibus legitur, Venenum aspidum sub labiis eorum, syncentatem vestram toxico suo inficere valeant, modo quo potest, præmuniat. Nam non est parvum Dei munus, à talibus liberari. Unde apparet, hunc patrem longissimè ab eorum Papæ adulatorum errore ac mendacio fuisse, qui negant Papam errare posse. In eadem Epistola, commendans Pontifici quosdam Monachos, inquit: Intellexi, nec me falli putavi cunctorum Latinorum institutis, eorum propositum præferendum, nec esse eos de illis qui liquant culicem & camelum glutiunt: hoc est, qui irritum faciunt mandatum Dei propter traditiones hominum, & decimantes mentam & anetum & ciminum, & (juxta unum Evangelistarum) omne olus, dimittunt quæ sunt graviora legis, judicium, misericordiam & fidem. Non enim præcipuè in cibis, in potibus, in vestibus, in laboribus vel similibus regnum Dei consistere putant, licet hæc discretivè facta multum eidem regno Dei militent: sed in pietate illa de qua ait Apostolus: Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis, promißionem habens vitæ quæ nunc est pariter & futuræ. Ex qubus licet cognoscere, jam tum quosdam Monachos in superstitiosa dierum ciborum, vestium ac gestuum observatione pietatis summam constituisse: sed hunc patrem, aliosq; saniores longissimè ab ea opinione fuisse.

* Eadem VVolfius Cent. 12. Lect. Mem. p. 427, 428. Subjicitque alia testimonia, dogmata fidei concernentia, Goulartius p. 458, 459, 460, 461, 462.

CCXXX. *Episcopus Fluentinus, seu Florentinus.*

CIrca annum Domini 1119. grassante per Italiam armis Paschali II. Papa, & in primis affligente Ecclesiam Ravennatem, quæ nunquam adhuc se prorsus Papis subjicere voluerat, cœpit concionari ac prædicare Fluentinus Episcopus (seu Florentinus, ut Molinæus vult) Antichristum advenisse: ipsum nimirum Papam indicans. Adeò autem Papa id ad se pertinere, seque eo peti sensit, ut ea de causa teste Sabellico & Antonino, eò in propria persona sit profectus, silentiumq; ei imposuerit. Haud dubiè non parum ille Antichristus suo regno timuit: nec levi periculo motus fuit, quod ipsemet eò profectus est.

CCXXXI. *Balduinus, Imp. Constantinop.*

Fastus Pontif. increpatio.

BAlduinus, Constantinopol. Imperator, regnavit circa annum 1205. Cum Papa eum nescio quid objurgasset, sibique in ipsum jus vindicaret, scripsit Innocentio III. meminisse eum debere, quod non Dominus Imperatoris, sed subditus sit, sacrarumque literarum testimoniis probavit, Papam & omnes Clericos politico magistratui obedire, & non dominari debere. Inter alia citavit etiam dictum Petri: Subditi estote omni creaturæ propter Deum, sive Regi, &c. Ei Imperatoris piæ Epistolæ respondit Papa æquè superbo ac indocto scripto, cujus pars aliqua recitatur *c. Solitæ. tit. de obedientia & majoritate*, &c. Eludit enim id dictum ineptissimè, quod non præceptum juris sed consilium humilitatis sit. Sic sacri Papæ luserunt & illuserunt sacris literis, prout eorum impotenti libidini libuit, & immani tyrannidi profuit.

CCXXXII. *Petrus Cantor Parisiensis.*

Corruptela Pontificia.

PEtrus Cantor Parisiensis, à Comestore diversus, vixit circiter ante 350. annos tempore Henrici VI. scripsit prolixum & eruditum librum titulo *Verbum abbreviatum*, in quo taxat non tantum Epicuream vitam Clericorum, & neglectionē officii; sed & multos alios abusus Papæ, ejusq; spiritualium seu sacerdotum. Ioan. de Vesalia in suo libello contra indulgētias, scribit, quod hic Cantor dixerit *indulgentias* esse *pias fraudes*. Aliacus in sua reformatione citat Cantorē hunc, in suo Abbreviato verbo damnantem *pluralitatē beneficiorum*, & *exemptiones*, quod Papa multos Abbates & Prælatos suorum Episcoporum jure ac obedientia temerè eximere soleat. Taxat inter alia graviter multos Missæ abusus, & præsertim ejus nimiā multiplicationem & prophanationē. Accusat vehementer sacerdotes, quod verbi Dei prædicationem omiserint, ac canes muti facti sint. Reprehendit traditionum Papisticarum

ſticarum copiam & impietatem, dicitq; per eas effectum eſſe, ut ſecundum Chriſti dictum, propter hominum mandata, Dei mandatum ſit factum irritum & neglectum. Ait quoque, inſtauratores cæremoniarum velum templi ſemel laceratum reſarcire: id eſt, Iudaiſmum inſtaurare: Precum battologias, & prolixos ululatus ex templis tollendos cenſuit. Objurgat etiam concionatores, quod omiſſa ſana doctrina, ad fabulas, & curioſas ocioſásq; cogitationes ſeſe converterint, easq; prædicent ac doceant. Objicit eis quoq; obſcurationem, eluſionem, & depravationem genuini ſacrarum literarum ſenſus. Dicit rectè de eis illud Scripturæ dici, quod verbum Dei admixta aqua adulterent, & cauponentur. De fide juſtificante non malè ſenſit. Abuſus in Eccleſia ac religione in immenſum excreviſſe, & omnia oppreſſiſſe aſſerit: ut verè poſſit dici, à capite uſque ad plantam pedis ſanitatem in ea non eſſe. Omnino fuit vir pius ac eruditus, multaq; vitia, abuſus, & impietates, in Eccleſia & religione graſſantes taxavit, ſed plura haud dubiè vidit, quæ dicere auſus non eſt, ob metum Romani Antichriſti, ejusq; Phariſæorum ac Pontificum. Tales ſanè ſemper plurimi fuerunt.

* Quædam hic intermiſcuit Goulartius p. 478, 479. VVolfius Cent. 12. Lect. Memor. pag. 401.

CCXXXIII. *VVilhelmus Pariſienſis Epiſcopus.*

WIlhelmus Pariſienſis Epiſcopus, vir eruditionis ac pietatis nomine percelebris, floruit circa 1230. Domini annum. Senſit dum de articulo juſtificationis, tum & de multis aliis religionis partibus, longè melius cæteris ejus temporis Doctoribus. Scripſit libellum unum *de collatione beneficiorum*, in quo primùm docet, qualis debeat eſſe ſacerdos, tum in vita, tum in doctrina. Deinde acerrimè inſectatur ſacerdotes ſui temporis, & Prælatos, qui tales admittant, eisque beneficia conferant. Dicit in eis nihil pietatis ac eruditionis comparere, ſed potius diabolicas turpitudines, omnium ſpurcitiarum ac vitiorum monſtruoſitatem: eorum peccata non ſimpliciter peccata eſſe, ſed peccatorum monſtra terribiliſſima, eos non Eccleſiam, ſed Babylonem, Ægyptum ac Sodomam eſſe: Prælatos non ædificare Eccleſiam, ſed deſtruere, ac Deo illudere: eos cum aliis ſacerdotibus prophanare ac polluere corpus Chriſti: Prælatos omnibus Eccleſiaſticis honoribus membra diaboli & Dei hoſtes honorare, eos in cœlum Eccleſiæ Chriſti Luciferum reſtituere. Ipſius authoris verba recitavi. Tertiò diſputat, eos nequaquam beneficia conferre poſſe. Poſtremò pugnat acerrimè contra eos, qui vel accipiunt vel dant uni plura beneficia: quos multipliciter reprehendit ac damnat. Fit enim non raro apud Papiſtas, ut unus aliquis egregius auceps, aliquot centurias beneficiorum, præbendarum, Canonicatuum, & ſimilium redditum conquirat & congerit. Audivi fuiſſe aliquando, qui ad ſeptingenta ha-

* Extat is liber M. S. in Biblioth. Acad. Giessena.

beret. Circa idem tempus scripsit quidam librum titulo * *Bonum universale, de proprietatibus apum*: qui itidem vehementissimè in eos invehitur, qui plura beneficia habent, aut detinent; ac refert multa tristia exempla subitaneæ mortis talium sacerdotum. Memorabile verò est, quod refert, quendam magnum Canonicum dixisse, cùm audisset suum socium vesperi benè valuisse, & manè inventum mortuum: *Quid multis? secundum usum & consuetudinem Ecclesiæ mortuus est; ut videtis.* Ita apparet, tunc fuisse adeò frequentia exempla repentinæ ac tetræ mortis sacrificulorum & Canonicorum, ut jam diceretur, esse secundum consuetudinem Ecclesiæ mori. Nec multò aliter hodie accidere videmus Antichristi spiritualibus, eorumque parasitis nobilibus ac ignobilibus.

* VVolfius Cent. 13. Lect. Memor. p. 521.

CCXXXIV. *Bernardus VVesterrodi.*

Extant in Cent 14. Lect. Mem. Wolfii p. 657. seqq.

INveniuntur in Bibliothecis Rhythmi quidam, titulo *Planctus Bernardi Westerrodi*, in quibus graviter admodum insectatur malitiam Cleri. Objicit autem eis præcipuè summam vitæ turpitudinem, & officii neglectionem. Monachos dicit mundo ipso mundaniores, & vanitate ipsa vaniores: eos non pietatis, sed opum & deliciarum gratia Monasteria intrare. Prælatos dicit esse meros Pilatos & tyrannos, id est, Persecutores & Oppressores Ecclesiæ. Dicit quoque, gravissimè vexari Ecclesiam Christi à Clericis, ita ut periculum sit, ne intereat. Deniq; ait, *ubique patere idololatriam, & enormes Clericorum abusus.* Opinor hunc esse illum, quem & Tritemius vocat Bernhardum Corbeiensem Monachum. Ita enim facit VVestphaliæ mentionem, ut appareat, eum in ipsa habitasse. Curabo, Deo volente, ut aliquando id scriptum simul cum aliis poëmatibus olim contra Papam scriptis, prodeat. Fortè ante annos 200. & amplius vixit.

* Omisit ultima verba *Curabo* &c. Goulartius p 543.

CCXXXV. *Henricus de Gandavo.*

HEnricus de Gandavo, qui vulgò *Doctor solennis* à sophistis vocatur, floruit ante 300. annos. Sæpe in suo Quodlibeto secundo disserit contra inanes causas dispensationum Paparum de pluribus beneficiis, & similibus. Dicit, Prælatum esse ministrum & subditum legis, non Dominum. Dicit item, mala non ideò fieri bona, quod ea Papa permittat aut jubeat. Citat idem Bernhardum multum de ea sententia disputantem, quod nihil valeant Papæ mandata, aut dispensationes contra Dei mandatum. Item dicentem illa verba: *Bonáne hæc species est? sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ fortè non item. Facitis hoc, quia potestis; sed utrum & debeatis, quæstio est.* Quodlibeto porrò 8. quæst. 27.

disputat

disputat contra abusum honorum Ecclesiasticorum, sed tamen loco Dominorum haberi, cum rectè eis utuntur; cum verò malè, loco prædonum. Fuit sanè hic scriptor talis, qui multos Papistarum abusus ex animo oderit, detestatus sit, atque cupierit eos corrigi ac tolli. Multi omnino tales fuerunt, qui ex animo quidem omnia recta piaque esse in Ecclesia optarint, quique etiam aliqua non parva vitia Religionis ejus viderunt: sed tamen partim educationis longa consuetudine, partim etiam metu victi, non sunt ausi omnia quæ eis displicuerunt, reprehendere.

CCXXXVI. S. Lucas Hungarus.

IN Scholiis Verbi abbreviati Cantoris Parisiensis legi, S. Lucam de Hungaria excommunicasse quendam hominem, ignoro ob quod scelus; qui mox ad Papam Alexandrum Secundum, ut opinor, profectus, facilè pecunia absolutionem emit. Verùm S. Lucam nihil absolutione, authoritate, & minis Papæ, tanquam injustis, motum, secundò & tertiò eundem, quandoquidem sibi non satisfecerat, excommunicasse. Quare offensum Papam, primùm suspendisse illum beatum Lucam (fortè fuit Episcopus) mox etiam excommunicasse. Adeò autem non motum de sua sententia excommunicationibus Papæ Lucam, nec veniam petiisse, ut & mortuus sit in ea excommunicatione; sequuta vero esse non pauca miracula post Lucæ illius mortem, quibus Deus pietatem ac sanctitatem ejus sit testatus. Si hæc Papistarum historiola vera est, discant & inde, sæpe Papæ mandata & excommunicationes sine peccato ac ira Dei contemni posse. Cognoscant etiam, quàm parvi hic sanctus vir, aliique plurimi, Antichristi Romani minas, excommunicationes & authoritatem fecerint, eosque imitentur.

* Eadem hinc repetuntur in Centuriis Magdenburg. Cent. XI. cap. 7. col. 389. Goulartius hæc retulit sub nomine *Petrus Cantor* p. 479. mutatis verbis.

CCXXXVII. Gilbertus Monachus.

JOh. Huss. in Sermone, *Vos perhibetis testimonium*, citat quendam Doctorem Gilbertum (opinor eum, qui fuit Monachus Cistertiensis, & ante 260. annos vixit) dicentem, factum esse in Clero *abominabile monstrum super terram*; *quia sit gradus summus, animus infimus; sedes prima, vita ima, lingua magniloqua manus ociosa; sermo multus, fructus nullus; vultus gravis, actus levis; ingens authoritas, nutans stabilitas; speculator cæcus, præco mutus; pugil mancus, præcursor lentus; medicus morbi ignarus.* Quibus nominum antithesibus ille bonus vir, quicunque fuit, satis aptè perversissimum Cleri statum, afflictamq; Dei Ecclesiam depinxit, in qua sacrifici & Prælati nihil minus essent, quàm videri volebant, aut etiam esse debebant. *Censor Cleri Pontificii*

* Subjicit Goulartius: *Imitatus est Bernhardum cujus verba ex libro 2. de Considerat. ad Eugenium antea allata descripsisse videtur*; pag. 678. Verba autem illa attulit sub tit. *Bernh.* p. 453.

CCXXXVIII. Fabulæ.

VEtus quoddam exemplar Fabularum Æſopi ac ſimilium, cum pulchris pictu- ris, extat in Bibliotheca Fuldenſi & aliis. Multæ ibi ſunt picturæ, Prælatos Pa- piſticos egregiè taxantes. Sæpe ibi videre eſt lupos cucullatos, concionantes. Inter alias una eſt, ubi lupus monachali cuculla indutus, raſoq; vertice concionatur ovi- bus circumſtantibus. Eſt autem interpretatio adjuncta hiſce verbis: *Lupus cuculla- tus hypocrita eſt.* Vnde in Evangelio: *Attendite à falſis Prophetis.* Prima omnium Fabula habet lupum cucullatum, & baculo ſubnixum, ac concionantem anſeribus, & dicenrem· *Teſtis eſt mihi Deus, quàm cupiam vos omnes in viſceribus meis.* Alia eſt de catto infulato, & manu tenente Epiſcopalem ſcipionem, ac prædicante mu- ribus, ut eos convertat. Cui ſorex maximus natu reſpondet hiſce verbis: *Charius eſt mihi ut moriar paganus, quàm ſub veſtra manu fiam Chriſtianus:* atque omnes mu- res aufugiunt. Voluit fortè is, quicunque demum olim illas picturas fecit, indica- re, Phariſæos, hypocritas, Antichriſti circuire mare ac aridam (ut Chriſtus inquit) quò unum proſelytum acquirant, quem tamen poſtea duplo magis gehennæ reum faciant, quàm fuit antè. Indicavit item, eos eſſe meros lupos, ſeductores & devo- ratores gregis Domini. Vicelius in quodam ſuo ſcripto illarum Fabularum men- tionem facit, easque Lutheraniſſimas vocat. Fortè ſunt ante 200. aut 300. annos primùm ſcriptæ.

* Goulartius hæc attulit ſub titulo, *Pictura lapidea*, pag 644. auxitque Monumentis iis, quæ Argentinæ in ſummo Templo viſuntur. Seorſim poſuit Wolfius Cent. 13. ad Anno 1300. p 584.

CCXXXIX. Guielm. Durandus, Mimatenſis.

DVrandus, omnis divini humanique juris conſultiſſimus, natione Vaſco Gal- lus, Epiſcopus Mimatenſis, & auditor Rotæ Romæ (ubi & ſepultus eſt) flo- ruit circa 1300. Domini annum. Scripſit *Speculum juris*, unde *Speculator* eſt dictus: item *Rationale divinorum*, admodum prolixum. Scripſit & *de Concilio celebrando*, idque authoritate & juſſu Clementis V. Concilium Viennenſe celebraturi. Edi- tum eſt id ſcriptum Pariſiis, anno Domini 1545. Titulum ei præpoſuerunt. *De modo celebrandi Concilii generalis.* Verùm non de modo, ſed de rebus in Concilio deli- berandis, in eo opere agitur. Multa profectò utilia author monuit, & præcipuè de reformatione Papæ & Cleri; nam ſtatim initiò ita queritur, de corruptiſſimis eo- rum moribus: *Secuti ſunt viam Balaam ex Bezor, qui mercedem iniquitatis amavit, correctionem verò habuit ſuæ veſaniæ; nam ſubjugale mutum, quod hominis voce locu- tum eſt, Prophetæ inſipientiam probavit. Quod etiam hodie accidit, cum tam ſtulta & diſſoluta perpetrentur in Eccleſia Dei à dictis perſonis Eccleſiaſticis, quæ deberent eſſe*

lumen aliorum, & lucernæ super candelabrum posita, juxta id quod Dominus ait, sensus hebetant Judæorum, & etiam paganorum. Et etiam illi, qui ratione divinæ agnitionis omnimodo carent, istorum detestantur insaniam, & eorum distorta & Deo contraria itinera sanius sapiendo redarguunt. Ex quo secundum eum docti ab indoctis, Clerici à Laicis necessariò redarguuntur, ut ibidem & August. ait: Qui nec regiminis inserationem habuit, nec sua delicta detersit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus *dicendus est magis quàm* Episcopus. 2. quæstione 7. nec regiminis.

Titulo secundo, compendio docet, quomodo Reges & Papæ Ecclesiam reformare commodissimè possent: nempe si veteres leges sacrarum literarum, Conciliorum & Cæsarum servarent, novasque in contrarium institutas dist. & abusus tollerent. Item, si suam ipsi vitam primùm corrigerent. Sed adscribam ejus verba: *Si itaq; duo, à quibus regitur humanum genus, sicut à ministris Dei, videlicet Ecclesiastica autoritate, & Regali potestate (sicut Gelasius Papa scribit Anastasio Imperatori, 96. dist. Duo sunt.) vellent intendere ad dictam reformationem, & salubre regimen humani generis, haberent viam amplecti prædictam, ut videlicet seipsos & humanum genus regerent, secundum quod in lege, & in Evangelio, & in Conciliis Spiritus Sancti instinctu probatis, ut 16. dist. Habeo. & in aliis humanis & comprobatis legibus & juribus continetur: & quicquid per alios invenitur in regimine mundi in contrarium attentatum, corrigeretur & reformaretur, prout melius posset: & provideretur, ne in contrarium impunè attentaretur, & quòd hujus vitæ novitas non negligeret, quæ ab antiquitate fuerunt hactenus consulta, & providè constituta, sicut ait lex illa canonizata,* 2. quæst. 6. anteriorum. §. illud. *Et insuper, quòd omnes usus, seu verius abusus, consuetudines, quæ censendæ sunt corruptelæ, dispensationes, privilegia, libertates, & exemptiones, contrarietates, & contrariantia suprà dictis divinis & humanis legibus approbatis, & generalicus tollerentur. Quòd autem S.D. Papa & Reges debeant servare præmissa in lege & in Evangelio, Conciliis & juribus approbatis contenta, de facili potest ostendi.*

Ecclesia quomodo reformanda.

Titulo tertio disputat, limitandam & restringendam esse superiorum, etiam Papæ potestatem, ne sibi nimium licentiæ sumant. Inter alia enim sic inquit: *Quæ pauca sufficiant ad probandum, quòd si supradictæ potestates, scilicet Ecclesiastica & terrena, velint mundum & genus humanum salubriter gubernare, quod se & sua facta & dicta deberent divinis & humanis legibus conformare, & se per imitationem eis subjicere, & exempla eorum quæ agenda sunt, sequentibus & subditis demonstrare: & non ut præsint, nec ut ipsi vel sui divites efficiantur, Rempublicam gubernare. Aliter enim, secundum dictum Leonis Papæ: si quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, facilè à legibus & doctrinis suprà positis disceditur, & dominari magis quàm consulere subditis placet, honor inflat in superbiam: & quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam.*

Licentia Pontif. coercenda.

Quarto titulo vult *dispensationes* cohiberi. Quinto, multis & firmis rationibus damnat *exemptiones*, quas vocant, ac vult omnes penitus revocari: omnesque Prælatos,

latos, Abbates & Abbatiſſas; prius Epiſcoporum ſuorum jure à Papis liberatos, denuò ſuis ordinariis ſubjici, eſtque hic titulus valde notatu dignus.

S. Scripturæ autoritas. IN PRÆFATIONE ſecundæ partis, diligenter diſputat, ac firmiter probat, veritatem potius ſacrarum literarum, quàm ullas conſuetudines quantumvis longas, ſequendas eſſe. Queritur item ibidem, jam primitivam Eccleſiæ formam fermè abolitam eſſe, verba ejus hæc ſunt: *Sanè cum Alexandro Papa recolentes, quomodo hæc ſancta plantatio Eccleſiæ Dei fuerit inſtituta, dolentes dicere poſſumus cum eodem, quòd etſi non ab omnibus, neq; in omnibus & pleriſq;, tamen & in pluribus ab illa ſancta inſtitutione primitivæ Eccleſiæ ſanctorum Patrum, Conciliorum & Decretorum, Rom. Pontificum in tantum videtur eſſe declinatum, ut aliqui ex nobis primæ inſtitutionis videantur obliti.* Ext. de Statu monaſt. recolentes. *Unde Bernh. contra perſonas Eccleſiaſticas ſpecialiter invehens ait: Chriſtus docuit verbis & exemplis, eligendum quod carni eſt moleſtum,* &c. *Reſidentiæ.* In primo & ſecundo titulo ejuſdem partis, diſputat ex Canonibus, quòd Epiſcopus non deberet facilè ex ſuo Epiſcopatu in alium tranſire, nec etiam liceat plura beneficia in unum congerere. *Primatus affectatio.* Titulo ſeptimo diſſerit, quod Papa non deberet facilè pati cauſas ex provinciis in curiam transferri, nec quenquam eò ſine graviſſimis cauſis citare. Item quod non deberet juriſdictione Epiſcopum perturbare, nec beneficia in aliis regionibus exiſtentia à curia cuiquam conferri deberent, de qua re ejus verba hæc ſunt: *Videtur, ſecundum dictum Gregor. Eccleſiaſticus ordo confundi; quia Eccleſiaſtica beneficia, ad ipſorum Epiſcoporum collationem & proviſionem pertinentia, per ſedem Apoſtolicam & per alios conferuntur, etiam antequam vacent, non ſolum in Curia Romana, ſed extra.* Sed ſub finem concludit hiſce verbis: *Proverbium vulgare eſt. Qui vult totum, perdit totum. Eccleſia Romana ſibi vendicat univerſa.*

Titulo undecimo, recitat *formam Concilii* ex Iſidoro, quam dicit valde vetuſtam eſſe, in eaque etiam laicos in Concilium intromittit.

Titulo 13. dicit utile videri, conſtitui, ut nec juvenes, nec virgines ante 25. annum conſecrentur.

Titulo 15. diligenter diſputat, Eccleſias peregrinis commendandas non eſſe, & concludit hiſce verbis: Hoc autem non ſervatur à Romana curia, & presbyteris Prælatis, qui curas animarum & Prælationis committunt talibus qui nec ſubditos intelligunt, nec intelliguntur ab eis.

Titulo 18. diſſerit, indignos non eſſe promovendos: & monet Papam ac Concilium, ut cogitent, ſubverti ea ratione totam Eccleſiam, quod indigni ac Eccleſiaſtica munia promoveantur, cæcique duces cæcum gregem unà ſecum in æterni exitii foveam trahant.

Titulo 20. monet, ut Simonia Romanæ curiæ reprimatur: quam ibi perinde regnare dicit, ac ſi nullum peccatum eſſet.

Beneficiorũ pluralitas. Titulo 21. probat multipliciter, non eſſe amplius ferendum, ut ita multa beneficia

neficia in paucos congerantur, ficut jam in Curia Romana fiat. Sed adfcribemus inde aliqua ejus verba: *Et in dicta Synodo expreſſe dicatur, quòd nullus poſſit eſſe* Canonicus præbendatus, *niſi in* una Ecclefia; *Et cum contrarium fiat in Eccleſia Dei, quia uni perſonæ prabendæ multæ & beneficia multa, & multæ dignitates & perſonatus cumulantur; potiſſimè ſi de praeſſentium Eccleſiæ* Dei *parentela exiſtant, & ex hoc pariatur generale prajudicium univerſali Eccleſiæ, quæ debitis officiis & obſequiis, Rectoribus adminiſtratoribus & defenſoribus defraudatur, eleemoſynæ ſubrahuntur, perſonæ Eccleſiaſticæ ſic ditatæ in ſuperbiam efferuntur. Et ſecundum quod dicitur Pro 1. Cap. Eorum proſperitas perdit eos,* &c. Et paulo poft: *Quare videretur utile Eccleſiæ ſanctæ Dei, ut ordinatio Bonifacii ſuper hoc facta in dicta decretali,* Cum fingula, *quantum ad regulares, extenderetur ad Clericos ſeculares, & ad Dominos Cardinales, qui in grave animarum ipſorum periculum, & univerſalis Eccleſiæ diſpendium, multa millia florenorum librarum & marcarum ſibi & ſuis peſtifera adinventione, ſuper Eccleſias etiam parochiales & curatas faciunt cumulari, & Eccleſias etiam cathedrales & ultramarinas ſub diverſis coloribus commendari, & certas ſibi ſolvi ab illis qui eorum promoventur auxilio penſiones, quæ nunquam in Romana Eccleſia moriuntur, ſed ab uno Cardinali in alium, vel in ejus vel Domini Papæ propinquum vel nepotem deriventur. Ex quibus ſequitur (cum ſibi vendicent univerſa) quòd infœlix Clericus, qui de prædictis beneficiis ſuſtentari debuerat, mendicat in plateis, & ſervili operi mancipatus publicam depoſcit eleemoſynam.*

Titulo 29. monet, ut caveatur in Concilio, ne tam temerè Prælati fua aut præcefforum Decreta aut promiffa irrita faciant, ficut alioqui folere præfertim Romanos hifce verbis affirmat: *Hoc videtur honorabile & utile obſervari, ne paulatim* gravitas Ecclefiaftica *deperire videatur, maximè* in Ecclefia Romana, *in qua viſum eſt, quò Dominus Papa revocabat aliquando non ſolum gratias, & alia conceſſa prædeceſſoribus ſuis, verùm etiam facta & conceſſa à ſeipſo contra gravitatem, authoritatem & honeſtatem Eccleſiaſticam & juridicam.* Verùm ufitata eft etiam hodie hæc ratio Papis, ut benefiica aliquanto prius conceffa revocent, quo bis aut ter eandem rem vendere poffint; ficut prolixè Theodoricus Niemus de fui temporis Papis fcribit. *Conſtitutionum mutatio.*

Titulo 23. difputat, quærenda effe remedia, ne tam temerè Prælati & Epifcopi infamentur, & ad Curiam Romanam trahantur. *Appellationes.*

Titulo 31. difputat, providendum effe, ne tam temerè omnes lites ex provinciis trahantur, nevè ita in longum trahantur, & quafi immortales fiant, ut plerumq; accidit.

Titulo 32. dicit, Sacerdotes non fervare ea quæ in Canonibus de eorum vita & honeftate funt mandata. Citat etiam ex Chryfoftomo dicente, Sacerdotes & Pontifices noftri omnem juftitiam populo mandant, & ipfi nec modicum fervant, &c. *Sacerdotũ flagitia.*

Titulo 34. citat multa ex Epiſtolis Gregorii, quomodo ille noluerit ſe vel quenquam alium Vniverſalem Epiſcopum vocari. Probat item prolixè ex multis veterum Paparum Epiſtolis, eos ſolitos alios Epiſcopos ſibi præferre. Quare monet ex Gregorio, *ne nimium Papæ ſubjecti ſimus*: ne eorum vitia venari compellamur; & tandem concludit id caput hiſce verbis: Ex quibus omnibus videretur modus aſſumendus, quòd ſic Romana in ſcribendo honoretur Eccleſia, & quòd aliis honor debitus nullus negaretur.

Primatus.

Epiſcoporũ luxus.

Trigeſimo octavo titulo diſſerit, Epiſcoporum luxum modis omnibus cohibendum eſſe, eosque ad antiquam frugalitatem compellendos. Monet ibidem, omnium redditũum Eccleſiaſticorum, ſive ſecularium ſive regularium, decimam partem eſſe pauperibus ſcholaſticis decidendam, ut docti homines haberi queant. Item, ut pauperibus etiam ex ſuis redditibus proſpiciant. Monet quoque prohibendum eſſe, ne tam temerè excommunicationes fiant, & contrarium curiæ Romanæ abuſum taxat hiſce verbis: Nullus Sacerdotum quenquam hominem rectæ fidei pro parvis & levibus cauſis excommunicare habeat, ſicut in Concil. Agathen. c. 3. & in Concil. Alvemen. *11. q. 3. Epiſcopi, & c. nullus Sacerdotum.* Quod minimè obſervatur in Romana Eccleſia, in qua, & à cujus delegatis, contra Prælatos & alios *pro minimo ſententiæ fulminantur*, contra decretalem illam Alexand. IV.

Clericorum diſcurſitationes.

Titulo 52. docet, non permittendum eſſe, ut temerè Clerici evagentur ſine permiſſione Epiſcoporum. Sed adſcribamus totum eum titulum, cum admodum brevis & utilis ſit. Item in 25. c. prædicti Concil. Agathen. fuit conſtitutum, quòd Clericis ſine commendatitiis Epiſcoporum ſuorum literis licen. non pateat evagandi licentia. & hoc idem ſit conforme aliis Concil. & juribus, 71. 72. & 73. diſt. & ext. de Cler. peregrinis. Et dicta jura & ſimilia non ſervantur, ex quo multæ inſolentiæ committuntur, plurima ſcandala in clero & populo eveniunt, & pericula animarum: videretur ſuper hoc providendum, cum videantur omnes perſonæ Eccleſiaſticæ evagari, ſicut oves non habentes Paſtorem.

Titulo 41. ejuſdem Patris, dicit, revocandum eſſe Canonem Milevitanum, ut cauſæ finiantur in ſuis provinciis.

Titulo 45. diputat, non temerè dandam eſſe impunitatem ſontibus ad templa confugientibus, ſed inde extrahendos eſſe.

Conjugium Sacerdotũ.

46. Monet, videri utile, ut in Concilio *matrimonium Sacerdotibus concedatur, cum planè fruſtra & incaſſum hactenus ſint ad caſtitatem coacti*: cumque Græci Sacerdotes jus matrimonii habeant, idque etiam *Apoſtolorum tempore* in uſu fuerit.

Titulo 49. diſputat, id modis omnibus agendum, ut literatis potiùs quàm indoctis Eccleſiaſtica ſtipendia dentur.

Titulo 50. oſtendit, non eſſe permittendum, ut Clerici à ſuis Eccleſiis abſint, & ſequenti docet, non eſſe ferendum, ut venationi vacent.

Titulo

Titulo 53. agit *de cohibenda Monachorum peccandi licentia.* Ostendit eos cogendos esse ad laborem manuum, dicitque in Ægypto eum morem fuisse, ut nullum planè Monachum reciperent, qui aliquam artem non nosset, aut alioqui manibus operari nollet. Item probat ex veteribus Conciliis, nullo modo esse ferendum, ut Sacramenta Laicis administrent, atque ita Pastorum officium invadant. Inquit enim, secundum Eugenium Papam, absque nephandissimo ausu pro aliquo lucro terreno de monasterio eis exire non licet, neque pœnitentias dare, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neque ad secularem Ecclesiam transire, neque aliis quibuscunque officiolis sese implicare: cum claustro suo debeat esse contentus, cũ sicut piscis sine aqua, sic Monachus sine Monasterio, &c. Sed adscribam quædam præterea ejus verba: Item cum in prædicto 38. dicti Concilii Agath. fuerit constitutum, quòd prædictis Monachis sine commendatitiis Episcoporum literis, licentia non pateat evagandi, & si contrarium fecerint, & post verborum increpationem se non emendaverint, quod verberibus castigentur. Et hoc principaliter non servatur, quia contra regularem eorum ordinis disciplinam præ cæteris evagentur, & multi eorum ubique ponant dissensionem, brigam & scandalum, contra conditionis eorum statum & officium: cum deberent habere simplicitatem columbæ, ne cuiquam machinentur dolos. *Monachorũ reformatio.*

Titulo 54. dicit, Episcopos, cum maximè in suis Ecclesiis esse deberent, solere in Curia Romana, aut in aliorum Principum aula esse.

Titulo 57. *abusum imaginum* taxat.

Titulo 60. queritur, Decreta *de Simonia* non servari: eoque *id scelus impunè in Curia Romana & alibi* apud Prælatos *patrari.* Quare monet, ut in Concilio cohibeatur.

Titulo 61. queritur, in Curia Romana facilè absolvi eos, qui adversariis Christiani nominis arma adferunt: idque porrò corrigendum esset censet.

Titulo 66. queritur, *Episcop. & alios Prælatos non visitare Ecclesias, ac reformare Ecclesias*: & tamen interea procurationes accipere earumque jura accidere. Quod modis omnibus impediendum esse ac prohibendum putat.

67. Docet, prohibendum ne in judiciis Ecclesiæ munera accipiantur: utque ex æquo ii qui donant, aut non donant, audiantur.

Parte tertia, titulo primo, differit, quòd si Ecclesia rectè reformanda sit, *à capite* incipere oporteat. Sic enim statim initiò inquit: Sanè quantum reformationem universalis Ecclesiæ, utiliter & perseverabiliter ac efficaciter faciendum videtur, quòd à capite ratio sit edenda, videlicet à sacrosancta Romana Ecclesia, quæ caput est omnium. *Ecclesiæ reformatio.*

Titulo quarto ejusdem partis, queritur Religionem Christianam derideri ob inscitiam ac ruditatem sacrificorum: eoque videndum, ut posthac studeant.

Reformatio Curiæ Rom. Titulo decimoquinto oſtendit, rapacitatem & ſordes miniſtrorum *Curiæ Romanæ* corrigendas & cohibendas eſſe. Sed adſcribam integrum illud caput, quod & breve & utile eſt: Item cum in univerſali Eccleſia Quæſtores multos errores diſſeminent: multosque ſeducant ſimplices, & multas abuſiones procurent, & vitam gerant enormiter diſſolutam, in tantum quod patent riſui, poteſtasq; clavium Eccleſiæ contemnitur, cum pro uno obulo vel nihilo indulgentia concedatur, nec proficiat proviſio Concilii Lateranen. *de pœniten. & remiſſio.* cum ex eo propter eorum importunitatem, & propter pecunias, quas effundunt in curiis Epiſcoporum, à quibus literas obtinent queſtuoſas ac indulgentiarum, & de audientia ab Eccleſiarum Rectoribus, curatis populis ſub magna pœna paranda eiſdem, & ex hoc divina officia perturbentur, ſermones & prædicationes impediantur, & populi extra voluntatem propriam retineantur in Eccleſiis, contemnantque impoſitas pœnitentias ab eorum curatis & confeſſoribus adimplere, putantes *ſe abſolvi propter dictas indulgentias ab eiſdem, & propter facilitatem veniæ pro obulo obtinendæ & pecunia redimendæ*, delinquere non formidant: *11. q. 3. pauper. de ſent. excomm. ut fame. l. di. ſi lapſis.* videretur ſuper hoc de competenti remedio ceſſarent providendum, & inſuper quòd quæſtus curſorum & nunciorum Romanæ Curiæ.

Decimoſexto Titulo, agit de reformatione Monachorum mendicantium: ac docet, cogendos eſſe ad opera manuum, ſicut & ſuprà de Monachis dixerat. Item dicit prohibendum, ne quiſquam invitis parentibus ad monaſteria convolet: quod & in Gangrenſi Concilio ſtatutum eſſe affirmat. Quæritur item, quòd *neglectis ſacris literis, iſti iidem Monachi hominum figmentis vacent, ac ea concionentur*; quod omnino prohibendum eſſe oſtendit.

Titulo 28. diſſerit de validis mendicantibus quos prohibendos eſſe putat. Sequenti docet, pauperibus & hoſpitalibus proſpiciendum eſſe ex bonis Eccleſiaſticis: quoniam Prælati eorum redditus ad ſe rapuerunt.

Abbates. Titulo 23. dicit, Abbates ſeſe multipliciter à ſuorum Epiſcoporum obedientia eximere, quod eis permittendum non ſit. Sed adſcribam aliqua verba inde: Contra Superiores & Monachis & ſubditis eorundem, & quòd clauſtralibus, & aliis refectoribus comedentibus congrua proviſio fiat: quòd Epiſcopi debeant eſſe ſubjecti, & de jure ſint, ſicut probatum eſt plenè ſuprà in prima parte, in ultimo Titulo, in quo de exemptionibus tractatum eſt. Delinquunt autem & excedunt dicti Abbates quibuſcunque ingeniis poſſunt, ſe ab obedientia & ſubjectione Epiſcoporum & Archiepiſcoporum, & Epiſcopalia jura non ſolvendo, & etiam uſurpant multipliciter præſumendo contra illud c. accedentibus de exceſ. Prælat. cum tamen ſubjaceant correctioni Epiſcoporum, 18.q.2. Abbates. & c. Abbatibus, &c. ſi quis. Item quia confeſſiones audiunt, & pœnitentias injungunt illis qui eis confiteri volunt, quod facere non poſſunt.

Titulo

Titulo 27. agit iterum *de desperata Ecclesiæ Romanæ reformatione*, de qua re tres primos ejus tituli paragraphos adſcribam: Sanè quantum ad reformationem Romanæ Ecclesiæ videretur, quod ipſa Romana Ecclesia, quæ non debet habere maculam, neque rugam, & quæ mater eſt fidei, & magiſtra debet eſſe univerſalis Ecclesiæ, & ad quam omnis ſanctæ religionis relatio debet referri, & ab ea normam recipere, exhiberet ſe regulam & ſcholam virtutum, ut benè vivendo normam aliis benè vivendi & rectè per ſemitas juſtitiæ ſeipſam duceret, nec aliquando aborſum traheret: & ſic correctione in ſe ipſa præhabita in Dei & proximis dilectione, vera humilitate, vitæ honeſtate, morum gravitate, divini cultus ſedulitate, victus & veſtitus parcitate fundata: ornamentorum, apparatuum, & familiarum & pomparum elativa ſuperfluitate reſtricta, ſcientiæ profunditate dotata, trabeque de oculo ſuo ejecta, quod diſtortum eſt, pravumque reperiret in ſubjectis & inferioribus corrigeret, & etiam reformaret Chriſti exemplo, qui prius cœpit facere quàm docere. Item quod legem ſibi ipſi imponeret, ne tranſgrederetur contenta in divinis & humanis legibus approbatis, quibus genus debet per eam & authoritate Imperiali & Regali gubernari humanum: ſed ea uſque ad ſanguinem obſervari mandaret, nec in contrarium diſpenſaret, nec Privilegia, nec indulgentias, nec exemptiones concederet, & conceſſa in contrarium revocaret: *Nec Dominus Papa ſine conſilio fratrum* aliquid agitaret notabile, nec revocaret à prædeceſſoribus ſuis rationabiliter conſtituta vel conceſſa, nec venire permitteret contra Eccleſiaſticam libertatem. Item cum *Epiſcopi ſint in locum Apoſtolorum, qui parem cum Petro honorem & poteſtatem acceperunt à Deo*, quod non leguntur feciſſe Curiales, non Epiſcopi, quod eiſdem Epiſcopis, Archiepiſcopis, Metropolitanis, Primatibus & Patriarchis, Abbatibus, & aliis honorem debitum in ſcripturis, poſſeſſibus, ſedibus intra & extra Ecclesiam & aliis verbis & factis impenderet: & conſuetudines Romanæ curiæ & alias contrarias revocaret, cum honor ſit Ecclesiæ ſupradictæ, & dehonoretur ex contrario, prout Gregorius atteſtatur, & inde tota Ecclesia vilipendatur, & quaſi contemptui habeatur.

Papatus Reformatio deplorata.

Paritas Petri & Apoſtolorum.

In ſequentibus paragraphis oſtendit, *curiam Romanam non debere aliarum Eccleſiarum jurisdictionem impedire*; quod non deberet indignis tradere functiones: quod caveret omnem ſpeciem ſimoniæ: quod non deberet Papa uni plura officia ac præbendas commendare, ne cauſæ in longum producantur: quod miſerabilibus perſonis jus gratis dici deberet: quod nulla jura generalia Papa *amplius ſuo arbitrio* condere deberet, ſed tantum *de conſenſu Concilii.* Item quod ſingulis decenniis generalia Concilia celebrari deberent: quod nulli cognati Romani Pontificis promoveri deberent: quod in pœnitentiaria Papæ non temerè abſolverentur. Vult etiam eodem titulo, ut *primatus Papæ cohibeatur*; ſic enim inquit: *Item quod primatus dictæ Romanæ Eccleſiæ declararetur & diſtingueretur per jura Eccleſiaſtica & ſecularia, nec Dominus Papa vocaretur univerſalis Eccleſiæ Pontifex, cum*

Primatus Pont. Rom. cohibendus.

hoc prohibeat Greg. & contra aliquem indignitate constitutum non audiret aliquam querelam, nisi conditione, & zelo querelantis examinatis; nec aliquem personaliter citaret ad Curiam, nisi prius summaria contra ipsum inquisitione præmissa.

Prælatorum reformatio. Vigesimooctavo titulo, agit de reformatione Prælatorum, quò multa præcedentia pertinere indicat, & insuper addit, quod deberent crebrò Concilia provincialia celebrare, quod extra suas diœceses non temerè debeant evagari: quod deberent habere œconomos ac gubernatores rerum temporalium, ne ipsos sit necesse ea tractare, & spiritualia negligere. Item quod nequaquam deberent clavibus abuti temerè excommunicando, interdicta & suspensiones ponendo. Item quod deberent apud se habere, & alioqui fovere & alere viros doctos & studiosos. Eodem modo & in sequenti titulo, Clerum reformandum esse monet.

Ecclesiæ reformandæ modus generalis. Titulo 31. differit de generali modo, quo tota Ecclesia reformari possit, ac denuò, sicut & statim initio dicit, eam proculdubio vel optimam, vel solam ejus rei rationem esse, *ut vetustæ leges serventur*, omnesque novitates, Privilegia, *indulgentiæ, exemptiones, & aliæ Romanistarum captiones & artes*, quibus fraudem legibus faciunt, *tollerentur*. Omnium enim malorum causam esse ait, *quod Papa & Romana curia omnium jura ad se trahat, rapiat & evertat.* Hæc enim ejus sunt verba: Novitas nostri temporis sub inquietudine degit, quia dictum gradum & ordinem derelinquunt. Secundum namque August. minus ordinata inquieta sunt, ordinata verò quiescunt. Et ideo, quia antiqua ordinatio de regimine mundi & Ecclesiæ, & *sua cuique jurisdictio à Romana Ecclesia & præsidentibus non servatur*, & ordo Ecclesiasticus confunditur, sicut Gregorius attestatur. Sed ad se, quæ ad minores & medios pertinent, trahere volunt, ut in eis verificetur illud, Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: mundus turbatur universalis, Ecclesia læditur & gravatur, & ordo Ecclesiasticus confunditur, sicut Gregorius attestatur.

Ecclesia Rom. deformis reformanda. Titulo 32. docet, etiam id magnum fore ad reformationem compendium, *si Ecclesia Romana primùm semet reformaret.* Sed apponam ejus verba: *Secundò posset universalis Ecclesia reformari, si Rom. Ecclesia* à septimò, *& gradatim* à Prælatis & aliis *mala exempla tolleret, ex quibus scandalizatur, & quasi inficitur populus universalis, & nomen Domini dominatores populi secundum Esa. ex hoc sinunt blasphemari; nam secundum Augustinum, nihil magis confundit Ecclesiam Dei, vel ei officit, quàm dicere,* Pejores sunt Clerici quàm Laici. *Proh dolor, quia videtur in ipsa Ecclesia verificari dictum Esa. 34. in figuram Babylonicæ civitatis, gloriosæ in regnis, & inclytæ in superbia Chaldæorum, de qua dicitur:* Erit cubile draconum, & pascua strutionum, & occurrent dæmonia, onocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterum. Ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem. Ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos. Illic cogregati sunt milui, alter ad alterum.

Titulo

Titulo 33. de avaritia Romanæ curiæ dicit, & multa ejus *rapacitatis exempla* recenſet, adſcribam ejus verba: Sanè quod reproba exempla ambitionis, cupiditatis & avaritiæ publicæ vocentur & arguantur per fideles, & infideles, in Rom. & etiam in univerſali Eccleſia, evidenter demonſtrant *quæſtus & munera*, quæ pro Eccleſiaſticis beneficiis, dignitatibus & officiis recipiuntur & dantur, in animarum dantium & recipientium detrimentum, *in peccatum ſimoniæ*, quam utriusque pagina teſtamenti deteſtatur, & quæ eſt & reputatur hæreſis. Ad idem pertinent quæſtus, qui fiunt per Legatos & Nuncios & familiares Apoſtolicæ ſedis, & per illos qui in Domini Papæ & Prælatorum ſervitiis commorantur. Ad idem pertinent pallia, ſubjectiones, ſubſidia, procurationes in abſentia, emolumenta ſcripturarum & ſigillorum, quæ exiguntur, recipiuntur & levantur à Prælatis ſuperioribus & inferioribus eorundem: ad idem, *quæſtus indulgentiarum, Privilegiorum, diſpenſationum & exactionum.* Ad idem ſpectant multiplicationes beneficiorum Eccleſiaſticorum, & penſionum, quæ indebitè uni committuntur & conferuntur perſonæ. Ad idem, exemptiones munerum, venditiones jurisdictionum, lucra turpia & inhoneſta negotiationum ſecularium & mercationum, quarum multæ ad ſpeciem uſurariam, quam mercatores Eccleſiaſticarum perſonarum pecunias tenentes exercent dietim, pertinent. Ad idem pertinent eleemoſynarum defraudatio, hoſpitalitatis reſtrictio, munerum Eccleſiaſticarum perſonarum ad cultum divinum deputatarum diminutio, Prælatorum & curatorum in ſolennitatibus & aliis Eccleſiaſticis civitates & loca ſua fugientium evagatio. Ad idem pertinet argumentum ſatis de novo in Rom. curia introductum, de his quæ pro bulla, ſcripturis & aliis quibuſcunque, quæ conſueverunt in ea ab antiquo perſolvi. Super quibus omnibus eſſet de competentibus & contrariis remediis (cum, ſecundum phyſicorum aſſertionem, medicina fiat per contrarium) ſalubriter in hoc ſacro Concilio providendum. Nam in omnem terram, in qua exivit ſonus Apoſtolorum, ſancta Dei Eccleſia, & potiſſimè ſacroſancta Romana infamata eſt, & vulgariter cuncti clamant, & refricant: Quod in ea, &c. omnes à majori uſque ad minorem avaritiæ ſtudent. Ex quo autem in Eccleſiis, ſicut in Romano imperio, crevit avaritia, petit lex de Sacerdotibus, & viſio de Prophetis.

Avaritia & rapacitas Rom. curiæ.

Titulo 34. ejuſdem partis, agit de ſuperbia & faſtu Papæ, & curiæ Romanæ Prælatorum, quem omnino nimium, ac cohibendum eſſe cenſet. Ac inter alia dicit, quod cum Romana Eccleſia omnes alias præ ſe contemnere ac opprimere pergat, mirum non videri, ſi viciſſim ab omnibus contemnatur, & accommodat huc illud Domitii dictum: *Cum ego tibi ſenator nõ ſim, nec tu eris mihi conſul.* Sed adſcribamus pauca ex ejus tituli initio: *Quod perniciosa exempla elationis & ſuperbiæ, manifeſtè tam in* capite *quàm in* membris *in Dei naſcantur Eccleſia, cum probent exceſſus notorii veſtium, ornamentorum, verborum, & factorum, quibus ſtatus Eccleſiaſticus extollitur, ſe quibuslibet præferendo, aliorũ vitam & merita deprimendo & obumbrando,*

Superbia Papæ & Prælatorum.

brando, seipsos commendando, & improbos defendendo, sancta indignis committendo, malos pro bonis, & bonos pro malis approbando, &c.

Titulo 36. agit *de corrigendo luxu, & nimium sumptuosis Prælatorum conviviis.* Adscribemus inde duo ejus brevia dicta: *Quod perniciosa exempla peccati gulæ universus populus Christianus* à Clero recipiat, *in aperto apparet, eum dictus Clerus lautius & splendidius & pluribus ferculis, quàm faciant Reges & Principes Domini, contra honestatem Ecclesiasticam, & clericalem regulam, & doctrinam constitutam à sanctis Patribus, conviventur.* Et paulò post: *Esset itaque super sobrietate & parsimonia servandis in statu Ecclesiastico providendum, cum magna pars Ecclesiasticorum redditùum in excessivis conviviis & comessationibus expendatur. Vnde vertendum est, quod Deus propter hæc & alia, contra Ecclesiam & ejus ministros irascitur, & quod eam permittat deprimi, sicut fecit Iudæos.*

Inscitia Clericorum. In sequentibus titulis, usque ad finem, queritur *de negligentia ac inscitia Clericorum*, proponitque multa remedia, quæ in tanto malo opponi possent ac deberent: præcipuè autem, ut pauperibus Scholasticis provideatur, utque tantùm dignis beneficia dentur. Sed adscribam aliqua pauca ex eis titulis, & primum tit. 43. sic habetur: *Tenent namque aliqui propter favorem, quem in Ecclesia habent, tot beneficia, quod viginti, & aliquando quinquaginta scholares, & ultrà, possent in scholis sustentari de eis. Nec ita successivè beneficiati, plus cæteris pauperibus communiter proficiunt, quin imò frequentius deficiunt, & expendunt in pompis & vanitatibus dies suos, & Ecclesiasticos redditus, cumulatos eisdem. Posset etiam talibus Clericis provideri de beneficiis, quæ divitibus indebitè conferuntur.* Et paulò post tit. 46. *Deprehenditur & notatur in Ecclesia sancta Dei, quia manifestè apparet, quod Ecclesia Romana causas electionum multis viis & remediis ad se trahit, & Ecclesiæ remanent ex hoc longis temporibus viduatæ, gregemq; Dominicum propter defectum pastoris lupus rapax invadit.* Et paulò post tit. 47. *Negligentia etiam circa curam dictarum animarum manifestè apparet; quia per Romanam Ecclesiam absque evidenti necessitate vel utilitate dispensatur cum multis, ut pluralitatem beneficiorum curatorum obtineant. Et quod non teneantur ad tempus valdè longum residentiam facere personalem; & dictam curam habentes, & etiam Prælati absque necessitate & utilitate prædictis, longis temporibus in Romana curia detinentur, & diversis viis ab Ecclesiis, quæ eisdem & eorum curæ commissæ sunt, se absentant.* Item paulò post tit. 50. *Hæc negligentia nimis manifestè apparet* in Clero, tam in capite quàm in membris, *& utinam non verificetur verbum in Clero Esaiæ dicentis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Item paulò post titulo 61. *Destituitur Ecclesia, perditur devotio subditorum, Ecclesiastica jura depereunt; & cum ipsas Ecclesias & Ecclesiasticas personas gravet Romana Ecclesia, & aggravantibus faveat, nervus disrumpitur Ecclesiasticæ disciplinæ: nec oportet exempla super præmissis longè quærere, cum reperiantur de propè quodammodo, & ubique.* Item initio ultimi tituli: *Sanè si ad* distributio-

butionem Ecclesiasticorum proventuum *consideratio habeatur*, *videri potest*, |*quod expenduntur* in superfluos elatos & vanos usus vestium, ornamentorum, familiarium, apparatuum, *& superfluitatem ciborum & potuum*; *vel exinde ditantur, exaltantur, & nobilitantur parentes, & datur carni & sanguini, quod est Christi; ut de cæteris, dantibus, histrionibus, personis utilibus, & lusoribus, principaliter taceamus.*

Hinc facilè Christiane lector perspicis, Ecclesiæ Clericorum, Prælatorum, & in primis Romanæ curiæ|statum jam olim ante 300. & amplius annos, longè corruptissimum & desperatissimum fuisse: cumque accusasse, deplorasse & corrigi optasse, non tam vulgares aliquos homunciones, quàm summos ac doctissimos quosque. Verùm adeò non est emendatus, ut ab eo tempore centuplo deterior sit factus, sive turpiss. eorum mores, sive neglectionem officii, sive doctrinæ ac religionis formam, sive denique intolerabilem planè ipsorum tyrannidem, qua Ecclesiam Dei oppresserunt, rectè perpendas ac examines.

* VVolfius Cent. 13 Lect. Memor. p. 585. ad p. 592.

CCXL. Michael Constantinopolitanus & Leo Atridanus Archiepiscopus.

HI duo Episcopi paulò post millesimum Domini annum vixerunt. Scripserunt quandam Epistolam contra Romanam Ecclesiam, non quidem de maximis ejus vitiis aut erroribus, sed tamen subindicant in fine, se etiam de pluribus ac majoribus rebus scripturos, si ea benignè ac cum studio veritatis accepta fuerit. Verùm adjiciam ipsam eorum Epistolam ad verbum.

Epistola Michaelis Constantinopolitani, & Leonis Atridani Episcoporum adversus Romanam Ecclesiam Græco sermone edita, & Iohanni Tramensi Episcopo in sigillationem omnium Latinorum directa, cum fuisset Trami exhibita fratri Humberto sanctæ Ecclesiæ Sylvæ candidæ, eiusque studio est in latinum translata.

MIchael universalis Patriarcha novæ Romæ, & Leo Archiepiscopus Atridæ Metropolis Bugrarorum dilecto filio fratri Iohanni Tramensi salutem. Dei magna dilectio, & jucunda compassionis viscera flexerunt nos scribere ad tuam sanctitatem, & per te ad universos Principes, & ad ipsum Roman. Pontificem, & memorari de Azymis & sabbatis, quæ infestè & indecenter custoditis, & communicatis Iudæis. Etenim Azyma & sabbata ipsi custodire à Mose jussi sunt. Nunc verò Pascha Christus est, qui ut non juxta legem inveniretur adversa-

rius, ideo & circumcisus est & legale Pascha celebravit primitus. Sic illo discedente nostrum novum operatus est. Sicut in Evangelio secundum Matthæum de mystica cœna loquens, sic quoque incipit: Prima autem die Azymorum accesserunt ad Iesum discipuli dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha. Qui ait: ite in civitatem ad quendam, & dicite ei: tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis, & edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum traditurus est me. Et post pusillum dicente Iuda: Nunquid ego sum Rabbi? dicit ei: Tu dixisti.

Hucusque Dei homines universa legalis Pascha sunt. Deinde ea qui mystici, sunt & nostri, addidit Evangelista, & dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod & pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit eis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus Novi Testamenti. Dicendo enim novi, ostendit, quoniam ea quæ veteris fuerunt Testamenti cessaverunt. Aspice quomodo panem corpus suum sub Novo Testamento vocavit, sicut vivificum & plenum spiritu, & sicut caloris demonstrativum, vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. ἄρτος autem interpretatur elevatus, & sursum portatus à fermento & sole, calorem & elevationem habens. Azyma autem nihil distat à lapide sine anima & luto lateris deorsum conjuncta terræ & sicco luto comparata, quæ cum amaritudine Mosis comedere miseris Iudæis semel in anno constituit legem dicens: quoniam malæ passionis & tribulationis symbola sunt significativa: nostrum verò Pascha gaudium & lætitia est totum: & extollit nos ab humo propter gaudium ad cœlum. Sicut & fermentum propter proprium calorem panem, qui panis omni suavitate repletus est. Azyma verò neque sal neque fermentum habens lutum est aridum. Aut non auditis Iesum Christum dicentem discipulis suis: Quia vos estis sal terræ. Et quoniam simile est regnum cœlorum fermento, quod fermentaretur totam massam, Satum etiam vocat, satis imò tribus, hoc est, tribus modiis repletus, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quorum nequaquam lutulentum azymum est particeps. Dicit autem & David de Christo. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui ante Mosen & Abraham, cœli & terræ & omnium creaturarum agnoscens Deum exurgens obtulit illi panem & vinum.

Ideo ait divinus Apostolus: Quoniam si consummatio per leviticum sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech sacerdos Christus diceretur, & quia translato sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat, quæ lex luculenta constituit Iudæis Azymum custodire. Idem ipse Paulus 1. Corinthiorum 11. inquit. Fratres ego accepi à Domino quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & comedite:

medite: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Similiter & de calice, hic eſt calix Novum Teſtamentum in meo ſanguine: hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis.

Azyma verò neque commemorationem habet Domini, neq; mortem Domini annunciavit, ſine Moſaica & ante mille & quadringentos annos ex lege conſtituta, & per Novum Teſtamentum, hoc eſt per ſanctum Evangelium & per Chriſtum maledicta & derelicta.

Sabbata verò quomodo in Quadrageſima Iudaicè obſervatis, qui dixit etiam An neſcitis quid fecerit David, cum eſuriret ipſe & qui cum eo erant, quomodo intravit in templum, & panes propoſitionis acceperit, &c.

Et quia ſabbatum propter hominem & non homo propter ſabbatum. Qui & dicebant: Quoniam homo iſte non eſt ex Deo, qui ſabbatum non cuſtodit. Et iterum loquente Chriſto in ſabbato ei qui manum aridam habebat. Similiter & ei qui dæmonis ſpiritum habebat in ſabbato mundato & murmurantibus Iudæis & ſimilia dicentibus dixit Chriſtus hypocritis, Vnusquisque veſtrum nonne ſolvit aſinum à præſepi, aut bovem ſuum in ſabbato & ducit adaquare? Et paralytico ſimiliter quem ſalvum fecit. Et ideo qui ſabbata cum azymis cuſtodiunt, neque Iudæi neque Chriſtiani ſunt, ſed ſimiles ſunt leopardo: ſicut Magn. dicit Baſilius, cujus capilli nec nigri nec albi omnino ſunt. Quomodo autem & ſuffocatum hi tales comedunt, in quibus ſanguis tenetur, aut neſcitis, ut omnis animalis ſanguis anima ipſius ſit, & qui comederit de ſanguine animam comedit: & id circa ſecundum hoc nec gentiles ex toto ſunt. Illi occidunt aut plagantes comedunt. Etenim Halleluja in Quadrageſima non pſallitis: ſed ſemel in Paſcha tantummodo, quod interpretatur, Dominus venit, laudate & benedicite eum & hymnum dicite. Et ergo ſecundum hoc laudate, neque Benedictus qui venit, pſallitis, & iſtud nomen Halleluja Hebraicè dictum eſt. Cur talem tantum deceptionem horum talium non aſpicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos & voſmetipſos, ſicut qui debentur judicari à Deo, non derelinquitis quod dicitur: quoniam Petrus hoc & Benedictus, & Paulus & cæteri dixerunt: Decipitis voſmetipſos, & populos in iſtis. Quæ verò ſcripſimus, ea ſunt quæ Petrus & Paulus, & cæteri Apoſtoli, & ipſe Chriſtus docuit, & ſancta atque Catholica Eccleſia ſuſcepit, & cuſtodit religiosè. Quæ & vos correcti cuſtodite. Azymos verò & cuſtodias ſabbatorum projicite miſeris Iudæis, & ſuffocata barbaris gentilibus, ut ſiamus puri omnes & immaculati, & in recta fide, & unus grex unius paſtoris Chriſti, cujus in cruce divino ſanguine inebriati laudamus, puri purè Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Vniverſi enim qui Moſis legem cuſtodiunt, derelinquentes Chriſtum, lucem amiſerunt, permanentes in umbra ſicut inſipientes in perpetuum. Hoc autem homo Dei multotiens, & ipſe cum populo agnoſcens,

 docui-

docuisti eos, & correctus scripsisti multis consuetudinem habentibus. Et ut habeas salutem animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum, & sacerdotibus Francorum, & admone: ut per hæc seipsos corrigant, & populum, ut mercedem & in istis habeant. Et si hoc feceris, proponemus & per secundam scriptionem majora & perfectiora his scribere tibi, fidei vera ostensione & firmamento animarũ, pro quibus Christus posuit animam suam.

CCXLI. *Probus Tullensis Episcopus.*

Oratio contra tyrannidem Pontificum.

CIrca annum Domini 1280. floruit Probus Episcopus Tullensis. Is restituit Papæ Honorio IV. quartam partem redditnum Ecclesiasticorum à Clero exigenti, cujus orationem *ex Aventino* lib. 7. p. 573. describam.

Probus Franciscus Episcopus Tullensis, Tubiorum oppido in Suevia ortus, sacrarum literarum interpres, cujus tam clara facundia atque pollens erat, in labro lustrico consistens, hujuscemodi Orationem *fecit.* Quousque, *Collegæ charissimi*, Romulei illi vultures patientia nostra, ne dicam stultitia, abutentur? quousque eorum flagitia, avaritiam, superbiam, luxum tolerabimus? Non cessabit hoc genus Archisynagogωn pessimum, nisi omnes ad egestatem & *servitutem durissimam* redegerit. Discordia nostra hocce malum crevit, discordia nostra illi *nebulones* usi sunt. Nec unquam, quàm diu illi salvi fuerint, Christianis festam pacem servare, ab armis feriari, pietatem inter se colere licebit. Nuper Saxones atque Suevos inter se commiserunt: deinde divum Fridericum Secundum, Reipublicæ Christianæ utilissimum, Conradum Quartum, Suevos atque optimos Principes, Imperio simul atque vita privarunt. In Germania discordiæ mala, Satanæ & *Antichristi satrapæ* seminarunt: Conradum postea insontissimum, immeritissimum, & optimæ indolis adolescentulum, prolem Divorum, jure gentium hæreditatem majorum repetentem, fraude, dolo interceperunt, ac crudelissimè necarunt. Suevos atque Francos Vestriacos inter se armis, veluti spectaculum sibi ac paria componentes, commiserunt. Deinde adversus hos, Hispanos concitarunt. Nunc nos adversus Galliæ atque Hispaniæ Proceres, cognatos nostros, ex Germania quondam profectos, concitare nituntur. In memoria habere, quid ante duodecim annos ille sanè egregius Decimus, cum decimis egerit· idem Quartus, cum quartis aget. Vt illas Gregorius vigilantissimus à nobis emungeret, Scythas, Arabes, Turcas in nos armavit: Mentiar, nisi hosce (nempe maximum vectigal) magis salvos, quàm nos esse velint. Divi Bernhardi consectanei, quibus tamen ut amicis ille consultum volebat, millibus aureum nummis sexcentis se redemerunt. Hinc licet existimare, quanti illa conciliabula constent, quantúmve auri corradatur. Fallacia fallaciam trudit, atq; placita hujusmodi argutorum hominum magis more, quàm ex bono atque æquo, satanæ illi lucem simulantes, comminiscuntur,

ui-

quibus populo tenebras offundunt. Quæ nequaquam Christo Domino Deoque nostro cordi esse, exitus & opera, nisi planè cæci sumus, probant, eventus docet, sacræ literæ cantant.

Proinde Patres Christo devotissimi, expergiscimini, consulite, succurrite rebus perditis, resipiscite, atque capessite Rempublicam. Majores nostri immunes imperii, tamen Romanos armorum studiosissimos, disciplinæ militaris peritissimos, gentium victores, rerum Dominos, orbis terrarum domitores, humano generi, finitimis imperitare permolestè tulerunt, eorumque imperium armis solverunt. Nos pueris atque effœminatis (ne quid gravius dicam) æquo animo servimus. Qui sit ille Tusculanus, non sum nescius. Novi hominis mores: aurifuga est, venalisque fœnerator, atque perfidus, vile pecuniæ mancipium. Ego minas ejus floccifero, senatumque totius orbis Christiani appello. *Hæc ubi Probus dixit, cæteri omnes sententiam ejus collaudant, atq; sequuntur. In paucis diebus universi, Tusculano vim formidante, neq; in publicum prodire audente, paulatim dilabuntur. Ita re infecta, Concilium solutum est.*

CCXXXXII. *Thomas de Aquino.*

THomam Aquinatem, qui circa annum Domini 1260. vixit, quem in primis Papistæ, ob suam quandam sanctitatem & eruditionem, venerantur & prædicant. Atqui ne hic quidem omnes Papæ errores penitus approbavit.

Catharinus in quodam libro contra Asotum Hispanum Monachum contendit, Thomam de lib arbit. antiquorum Patrum sententiam sequutum esse, contra recentiores sententiarios. Et sanè in 6. cap. Rom. & 2. ac ac 4. ad Ephes. commodè loquitur. Nam Rom. 6. inquit: Liberum arbitrium semper servum esse aut gratiæ aut peccati, super Eph. 2. affirmat fidem & omnino accessum aut conversionem ad Deum, non liberi arbitrii opus esse, sed singulare donum Dei. De articulo etiam justificationis sæpe admodum benè loquitur, asserens nos non per opera, sed per fidem, atque adeo per solam fidem justificari. Super Rom. 3. & 1. Tim. 1. clarè dicit nos sola fide justificari. Verum in hujus rei testimonium quædam ejus dicta adscribemus.

In Cap. 3. Epistolæ ad Gal. lectione 4. Quicunque ex operibus legis sunt. Intelligendum est de operibus cæremonialibus & non de moralibus. Vel dicendum, quòd loquitur hic Apostolus de omnibus operibus tam cæremonialibus quam moralibus. Opera enim non sunt causa cur aliquis sit justus apud Deum, sed potius sunt executiones & manifestationes justitiæ. Nam nullus per opera justificatur apud Deum, sed per habitum fidei, non quidem acquisitum sed infusum. Et ideo, quicunque ex operibus justificari quærunt, sub maledicto sunt, quia per ea peccata non removentur, nec aliquis quoad Deum justificatur, sed per habitum fidei charitate informatum. Heb. 11. Hi omnes testimonio fidei probati.

Ex cap.3. Epistolæ ad Titum, lectione. Ipse cognovit figmentum nostrum, ideo Psalmus dicit: Salus autem justorum à Domino. Sequitur: deinde cum dicit: Non ex operibus justitiæ, ponit rationem salvandi, & primò excluditur ratio præsumpta: secundò ostenditur ratio vera. Ratio præsumpta est quòd propter merita nostra simus salvati, quod excludit cum dicit: non ex operibus quæ fecimus nos. Rom.11. Reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei salvæ factæ sunt. Deut.9. Non propter justitias tuas & æquitates cordis tui ingredieris, ut possideatis terram eorum &c. Sed vera justificationis ratio est SOLA misericordia Dei. Item in Epist. ad Rom. cap.3. lect.4. ostendit, hic Iudæos & gentiles esse æquales quantum ad statum gratiæ, ostendendo sola fide Christi fieri justificationem. Ex 1. Tim.1. lect.3. ubi inquit, Data est lex ut cognoscatur peccatum Rom.7. Quia nisi lex diceret: Non concupisces &c. Non est ergo in eis spes justificationis, sed in sola fide, Rom.3. Arbitramur homines justificari, per fidem sine operibus legis. *De libero arbitrio.* In cap.2. ad Eph. lect.3. posset, inquit, quis credere quod ipsa fides esset, à nobis & quod credere in nostro arbitrio constitutum est. Et ideo hoc excludens dicit: Et hoc non ex vobis. Non enim sufficit ad credendum liberum arbitrium, eò quòd ea quæ sunt fidei, sunt supra rationes, Ecclesi.3. Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi 1. Cor.2 Quæ Dei sunt, nemo novit nisi spiritus Dei, &c. Et ideo quod homo credit hoc non potest ex se habere, nisi Deus det, secundum illud Sap.9. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum de altissimis? Propter quod subdit, Dei enim donum est scilicet ipsa fides. Phil.2. vobis autem donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam pro eo patiamini &c.

De communione sub utraq; specie. lectione 5. in cap. 11. ad Cor. sic scribit. Traditur autem hoc Sacramentum sub duplici specie propter tria. Primò quidem propter ejus perfectionem: quia cum sit spiritualis refectio, debet habere spiritualem cibum, & spiritualem potum. Nam & corporalis refectio non perficitur sine potu & cibo. Vnde & supra decimo dictum est, quod omnes eandem potum spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Secundò propter ejus significationem. Est enim memoriale Dominicæ passionis, per quam sanguis Christi fuit separatus à corpore: & ideo in hoc Sacramento seorsim offertur sanguis à corpore. Tertiò propter hujus Sacramenti effectum salutarem. Valet enim ad salutem corporis, & ideo offertur corpus, & valet ad salutem animæ, & ideo offertur sanguis.

De conjugio Sacerdotum multò melius sensit, quàm nunc rabies Pontificia sentit ac dictat. Sic enim Durandus ejus sententiam describit, sent.4.d.38.q.2 ubi de sententia multorum ait, solennitati ordinis non esse annexum votum continentiæ essentialiter, sed solum ex statuto Ecclesiæ, & accidentaliter. Et ideo in tali voto posse dispensare per Ecclesiam, non obstante consecratione, cui non conjun-

gitur

gitur votum per ſe. Sed non tantum diſpenſatione Pontificis Thomas Aquinas docuit, melius eſſe presbytero matrimonio uti, quàm ſcortari, ſed & conſilio Presbyteri confeſſoris. Nam in ſumma quæ incipit, Commiſerationes Domini ſunt ſuper omnia (cap. 165. quod incipit, Poſt hæc dicendum eſt de inceſtu) ſic inquit ad verbum. Dicit Canon quòd ſi Clerici in minoribus ordinibus conſtituti, ſe continere non poſſunt & matrimonium contrahere voluerint, debet eis aſſignari ſuſtentatio ſua de beneficiis ſuis extra Eccleſiam, ita quòd de cætero non miniſtrent in Eccleſia in ordine ſuo, ſed cenſuram habeant, & libertate gaudeant Clericorum. Contra hanc Canonicam inſtitutionem hodie obtinet conſuetudo, quòd ſtatim ex quo acolytum contrahit matrimonium, omni Eccleſiaſtico beneficio privatur. Cum canon, ut dictum eſt, præcipiat, de beneficio ſuſtentari. Si autem acolytus in ſecreta confeſſione ad diſcretum Sacerdotem veniat, & ſe nullo modo continere poſſe dicat, non multum peccat Sacerdos, dando ei conſilium, u cum aliqua occultè matrimonium contrahat, & occultè ſui Epiſcopi oculos fallat. Minus enim credimus eſſe peccatum, beneficium cum occulto conjugio retinere, quàm fornicariam contra divinam prohibitionem habere. Si verò poſtea ad ſacros ordines à ſuis Prælatis cogatur accedere, credimus minus eſſe peccatum uxore uti, quàm cum alia fornicari, ſi ex toto noluerit continere. Atque hæc ſunt verba Thomæ illius, qui & inter Monachos ſocietatis Dominicæ vixit vitam cœlibem, & inter eruditos doctrinaque excultos viros docendi ſanctitate nomen invenit. Qui ſimpliciter videtur probare Sacerdotum conjugium, ſed ob leges Paparum non prorſus audet id tueri.

* Wolfius Cent. 13. Lect. Memor. p. 545.

CCLXIII. *Gloſſa Decreti.*

GLoſſa Decreti ante 300. annos facta, multis in rebus rectius loquitur, quàm vulgus ſophiſtarum & Monachorum. Vt de confeſſione auriculari: hæc ſunt ejus verba. *diſt. 8. de pœn.* Sed melius dicitur confeſſionem inſtitutam fuiſſe à quadem univerſalis Eccleſiæ traditione potius, quàm ex novi vel veteris Teſtamenti autoritate. Satis clarè oſtendit hic gloſſa, auricularem confeſſionem eſſe humanæ traditionis, non divini præcepti. Addit eadem Græcos non obligari ad confeſſionem.

Aſſerit ea & communionem ſub utraque ſpecie *de conſec. diſt. 2.* Hæc enim ſunt ejus verba: Nec ſuperfluè ſumitur ſub utraque ſpecie. Nam ſpecies panis ad carnem, & ſpecies vini ad animam refertur. Cum vinum ſit ſacramentum ſanguinis, in quo eſt ſedes animæ. Ideoq; ſumitur ſub utraque ſpecie, ut ſignificetur quod utrumque Chriſtus aſſumpſit, & carnem, & anima. Et quod tam animæ, quam corporis participatio valeat. Vnde ſi ſub una tantum ſpecie ſumeretur, ad ruitionem alterius tantum valere ſignificaretur.

De

De conjugio Sacerdotum dicit glossa. dist. 84. quod Syricius primus mandaverit cælibatum & quod ante eum licuerit Sacerdotibus contrahere matrimonium.

De Cæsarum authoritate dicit glossæ annotatio, quòd amplius 800. à nativitate Domini annis leges de rebus Ecclesiasticis tulerint: quodque eis Ecclesia obediverit, ut judicet novitates postea secutas minus justas esse.

Extremam unctionem iterari posse ostendit, dist. 95. At nunc tantum in extremo agone, idque solum semel datur. Verum olim sæpius fuit iterata, ut vetustissimæ Agendæ, testantur. Dicit & alia multa paulò rectius, quàm tunc, & postea Pontifices eorumque mancipia senserunt & docuerunt.

CCXLIV. Innocentius IV.

INnocentius IV. sedit circa 1250. annum. Is igitur in commentariis suis, titul. de convers. conjug. c. Placet, sic de Sacerdotum matrimonio scribit· *Matrimonium de jure naturali non impedit quenquam ordinari ad sacros ordines; Quia naturali jure potest ordinatus uti matrimonio contracto, sicut facit Orientalis Ecclesia. Et etiam contrahere posset, nisi constitutiones Ecclesiæ prohibeant*, &c. Ergo hic quoque Papa disertè confitetur, conjugium Sacerdotum per sese, seu sua natura malum non esse. Cur verò rem per sese bonam ac licitam, Antichristi Romani tam atrociter damnant, ac tam multos propterea jugulant? præsertim cum videant, infinitas libidines, aliaque scandala inde ingenti copia erumpere.

CCXLV. Gualterus Mapes.

EDidit Balæus quosdam rhythmos contra Papam, Episcopos, Prælatos, ac Clericos, scriptos. Titulus ac forma scripti est. *Apocalypsis.* Fingit enim sibi omnia divinitus in quodam libro revelata esse. Graviter sanè in eo scripto accusantur illi, tum de extrema vitæ turpitudine, tum de horribili non tantum neglectione, sed & perversione officii, utpote qui pro eo quòd oves per rectam vitam ducere, docere ac pascere deberent, seducunt, devorant & perdunt. Describam verò aliqua inde, ut aliquantò rectius de ejus scripti ac scriptoris sententia judicari possit.

Postquam perlegeram præmissum titulum,
Subscriptum legere cœpi capitulum;
Quo mores *didici* vitamque præsulum,
Qui duces populi seducunt populum.

Væ genti inutili, cornutis ducibus,
Qui multant mutilos annatis fructibus;
Dum habet quilibet fœnum in cornibus,
Non pastor ovium, sed pastus ovibus,

Non tantum cogitat ille de miseris,
De claudis ovibus, agnisve teneris;
Quantum de computo lactis aut velleris,
Sic ovem perditam reportat humeris.
Si vulgi invenerit excessus paucules,
Causatur fidei læsos articulos;
Trahit jus ovium in caulæ tribulos,
Vellens exuvias, & mungens loculos.
Errantem sequitur grex errans prævium,
Quem pastor devius ducens per devium,
Post lac & vellera dat carnes ovium,
Luporum dentibus, & rostris avium.

Et paulo pòst.

Hic scriptas repperi consuetudines,
Officialium raptim imagines:
Fraudes, insidias & turpitudines,
Quæ magnas codicis excedunt margines.
Hi sunt, quos retinens mundus inhorruit,
A quorum facie totus contremuit;
Quos dum in cautibus Rhodope genuit:
Ad omnes scelerum motus exacuit.
Quantum ex sibimet innato scelere,
Vel ex officio possunt officere;
Nequit hic calamus scribentis pingere,
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere?

Tribuunt quidam hoc poema Gualtero Mapes, aut Goliæ Sacerdoti, viris Anglis. Balæus sanè non dubitat, authorem fuisse Anglum.

* Poema integrum rhythmis constans facetis, intulit Centenario XII. Lect. Memor. Wolfius p.430. ad p.443. Ejusdem Mapes liber de Nugis Curialium extat in Anglia in Biblioth. Bodseana.

CCLXVI. *Anshelmus Avelburgensis.*

HIc Avelburgensis Episcopus, quod non ignobile oppidum situm est in Marchia ad Avelum, non procul ab Albi, floruit circa annum Dom. 1150. ac fuit homo pro ejus temporis ratione eruditus, non tantum in sacris, sed & in linguis. In multis sanè paulò rectius sensit quàm reliqua fex hypocritarum. In quadam Epistola confert prolixè Monachom, cum communi Sacerdote, & adimit laudem perfectionis Monachis, qui vel maximè jactant se perfectionis viam sequi. Sunt alioqui & alia ejus, quæ contra communes errores rectè dicta videantur. Sed *Censura Monachorum.*

propterea etiam nomen ejus adſcripſi,quod is prolixè teſtatur multos ſuo tempore fuiſſe,qui pugnaverint contra varietatem & novitatem ſectarum monaſticarum, ſubinde in Eccleſia orientium,eamque in varias ſectas diſcerpentium. Recitabo ejus verba; de eo, quod quidam ſolent mirari tam varias Chriſtianæ Religionis formas. *Solent pleriq; mirari & in quæſtionem ponere, & interrogando non ſolum oppugnare verum,ſed etiam aliis ſcandalum generare.Dicunt & tanquam calumnioſi inquiſitores interrogant.* Quare tot novitates in Eccleſia Dei fiunt? Quare tot Ordines *Clericorum? quis non miretur tot genera Monachorum? quis deniq; non ſcandalizetur, & inter tot diverſas formas Religionum diſceptantium tædioſo nõ afficiatur ſcandalo? Imò quis non contemnere Chriſtianam Religionem tot varietatibus ſubjectam, tot adinventionibus imminutam, tot novis legibus & conſuetudinibus agitatam, tot regulis & moribus ferè annuatim Monachorum fluctuantem?* Quod modò, *inquiunt*, à quibuſdam propter regnum cœleſte prohibetur. Quod modò tanquam ſacrilegium inhibetur, ſubitò tanquam ſanctum & ſalubre conceditur. *Tales homines odioſi ſunt, inducunt quæſtiones, & corda ſimplicium pervertunt,dicentes:* omnem religionem tantò eſſe contemptiorem,quantò mobiliorem. *Quòd enim* inquiunt, *eſt tam mobile? tam variabile? tam inſtabile, quomodo alicui ſapientum dignè poteſt eſſe admirabile? Propterea quippe ſua varietate probat ſe reſpuendam eſſe. Ecce vidimus in Eccleſia Dei,ut ajunt,quoſdam emergere,qui pro lubitu ſuo inſolito habitu induti novum vivendi ordinem ſibi eligunt, & ſive ſub monaſtico profeſſionis titulo, ſive ſub Canonicæ diſciplinæ voto, quodcunq; volunt ſibi aſſumunt, novum pſallendi modum, & metas cibariorum ſibi ſtatuunt, & nec Monachos, qui ſub regula S. Benedicti militant,nec Canonicos,qui ſub regula Auguſtini Apoſtolicam vitam gerunt,imitantur. Sed omnia pro libitu ſuo nova facientes, ipſi ſibi ſunt lex, ipſi ſibi ſunt authoritas; & quos poſſunt in ſuam ſocietatem ſub prætextu novæ legis colligunt. Et in hoc* religioſores *videri putantur,ſi ab omni religioſiori habitu ac diſciplina ſequeſtrati inveniantur,& tanquam præ cæteris notabiles,digito demonſtrentur.Hæc & his ſimilia dicunt,& crebris quæſtionibus aliis inquietant.*

Diſputavit idem Conſtantinopoli contra Græcos, & præſertim quendam Mechitam oppugnantem Papæ primatum.Dubito,an idem ſit cum Niceta de quo ſupra dixi, qui hoc Anshelmo vetuſtior fuiſſe meo judicio videtur.

CCLXVII. *VValdenſes Fratres.*

CVm diligentius pro mei tenuitate judicii rem perpendo,videor mihi animadvertere, & Deum & Satanam ſub idem tempus,eadem conſilia inſtaurandi confirmandique ſuum cœtum & religionem agitaſſe; nam ante quadringentos annos, & Satan quatuor quoſdam Apoſtolos, veluti quatuor ſuæ impietatis columnas excitavit, qui ſuum Antichriſtum ejuſque abominationes egregiè confirmarunt

marunt, ſtabilieruntque & Chriſtus ſuam Religionem Antichriſti abominationibus mundatam, mundo denuò exhibuit, ac oſtendit. Quatuor illi Satanæ Apoſtoli, qui ante 400. annos Papatum egregiè confirmarunt, ac veluti à fundamentis inſtaurarunt, fuerunt primùm *Gratianus*, Decreti collector, & *Petrus Lombardus*, qui *Magiſter ſententiarum*, vulgò à Sophiſtis vocatur; quorum uterque partim ex ſacris literis, partim & multò magis ex Patribus ac Conciliis mala fide collectis, pejorique interpretatis ac detortis ſententiis, Papiſticam Religionem probare, ſtabilireque ſunt conati. Deinde *Franciſcus* & *Dominicus*, qui inſtituta nova hypocriſi Monachatus, homines etiam magis quàm quiſquam antè, ſuperſtitionibus auſi ſunt dementare.

* *Quatuor quoſdam Apoſtolos*, omiſit Goulartius p.533. & poſtea; *Quatuor illi Satanæ Apoſtoli*, ille; *Satanæ ſatellites*.

Porrò Chriſtus potiſſimum per quendam *Petrum Valdum*, Lugduni primatium civem, ſuam veritatem, depulſis Antichriſti tenebris (ut poſtea clarius apparebit) illuſtravit. Accidit autem ea doctrinæ religioniſque Chriſtianæ inſtauratio, ut multi hiſtorici teſtantur, hoc modo:

Circa annum Domini 1160. fuerunt Lugduni aliquot Optimates, quodam loco congregati, conferentes de variis rebus; ut ſolent ſæpe, præſertim æſtatis tempore, in Italia & Gallia in porticibus Magnates convenire diſpellendi tædii, fallendique otii cauſa, ac colloquendi cum aliis ſui ordinis viris. Ibi dum ocioſi ſermones cædunt, accidit, ut ſubitò unus ſpectantibus omnibus aliis mortuus corrueret. Eo tam triſti exemplo fragilitatis humanæ divinæque iræ perterritus ac commotus unus ex illis nomine Valdus, homo prædives, haud dubiè impellente eum etiam Dei Spiritu, cœpit cogitare de emendanda vita, placandoque Deo, ac vera pietate aliquantò magis ſeriò colenda, quàm antè fecerat. Cœpit igitur & eleemoſynas largius diſtribuere, & ſe ſuamque domum, ac eos qui eum aliquando quacunque occaſione accedebant, docere & admonere de pœnitentia, ſyncero Dei cultu, ac vera pietate. Progrediente paulatim tum beneficentia ejus in egenos, tum ipſius ſtudio docendi, aliorumque diſcendi, jam etiam frequentior cœtus ad eum confluere cœpit, & ipſe eis non ſuas aliquas regulas, ſuique capitis ſomnia dictare, ſed ſacras literas tum explicando declarare, tum in vulgarem Gallicam linguam transferre. Fuit enim homo doctus, ut ex vetuſtis membranis cognoſco; & non curavit ſibi ab aliis verti, ut quidam veritatis inimici mentiuntur.

Epiſcopus porrò & Prælati, qui, ut Chriſtus inquit, *claves regni cœlorum abſtulerunt, ac nec ipſi intrare nec alios intromittere volunt*, ægrè ferentes hominem laicum & ſeculare (ut iſti ſpiritualitatis clericatuſque nomine gloriantes, tumenteſque alios Chriſtianos præ ſe contemnunt) ſacras literas in vulgarem ſermonem vertere, docendo declarare, & jam etiam quaſi cœtus quoſdam domui ſuæ habere, eique concionari; primùm monuerunt eum, ejuſque ſectatores, ut ab inſtituto deſiſterent; addita etiam excommunicationis comminatione. Verùm nec ipſius ſtu-

dium promovendæ gloriæ Dei, ſalutisque proximi; nec fames verbi Dei, qua puſilli Chriſti, nemini alioqui in templis Verbum Dei ſyncerè docente, laborabant, talibus Phariſæorum & Pontificum mandatis cohiberi poterat. Dicebat enim & Doctor & Auditores, *Deo magis quàm hominibus obediendum eſſe.* Eſſe verò Dei præcipuum mandatum, vocem Dei audire. Quare neglectis impiorum mandatis, cœpit etiam diligentius eſurientes Chriſtianos non tantum re familiari , quæ nimia largitate paulatim magis ac magis extenuabatur, quàm Verbo Dei, ſalutaribusq; monitis ac documentis paſcere. Data quoque Valdo, eique adhærentibus occaſio eſt, illa Prælatorum tyrannide, injuſtisque mandatis, quibus ſimplicem innocuamque prædicationem Verbi Dei opprimere ac extinguere conabantur; ut paulò diligentius de Sacerdotibus, eorumque religione ac inſtituto cogitarent, & paulò liberius loquerentur; atque ita creſcente etiam certamine cum Sacerdotibus, ſubinde plures errores ac ſuperſtitiones Papiſticæ Religionis animadverterent & taxarent. Sicut & hoc tempore accidiſſe vidimus, ut cum Papa ejusque mancipia in Luthero ferre nollent ſolam Indulgentiarum reprehenſionem , darent ipſi occaſionem perveſtigandi ac redarguendi plures ipſorum errores.

Eodem etiam tempore collegit Valdus *Patrum teſtimonia* vulgari ſermone, ut ſuos non tantum ſcriptura, ſed etiam veterum teſtimoniis contra adverſarios veritatis communiret. Cernentes itaque Epiſcopus ac ejus Phariſæi & Scribæ. Valdi ejusque ſectatorum in docendo ac diſcendo Dei Verbo conſtantiam, quam illi pertinaciam eſſe calumniabantur; dolentes etiam ſuas turpitudines, inſcitiam, negligentiam in docendo, & aliquos etiam errores ab eis taxari, excommunicaverunt eos omnes ſimul. Aliquanto verò pòſt, cum illos ne excommunicatione quidem moveri cernerent, ut à ſuo propoſito deſiſterent, etiam exilio, carceribus, ferro demum ac igni perſequi, & crudeliter vexare cœperunt: ut neceſſitate, præſentique periculo coacti ſint Lugduno diſcedere, ac in varias terras diffugere & dilabi.

Perſecutio in Waldenſes.

Credibile eſt aliquot annis, fortè quatuor aut quinque, cum cœtum duraſſe, ac Valdum docuiſſe, priuſquam planè Lugduno pellerentur, ac diſſiparentur; nam & Valdus vir potens fuit, multosque eum amicos ac cognatos habuiſſe veriſimile eſt; eoque non tam facilè opprimi potuit, nec etiam initio ſtatim durius ſacrificos Papæ vexavit, deniq; nondum erat inducta in Chriſtianitatem iſta pluſquam barbarica & ethnica crudelitas, in pios tam atrociter graſſandi, quam nunc Inquiſitores paſſim exercent, quamq; potiſſimum immitiſſimis iſtis lupis, pellibus ovium indutis, qui ſe Monachos vocant, debemus; ut taceam illud, quod in hac re præcipuū eſt, quòd Deus ſuis, ante perſequutionem, diſcendi ſpatium ac commoditatem benignè ſolet concedere. Quo tempore proculdubio Valdus & diſcipulos aliquot egregios ita edocuit ac erudiit, ut ei collegæ eſſe, officioque docendi rectè fungi poſſent; & doctrinam ſuam conſtituit, ſeu (ut rectius dicam) Chriſti doctrinam

ac

acreligionem pharisaico Antichristi fermento repurgavit, erroresque ac superstitiones Papæ ac Papistarum notavit, indicavit & refutavit. Appellati porrò sunt non tantum *Waldenses* illi homines, sed etiam *Pauperes de Lugduno*, *Leonistæ*, & *Insabbatati*; varia enim illis nomina ab adversariis indita sunt.

Atque hæc de ortu, seu potius instauratione hujus veræ Christi religionis ac doctrinæ; nam etiam adversarii quidam eorum scribunt, alios dicere, inde à Sylvestro perpetuo fuisse similium dogmatum sectatores; alios verò etiam inde ab Apostolis. Iam de ipsis eorum Articuli, seu Dogmatibus.

Articuli VValdensium.

1. Solis sacris Literis credendum esse in iis quæ ad salutem pertinent, & nulli præterea homini aut scripto, firmiter assentiunt. *Waldensi Articuli re censentur. Cent. XII. Magdeb. c. 8. p. 1106, 1207. ex MSto vetusto Codice.*

2. Sacras literas integrè continere omnia ea quæ ad salutem sunt necessaria: eoque nihil penitus recipiendum aut admittendum in religione esse, nisi id solum quod nobis Deus in sacris literis præcepit, indubitanter credunt.

3. Vnum esse tantum Mediatorem, nec esse invocandos sanctos ulla ratione, statuunt.

4. Purgatorium nullum esse, sed omnes homines vel per Christum justificatos in vitam æternam, vel non credentes in æternum exitium abire, tertium aut quartum locum superesse nullum, ajunt.

5. Tantum duo Sacramenta, *Baptismum* ac *Communionem*, recipiunt ac probant.

6. Omnes Missas, & præcipuè eas quæ pro mortuis canuntur, impias, eoq; abolendas penitus esse affirmant.

7. Omnes Traditiones humanas rejiciendas, vel certè pro necessariis ad salutem nequaquam habendas esse; eoque tollendum esse Cantum ac recitationem Officii, Iejunia ad dies certos alligata, superflua Festa, discrimen Ciborum, tam varios gradus ac ordines Sacerdotum, Monachorum ac Monacharum, varias benedictiones seu consecrationes creaturarum, Vota, Peregrinationes, & aliam omnem turbam rituum ac cæremoniarum ab hominibus inventarum seu excogitatarum antiquandam esse.

8. Primatum Papæ super omnes Ecclesias, in primis potestatem ejus supra omnes politias, seu utrumque ejus gladium penitus pernegant, nec censent alios gradus sacerdotales in Ecclesia retinendos esse, præter Sacerdotum, Diaconorum & Episcoporum.

9. Communionem sub utraque specie & piam esse, & necessariam, utpote à Christo ordinatam & præceptam, asserunt.

10. Romanam Ecclesiam esse *Babylonem*, de qua in Apocalypsi. *Papam* esse omnium errorum fontem, & *verum Antichristum* contendunt.

11. Indulgentias quoque rejiciunt; tametsi illæ infra quadringentos annos, nempe ante 250. primùm à Bonifacio octavo excogitatæ sunt.

12. Conjugium Sacerdotum pium ac necessarium in Ecclesia esse docent.

13. Verbum Dei audientes, ac rectè sentientes, Ecclesiam ejus esse, eique Ecclesiæ Claves à Christo datas, eoque eam posse ac etiam debere lupos fugare, & veros bonosque Christi pastores vocare, & eorum vocem audire, ac ab illis sacramenta percipere.

Hi fermè sunt VValdensium Articuli, tametsi alii eos per species latius diducant, pluresque faciant.

Waldensiũ per varias orbis regiones dispersio

Constituta igitur jam, seu potius repurgata Christi doctrina ac religione, instructisque ac edoctis non paucis, qui ad docendum jam & ipsi idonei essent, accidit proculdubiò non tantum humana aut diabolica persequutorum malitia, sed multò magis divino consilio, sicut Apostolorum tempore, ut crudelitate impiorum Lugduno pellerentur, ac per varias, mundi regiones dissiparentur, quo scilicet in omnem terram sonus eorum exiret, & veritatis lux dispergeretur. Aufugerunt igitur Lugduno, partim *in varias Galliæ partes*, & præsertim *in Narbonensem provinciam*; partim, & quidem plures, *in Lombardiam, Italiæ provinciam*, quam Romani *citeriorem Galliam* vocarunt. Habeo Consultationes Iurisperitorum Avinionensium, item Archiepiscoporum Narbonensis, Arelatensis & Aquensis; item Ordinationem Albanensis Episcopi, de extirpandis VValdensibus, jam ante annos 300. scriptas; ex quibus apparet, plurimos passim in tota Gallia fuisse. Fuit & integrum Concilium Tholosæ contra VValdenses celebratum, circiter ante annos 355. sed prius in alio Romæ celebrato damnati fuere. Amplissimum verò numerũ fuisse jam olim VValdensium, gravissimasq; contra eos persequutiones institutas, facilè ex prædicta trium Archiepiscoporum Gallicorum consultatione ante annos 300. scripta apparet; nam sub finem ejus ita scribunt: *Quis enim est solus ille peregrinus, qui condemnationem hæreticorum Waldensium ignoret, à longis retro annis tam justissimè factam, tam famosam, tam publicam, tot & tantis laboribus, expensis & sudoribus, fidelium insequutam, & tot mortibus ipsorum infidelium solenniter damnatorum, publiceq; punitorum, tam fortiter sigillatam?* Ex quibus verbis facilè apparet, & multos VValdenses jam olim ante 300. annos in multis locis fuisse, & magnam tetramque eorum lanienam Antichristum cum suis exercuisse.

Licet porrò magno studio Gallici Prælati ac Inquisitores hosce miseros Christianos investigaverint, & sint persequuti; tamen non ita eos extirpare potuerunt, quin usque ad nostra tempora circa Massiliam potissimum non pauci superfuerint; nam nostris quoque temporibus propria & publica templa habuerunt, publiceq;

bliceq; suas Conciones, Sacramenta, & cæremonias peregerunt. Curarunt quoq; Biblia, sua dialecto eleganter imprimi.

* Addit Goulartius p.537. Et fidei suæ Confessionem, quæ extat, ediderunt.

Cæterùm ii ipsi homines demum annos 545. fuerunt à Rege Galliæ *Francisco* gravissimè ac crudelissimè afflicti, vel potius funditus deleti & extirpati. Quæ illorum bonorum virorum miseranda calamitas, adversariorumq; plusquam Turcica crudelitas, est tum separatim quodam Gallico libello exposita, tum & à * *Sleidano* compendio comprehensa, cujus locum adscribam. *Persecutio Gallica in Waldenses.* **Comment. Relig. lib. 16. fol. 273, 274 275. edit. Argēt. 1566.*

Sunt in Provincia Gallia *qui dicuntur* VValdenses; *hi vetusta consuetudine* neque Pontificem Romanum agnoscunt, & aliquantò puriorem semper habuere doctrinam: & postquam Lutherus innotuit, ampliorem cognitionem avidè sibi pararunt. Ad Regem verò sæpe fuerant hoc nomine delati, quasi magistratum contemnerent, ac rebellionem facerent. Hac enim criminatione plerique nunc utuntur, invidiosa magis quàm vera. Continentur autem aliquot oppidis atque vicis, inter quos est Merindolum. In hos ante annum quintum lata sententia fuerat Aquis, quod est Provinciæ summum tribunal, ut opprimerentur omnes promiscuè, ut dirutis ædificiis æquaretur vicus ille solo, resecarentur etiam arbores omnes, & locus redderetur desertus omnino, sicut libro decimotertio attigimus. Porrò, quanquam sic erat pronunciatum, non tamen ea vis tunc adhibita fuit, Regem admonentibus nonnullis, & in his, Guilielmo Bellaio Langeo, qui tum Prorex erat in Taurinis, ut de causa prius cognosceret: sed hoc demum anno, judicii atque Senatus Aquensis Præfectus, Iohannes Minerius, Aprilis die duodecimo, Senatu convocato, recitat literas Regis, quibus executio mandabatur latæ sententiæ. Has autem literas, Tornonii Cardinalis commendatione dicitur impetrasse Minerius, per idoneum sollicitatorem Philippum Cortinum. Cum igitur eas mense Ianuario accepisset, non statim protulit, sed in tempus rei gerendæ commodum reservabat, iis recitatis literis, delecti sunt è senatu, qui rem exequantur. His adjutorem sese profitebatur Minerius, eò quod absente Grinianæ Provinciæ præfecto, rempublicam gerebat. Iam antè verò mandato Regis passim conduxerat copias, Anglici belli caus: a verùm his ad suum hoc institutum est usus, ad hæc Massiliæ, Aquis, Arelatæ, cæterisque in locis frequentioribus militiam omnibus imperaverat, qui possent arma ferre, gravi denunciata pœna; deinde ex Avinionensis agri finibus, ditionis Pontificiæ, missa quoque fuerunt auxilia. Primus igitur impetus factus est non in Merindolanos, verùm in agrum, oppido Pertusio vicinum. Idibus autem Aprilis, Minerius, turba Procerum atque Ducum stipatus, Cadenetum venit: sed interea centuriones aliquot, in unum & alterum vicum, ad Druentiam flumen, irruunt: & cædibus, direptionibus, incendiis grassati, magnā vim pecoris abigunt: idem fit aliis etiam in locis, eodem tempore. Merindolani, cum ardere omnia

circum

circum aſpicerent, relictis ſedibus in ſylvas confugiunt, & ad vicum Sanfanleſum maxima cum formidine pernoctant. Hujus autem loci incolæ jam & ipſi fugam parabant. Cavallonenſis enim Epiſcopus, Pontificii Legati Vicarius, negotium dederat, nonnullis ducibus, ipſos contrucidandi, Poſtridie, paulò progrediuntur longius, tecti ſylvis, nam undique periculum erat: & Minerius capite ſanxerat, ne quis eos ulla re juvaret, ſed ut promiſcuè cæderentur omnes, quocunque loco deprehenſi; valebat idem edictum in locis finitimis Pontificiæ ditionis, & Epiſcopi quidam ejus regionis ferebantur alere magnam copiarum partem. Ibant ergo difficili & moleſto itinere, geſtantes pueros in humeris & brachiis, inque cunis, & quidem mulieres aliquot gravidæ: cumque ad conſtitutum locum venirent, jam eò confluxerant multi, qui rebus perditis fuga ſalutem quæſiverant. Non multo poſt nunciatur, Minerium aggregare ſimul omnes copias, ut ipſos invadat, fuit hoc ſub veſperum: itaque re deliberata, conſilium extempore capiunt, & quoniam iter faciendum erat per loca impedita & aſpera, mulieres, puellas & infantes ibi relinquunt, paucis quibuſdam adhibitis, & in his, Eccleſiæ miniſtro: cæteri, ſicut conſtitutum erat, *Muſſium* oppidum petunt; hoc autem ea ſpe faciebant, fore ut hoſtis in imbellem turbam, & omni præſidio deſtitutam, uteretur miſericordia. Quis ibi fuerit excitatus gemitus, qui complexus, quæ lamentatio, facilè quivis intelligit. Vbi totam noctem iviſſent, ſuperato monte Leberone, multos ardere vicos atque prædia conſpiciunt: Minerius deinde bipartito agmine, rem aggreditur: & quia per indicium acceperat, in quam partem Merindolani ſeſe recepiſſent, ipſe Merindolum petit, reliquas verò copias ad illos inveſtigandos mittit. Antequam hi pervenirent in ſylvam, ex militibus quidam, impulſus commiſeratione, præcurrit, & è ſummo cacumine rupis, qua parte ſuſpicabatur profugos conſediſſe, duo ſaxa dejicit: deinde per intervallum illis acclamat, licet eos non conſpiceret ut fuga ſibi ſtatim conſulant, & in hoc ipſo temporis puncto, ex ijs qui Muſſium iverant, duo quidam interveniunt: & hoſtium adventu nunciato, miniſtrum Eccleſiæ, cæteroſq; cuſtodes, qui pauci numero fœminis erant relicti, ſicut diximus, abire cogunt, via quadam ardua commonſtrata per ſylvam, qua fugientes periculum evaderent. Vix hi diſceſſerant, cum ecce milites adſunt, pleni furoris, & eductis gladiis ad cædem omnia poſcunt, magno cum ululatu: veruntamen à cæde tamen ſibi temperant, & cum inſolenter multa feciſſent, omni argento & alimonia ſpoliatas abducunt. Erat ipſorum propoſiti, fœdius illas tractare: ſed à Centurione quodam equite interpellati, qui fortè ſuperveniens pœnam eis minabatur, & ad Minerium rectà contendere jubebat, ab incœpto deſiſtunt; iiſq; relictis, prædam & pecus abigunt. Erant mulieres numero circiter quingentæ. Minerius interim venit Merindolum, & cum vacuum habitatoribus reperiſſet, diripit ac incendit, edito prius exemplo valdè crudeli; nam adoleſcentem unicum ibi nactus, religari jubet ad oleam, & tormentis occidi; poſt, *Cabrietam* oppidum petit, & machinis concutit;

Minerii crudelitas.

concutit;

concutit ; & administrante Polino Duce, persuadet oppidanis, ut portam patefaciant, pollicitus immunitatem ; verùm intromisso milite post aliquam moram, côcisi fuerunt omnes, neque vel ætatis vel sexus ulla fuit habita ratio. Multi ad ædem sacram, alii aliò, quidam in cellam vinariam arcis confugerant: sed producti foras in pratum, vestibusque nudati, trucidantur ad unum ferè omnes, non viri tantum, sed & mulieres, pleræque gravidæ. Minerius etiam ad quadraginta circiter fœminas in horreum straminis atque fœni plenum includit, post ignem subjicit & incendit : cum illæ vestibus exutis conarentur flammam nascentem restinguere, neque possent, ad majorem fenestram qua fœnum recondi solet in horreum advolant, ut sese ejiciant sed ibi repulsæ telis & hastis, conflagrarunt omnes, fuit hoc Aprilis die XX. Post hæc Minerius partem copiarum mittit, qui *Costam* oppidum oppugnent ; iis jam ingressis iter, deprehenduntur illi, quos paulò antè in cellam vinariam confugisse diximus. Excitato igitur clamore, quasi laterent insidiæ, revocantur milites, & ad internecionem illos interficiunt. Cæsorum numerus repertus est tam in oppido quàm foris, numero ad octingentos ; qui superstites erant infantes, ab eo furore, plerique rebaptizati fuerunt ab hoste. Rebus ad Cabrietam expeditis, copiæ mittuntur Costam, ejus oppidi Dominus jam antè cum civibus egerat, ut in arcem arma sua conferrent, & quatuor diversis locis murum disjicerent : id si facerent, se pro sua gratia facilè perfecturum apud Minerium pollicebatur, ut à maleficio temperetur. Persuasi morem gerunt, post ille discedit, quasi deprecaturus : & non longè progressus, obvium habet militem, hi quum nihilò secius procederent, & impetu primo nihil efficerent, altera luce vehementius oppugnant, & incensis circum ædificiis omnibus suburbanis, facili manu capiunt, eò quod superiori nocte plerique deserta statione profugerant, delapsi funibus. Post editam ergo cædem, & oppidum direptum, decurrunt in hortum castello vicinum : & mulieres atque puellas, quæ trepidantes eò confugerant, promiscuè constuprant : & quum diem unum atque noctem inclusas detinuissent, adeò tractarunt inhumaniter, ut illæ quæ gerebant uterum, & natu minores puellæ non multo post extinguerentur. Interea Merindolani, & his adjuncti complures alii, qui per sylvas atque rupes oberrabant, intercepti, vel ad triremes mittebantur, vel confodiebantur, multi etiam inedia perierunt. Deinde non procul ab oppido Mussio, quod antè diximus, quidam ingressi cavernam : sub rupe latitabant, numero ad viginti quinque : sed proditi, fumo fuerunt omnes & igni enecati. Sic adeò nullum sævitiæ genus fuit prætermissum. Nonnulli tamen, qui lanienam hanc effugerant, Genevam & ad loca vicina pervenerunt. Hujus ergo rei fama cum in Germaniam emanasset, plurimorum animos offendit : & Helvetii quidem, qui non sunt Pontificiæ religionis, intercedebant ad Regem, ut in eos, qui profugissent, uteretur misericordia : Rex autem & justas esse causas, cur ita fecerit, & quid suis in finibus agat, aut quomodo in sontes animadvertat,

 non

non magis illos oportere ſollicitos eſſe de eo dicit, quàm ſit ipſe de illorum negociis.

Fidei Confeſſio à Waldenſibus exhibita Franciſco I. Galliæ Regi.

Anno ſuperiori miſerant VValdenſes *Regi* (*Galliæ*) doctrinæ ſuæ *Confeſſionem*, ſcripto comprehenſam, quo ſuam docerent innocentiam. Ejus doctrinæ capita ſunt: De Deo Patre, creatore omnium rerum; de Filio, Interceſſore & Advocato generis humani; de Spiritu ſancto, Conſolatore & Commonſtratore veritatis; de Eccleſia, quam ajunt eſſe cœtum omnino Electorum, & caput habere Ieſum Chriſtum; de miniſtris Eccleſiæ, quos loco removendos eſſe dicunt, niſi faciant officium; de Magiſtratu, quem inſtitutum à Deo fatentur, ut bonos defendat, ſontes verò puniat, deinde non honorem modò, ſed tributum etiam illis & vectigalia deberi, nec ullum ordinem hic excipi oportere, nimirum exemplo Chriſti, qui vectigal ipſe ſolvit; de Baptiſmo, quem ſignum eſſe viſibile dicunt, & externum, quod nobis & renovationem ſpiritus, & mortificationem membrorum repræſentet; de Cœna Domini, quam ajunt eſſe gratiarum actionem, & beneficii per Chriſtum accepti commemorationem; de Matrimonio, quod cum ſanctum ſit, & inſtitutum à Deo, nemini prohibendum eſſe judicant; de bonis Operibus, quæ nobis eſſe colenda docent, & exercenda, ſicut ſacræ literæ demonſtrent; de falſis dogmatis, quæ quoniam à vero cultu nos abducunt, vitanda eſſe pronunciant. In ſumma, fidei ſuæ normam & regulam eſſe dicunt, vetus & novum Teſtamentum, ſeque credere profitentur iis omnibus, quæ in Apoſtolorum Symbolo continentur. Poſtremò Regem orant, ut narrationi fidem habeat; etenim ſi quid fortè ſit delatum aliter, id falſum eſſe, velle ſe demonſtrare dicunt, ſi modò audiantur. Bello tum Rex erat implicatus, itaque conquievit actio; ſed facta pace, recruduit: & inſtigantibus nonnullis, in hanc tantam exarſit immanitatem. Hactenus Sleidanus.

* Confeſſionum Fratrum VValdenſium ad Regem Galliæ Franciſcum inſeruit Carolus Molinæus Tractatuî de Monarchiâ Francorum, Tom. 3. Oper. part. 2. colum. 578. edit. Pariſ. 1612. Aliam Profeſſionem doctrinæ à Fratribus VValdenſibus Regi Hungariæ Vladislao oblatum exhibet Orthuinus Gratius Faſciculo ſuo fol. 81. ad fol. 95. edit. Colon. 1535.

Waldenſiũ diſperſio fructuoſa per Italiam, Bohemiam, Germaniã.

Cæterum illi qui in Longobardiam profecti ſunt, multò plures mortales ad veram religionis ſententiam perduxerunt, latiusq; ſuam doctrinam diſſeminarunt; nam inde per totam Italiam uſque in Siciliam ſuum dogma ſparſerunt, ut Fridericus II. Imperator in ſuo contra ipſos mandato teſtatur. Inde etiam in Germaniam præſertim in Alſatiam, & circa Rhenum, item in Bohemiam, unde porrò in Saxoniam, Sileſiam, Moraviam, & Poloniam ea doctrina eſt ante annos 300. diſſeminata. Fuerunt enim in Longobardia veluti Scholæ ſeu Academiæ quædam hujus veræ Chriſti Theologiæ. Quæ omnia ex inquiſitionum libris, aliisq; minimè obſcuris teſtimoniis probare poſſum. Habeo Inquiſitionem in Bohemia & Polonia contra VValdenſes ſub Rege Ioanne, circa 1330. Domini annum factam, ubi inter alia diſertè fit mentio collectarum, quas fratribus & Præceptoribus ſuis in Lombardiam

diam ſoliti ſunt mittere, & in alia inquiſitione invenio, eos eſſe ſolitos ex Bohemia cauſa diſcendi Theologiam, ad ſuos Præceptores VValdenſes in Lombardiam proficiſci, veluti ad Scholam ſeu Academiam quandam.

Hermannus Mutius in ſua Germaniæ hiſtoria dicit, circa annum Domini 1212. fuiſſe multos in Alſatia nobiles & ignobiles qui, affirmaverint licitum eſſe uſum ciborum quorumvis quavis die, nec minorem eſſe in piſcibus quàm carnibus luxum, licitum etiam eſſe Sacerdotum conjugium; damnaſſe eos etiam Papam, qui talia prohiberet, *Ob quam cauſam*, ait, *Papam & Epiſcopos, ita in eos ſævisse, ut aliquando centum una die interficerentur*. Nauclerus narrat, eodem tempore etiam Mediolani & circa, fuiſſe ejuſdem ſententiæ ac doctrinæ homines, miſiſſeq; Alſatos Mediolanenſibus, tanquam Præceptoribus ſuas Collectas, ſive eleemoſynas. Vnde licet conjicere, utroſq; fuiſſe VValdenſes. Bruſchius in ſua * Monaſteriorum hiſtoria narrat, circa idem tempus 35. Cives Moguntinos Bingam adductos, ac ibi exuſtos, propter VValdenſium doctrinam. Habeo etiam brevem quandam Inquiſitionem, in Epiſcopatu Moguntinenſi contra VValdenſes factam. *Lib. 19. p. 176.* *2. Gen. 41. fol. 211.*

* Idem repetit Flacius inf. p. 532.

VValdenſes opinor & illos fuiſſe, de quibus Crantzius ſcribit libro 7. cap. 18. Metropoleos, quod ſub Friderico II. contra Papam & Monachos in Hala Sueviæ ſint concionati. *8. M. 18. p. 210.*

Habeo quoque magnum Proceſſuum volumen, in quo 443. VValdenſes nominatim examinati ſunt in Pomerania, Marchia, & vicinis locis, circa annum Domini 1391. & ſupradictos Articulos ſunt confeſſi. Multi eorum teſtantur, ſe 20. & 30. annos in ea ſecta fuiſſe; multi etiam affirmant, ſuos Majores quoque ſic ſenſiſſe. Subindicant tamen, ſubinde Doctores ſuos ex Bohemia ad ſe ventitare ſolere. Vnde apparet, etiam iſtas Saxonicas regiones jam ante ducentos annos & amplius, id eſt longè ante Huſs, plenas VValdenſibus, id eſt orthodoxis ſeu rectè ſentientibus Chriſtianis fuiſſe; nam ubi 443. nominatim ſunt examinati, ibi facilè eſt ratiocinari, etiam alios plurimos fuiſſe, qui non ſunt examinati, qui vel latitaverint, vel fuga ſibi conſuluerint; & ſanè illi, qui examinantur, ſubinde plures ejuſdem ſententiæ homines, qui non aderant, nominant.

Faſciculus Temporum * indicat, eos etiam progreſſu temporis doctos ac ſubtiles Doctores, dogmatumq; ſuorum propugnatores habuiſſe, & non pauca ſcripſiſſe. Iidem ſanè ſolidis ſacrarum literarum argumentis ſeſe defenderunt, ut ex Alani refutatione apparet, quibus nos hodie contra Pontificios utimur. **fol. 112. edit. 1476.*

Politia porrò eorum Eccleſiæ varia fuit. Haud enim ſcio an uſquam diu publicè ſeu manifeſtè ſuam doctrinam ſint profeſſi, ſuas cæremonias & Conciones publicè peregerint, præterquam in Bohemia, & in quadam valle in radicibus Alpium, non ita procul à Mediolano, vocata Lucerxa, & fortè in Provincia Narbonenſi, ut ſuprà dictum eſt. In quibus locis & hodierna die publicè ſuum dogma *Politia Eccleſiaſtica Waldenſiũ.*

profitentur, docent, ac cæremonias ſacramentaque adminiſtrant. In aliis locis plerunque clam eſſe ſunt coacti: eoque varias temporum, doctorum ac locorum commoditates excogitarunt, ut modò contra tam duram Antichriſti perſequutionem latitare poſſent.

Confeſſiones & Scripta. Non eſt quidem id omnino probandum, quod in multis locis diu ſine ulla publica Confeſſione fuerint; ſed tamen negare non audeo, quin & illa ſeptem millia longo tempore furente Achabo & Iezabele latitantium piorum, fuerint Dei populus, ac ad æternam vitam pertinuerint: ſi modò ſuam imbecillitatem ac nimiã timiditatem peccatum eſſe agnoverunt, & à Deo ejus veniam petierunt. Valde mirum ac dolendum eſt, nullum paulò vetuſtius eorum ſcriptum extare. Sed cauſa indicatur in quibuſdam Commentariolis Apocalypſis, Lutheri opera evulgatis, quæ fortè ab aliquo ejus ſententiæ homine ſcripta olim ſunt. Indicat enim ille bonus vir, quiſquis ejus libelli author eſt, Papiſtas, & præſertim Monachos ſummo ſtudio talia ſcripta conquiſiviſſe, ac oppreſſiſſe.

Thaboritarũ Confeſſio. Ego *Thaboritarum Confeſſionem* anno 1431. ſcriptam habeo, penitus cum noſtra doctrina conſentientem, validiſſimisq; argumentis ſubnixam, quam aliquando edam. Teſtatur verò * Sylvius, apud Thaboritas Valdenſem doctrinã regnaſſe. Eſt ſanè longè melior ac purior in ea confeſſione ſententia, de omnibus religionis partibus, quàm vel Huſſi, vel VViclefi fuerit. Ac nequeo ſanè mirari, qui acciderit, quod cum eodem tempore ſimul Huſſius & VValdenſes in Boemia fuerint, non tamen ex eorum collatione Huſſius ſuam doctrinam aliquanto purgatiorem ac ſolidiorem effecerit, validioribusq; argumentis ſua comprobaverit. Sed quoquo modo acciderit, ſanè poſteri eorum acerrimè inter ſeſe ſunt digladiati; nam Thaboritæ, qui revera VValdenſium dogma ſunt ſequuti, licet Huſſitæ videri vellent, & ex cœtu ejus prodiiſſent, graviſſimè ſunt vexati & oppugnati à Rokenzana, & ejus complicibus omnibus, Pragenſibus magiſtris, qui & ipſi vel maximè ipſiſſimam Huſſii doctrinam ac ſententiam retinere videri volebant.

** Hiſt. Bohem. c. 35. 40. 50.*

Verùm cum ipſorum VValdenſium vetuſtiora ſcripta haberi nequeant, apponemus hic Papiſtæ cujuſpiam, *Reinerii*, * ut opinor, ſummam prolixam dogmatum ipſorum, fortè ante 300. annos confectam, & à nobis ex veteri membranaceo libro deſumptam. Etſi autem is ipſe VValdenſium adverſarius, duriſſimis ac odioſis verbis eorum dogmata proponit; tamen ſyncerus ac candidus Iudex, neglecta illa hoſtis verborum acerbitate, facilè animadvertet, quid illi ſenſerint. Quare ego quidem bona fide verba adverſarii apponam, ſed lectores veritatis cupidi, ἐπιείκειαν in judicando afferant; ac ſciant, ſe inimici non hiſtorici aut æqui judicis, de ſuo adverſario ſcriptum legere.

* Rectè opinatur, nam id indicat Scriptum Reinerii à Gretſero unà cum aliis ſcriptis editum Ingolſtadii 1613.

De

De VValdensibus & eorum doctrina, ex veteri codice desumptum scriptum, à Pontificio Doctore Reinerio exaratum.

HÆresis septem sunt causæ. Prima est, *inanis gloria*, quia enim viderunt Doctores in Ecclesia honorari, ideo & ipsi appetunt honorari. Secunda est, quòd omnes viri & mulieres, parvi & magni, *nocte & die non cessant discere & docere*. Operarius enim in die laborando, nocte discit & docet; ideo parum orant, propter studium. Docent etiam & discipuli sine libris. Docent etiam in domibus leprosorum. Item pro introductionibus seu traditionibus docent vitare septem mortalia peccata, & tria, scilicet mendacium, detractionem, & juramentum. Hoc multis autoritatibus confirmant, & hoc vocant decem præcepta. Item discipulus septem dierum, alium quærit quem doceat, ut cortina cortinam trahat, qui excusat se, quòd non possit discere, dicunt ei: *Disce quotidie unum verbum, & post annum scies dicta, & sic proficies.* Audivi ab ore credentis cujusdam, quod quidam hæreticus, quem novi, ad hoc tantum, ut eum à fide nostra averteret, & ad suam perduceret perverteretque, nocte hyemali tempore per aquam, quæ dicitur Ibis, natavit ad ipsum. Erubescat negligentia fidelium Doctorum, qui non sic zelant catholicæ fidei veritatem, sicut perfidi Leonistæ zelant infidelitatis errorem. Observa fervorem in docendo ac discendo.

Biblia vulgari idiomate Waldensibus familiaria.

Tertia causa est, quia *Novum Testamentum & Vetus vulgariter transtulerunt*; & sic docent & discunt. Vidi & audivi rusticum idiotam, qui Iob recitavit de verbo ad verbum; & plures alios, qui Novum Testamentum totum sciverunt perfectè; & quia sunt laici idiotæ falsè & corruptè exponunt Scripturam, ut Iohan. 1.

2. *Sui*, id est *porci*, eum non receperunt (sui dicentes, id est, sues,) & in Psalmo, *Increpa feras arundinis* dicunt reflectere diu terræ, die Schwalmen/ arundinis pro hirundinis. Psalmis etiam imponunt titulos, der meide Psalm/ Exurgat Deus, der Raach Psalm/ De profundis, der Buß Psalm/ & sic de cæteris. 3. Item in locis occultis docent & discunt, nec aliquem admittunt, qui non sit fidei eorum. Cum in unam conveniunt, primò dicunt: *Cavete ne inter vos sit curvum lignum:* id est, ne aliquis extraneus adsit, & suam doctrinam præcipiunt occultari Clericis; sicut quidam loquuntur per signa, quæ nullus intelligit nisi ipsi, sic & ipsi verba transformant. Ecclesiam vocant Steinhauß/ vel Strohhauß/ clericos, scribas, religiosos, Pharisæos, & sic de multis aliis directè non respondent.

2. *Est pius jocus*, sui *pro Sues. Addit Goulartius* p. 542. suum nomine Pontificium Clerum *intellexisse*. 3. *Duræ persecutiones eos monuerunt, ut in locis occultis docerent, sibi à prava generatione caverent,*

Quarta causa est, exemplum, de malo exemplo quorundam, ut cum malè vivere viderint quosdam, dicunt: *sic Apostoli non vixerunt*, vel, *Sic nec nos, qui sumus imitatores Apostolorum.*

Quinta causa est, *insufficientia doctrinæ quorundam Sacerdotum*, qui prædicant quandoque frivola, vel falsa. Vnde quicquid Ecclesiæ Doctor docet, quod per textum Novi Testamenti non probant, hoc pro fabulis totum habent.

Sexta causa est, *irreverentia*, quam exhibent quidam Ministri Ecclesiæ Sacramentis.

Septima causa est, *odium*, quod habent contra Ecclesiam. Audivi ab ore hæreticorum, quod intendebant Clericos & claustrales redigere ad statum fossorum, per ablationem decimarum & possessionum, & per potentiam & multitudinem credentium eorum fautorum. Cum quidam hæresiarcha hæreticus chirothecarius in Cheron duceretur ad mortem, dixit coram omnibus: *Meritò nos damnatis modò, quia si status noster non esset imminoratus, potestatem mortis, quam exercetis contra nos, modó exercuissemus contra Clericos & religiosos.*

* Goulartius addidit: *Id dictum mendaciter & invidiosè est à scriptore Pontificio; nec ex Waldensium doctrina vel moribus colligi potest, illos in Pontificiorum vitã vel facultates unquam conspirasse.*

In omnibus enim sunt civitatibus Lombardiæ; & in Provincia, & in aliis Regnis & terris, plures auditores habebant, & in publico disputabant, & populum vocabant ad stationes solennes in foro, & in campo, & prædicabant in tectis. Non erat qui eos impedire auderet, propter potentiam & multitudinem fautorum suorum. Inquisitioni & examinationi frequenter interfui. Et computatæ sunt 40. Ecclesiæ, quæ hæresi infectæ fuerunt, ac in sola parochia Cammach fuerunt decem scholæ hæreticorum; & hujus parochiæ Plebanus est ab hæreticis interfectus; & de hoc nullum judicium est secutum.

Sectæ hæreticorum ab olim fuerunt multæ, inter quas omnes sectas, quæ sunt vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesiæ Dei, quàm *Pauperum de Lugduno*, tribus de causis. Prima, quia *diuturnior*. Quidam dicunt, quod duraverit à tempore Sylvestri. Alii dicunt, quod à tempore Apostolorum. Secunda est, quia *generalior*. Ferè enim nulla terra est, in quam hæc secta non serpat. Tertia, quod omnes aliæ, cum immanitate blasphemiarum in Deum, horrorem inducant, hæc Leonistarum magnam habens speciem pietatis, eo quod coram hominibus justè vivant, & benè omnia de Deo credant, & omnes articulos qui in Symbolo continentur; solam Romanam Ecclesiam blasphemant, & oderunt; cui multitudo facilis est ad credendum, sicut & vulpes Samsonis, diversas faces habebant, sed caudas sibi invicem colligatas: sic hæretici sunt diversi in sectis inter se, sed in impugnatione Ecclesiæ sunt uniti. Quandoque in una domo sunt hæretici trium sectarum, quarum quælibet damnat alteram, & simul Ecclesiam Romanam impugnant: & sic sub dolo vulpeculæ, vineam Domini, id est Ecclesiam, demoliuntur erroribus.

Omnis ergo fidelis Christi, qui legit has nefandissimas blasphemias & errores,

errores, compatiatur ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, matri noſtræ, ob pretioſum ſanguinem Ieſu Chriſti, quem fudit pro ea, ut fideliter ſe accingat hæreticorum Leoniſtarum ſpurciſſimos errores rationibus, & præcipuè Novi Teſtamenti autoritatibus confutando. Ipſi enim intendunt funditus ſubruere fidem noſtram. Et quia heu rarus eſt, qui conſurgat cum Chriſto verſus hæreticos malignantes, opponens ſe murum pro domo Domini, tu ipſe ſurge Deus, & judica cauſam tuam. Plurima de his, quæ ſubſcripta ſunt, audivi ex ore ipſorum hæreticorum, quædam etiam in ſcriptis Catholicorum inveni.

Origo Waldenſium.

Secta autem *Pauperum de Lugduno*, orta eſt hoc modo. Cum cives majores eſſent in Lugduno pariter, contigit quendam mori ex eis ſubitò coram eis, unde quidam de majoribus inter eos tantum fuit territus, quòd ſtatim magnum theſaurum pauperibus erogavit, & ex hoc maxima multitudo pauperum confluxit ad eum, quos habere (4.) voluntariam paupertatem inſtituit, & eſſe imitatores Chriſti & Apoſtolorum. Cum enim eſſet aliquantulũ literatus, Novi Teſtamenti Textum docuit eos vulgariter. Pro qua temeritate cum fuit ab Epiſcopo reprehenſus, contempſit, & incepit inſtare doctrinæ ſuæ, dicens diſcipulis ſuis, quod Clerus, pro eo quod malæ vitæ eſſet, invideret ſanctæ vitæ ipſorum, & perfectæ doctrinæ; cum autem propter hoc ſententiam excommunicationis tuliſſet in eos, pertinaciter cõtempſerunt: & ſic uſque hodie in omnibus terminis illis proficit doctrina ipſorum.

(4.) *Falſum eſt VVald. habere votum paupertatis, ſed perſecutio adverſariorum eos paupertatem docuit.*

Errores iſtorum diſtinguuntur *in tres partes*. *Una* pars eſt de blaſphemiis, quibus blaſphemant Romanam Eccleſiam, & facta ſtatuta ipſius, & omnem Clerum. *Alia pars* errorum eſt, contra Eccleſiaſtica Sacramenta, & Sanctos. *Tertia pars* eſt de deteſtationibus eorum, quibus omnes honeſtas & approbatas conſuetudines Eccleſiæ deteſtantur, contra Romanam Eccleſiam.

Waldenſiũ dogmata ex Pontificii Scriptoris recenſione, variis locis inepta, falſa, & ad ſuorum genium accommodata.

Primus error de prima parte eſt, quod *Eccleſia Romana non ſit Ieſu Chriſti*, ſed *Eccleſia malignantium*; & quod defecerit à Sylveſtro, cùm venenum temporalium in Eccleſiam infuſum ſit. Secundus, quod omnia vitia & peccata ſint in Eccleſia, & quod ipſi ſoli juſtè vivant. Tertius, quod doctrinam Evangelicam penè nullus ſervet in Eccleſia, præter eos. Quartus, quod ipſi ſunt veri pauperes ſpiritu, & perſecutionem patiuntur propter juſtitiam & fidem. Quintus, quod ipſi ſunt Eccleſia Ieſu Chriſti. Sextus, quod Romanam Eccleſiam Orientalis non curat: item quod Romana Eccleſia ſit illa meretrix in Apocalypſi. Septimus, ſtatuta omnia Eccleſiæ contemnunt, quia ſunt gravia & plurima. Octavus, quod *Papa ſit caput omnium errorum*. Nonus, quod Prælati ſunt Scribæ, & religioſi Phariſæi. Decimus, quod Papa & omnes Epiſcopi ſunt homicidæ propter bella. Vndecimus, quod non ſit obediendum Prælatis, ſed tantum Deo. Act. 5. *Oportet* Deo, &c. Duodecimus, quod nemo major ſit altero in Eccleſia. Matth. *Vos omnes fratres eſtis*.

Decimus-

Decimustertius, quòd nemo debeat flectere genua Sacerdoti. Apoc. *Angelus Johanni dixit*: *Vide ne feceris.* Decimusquartus, quod decimæ non ſint dandæ; quia in primitiva Eccleſia non dabantur. Decimusquintus, quòd Clerici poſſeſſiones non debent habere: Deut. *Non habebunt Sacerdotes & omnes qui de tribu Levi ſunt, partem & hæreditatem cum populo Iſrael, quia ſacrificia comedunt, & nihil aliud accipient.* Decimusſextus, quòd Clerici & Clauſtrales non debeant præbendas habere. Decimusſeptimus, quòd Regalia non debent habere Epiſcopi & Abbates. Decimusoctavus, quòd terra & populus non ſit per Parochias dividendus. Decimusnonus, quòd malum ſit dotare & fundare Eccleſias & clauſtra. Et quòd teſtamenta Eccleſiis non ſint ordinanda. Quòd nullus debeat fieri Eccleſiæ cenſualis, & omnem Clerum damnant propter otium, dicentes eos debere manibus operari, ſicut Apoſtoli. Nomina Prælatorum reprobant, ut Papa, Epiſcopus, &c. Quòd nemo cogendus ſit ad fidem. Omnia (5) officia Eccleſiaſtica reprobant, & nulla reputant, privilegia Eccleſiaſtica nihil curant. Immunitatem Eccleſiæ & perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum ſpernunt. (6.) Concilia, Conventus & Synodos deſpiciunt. Et dicunt quòd omnia jura parochialia ſint tantum adinventiones. Quòd omnes obſervantiæ religioſorum ſint traditiones Phariſæorum.

De ſecunda parte errorum: Omnia Sacramenta Eccleſiæ damnant. (7.) De Sacramento Baptiſmi dicunt quòd nihil ſit Catechriſmus; quòd abſolutio, quæ datur infantibus, nihil proſit: quòd ſuſceptores, quid reſpondeant Sacerdoti, non intelligant. Quòd oblatio, quę dicitur abvvegen, ſit adinventio. Exorciſmos omnes & benedictiones reprobant. Mirantur etiam, quare Epiſcopis ſolis liceat confirmare. (8.) De Sacramento Euchariſtiæ dicunt, quòd Sacerdos in mortali peccato nō poſſit conficere. Quòd bonus laicus, etiam mulier, ſi ſcit verba, conficiat. Quòd tranſſubſtantiatio non fit in manu indignè conficientis, ſed in ore dignè ſumentis, & confici poſſit in menſa communi. Malach. In omni loco offertur nomini meo oblatio munda. Quòd ſemel tantum in anno communicant fideles, reprobant. Quòd ipſi communicant quotidie. Quòd tranſſubſtantiatio fiat per verba vulgari ſermone prolata. Quòd Miſſa nihil ſit, quòd eam Apoſtoli non habebant, & quòd fiat propter quæſtum. Canonem Miſſæ non recipiunt, niſi tantum verba Chriſti vulgariter. (9.) Cantum Eccleſiæ dicunt eſſe clamorem infernalem. Horas canonicas reprobant. Quòd oblatio Sacerdotis, quæ fit in Miſſa, nihil proſit. Oſculum pacis & altaris, & manus Sacerdotis, & pedum Papæ, reprobant. De Sacramento pœnitentiæ dicunt, quòd nullus poſſit abſolvi à malo Sacerdote. Quòd bonus laicus habeat abſolvendi poteſtatem: quòd ipſi per impoſitionem manus peccata dimittant, & dent Spiritum Sanctum. Quòd confitendum ſit potius bono laico, quàm malo Sacerdoti. (10.) Quod non ſit gravis pœnitentia imponenda, exemplo Chriſti. *Vade, noli amplius peccare.* Publicas pœnitentias, ut catenas reprobant, maximè in fœminis. Quod generalis confeſſio non ſit ſingulis annis facienda.

8. Sacra-

8. Sacramentum conjugii damnant, dicentes, mortaliter peccare conjuges si absq; spe prolis conveniant. Compaternitatem nihil reputant, quo ad conjugii impeditionem. Gradus affinitatis, & consanguinitatis carnalis & spiritualis quos 7. etiam instituit Ecclesia, & impedimenta ordinis & publicæ honestatis, & Ecclesiæ vetitum spernunt. Quòd fœmina post partum non egeat benedictione & introductione. Quòd erraverit Ecclesia, Clericis matrimonium prohibendo, cum etiam Orientalis concedat ut contrahant. Quòd continentes non peccant per osculum aut amplexus.

(5.) Intellexerunt proculdubio de actionibus cæremoniariis, ab hominibus excogitatis. (6,) Damnaverunt proculdubio Conciliorum abusum tantum. (7,) Credo reprehendisse, quod Catechismus latinè, non vulgari lingua à Papistis peractus est; nam VVald. semper suos infantes baptizarunt. (8.) Id est, docuerunt impuros Sacerdotes à Ministerio arcendos. Sed adversarius omnia depravat. (9.) Docuerunt proculdubio, illum locum sine fide esse inutilem. (10.) Ex hac fortè sententia superiora absurda hic adversarius colligit. (11.) Hoc propalam falsum est.

Sacramentum unctionis reprobant, quia tantum divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi necessarios. Sacramentũ ordinis nihil dicunt esse, quòd omnis bonus laicus sit Sacerdos, sicut Apostoli laici erant. Quòd oratio mali Sacerdotis nulli prosit. Greg. Cum quis cui displicet. Quòd oratio latina laicis nõ prosit. Tonsuram clericalem derident. Quod illegitimi & pueri & notorii peccatores in Ecclesia sublimantur, etiam subsannant. Quòd omnis laicus & fœmina debeat prædicare. Corin. Volo vos omnes loqui linguis, ut Ecclesia ædificationem accipiat. Quicquid prædicatur quod per textum Bibliæ non probatur, pro fabulis habent: quòd sacra Scriptura eundem effectum habeat in vulgari, quem habet in latino: unde conficiunt in vulgari, & dant Sacramenta. Textum verò Novi & Veteris Testamenti magnam partem vulgariter sciunt memoriter. Decretales & Decretum, & dicta expositiones Sanctorum respuunt, & tantum inhærent textui sacrarum literarum. Excommunicationem contemnunt. Absolutionem non curant, nisi solum Deum. Indulgentias Ecclesiæ respuunt, dispensationem derident, irregularitatem non credunt: nullum Sanctum credunt nisi Apostolos, nullum Sanctum invocant. (13.) Canonisationem & translationem & Vigilias Sanctorum contemnunt. Laicos, qui fortè Sanctos eligunt in altari, derident. Letaniam nunquam legunt. Legendas Sanctorum non credunt, miracula Sanctorum subsannant: reliquias Sanctorum contemnunt. (14.) Lignum sanctæ crucis horrent, propter supplicium Christi, nec signant se tali. Quòd doctrina Christi, sive Apostolorum, sine statutis Ecclesiæ sufficiat ad salutem. Quòd traditio Ecclesiæ sit traditio Pharisæorum: & quòd major vis fiat in transgressione humanæ traditionis, quàm legis divinæ: Matthæi 15. Quare transgredimini mandata Dei, &c. Mysticum sensum in Scripturis divinis refutant, præcipuè in dictis & actis ab Ecclesia traditis & editis: ut quòd gallus super campanile significet Doctorem, & similia.

Cap. 5. p. 85.

(12.) Scilicet servato ordine (13.) Id est, penitus damnarunt functionem Sacerdotum veritatem persequentium. (14.) Id est, otiosas significationes cæremoniarum & vestimentorum Ecclesiasticorum.

Tertiæ partis errores sunt hi: Omnes consuetudines Ecclesiæ approbatas, quas in Evangelio non legunt, contemnunt: ut festum luminũ, palmarum, reconliationem pœnitentium, adorationem crucis in parasceve: Festum Paschæ, & omnia Festa Christi & Sanctorum spernunt, propter multiplicationem Festorum: & dicunt, quòd unus dies sit sicut alius, & in Festo operantur occultè. Iejunia Ecclesiæ non curant: Esaiæ 5. Numquid est tale jejunium, quod elegi. Omnes dedicationes, consecrationes & benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, chrismatis, ignis, cerei, agni paschalis, matrum post partum, peregrinorum, locorum sacrorum, personarum sacrarum, vestium, salis & aquæ, derident. Ecclesiam muratam reputant ut horreum, & appellant vulgariter Steinhauß / nec Deum ibi habitare autumant. Actorum 17. Non in templis manufactis habitat Deus, & quòd orationes non plus ibi valeant quàm in cubiculo: Matth. 6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum. Dedicationem Ecclesiæ nihil curant, & altaris, ornatum Ecclesiæ dicunt esse peccatum, & quòd melius esset vestire pauperes, quàm ornare parietes. Dicunt de altari, quod damnum sit putrescere pannum super lapides: & quòd Christus non dedit Apostolis stolas, nec casulas, nec infulam.

Idem conficiunt in picario, id est, poculo domestico, pro calice: & dicunt, quòd corporale sit, ut pannus braccarum. De lumine dicunt, quòd Deus, qui est lux vera, non indigeat lumine : & ad hoc valere in templo, ne Clerici pedes lædant. Thurificationem reprobant. Aquam benedictam dicunt ut simplicem. Imagines & picturas dicunt esse idololatriam. Canticum Ecclesiæ subsannant: & quòd in verbis tantum, & non in melodia sit vis. Clamores laicorum derident: processiones festivas, ut paschæ, & lugubres, ut dies rogationum & funerum respuunt. Dicunt, quòd cantus diurnus & nocturnus noviter sit à Gregorio institutus, quem prius Ecclesia non habebat. Quòd Sacerdos plures Missas una die diversis cantare permittit, reprehendunt. Quòd infirmi ante altare super asserẽ se movent, subsannant. Tempore interdicti exultant, quia tunc plures corrumpunt, dicentes, quòd cogantur ire ad Ecclesiam propter quæstum, ipsi etiam ad Ecclesiam fictè vadunt, (15.) offerunt, & confitentur, & communicant fictè. Peregrinari Romam & ultra mare, dissuadent: cum ipsi se fingant peregrinari, & ita Lombardiam intrantes visitant Episcopos suos, Sepulchrum Domini & Sanctorum sepulchra contemnunt. Item Ecclesiasticam sepulturam reprobant. Matth. 23. Qui ædificatis sepulchra, (16.) vellent etiam potius sepeliri in campo, quàm in cœmiterio, si Ecclesiam non timerent. Quòd exequiæ mortuorum, Missæ defunctorum, oblationes, pompæ funerum, testamenta, legata, visitatio sepulchrorum, Vigiliæ lectæ, & anniversaria, & cætera suffragia animabus non prosint. Vigilias nocturnas

funerum

funerum reprobant, propter insanias & scelera quæ ibi fiunt & perpetrantur. Cõfraternitatem Clericorum & Laicorum, quæ dicitur zech, dissuadent : & hæc omnia dicunt agi propter quæstum.

(15.) *Id est, forte aliquando periculi causa, miseri homines aliquid simularunt aut dissimularunt* (16.) *Id est, Nihil ad salutem referre putant, ubi quis computrescat, contra Papistarum superstitionem.*

Hos omnes errores habent, quia negant purgatorium: dicentes tantum duas vias esse: unam electorum ad cœlum, aliam damnatorum ad infernum. Eccles. 11. Lignum quocunque ceciderit, ibi erit. Si est bonus, non indiget suffragio: si est malus, nihil prodest. Item quòd omne peccatum sit mortale, & nullum veniale. Item quòd unum Pater noster plus valeat, quàm decem campanarum sonitus, & plus quàm Missa. Quòd (17.) omne juramentum mortale sit peccatum: Matth. 5. Nolite jurare omnino, sed sit sermo vester, est est, non non. Qui dicit, verè, vel certè, reputant juramentum: per hoc se à peccato excusans, ne prodat secreta, imò plus quàm homicidam reputant, qui cogit jurare: ut confirmator, quia confirmando exigit juramentum: & judex à testibus, & examinator in fide, & Sacerdos qui cogit abjurare peccata, unde multi fiunt perjuri. Item reprehendunt, qui dicit, quòd violans fidem, quam Sacerdoti dedit, reus sit septem perjuriorum : quòd omnes Iudices & Principes damnantur, & dicunt maleficos non damnandos. Rom. 12. Mihi vindictam, & ego retribuam. Matth. 13. Sinite utraq; crescere. Item, judicia Ecclesiastica, quæ habent Sacerdotes, fieri dicunt non correctionis causa, sed propter quæstum.

(17.) *Fortè abusum & nimiam consuetudinem jurandi reprobarunt.*

Explanatio dictorum Errorum, à Reinerio edita.

SEquitur *Explanatio dictorum errorum, cum occasionibus suis, & solutionibus catholicis. Primus itaque error Pauperum de Lugduno, qui & *Leonistæ* vocantur, est quòd Romana Ecclesia non est Ecclesia Iesu, sed Ecclesia malignantium, & meretricis, quæ sedet super bestiam in Apocalypsi, & quòd defecit sub Sylvestro cum venenum temporalium in Ecclesiam est infusum. Item quòd ipsi sint Ecclesia Iesu Christi, quia ipsi doctrinam Evangelii & Apostolorum verbis & exemplis observant.

Pontificii Scriptoris de hactenus dictis censura.

* Extat etiam apud Freherum Rer. Bohem. Scriptor. p 226. Omisit Gretserus in sua editione, quia ait in *papyraceo suo Codice, admodum vitiosè exarato, eam partem* non se invenisse.

Deinde transeamus ad alios errores eorum. Omnia statuta Ecclesiæ contemnunt, nulla esse, autoritatibus & rationibus probantes. Levit. Arreptis Nadab & Abiu thuribulis, obtulerunt ignem alienum, quod eis non erat præceptum, & devoravit eos ignis. Glos. Ignem alienum offert, qui contra statuta Dei alias tradi-

tiones docet, vel obſervat · & tales ſunt traditiones Eccleſiæ: ergo,&c. Catholica ſolutio: alienas traditiones,id eſt contrarias Evangelio. Item Deut. Non addes aliud verbum,nec minues aliquid. Solutio:ad verbum,textui ſenſum corrumpendo. Item, Quod ego præcipio tibi,hoc tantum fac. Solutio: Quædam præcepit Deus per ſe tantum, ut Evangelium: quædam per miniſtros,ut per Apoſtolos,Epiſtolas. Item, Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.

Item dicunt,doctrinam Evangelicam & Apoſtolicam ſufficere ad ſalutem,& ſtatuta Eccleſiæ & Canones eſſe traditiones: Matth. Quare tranſgredimini mandata,&c. contrà,ſi Moyſi licuit & Prophetis addere legi,& mutare quæ non erant contraria legi, ut ſabbatho pugnare: & ſi licuit Apoſtolis addere doctrinæ Chriſti: ergo & ſucceſſoribus Apoſtolorum, ſcilicet Doctoribus Eccleſiæ, licet addere quæ ſunt utilia & honeſta. Chriſtus inſtituit baptizare in nomine Patris & filii & ſpiritus Sancti. Apoſtoli verò in nomine Chriſti,contra formam Chriſti. Corinth. Ego dico,non Dominus.Item,Euchariſtiam, quam prius paraphraſi ſumebant,Apoſtolus à jejunio ſumi jubet.Item, Apoſtolus in ordine bigamiam & excommunicationem inſtituit. Item,Iacobus confeſſionem & inunctionem extremam .Item,ſi hæreticis orationes licet facere,& benedictiones,& expoſitiones novas, & ſtatuta, & habere conſuetudines, quas Apoſtoli non habebant: igitur & eadem ratione Eccleſiæ licet.Matth. Super cathedram,&c. omnia quæ dicunt facite,&c. Deut. Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdoti,moriatur.Ex hoc patet,quòd inſtitutiones Eccleſiæ & Prælatorum tenemur ſervare. In eodem. Ad verbum Sacerdotis omne negotium pendet. Luc. Qui vos audit,&c.Rom. Omnis anima poteſtatibus ſeculi ſubdita ſit. Heb. Obedite præpoſitis.

Occaſionem hujus erroris dicunt,quòd ſtatuta Eccleſiæ gravia ſunt & multa, Chriſti verò levia & pauca · Act. Cur tentatis imponere onus ſuper cervices diſcipulorum, quod nec,&c. Item,multiplicatio præceptorum,implicationem inducit tranſgreſſionum. Item,quòd quædam ſtatuta Eccleſiæ contraria ſunt ſtatutis divinis, ut de poſſeſſionibus Eccleſiæ: Deut.Non habebunt Sacerdotes Patrem cum populo. Item,ſtatuta Chriſti ſunt univerſalia,Eccleſiæ verò particularia:ut de decimis,Deut.Item,Orientalis Eccleſia non curat ſtatuta.Item,qui ſtatuit,non obſervat: Matth.Alligant onera gravia,&c.Item,ſtatuta Eccleſiæ frequenter mutantur,ut de gradibus conſanguinitatis. Chriſti verò nunquam.Luc. Verba mea non tranſibunt,&c. Item,Eccleſia ſtatuit quæ ſibi competunt, ut libertatem.Item,ſtatuta Chriſti finita ſunt, ſed Eccleſia infinita.

De Pontifice & Clero Pontificio.

Papam dicunt eſſe *caput omnium errorum*, vocantes *cæcos* Prælatos religioſos *Phariſæos*. Dicunt, non operantes Clericos peccare. Hos dicunt plenos ſuperbia,avaritia,invidia. Superbia, Matth. Amant primos accubitus, & vocari ab hominibus Rabbi. Avaritia,quia omnia faciunt propter quæſtum: Ierem: A minore uſque

usque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent. Invidia, quia ſoli volunt eſſe magiſtri: Matth. Væ vobis ſcribæ, qui tuliſtis clavem ſcientiæ, &c. Vnde dicunt, quod omnis homo & fœminæ debeant prædicare: Num. Dixit Moyſes, Quis det ut omnes prophetent? Item, Poteſtis per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant. Matth. Si hi tacebunt, lapides clamabunt. Apoc. Qui audit, dicat veni. Item, quia Apoſtoli prædicantes fuerunt laici. Item, ſi licet laico prædicare propter quæſtum, multò magis propter Deum.

Contra. Rom. Quomodo prædicabunt, ſi non mittantur? Ad hoc dicunt ſe mitti inſpiratione divina, Item, ordo Doctorum eſt præcipuus in Eccleſia Dei: Eph. Ipſe dedit quoſdam Doctores, alios Paſtores: Cor. Poſuit Deus in Eccleſia Prophetas, alios Doctores, alios Paſtores, &c. Nunquid omnes Doctores? Corint. Mulieres in Eccleſia taceant non enim permittuntur loqui. Item, Catholicos prædicantes hæretici capiunt in ſermone. Vnde quicquid prædicatur per novum & vetus Teſtamentum non probabant: talem prædicationem mendacium eſſe dicunt.

Dicunt etiam ſoli Deo obediendum, non Prælatis, nec Papæ. Actor. Obedire oportet, &c. Idolola triare dicunt Eccleſiam, occaſione quorundam prædicantium, Papam Deum eſſe terræ, majorem hominibus, parem Angelis, & quia non poſſit peccare. Vnde reprobant, quod ipſum Papam patrem vocamus, & Monachi Abbatem. Matth. Patrem nolite vocare, &c. Item quòd dicunt quidam, obediendum eſſe quid præcipiant. Item genuflexiones quæ fiunt ſacerdotibus, contemnunt: Apoc. Cecidi ante pedes Angeli, & dixit, vide ne feceris.

Sacramenta (18.) Eccleſiæ contemnunt occaſione ſcilicet irreverentiæ, quam quidam ſacerdotes exhibent ſacramentis, & quia ſunt venalia ſacramenta, & propter malam vitam quorundam miniſtrorum. Dicunt etiam Papam & omnes Epiſcopos eſſe homicidas, occaſione belli, quod exercent contra Chriſtianos, paganos & hæreticos: & eos qui crucem prædicant, damnant. Quòd Pruteni & pagani non ſint gladio cogendi ad fidem, ſed prædicatione alliciendi. Contrà. Exod. Dixit Moyſes, ponat unusquisque, &c. Petrus maledixit Ananiæ, & mortuus eſt.

18. Id eſt vituperant abuſum & profanationem ſacramentorum, quæ ab impuris ſacerdotibus fit, non uſum vel inſtitutionem.

De Baptiſmo (19.) errant quidam dicentes, parvulos non ſalvari per baptiſmum: Matth. Qui crediderit & baptiſatus fuerit, &c. ſed infans non credit: ergo non ſalvatur. Solutio: Infans baptizatur in fide parentum. Quidam baptizant, alii imponunt manus pro baptiſmo. Occaſio, (20.) quia ſuſceptor non intelligit quæſtiones ſacerdotis. Matth. Sinite parvulos venire, &c. Chriſma reprobant. Contrà, Apoſtoli ungebant oleo: Luc.

19. Hunc errorem nec jam habent; nec alii ſcriptores, ut Sylvius, eis objiciunt.

20. Cupierunt baptiſma fieri vulgari ſermone.

Confirmationem non curant, hanc pauciſſimi recipiunt, etiam quinquagenarii reprehendunt, quod hanc Epiſcopi ſolis ſibi ſervent, licet corpus Domini ſit dignius. Solutio: Soli Apoſtoli manus imponebant: ut Matthiæ, Actuum.

Sacramentum Euchariſtiæ dicunt* ſacerdotem immortali peccato conficere non poſſe. Reg. Quia Oza mortuus eſt, quia tetigit arcam: & Ioannes non audet attingere verticem Domini. Item dicunt, quod bonus laicus, etiam mulier, ſi ſcit verba, poſſit conficere. Item, quod non in manu conficientis, ſed in ore dignè ſumentis, fiat transſubſtantiatio: Pſalm. Deſiderium pauperum exaudivit Dominus. Occaſio erroris ipſorum: quia corpus Domini miniſtrabant Levitæ, ut Laurentius, & Tharſinus Romæ paſſus. Item, quidam conficiunt ex quacunque forma, quidam ex labruſca, quidam extincto pane in vino, quidam in uno vaſculo anaxinum accipiunt, quidam poſt ablutionem ſumptam iterum celebrant. Alii conficiunt cum aceto: quidam Euchariſtiam ſervant in cameris & in hortis, ut in Bavaria. Item Subdiaconi corpus Domini dant infirmis. Item, Diaconus tota nocte ludens, ſeu bibens in taberna, manè in camiſia celebravit, teſte Goth hæreſiarcha. Item, Euchariſtia vermibus ſcaturivit, juxta Zvvetel: teſtes Monachi ibidem. Item, corpus Domini ſæpius pedibus conculcatum, & ſanguis effuſus. Item, ab indignis, in publico peccantibus, ſumitur & tractatur: & dignis, ut ſacris virginibus, & viduis, dari negatur, niſi fortè in cœna Domini. Item, in rure à ſcholaribus ſine precio raro datur. Cauſa, quia Eccleſiæ plebanis carè locantur, & non ſufficiunt Vicarii Scholaribus in precio reſpondere.

* Multa hic & ſequentibus ſectionibus finguntur, nec veriſimile eſt VValdenſes tam imperitos fuiſſe Myſteriorum ſacrorum; Goulartius p 550.

Miſſam nihil dicunt eſſe, quia Chriſtus nihil cantavit, nec Apoſtoli. Item, quia Chriſtus ſemel oblatus, ſacerdos eum bis immolat in die. Item, quod propter quæſtum Miſſæ cantantur. Matth. Væ vobis qui devoratis domos viduarum, ſub obtentu prolixæ orationis. Item, quia non cantant bis matutinas, vel vigilias. Eos item dicunt peccare, qui comparant ſeu emunt Miſſas. Item dicunt, quod prima Miſſa ſacerdotis novi minoris ſit efficacior, quàm centeſima. Occaſio erroris. (21). Quidam prædicant, quod ſacerdos peccator, cum caſulam induit, ut Angelus mundatur. Item quidam ſimulant ſe conficere, ſine canone. Item, cantum Eccleſiæ dicunt eſſe cantum infernalem, & fieri propter placentam: & damnum eſſe, homines ab operibus impedire. Horas Canonicas contemnunt. Contrà Pſalmus: Septies in die laudem dixi tibi, &, Media nocte ſurgebam: & Petrus oravit ſexta hora, & nona. Dicunt, quod unum Pater noſter plus proſit, quàm ſonitus decem campanarum. Oblationem nihil dicunt prodeſſe offerenti, ſed tantummodo

modo accipienti: Luc. Misericordiam volo, & non sacrificium. Item quod melius sit dare pauperibus, quàm offerre sacerdoti. Contrà: Si offers munus tuum ante altare. Ad hoc respondent, munus ibi accipi pro occasione, vel pro bono opere. Catholicus: Dominus approbavit oblationem viduæ. Luc. Hæc vidua plus omnibus obtulit. Item in Levitico, à primo capitulo usque ad decimum, & 3. Regum 9. capite. Occasio erroris, quod oblationes malè expendantur à quibusdam. Item, detrahunt Missæ propter cantum superfluum, & moram. Item, quod levibus causis sacerdos sæpe litigat, infra Missam, & sic sacerdos turbatus, sæpè finit Missam. Item consuetudinem Missas comparandi, dicunt esse speciem simoniæ. Quidam adinventiones lucrosas vocant, consuetudines bonas, & has cogunt servari, ut quod vulgariter dicitur allwegen.

21. Scilicet Papistæ.

De sacramento *Pœnitentiæ* dicunt, quod sacerdos in mortali peccato ligatus, nullum possit absolvere, sed potius bonus laicus: Proverb. ab immundo quis potest mundari? Malach. Maledicam benedictionibus vestris, &c. Luc. Medice cura te ipsum. Matth. Ejice primùm trabem. Esa. Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non potest. Stratum dicunt animam. Per utrumque, intelligunt Deum & Diabolum. Item dicunt, quod bonus laicus habet potestatem absolvendi. Item, quod quis non habet quomodo dabit? Item dicunt, quod melius sit confiteri bono laico, quàm sacerdoti malo. Contrà. Luc. Ite & ostendite vos sacerdotibus. Iohannes. Lazarum ligatum absolverunt discipuli. Occasio erroris, quod interdum Bohemus sacerdos Teutonicum audit, & neuter alterum intelligit. Item, quòd Confessio decem hominum simul aliquando audiatur. Item, Confessio fit per interpretem: Item publica Confessio fit à damnantis. Dicunt etiam quidam, quòd sine oblatione muneris non valeat Confessio: ideo pauperes negligunt confiteri, & hoc est Iudaizare. Item quia piarum mentium est, culpas ibi cognoscere, ubi culpa non est. Neque matres, quæ infirmos infantes non vident animam exhalare cogunt: Sacerdotes cogunt publicam pœnitentiam suscipere, quæ pro vulgarissimo crimine imponi consuevit, & sic discurrentes per cras cras, ruunt in peccata. Tales quandoque discurrunt per multas dietas, ut ingressum Ecclesiæ obtineant, qui tamen nunquam communionem Ecclesiæ perdiderunt. Item pro manifestis peccatis tantum pœna pecuniaria puniuntur, & sic nulla satisfactio Ecclesiæ exhibetur: & facilitas veniæ, incentivum tribuit delinquenti. Item, pro occultis peccatis numerum Missarum imponunt. Item, quidam Confessiones produnt indirectè. Item, quidam occulta peccata scribunt in literis, & sic proditur Confessio. Item, uxor occultè procurans aborsum, vel simile, mittitur ad Episcopum, & sic suspecta meritò occiditur.

22. Intelligunt de sacerdotibus veritatem persequentibus.

Pœnitentia.

(23.) Sa-

Conjugium. (23.) Sacramentum *conjugii* damnant, dicentes mortaliter peccare conjuges, si absque spe prolis conveniant. Corinth. Qui uxores habent, tanquam non habentes sint. Contrà, Corinth. Qui matrimonio filiam suam conjungit, benè facit: & qui non jungit, melius facit. Si non dormierit vir ejus, mulier alligata est legi, quandiu vir ejus vivit. Quòd si dormierit vir ejus, liberata est à lege, ut cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit. Alii matrimonium reputant ut fornicationem: Vnusquisque suam habeat, propter fornicationem. Solutio: Propter fornicationem cavendam, non explendam. Item, Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Ergo, qui in conjugio sunt, non possunt salvari. Contrà: Quos Deus conjunxit, homo non separet. Corinth. Alligatus es uxori: melius est nubere, quàm sic uri. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Vacate orationi ad tempus, & tunc redite in idipsum. Timoth. Volo adolescentes nubere. Idem: Novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & discedent quidam à fide, prohibentes nubere. Occasio alia, ex parte conjugii: quia nec tempus, nec matrimonium conjuges observant. Alia, ex parte sacerdotum: quia castas uxores cogunt quærere fugitivos maritos, per multas terras, quæ etiam non tenentur cohabitare maritis, nisi velint, & sic plurimæ corrumpuntur. Item, sponsa virgo arcetur ab ingressu Ecclesiæ per undecim dies, sed fornicaria non uno die. Similiter dum est in puerperio, & mortua: cum Canones ipsi concedant, etiam primo die ingredi Ecclesiam. Item, quidam prædicant mulierem in puerperio descendentem damnari: pauperculæ non habenti quod offerat post partum, negatur benedictio. Item quæ partui est vicina, cogitur ad carmina, & sic laborans abortum facit.

23. Damnant abusum, non rem.

Vnctio extrema. Sacramentum *Vnctionis extremæ* dicunt esse ultimam superbiam. Contrà, Iacobi ultimo: Infirmatur quis in vobis. Occasio, quia hoc sacramentum nulli datur sine precio: & hoc facit pluralitas sacerdotum, & licet honestum sit plures sacerdotes induci, tamen sicut baptismus & confirmatio per unum dantur, sic & unctio. Item prædicant quidam, nulli sacramentum hoc debere dari, nisi qui posset habere saltem duas vaccas. Vnde pauperes graviter scandalizantur. Item dicunt, quod duodecim lumina sunt necessaria in unctione: sed tamen sufficiat unum lumen, ubi corpus Christi ministratur, quia est dignissimum sacramentum, ita & hic.

Ordines. Sacramentum *Ordinis* nihil dicunt esse, quia Apostoli laici erant. Item, Christus non dedit Apostolis stolas, nec infulam, nec casulam, nec annulum, nec aliud ornamentum. Contrà, Levit. 20. Sacerdos peccator mundatus, mundat immundos. Heb. Quemadmodum sacerdotes. Item, Si solis sacerdotibus licuit hostias offerre, & legalia sacramenta dare, ut circumcisionem & benedictionem & mundationem corporaliter & spiritualiter, & docere: multò magis Ecclesiastico sacerdoti.

cerdoti. Sola tribus Levi habuit sacerdotium. Osias fuit leprosus, quia usurpavit sibi sacerdotium. Tonsuram derident, quia Apostoli non habebant. Contrà Petrus: Non ut dominantes in Clero. Igitur Clerus fuit tempore Apostolorum. Actuum 3. Paulus ordinavit Presbyteros Ecclesiis singulis. Exod. Dominus multa præcepit Moysi de ordinationibus. Timoth. Oportet Episcopum, &c. Diaconos pudicos esse in ministrando, nullum crimen habentes. Constitue per civitates Presbyteros. Occasio, quia indigni vita & scientia, & defectum naturalium habentes, ad ordines & dignitates promoventur, & sic ministrantes verbo & exemplo Dei Ecclesiam scandalizant.

Dicunt etiam, Ecclesiam Dei graviter errasse, prohibendo Clericis matrimonium, quia lex vetus & nova concessit; & dissimulando fornicationem. (24.) Item de illegitimo thoro nati, majores in Ecclesia obtinent dignitates. Item dicunt Quidam, quòd continentes quicquid faciunt sursum cingulo, osculis, tactibus, verbis, uberum compressionibus, pectorum amplexibus, omnia fieri in charitate. Contrà Apost. Bonum est mulierem non tangere. Matth. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam. Est igitur multò magis, qui tangit, mœchatus. *Cœlibatus.*

24. Hoc eis ab aliis non objicitur. Calumniam esse dicit Goulartius.

(25.) Excommunicationem contemnunt, dicentes, excommunicationē esse maledictum: Genes. Qui maledixerit tibi, &c. Eccles. Cum maledicit impius diabolum, maledicit animam suam. Ergo si maledicit hominem maledicit seipsum. Apo. Maledici regnum Dei non possidebunt. Contrà, Act. Petrus maledicit Ananiam & Sapphiram, & Simonē. Apost. Hujusmodi tradidit Satanæ. Item excommunicavit Corinthium. Galat. Si quis aliter evangelizaverit, anathema sit. Ioan. Neq; ave dixeris ei. Quidam dicunt, excommunicationem injustam esse tenendam. Item tempore interdicti exultant hæretici, quia tunc possent corrumpere Christianos, ut faciant vilescere cultum Dei. Item, impium est innocentes premere, & punire, subtractione sacramentorum, propter aliena peccata. Item, quod laus Dei & cœlestis curiæ substrahatur. Item animæ in purgatorio suffragiis Ecclesiæ fraudentur. Item, quod vivis fidelibus devotio minuatur: & ideo, tunc dicunt decimas esse non dandas. Occasio erroris, quia excommunicationes multiplicantur pro levibus causis, ut pro denario decimali, vel si non venit ad Ecclesiam. In similibus fulminat eam juris ordine non servato, & postea communicat eis, nec absolvuntur, & sic communicator & excommunicatus & populus sunt in periculo. *Excommunicatio tyrannica.*

25. Contempserunt excommunicationem persecutorum.

Decimas dicunt non esse dandas: quia in primitiva Ecclesia non dabantur. Item, si decimæ, non debent recipi, igitur non debent decimæ decimari. Si dicis, ideo dandas, quia Iudæi dabant: eadem ratione debemus alia legalia observare. Item dicunt, quod in paucis terris dantur decimæ juris etiam Romani. Item dicunt, peccare eos, qui dant decimas, & peccare laicos qui recipiunt decimas: quia *Decima.*

malè expenduntur. Contrà, Malach. Inferre decimationem, ut sit cibus in domo mea. Matth. Væ vobis Pharisæi, qui decimatis mentam & olus, & quæ graviora sunt legis: & hoc oportuit facere, & illa non omittere scilicet decimas.

Bona Ecclesiastica. Possessiones & proprium dicunt Clericos non habere, vel sacerdotes. Deut. Non habebunt sacerdotes & Levitæ, & omnes qui de tribu Levi sunt, partem & hæreditatem cum populo Israel; quia sacrificia accipiunt. Act. Et nihil eorum quæ possidebant, dicebant esse proprium, sed erant eis omnia communia.

Indulgẽtia. Indulgentias non credunt. Luc. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Absolutiones Ecclesiæ nihil reputant, irregularitatem non curant. Solutio: Deus remittit autoritate, sacerdos officio. Ioan. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Dispensationes Ecclesiæ non credunt. Occasio: multiplicatio indulgentiarum. Item, quia pœna futura relaxatur, quia non credunt.

Festa. Festa Ecclesiæ non curant, dicentes, unum diem esse ut alium. Contrà: Præcepit Dominus diem sabbathi sanctificare, ad hoc respondent: si propter præceptum Decalogi servare debemus, ergo & circumcisionem. Contrà, Christus ascendit ad diem festi. Occasio: centum & viginti dies in anno. Item, festum Paschæ & Pentecosten dicunt quidam esse Stephani & Iohannis. Item in festis sunt fora. Item, festa transferuntur in dominicas propter quæstum. Item, tunc operantur sartores & aurigæ. Item, quia nimia sunt festa, Translationes, Inventiones, & Octavæ. Item, rarò est hebdomada, quin duo vel tria occurrant. Item, propter collectas inducuntur, inde populus scandalizatur. Item, operarii non lucrantur, sed depauperantur. Item, tunc plura committuntur peccata. Item, primitiva Ecclesia pauca habuit festa, ideo ipsi operantur occultè.

Iejunia Ecclesiæ nihil curant: nam in die Parasceves ipsi carnes comedunt occultè. Apoc. Regnum Dei non est esca. Esa. Numquid tale est jejunium? Corinth. Qui non manducat, manducantem non judicet. Contrà. Ioannes jejunavit, & Anna, & Christus quadraginta diebus, & Apostoli Luc. Quando aufertur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. Occasio erroris, quia pauperes & operarios in pane & aqua jejunare oportet per quadragesimam. Item, propter jejunium non assumuntur ad opus.

[T]empla. Ecclesiam muratam reputant ut horreum, & appellant eam vulgariter Steinhauß. Act. Non in templis manufactis, &c. Nec orationes plus ibi prodesse, quàm in domo alia. Luc. Tu autem cum oraveris, &c. Ioan. Nec in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis. Apost. Sed in omni loco puras manus levantes. Contrà: Et ingressus in Hierusalem, primò intrat templum, quodlibet vendere justè prohibet in templo; cantum & laudem puerorum commendat. Item arcentur immundi à templo corporaliter & spiritualiter. Item, Publicanus honorem detulit loco sacro, nolens levare oculos. Ecclesia materialis fuit temporibus Apostolorum: Corinth. Nunquid domos, &c. &, Ecclesiam Dei contemni-

temnitis? Reg. Nota orationes Salomonis. Ioan. Domus mea, &c. Item, Ejecit de templo ementes. Item, Non finebat vas ferri per templum. Item, Docuit & oravit in templo. Occasio: quia larvales fiunt in Ecclesia, & ibi pompa vestium ostentatur, & etiam incastellatur.

Dedicationem nihil curant. Contrà: nota de dedicatione templi & tabernaculi. Ioan. Facta sunt encænia, &c. Altare dicunt esse acervum lapidum, & damnum esse quod panni putrescunt super lapides. Contrà: nota de dignitate altaris, Exod. 20. Item, Noha, Abraham & Iacob, construxerunt altaria. Occasio, magni sumptus, quibus Ecclesiæ construuntur, dicuntur esse utilius dari pauperibus. Matth. Videtis has omnes ædificationes? non relinquetur, &c. Item, quidam habent in Ecclesia tabernam. Item dicunt quidam, quòd quotiens homo Ecclesiam circumit, tot peccata mortalia delentur. Item, quidam dicunt & prædicant, esse peccare ut adulterum, ire ad Ecclesiam alienam. Item quod melius sit orare in stabulo quàm in Ecclesia. *Dedicationes.*

Ornatum Ecclesiæ dicunt esse peccatum: & quod melius esset vestire pauperes, quàm parietes. Contrà, Nota de ornatu tabernaculi & templi. Exod. 20. R. Major patrum in processione scorio Antonii ornabatur. Corporale dicunt pannum braccarum. De lumine dicunt, quod Deus qui est lux vera, lumine non egeat. Contrà, Dominus præcepit esse luminaria in tabernaculo, Exod. 20. Item, calicem esse ut bycarium, id est domesticum poculum: quia prius erant vitrei calices. Thurificationem reprobant. Contrà, Dominus præcepit fieri thymiama: Exod. Item, Angelus apparuit Zachariæ, cum incensum offerret. Aquam benedictam reputant ut simplicem. Contrà, Hæc aqua habetur ex aqua lustrationis, durans septem diebus. *Templorum ornatus.*

Imagines & picturas dicunt esse idololatrias. Exodi vigesimo. Non facies tibi sculptile, nec imagines: Solutio. Non facias ad adorandum, sed memorandum. Item, picturæ sunt scripturæ laicorum. Occasio: imagines de trunco, & picturæ larvatæ, horrorem magis quàm devotionem inducunt. Item, In verbis, non in melodia est vis. Cantum Ecclesiæ subsannant dicentes. Contrà, Par. 23. per totum, David instituit Cantores ad laudandum. Psal. Benè psallite in vociferatione. Ideo, Christus approbat cantum & laudem puerorum in templo: Si hi tacuerint, &c. Occasio, protractio, & superfluus cantus, ut versus, super versus, clamores laicorum derident. Contrà Psal. Clamor meus ad te perveniat. Malach. Clamemus in cœlum. Processiones contemnunt, propter stultitias quæ ibi fiunt. *Imagines.*

Sanctos non credunt, ut dicunt, nisi Apostolos, & quorum est mentio in Evangelio, vel in Actis. Contrà, Apost. Laudate Dominum in sanctis ejus. Item, nullum sanctum, nec sanctam Mariam, nisi solum Deum invocant. Contrà, Iob. Ad aliquem sanctorum convertere. Luc. Dives in inferno oravit Abraham in cœlo. Occasio, sunt falsi sancti: ut Vivanus & cæteri, quorum nec nomina, nec merita, *Invocatio Sanctorum.*

nec vitam sciunt. Item nec fontes venerantur, ut in Drozo, ubi in fonte sacerdos baptisat crucifixum, & populus offert fonti. Item, arbores sanctæ: ut sanctorũ Christophororũ, & aërem in campis. Item, nominibus sanctorum illudunt, ut Erhardo, eos oblationibus venerantes. Item, sanctis veteris Testamenti nulla devotio exhibetur. Item, honor qui Deo exhiberi deberet, nõ soli Deo sed magis exhibetur quibusdam. Unde quidam jejunant feriam quartam sancto Nicolao, qui Deo feriam sextam non jejunant. Item, cum nominatur Nicolaus, omnes suspirant: cum nominatur Iesus Christus, omnes tacent. Item, Legendas & passiones sanctorum non credunt. Occasio, contrarietas de baptismo Constantini, & quædam incredibilia, ut in Legenda S. Margarethæ, & Iulianæ, & septem dormientium.

Miracula. Miracula sanctorum non credunt. Contrà, si miraculis Ecclesiæ non credunt, ergo Apostolorum credunt. Item, resuscitati adhuc vivunt. Occasio, si per falsa miracula, ut oleum, sanguis, lachrymæ imaginum, & lumen cœleste. Item hypocritarum, qui vulgariter sterzer vocantur, qui fingunt sibi infirmitates diversas, & fingunt subitam sanitatem: De hac secta Ecclesiæ valde nociva, dicetur infrà. Iob. Deus non indiget vestro mendacio.

Iuramenta. Iurare, dicunt mortale peccatum (26) Matth. Dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram: sed sit sermo vester, est est, non non. Contrà: Laudabuntur omnes qui jurant in eo, unde patres jurant, & Apostolus juravit: Testem invoco in animam meam. Apocalypsis: Angelus levavit dextram, & juravit per viventem in secula. Ipse Deus juravit, Heb. Cum nõ haberet, per semetipsum juravit, & Christus. Amen dico vobis, &c. Ergo licet jurare, in casu. Occasio, frequentia jurandi, & assiduitas, pro levibus causis, & quia incidunt in perjuria. Hæretici, qui nunquam jurant, sunt similes diabolo, qui nunquam legitur jurasse.

26. *Fortè abusum & frequentiam juramentorum damnantur.*

Reliquiæ. Reliquias sanctorum non credunt, Contrà: Regum 4. Ad tactum ossium Helisæi surrexit mortuus Act. Semicinctia Pauli curabant infirmos. Item, fimbria Christi, & umbra Petri. Occasio, falsæ reliquiæ quas quidam circumferunt per villas, & in tabernis deludunt: ut lac sanctæ Mariæ, quæ cum parvo lacte pavit Christum, & salamandram pro veste sanctæ Mariæ, & sudorem Christi, & membranam qua involutus est Christus. Item reliquias Angelorum. Item quæstuarius publicè se jactitavit, quòd sciret facere sanctos, quando vellet quæsitus, quomodo? dixit, quod sæpè os bovis secuit minutatim, & involvit purpureis, & circumscripsit sanctos quos voluit: & hoc sæpè facit. Item, lac sanctæ Mariæ baptizant, & aquam dant ad bibendum. Item, venales sunt Item, à muribus sunt comestæ, & hoc plebanus populo retulit, qui multum ex hoc scandalizatus fuit. Item, diversæ Ecclesiæ litigant de corporibus sanctorum, dicentes se ea habere: ut de corpore sancti Marci, Viti, & cæterorum.

Crucem

Crucem ſanctam horrent, propter * ſupplicium, quod Chriſtus paſſus eſt in ea. Occaſio · Quidam prædicant, crucem furto ſublatam, per ſe rediiſſe. Item, lignū crucis dicunt ſimplex lignum. Item, non muniunt ſe ſigno crucis. Contrà, Gal. Mihi autem abſit gloriari, &c. Proverb. Benedictum lignum, per quod fit juſtitia. Matth. Videbunt ſignum filii hominis. Item, ſi beatus venter, qui Chriſtum portavit: igitur & crux, in qua ſanguinem ſuum fudit. *Crux Chriſti.*

* Non propter ſupplicium, ſed propter ſuperſtitionem & idololatriam; Goulart. p. 556.

Sepulchrum Domini nihil curant, nec Sanctorum. Matth. Væ qui ædificatis ſepulchra, &c. Contrà, Eſa. Erit ſepulchrum ejus glorioſum. Pſal. Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus. Sepulchrum Domini & Prophetarum etiam gentiles nudis pedibus venerantur. Sepulturam Eccleſiaſticam non curant. Vellent enim potius ſepeliri in campo quàm in cœmiterio, ſi Eccleſiam non timerent. Contrà. Act. 3. Sepelierunt Stephanum viri timorati. Item. ſancti Patres elegerunt ſepeliri in locis ſacris. Occaſio, non contriti ſepeliuntur, & qui ſe ipſos occidunt, & plenè contritis quandoque ſepultura negatur. Item, ab omnibus aliquid exigitur, etiam ab infantibus, qui non indigent ſuffragiis: etiam leproſis. Item, quia ſancti quidam ſepeliebantur in hortis, ut Chriſtus: quidam in propriis domibus, quidam in aquis, ut Clemens. Vigilias funerum propter inſanias, quæ ibi fiunt. Item, cum jus Eccleſiæ ab initio mundi & Canones Eccleſiaſtici hoc concedant, ut quilibet homo, ubi ſibi placet, eligat ſibi ſepulturam: multæ lites pro cadaveribus oriuntur, & magnum ſcandalum fidelium & infidelium.

Peregrinationes reprobant, propter diſcurſum. Contrà, Chriſtus apparuit in ſpecie peregrini. Luc. Matt. Argentei dati in ſepulturam peregrinorum. Occaſio, multæ peregrinæ corrumpuntur in via. Item, falſæ peregrinæ, quæ vocantur ſterzer. Item in aquis dicunt Chriſtum & Apoſtolos Eccleſiam ædificaſſe: & peregrinæ omnia peccata ſicut in babtiſmo remitti. *Peregrinationes.*

Purgatorium negant, dicentes tantummodo duas vias eſſe, unam electorum ad cœlos, aliam damnatorum ad infernum. Ecce lignum, quocunque ceciderit, ibi erit, vel in cœlo vel in inferno. Dicunt etiam, animabus nec Miſſas, nec Anniverſarium, nec oblationes, nec alia ſuffragia prodeſſe: ſed fieri propter quæſtum. Contrà, Mac. Vir fortiſſimus. Cor. Si quis ædificat, &c. ſalvus erit, tum quaſi per ignem. Ad hoc dicunt, per ignem tribulationis. Item, Auguſt. Qui orat pro matre, injuriam facit matri. Ergo qui pro infantibus Miſſam dicit, vel orat injuriam facit eis. Item, ſi bonus, non indiget ſuffragiis: ſi malus, non profuit ei. Item Iohan. Ego pro eis rogo, non pro mundo, id eſt, pro mundanis. Sed non pro vivis eſt orandum: igitur nec pro mortuis. Solutio · Non oramus pro valde bonis, quia non indigent · nec pro malis, quia non prodeſt, ſed pro mediocriter bonis vel malis, ut citius liberentur, vel ut mitius puniantur. Dicunt etiam, orationes boni laici plus prodeſſe, quàm mali Sacerdotis, & unum Pater noſter efficacius eſſe, quàm multæ Miſſæ. Ioan. Scimus quia peccatores Deus non audit. Eſa. Cum multiplicaveritis *Purgatorium.*

preces, non exaudiam. Greg. Cum iis, quibus displicet ad intercedendum mittitur, reati animus ad deteriora provocatur. Item, orationes latinas dicunt laicis non prodesse. De igne purgatorii sunt tres errores, seu opiniones. Primus est, quòd nullum peccatum sit veniale, sed mortale. Contrà, Proverb. Septies in die cadit justus. Secundus error, cum dimittitur culpa, dimittitur pœna. Ex hoc datur occasio liberè peccandi, & Sacramentum pœnitentiæ evacuatur. Matth. Pœnitentiam agite. Luc. Facite dignos fructus pœnitentiæ. Tertius error, quòd suffragia non prosint: quòd est sævire in mortuos. Eccles. Mortuo ne prohibeas gratiam fieri. Ad preces sororum Lazarus suscitatur: ergo ad preces sanctorum dimittitur peccatum. Matth. Qui dixerit blasphemias in spiritum Sanctum, non dimittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro: Ergo nec peccatum remittitur in futuro non blasphemia.

Magistratus. Pius secundus, seu Sylvius, hosce duos sequentes errores VValdensibus non tribuit. Iudices & Principes damnant, & dicunt maleficos non damnandos. Matth. Noli judicare, &c. Genes. Qui effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis ejus pro eo. Exod. Non occides. Matth. Mitte gladium in vaginam, &c. Omnis qui, &c. Matth. in parabolis zizaniorum, Sinite utraque crescere. Contrà, Actor. Paulus excæcavit Elimam impedientem fidem, Exod. Maleficos non patieris vivere super terram, & ab altari evellas eos. Luc. Vendat tunicam, & emat gladium. Item Iohannes Baptista: Estote contenti stipendiis vestris, &c. Igitur licet contendere contra malos. Occasio: Principes & judices sunt tyranni. Item, justitia venalis in foro laicorum & clericorum. Esa. Væ qui justificatis impium pro muneribus & justitiam justi aufertis ab eo, & pupillo non judicant, & causæ viduæ non ingrediuntur ad eos.

Iuramenta. Iurare, dicunt mortale peccatum esse. Matth. *Dico vobis non jurare omnino, neq; per cœlum, neq; per terram; sed sit sermo vester est est, non non.* Contrà, Psalm. *Laudabuntur omnes qui jurant. Sancti Patres jurarunt.* Apoc. *Juravit in voto Domini in animam meam.* Apoc. *Angelus levavit manum, & juravit per viventem in secula.* Item, *Deus juravit,* & Christus, *Amen Amen dico vobis.* Ergo licet jurare in causis. Occasio: Frequentia jurandi, & assiduitas pro levibus causis; & quia incidunt in perjuria. Hæretici, qui nunquam jurant, similes diabolo, qui nunquam legitur jurasse.

De Moribus Waldensium Relatio cujusdam Inquisitoris Pontificii.

COgnoscuntur Hæretici per mores & verba; sunt enim in moribus compositi & modesti, superbiam in vestibus non habent; quia nec pretiosis, nec multum abjectis utuntur. Negotiationes non habent, propter mendacia & juramenta & fraudes vitandas: sed tantum vivunt de labore manuum, ut opifices: & Doctores ipsorum

ipsorum sunt textores, & sutores. Divitias non multiplicant, sed necessariis sunt contenti. Casti etiam sunt Leonistæ. Parci sunt in cibo & potu: ad tabernas non eunt, nec ad choreas, nec ad alias vanitates. Ab ira se cohibent. Si autem operantur, vel discunt vel docent; & ideo parum orant. Item ad Ecclesiam fictè vadunt, & offerunt, & confitentur, & communicant, & prædicationi intersunt, ut prædicantem capiant in sermone. Consimiliter & mulieres eorum sunt modestæ. Cavent à detractione, & à scurilitate, & verborum levitate, & à mendacio, & à juramento. Nec dicunt verè vel certè, & similia: quia hæc reputant juramenta. Item, ad quæstiones, rarò directè respondent. Vt si quæras ab ipso, *scis Evangelium*, vel *Epistolas*, respondet, *quis docuisset me ista?* vel dicit, *Hæc debent discere, qui magni & profundi intellectus*, vel *qui ad hoc sunt otiosi & idonei*, & dicunt tantum, *Est est, non non*; hoc dicunt sibi licere; quia Christus dixit Iudæis, *Solvite templum hoc:* non intelligens de templo Salomonis. Finis.

De modo orandi Waldensium; ex alio Inquisitorio libello.

MOdus autem VValdensium talis est, videlicet quòd flexis genibus in terra inclinant, & opponunt se super aliquam bancham, vel consimile ad hoc aptum, &c. Flexis genibus inclinati stant in omnibus orationibus in silentio ita diu, quòd possunt dicere triginta vel quadraginta Pater noster, & Amen aliquoties: & hoc faciunt quotidie reverenter, quando sunt cum credentibus suis, & consentienbus in facto ipsorum, sine aliis extraneis, ante prandium & post, & ante cœnam & post, & de nocte quando volunt ire ad lectum, & antequam reponant se. Item, de mane postquam surrexerunt de lecto: Item aliquibus aliis vicibus per diem, tam de mane quàm de nocte. Item, nullam aliam orationem dicunt, nec docent, nec habent, nisi orationem Dominicam Pater noster, &c. Nec aliud reputant salutationem Angelicam Ave Maria. (27.) nec Symbolum Apostolorum Credo in Deum. Et dicunt illa per Romanam Ecclesiam, non per Christum fuisse ordinata, seu composita.

27, *Id est, negant Symbolum esse orationem.*

Veruntamen Articulos fidei septem *de Divinitate*, & septem *de Humanitate*, & decem præcepta, & septem opera misericordiæ, sub quodam compendio quodammodo ab eis ordinato & composito dicunt & docent, & in illo plurimũ gloriantur, & statim offerunt se promptos ad respondendum de fide sua, Antequam ponant se ad mensam, benedicunt eam dicendo: *Benedicite, Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson, Pater noster*; quo dicto, antiquior inter eos dicit in vulgari: *Deus, qui benedixit quinq; panes hordaceos & duos pisces in deserto, coram discipulis suis, benedicat hanc mensam, & ea quæ sunt super eam, & ea quæ apponentur in ea* (& faciunt signum crucis) *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.*

Item

Item quando surgunt de mensa in prandio & in cœna, reddunt gratias, hoc modo videlicet, quòd antiquior dicit in vulgari, id quod habetur in Apocalypsi: *Benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo, Deo soli in secula soculorum, Amen.* Et postea subdit: *Deus reddat bonam mercedem & bonum cambium omnibus illis, qui benefaciunt nobis; & Deus qui dedit nobis cibũ corporalem, det vitam spiritualem; & Deus sit nobiscum, & nos cum eo semper,* & alii respondent, *Amen.* Item, quando benedicunt mensam, & quando reddunt gratias, tenent ut frequenter manus junctas, & elevant versus cœlum. Item post prandium, dictis gratiis, & facta oratione, ut supra, prædicant & docent, & faciunt exhortationes suas de doctrina sua.

VValdensium mores ex alio Inquisitorio lebello perveteri.

ANno Domini 1391. 4. die mensis Septembris, infra scripti sunt errores pro nunc sectæ VValdensis. Primò Nicolaus de Polonia, Ioannes de Polonia filius cujusdam rustici, Conradus de Saxonia de villa dicta Dubun prope VVeyssenburg filius cujusdam rustici, VValricus de Hardech ex artificio sutor, Conradus de Gamundia Suevus filius cujusdam rustici, Simon de Salig Vngarus, ex artificio sartor, Hermannus de Mistelgen Bavarus ex artificio faber, Ioannes de Drena Bavarus ex artificio faber, prædicti nominantur inter eos *Apostoli, Magistri, Angeli & Fratres.* Habent autem talem vitam & conversationem. Primò jejunant tres aut quatuor dies in hebdomada in pane & aqua, nisi fuerint in gravi continentia ad laborem constituti. Secundò faciunt inter suos subditos, ut coram eis appareant superiores. Item septies in die orant. Senior incipit orationem, & facit eam prolixam vel brevem, secundum quod sibi videtur expedire; & alii sequuntur eum in oratione. Item in vestibus vilibus incedunt Doctores; bini & bini ambulant, senior scilicet cum juniore, quocunque pergunt. Item, in verbis sunt cauti; mendacia, juramenta, & quælibet natura turpia devitant. Item suos subditos ad eadem diligenter informant.

* Inquisitio Moguntina in Waldenses extat inter scriptores adversus waldenses a Gretsero editos p. 314.

Ex Æneæ Sylvii Bohemica historia, de Waldensium dogmatibus.

Cap. 35. p. 67. seq.

R*Omanum Præsulem reliquis Episcopis parem esse. Inter Sacerdotes nullum discrimen, presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem. Animas è corporibus excedentes, aut in æternas evestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inveniri. Vanum esse orare pro mortuis, & avaritiæ Sacerdotalis inventum. Dei & Sanctorum imagines delendas. Aquarum, palmarumq; benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos dæmones invenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos eleemosyna. Liberam cuiq; prædicationem verbi*

Dei

Dei patere. Nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratia, tolerandum. Qui mortalis culpæ reus sit, eum neq; seculari, neque Ecclesiastica dignitate potiri, neq; parendum ei. Confirmationem, quam chrismate Pontifices inducunt, & extremam unctionē, inter Ecclesiæ Sacramenta minimè contineri. Auricularem confessionē nugacem esse: sufficere, sua quemq; Deo in cubili suo confiteri peccata. Baptisma fluvialis undæ, nulla interjecta sacri olei mixtura, recipiendum, cœmiteriorum inanem usum, quæstus causa repertum: quacunq; tangentur tellure humana corpora, nil distare. Templum Dei latè patentis ipsum mundum esse. Coartare majestatem ejus, qui Ecclesias monasteria, oratoriaq; construunt, tanquam propitior in eis divina bonitas inveniatur. Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patinas, vasaq; hujusmodi nil habere momenti. Sacerdotem quocunq; loco sacrum Christi corpus conficere posse. petentibusq; ministrare: sufficere, si verba sacramentalia tantum dicat. Suffragia Sanctorum in cœlis cum Christo regnantium frustra impetrari, quæ juvare non possunt. In canonicis horis cantandis dicendisq; frustra tempus teri. Nulla die ab opere cessandum, nisi quæ Dominica nunc appellatur. Celebritates Sanctorum prorsus rejiciendas. Jejuniis quoq; ab Ecclesiis institutis, nihil inesse meriti. Observa, Sylvium VValdensibus non tribuere illos tetros errores, de Magistratu, deque indignitate personarum. Item de juramento, &c. quos eis superius falsò tribui audivimus. Quare proculdubio crimina illis temerè, ex odio & invidia, ab adversariis falsò ascripta sunt.

Relatio Iacobi Rebiriani Pontificis de Waldensibus.

COmmodè quædam de VValdensibus annotavit etiam Iacobus de Rebiria, olim Regius Secretarius in suis collectaneis de urbe Tolossa, quæ inde ad verbum adjiciam. VValdenses sive Lugdunenses diu primum locum tenuisse in Gallia Narbonensi, Albiensi, Ruthena Cadurcensi Agennensi diœcesibus celebrior est fama, eoque tempore nullo aut parvo in pretio fuisse eos, qui Sacerdotes se Episcopos, & ministros Ecclesiæ dici volebant. Indigni enim omnes rerum omnium ignari penè cum essent, facilè illis fuit eruditione & doctrina præcellentissimis, primas in populo partes sibi vendicare. Ex quibus cum præ cæteris VValdenses acutius de Religione disputarent, admittebantur sæpe à Sacerdotibus publicè docendi causa, non quod eorum sententiæ sibi probarentur, sed quod VValdenses ingenio pares nō essent. Tanto verò in honore erat hujusmodi hominum secta, ut & ab omnibus oneribus haberent immunitatem, & multò plura ex morientium testamentis consequerentur Sacerdotes. Hostis si fuisset hæretico viæ itinerisque comes, ab hoste non lædebatur, salus omnis hominum in hæreticorum tutela esse videbatur. Publicus denique locus his erat in quem suæ duntaxat sectæ homines mortui inferebantur. Bernardus Clarevallensis dum primum tentat ad Viridefolium,

quo in loco centum vigebant nobiliorum virorum domus antiquissimæ, tela hæreticorum depellere, vulneribusque Ecclesiæ mederi & non exauditur, Viridifolio omnia mala precatus est. In quo Deus fertur ejus exaudisse preces. Nam ab eo tempore & omnes sensim corruisse illas nobiliorum ædes, & tandem plebi mala omnia evenisse, quoad is ager à comite Montis fortis Episcopo Tholossano Falconi dono datus est, qui Abbas fuit ordinis Cisterciensis, & administrationem suscepit anno M.CCV. His verò temporibus sæpe disputatum fuit cum hæreticis apud Viridefolium, semel & iterum Apumeæ. Celebris verò disputatio extitit in mente Regali, cui tanquam arbitri præerant duo nobiles viri, Bernardus Villanova, & Bernardus Arrensis, & duo plebei Raimundus Godius, & Arnoldus Riberia. Nulla verò de re unquam convenerunt. Qui hæretici existimabantur, & quorum præcipua nomina hæc sunt: Pontificus Iordanus, Arnoldus Aurisanus, Arnoldus Otthonus, Philibertus Casliensis, Benedictus Thermus. Constanter porrò affirmabant Ecclesiam Romanam non esse sanctam Ecclesiam, nec sponsam Christi, esse Ecclesiam diaboli imbutam doctrina, Babylona esse illam, quam Iohannes descripsit in sua Apocalypsi, matrem fornicationum & abominationum, obrutam sanguine Sanctorum: Domino non probari, quæ ipsi Ecclesiæ Romanæ probarentur. Missam neque Christum neque Apostolos instituisse, sed hominum commentum esse. Id sic eos sensisse scripsit Iacob Rebiria.

His ex adverso oppositi erant Petrus de Castro novo Monachus Cisterciensis, & Legatus Rom. Pontificis, & Magister Rudolphus missus, & ipse à Pontifice Romano. Didacus Episcopus Erenensis, & Dominicus ejusdem Ecclesiæ Canonicus, homines Hispani, quorum posterior sectam instituit prædicatorum, quam sectæ adversariorum objiceret. Tandem Innocentius Papa III. misit Arnoldum Amalricum, qui undique facta manu tantam molem à Tholossanis depelleret. Iam pridem enim insidiis fuerat interfectus Petrus de Castro novo Pontificis Legatus, ejusque suspicio in Comitem Tholossanum non levis ceciderat. Almaricus igitur promisit passim omnibus peccatorum veniam, siquidem arma in hæreticos agri Tholossani sumerent. Sic igitur egit cum Rege & Proceribus, ut armati milites mitterentur. Qui anno 1209. primum Bliterium, deinde & alia loca facta multorum hominum strage expugnarunt. Habentur quædam scitu digna de VValdens. etiam in Paulo Æmilio in vita Philippi II. Regis; ubi libellum adversus VValdenses seu Albigenses gestum describit:

* Multa hic interseruit Goulartius p. 561. seqq. de Petro brusianis, Pontificibus, Politiâ Ecclesiæ, dissidiis Ecclesiæ, Conciliis, quæ ex Centuriatoribus Magdeburgensibus peti possunt. *

CCXLVIII. *Benedictus XII.*

CIrca annum Dom. 1336. ſedit Papa Benedictus XII. Is, ut Engelhuſen refert, rogatus, ut plures Cardinales crearet, reſpondit: *Libenter ſe id facturum, ſi modò novum mundum creare poſſet; nam hunc qui jam exiſtat, vix præſentibus Cardinalibus ſufficere.* Hic ipſius Papæ ſententiam de luxu rapacitateque Cardinalium, & ſumma aliorum Chriſtianorũ miſeria habemus. Adeo enim Cardinales ſumptuoſos eſſe affirmat, ut vix eos præſens mundus alere poſſit. Teſtatur Appendix Martini Pœnitentiarii Papæ, quod reformaverit Monachos, & ſæpius teſtatus ſit, pauciſſimos inter eos eſſe bonos. Verùm adſcribam ipſa hiſtorici verba: *Benedictus Pontifex anno 1333. fecit multas reformationes circa ſtatum Monachorum nigrorum, de modo vivendi, & de regimine, & de multis aliis, ut patet intuenti reformationes illas, quæ communiter Abbatum illius Ordinis dominium ampliarunt, & ſubditos coartarunt.* Harum reformationum promotor & compilator fuit, Dominus Petrus Carnotenſis Cardinalis Ordinis Monachorum nigrorum, qui dictas reformationes incœperat tempore Domini Iohannis Papæ XXII.

Huic Domino Benedicto maximè inſitum cordi fuit, Clericos & religioſorum Ordinum Profeſſores & ſtatus reformare, & uti dicatur verius infirmare. Paucos enim vel nullos bonos credebat, & omnes à via mandatorum Domini & conſiliorum ſemita declinaſſe dicebat. Nullos vel paucos dignos promotionibus vel gradibus Eccleſiaſticis exiſtimabat. Hic Dominus Benedictus Papa avarus, durus, & tenax, in conferendis gratis, remiſſus, tardus, & negligens in providendo ſtatui Eccleſiarum ſupra modum fuit: & in excuſationem ſuæ duritiæ paucos ad hæc dignos & ſufficientes dicebat. Communiter etiam & Dominos Cardinales fore deceptores ſui credebat. Rarò ſupplicationes ipſorum recipere volebat, ipſoſque non modicum ſuſpectos habebat, Ordines Mendicantium ſupra modum perfecta invidentia exoſos habebat. Paucos vel nullos de ipſis Ordinibus ad prælationes promovebat. Diſſenſiones eorum libenter audiebat, & ſubditis contra Prælatos favere videbatur mirabiliter.

Hic habes ipſius ſummi ac ſanctiſſimi Pontificis de ſuis fratribus Cardinalibus & filiolis Monachis, qui quidem & ipſe aliquando Monachus fuerat, & per omnes ipſorum gradus vixerat ac vitæ genera, ut ei tanquam perito & ipſorum domeſtico teſti meritò fides haberi debeat.

CCXLIX. *Helias Rubeus, Tripelaniensis.*

Idololatria censura. HElias quidam cognomento Rubeus Tripelaniensis Anglus ut opinor, scripsit circiter ante 300. annos, 7. libros titulo *Semidialium*, in quibus primum de idololatria Ethnica differit; deinde etiam de aliis vitiis ac sceleribus omnium ordinum. Multa inter alia dicit etiam de Clericorum multiplici ac non ferenda malitia, imò & de Religionis corruptione. Cujus scriptoris, quoniam non extat impressus, aliquot dicta adscribemus. Meminit alioqui ejus etiam Baleus in suo scriptorum Catalogo. De statuis igitur idolorum differens lib. 3. recitato Balbi testimonio, ita de eo concludit tandem, eos qui primùm simulachra Deorum populis proposuerunt, civitatibus suis & metum dempsisse, & errorem addidisse commendabiliter conjectans Deos facilè contemni posse in simulachrorum stoliditate. Cui simile si quis de nostris quas in Ecclesia Dei deauramus imaginibus, judicarit, fortè non erraverit.

Superstitio Monastica. Libro 2. dicit, qui relegata longius puritate Religio consistat in solâ habitus superficie. Hæc enim sunt ejus verba: *Monachorum superstitiones de vestibus hisce verbis damnat; stolidissimum conjecto ad inæstimabilem, quam super omnia curare debet homo salutem exterioris habitus, coloris & formæ alimentorumq; in secessus transmittendorum referre differentiam. Maximè cum aula Catholicorum summæ divinitatis arbitrio sit longius amandata de vestibus solicitudo, nedum de colore vestis vel incisionis artificio.* Item, *vehementi indice vagatur in via vanitatis qui & in rerum fortuitarum varietate suæ salutem ponit animæ.* Eodem loco prolixè scriptor hic pergit recensere corruptam vitam & ineptas ac impias superstitiones monachorum. Libro

Luxus Ecclesiasticorum. III. sic scibit: *Quæ quia continuo viliq; stillicidio nostri temporis Ecclesiæ modernum labefactant fundamentum: ne totum titubet ædificium fidei, est maximè verendum. Nullum revera veluti mihi videre videor, hodie genus hominum (etiam si mendax generalitati genus includatur negotiatorum) est sordibus cupiditatum derisibilius excæcatum: quàm fiet ministri generaliter Ecclesiarum. Ad hunc profectò vitæ finem vivi pervenimus, quod quamvis ob omni munere manuali mundum omni vita probatum, hominem fieri contigerit Sacerdotem vel Episcopum: post brevem temporis à tempore promotionis excursum malè vitiatus multum prorsus vitabit vitium. Virum superficialiter pridem probum transformavit in furem, factum crederes lupum ex agno Lycaonicum: Secularibus rebus implicitum ex milite divino negotiatorem, His Cynicus quidam sic competenter allusit. Quum enim monasticæ vitæ quendam, quem vitæ suæ sanctitas cunctis commendaverat ad gratiam: ad id (ut fit) convocati in Episcopum consecrarent Episcopi, cuidam per eas fortè partes transitum facienti, & quodnam conventus ibi tot faceret Episcoporum, sic Cynicè respondit Monachum inquit quendam promovendo perimant. Ad id quod supra diximus, alludens.* In quarto libro de Papa hæc breviter dicit. *Quædam autem generalitas sic est absoluta,*

absoluta, ut pridem Principis, hodie summi Pontificis. Cum summus Pontifex (de cæteris voluntate est, instar sacrilegii disputare) segnius ad juris oculoq; cæcutienti respiciens æquitatem, eum, quem adversa pars petierit, passim petenti concedet judicem ad id jus eligendi judicem, postulaturus ut eum quo libuerit flectat, & vel amicitiam respicit, vel fatuitatem. Est autem cavendum, ut juris ait peritus, ne is detur Iudex, quem altera pars nominatim petierit. Eodem libro de Clericis & Prælatis commemorat.

De cætero, si Clericorum generaliter Prælatorumq; Ecclesiasticorum describere sufficienter vellemus enormitates intus & in tergo scriptas, multò citius consumaretur Orestes. Illud revera triviale est & confessum, nec laicis etiam quod Ecclesiæ non expediret est incognitum, quod hostio sibi quilibet Episcopandus non resertato, fractis ingrediatur parietibus ad Episcopatum. Nec alii inferiorum secus conscendunt ad apices dignitatum. Atqui nunquam in curia nisi curiosus laboraveris vel gravidas ære crumenas præsentaveris, ad Ecclesiasticæ dignitatis honorem promoveberis. Sine horum subsidio literæ nihil prorsus proderunt, sed nec virtus, nec religio. In tali casu literas virtutes & moralia realis superat allegatio; unde reor, quia promotos se glorientur pecuniæ per subsidium exfrontissimi fiunt extortores postea pecuniarum. Sed in hac me judice viri supremæ delirant Ecclesiastici. In eodem libro ac eadem de re. *Sed quid dicemus de Rectoribus Ecclesiæ, quos Occidentales vulgariter nolunt personas & certè ut in mera subsistamus veritate, nil boni citra mendacium de eorum dicere poterimus universitate; nam quid turpius detestabiliúsve est, quam ex eleemosynis plus justo superbire ex populorum peccatis, per immundæ vitium gulositatis intumescere? Illicitè petulantiarum superfluitati abutendo, spiritualibus lora laxare. Ad tales revera tam generaliter Occidentales Ecclesiarum Rectores descenderunt, consuetudinum corruptelas: quod contra fas & pium clandestina contrahunt matrimonia: vel se concubinarum manifestè fœdant per contubernia, seq; vitia maculant per extra ordinaria. Inde est quod decore domus Dei, spreto, penitus & animarum cura exfrontissimè declinetur ad illicita, intentionemque suam sola dirigant ad inania, quod res secundum juris exigentiam, & forensis & Ecclesiastici, pauperibus erogandas, in luxu consumant & in luxuria.* Denique in 7. libro hæc scribit. *Est enim prohibitum, ne Clerici tabernas edendi vel bibendi causa ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Sed ad id hodie ventum est, quod & tabernas habent impunè staconnes, ergastia, concubinasq; verè fovent, vel figuraliter tabernarias, & in tabernis non secus inebriantur quàm parasiti vel histriones. Nullam rem funditus infamem magis quàm parasitus vitant voluptatem, nec illud quod humanam temperare solet societatem, nec stultiloquium nec scurrilitatem.*

Episcoporũ & aliorum artes.

Nulla molesta magis res est deitatis honori.
Quàm vitio victus, rudis absque rubore sacerdos,
Nempe suum trahit ad vitium dux agminis agmen.
Sumit ab exemplo pecus argumenta regentis.
Grande, sibi licitumq; putat quod fecerit author.

Sed divina domus Domini rectore sagaci,
Semper eget qui servet oves sine sorde sequaces,
Indiga semper erit etiam pastore canino,
Qui canis est & homo benè circumlatrat ovile.

* VVolfius Cent. 13. Lect. Memor. p. 544.

CCL. *Hayabalus, Monachus.*

Incarceratus propter veritatis prædicationẽ sub Clemente VI.

TEstatur Henricus de Erphordia, quod anno Dom. 1345. sit Avinione à Clemente VI. vexatus quidã monachus Minorita, nomine Hayabalus, propterea quod solitus est publicè concionari & affirmare, se divinitus jussum concionari *Ecclesiam Rom. esse Babylonicam meretricem*, & *Papam ac Cardinales esse meros Antichristos*, Benedictum & Ioannem hujus præcessores esse damnatos, & alia cõplura hujus generis. Dicit quoque prædictus Chronographus, eadem illa eum Monachum constanter & intrepidè coram Papa ipso, cum accusaretur, affirmasse, seq; divinitus per visionem esse dicere jussum, & porrò si possit concionaturum. Objectum enim est eidem monacho, quod hæreticorum libros haberet, quorum nomina non indicantur, ut verisimile valde sit eum plurimos Papæ errores animadvertisse, taxasse, & damnasse. Non satis clarè indicatur, quænam ratione illum perdiderint; sed tamen videtur ex textu id propemodum colligi posse, quod sit *in perpetuos carceres conclusus*. Accessit verò non pœnitenda historiola vexationi hujus Monachi, quod, dum hic coram Pontifice accusatur, & ipse vicissim Papæ injustitiam accusat, advenit sacerdos, cum Papali Bulla, quã ante Papæ pedes projicit inquiens: *Accipe tibi tuam Bullam, quandoquidem mihi prorsus est inutilis. Iam enim hic triennio institi & supplicavi, nec tamen mihi secundum hanc tuam Bullam jus meum restituitur.* Quo veluti manifesto experimento fuit Monachi accusatio Papalis injustitiæ comprobata. Verùm non fuit id illi misero impunè; nam gravissimè virgis cæsus, in carcerem unà cum Monacho projicitur, ubi fortè cum eo etiam computruit.

* Eadem VVolfius Lect. Memor. Cent. 14. l. 636.

CCLI. *Parisienses Episcopi.*

Contentiones Cleri Gallicani.

MOnstratum est in pluribus hujus Catalogi locis, graves olim contentiones fuisse inter *Clerum Gallicum, Scholam & Monachos mendicantes*. Nunc & hoc adjiciatur, testari Henricum de Erphordia, adscripto etiam diplomate Stephani Parisiensis Episcopi, anno Dom. 1324. dato, quod olim fortè circa 1300. & ante plures Episcopi Parisienses damnaverint. Thome Monachi Aquinatis doctrinam. Non satis clarè explicatur, in quibus partibus, sed tamen res non parvi momenti fuisse, facilè ex illa Bulla liquet. Verùm prædictus Stephanus revocat eas damnatio-

nes

nes in dubium, & vult esse tantum disputabiles articulos. Vnde apparet paulatim magis ac magis Mendicantium Monachorum superstitiones & impietates, frustra multis bonis repugnantibus invaluisse. Vtinam omnia illa cum Monachis habita certamina publicè nota essent, proculdubiò multa præclara mysteria veritatisque testimonia revelarentur.

CCLII. Godefridus de Fontanis.

VIxit hic Vir circiter ante annos 300. & scripsit *contra Monachos Mendicantes,* præsertim id oppugnans, quod, cùm vitam solitariam profiteantur, velint esse gubernatores Ecclesiarum & alios opprimant. Initio autem ejus scripti habetur quædam historia de certaminibus Prælatorum Gallicorum cum Monachis, quæ quia ad nostrum institutum faciunt & alioqui scitu digna sunt adscribam. *Certamina Prælatorum Gallicorum cum Monachis Mendicantibus in Synodo Parisiensi.*

Noveritis igitur, quod Prælati regni Franciæ *convenientes Parisiis, longa ibidem præhabita deliberatione vocari fecerunt per præcones in singulis Scholis, & rogari omnes magistros cujuslibet facultatis, Baculaurios & omnes Studentes, ut dignarentur venire, ea, quæ eis proponerent audituri. Convenerunt igitur die sequenti Nicolai* Magistri omnes & Scholares, & Fratres *de quolibet Ordine* potiores *in Salam Episcopi Parisiens. ubi erant* quatuor Archiepiscopi, & 20. Episcopi *congregati. Surgens autem* Archiepiscopus Bituricensis, *magnus per omnia Clericus, primò fecit* sermonē de charitate, *& fuit hoc ejus thema:* Fratres, ut sciatis, quæ sit longitudo, latitudo, altitudo, & profundū charitatis, *& conclusit postea, quod* vera charitas *ipsos compelleret providere salutis gregis sibi cōmissi. Secundò conclusit, quod* fortitudo charitatis *ipsos armaret ad errantibus obviandū. Tertiò conclusit, quod* ex debito charitatis & officii sui, *si necesse esset,* animas pro ovibus ponere *tenerentur. Quartò conclusit, quod* ex charitate *quilibet deberet esse* contentus suis, *non officiū alterius sibi usurpare, quia Ecclesiasticus ordo confunditur, nisi unicuiq; jus* suū *observetur. Sed heu hodie ista* charitas refriguit, *&* Ecclesiasticus ordo *penitus est* confusus; *quia multi falcem mittunt in messem alienam, ita ut jam Ecclesia* monstrum *dici possit. Sicut enim in corpore naturali contingit, quod monstrum dicitur cum membrum unum alterius officium habet; Sic & in corpore spirituali, scilicet* Ecclesia, *cum utique literati & prudentes fratres, videlicet majores & minores officium specialiter nobis commissum occupant, sed injustè, cum nemo debeat sibi honorem assumere, nisi qui vocatur à Domino, tanquam Aaron. Quia ergo super isto sæpe rogari fecimus* Monachos *personaliter* per Dominum Regem, *& quoque* per alios Magnates *rogari fecimus, ut à nostro officio cessarent, nec tamen fecerunt, sed quoniam nobis invitis prædicaverunt per singulas diœceses, & confessiones audiverunt, dicentes super hoc Privilegiis Papalibus se munitos. Venimus ad vos, qui præsentes sumus & habemus literas de rati habitione omnium Episcoporum regni Franciæ,* ad cōquerendum nobis de tanta fratrum insolentia, *quia quod nos sumus, vos eritis.*

Credo

Credo enim quod non sit hodie Prælatus inter nos, qui de hac Universitate non sit assumptus. Rogamus præterea & rogari fecimus dictos fratres, *ut dicta* Privilegia *mitterent ad sedem Apostolicam à Domino Papa lucidius interpretanda, quod similiter facere renuerunt. Ut ergo discutiatis & videatis, quid juris illis concessum sit ex ipsis Privilegiis, decrevimus vobis publicè legi. Et statim quidam alter surgens in publico ambone legit* Privilegia, *& postea legit* Constitutionem Innocentii IV. *quæ his contradicit, ut ibi ostensum fuit, & ad quam utrumque Privilegium remittit, utpote illi constitutionem derogans. Hæc constitutio habetur* in V. Decretalium, *& incipit sic.* Omnis utriusque sexus, &c. *His lectis surrexit* Episcopus Ambianensis, *maximus Jurista, & de articulo ad articulum currens, ostendebat liquidò per jura prædictæ constitutioni in nullo per prædicta Privilegia derogatum,* nec licere fratribus Confessiones audire, & pœnitentias injungere sine Episcoporum & Parochianorum sive Plebanorum licentia speciali, *nullo Fratrum in unico verbo contradicente. Rogavit ergo Dominus Episcopus* Universitatem, *ut eis in hoc casu assistere dignarentur, quia ipsi similiter omnes & unanimiter definivissent usque ad sanguinem tali injuriæ obviare. Hæc facta fuerunt die Sabbathi. Sequenti die Dominica scilicet,* unus de Ordine Minorum apud fratres Majores *fecit* sermonem, *quod prius, ut credo, visum non est, & paucis verbis finiens sermonem, incepit loqui de materia supra dicta, & replicans singulos articulos, prout poterat, melius ordine exponebat adjiciens, quod si voluissent, dictis Privilegiis uti latius potuissent; dicebant etiam, quod, cum prædicta privilegia impetrarent, dictus Ambianensis Episcopus præsens existens, totis viribus resistebat, imò* omnes Prælati *Nuncios* ad Curiam *miserunt, & minimè processerunt. Quia dum Papæ ipsi fratres modum utendi, quousque fuerant dictis privilegiis usi, exponerent, Papa respondit:* Placet, Volunt autem, *ait,* & exigunt iterum Prælati à nobis, ut mittamus Privilegia nostra ad Curiam, ut ad impetrandum, quod fatuum nimis, esset, quia sic daremus locum & occasionem revocationi nobis datæ potestatis; Præterea noster Magister noviter obiit. Magistrum quoque Ordinis majorum præsentem non habemus, unde non immeritò de tam arduo facto pro toto ordine sine illis nos interomittere non audemus. Rogamus igitur vos, ut nos excusatos habeatis, & tam leviter adversum nos non moveamini, quia nequaquam Universitatis vilius membrum sumus. *Sequenti die agebatur* Festum Conceptionis Beatæ Mariæ *apud Fratres Minores; & ecce* unus Majorum *faciens sermonem ad eundem finem, ut dicam breviter, perducebat, & credo ibi impleta est Scriptura quæ dicit:* facti sunt amici Herodes & Pilatus ipsa die. *Cæterum* in vigilia Beati Thomæ *iterum* Prælati *præconizari fecerunt per Scholas, ut omnes Dominica, tertia scilicet die; hora sermonis ad S. Bernhardum convenirent. Quod factum est, & surgens quidam* Magister in Theologia *fecit sermonem de hoc Themate:* prope est Dominus, *& multis authoritatibus & verbis arguit generaliter illos, qui Dominis & Prælatis suis contemnerent obedire. Fine dato verbis, surrexit* Episcopus Ambianensis, *cum quo tantum erat ibi Archiepiscopus Remensis,*

mensis, & procedens in dicto themate scilicet, prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, *& divisit triplicem veritatem juxta illos versus, qui in Glossa decretalium sæpe ponuntur.*

Est verum vitæ doctrinæ justitiæq́; Primum semper habe duo propter scandala linque. Ostendens per multas authoritates Theologiæ Canonum, & Legum, & evidentibus factis. Fratres non habere veritatem vitæ, quia de hypocrisi ipsa arguantur manifestè, nec veritatem doctrinæ, quia corde fel gererent, & ore dulcia prædicarent; nec veritatem justitiæ, quia aliorum sibi officia usurparent. *Et his finem imponens legi fecit iterum ibi dicta privilegia cum dicta constitutione.* Omnis utriusque sexus, *& applicans singula singulis lucidius ostendebat per privilegia sæpe dicta in nullo dictæ constitutioni*, omnis utriusque sexus *penitus derogari. Hoc facto ait*: Audivi, quod fratres dicebant, me præsentem fuisse, quando privilegia impetrabant, & verum est, imò cum ter ad me perveniret fama hujusmodi ivi ad Papam reclamans, & petens dicta Privilegia revocari, sed sequenti die à Domino Papa ad remotas partes super arduis negotiis missus fuit, ita quod tunc de hoc finem habere non volebat. Misimus & postea Nuncios nostros pro eadem causa ad Curiam, quos Fratres dicunt nihil profecisse, sed falsum dicunt, quia literas nobis retulerunt potiorum in Curia sigillis sigillatas, quas Domino Regi sæpe ostendimus, & vobis omnibus ostendere breviter volumus, quibus Dominus Papa nobis promisit dicta Privilegia, vel penitus revocare, vel interpretatione lucidius explanare, quas speramus sub Bulla, publica brevi habituros. *Ad ultimum petivit Dominus Episcopus omnes cujuscunque nationis, ut hæc privilegia transcriberent, & ad partes suas mitterent, ut omnibus appareat, quid per prædicta privilegia Fratribus sit concessum. Super his postea disputatum fuerat* à Magistro Egidio de Ordine Augustini, *qui modo melior de tota villa in omnibus reputatur & determinatum fuit ab eodem, quod Episcopi essent in parte longius saniori. Quarum determinationum copiam propter novitatem habere ad præsens non potui, si tamen habere potuero, mittere non tardabo.*

* Quænam inter Fratres & Academicos Parisienses certamina fuerint, exponit Matthæus Parisiensis ad An. 1253. in Henrico III.

CCLIII. *Ætates Ecclesiæ.*

DEscripsi ex veteri quodam Codice libellum, titulo *De ætatibus Ecclesiæ*, fortè ante 200. annos scriptum; in quo brevissimè indicatur, quis status quoque tempore in Ecclesia fuerit; præcipuè verò in eo ostenditur, quàm fuerit primitiva Ecclesia aliena ab ambitionibus, & affectatione potentiæ, sive superioritatis; quæ mala postea serò inoleverunt; imò id quoque ibi non obscurè monstratur, olim Papam nullum planè primatum super alios sacerdotes ac Episcopos habuisse; sed

paulatim creviſſe, & tandem præſentis tyrannidis arcem occupaſſe. Verùm, adſcribamus ſanè totum eum libellum, quoniam omnino lectu dignus eſt; tametſi valde verear integrum non eſſe.

Cap.I. de statibus Ecclesiæ. Cogitanti mihi, & cum animo meo ſæpè repetenti, priorem illum Eccleſiæ Dei ſtatum, & mirum pariter & indignum videri ſolet, quòd unius Eccleſiæ ſtatu varietates ſuſcipiente, eò perventum ſit, ut nunc ablata ab oculis veritate, nec antiqua religio, neque humanitatis ratio teneretur. Quamobrem perfectio veterum ſeculorum mutata eſt; ait enim quidam Metriſta dicens:

Divitias peperit, quaſi mater honorificata,
Relligio, quòd ait ſententia Gregoriana:
Dum diſciplina ceſſat, regnatq; ſimultas,
Deficit Eccleſiæ veritas, periitq; facultas.

Olim enim erant aurea ſecula, erat devotio, fervor, religio, ſancta mentis puritas, contemptus divitiarum, & totius ſanctimoniæ decus. Hæc tanquam mater honorificata pepererat divitias; quia propter has, Reges & Principes ampliſſimis donariis Eccleſias & Monaſteria fundaverunt. Nunc verò illa antiqua aurea ſecula gradatim ad argentea, deinde ad cuprea, & abinde ad ferrea deſcenderunt; quoniam ſummi Pontifices eſſe ſe Paſtores animarum obliti ſunt, & in virga ferrea, tanquam crudeles tyranni, incœperunt dominari, contra dictum primi paſtoris Petri: *Non quaſi dominantes in Clero, ſed in forma ſancti gregis.* Inde igitur venit, quod antiqua ſecula ad ferrea reducta, divitias antiquas amiſerunt: quia devotio decrevit, & matrem extinxit filia.

Succedente verò tempore, ſecula ferrea ad ſtannum pervenerunt; & inde ad ultimum & infimũ metallum, quod eſt plumbum. Nunc verò deſcendendo, ignorare me fateor, quomodo hoc nomen Papæ, ita jam reſtrictum ſit, quòd ſoli Romano Pontifici adſcribatur. Olim n. generale nomen erat, & pro omnibus Epiſcopis ſupponebatur. Vnde beatus Hieronymus in Epiſtolis, quas ad Epiſcopos ſcripſit, eos *Papas* nominavit. Exemplum: *Domino verè ſancto, beatiſſimo Papæ Auguſtino.* Sic & reliquis ſcribit, & in diverſis doctorum ſcriptis idem reperimus.

Primum legimus in Epiſtolis Damaſi Papæ, quod præpoſuit nomen *Presbyteri* ſuo nomini. Exemplum: *Dilectiſſ. fratri Paulino Damaſus. Per filium meum Vitalem ad te ſcripta dereximus.* Inſuper & ipſe Romanus Pontifex vocatur ſimpliciter ſacerdos. Vnde in Concilio Tauritano ſic legimus: *Illud decernit præterea ſancta Synodus, ut quomodo Legatos Epiſcopi Galliarum, qui fœlici comitatu deſtinarunt, ut ſi quis ab ejus communione ſe voluerit ſequeſtrare, in ſanctæ pacis conſortium ſuſcipiatur, juxta literas venerabilis memoriæ Ambroſii,* & Romanæ Eccleſiæ ſacerdotis *dudum latas, quæ in Concilio legatis præſentibus recitatæ ſunt.*

Beatus tamen Bernhardus lib.2. de Conſiderat. Romanum Pontificem exaltat & humiliat. Exaltat eum, dicens: *Tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum,*

rum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus: Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Econtrà hunc humiliat, dicens: *Apostolis interdicitur dominatus, ergo & tu tibi usurpare aude, aut* dominans Apostolatum, *aut* Apostolicus dominatum: *planè ab alterutro prohibetis; si utrumque simul habere velis, perdes utrumque.* De dominio verò Papæ idem Bernh. indicto.2.lib.ait: *Vbi aliquando quispiam Apostolorum Iudex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego.* Et lib.1.inquit: *Quænam tibi videtur major dignitas & potestas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? sed non est comparatio. Habent hæc infima judices suos, Reges & Principes terræ, Cur fines alienos invaditis? Cur falcem vestram in messem alienam extenditis? non quia indigni vos, sed quia indignum est vobis, talibus insistere. Hæc enim terrena substantia, lites & causæ Papam excæcarunt, & eum tamen elevaverunt, quod humilitatis pristinæ & innocentiæ primitivæ oblitus est.* Lego nempe in Registro, quod Antiochenus Patriarcha benedixit beato Gregorio Magno, & ipse jucundissimè cum omni veneratione suscepit illam. Nonne majoris est, minori benedicere? Vtique.

Hic sanctus Papa noluit se vocari Papam, non Patriarcham, non Primatem seu Archiepiscopum; sed *Episcopum, & servum servorum Dei* se vocari voluit. Nec verò hoc fictè, sed verè, verbo, scripto, & exemplo ostẽdit. Nunc verò hoc fictè fit; & ideo si verum scribere vellent, utiq; deberent scribere, *dominus dominantium*, & similia. Patiuntur etiam, quod plus est, divinas ascribi sibi laudes; & homines idololatrare faciunt, vel sinunt; nam ambitiosi & avari, ut ea quæ petunt à Papa impetrent, ejus *humiles creaturas* in suis supplicationibus se nominant. Divinum opus est, creare; & unus Creator tantum est, ille qui creavit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant. Absit ut homo mortalis, homo pulvis & cinis, commune cum Deo nomen habeat: quod solius Dei proprium est, mortalis sibi vendicet.

Beatus Hieronymus super Epistolam ad Titum, loquens de statu Ecclesiæ primitivæ, sic inquit: *Olim idem erat presbyter, qui & Episcopus; & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis,* Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ: *quoniam presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam autem unusquisque eos quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi: in toto orbe decretum est, ut* unus de presbyteris *superponeretur, & schismatũ seminaria tolerentur.* Et paulò post ait: *Sicut ergo* presbyteri *sciunt se ex Ecclesiæ cõsuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita* Episcopi *noverunt, se magis consuetudine quã dispẽsationis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, & in cõmuni debere Ecclesiã regere.* Hæc ille. Quæro igitur, ubi erat tunc illa Monarchia, de qua nunc his diebus tam exquisitè disputatur? Vnde Romanus Põtifex sic exaltatur, ut semetipsum

Caput II. de Cura Papæ.

non cognoſcat; unde & Monarchia dicitur. Idem beatus Hieronymus ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum ait: *Presbyteri negociorum ab initio judices ordinati ſunt, presbyteri ſacerdotum intereſſe debent Concilio: quoniam & ipſi Epiſcopi, ut legimus, Epiſcopi nominantur, ſecundum quod dictum eſt ad Epiſcopum, Noli negligere gratiam, quæ tibi data eſt per impoſitionem manuum presbyterii.*

Diſtinguitur autem à Iuriſtis ipſa primitiva Eccleſia, in primam & ſecundam: unde Diſtinct. 93. legimus, dicitur: *In prima primitiva Eccleſia commune erat officium Epiſcoporum & ſacerdotum, & nomina erant communia, & officium erat commune. Sed in ſecunda primitiva Eccleſia cœperunt diſtingui & nomina & officia.* Ergo iſta nomina, Presbyter, & Epiſcopus, erant prorſus nomina ſynonyma, & etiam adminiſtratio erat communis: quia communi conſilio ſacerdotum regebantur Eccleſiæ. Ex quo igitur differentia non fuit à principio, igitur ipſi Prælati non nimis ſuper ſacerdotes ſe debent elevare. Et ob hoc benè dicit quarta Carthaginenſis Synodus: Epiſcopus in quolibet loco ſedens, ſtare presbyterum non patiatur. Et eadem Synodus: Epiſcopus in Eccleſia, in conſeſſu preſbyterorum, ſublimior ſedeat: intra domum verò, collegam presbyterorum ſe eſſe cognoſcat. Sed quia Epiſcopi ex communi decreto presbyteris cæteriſque inferioribus ſunt Prælati, ideo & eorum curam gerere tenentur: & quia Romanus Pontifex omnibus Prælatus eſt, ideo univerſalis cura ſibi tradita eſt. Vnde beatus Bernhardus lib. 2. de Conſid. ad Eugenium ait: Exi inquam in mundum, iſque creditus eſt tibi. Exi in illum, non tanquam Dominus, ſed tanquam villicus, videre & procurare, unde exigendus es rationem. Et idem lib. 3. Non ſum tam rudis, ut ignorem poſitos vos diſpenſatores: ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur: ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Vtilis diſtinctio, quamvis non propria. Nam cum horum nihil eſt, non planè fidelis diſpenſatio eſt, ſed crudelis diſperſio. Quid ergo dicemus ad illas miſerabiles diſpenſationes, quæ modò fiunt? Quid dicemus ad hoc, quòd ipſi ſummi Pontifices circa oves ipſas ſibi commiſſas faciunt? quas non ſolum tondent, ſed etiam excoriant? Quid dicemus ad faſtum & ſuperbiam?

Beatus Bernhardus lib. 4. de Conſid. dicit: *Tu paſtor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate Oves quid capiunt? ſi auderem dicere, dæmonum magis quàm ovium paſcua. Hoc ſic factitabat Petrus? ſic Paulus ludebat? Vides omnem Eccleſiaſticum zelum fervere pro dignitate tuenda? honori totum datur, ſanctitati nihil, aut parum.* Et idem oſtẽdens Papæ viam rectam, per quam ambulet, ait: *Conſideres ante omnia ſanctam Romanam Eccleſiam, cui Deo auctore præes, Eccleſiarum matrem eſſe, non dominam. Te verò* non Dominum Epiſcoporum, *ſed* unum ex ipſis. *Porrò* fratrem *diligentium Domini, & participẽ timentiũ eum de cætero oportere te eſſe conſidera formam juſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplum, aſſertorem veritatis, fidei*

defen-

defensorem, ductorem gentium, Christianorum Ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculorum cæcorum, linguam mutuorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentum, malleum tyrannorum, Regum Patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, Sacerdotem altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremò Dominum Pharaonis. Ecce quàm pulchrum, quàm vigilem, quàm plenum charitate depinxit hominem. Sed ubi jam talis? totum nunc perversum est, aurum obscuratum est, & mutatus est color optimus. Sancti viri pastoralem curam suscipere trepidabant; nunc verò ad illas indigni currunt.

Sanctus quoque Basilius, omni virtute redimitus, quid de se sensit audiamus. ait ipse in dialogo lib. 6. Cap. 11. scribens ad Chrysostomum sic: Ex illa die, ex quo id in meam notitiam de sacerdotii causa detulisti, frequenter prope periculum fui: tantus me terror & tantus invasit defectus. Considerans enim sponsam Christi, & ejus sanctitatem, & spiritualem pulchritudinem, ornatumque ejus, atque prudentiam: & cogitans vitæ meæ mala, persistebam ad illa, & me aliqualiter lugens, angustiansque, hebescebam apud memetipsum dicens: Quis putas dedit tale consilium? Aut quid tam graviter Ecclesia deliquit? Quid est quòd adeò exasperatus est, ut eam sinat mihi tradi, & tam magno dedecori subjacere faciat? Hoc crebrò apud memetipsum cogitans, incontentissimeque mihi irascens, neque considerationem sustinens, sicut morbo aliquo ac dolore percussus, stratus jacebam in terra, & nec audire aliud poteram, nec videre. Sic & beatus Gregorius fugit, & latuit. Sic omnes sancti ad curam animarum accedere trepidabant.

Non inscitè Seneca, Romanæ urbis tempora distribuit per ætates; melius tamen & perfectius tempora Ecclesiæ per ætates distribuuntur. Infantia quidem post ascensionem Christi incepit, quamvis de Christi latere fluens ante videtur nata. Hanc ejus infantiam sacra Actuum historia pulcherrimè describit. Vnde B. Hieronymus in prologo ejusdem, qui quidem prologus est Epistola ad Paulinum, ubi ait: *Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere.* Hæc quidem *infantia* munda erat, sancta erat, & Salvatoris pabulo nutrita. *Pueritia* Ecclesiæ, seu magis propriè loquens, puellarum ætas incepit ab eo tempore, quo beati Apostoli ab invicem divisi sunt, ut in omnem terram exiret sonus eorum, & in finem orbis terrarum eorum procederent verba: quoniam unũ dogma, unam symboli formam prædicare cœperunt, & ex eo tempore ipsa mater nostra sancta Ecclesia aucta fuit, & discipulis pluribus institutisq; formata. Tunc enim quilibet Apostolorum dicere potuit cum Evangelico Esaia Propheta, Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus: cum Petrus initio Athenis verbum vitæ prædicavit, Paulus Græciam à pravis traditionibus & erro-

Cap. III. de ætatibus Ecclesiæ.

Infantia pueritia.

ribus antiquis,ad veritatis viam direxit,Andreas Achaiam cõvertit, Iohañes ipſam Aſiam in ſeptem Eccleſias diviſam fidei luce illuſtravit,Mattæhus Æthiopes horridos,agni veſtivit vellere, Thomas Indiam,cæterique Apoſtoli ſuas provincias ad Chriſti fidem, ad veritatis agnitionem,verbo prædicationis induxerunt. *Adoleſcentia* verò incœpit, cum jam dilatata fide, etiam illi qui ex gentibus ad fidem Chriſti ſunt converſi, martyrium pati nequaquam timuerunt: ſed conſtanter,alacri & jucundo corde tyrannis inſultabant, ut Chriſto placere poſſent,& uniri ſibi. Tunc enim ii qui pòſt Gallilæi dicti ſunt, Chriſtiani ſunt vocati: quod tamen nomen in Antiochia habuit ortum.De quo nomine in Eſaia dicitur: Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit,de quo gloriamur, quòd à Chriſto Chriſtianus derivatur. *Juventus* autem ab eo tempore videtur incœpiſſe, quo pax Eccleſiæ donata fuiſſe legitur: tunc denique confirmatis viribus florere cœperunt, tunc Eccleſiarum Prælati convenerunt, & Synodos celebrabant, errores extirpabant, & deſtructis Deorum Templis Eccleſias erexerunt. *Virilis ætas*, ſeu propriè loquendo,ætas fœminea,ut in ſexu maneamus,incœpit ab eo tempore,quo Bonifacius IV. obtinuit ab Auguſto Phoca , ut Eccleſia Romana caput eſſe omnium Eccleſiarum.Quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam omnium Eccleſiarum ſe ſcribebat. Legimus autem,quòd in Conſtantinopolitano Concilio decretum eſt, ut illa Conſtantinopolitana ſedes ſimilia privilegia, quæ ampla Roma habet,accipiat: & quòd in Eccleſiaſticis rebus magnificetur, ut illa.Et in Chalcedonenſi illud confirmatum legimus: ſed additur ibi, ut ſit ſecunda: nullibi autem legi,Conſtantinopolitanæ conceſſum ſedi, ut ſit prima, & quòd ante Romanam nominari debeat. Cum autem Phocas Cæſar ſic Romanam Eccleſiam ſublimavit, benè ſancta Eccleſia ad virilem & potentem ſtatum venit. *Senilis ætas* orta eſt ab eo tempore, quo Orientalium Chriſticolarum quatuor PatriarchalesEccleſiæ,à RomanaEccleſia ſunt diviſæ: tunc ſenuit, & tandem languida morbidaque facta eſt. Creverunt tandem vitia, & ſchiſmata ſurrexerunt: Eccleſiæ flos decidit,& robur ejus periit. Iſmahelitæ confortati, illam terram ſanctum olim Patribus promiſſam, & ab eorum filiis poſſeſſam, pedibusque ſanctiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti calcatam, paſſione & ejus ſanguine pretioſo conſecratam, & ſepulchro ſuo redimitam, expulſis Chriſtianis in poſſeſſionem receperunt. Vnde illud propheticum, quod in principio Pſalmi ſcribitur, impletum eſt : Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. Poſuerunt morticinia ſervorum tuorum,eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ,&c. Domine Ieſu Chriſte, reſpice de ſanctuario tuo,& de excelſo cœlorum habitaculo, ſuper ſponſam tuam, ſic humiliatam & afflictam: & libera terram tuam ab iis, qui ſponſam tuam & te oderunt. Reſuſcita Romanum imperium,heu dolor,collapſum,ad conterendam Agarenorum poteſtatem: qui non in te Domine, ſed in ſua feritate confidunt.

Adoleſcentia. *Iuventus.* *Virilis ætas.* *Senectus.*

Funda-

Fundamenta ſunt jacta, fundandam deſuper neceſſe eſt infantiam Eccleſiæ aggrediamur. Legimus igitur in libro II. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. I. ubi Euſebius allegat Clementem in 6. Diſputationum libro, ſic in forma: *Petrus enim*, inquit: *& Jacobus, & Johannes, poſt aſſumptionem Salvatoris, quamvis ab ipſo fuerint omnibus penè Prælati, tamen ſibi non vendicarunt primatus gloriam; ſed Jacobum, qui dicebatur juſtus, Apoſtolorum Epiſcopum ſtatuerunt. Ex his verbis videtur concludi, quòd Jacobus ſuper Apoſtolos accepit Principatum, quia* Apoſtolorum Epiſcopos *factus eſt.* Epiſcopus *autem* Superintendens *dicitur, & ſedem Domini Jeſu ſuſcepit poſſidendam.* In tertio verò libro ait: *Poſt martyrium Jacobi, & continuo conſecutum excidium, trahitur, Apoſtolos cæteros & Domini diſcipulos, qui ad illud tempus reliqui erant, in unum è locis omnibus conveniſſe ſimul, cum iis qui propinqui ſecundum carnem dicebantur, & habuiſſe* commune Concilium *quem oportet dignum ſucceſſorem Jacobi judicari; omnesq; uno conſilio atq; uno conſenſu* Simonem filium Cleophæ *decreviſſe, cujus mentio in Evangeliis facta eſt, ut Epiſcopatus ſedē ſuſciperet.* Invenimus adhuc aliquam Prælaturam Petri. Eamus igitur ad Actus Apoſtolorum, & videamus quid dicant de Synodis. Lego ibi c. 1. quòd Apoſtoli ſynodaliter congregati, elegerunt per ſortem Matthiam in locum Iudæ traditoris. Lego denique cap. 6. quòd ſecunda ſynodus celebrata eſt, de qua ſic dicitur: *Convocantes igitur multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis, &c.* Elegerunt ergo tunc ſeptem Diaconos. Tertia Synodus Apoſtolica habetur Act. 6. cum Apoſtoli audierunt, quòd Samaria recepit verbum Dei, miſerunt ad illam Petrum & Ioannem. Synodus quarta habetur Act. 2. *Pervenit autem ſermo ad aures Eccleſiæ quæ erat Hieruſalem, & miſerunt Barnabam uſq; ad Antiochiam.* Quinta Synodus legitur Act. 13. ubi dicit Spiritus Sanctus: *Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod adſumpſi eos,* De ſexta Synodo ſcribitur Actorum decimo octavo. Ibi Iacobus Apoſtolorum Epiſcopus, ſecundum prius dictum ejuſdem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, dictavit ſententiam dicens: *Notum eſt à ſeculo Domino opus ſuum, propter quod ego judico non iniquitari illos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum; ſed ſcribere ad eos, ut abſtineant ſe à communionibus ſimulachrorū, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine;* & ſubditur: *Tunc placuit Apoſtolis & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere ex eis viros, & mittere in Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, Barſabam & Silam, viros primos in fratribus, iis qui ſunt Antiochiæ & in Syria & Cicilia, fratribus ex gentibus ſalutem.* Hæc ſunt Concilia ab Apoſtolis celebrata; nec ab ipſis ſolum, verùm etiam à cunctis Chriſti diſcipulis.

Cap. IV. de infantia & pueritia Eccleſiæ.

Veniendum nunc eſt ad *pueritiam.* Poſt Apoſtolorum diviſionem, cum B. Petrus Antiochiam venit, ibi ſedit, & verbum Dei tanquam fidelis diſpenſator ſeminavit, ibique diſcipuli ab Angelo Dei viri Galilæi nuncupati, novum nomen acceperunt: quia Chriſtiani ſunt vocati, & expletis annis, Romam venit. Cui Paulus junctis eſt: & ſecundū hiſtoriam Eccleſiaſticam, non ſolum Petrus illi Eccleſiæ præſedit, ſed cum eo etiam & Paulus. Vnde 51. c. dicitur: Fundata igitur & ædificata Eccleſia,

Caput V. de pueritia Eccleſiæ.

Ecclefia, beati Apoftoli Lino officium Epifcopatus injungunt, huic fuccedit Anacletus, poft quem tertio loco Epifcopatum fufcepit Clemens. Iis quidem verbis præmifit hæc dicens: Qua tempeftate in Roma Clemens quoque tertius poft Paulum & Petrum Pontificatum tenebat, & lib. 4. inquit: Alexander Romæ quinta fucceffione poft Petrum atque Paulum plebis gubernacula fortitus eft. Tunc enim ubique, non in Iudæa tantum, diffeminabatur verbum Dei, per univerfam regionem, & difcipuli replebantur, gaudio & fpiritu fancto, & fagena miffa eft in mare, quæ ex omni genere pifcium congregavit bonos & malos. De malis erat, Nicolaus unus de feptem Diaconis, in hærefim lapfus: Simon Magus, Ananias & Saphira, qui puierilem Ecclefiæ ftatum impetere nitebantur.

Cap. VI. de Ecclefiæ adolefcentia & juventute.

Puerilibus annis jam tranfactis, adolevit Ecclefia, & accepit robur. Nam Chrifti fideles fortes facti funt in bello tyrannorum minas contempferunt: ac diverfa fupplicia ducti, mortem non timebant. Quia ibant à confpectu Concilii gaudentes, quoniam digni habiti funt pro nomine Iefu contumeliam pati. Sed nõ omnibus hæc gratia data eft, quia multi retrorfum abierunt: non folum de minoribus, fed etiam de majoribus & columnis, imò de maximis. Marcellinus Papa propter metum pavoris, & crimen avaritiæ, grana thuris obtulit. Sed tamen convaluit de infirmitate, & fortis factus eft in bello: qualiter congregavit Epifcopos, qui congregati non depofuerunt eum, oportebat enim reatum proprium confiteri. Pòft, ejus confeffionem fubjunxit dicens: Verè me avarum corrupit aurum. Glof. verò dicit 21. Hinc autem reddit rationem, qualiter Epifcopi non depofuerunt eum, dicens, quòd paratus erat corrigi. Et fubditi: Licet enim Papa fit hæreticus, vel alius malus, fi tamen paratus eft corrigi, non deponatur: ut 24. q. 3. Vel idcirco non debebant ipfum deponere, quia coactus fecit. Sed in veritate hæc ultima caufa affignatur minus benè, & omnino non valet: quia propter nullam caufam debet homo idolis immolare, & recedere à Deo fuo & quia Paftor gregis Chrifti fuit, ideoque gravius peccavit: Paftor tenetur animam fuam ponere pro ovibus fuis. Verior caufa hujus rei eft, quia non erant fynodaliter congregati, qualiter ipfam univerfalem Ecclefiam repræfentare nequaquam poterant. Nemo enim primam fedem judicare debet, fed hoc pertinet ad Dominam & Reginam Sponfam Chrifti, cujus fervus & difpenfator eft Papa, quam univerfales Synodi reprefentant. Subfcripferunt tamen in ejus damnatione Epifcopi, & damnaverunt eum extra civitatem: & Melchiades Epifcopus fubfcripfit prius in ejus damnationem. De *Adolefcentia verò*, virgo Mater Sponfa Chrifti ad juventutis ftatum largo Dei dono gradatim afcendit, quando Conftantinus contemptis idolis, nomen Chrifti confiteri cœpit, & hoc edicto publico fcribere juravit, quod quidem fic incipit: In nomine fanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti, Imperator Cæfar Flavius Conftantinus, in Chrifto Iefu, uno ex eadem Trinitate fancta Salvatore Domino Deo noftro, fidelis, manfuetus, beneficus, Alemannicus, Gothicus,

thicus, Britannicus, unicus, pius, fœlix, victor & triumphator semper Augustus, &c. Atque hoc quidem tempore Patres Christianæ plebis in unum convenerunt, & Synodos convocabant, in quibus ea quæ sunt fidei inter se tractabant. Ante enim hæc tempora fœlicissima, propter persecutionis rabiem, non poterant in unum congregari. Legimus tamen in II. libro Ecclesiasticæ historiæ, quòd in Cæsarea Palæstinæ Synodus celebrata est persecutionis tempore, sub sancto Victore Papa & martyre, longè ante Nicænam Synodum. Similiter Gangrense Concilium, & quædam alia eodem tempore sub sancto Victore: sed magis absque timore, à tempore Constantini incœperunt, ex quibus quatuor maximæ authoritatis apud Patres veteres extiterunt, in quibus hæreses eradicatæ, orthodoxa fides explanata, & Christianæ Religionis vitæ forma est in his depicta. Ibi confusi sunt, qui malè in fide senserunt, & prava dogmata seminaverunt: ut puta Arrius, Macedonius, Eutyches, Sabellius, Nestorius, Dioscorus, Manes & Helvidius, cæterique pravorum dogmatum assertores. Tunc ordinatæ sunt Patriarchales Sedes: ibi statutum est, quòd Romanus Pontifex non debet appellari primæ sedis Episcopus, nec universalis est appellandus. Et in sanctissima Nycæna prima Synodo scriptum est, c.6. Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Romano Episcopo parilis mos est. Nunc videatur glos. quæ habetur Dist.95. an textui sit forma consona, qua dicitur in quibusdam quod uterque deponit Episcopos: vel dic, Romano, id est Constantinopolitano, quia sancti Patres benè expressissent, si sic deberet intelligi. Constantinopolitanus autem tempore primæ Nicenæ Synodi simplex Episcopus erat, & in Synodo Constantinopoli celebrata, privilegium Alexandrini Patriarchæ ad Constantinopolitanum Episcopum est translatum, & ut clarius pateat, glossam illam textui non congruere, videamus quid insuper dicat Ecclesiastica historia. Dicitur ibidem lib.10. Cap.6. Sicut apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur: quia vel ille Ægypti, vel hic suburbicarum Ecclesiarum solicitudinem gerat, Patres enim prisci temporis nolebant Romanum Pontificem sic attollere, sic deificare, quemadmodũ hisce diebus fieri consuetũ est.

Virilis ætas perfectus hominis status est. Ecclesia denique catholica in infantia erat innocens & munda: in pueritia crevit, & dilatata est, in adolescentia aucta roborataque est, sed plurimum passa in juventute, ab hæreticis infestata est, & per schismata divisa. Nam Constantinopolitanus universalis vocari voluit, Romanus verò in contrarium laboravit. Ob hoc ille magnus beatus Gregorius, per Epistolas & scripta hujus præsumptionis audaciam molitus est extinguere. Phoca verò imperante, hoc schisma penitus est extinctum; nam Bonifacius Quartus ab eodem Cæsare obtinuit, ut Ecclesia Romana caput esset omnium Ecclesiarum. Ab eo igitur tempore sancta mater Ecclesia, evacuatis iis quæ erant parvulæ, ad fœmineam ætatem per gratiam largitoris omnium viriliter ascendit Imperatores cle- *Caput VII. de Ecclesia virili ætate & senis.*

mentiſſimi Eccleſiam defenſabant, largè munera ipſi tribuebant,& à tyrannorum inſultibus ipſam liberabant. Ius habebant non ſolum ordinandi ſedem Apoſtolicam,ſed etiam omnes Eccleſias cathedrales. Reperio quidem,quòd ipſi Pontifices Romani nunc eligebantur à populo nunc ab Imperatoribus;& nonnunquam ab Imperatoribus ſimul & à populo. Pelagius Secundus eſt electus abſque juſſione Principis. Inſuper omnes Romani, tam clerus quàm populus, una voce Leonem in ſummum Pontificem elegerunt. *De Imperatoribus* exempla legimus. Nam Leo Alemannus à Cæſare eſt electus,quo defuncto, cum ipſe Cæſar nullum Teutonicorum poſſet inducere,ut Papatum ſuſciperet,Brunonem Tullenſ.Epiſcopum ad hoc inclinavit: qui ad urbem veniens & ex hoc habens conſcientiam, omnino reſignavit, & poſt hoc miraculis claruit. O quis eſt hic & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita ſua. Iam aſpirant miſeri, jam ambiunt & quærunt gloriam. Vbi ſunt illi, qui dicunt Papam non poſſe reſignare? De utriſque legimus clara facta. Nam Vitalinus electus à populo, nuncios direxit ad Cæſarem, juxta conſuetudinem ſignificans de ſua ordinatione, ut & ipſius conſenſus adeſſet. Quod autem jura dicunt, quòd in Concilio Romano Adrianus Papa dedit Carolo Magno jus eligendi Pontificem, & ſedem Apoſtolicam ordinandi, & Archiepiſcopos & Epiſcopos ſecundum ſingulas provincias inveſtituras ab ipſo recipere, verum dicunt: ſed quòd Imperatores ante illud tempus: hoc non habebant,nequaquam ita eſt. Nam hic Vitalinus longè ante illa tempora fuit. Denique *ſummi Pontifices* ad divos Imperatores oculos dirigebant, & coram ipſis ſe purgabant;unde Sixtus, congregata Synodo 58.Epiſcoporum,coram Auguſto Valentiniano purgavit ſe de crimine, à Baſſo quodam ſibi impoſito;& Symmachus S. convocato Concilio CC.& VI Epiſcoporum,etiam expurgavit ſe de crimine falſi,& cum gloria reſtitutus eſt. Vnde patet, quòd Imperatores prærogativam magnam habuerunt tam in Conciliis,ut in ſuperioribus dictum eſt,quàm in electione Romani Pontificis,& ordinatione ſedis Apoſtolicæ,nec non inveſtitura Archiepiſcoporum Epiſcoporum & regalium Abbatum. Vnde ditatæ ſunt Eccleſiæ,& Prælati in ſuperbiam ſunt erecti. Cum igitur Eccleſia in perfectam libertatem velut in Religionem crevit, & ſimul in deliciis; ſed tandem emarcuit, & ſenuit,& rugoſa facta eſt,inſuper diviſa eſt,& ſciſſa.

De ſchiſmate Vrbani VI. & Clementis VII.

Anonymi Cenſura in ſtatum Eccleſiæ corruptum.

CIrca annum Domini 1380. fuit longiſſimum ſchiſma,de quo Niemus illorum Paparum intimus diligentiſſimè ſcripſit. Eo tempore multa à multis ſcripta & dicta ſunt de Paparum ambitione, deque corruptiſſimo Eccleſiæ ſtatu. Inter alia habeo etiam libellum de Concilio, cujuſpiam non ſanè indocti viri, qui præterquàm quòd probat, Concilium eſſe ad tollendum illud ſchiſma neceſſarium, ac

eſſe

esse supra Papam, & Papam errare posse; etiam multa in Concilio corrigenda utiliter proponit; quorum aliqua ordine recensebo. De minuenda Prælatorum & Cardinalium pompa, quos dicit ita opibus (quandoquidem aliqui 200. aliqui etiam 300. beneficia tenent) & fastu inflatos & dementatos, ut fermè ignorent sese homines esse. De creandis Cardinalibus ex omnibus Nationibus. Quòd Clerici Ecclesiasticos redditus turpiter in equos & canes profundant, neglectis pauperibus neglectisque Ecclesiarum ædificiis, quæ etiam in celeberrimis locis, ut Romæ, planè corruant. De corrigendo abusu clavium: temerè enim excommunicari homines. De moderandis litibus quæ etiam in modicis rebus jam planè immortales fiant. De corrigendo vestitu Clericorum, qui jam magis milites quàm Clerici videri velint. De corrigendis item Monachis, qui sese jam fermè totos negotiis politicis & congerendæ pecuniæ dediderunt. Quòd non sit permittendum, ut Papa tradat Ecclesias, quibus velit, commendare enim eum plerunque exteris & indignis. De corrigendis monasteriis: quòd fœminarum monasteria sint in lupanaria, monachorum in tabernas, & alia templa in latronum speluncas versa. De minuendis picturis, & imaginibus, quæ simplicibus idolatriæ occasionem dent. De minuendis Monachorum ordinibus & varietatibus. De cohibendis exemptionibus & privilegiis Paparum. De non augendo Sanctorum ac Festorum numero. De explodendis ex templis scriptis apocryphis fabulosis; & de tollenda opinionum varietate ac discordia; ut in materia conceptionis beatæ Virginis, &c.

CCLIV. *Novus status Ecclesiæ.*

INveniuntur in vetustis Codicibus Bibliothecarum carmina quædam non inscita, cum præfatione ac epilogo solutæ orationis, & hoc titulo, *De novo statu Ecclesiæ*; nam in eo carmine confer author, quicunque ille demum fuit, veterem Ecclesiæ statum, cum eo qui jam est; ac ostendit, quantum non tantum in moribus, sed & officio, clerus à pristino statu degeneraverit. In præfatione dicit, Iustinianum prohibuisse Clericis omnia politica & secularia, ut vocant, negotia; sed jam eos totos illis immersos esse, in iisque se turpiter gerere, posthabito Dei timore. Id verò etiam ideo accidere, quia nullus Magistratus sit, qui eos castiget, eorumve errata corrigat. Sic quoque de pastoribus gregis Christi, id est, de Clericis scribit. *Testimonium aliud de eodem statu.*

Nomen habens, non officium pastoris adimplet,
Qui terrendo lupos, fit lupus ipse rapax.
Eligitur, quo negligitur plebs publica, pastor.
Qui tondens avido gutture sorbet oves.

Talia plura carmina ſunt in eo poëmate. Suſpicor circiter ante ducentos annos eſſe ab aliquo pio homine, qui Eccleſiæ corruptiſſimum ſtatum deplorare voluerit, conſcripta.

CCLV. *Joannes Vunſchelburgius.*

Miraculorũ falſitas detecta. JOannis Vunſchelburgenſis, Thologiæ Doctoris Germani, *De ſignis & miraculis falſis* liber extat, nondum impreſſus. Vixit circa annum Dom. 1400. Recenſet in eo aliquot fallacias avarorum Sacerdotum, ut de imagine Chriſti ſudante, de rubigine in manubrio cryſtallino pro ſanguine Chriſti Cracoviæ adorato; de reſina ex lignea imagine defluente, & eodem modo pro Chriſti ſanguine habita. De Sacerdote Bohemico, qui ſuo ſanguine ad decipiendum populum tinxit hoſtiam: de ementito ſanguine Chriſti in VVelſnach, oppido Saxoniæ, cujus cauſa eum librum de ſuperſtitionibus: vir, ut apparet integer, & amans Eccleſiaſticæ veritatis.

Reperi in quodam manu ſcripto codice narrationem, de ejus quadam concione in oppido Bavariæ Hamberg habita, cujus aliqua fragmenta aut excerpta adſcribam. Inquit igitur: *Anno Dom. 1439. ipſo die S. Bartholomæi Apoſtoli venerabilis, vir egregius Magiſter* Ioannes Vunſchelburg *ſacræ paginæ Profeſſor, oppidiq́; Hamberg prædicator eximius, in Ambone præfati oppidi Eccleſiæ S. Martini verba ſequentia innotavit. Gamaleon beatus vir, & excellentis Religionis conſanguineus Bonifacii Papæ, qui ſanctus eſt, habuit quandam* viſionem de ſtatu Eccleſiæ, *quem habitura eſſet ante diem noviſſimum*, &c. Item *quartus gladius ſciant Regem Romanorum terribilem, & ille faciet malum in Eccleſia Dei, de quo Jerem. 6.* Ecce populus veniet de terra Aquilonis, & gens magna conſurget, quæ ſagittam & ſcutum accipiet, crudelis eſt & non miſerebitur. Vox ejus quaſi mare ſonabit, & ſuper equos aſcendent præparati, quaſi vir ad prælium adverſus te filiam Sion, *id eſt Eccleſiam ſanctam.* Item paulo pòſt. *Armatus vir eſt Imperator, qui veniet à meridie (nempe CV.) qui incipit malum Eccleſiæ, & malum habebit ortum. Ille coronabitur à Papa, & majorem Italiam ſibi ſubjugabit, & auferet poteſtatem à Teutonicis. Et hi Teutonici eligent ſibi Imperatorem de Alemannia alta, id eſt Rheno: & ille faciet in Aquiſgrano Concilium ſeculare, & ponet Patriarcham in Moguntiam qui coronabitur in Papam. Et Imperator electus invadet alium Imperatorem, & occidet eum. Et Roma non curabitur, & ſedes Apoſtolica cooperitur. Et omnis ſpiritualitas exibit à Moguntia, & poſſeſſionem auferent ab Eccleſia, & occidentur Sacerdotes*; &c. Hæc ille. Quæ videntur non prorſus malè noſtra tempora exprimere.

* Wolfius Cent. 15. Memor. Lect. p. 728.

CCLVI.

CCLVI. *Civitatensis Episcopus.*

INſeruit Hermannus Rid ſuo libello *de vita & honeſtate Clericorum*, partem concionis Epiſcopi Civitatenſis, qua ille accuſavit, & deploravit perditiſſimum Cleri ſtatum, ſummamque tum eorum vitæ turpitudinem, tum officii neglectionem. Cujus unum aut alterum dictum hiſce meis breviter interſeram, ut inde de tota ea Oratione judicari, vel potius divinari poſſit. *Cleri ſtatus deploratiſſimus.*

Quid dicam, aut ultrà adjiciam, de ſtatu Clericorum? Nam, ut video, populus iſte duræ cervicis eſt, & in iniquitatibus ſuis venditus, & in ſceleribus ſuis pertinax. Vocavi eum, & non erat qui audiret: Eſa. 63. Si verò luxuriam, avaritiam, ſuperbiam, ſimoniam, ac cætera Clericorum vitia profundius tractare præſumpſero, fantaſticus, ac præſumptuoſus totaliter promulgabor, atque de mendacio arguar, & effundam ſermonem (contra doctrinam ſapientis) ubi non eſt auditus. Sed væ mihi, Iſaia teſte, ſi tacuero. Populus enim iſte, ſcilicet ordo ſacerdotalis & Clericalis, ad iracundiam provocans eſt, & filii mendaces, nolentes audire verbum Dei: qui dicunt videntibus. Nolite videre: & aſpicientibus, Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores, ceſſet à facie veſtra ſanctus Iſrael. Propterea, quia probaſtis verbum meum, & ſperaſtis in tumultum, erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens de muro excelſo. Quoniam ſubitò, dum non ſperatur, veniet contritio ejus, & comminuetur: ſicut conteritur lagena figuli contritione valida. Narraverunt iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua. A veritate enim tales auditum avertunt, & ad fabulas convertuntur, 2. Timoth 4. &c. *Et paulò poſt:*

O error cæcus; nam ſi ſubditi, intelligentes Prælatorũ ac rectorum leviter ſaltem negligentias & vitia tetigerint; ac ſacrorum Canonum & divinorum eloquiorum teſtimonia adduxerint, tot indirectis increpationibus, injuſtis gravaminibus, depreſſionibus, humilitatibus ac contumeliis afficiuntur: imò tanquam fantaſtici, & cauteriatas erroneasq; conſcientias habentes contemni, & non audiri dicuntur, quod etiam ex hoc præ humana infirmitate interdum commoventur ſe defendendo, à quo contrà Prælati ſibi occaſionem ſuſcipiunt eoſdem quaſi juſtè deprimendi & humiliandi, ô nimis ſtupenda, & verè culpanda væſania. Quid pernicioſius, quídve à ſalute remotius, quàm illos deteſtari, & illorum hortamenta in fabulas convertere, qui eos ſatagunt ad ſalutem reducere, & ſe lethaliter vulneratos ſanos æſtimare? Tales ſunt Prælati & Rectores, qui diſtrictè aliorum vitia reprehendunt: ſed cum ipſis vel leviter reſiſtitur, vel cum culpa eorum redarguitur, mox ad hæreticorum fructum, qui (ſecundum Originem) ſuos reprehenſores perſequuntur, ſe conferunt, & tanquam carnales diſſenſiones fructificant.

* VVolfius Cent. 15. Lect. Memor. p. 863, 864.

CCLVII. *Sundi Civitas.*

Superstitionis castigatio.

CIrca annum Dom. 1407. prohibuit *Senatus Sundensis* (quæ eſt civitas ad mare Balticum ſita) Civibus, ne tam ſumptuoſas & im̃oderatas exequias ſuis mortuis porrò facerent, ſicut antea fuerant ſoliti facere; quod ea ratione ad extremam paupertatem redigerentur, civitasq; tota attenuaretur. Intereſſe enim etiam Reipublicæ, quomodo cives ſuis fortunis utantur. Hac quaſi cohibitione rapinæ velut graviſſima injuria commotus Conradus Bonoluen plebanus in Voghedeshagen præcipua totius civitatis parochia, factus eſt hoſtis civitatis. Cœpit coacta latronum manu non tantum rapere & agere res Sundinenſium, ſed etiam quibuſdam pedes & manus præcidere. Quia injuria vulgus concitatum, quoſdam ſacerdotes ex eorum complicibus igni in civitate exuſſit. Vnde porrò etiam majores lites exortæ ſunt; nam Epiſcopus Suerinenſis interdixit eis ſacra, accuſavitq; eos etiam coram Papa. Sed tandem res tota, data ſanctiſs. antea (qua ſola delectatur) oblatione compoſita, tranſactaque eſt.

CCLVIII. *Brixia.*

Sumtuum funebrium coercitio.

BRixia vetus & celebris Ciſalpinæ Galliæ civitas eſt. Ejus Senatus olim fortè ante annos 100. videns Monachos & alios ſacrificos ſtultum vulgus incitare ad immodicas profuſiones, in ſumptus funebres, leges quaſdam de ea re tulit, quibus modum quendam Papæ & Cleri funus deducentis & Miſſarum conſtituit. Quod decretum adeò malè habuit Monachos ejus civitatis, dolentes ſuam rapacitatem coherceri, ut etiam publicum ſcriptum ediderint, accuſantes Senatum impietatis, & violationis Privilegiorum Cleri. Verùm contrà nomine Senatus ſunt duæ apologiæ ſcriptæ, ab Epiſcopo approbatæ, & in publicum editæ, quæ & impreſſæ extant: in quibus tum decretum illud pium eſſe probatur, tum Monachi cupiditatis, avaritiæque immoderatæ accuſantur. Tum denique etiam probatur ſalutem Chriſtianorum non in eo ſitam eſſe, ut plurimæ pro eis Miſſæ dicantur. Digna ſanè eſt hæc hiſtoriola, quæ obſervetur, tum propter religionis Papiſticæ rapacitatem, tum propter illorum gubernatorum ſapientiam & conſtantiam.

* VVolfius Cent. 15 Lect. Memor. p. 865.

CCLIX. *Hermannus Ried.*

Clericorum turpitudo detecta.

CVravi anno 1555. edi, cum aliis quibuſdam, libellum Hermanni Ried titulo *De vita & honeſtate Clericorum*, qui circiter ante 100. aut etiam plures annos

vixit.

vixit. In eo author admodum accuratè & graviter describit mores Clericorum, tũ, quales esse deberent, tum quales jam (proh dolor) sint. Ac sanè valde prolixè & acerbè tum vitæ eorum turpitudinem, tum & officii summam neglectionem insectatur & accusat; nam inter alia sic quoq; inquit. *Temporibus jam currentibus periculosis, multi reperiuntur Clerici, qui rationibus & sententiis patrum non vincuntur, sacram Scripturam non recipiunt, & sanctorum patrũ canones vilipendunt, teste B. Bernhardo, in libro ad Eugenium Papam. Hi sunt, qui viros intelligentes ac catholicos gravitatem criminum Clericorum pensantes, ac contra eorum perfidiam vigilanter clamare nitentes, exosos habent, & derident imò fantasticos ac pacis turbatores ac erroneas conscientias habentes asserunt, ut patet 1.q.1.per totum: & qui pro extirpatione vitiorum talium Clericorum zelo bono laborant, ac veritatem in canonibus sacris expressam, quam quilibet intelligens publicare tenetur, allegant, tantis detractionibus, sibilis, risui ac contumeliis, à suis & cæteris Prælatis exponuntur, quod tandẽ tacere & dissimulare coguntur inviti. Sicq; verificatur illud Hieronymi, dicentis in libro de Norma vivẽdi 5.c.* Nulla in mundo tam crudelis bestia est, quemadmodum clericus vel sacerdos malus; nam corrigi non patitur, nec veritatẽ unquam audire potest. *Et ut breviter dicam, omni malitia pleni sunt.* Et aliquanto post. *Moderni Clerici pejores sunt illis hypocritis, qui licet mali sint, & pessimi prævaricatores, pro majori parte: non tamen talia in occulto hominibus nescientibus, ut hypocritæ fecerunt. Utinam foret ita bonum, ut justi coram hominibus apparerent, ne homines in eis scandalizarentur. Sed aliter est negocium: quoniam minus verecundantur laicis, gloriantes de malitia eorum, & malè actis. Quot publicos fornicatus, sive fornicarios videmus? Imò quod pejus est, tales & hujusmodi sic vivere permittuntur publicè ab eorum Prælatis, solum quod omni anno porrigant certam quotam pecuniarum Officialibus eorum. Quid fœdius posset audiri, taceo nunc videri? Neque hoc celari potest, cum publicum est, & omnibus constat. Cæterùm quot simoniaci publici? in tantum etiam, quod ipsam simoniam celare non potentes, pro subterfugio fingunt alios terminos simoniam exprimentes, sperantes hoc nomine simonia non audito, ipsam simoniam considerari non posse, dicentes: Ordinatio Ecclesiæ est, aut statutum. Alii subtilius evadere conantes, dicunt Papam fore de plenitudine potestatis, qui in talibus potest dispensare, admittere & ordinare: Cum simonia sit, quia prohibita, & tunc peccatum. Papa autem prohibente, aut aliter ordinante, statuente ac ordinante, cessat tale dictum; quod valde est erroneum asserere.* Et paulò post. *Modernus igitur status Ecclesiasticus, præmissis & sequentibus in eo deficientibus, ex correlativa sequela valde est periculosus. Nec unquam fuit ab initio mundi usq; nunc ut puto, in tanto periculo, sicut in præsentiarum cernitur. Fuerunt penè majores persecutiones ac vexationes Ecclesiæ; sed tunc semper affuerunt viri sancti & devoti, qui gratia Spiritus S. præditi, fideles consolabantur, erudientes, & confortantes. Modò autẽ videtur Ecclesia in securitate posita, sed de talib. sanctis viris nullibi percipitur. Ideo Ecclesia quotidie in fidelib. & regnis decrescit, in personis propriis tabescit, non obstãte quacunq; libertate.*

Præfat. p. 607. Basil. 1555.

Cap. 1. p. 628.

Cap. 3. p. 639.

Status Ecclesiastici confusio & pericula.

tate.

tate. Prius autem, cum libertas non tanta fuit, sed dictis sanctis viris provisa Ecclesia, quotidiè crevit & augmentabatur, ut volens scrutari historias apertè videbit. Ista partim notavit B. Bernard. tempore suo, Sermone 34. ubi sic dicit: *Olim prædictum, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima, amara Ecclesia prius fuit in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos quisquam potest: ita invaluerunt, & multiplicati sunt super numerum. Et subdit: Intestina & insanabilis plaga est Ecclesiæ, & imò in pace ejus amaritudo amarissima. Sed in qua pace? Est pax, & non pax; pax à paganis, pax ab hæreticis: sed non est pax profecta à filiis.* Et concludit vox plangentis Ecclesiæ in tempore isto: Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Et hoc quàm periculosum sit, idem ipse ibidem tangit dicens: Si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras, & aresceret: si violentus inimicus, abscondcret se forsitan ab eo. Nunc verò quem ejiciat Ecclesia sancta? in quo abscondat se? Omnes amici, & tamen inimici: omnes domestici, & tamen nulli debitè pacifici. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Melius enim esset paucos eos fore benefacientes, quàm multos malè. Hi tamen in Clero, qui mali sunt, hodie (proh dolor) nimis invaluerunt, & multiplicati sunt super numerum: Psal. 39. Vnde idem Beatus Bernhardus alio in loco ita lamentatur dicens: *Dilatari videtur Ecclesia, & Cleri sanctissimus ordo super numerum multiplicatus est. Verum Domine Iesu, etsi multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam: dum nihil minus appareat, quàm numero defecisse.* Vnde idem exponens illud Psal. LXXII. In labore hominum non sunt, &c. *Ad oculum*, inquit, *apparet, cum cuncti status habeant aliquid laboris & voluptatis, Clerici inter hæc novo quodam artificio distribuentes, totum quod delectat in quodlibet elegerunt, & totum quod molestat respuerunt. A militibus enim receperunt superbiæ fastum, amplam familiam, equorum phaleras, & nobiles apparatus; à mulieribus, pelles rubricatas, collo pendentes, & alia hujusmodi; à rusticis, fructus agrorum, & horrea plena; laboratorum sanguinem bibunt in omni dissolutione, juxta Prophetæ dictum: Væ vobis, qui vescimini sudoribus pauperum.* Et subdit idem Beatus Bernhardus: *Sed benè cavent militaris loricæ pondus, muliebrem declinant verecundiam. Omnes rustici & agricolæ victum sibi labore acquirunt, hi deliciis affluunt: & tamen adveniente fructuum tempore promptuaria eorum plena sunt tritico, & vinum uvæ bibunt meracissimum, inde incrassantur, & impinguantur, ac dilatantur. Ecce autem quid concludit ibidem: O Clerice diligenter ausculta: Restat, ut sint in laboribus dæmonum, qui in laboribus hominum non fuerunt.* Et paulò post: *Ministri Christi sunt*, & serviunt Antichristo; *honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Inde, quomodo quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde, aurum in frenis, in sellis, & calcaribus.* Et paulò post: *Sed heu, sunt jam presbyteri, qui nec benefaciunt, nec benedicunt, imò benedicentibus aut benefacientibus contradicunt; & ultra hoc eos persequuntur, subsannant*

S. Bernardi querela de corrupto Ecclesiarum sui seculi statu.

Pag. 642.

Pag. 643.

Pag. 645.

cap. 5. p. 663

nant

mant & derident. Ideo multò deteriores sunt hi illis pharisæis & hypocritis, quos Christus illo tempore pejores omnibus judicavit, velut suprà in exordio hujus Tractatus est ostensum. Vnde contra jam ad ultima mala videmur pervenisse, imò quasi ad ultimum refrigerium charitatis. Et paulò post: *Nam ut prius dictum est, in labore hominum jam Clerici non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia in iniquitate sua. Lavet ergo justus manus suas in sanguine horum peccatorum; nam ut testatur beatus Augustinus in libro de Baptismo:* Si oportet omnem hominem utentem ratione, in eis quæ fidei sunt spiritualiter intelligere, ut spiritualis fiat, aut saltem laborare ad hoc ut spiritualis efficiatur; si hoc necessarium est omni homini ratione utenti, quantò magis necessarium est ad salutem presbyteris, qui aliis debent exemplum esse, & per vitam suam bonam vitæ spiritualis præbere formam? *Fœlix igitur est, qui effugit, & disrumpit vincula consuetudinis Clericorum & sacerdotum moderni temporis, & projicit à se jugum ipsorum. Quoniam qui in cœlis habitat, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Et paulò post: *Et quid necesse est singula Clericorum vitia, quasi minus nota, publicare, cum de his experientia luce clarior mundum repleverit universum? Ideo propter multitudinem luxuriæ, cætera vitia: avaritia atque simonia hæresi infecta, & hæc maxima mala imò hæresis & perfidia, quasi jam peccatum non reputatur: cum tamen nulla consuetudo, vel peccantium multitudo, aut juris coruptela aliquem possit excusare; nam diuturnitas temporis, ac peccantium multitudo peccatum non minuit, sed auget.* Pag. 685. Cap. 7. pe 689.

Liber finit his versibus:

Explicit exiguum, quod tangit vitia Cleri,
Et grave facinus, miseros variosq; labores. Magdeburgi 1467.
Nostræ Scriptoris dant nomen initiales
Est de Reen *natus*, Ryd *ipse cognominatus.*

* Vid. VVolfii Cent. 15. Lect. Memor p. 877.

CCLX. *Volquinus, Abbas in Sedichenbech.*

CVravi Basileæ edi anno 1555. ejus quandam Homeliam, super Evangelium de interseminata zizania. Tota consumitur in insectatione Clericorum, quibus & summam turpitudinem, & deplorandam proprii officii neglectionem objicit. Sed adscribamus pauca aliqua inde, ut melius, qualis sit, appareat. *Quid est* res monstrosa? *Monstrum est unum corpus, plurima capita; vel unum caput, plurima corpora habens. Siquidem* Monachus *es, id est, unius custos, ab unitate censeris, id est, ab unius custodia, ab una lege, ab una professione, tanquam unum corpus benè ordinatum, sub uno capite. Sed alia est facies negotiantis in foro, alia declamantis in palatio, alia degentis in palatio, alia conversantis in monasterio. Ecce quatuor facies istæ, non elephantorum, sed draconum. Quid igitur?* Monachus *es & causidicus, negotiator* Monstri detectio in Monacho. Pag 750. Basil. 1555.

& curialis? Ergo unum corpus quatuor facies habens, monſtrum *te monſtras. Nolo præterire Clericum, Canonicum, aut plebanum. Veniat in medium, agnoſcat uterque* monſtrum ſuum. *O Clerice, vel Canonice, tu qui plures præbendas, beneficia, altaria, commiſſiones, dignitates, prælaturas, proviſiones, &c. tu qui plures habes Eccleſias, an ignoras, quia ſub uno corpore plura capita, vel ſub uno capite plura corpora tibi conſtitutis, & monſtrum te facis? Bicapitalis vel tres præbendas, aut plures, tu duas vel tres Eccleſias, tu duo vel tria aut plura beneficia tenes?* &c. Et paulò poſt. *Proh dolor, & proh pudor, Hodie* Meretrix antiqua, *quæ habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, fornicatione & immunditia, qua mirabiliter inebriat ſacerdotes & Clericos. De qua in Apocalypſi:* Vidi mulierem ebriam de ſanguine virorum, & de ſanguine martyrum Chriſti. *Mulierem mollem dicit, emollientem luxuriam carnis, ebriam de ſanguine ſuorum ſcortorum ſive ſcortatorum. Hæc eſt illa ſanguiſuga, quæ ſugit ſanguinem miniſtrorum Dei, & martyrum Dei; qui martyres Chriſti eſſe debuerant, & fiunt martyres diaboli, in honorem ejus & obſequium carnem & ſanguinem conſumentes.* Cum vidiſſem, *inquit homines, miratus ſum. Quis non miretur, & horreat, & obſtupeſcat ſacerdotem Domini, miniſtrum Dei, calice epotato ſitibundum, & potare feces de calice Babylonis, Veni, dicit Meretrix iſta, inebriare uberibus meis, quæ non dulcedinem lacti habent ignis.* Et paulò poſt. *Cæterùm alii precibus & adulationibus, alii promiſſis & muneribus, alii obſequiis, alii prætextu conſanguinitatis*, cathedram peſtilentiæ *paſſim ſibi vendicare contendunt. Sed quod turpius ſonat, multi lenones majoribus meretrices nutrientes, aut adducentes, qualicunque modo ad beneficia prætextu illius promoventur. Quid abominabilius, quid deteſtabilius coram Domino majeſtatis? Quomodo Eccleſia Dei inde exaltari poſſet? Nequaquam; ſed potius deprimitur, & continuè annihilarentur in rebus & perſonis, ut clariſſimè quotidie cernitur; quoniam hi omnes non per oſtium, id eſt, per formam canonicæ electionis, aut promotionis intrant, ſed aſcendunt aliundè. Quid eſt aliundè? id eſt, undecunque, injuſtè, indirectè, extraordinariè, permixtim, per fas & per nefas, ſeditione, ſeductione, dolo, fraude, prece, & precio. Iſti ergo ſe palpant in errore, & blandiuntur ſibi.* Hæc Volquinus, qui circa XV. ſeculi initium vixiſſe videtur.

Meretrix apocalyptica.

Pag. 743.

Pag. 753.

* Vide plura apud VVolfium in XIV. Cent. p. 725. ſeq. & Cent. XV. p. 843.

CCLXI. *De Vita & honeſtate Clericorum.*

INvenitur in manuſcriptis libris, quoddam ſcriptum titulo *De vita & honeſtate Clericorum*, diverſum ab illo quod Hermannus Rid ſcripſit, quodque Anno Domini 1555. Baſileæ cum aliis quibuſdam edi curavi, fortè & ante 100. aut plures annos compoſitum. Initium ejus eſt. *Apparuit enim gloria Dei & gratia Salvatoris noſtri*, &c. Diſputat ordine, de vita ac officio Clericorũ, ac indicat tum quales ſint,

tum

tum quales esse deberent. In multis locis graviter de eis queritur, quorũ aliqua hic adscribã. Sed heu, sicut jam status stat clericorũ, ita paucos vidi, agnovi experientia ipsa didici, qui sic cum hac virtute discretionis incœperint: pauciores, qui sine lapsibus gravissimis continuaverint: & paucissimos, qui ad finem fœlicem perduxerint. Iam ordinantur in ætate minores, in vita non laudabiles, in scientiis necessariis non sua fundamenta habentes. Et ut de religiosis privilegiatis taceamus, jam ordinantur in sacerdotes, & postea in cura animarum rectores, in prædicationis officium ascendentes, qui nec grammatices regulas, nec theologicos articulos fidei didicerunt, aut audiverunt fortè, aut legerunt probationes: nec casus Iuris Canonici ad Episcopum vel Papam pertinentes, nec minimum Evangelium populo simplici exponere scientes, & quomodo illi cæci, & duces cæcorum possent evadere laqueos diabolicos, infinitis modis se & sibi subjectos illaqueantes? O quid inquit beatus Gregorius in homel. Designavit? Ecce totus mundus plenus est sacerdotibus, & tamen in messe Domini valde idoneus reperitur rarò operarius. Tales, inquit Hieronymus, sunt sicut insani gladios evaginatos habentes in manibus suis, nulli accedenti parcentes. Nec mirum, si tales diabolus astutus passim decipit omnes: alium in sua privata abstinentia per fatuitatem capitis, alium in conversatione mulierum, alium in confessione audienda, alium in prædicatione facienda aut facta, alium in sacramentorum venditione, oblationum extorsione. Quare si contra prædictos stylum ita severè acui scribendo, & allegando jura Ecclesiastica, & doctorum sanctorum dicta, nullus mihi pro malo habeat, &c. *Et paulò post*: Sed heu nunc sunt tot & tanti fornicatores, sacerdotes concubinarii, quod pauci sint Domini aut Prælati, qui tales evitant in divinis: imò publicè permittunt tales sedere cum suis concubinis, & filiis & filiabus. Vnde Prælati se cum eis damnant: si eos compescere possunt & nolunt, vel pecuniam ob hoc ab eis suscipiunt: & qui etiam tales scienter permittunt pro se celebrare, vel cogunt vel conducunt eos ut promoveantur. Vnde Hieronymus gloriosus (sicut etiam Eusebius scribit ad Damasum) sic de talibus dixit in agone mortis jacendo: Heu mihi Domine, quid dicam, quod hodie sacerdotes te comedunt in altari ut carnes pecudum & volucrum, imò quod pejus, quia nocte utuntur mulierum actu turpissimo, & manè masticando te comedunt? Vbi Domine latitas? dormísne, an vigilas? Est tibi hoc acceptum sacrificium? Est hæc oblatio quam eligis? exaudísne preces eorum de cœlo, de sede majestatis tuæ? Verè, si hoc velles sacrificium & libamen, mendax fies, & peccatorum socius. Porrò Domine, si vera sunt quæ locutus es per os Prophetarum, si justis solum supplicationibus præsto es: & si tibi placet æquitas, hoc tale impediendum est sacrificium ne fiat: quanquam in se & de natura sui sacrificium bonum, nec possit violari à malis sacerdotibus, quia malitia non dijudicat hoc sacrificium. Vnde istud sacrificium fit ad sacerdotis præjudicium & damnationem, nec pro quibus fit prodest: imò ut

verissimè dicam, qui vitam sacerdotis malam agnoscit, & eum pro se celebrare facit, fit ejusdem peccati conscius, nec non & pœnæ particeps.

Similia complura sunt in eo. Alicubi etiam disputat, longè gratius officium esse Deo, cum sacerdotes rectè concionantur, quàm cum suas preces peragunt.

* V. Volfius Cent. 15. Lect. Memor. p 864.

CCLXII. *Vitæ Babergensium Episcoporum.*

Invectiva in corruptissimum vitæ Pontificiæ statum.

VItæ Babergensium Episcoporum manuscriptas, ante hæc tempora compositas habeo. In iis author semel atque iterum in Papæ ac Clericorum corruptissimum vitæ statum graviter invehitur. Quæ loca adscribam, ut hujus quoque boni viri testimonium de Babylonicæ Thaidis fœditate cognoscatur. Atque tum primum genus Caroli Magni ignavia Principum Franciæ deficere cœpit, adeò socordes & nullius precii homines in Principatibus Galliæ tunc erant. Idem etiam accidit ea tempestate Pontificali dignitati, ut videlicet unà cum industria Imperatorum, simul etiam Pontificum virtus & integritas deficeret. Plurimi enim tunc fuerunt Pontifices, qui malis artibus Pontificatum adepti sunt. Plures etiam fuere, qui seditiones seminaverunt. Tantæ præterea ambitiones & avaritiæ fuerunt, ut non coacti, ut antea, sed sponte & largitionibus Pontificium munus obirent, à quibus sanctissimi Petri sedes occupata fuit potius quàm possessa. Et aliquanto post. Meritò hæc, Babenberga, commendares sempiternæ memoriæ. Vides quantum insudàverit sanctissimus ille Imperator tuus Henricus, pro tui Episcopatus solidatione, ut etiam Romanum Pontificem maxima locorum distantia ad te pertrahere meruerit. O quàm fœlicibus es cœpta auspiciis, quantis sanctissimis institutis, quantàve religione ac sanctitate es fundata. O si Clerus noster Babenbergensis mente secum (ut deberet) revolveret, profectò non ita sese in omnem luxum & libidinem effunderet. Quanta sit libido undique conquisita, quàm corrupti mores, quanta ambitio & pompa, non attinet dicere; cum ita apertè & palàm peccent, ac si inde laudem quærerent. Ideo refrixit pietas & religio, ut in Ecclesia vix supplicare dignentur. Non orant, dum sacrificatur, sed rident potius, & quidem impudenter. Non hymnos canunt (id enim servile videtur) sed jocos & fabulas ad risum concitandum inter se narrant. Quid plura? quò quis dicacior & lascivior, eò majorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Tanta est eorum superbia & petulantia, tanta ignoratio cùm literarum omnium, tum doctrinæ Christianæ, ut severos & doctos ac graves viros reformident, spernantque. Quid ita? In tanta peccandi licentia malunt vivere, quàm benè monenti aut roganti obtemperare; & ob eam rem Christianam religio, quotidie in pejus labitur. Quid diceres, Henrice, si nostris temporibus viveres? Si tam pravam religionem, & simulatam potius quàm veram, in tua

Eccle-

Ecclesia videres? Crediderim ego, si hæc futura prævidisses, à fundatione tanti Episcopatus abstinuisses; cujus ut consuleres utilitati, noctes etiam insomnes ducere non es dedignatus. Sed ne (ut aiunt) in cœlum os ponam missa hæc facio. Testatur quoque hic idem Scriptor, sæpè objectum esse Otthoni Episcopo Babenbergensi, multa Templa & Monasteria circa annum Domini 1130. extruenti, quòd tanto Monasteriorum numero, tantoque ociosorum hominum cœtu nimium graventur Laici. Verùm ab eo tempore infinita planè Monasteria extructa sunt, irrumpente in mundum Francisco, Dominico, & aliis, cum suis inutilibus turbis.

CCLXIII. *Thomas de Corsellis.*

FVerunt in Basiliensi Concilio multi viri eruditione, ac virtute præstantes, qui pro eo quod ejus temporis tenebræ ferebant, satis liberè contra Romani Papæ tyrannidem disseruerunt. Inter quos sanè non postremus, si non primus ac præcipuus, fuit Thomas de Corsellis, cujus admodum prolixa ac luculenta Oratio in Sylvio extat, qua probat, *Ecclesiam & Concilium esse supra Papam*. Sed adscribam aliqua ejus verba, ut melius ejus viri mens & sententia cognosci possit. *Concilium super omnes Pontifices.*

Fundamento autem rei quam petimus, verba sunt redemptoris nostri Iesu Christi, cùm in pluribus locis, tum ibi cum Petrum alloquitur, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam. A quibus verbis ideo placuit exordiri, quòd aliqui verba hæc ad extollendam Romani Pontificis authoritatem solent adducere: sed (ut statim patebit) alius est verborum sensus, quàm aliqui opinentur. Et paulo pòst. At fides Ecclesiæ, cujus personam Petrus gestabat, semper intemerata permansit. De Romanis verò Pontificibus liceret exempla admodum multa referre, si tempus sineret: quoniam aut hæretici, aut aliis imbuti vitiis sunt reperti. Et paulo pòst. Sunt enim aliqui sive avidi gloriæ, sive quòd adulando præmia expectant, qui peregrinas quasdam & omnino novas prædicare doctrinas cœperunt, ipsumque summum Pontificem ex jurisdictione sacri Concilii demere non verentur. Excæcavit namque illos ambitio, à qua non solum hoc modernum, sed omnia usque in hanc diem schismata suborta reperiuntur. Namque ut olim pestiferam illam bestiam, quæ per Arrium primò quasi de infernis extulerat caput, cupiditas Episcopatus induxit: sic hodiernam hæresin illi præcipuè nutriunt, quos jam mendicare suppudet: quorum alius clamat, subditorum facta judicari à Papa, Romanum verò Pontificem solius Dei reservari arbitrio: alius dicit, quia primam sedem nemo judicabit, quòd neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo valeat judicari. Alius asserit, ejectionem summorum Pontificum sibi Dominum reservasse. Alius verò asserere non veretur, Romanum Pontificem, quam-

vis animas catervatim secum ad inferos trahat, nullius responsioni fore subjectum. Nec considerant miseri, quia quæ prędicant tantopere, verba aut ipsorum summorum Pontificum sunt, suas fimbrias extendentium, aut illorum qui eis adulabantur. Et quia hujusmodi dicta solutionem habent, recurrunt statim ad Evangelium & verba Christi, non prout Spiritus Sancti sensus exposcit, sed suopte ingenio interpretantur. Plurimumque illud extollunt quia Petro sit dictum, *Tu vocaberis Cephas*: per quod eum caput Ecclesiæ faciunt: *Tibi dabo claves regni cœlorum*: &, *Quodcunq; ligaveris super terram*: &, *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*: &, *Pasce oves meas*: &, *Duc in altum rete*: &, *noli timere, jam ex hoc eris homines capiens*, quodque soli Petro, tanquam Apostolorum Principi, Christus mandavit pro se & ipso staterem dare, & quia Petrus traxit ad terram rete plenum piscibus magnis, & quòd solus Petrus ad Christi defensionem gladium evaginavit. Quæ omnia hi homines miro modo sublimant, expositionibus sanctorum Doctorum omnino posthabitis: quas si (ut par esset) considerarent, manifestè cognoscerent. Hæc ultima, quæ refutat, ex Decretis desumpta sunt. Vnde liquet quam præclarè ille de jure canonico senserit, contra plerorumque canonistarum & adulatorum Paparum sententiam, qui id planè sacrosanctum, magisque ipsis sacris literis sequendum esse volunt.

CCLXIV. *Arnoldus de nova Villa Hispanus.*

Hæreticus is habitus, quicunq; tyrannidē papisticam impugnat.

ARnoldns de Nova Villa, Hispanus, vir eximiè eruditus, linguarum Hebraicæ Græcæ, Arabicæ, & Latinæ, philosophiæ & theologiæ peritiss. floruit ante annos 340. Recensetur à Papa, ejusque spiritualibus inter hæreticos, quòd eorum errores reprehendit. Multa admodum scripsit, quorum quædam adhuc inveniuntur. Baleus habet ipsius scriptum *de Spurcitiis pseudoreligiosorum*. Docuit autem, quòd diabolus totum populum Christianum fecerit aberrare à veritate Iesu Christi. Hanc sententiam non opinor esse falsam; respexit enim ad tam varios errores, quos satan miris præstigiis in Religionem Christianam invexit, ut jam patet, postquam detecti sunt. Item quòd fides, quam habent jam Christiani sit talis, qualis dæmonum. Hoc quoque verè dictum est: nam Papistæ docuerunt, & adhuc docent tantum de historica fide, quam certum est & diabolos habere, fidem autem fiduciæ non admittunt, nec unquam hanc doctrinam vel intellexerunt, vel docuerunt. Quòd totus populus Christianus ducatur ad infernum: Id est, plerique per falsam doctrinam à Papa ad infernum ducantur. Quod omnes claustrales sunt extra charitatem, & damnantur. Rectè & hic sensit, omnem monasticen esse damnatæ vitæ genus. Quòd omnes falsificent doctrinam Christi. Quòd malè fecerint Theologi, qnòd miscuerunt philosophiam Theologiæ. Quod Missæ non sint celebrandæ. Quòd pro mortuis non sit sacrificandum. Ex quo apparet, eum

eum non tantum Missam, sed & purgatorium reprehendisse. Quòd in jure Papæ, tantum de hominum mandatis & operibus agatur. In quibus articulis plerosque Papæ errores taxavit. Tribuuntur ei & alii quidam varii errores; sed per invidiam, ut opinor, more Monachorum Papistarumque visitatio; nam illud est manifestum mendaciũ, quòd philosophiam in universum damnaverit, cum tantopere medicinam, & ipsam philsophiæ partem, Medicus existens prædicaverit, omnibusque scientiis tam ardenter & tam fœliciter incubuerit. Sed haud dubiè collatione Theologiæ, Theologicique finis, philosophiim reprehendit, negans scilicet eam posse veram æternæ salutis viam commonstrare, ut Sophistæ alioqui voluerunt, cùm id proprium verbi divini esset; aut certè contendens, eam Theologiæ miscendam non esse, sicut alioqui fiebat & adhuc fit à Papistis. Ideo sycophantæ alioqui (ut fit) clamitarunt, eum universam philosophiam prorsus damnare. Habuit hic Doctor non paucos auditores & sectatores, etiam post mortem, præsertim in Hispania, quos Papistæ Arnoldistas vocaverunt, & tanquam hæreticos sunt persequuti atrocissimè.

* Wolfius Cent. 13. Lect. Memor. p. 565. & 599.

CCLXV. *Ioannes Semeca.*

CIrciter annos 340. floruit Ioannes Semeca, Decreti glossator, & Præpositus Halberstadensis. Restitit Clementi IV. decimas per Germaniam exigenti. Ob quam rem à Papa excommunicatus, præposituraque privatus est. Sed illi injuriæ Papæ, ipse *Appellationem ad Concilium* opposuit, habuitque multos potentes viros sibi faventes. Verùm dum ea contentio inter ipsum & Papam ferveret, mors utrumque à vita sustulit. Historia est apud Krantzium.

* 8. Saxon. 27 p. 220. VVolfius Cent. 13. Lect. Memorab. p. 547.

CCLXVI. *VVilhelmus Aurifex.*

WIlhelmus Aurifex claruit ante annos 300. docuit Papam esse Antichristum, Romam Babylonem, & Prælatos membra Antichristi. Cæsarius 10. distinct. sui Dialogi.

* 5. Hist. memor. 22, p. 387.

CCLXVII. *VVilhelmus de S. Amore.*

WIlhelmus de S. Amore, Magister Parisiensis, & Canonicus Belovacensis, floruit fermè ante 300. annos; id est, circiter 1250. Scribit in quadam concione, se neglectis omnibus aliis criminibus, tantùm *contra hypocrisim* concionari, quod inde plus periculi, vel damni potius pietati accedat, quàm ex ullis aliis publicis notisque

tisque criminibus; *totam enim Ecclesiam hypocrisi infectam esse.* Neminem fermè inveniri, qui adhuc *pestem* oppugnet, propterea quòd eam oppugnantibus vitæ periculum sit, seque ob id atrocissimè coram Papa & Prælatis accusari. Oppugnavit itaque omnes Monachos, præsertim autem Mendicantes acerrimè; tum statum eorum damnans penitus, tum accusans eos, quòd perturbent Ecclesias, dum invitis ordinariis pastoribus concionentur, & audiant confessiones, & simpliciter pastoris officio fungantur.

* Extant hujus Wilhelmi Sermones duo inter Opuscula varia à Wiflenburgio Basileæ anno 1555. edita, quæque hîc memorantur de hypocrisi leguntur sermon. 2. p. 174, 175.

Omnia scripturæ testimonia, quæ Antichristum ejusq; ministros depingunt, applicavit spiritualibus, probavit signis 39. *Mendicantes* esse *pseudoapostolos.* Rectè quoque dictum Christi. (*Si vis esse perfectus, vade & vende omnia quæ possides, & sequere me*) exposuit, mandatam scilicet ibi esse paupertatem habitualem (ut Sophistæ loquuntur) non actualem: id est, flagitare Christum à nobis, non ut jam omnia abjiciamus, quæ habemus; sed ut cum confessio divini nominis & gloria Christi postulaverit, tum propter eum omnia deserere parati simus; sicut &, cum odium Patris, Matris & propriæ animæ in sectatoribus suis Christus requirit, non jubet simpliciter ut non honorent Patrem, multò minus ut eum odio habeant, sed ut re ita postulante, omnia propter Christum negligere parati sint. Verum quantumvis vera proposuerit, nihilominus ab Antichristo, ejusque turba pro hæretico damnatus, proscriptusque est.

Scripsit hic vir plura contra Monachos, inter quæ & quatuor libros, quos ipse *Distinctiones* vocat, titulo *Collectiones catholicæ & canonicæ scripturæ,* &c. Sic autem incipiunt: *Sapientiam antiquorum omnium exquiret sapiens.* Ego eos vidi: multa ibi utiliter contra hypocritas & hypocrisin ac superstitionem dicit. Scripsit & aliũ, titulo *De quinquaginta signis pseudoprophetarum.* Incipit autem sic: *Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput.* Scripsit & contra Bonaventuram, Mendicitatis defensorem.

Contentiones inter Magistres Parisienses & Fratres Prædicatores.

Matthæus Paris. historicus Anglus, scribit tunc temporis ingentes fuisse contentiones scholæ Parisiensi cum Monachis, tum propterea quòd opprimebant Monachi penitus scholam, tum ob novum quendam ac erroribus refertissimum librum, quem Monachi consarcinarant, ac *Æternum Evangelium* appellaverant. Quare tandem etiam selecti sunt præcipui ex tota schola viri numero 6. quorum hæc nomina fuere, VVilhelmus de S. Amore, Odo de Doaco, Christianus canonicus Belvacensis, Nicolaus de Baro super Albam, Iohannes de Sicca villa Anglicus Rector Univers. Paris. & Iohan. Belim Gallicus. Hi selecti ac præcipui totius scholæ viri, fuerunt Romam ad Papam missi, ut ibi de Monachorum insolentia & erroribus quererentur. Miserunt & Monachi suos; ac mox convicti ac confutati sunt, quòd quidem ad errores sui æterni Evangelii attinet; sed reliquam tyrannidem

Mona-

Monachorum Papa cohercere noluit, quòd putavit utile sibi esse, istos suos satellites ubique quàm potentissimos esse. Eadem de causa quoque cavit Papa cum Cardinalibus Monachis, ne publicè illud æternum Monachorum Evangelium damnaretur, ne Monachorum Ordines ea ratione damnarentur, aut certè vilescerent; sed ut ea litis pars clam sopiretur.

* Historia ac de æterno Evangelio recensetur suprà sub titulo *Matthæi Parif.* p. 375.

Invenitur quoque liber quidam titulo, *De periculis mundi*, qui incipit: *Quia nos vacantes sacris scripturis, &c.* itidem contra Monachos accuratè scriptus. Eum alii tribuunt prædicto VVilhelmo de sancto Amore; sed M. Matthias Parisiensis, de quo postea aliquid dicam, in suo prolixo volumine contra Antichristum, totũ id scriptum inserit, ac id *toti Parisiensi Scholæ* tribuit. Apparet certè etiam ex ipso initio scripti, non unius, sed plurium nomine scriptum esse. Verùm Papistæ non sine causa id uni attribuere maluerunt, quàm tantæ Scholæ, quo scilicet minus ejus authoritate premerentur. Verùm Ego id scriptum cum nomine ac titulo potius *Scholæ Parisiensis* prodire malui. Editus verò est Basileæ an. Domini 1555. Certamen inter Fratres Prædicatores & Academicas Parisiensis Vniversitatis ortum fuerat magnũ, eâq; fervente contentione anno 1253. ex parte Fratrum liber prodiit *Evangelii æterni* titulo, cujus Author fuit Ioannes de Parma, Monachus Italicus; & ex parte Academiæ alius *de Periculis novissimorum temporum*, à quatuor Magistris Parisiensibus compositus, quorum nomina fuerunt Guilielmus de sancto amore, Odo de Duaco, Doctor Theologię; Nicolaus de Barro, Decanus; Christianus, Canonicus Belnacensis, ut ex literis Alexandri IV. ad Regem Francorum constat, quas exhibet Firmamentum trium Ordinam, Francisc. part. 2. tract. 2. fol. 60, 61. edit. Parisiens. Confer Matth. Parisium in Histor. 1256, 1512. Pag. 375.

Habeo ejus librum *contra Monachos* scriptum, & *duas Conciones* itidem contra Monachos scriptas. In priore, tractat Evangelium de pharisæo & publicano. *Pharisæos* dicit esse *Monachos*, idque ex Pharisæorum proprietatibus in Evangelio Pag. 145. positis probat; Publicanum dicit esse *laïcos*; qui, quia sua peccata agnoscant, ideo Pag. 161. facilius veniam consequantur; contrà Monachi de sua justitia confidentes, difficilius. In posteriore monet Ecclesiam, gravissimum ei periculum à Monachis imminere; illos enim fore ministros Antichristi, & seductores.

* Verba Wilhelmi dicto Sermone sunt: *Pharisæi erant quidam Religiosi apud Iudæos; sicut apud nos sunt* Regulares, *quorũ quidam extrà in habitu, in austeritate vitæ, in observantiis spiritualibus & traditionibus suis prætendebant sanctitatem, quam non habebant in corde*, serm. 1. p. 145.

Porrò quod Monachis non sit concedendum, ut in alienis Templis, in vitis veris Pastoribus, officio Pastoris fungantur, scripsit non tantum hic, sed & plures alii, ut Bernhardus glossator Decretalium, Godefridus de fontibus, Henricus Gandavo, Ioannes Monachus, Cardinalis, Ioannes de Poliaco, Armacanus Primâs Hiberniæ, quidam Basiliensis, & Nicolaus de Cusa, tametsi tunt temporis ubique lo-

eorum ingentes contentiones fuerunt inter Pastores, Episcopos ac Monachos, qui eis Ecclesias perturbabant. Nicolaus Clemangis in libro de corrupto statu Ecclesiæ de Monachis loquens inquit. *Multa quoq; alia de historia pseudoprophetarum aperta iniquitate, qua domum Dei perfodiunt, & polluunt sacra, in pluribus locis scriptura commemorat quæ: satis eorum perfidiam, quantum ad nostram pertinet brevitatem, detegere videtur. De qua si cui libeat ampliora cognoscere, Cyrillum videat & illic mira de eis inveniet, ad fidelium instructionem longè antè quam orirentur, Spiritu S. revelante prædicta.* Quanquam nec aliquot alii scriptores etiam defuerunt, qui de his subdolis illusoribus multa valde utilia & præclara, pòst eorum introitum, ad Ecclesiæ præmunitionem & præmonitionem prodiderunt.

Multos postea sui dogmatis sectatores habuit VVilhelmus, ut in quodam veteri scripto *De hæreticis* annotatum inveni, inter quos & Ioannes de Poliaco numeratur. Tametsi quidam scribant, & ipsum Cæsarem Sigismundum in ea sententia fuisse certè, ut ex ejus Reformatione apparet, Parochis plurimum, Monachis verò parum favit.

* VVolfius Cent. 13. Lect. Memor. p 537. seqq.

CCLXVIII. Laurentius Anglicus.

LAurentius Anglicus, Magister Parisiensis, & cujusdam collegii illic præpositus, floruit circa 1260. annum; id est, fermè antè 300. annos. Fovit concionando, docendo & scribendo, partes Gulielmi de S. Amore, Christiani Beluacensis, aliorumque Monachos oppugnantium. Scripsit quoque duos libros contra eos; alterum titulo, *Cavendum esse à pseudoprophetis*; alterum, *Defensionis Gulielmi de S. Amore*: & quædam alia, in quibus omnibus ostendit multis signis ac testimoniis, *adesse Antichristum pro foribus*. Dignum autem hic observatu est, quòd in hujus vita Balæus narrat, quodque & ex scripto prædicti de S. Amore apparet, composuisse illis temporibus Monachos clam impium quendam librum, suæ nimirum impietati utilem, quem voluerunt obtrudere orbi Christiano, sub titulo *Æterni spiritualisq; Evangelii*, sicque verum Evangelium Christi obliterare seu antiquare. Sed in futuro vel sacrilego potius conatu deprehensi, refutatique à prædicto Guilielmo & aliis, cum viderent se resistere non posse, rejecta culpa in quendam Monachum, qui jam olim erat mortuus, cum librum exuri passi sunt, quo simul exurerentur pia Gulielmi & aliorum contra Monachos scripta.

* VVolfius Cent. 13. Lect. Memor. p. 543.

CCLXIX. Petrus de Vineis.

PEtrus de Vineis, Cancellarius Imperatoris Friderici Secundi, floruit ante annos 300. id est, circiter 1230. Scripsit multas Epistolas ad diversos nomine Imperatoris,

toris, potissimum de excommunicatione & depositione Cæsaris, tunc per scelus & nefas à Papa facta; quæ Epistolæ jam aliqua ex parte etiam impressæ extant. In præfatione & Epistolis *Papam*, ejusque *Cardinales* vocat *Pontifices* & *Pharisæos*. Sedere hoc tempore dicit Pharisæos super Moysi cathedram, eosque congregari contra Christum Domini. Papam affirmat factum esse lupum rapacem, cavendum esse fermentum. Totum mundum Papæ ingluviem non posse replere queritur. Curiæ turpitudines tantas esse asserit, ut pudor eas effari prohibeat. Contendit Papam non habere gladium civilem, nec ullum jus deponendi Imperatorem. Denique gravissimè queritur, & cum Pontifice Romano nomine Imperatoris expostulat, quòd eum non legitimè citatum, multò minus auditum, excommunicaverit, & deposuerit, nec ullas planè excusationes aut rationes ipsius audire unquam voluerit. Multus vel infinitus potius Christianus sanguis tunc ob eos Papæ furores, per multa bella ac prælia effusus est. Scripsit idem Petrus etiam librum *de potestate Imperatoris contra Papam*, in quo haud dubiè asseruit, Papam nullum jus in politicis rebus supra Imperatorem habere. Ob quas causas Papa etiam eum excommunicavit.

* Wolfius Cent. 13. Lect. Memor. p. 520, 521.

CCLXX. *Reges Gallici.*

Reges Gallici longo tempore cum Papis contenderunt, *de jure conferendi prælaturas*, de *Annatis*, de *servitiis*, & nescio quibus aliis tyrannidis Pontificiæ injuriis, potius quàm juribus. Prima autem, quod ego sciam, contentio accidit, regnante *Ludovico Nono*, qui & *sanctus Ludovicus* vocatur; nam is anno 1228. sanxit legem contra Paparum Reservationes & præventiones, aliaque machinamenta, ut sunt electiones Episcoporum & Prælatorum & aliorum quorumcunque liberæ, validæ, ac efficaces electoribus patronis & collatoribus. Eodem anno & aliam legem edidit *contra Simoniam*. Demum & anno Domini 1268. edidit *pragmaticam sanctionem*, qua in universum prohibuit *omnes rapinas & expilationes Romani Pontificis*; hæc enim ejus verba sunt. Item exactiones & onera gravissima pecuniarum, per Curiam Romanam Ecclesiæ regni nostri impositas vel imposita, (quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum existit) sive etiam imponendas vel imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationabili, pia, & urgentissima causa: inevitabili necessitate, ac etiam de expresso & spontaneo jussu nostro, & ipsius Ecclesiæ regni nostri, &c. Sed hujus Ludovici & illud præclarum est, quòd narrant Additiones ad historiam Matth. Pariss. historici Anglici, eum monuisse aliquando Regem Angliæ Henricum, qui totis fermè diebus Missas audiebat, ut potius crebrò prædicationem verbi Dei quàm Missas audiret, quod illud magis pium & utile esset. Hinc enim manifestè licet deprehendere,

Regum Galliæ contentiones variæ cum Pontificibus.

Prima contentio sub Ludovico IX.

hendere, cum sensisse, veram pietatem magis in prædicatione ac cognitione sacrificii Christi, quàm sacrificulorum missatione seu sacrificiis consistere. Omnino oportet hunc sanctissimum Regem multas impietates & abusus regni Antichristiani animadvertisse.

Secunda contentio sub Philippo.

Alia fuit inter Bonifacium VIII. indulgentiarum Patrem, & Philippum Regem contentio, ante annos 250. nam Malefacius ille non tantum potestatem super Ecclesias Gallicas usurpare sibi, sed etiam jus conferendi regnum illud rapere tentavit. Verùm Rex ei duriter respondit, & fortiter restitit, etiam bello; nam excitaverat ei Papa bellum. Verùm hac de re mox pleniorem narrationem ex scripta appendice Martini adscribemus, & in Stephano Aufreri infrà plura dicentur. Quanquam & circa annum 1240. graves contentiones accidisse non dubito, cum S. Ludovicus Rex sanctionem pragmaticam, aliaque plurima decreta ad reprimendam Papæ Romanistarumque rapacitatem decrevit.

Tertia contentio sub Carolo.

Tertio contentio inter illos accidit circiter annum 1400. id est, ante 150. annos, quo tempore Carolus Rex ad supplicationem totius regni, de sententia parlamenti sui magni consilii, curiæ & scholæ Parisiensis, sanxit *Arrestum*, id est, decretum quoddam quod cum Clemange impressum est; qua severiter prohibuit, ne quisquam Papæ Annatas solveret, neve ab eo Gallicas Prælaturas acciperet. Contra eam sanctionem appellavit Papa, ejusque Curtisani, non semel. Eis appellationibus Gallici regni Legati in Concilio Constantiensi opposuerunt scriptum quoddam titulo *Apostoli*, in quo probant Annatas non deberi. Id quoque scriptum est cum Clemange impressum. Id scriptum dicit Ioanni XXII. fuisse ad tempus permissum, ob expeditionem contra infideles, ut illis oneribus Ecclesias Gallicas gravare posset: sed à Ioanne ut opinor XXIII. petiisse regnum Gallicum, ut illa importabilia scandalosaque onera Ecclesiis Gallicis imponere desineret, idque eum pollicitum esse, nihil tamen fecisse. Fuit autem res maximi momenti; nam ut minimum ter centena millia coronatorum ea ratione Papa Gallis annuatim eripere, est solitus; ut taceam alia infinita incommoda, quæ accidebant, dum tantum iis qui Papæ placere poterant, quantumvis essent peregrini, indocti & per omnia inepti, addo etiam regni Gallici hostes, prælaturæ, conferebantur. Quare mirum non est, si jam Papæ summo desiderio dulce illud lucrum appetentes, Ius Annatarum Regibus extorquerent, nam ii magna sui regni difficultate, calumniateque coacti, denuò id ad se retraxerunt:

Hic idem Carolus etiam paulò ante prædictam arrestationem alias literas de eadem re publicavit; quas quia editæ antea non fuerunt, nunc hic adscribam.

Epistola Caroli Regis super libertate Ecclesiarum Regni & Delphinatus, quoad Exactiones, Annatas & Gravamina per Papam imposita.

Pontificum tyrannis Regij scripto impugnata.

CArolus Dei gratia &c. universis &c. Si dotare vel dotari novas Ecclesias vel veteres ampliare operibus, opus est perfectæ charitatis: multò præstantius est depressis & gravatis congrua suffragia exhibere. Lamentabilem siquidem querimoniam nostri & plurimum principum prosapiæ nostræ Procuratores, nec non Prælatorum, Capitulorum, Collegiorum, Conventuum, ac Cleri regni nostri, ac Delphinatus, ac etiam dilectæ filiæ nostræ Vniversitatis Parisiensis recipimus continentiæ subsequentis. Videlicet, quod quamvis secundum Apostolicam doctrinam Papæ potestas à Christo sit, ad Ecclesiæ ædificationem non ad destructionem ordinata, ad justitiam rectumque judicium exercendum, cui non convenit pro libitu facultas exactiones, angarias, & tyrannides super Ecclesias aut subditos exercendi. Cum Dominus docuerit pascere gregem & docere, nō terrenis literis inhiare aut avaritiis delectari. Quia fructus Ecclesiarum & beneficiorum quorumcunque & vacantium, tam secundum dispositionem Conciliorum generalium & jurium quàm secundum piam intentionem fundatorum ordinati, ad sustentationem ministrantium in divinis, ipsius divini cultus augmentum, alimentationem pauperum, redemptionem captivorum, Ecclesiarum suorumque ædificiorum reparationem, terrarum & possessionum Ecclesiæ culturam, virium ipsarum conservationem, cæterorumque onerum intollerantium supportationem: adeo etiam quod bona per Prælatos post eorum obitum dimissa futuris debent successoribus reservari, in Ecclesia utilitatem conferenda. Nisi fortè in illis locis regni, ubi de usu & consuetudine veteri observatis licitum sit Prælatis ipsis, & aliis viris Ecclesiasticis secularibus, de eisdem bonis facere testamentum, quibus etiam ab intestato indictis bonis secundum consuetudinem & observantiam supradictis sui succedunt hæredes. Quodque licet fuerit decretis sanctorum Patrum institutum, ut Prælati Ecclesias sibi subditas omnes singulis annis visitare deberent: quatenus sic docerent indoctos, corrigerent excessus, mores reformarent, Ecclesias restaurarent, & cætera Prælatis convenientia ad Dei honorem exercerent, ac propter hoc procurationes in victualibus aut pecuniam reciperent ad victum usitatum. Nihilominus tamen alioqui Collectores, & alii Officiarii Romanorum Pontificum, præsertim Papæ moderni ab aliquibus annis circa Ecclesiam & viros Ecclesiasticos, præfatorum regni & Delphinatus nostrorum contra prædicta pluribus juribus & importabilibus servitutibus, oppresserunt, & afflixerunt potissimè bona Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum decedentium, tam regularium quàm secularium, quæ spolia defunctorum interdum nuncupantur, reservando & usurpando fructus Ecclesiæ, tempore vacationis Prælaturarum aut beneficiorum Ec-

clesiasticorum obvenientes levando & capiendo arroragia præteritorum & incognitorum temporum, tanquam debita per fulminationem censurarum Ecclesiasticarum, exigendo à beneficiatis quibuscunq; ,annatam exasperando & extorquendo. Cujus annatæ medietatem quoad majores dignitates Collegiorum, Dominorum Cardinalium consueverunt assignare, & ad huc annatam unam cum quadam pecuniæ summa quam vocant minuta servitia, & quam pro familiaribus esse dicunt, cum exactione juramenti & sub pœna perjurii & aliis diversis modis & censuris exigerent, procurationesque Prælatis & aliis ratione factæ visitationis tanquam deberetur capiendo & levando in pecuniam numerata, licet visitationis officio non impenso. Ab illis autem qui ad procurationem nullatenus tenebantur, tantundem quidem quod dum vocant exigendo decimas, & alia subsidia tractatu non habito cum Prælatis pro libitu voluntatis imponendo. In his etiam exigendis sicut nec modis, nec misericordia, nec æquitas servatur, aut mensura. Et cum Prælatus prohibeatur administrare sine Bullis, quare cui non placet solvere, expellitur: quia Bullæ non expediuntur sine pecunia parata. Vnde sicut beneficium Ecclesiasticum obtinere videtur, cum precio vel mercede quod pro bono communi potius debetur præditis scientia aut virtute, & qui sufficientissimi sunt, ii tamen si pauperes sunt nullatenus promoventur, propter quæ & alia innumera inconvenientia gravamina ipse Ecclesiæ & Monasteria, & eorum beneficia multis in locis dictorum regni nostri, & Delphinatus irreparabili currunt hæreditagia, conspiciuntur inocculta & immobilia. Interdum de facto alienantur aut impignorantur. Mobilia etiam pretiosa reliquiarum vasa Ecclesiastica, ornamenta, calices, libri, & similia, interdum etiam vili precio distrahuntur; nemora non cedenda frequentius inciduntur, & venundantur, & Ecclesiæ innumerabili mole debitorum importabiliter onerantur. Numerus Deo servientium ministrorum, qui sustentari in consueto numero non valent, minuuntur, & qui remanent Deo & Ecclesiæ servientes, propter frequentes excommunicationes & censuras occasione dictarum exactionum, quibus satisfacere non valerent, de facto prolatas à divino servitio plurimum retrahuntur, & interdum aliqui mendicare compelluntur, & in maximam penuriam rediguntur, non habentes de quo valeant Deo serviendo, aut in studiis existendo sive comedendo sustentari. Et regnum nostrum quod inter alia regna viris scientificis communiter floruit copiosè, per quos etiam regni justitia consuevit gubernari talibus viris his temporibus, proh dolor mundus curat. Inde cultus dicimus & opera charitatis quæ fieri debuerant, multipliciter defraudantur & cessant, & intentio fundatoris non servatur. His etiam modis regnum redditur pecuniis & opibus plurimum depauperatum, & infinita vixque enarrabilia scandala quotidie oriuntur. Quæ nomina, licet sint satis ad oculum manifesta, & ad quam est Papæ potestas ordinata

** Rapinarum Pontificum fructus.*

nata, & de directo teneatur obviare. Fuitque Papa modernus,& alii prædecessores sui super revocationem aut moderationem dictorum gravaminum, ac de aggregando Concilium generale, ad providendum de præmissis pluries requisitus, attamen sic omnia absque remedio diuturna continuatione perdurarunt, donec dudum super quibusdam per nostram Regiam ordinationem, & novissimè super aliis ex dictis gravaminibus, per quendam nostræ curiæ parlamenti sub ea forma nunciatum,quod cessarent,quousque per eandem curiam fuisset aliter ordinatum, provisumque extitisse. Et ut ad perpetuum uberius & plenius provideretur, in prædictis nuper per Procuratorem nostrum Regium, in Concilio Prælatarum & dictarum Ecclesiarum Gallicanarum & Delphinat. Parisiis celebrata, ubi erant Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & Prælati, & Procuratores Capitulorum, & Collegiorum, ac Vniversitatum & alii viri Ecclesiastici, nobiles magistrandi numero solenniter congregati. Vbi etiam consanguineus noster Rex Siciliæ Ludovicus, & primogenitus noster Dux Aquitaniæ, & Duces Bituriæ patruus, consanguineus noster Burgundiæ, & Barbanii avunculus,pro nobis illi tunc præsidebant,propositum facit & requisitum, quod taliter ordinaretur & fieret, quod exactiones,& gravamina, de quibus supra, cessarent penitus & omnino,super quod plurimis & repetitis intervenientibus discussionibus, & maturius per Prælatos & alios viros Ecclesiasticos, supra dictos deliberatum extitit & concessum,quod attamen illis quæ supra præmissa sunt & aliis attendendis talia gravamina & usurpationes secundũ Deum, & conscientiam non valebant commodè,nec debeant amplius tolerari.Supplicabant igitur ut ad Dei laudẽ,Reipublicæ utilitatem,& Ecclesiarum libertatem dictarum Ecclesiarum regni, Et Delphinat.conservationem supradictam efficaciter ad perpetuum de remedio opportuno providere dignemur prædicta omnia & singula gravamina cessari faciendo, & nihilominus prædictas ordinationes vel per nos factas, & dictum Arrestum Parlamenti confirmando & ad perpetuum extendendo nostram super hoc ordinationem Regiam ubique publicari teneri, & observari facientes.

Papa pervicacia.

Regum Galliæ solicitudo.

Nos igitur attendentes quod ad stabilitatem Ecclesiæ est potestas Regia divinitus ordinata, & quod per regnum terrenum cœleste regnum nunc proficit, quando destruentes Ecclesiam rigere Principum concernuntur, imò sacri canones quando talia per majores Ecclesiæ perpetrantur, ad Reges debent habere recursum, & quod in illis, de quibus notoriæ turbatur status Ecclesiæ, etiam Papæ non obedire consulunt sancti Doctores,recognoscentes,ut tenemur, & propter Ecclesiam, quam, quantum ad nos spectat,etiam ex spirituali debito juramenti CHRISTO DOMINO tuendam suscepimus, Deo sumus rationem reddituri progenitorum nostrorum exemplo edocti, qui sacrosanctas Dei Ecclesias & viros Ecclesiasticos zelo fidei & piæ devotionis accensi, immensis muneribus

Officium regium,& edictum Caroli.

atque

atque Privilegiis munientes, Ecclesias ædificantes, & contritas restaurationes eas à concussionibus, & quibusdam novitatibus indebitis præservare curarunt, quarum etiam nos promptos defensores & pugiles existere gloriamur, prædictis omnibus cum debita præmeditatione pensatis. Habita etiam prius deliberatione cum principibus Regulis nostræ prosapiæ, & aliis Proceribus, multisque viris prudentibus & notabilibus regni nostri nobis in consilio nostro assistentibus, tam gravem est manifestam deformationem atque destructionem Ecclesiarum prædictarum regni & Delph. virorumque Ecclesiasticorum desolationem, sub conniventia oculorum amplius dissimulare non valentes, ordinamus, & tenore præsentium ordinavimus, quod omnia & singula, exactiones & gravamina superius declarata & enarrata cessare debeant & cessabunt, &c. Vt antea in nostris regno & Delph. prædictis. Et quod illa, quæ per dictum Arrestum curiæ nostræ Parlamenti circa hoc fuerunt, donec fuisset aliud ordinatum, dictaq; & pronunciata de cætero indictis regno & Delph. perpetuo tenebuntur, & immobiliter servabuntur. Hæc autem præsentium literarum scripto annotari, publicarique & inter regias nostras ordinationes registrari mandavimus, ut harum partium interventu, plenam inde notitiam habeat posteritas successura. Quocirca Vobis omnibus & singulis suqradictis & Vestrûm cuilibet, qui super hæc fuerit requisitus, committimus & mandamus, quatenus hanc nostrã Ordinationẽ in dictis Regno & Delph. nostris publicari, custodiri & immobiliter conservari faciatis, dictas Ecclesias & personas Ecclesiasticas ab omnibus & singulis exactionibus supra dictis, & liberas & immunes servari, & in hac libertate manu teneri facietis contradictis, &c. Quod si volumus, &c. Datum Anno CCCCVI.XVIII. Februarii.

Artes Pontificum adversus Gallia regnum. In Concilio Constantiensi, cum præsidentes Cardinales viderent plerosque Patres in consessu existentes, negare Annates esse debitas, noluerunt propositam Consultationem testibus illis Gallicis Apostolis concludere. Quæ Curtisanorum impia sapientia, & Conciliorum turpis servitus observanda est. In Basiliensi verò Concilio Annatæ, aliæque similes expilationes & simoniæ, penitus prohibitæ sunt. Post Concilium Basiliense, Ludovicus Rex passus est sibi à Legato & Papa Impio Secundo, seu Sylvio, denuò extorqueri jus Annatarum. Quæ à quo & quando post illud tempus denuò à Regibus Gallicis impeditæ sint, ignoro. Factum enim esse, certum est. Vltimum certamen accidit *sub Leone X.* nam ut ex appellatione scholæ Parisiensis ab eo, vel Lupo vel Leone, ad Concilium, impressa unà cum Æneæ Sylvii Commentariis Coloniæ Anno 1535. apparet, Franciscus Rex Galliæ in Italia bellum gerens, motusque non tantum blanditiis & fraudibus Papæ, sed etiam sperans se favore ejus adjutum, facilius victoriam obtinere, & Italiam sibi subigere posse, concesserat iterum Papæ jus illud expilandi Galliam. Verùm cum res aliter accidisse videret, ne ad alia damna illa expilatio etiam regnum ipsius penitus debilitaret, curavit, interposita Parisiensis scholæ protestatione, & appellatione, an-

ne, an-

ne, annatarum exactionem impediri. Semper verò in iſtis contentionibus Schola Pariſienſis, totiusque Galliæ Prælati, ſuo Regi contra Papam adfuerunt, probantes illas expilationes eſſe Simoniam, & multiplicia damna & ſcandala Eccleſiæ Dei inferre. Vt verò magis appareat, quantas rapinas Papa & in hoc regno & in aliis Chriſtianitatis partibus exercuerit, adſcribam locum quendam *ex Henrici Token* Sylva communium locorum, qui in Concilio Baſilienſi Magdeburgenſis Archiepiſcopi Legatus fuit. Milion eſt decies centum millia. Narravit Archiepiſcopus Lugdunenſis in Concilio Baſilienſi, Anno Domini 1436. quod tempore Martini Papæ venerunt ad curiam Romanam de Francia novem miliones auri, (id eſt, coronatorum) computati ab Epiſcopis & Prælaturis, abſque iis quæ computari non potuerunt de parvis Clericis, qui quotidie abſque numero currunt ad curiam Romanam, deferentes ſecum ſæpius totam ſuam ſubſtantiam. Archiepiſcopus Turonenſis dixit Baſileæ Anno Domini 1439. quod tres miliones auri venerunt ad curiam Romanam tempore ſuo in quatuordecim annis, de Prælatis & Prælaturis, de quibus potuit fieri computatio, abſque parvis Clericis ad curiam currentibus. Iudicet timoratus, quæ vorago hæc. Non eſt autem dubium, quin omnibus certis & accidentariis computatis, Papa ſæpius ſingulis annis decem miliones coronatorum undiquaque corraſerit, præſertim verò cum indulgentiæ in majori precio fuerunt. Quod vel inde probari poteſt, quod Ioannes XXII. tantum novem decim annis ſederit, & tamen moriens viginti quinque miliones coronatorum in theſauris ſuis reliquit.

Teſtimoniũ Henrici Token.

Extat publicè libellus *Petri Bertrandi*, anno 1513. Pariſiis editus, in quo narratur controverſia, quæ anno 1329. in Galliis inter Regem ac ejus miniſtros, & inter Epiſcopos, Prælatos & Officiales, aliaſque Antichriſti Harpyas extitit. Acriter tunc in toto eo regno certatum eſt, potiſſimum de eo, quod Epiſcopi & Prælati variè miriſque technis jurisdictionem etiam politicam ad ſeſe rapere ac trahere voluerunt, & jura ac privilegia regni debilitare & infringere. Recenſentur 66. articuli (præter alios ſpecialiores, qui etiam publicè tunc in conventu regni exhibiti fuerunt) in quibus enumerantur ordine modi ac viæ, ſeu rationes, quibus jura & privilegia Regni à Clericis extenuarentur & ſubverterentur: qui profectò non parvi, ſed maximi momenti fuerunt, digniſſimique ſunt qui ab omnibus cognoſcantur. Actum eſt de ea re aliquot diebus Pariſiis, in maxima cum politicorum, tum Eccleſiaſticorum hominum frequentia. Tandem polliciti ſunt pſeudoſpirituales, ſe abuſus, de quibus quererentur Rex & regnum, brevi correcturos eſſe. Et Rex ſubjecit: ſi illi non corrigerent, ſe correcturum eſſe. Sed ſic haud dubiè correxerunt, ut res quotidie pejores fierent: ſicut ſolitus eſt Antichriſtus, unà cum ſuis, reformare. De quibus oneribus ſuprà articulos inter gravamina inſeruimus.

Gallia non lubens jugũ Pontif. admiſit.

Hæc cum jam ſcripſiſſem, oblatus eſt mihi *Caroli Molinæi Pariſienſis Commentarius, ad Edictum Henrici Secundi*, ubi omnes hæ contentiones Paparum cum Regi-

Car. Molinæi ad edictũ Henr. II.

Regibus Gallicis, & unà cum plurimis aliis ſcitu digniſſimis,prolixè eruditque expoſitè ſunt.Eum ergo vide. Atq; ut hoc adjiciam, teſtatur is,Papam adhuc annuatim ad minimum unum millionem certorum redditTuum ex Galliis habere.

Sed age, nunc recitemus ex manuſcripta Martini appendice de Bonifacio octavo. Eodemque anno Domini M.CCCI. Bonifacius Papa, qui contra Regem Franciæ plurima conceperat,provocatus tantum miſit literas cum Bulla ſua eidem Regi ad perpetuam rei memoriam, in quibus mandavit eidem, quod cum ipſe Papa Dominus eſſet in temporalibus & ſpiritualibus in univerſo mundo, volebat quod recognoſceretur regnum Franciæ ab eodem & contrarium ſentire, & tenere hæreticum judicabat. Fueruntque literæ hæ in Regis palatio coram pluribus concrematæ, & ſine honore remiſſi nuncii vacui quod portarent. Et tum Rex artari fecit omnes vias & exitus regni ſui.Eodem annoPapa excommunicavit omnes qui impediebant illos, qui ad Romanam Curiam veniebant. Anno Domini M. CCCI. in fine Quadrageſimæ, Philippus Rex Franciæ conſiderans, quod prævi-ſa jacula minus feriunt, minusque lædunt,convocavit omnes Prælatos & Barones perſonaliter, omnesque communitates regni ſui per procuratores idoneos,& advenire Pariſios exegit, conſilium & auxilium ab eiſdem contra omnem hominem periturus. Specialiter autem contra Bonifacium Papam intentio ferebatur. Fitque rumor magnus in toto regno, turbatio cordium & confuſio rerum, fueruntque ipſi Papæ Bonifacio objecta crimina, & titulus hæreſeos ſuoque prædeceſſore vivente intruſio,& ingreſſus illegitimus ad Papatum.& quod ei non erat parendum, ſitque contra ipſum Papam provocatio ad Concilium generale. Eodemque anno Domini prælaxato M. CCC.II. in Kalend. Novembris Romæ Bonifacius Papa celebravit Concilium, quod ante per annum & amplius convocaverat, Prælatorum regni Franciæ, omniumque Doctorum regnicolorum, tam in Theologia, quàm in utroque jure Canonico & Civili contra Philippum Regem Franciæ memoratum, coruſcatione Papæ multis tonitruis contra Regem, nulla pluvia apparuit ſubſequuta. Defeceruntque ſibi Prælati aliqui in regno,magni quærentes quæ ſua ſunt, & ſibiipſis ad tempus tantummodo conſulentes. Anno Domini M. CCC. III. Bonifacius Papa Regi Franciæ movet litem,ipſumque excommunicat inducens, quia non permittebat aliquem exire de regno verſus Curiam Romanam, nec liberè pecuniam apportari: ob quam cauſam idem Bonifacius Albertum quondam filium Rudolphi, Ducem Auſtriæ, Regem Alemanniæ, cujus electionem antè repulerat, in Imperatorem confirmat, eidemque ſubjiciens regnum Franciæ, ſicut & alia regna. Anno Domini M. CCC. III. in vigilia beatæ Mariæ virginis in ſep. dum Bonifacius Papa Anagniæ in patrio ſolo, ac civitate Papæ originis cum ſua curia reſideret, ubi tutus eſſe amplius meritò crederetur in gente ſua, & populo, & natione. Ibi conſciis aliquibus domeſticis ſuis proditus fuit,captusque atque detentus, & theſaurus ſuus ab Eccleſiæ depredatus & deportatus

tatus, non sine ignominia Ecclesiæ & dedecore gravi. Cardinales verò sibi timentes relicto eo fugerunt, exceptis scilicet D. Petro Hispano Sabinensi, & D. Nicolao Hostiensi Episcopis. Cujus captionis & sceleris vexiliferis, fuit Guilielmus de Nogavelo de S. Felice diœcesis Tholossanæ complicibus & consentaneis Columpuensibus. Ex quibus olim duos decapellaverat Cardinales. Super ipsum itaque Bonifacium, qui Reges, & Pontifices, & religiosos clerumque & populum horrere & tremere fecerat, & pavor, timor, & tremor, & dolor unà die pariter irruerunt: aurumque nimis sitiens, aurum perdidit & thesaurum, ut exemplo ejus discant superiores Prælati non superbè dominari in clero & populo, sed forma sancti gregis ex animo curam gerere subditorum, plusque amari appetant quàm timeri. De Anagiva verò Romam perductus XXXV. die à captione sua in loco doloris, & amaritudinis positus, inter angustias spiritus cum esset, corde magnanimus obiit Romæ V. Idus Octobris. Sequenti verò die fuit in tumulo, quem sibi vivens præparari fecerat tumulatus in Ecclesia sancti Petri. Anno Domini M. CCC. III. Pontificatus sui anno nono. Plura de hac re infra in Stephano Anfuerio reperies. Ex eodem in Clemente V. de eadem re. Anno Domini M. CCC. XI. quarto die exitus mensis Aprilis scilicet V. Kalendas Maii, in Avinione per Clementem Papam fuit in Consistorio publico excusatus Philippus Rex Franciæ, de his quæ egerat contra memoriam Bonifacii quondam Papæ, & pronunciatum ad excusationem Regis, quod egerat ea in bona intentione, & bono animo ac zelo præsentibus ibidem Regis nunciis, & hæc fuerunt consequenter, ut dictum est, Bullarum Papalium testimonio confirmata. Fuitque ibidem Papæ Clementi commissum totum negotium, totusque processus habitus Bonifacii Papæ memorati ab utraque parte, scilicet accusante & defendente: fuitque renunciatum & conclusum per viam pacis tractatæ. Papa verò suscepit super se negocium examinandum & finaliter terminandum. Item ibidem Papa Clemens absolvit Guielmum de Nogareto præsentem & petentem absolvi à sententia excommunicationis, qua tenebatur propter Bonifacii Papæ captionem.

CCLXXI. Carolus V. aut Sapiens, Rex Galliæ.

Hic fuit quintus hujus nominis Rex Galliæ. Regnavit autem circa annum Domini 1360. id est circiter ante ducentos annos. Is cognomen *sapientis* obtinuit, cum propter eximiam sapientiam ac pietatem, tum præsertim, quod sacras literas verti curavit in vulgarem linguam, ut & promiscuum vulgus intelligere eas posset, contrà quàm nunc Papistæ contendunt, nefas esse laicis sacras literas legere. Somnium Viridarii, *liber jussu Carol. adv. Pontificios scribitur.*

Idem etiam, teste Molinæo, curavit librum edi contra tyrannidem, & rapacitatem *Extat Ve-*

lum. Tract. Tractatuū 10. n. 13. f. 149.

tatem Paparum, & ipſorum Harpyarum, titulo *Somnium Viridarii*, in quo prolixè ac liberè diſputatur, de toto regno Pontificio, eique non tantum politicus gladius, ſed etiam ſuperioritas ſuper Epiſcopos adimitur. Eſt impreſſus jam olim fermè ante 100. annos Pariſiis. Adſcribemus verò unum ejus dictum, ut totius libri Argumentum Chriſtiana Parrheſiâ inde cognoſci queat. *Sciendum itaq́; quod Eccleſia Romana ab initio ſui uſq; ad tempora Conſtantini obtinuit licitè prioritatem hanc ex aliarum Eccleſiarum quaſi electionis præbentium eidem conſenſum & obedientiam, ſponte tamen non quidem, quia eidem forent aliqua authoritate ſubjectæ, ſed propter Apoſtolorum Petri & Pauli præeminentiam charitatis, & in fide Conſtantiam. Et rurſum propter multitudinem ſolennium perſonarum in ea honeſtate præpolentium, atq; dominia, qui etiam propter ipſorum charitatem, immenſam curam, & ſingulares fideles alios inſtruere & fraternè monere. His autem ipſorum monita, tanquam Doctorum ſuſcipientibus ipſorum etiam ordinationes, circa Eccleſiaſticum ritum, quoniam utiles videbantur, poſtmodum ſuſceperunt, & demum ipſorum mandatis ſub Eccleſiaſtica cenſura excommunicationis vel interdicti propter fidelium unitatem ſervandam obedierunt, quæ ſiquidem obedientia ſpontanea per longam conſuetudinem obtinuit vim electionis, cujuſdam: unde licet circa initium Eccleſiæ reliqui Epiſcopi & Eccleſiæ fidelium, neq; divina, neq; humana aliqua obligarentur obedire mandatis vel inſtitutis Eccleſiæ vel Epiſcopi Romanorum, pluſquam èconverſo, invaleſcente tamen hac utili & rationabili conſuetudine, qua fideles in veritate amplius ſervabantur, eo quòd tunc fideli caruerunt legislatore, ipſos ad ordinem reducente, ac in unitate ſervante, Obligati fuerunt poſteri lege divina ad obedientiam in licitis, & honeſtis, ac ſi demum Epiſcoporum & Eccleſiam per electionem ſibi judicem ſtatuiſſent circa Eccleſiaſticum ritum, & hoc præſertim uſque in hæc tempora quibus potuiſſent publicè congregari, & de ſtatu Eccleſiæ perfectionis ordinare de contentioſis actibus.*

Hanc igitur prioritatem Romanus Pontifex, & ipſius Eccleſia licitè ab initio per quandam ſui charitatem & ſolicitudinem obtinere cœpit, quæ poſtmodum propter conſuetam devotionem, reverentiam, & obedientiam ſpontaneam, electionis quaſi robur aſſumpſit. Nunquam enim ex Scriptura colligi poteſt, quod ex præcepto CHRISTI vel conſilio aut alicujus Apoſtolorum, Eccleſiæ, vel Epiſcopi reliqui ſubeſſe deberent Eccleſiæ vel Epiſcopi Romanorum, etiam Eccleſiaſtico ritui, Quod tamen, ſi neceſſitas fuiſſet, & debitum ad ſalutem fidelium, quemadmodum aſſerunt, jam quidem Romanorum Epiſcopi nec ſolum circa Eccleſiaſticum ritum, verum etiam in juribus coactivis, non tantum ſuper Clericos, verum etiam ſuper ſeculares principatus quoslibet, quomodo eſt credibile CHRISTUM & ipſos Apoſtolos hoc prætermiſiſſe? ſed quod CHRISTUS & ipſi Apoſtoli apertè ſtatuerunt oppoſitum, præſertim in juriſdictionibus coactivis, ſecundum quod pluries eſt oſtenſum.

Tempore Conſtantini Primi Romanorum Imperatoris, qui primus CHRISTI fidem & baptiſmum aſſumpſit, Imò fideles inceperunt publicè congregari, & dubia circa fidem

ſidem diffinire, ut Eccleſiaſticum ritum ordinare, ut ex Iſidori codice apparet. De primitiva Eccleſia in Synodo Nycena, Ab hoc igitur Conſtantino per edictum Imperiale, juxta laudabilem & antiquam conſuetudinem obtinuit Epiſcopus & Eccleſia Romanorum prioritatem, quam ſibi ſuper alias conveniens & rationabile eſt competere, prout ex jam dictis evidentiis comprobatur, & ultra prioritatem hanc quarundam provinciarum poſſeſſiones, atq; dominia, quamvis ante tempora Conſtantini, & poſt etiam Romanorum Epiſcopi ſuis Epiſtolis ſive decretalibus quibuſdam prioritatem, quam, ſuper alios illis convenire monſtramus electione, vel conſtitutionibus Principum, ſibi ſingulariter abſq; requiſitione legislatoris humani, fidelis Collegii, cujuſq; vel perſonæ ſingularis cujuſcunque præeminentiæ dignitatis exiſtat docuerunt divina lege deberi. Cujus tamen oppoſitum ſuperius eſt oſtenſum. Poſt tempora verò Conſtantini Primi Imperatoris, & præcipuè in imperiali ſede vacante, hanc ſibi deberi prioritatem quandoq; lege divina, quandoque verò conſtitutione Principum ſuis Epiſtolis affirmarunt. Inſuper Epiſcoporum aliqui confirmantes de omni juriſdictione coactiva ſuper omnes mundi miniſtros Eccleſiarum, & ipſorum collegia, quo utentes tanquam ſibi convenienti ex conceſſione Principis, quod diu potens extitit Romanorum Princeps, ipſiusq; regnum & plena ſedes, principatu verè deducto, in ſeditionem & præcipuè Imperiali ſede vacante, per temporum intervalla functi ſunt hac poteſtate, tanquam ſibi divina LEGE conceſſa, ſic etiam ſuis Epiſtolis expreſſerunt ſibi convenire temporalium omnium diſpoſitionem ſeu diſtributionem pro voto abſq; collegii cujuſquam aut perſonæ ſingularis, cujuſcunq; dignitatis vel authoritatis requiſitione, & conſenſu.

Quibus etiam ipſorum exceſſibus moderni non contenti ſuis expreſſerunt Epiſtolis ſive decretalibus autoritatem, ſive juriſdictionem coactivam ſupremam, ſuper omnes mundi principatus, populos, & ſingulares perſonas ſibi lege divina deberi, ſic quidem, ut nullus principantium prædictorum juriſdictionem coactivam, quam vocant ipſi gladium temporalem, præter, qui contra ipſorũ dictamen ſeu conſenſum licitè valeat exercere. Præter autem aut contrarium facientes, Reges aut populos excommunicationis vel interdicti ſententiæ vocaliter pronunciando ſubjectos, Aſſerunt igitur ſe ſolos in mundo CHRISTI vicarios, qui Rex regum, & Dominus dominantium. Hoc latenter intendentes quod ſibi debitum dictum titulum plenitudinis poteſtatis, propter quod etiam ad ſuam autoritatem pertinere dicunt, omnia mundi regna & principatus conferre, & auferre licitè poſſe Regibus & aliis principantibus imperia, atq; regna omnia titulo ſupradicto plenitudinis, videlicet datæ poteſtatis à CHRISTO.

Hæc & hiſce ſimilia plura ſunt in eo libro; quæ graviter piè ac verè contra Primatum ac Tyrannidem Papæ opponuntur. Nec tamen ſolum hæc pars regni Antichriſti ibi accuſator, ſed etiam multi alii abuſus & impietates ejus taxantur & refutantur. Vnde apparet illum verè ſapientem Regem, ejusque Proceres ac Conſiliarios nec adeo imperitos fuiſſe veritatis, ut plerique potentes tunc & poſtea fuerunt, nec ita ſuperſtitione ſerviliter fractas ac proſtratos, ut omnibus Papæ *nu-*

tibus necessario obediendum putarent. Quin potius statuerent pium sanctumque rem necessariam & Ecclesiæ utilem esse, Goulart. Pontifici Romano etiam publicis scriptis reclamare.

* Wolfius Cent.14. Lect. Memor. ad An. 1364. p. 646, 647.

CCLXXII. *Cardinalis Portuensis.*

HIc Cardinalius amplius ante annos 300. vixit. & in Germaniam misit prophetiam Ioachimi Abbatis cum subsequentibus versibus de Cardinalium discordia, ut testatur Conradus Halberst. fol. 385. sui Chronici.

Non concordamus, nec concordare putamus,
Et tamen hic stamus, cum nil pietatis agamus.
Ut consumamus nos, in simul & pereamus.
Sed non curamus de fama, quam lapidamus,
Nec benè pensamus de mundo quem laniamus.
Ergo agamus nos ipsos, & faciamus.
Quod non perdamus hæc tempora, nec repetamus.
Quæ formidamus, hoc casu præveniamus.
Sponsum condamus, quem sponsæ præficiamus.

CCLXXIII. *Humbertus de Romania.*

Tyrannidem pontificiam perstringit.

HVmbertus de Romania, Magister V. ordinis Prædicatorum, floruit (teste Aliaco) circa annum Domini 1220. Scripsit de ratione tollendi schisma inter Græcos ac Latinos ortum. In secunda ejus libri parte cap. 11. testatur, magnam causam ejus schismatis fuisse *intolerabilia gravamina Papæ in exactionibus excommunicationibus & statutis,* De quibus tribus Romanæ Curiæ seu Antichristi tyrannidibus, admodum graviter ibi ille bonus Monachus queritur. Et sanè hæc tria compendio fermè totam Papæ tyrannidem complectuntur.

CCLXXIV. *Ludovicus Bavarus Imperator.*

Pontificum exagitatio.

LVdovicus Bavarus adeptus est imperium anno Domini 1341. excommunicatus est, & à Papa depositus, cò quòd ausus fuisset statim post electionem, antequam à Papa juberetur, nomen ejusque Imperii sibi usurpare. Quin & pro *schismatico & hæretico* est à Pontifice proscriptus & damnatus. Multa habuit certamina 33. annos, quibus imperavit, cum tribus Papis, & bella cum seditiosis in Imperio, quos Papa cum Episcopis ad capessendum imperium contra Imperatorem incitabat gessit.

Sed de bellis dicere non est nostri instituti. Quare tantum *de Articulis*, quos contra

contra Papam defendit, breviter dicendum eſt. Francofordiæ ad Mœnum, in publicis Comitiis, publicè propoſuit Cæſar ſuam Excuſationẽ, contra Ioannis XXII. excommunicationem. In qua (quod præcipuè à nobis annotari debet) diſputat, politicum & ſpirituale Imperium ſeu gladium eſſe penitus diſtincta. Papam nullum omnino jus habere ſupra Cæſarem, imò contrà omnem animam debere eſſe ſubjectam ſuperioribus poteſtatibus. Præterea oſtendit, Papam ſe non legitimè citatum, multò minus auditum, modis omnibus injuſtè damnaſſe; ac ſimul judicem & accuſatorem, uti ſanctis iſtis Antichriſtis mos eſt, in ſua propria cauſa eſſe velle.

In alio verò quodam ſcripto, quod tuetur ſe de divortio Duciſſæ Carinthiæ (cui ut alteri nuberet, permiſerat) & filii Regis Bohemiæ, dicit Papam & alios ſpirituales nullum planè coactivum jus habere debere, ſed officium eorum eſſe tantum, ut doceant; illud verò penes Imperatores aliosque politicos magiſtratus eſſe. Defendit ergo & hunc Articulum, quem noſtræ quoque Eccleſiæ jam contra Papam defendunt, quòd ſcilicet rectè per divortium ſeparatis, liceat denuò contrahere matrimonium, præſertim parti innocenti. Contulit quoque ſine diſcrimine omnes Epiſcopatus & Prælaturas Imperii, non conſulto Papa. Vnde apparet eum primatum Papæ non adeò magni feciſſe: ſed ſtatuiſſe Eccleſiarum curam etiam ad politicos gubernatores, ſua quadam ratione pertinere. Diſpenſavit etiam inter prædictam Carinthiæ Duciſſam & Marchionem Brandenburgenſem, in gradu, quem non nominat, ſed à Papa prohibito. Vnde itidem animadvertere licet, eum poteſtatem Pontificiam ejusque decretalia non curaſſe.

Multi autem *docti viri* tunc & Cæſarem defenderunt, & Papam oppugnarunt, ejusque errores refutarunt. Inter quos hi tantum mihi jam ſuccurrunt. *Marſilius Patavinus, Joannes de Janduno, VVilhelmus Okam, Michael Ceſenas* generalis Minoritarum, frater *Bonagratia, Dantes*, & *Petrarcha*; quos cum modis omnibus foverit, dilexeritque, non eſt dubium, & dogmatibus eorum, de quibus alibi, aliquatenus aſſenſum eſſe. *Docti viri Papam oppugnantes.*

Tentavit optimus ille Imperator non ſemel, *reconciliationẽ cum Papa*; ſed fruſtrà, repugnante non tantum ipſius Papæ, Cardinalium & Curtiſanorum malitia, ſed etiam Gallicorum Regum contra Cæſarem odio & ambitione; nam Benedictus XII. Ioannis XXII. ſucceſſor, aliquoties publicè & diſertè confeſſus eſt, Ludovicum innocentem, ſuumq; anteceſſorem injuſtè eum eſſe perſecutum; nec tamen metu Regis Galliæ (in cujus regione tum Papæ reſidebant) auſus eſt vel acta prioris Papæ reſcindere, vel Ludovicum abſolvere. Verùm adſcribamus ſanè aliquid ex Aventino, de hujus diſſidii origine, item ex vetuſta Membrana, ſcriptum Ludovici contra Papam Iohannem. *Sub idem tempus primarius Sacerdos Berchtrandum flamminem Rom. Philippum Valeſium, qui Veſtriaca Francia poſtea potius eſt, cum copiis in Italiam mittit. Cives, dynaſtas, oppida ab Imperio, ab Ludovico,* *Aventini teſtimoniũ. lib. 7 Ann. p. 608.*

ad

ad se deficere cogit; fidem servantes devovet. Eosdem per Berchtrandum Dominicanum, impietatis quæstorem, hæreseos nota inurit, armisq; invadit. Petra Mala & Matthæus ab Adolpho Cæsare præses Italiæ datus; ejus filii Lucinus & Stephanus, Marcus ac Galeacius, eloquentissimi ac gravissimi viri; cæteriq; vi, Pontificiaq; servitute oppressi. Turianos, VVelphonesq; partes Pontificis Mediolano pellunt, ad opem Cæsaris confugiunt, majestatem populi Germani implorant, Ludovici auxilium invocant. Is Berchtoldum de Neyffen, Fridericum de Truhedíng, Berchtoldum, & filios ejus Berchtoldum, & Henricum de Grayspach Regulos Bojariæ, Franciæ, Sueviæ virtutibus & natalibus celebres, qui pro prudentia atq; fatidica suorum cognominum divinatione, pacem atq; concordiam inter Christianos confirmarent, ad Pont. Max. item ad Legatum ejus *frustra proficisci jubet.* Berchtrandus *ille* pacti turbator (*id enim Berchtrandus Germana lingua valet* (*non solet*) *non solum Legatos Cæsaris à Pontifice ad se rejectos non audivit, sed & contumelia affectos, quasi hostes excedere Italia jussit, moxq; Mediolanensem agrum crudeliter depopulatur; stupris, cæde, incendiis universa, uti bello fieri solet, complet. Ludovicus, quòd sacramento rogatus, religione jurisjurandi adactus esset,* se majestati Imperii Reipublicæque nunquam defuturum, *inopibus contra fas, præter æquum armis afflictis, ad populi Germani libertatem confugientibus quos sine maximo scelere deserere non posse, superiores tetrarchas Cæsareis auspiciis suppetias ferre, vim vi repellere jure gentium imperat. Atq; hæc* ex utriusque Principis Romani edictis, *quæ in* Bojariæ publicis bibliothecis *servantur excepimus. Ea si à* chronicariorum mendaciis *discrepaverint, illorum negligentia atq; temeritas* (*qui amore atq; odio cæcutientes, ac imperitia confisi fabulosa, omissa publica instrumentorum authoritate, sibi conquirere permittunt*) *accusetur, & ut possint illorum nugæ sperni, tamen fides nostra non debet. Quæcunq; in diplomatibus reperi, incorrupta profero. Igitur vigesimus secundus* hac Bulla *Cæsarem afflat.* Posteaquam (*inquit*) à decessoribus nostris res Romana à Græcis ad Germanos translata, Carolo Magno in fidem atque tutelam commissa est, summus ille honor, beneficium Pontificis Maximi esse solet. Decretum siquidem est, ut cum Germani Principes Regem jussissent, id demum ratum esse, si Rom. Pontifex, universi orbis Christiani pater atque Princeps, author fieret: nec antè cuiquam comitiis Cæsareis, suffragiis principum designato Regi, neque administrandi, neque regii tituli usurpandi jus est, quàm primarius Sacerdos Dei Op. Max. Legatus, suo numine faveat & aspiret. Præterea summa potestas, maximum imperium, ubi orbum capite fuerit, penes Max. Pontificem, cujus beneficium illud est, existit. Itidem ubi septem suffragatores comitiis Cæsareis discordes fuerint, neuter Rex est. Episcopus Romanus, sicut communis omnium mortalium parens, fasces Romanos ob dissensionem destitutos, rempublicam derelictam, suo arbitrio temperat. Quemadmodum animus imperare, corpus illi cujus beneficio vivit, servire debet: ita optimè consultum esse rebus Christianis nemo ambigit, ubi fragilia æternis, prophana sacris, corporalia spiritualibus subdita sunt, atque obtemperant.

Bulla Ioh. XXII. contra Ludovicum.

Pag. 609.

temperant. Quod tum fit, quando Pont. Max. dignitatem utramque ſuo arbitratu moderatur : & Imperator, religione ſacramenti, ei qui terris præſidendo vicem cœleſtis Imperatoris perfungitur, addictus eſt. Haſce ob cauſas, cum poſt fata Imperatoris Henrici ſeptimi, duo, Fridericus atque Ludovicus, Reges conſalutati fuerint, ambo, utpote contra auſpicia creati, indigni ſunt ſummo rerum humanarum faſtigio Reſpub. in medio derelicta atque dilacerata, à nobis jure noſtro adminiſtratur. Proinde Ludovicus maximo malo ſuo, non minore Eccleſiæ Romanæ detrimento, nec dum à nobis dignus qui imperet judicatus, ſua ſponte regium nomen, rerum habenas temerè uſurpavit, atque in Italia atque Germania occupat; nam Brandeburgenſem principatum contra leges atque interceſſionem filio ſuo tradidit. In Italia Galeacio, ejus fratribus de crimine hæreſeos condemnatis atque renunciatis ſuppetias tulit. Nos igitur juxta munus cœlitus nobis datum, Ludovico præcipimus, ut intra menſes tres ſeſe abdicet ab regio nomine, gubernatione, functionibus publicis, rebus gerendis penitus abſtineat, à ſe hactenus acta reſcindat, nec poſthac niſi juſſu & mandato noſtro dignitatem reſumat, quod ſi obtemperare obtrectaverit, Patriarchis, Epiſcopis cunctis, Sacerdotibus Principibus civitatibus imperamus, ut eundem deſerant, ac nobis parere cogant. Data atque publicata Avinione, octavo idus Octobris, anno dignitatis 8. Chriſti verò 1323. *Hæc ubi in Germania comperta ſunt, Ludovicus divini humaniq; juris conſultiſſimos quoſque in Italia Germaniis, Galliis, præcipuè Bononiæ atq; Lutetiæ, jure utroq; atq; ſacris literis peritos conſulit. Hi omnes reſcripſere*, acta & dogmata Ioannis adverſus Cæſarem, Chriſtianæ ſimplicitati & divinæ philoſophiæ repugnare. *Extant hujuſcemodi* conſilia Theologorum *in bibliothecis, in membranis ſcripta, contra vigeſimum ſecundum.* Libros *quoq; edunt hi amici Ludovici Marſilius Patavinus, Ioannes Gandavenſis, Luitpoldus de Bebenourgk, Andreas Laudenſis myſta Fruxinenſis, Auguſtæ Magiſter Epiſtolarum; Vlricus Hangenor Auguſta ortus, ſacro Cæſaris ſcrinio præfectus, Dantes Aligerius, &c.*

Pontificiæ Bullæ per varios Doctores refutatio.

Apologia Ludovici IV. Imperatoris, publicè contra calumnias Ioannis XXII. propoſita.

IN primis contra nos, & Imperialem authoritatem, & jus Imperii, allegatur & objicitur, *quòd poteſtas & authoritas Imperialis eſt à Papa*; & quòd *electus in Regem Romanorum, ex ſola electione non eſt. R.* Dici poteſt verus Imperator, nec habet poteſtatem, juriſdictionem & authoritatem antequam inungatur, conſecretur & coronetur à Papa; qui ut dicunt, tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus habet plenitudinem poteſtatis. Ad quæ reſpondemus, hanc opinionem ſacris canonibus ac juri & rationi pariter obviare, ſicut expreſsè patet in Decretis 96. diſt. c. Cum ad verum, & canone, Duo ſunt, &c. Imperator, ubi expreſsè habetur in hæc verba:

Imperator verus, etiam qui à Papa non nactus & coronatus.

Duo ſunt quippè quibus principaliter hic mundus regitur ſ. authoritas Pontificū, & Regalis poteſtas. Habet quippe Imperator privilegium poteſtatis ſuæ, quam adminiſtrandis legibus probabiliter divinitus conſecutus eſt, nec Imperator uſurpat, hæc ibi ubi gloſſæ ordinariæ dicunt, quòd iſtæ poteſtates ſunt diverſæ, & quòd neutra dependet ab altera, & quod Imperator non habet poteſtatem ſive imperium niſi à ſolo Deo. 93. d.c. Legimus, ubi in textu dicitur, quod exercitus facit Imperatorem, & gloſſa ſuper verbo Imperatorem dicit: Sic ex ſola electione principum. Dico enim verū Imperatorem, antequam à Papa confirmetur, ut dixi 73.d. Quamvis hæc gloſſa & hoc etiam probatur in canone X. d. ubi de poteſtate Pontificali, & imperiali loquitur in hæc verba: Quoniam mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus ſit, actibus propriis & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis utriuſque diſcernit, ut Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium rerum imperialibus legibus uterentur. Quatenus ſpiritualis actio à carnalibus incurſibus diſtaret, & Deo militans, ſ. Papa, minimè ſe negotiis ſecularibus implicaret: ac viciſſim ille, ſi Imperator non videretur divinis rebus Præſidere, qui eſſet ſecularibus negotiis implicatus. Hæc ibi. Vbi gloſſa ordinaria de utraque poteſtate loquens, dicit ſic: Dum ergo poteſtates iſtæ diſtinctæ, eſt hoc argumentum, quod imperium non habetur à Papa, & quòd Papa non habet utrunque gladium. Nam exercitus facit Imperatorem, 43.d. Legimus, & imperium à ſolo Deo habetur, 73.q.4. Eſt quamvis. Alioquin ſi imperium haberet à Papa, poſſet in temporalibus ad Papam appellari: quod probat Papa Alexander IV. Quòd illa. ſ. temporalia, ſuam. ſ. Papæ juriſdictionem non attingunt. ex. de appel. Si duobus. &, qui ſi. ſicut legit c. Tamen. &, Ita ejus, credo iſtas poteſtates diſtinctas eſſe. Hæc gloſ. & 8.d.c. Quo jure, dicitur: quòd jura humana per Imperatores, Reges ſeculi, Deus humano generi diſtribuit. & lex dicit, quod imperium & ſacerdotium principio præceſſerunt in actum, quomodo oporteat Epiſcopos & cæteros cleri, ad ordinem perduci. In principio, Conſ.1. Nec Imperator juriſdictionem Papæ, nec Papæ, nec Papa juriſdictionem Imperatoris perturbare debet. extrà, de judic. Novit. Ex quibus & aliis pluribus quæ brevitatis cauſa dimittuntur, clarè patet, quòd poteſtas & authoritas Imperialis, quæ immediatè eſt à ſolo Deo, & non à Papa, & quòd electus in Imperatorem, ex ſola electione eſt Rex Rom. & habet authoritatem, juriſdictionem & poteſtatem Imperialem & antiquam, inungatur, conſecretur, & coronetur à Papa, aut non: & quòd Papa non habet in temporalibus dictam plenitudinem poteſtatis.

Papa pronuntians electionem Ludovici eſſe nullam & irritam.

Sed objicitur, quòd ille qui ſe Ioannem Papam XXII. appellabat, per ſuos proceſſus de facto caſſavit, ſive nullam caſſam & irritam pronunciavit, electionem de nobis in Regem Romanorum factam: aſſerens in ſuis proceſſibus, nos miniſtrare non poſſe jura Imperii, & quòd adminiſtratio Imperii ad ipſum Ioh. pertinebat de jure, & alia plura in ipſis proceſſibus aſſerens. & attentans contra nos & jura

Imperii,

Imperii, & contra illos & contra jura & libertates eorum, ad quos vacante Imperio pertinet electio Regis Romanorum, & contra jura & potestates Principum Alemanniæ, & subditorum Imperii, & contra consuetudines antiquitus rationabiliter introductas & observatas: prout in ipsis processibus, imò verius excessibus, continetur. Insuper post dictos processus, quasdam literas sub Bulla sua dicitur fecisse, & per multum publicè transtulisse, in quibus se asserit totam Italiam ab imperio & regno Alemanniæ separasse: insinuans per sua scripta & dicta, quòd Papa tanquam Dominus universalis, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, potest tam de imperio quàm de omnibus regnis & dominiis temporalibus totius mundi, ad suum libitum disponere & ordinare. Ad quæ omnia duximus respondendũ, quòd dicti omnes processus assertiones & literæ, & omnia & singula quæ per dictum Ioh. in prædictis & contra prædicta gesta seu attentata fuisse dicuntur, fuerunt & sunt nulla, & nullius valoris & momenti, rationibus infrà scriptis.

Prima ratio est, quoniam Papa quantumcunque catholicus & legitimus, non habet talem potestatem, nec autoritatem aut jurisdictionem in temporalibus & maximè supra jura Imperii, quod est immediatè à solo Deo, ut evidenter probant Canones, & jura superius allegata. Vnde quicquid dictus Ioh. fecit in prædictis, tanquam à non suo judice factum, nullius fuit momenti: ut probant apertè canones 11.q.1.di.pen.& 7.q.1.c.In primis juxta finem. & 16.q.1.c.Frater noster, & ex.de Iud. At si clerici.& ex.de consue. Ad nostram, &c. Si non à competenti judice, l, ij. & iij. & ult. cum similibus. *Refutatio rationum.*

Secunda ratio est ex eo, quod dicti processus, imò verius excessus, fuerunt per dictum Ioh. contra nos, & in præjudicium enorme nostrum, & illorum qui nos elegerunt in Regem Romanorum, & aliorum Principum Imperii & Alemaniæ, ex notoriè falsis causis, & nullo fori ordine servato, nobisque & aliis quorum intererat absentibus, & nullo modò legitimè monitis & citatis. Vnde dum sacri canones & jura divina & humana decernant, sententias & processus quoscunque promulgatos, absentibus iis quorum causa agitur, sive ventilatur, & eis sitè non monitis & citatis, nullius existere firmitatis 3.q.4. per totum, & ubi etiam legitur sanctos Pontifices definuisse in hæc verba: omnia quæ adversus absentes in omni negotio aut loco aguntur aut judicantur, irrita erunt, & evacuantur omnino, nec aliquam obtinent firmitatem, quia divinæ & humanæ leges hoc fieri prohibent, ut ex. de testibus in nomine Domini.& in auth. de testibus. Hæc verò coll. 7. & super quæ sen. sine app. & rest. l. 1. c. Ex hoc edicto. & l. quomodo & quando judex L. eaque & maximè in causis quæ summi Pontificis judicio deciduntur, ordo juris & vigor æquitatis est subtiliter observandus, ut ex. de sit. & re jud. C. in causis. Sequitur, quod prædicti processus, imò verius excessus, fuerunt nulli, & nullius valoris, peremptus & momenti.

Adversus citationem Pontificiam.

Nec obviat, si dicatur, quòd prædictus Ioh. in civitate Avionis provinciæ existens, cum sua curia, per suam naturam quam debet ad fores Ecclesiæ à visis appendi fecisse, nos absentem citavit: quoniam talis citatio, esto quòd appareret, nullatenus fuit nec est dicenda sententia, rationibus, infra scriptis. Prima ratio: quia sunt canones & jura. Ad hoc, quod censeatur & dici possit citatio firma, necesse est quòd habens, qui citandus est, citetur aut personaliter, si inveniri potest: aut si non potest inveniri, publicè citetur ad domum suam, alias nisi sic citetur, non potest procedere contra ipsum, ut apertè projiciatur 4.q.&c. Quisquis. Et ex. de dolo & contu. in textu & in gloss. & in c. Venerabilis. in fin. & de cleric. non re. ex me. & ex. quæ matrimonium sit. post. c. & de eo qui mittitur in poss. c. Ite. s. c. ult equus canis majores. 4. Item ait. Hoc autem cum similibus, & si proceditur, processus nullius est momenti, ut dicitur in superius allegatis jurib. 3. q. c. caveant. & quę sin. app. resti. L. i. & co. Quomodo & quando judex. L. eaque. Ex quibus juribus clarè patet, dato sine præjudicio, quòd talis inquam citatio per literas in civitate Avionum appensas, reperietur facta fuisse, quòd nihilominus processus per ipsum Ioh. factus fuisset irritus & inanis. Secunda ratio, quia ad hoc quod citatio de jure legitima censetur, & arctet citatũ ad veniendum, necessum est, quod assignetur illi qui citandus est, tempus & locus ad comparendum securus: prout manifestè probant jura, ex. de app. c. ex parte tua. & 33. q. 2. Sive de conjugii. Vbi providendus est locus, in quo nulla vis formidetur multitudinis, nec sit difficile testes producere, vel cæteras personas, quæ tam à sanctis canonibus quàm à venerandis rationis legibus, in hujus controversiis requiritur. Hæc ibi & 3. q. 9. hortantur: & ex ut li. non contes. c. accedes. & de judic. L. sed locus. Sed notorium est, & indubitatum existit, quod dictus Ioh. tam nos, quàm Imperii nostri fideles & amicos, odio capitali, & etiam hostili exercitu persequebatur de facto: & civitates & jura Imperii sibi usurpare & subjugare, quantum poterat, conabatur. Civitas quoque Avionis, in qua idem Ioh. cum suo consistorio morabatur, & ad quam nos per suas literas evocabat, & ille qui illius civitatis dominium detinebat, nos & Romanum Imperium habebat odio notorio & antiquo. Vnde patet quod deciperet, qui diceret vel sentiret, vel talem citationem, nos ad comparendum modo aliquo coartasse. Quis enim auderet dicere, quòd talis consistorii in tali loco periculoso teneremur subire judicium, & in hostium nostrorum nos ponere sinum, & mortis periculo ultroneo nos offerre? Patet igitur, quòd talis citatio si facta reperiretur de nobis, foret irrita & inanis.

Tertia ratio sumitur ex eo, quòd in sacris canonibus & legibus statuitur, quòd nullus in propria causa possit judicare, vel jus sibi dare: ut probatur 73. q. 4. c. interq; relas. & q. & de occidend. & 4. q. 4. c. 1. & C. ne quis in causa propria judicet, vel jus sibi dicat. Sed manifestum adeò est, & notorium, ut nulla possit tergiversatio negari, quòd prædictus Ioh. de facto contendebat, scilicet quòd ipse non solum

in ſpiritualibus, ſed & in temporalibus, & in nos & in totum Imperium, ac jura Imperii habebat plenitudinem poteſtatis: & quod ſuper hoc contra nos controverſiam & litigium de facto movebat, & jura Imperii etiam hoſtiliter ſibi pro viribus uſurpare conabatur: & nos & Imperii noſtri fideles quantum poterat, tanquam adverſarius hoſtis & inimicus noſter & Imperii, conſequi nitebatur. Vnde etiam contra eum tanquam contra adverſarium, inimicum & hoſtem noſtrum, & etiam Imperii, pro defenſione noſtra, & etiam fidelium noſtrorum, & juris Imperialis ac fidei, appellamus ad futurum generale Concilium, in loco tuto & ſecuro modo debito & ſecundum formam ſacrorum Canonum congregandum. Ex quibus ſequitur manifeſtè, quod dicti proceſſus, imò verius dicti exceſſus, per dictum Ioh. contra nos & contra fideles noſtros & jura Imperii facta fuerunt in propria cauſa, & temerè & perperam adtentati: & quod ipſe in ipſis proceſſibus ſe judicem ſimul & partem effecit: ac per conſequens, quod fuerunt irriti, & nullius penitus firmitatis.

Adverſus Pontificum anathema.

Tertiò objicitur contra nos, quod dictus Ioh. tam in nos, quàm in omnes ſequaces ac fideles noſtros, habentes & tenentes nos pro Imperatore nomine, & honore, & nobis tanquam Imperatori obedientes, & reverentiam exhibentes, & in omnibus admittentes nos ad divina, ſeu nobiſcum participantes in divinis, aut divina officia celebrantes coram nobis, & præbentes nobis auxilium, conſilium & favorem, de facto excommunicationis ſententiam fulminavit: & Eccleſias & Vniverſitates, quæ contra facerent, Eccleſiaſtico ſuppoſuit judicio. Vnde dicitur, Quod ſententia paſtoris ſive juſta ſive injuſta, ſervanda eſt & timenda. Ad quæ reſpondemus & dicimus, quod ſecundum ſacros Canones & jura hujus ſententiæ & proceſſus, fuerunt & ſunt nullæ ac nullius firmitatis, nulliusque valoris penitus & momenti: nec ſunt aliquo modo timendæ nec ſervandæ, nec timendi nec ſervandi: quod evidenter oſtenditur & probatur rationibus infrà ſcriptis. Prima ratio ſic ſumitur. Certum eſt, quod cum Prælatus Eccleſiæ in ſuo mandato excedit, formam & poteſtatem à ſacris Canonibus ſibi traditam, & in contramandatum hujus facientes excommunicationis in ſingulares perſonas & in Eccleſias & Vniverſitates, ſententias interdicti promulgat, talem ſententiam non tenere, ſed nullam ipſo jure fore, nullatenusque obſervandas, ut probatur per id quod legitur & notatur. Ex. de exceſſibus Prælatorum c. cum ad quorundam. Temerarium enim eſt & indignum, aliquem ſibi ſua authoritate uſurpare, quod Romana Eccleſia non concedit. Ex de privileg. c. ſanè. Sed ut ſupra probatum eſt evidenter, ſancta Romana Eccleſia catholica & Apoſtolica non concedit, ſed prohibet Papæ, jus Imperii & poteſtatem in temporalibus uſurpare. Quia, ut dictum eſt, iſtam Papæ juriſdictionem, quæ ſolum eſt in ſpiritualibus, non contingunt, ut in ſuperius allegato c. ex. de appell. C. Si duobus. Et maximum eſt, quod dictus Iohan. per ſuas ante dictas ſententias exceſſit formam & poteſtatem Papæ traditam:

Quia jus Imperii & poteſtatem in temporalibus ſibi uſurpare conatus eſt, contra ſacrorum Canonum conſtituta: Ergo hujus ſententiæ ſunt & fuerunt nullæ & nullatenus obſervandæ, & hoc eſt unus de caſibus expreſſis, in quibus ſententia de excommunicatione nullatenus obſervanda. Secunda ratio ſic ſumitur. Certum eſt de jure, quod ubi eſt error expreſſus in ſententia vel mandato præſidentis, puta quia præcipit, quod non obediat ſuo ſuperiori, vel præcipit aliquid contra Deum, vel contra ſacram Scripturam, talis ſententia ipſo jure nullius eſt momenti, nec eſt timenda, nec aliquatenus obſervanda: ut probatur per illud quod legitur. Ex. de ſententia excommunicationis. c. Venerabilibus juxta fi.a. & 11.q.3.c. Si is qui præ eſt. cum duobus cc. ſequentibus. Et idem eſt, utcunque ſententia eſt ipſo jure nulla: ut probatur apertè per illud quod legitur & notatur. Ex. de ſententia excommunicationis. c. per tuas. & ex. de procurat.c. in noſtra præſentia niſi. & ex. de crimine falſi. c. ſuper eo. & ex. de ſententia & re judicata. c. 1. Sed maximum eſt, quod dictus Iohannes in dictis ſuis proceſſibus & ſententiis expreſſit, quod non obediatur nobis, cui omnes Imperio ſubjecti obedire, & reverentiam exhibere ſecundum divina & humana jura ſunt aſtricti: & quod hoc fecit, volendo ſibi jus Imperii & poteſtatem omnimodam in temporalibus contra Dominum & contra juſtitiam uſurpare, ad quæ non extenditur, ut dictum eſt, authoritas & poteſtas. Ergo ipſæ ſententiæ ſunt & fuerunt nullæ, & nullius penitus firmitatis, nec fuerunt nec ſunt quomodolibet obſervandæ. Maximum eſt, quod quando ſententia excommunicationis vel interdicti prorata eſt poſt appellationem legitimam, nulla eſt, nec eſt aliquatenus timenda, nec ſervanda, ut apertè probatur. Ex. de offic. & poteſt. 3. d. Cum olim, in fine. & de ſententia excommunicationis c. Venerabilibus in fine. & ext. de appel. c. ad Imp. Et per illud quod legitur & notatur ex. de ſententia excommunicationis, c. per tuas, in gloſſ. ord. & per Do. Oſtienſ. in Apparatu ſuper c. Solet. & in ſumma ſuper quam alios doctores. Sed maximum & notorium eſt, quod non dudum contra dictum Iohannis & proceſſus, quos ipſe de facto fecit contra nos, ac poteſtatem & authoritatem Imperialem, & præjudicium & derogationem fidei catholicæ, quam ſancta Romana Eccleſia firmiter hactenus docuit & credidit, & docet, & tenet, & credit, appellamus ad futurum generale Concilium, in loco ſecuro & congruo congregandum, & ad ſanctam matrem Eccleſiam catholicam. Quæ appellatio fuit ad ipſius Iohannis notitiam deducta, prout notorium eſt, & maximum: & conſtat etiam per legitima documenta, & quia ipſe Iohannes poſt & ſupradictam appellationem promulgavit, & protulit de facto contra nos & fideles noſtros, & nos ſequentes, & nobis præbentes conſilium, auxilium & favorem, dictas excommunicationes & interdicti ſententias, ſi ſic dici poſſunt: Ergo fuerunt & ſunt nullæ, & nullius valoris & momenti, nec ſunt aliquo modo timendæ, nec obſervandæ.

Nec

Nec obstat quod dicitur, quod Papa non habet superiorem, unde, ut aliqui garriunt, non potest ab ipso quomodolibet appellari, & verè non obstat, quoniam maximum est secundum doctrinam catholicam & sacrorum Canonum, quod Papa, ubi de fide sive de jure divino agitur, subest Conciliis, nec potest, per illud quod legitur & notatur 15.c. Sicut sancti. in textu & gloss. & 25. q. Sunt quidam, cum sequentibus capitibus, & 19.d.c. Anastasius, ubi dicit gloss. ordi. super verb. Concilio dicitur: Videtur ergo, quod Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum quod verum est, ubi de fide agitur, & tunc synod. major est quàm Papa 15. d. Sicut sancti mei, dicit gloss. ord. & quod Papa, ubi de fide agitur, habet superiorem in terris, à quo possit judicari: & per consequens, ad ipsum superiorem valeat appellari. Probatur etiam, notanter per illud quod legitur & notatur 40.d.c. Si Papa, ubi expresè definitur, quod Papa à nemine judicari potest, nisi deviat à fide catholica. Ergo si Papa deviat à fide, habet superiorem in terris, à quo potest judicari: & per consequens, ad ipsum appellari. Hoc etiam patet per hoc, quod dicit August. in Epist. ad Glorium & Eleusium, & reliquos Donatistas, ubi de Concilio Papæ & Collegii Cardinalium scribit Dominus sic. q. Non eis dici possit, & adhuc justissimè dici, Ecce puteus, illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos fuisse, restabat adhuc universalis Ecclesiæ plenarium judicium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa possit agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Hæc Aug. Ex quibus & aliis plurimæ authoritatis, quæ brevitatis causa dimittuntur, evidenter patet, quod Concilium universale Ecclesiæ catholicæ, ubi de jure divino aut de fide agitur, majus & superius est Concilio Papæ & Cardinalium, & ipsum solvit & tollit, si ipsi repugnant. Cum ergo pro defensione juris Imperii, quod est à jure divino, & fidei catholicæ, *appellamus ad generale Concilium* in loco tuto & securo congregandum: sequitur, quod appellatio nostra fuit interposita ad superiorem, ad quem legitimè potuit appellari. *Papa habet superiorem.*

Testimonium Alberti Krantzii de Ludovico Bavaro.

LVdovicus interea Romanorum Rex vocatus, venit in Italiam, excipiturque perbenignè à Gibellinis, qui partes foverent Imperii, pervenitque in urbem Romam, excipientibus eum Proceribus Romanis solenni apparatu. Habebant autem primores Romani magistratum, quem appellavere Vicariatum, quem tum Stephanus Columna gerebat. Is à Clero populoque interpellatus, coronam Ludovico dedit Imperialem: qua ille percepta, cum aliquandiu gyrationes vertiginosas Italorum in suis partialitatibus ridens conspexisset, in Germaniam revertitur: conventuque convocato per magnifico in Francofordiam, ad quem etiam vocaverat Reges Imperio non parentes. Venerat Rex Angliæ Imperio *9. Sax. 15. p. 239. edit. Francof. 1579.*

nihil

nihil debens. Aderat Rex Bohemiæ Ioannes Henrici VII. F. cæterique regni tam ſpirituales quàm ſeculares Principes. Ibi conſtituta ſunt multa quæ ex dignitate Imperii tum ſunt viſa. * Inter alia verò quod electus à Principibus, aut à majore & ſaniore parte, adminiſtrationem habeat citra aſſenſum Pontificis; nam ea quæ præter hæc introducta ſunt, nec divino jure, nec ulla patrum ordinatione, ſed blanda quorundam aſſentatione & Rom. ſpontanea ingeſtione Pontificum provenerint: electus inſinuatur Romano Pontifici, quod ſit Princeps catholicus juſtus, Imperio dignus, petaturque coronatio: quæ (niſi obſteterit manifeſta cauſa) ſi negatur, ſumatur conſecratio à quovis catholico Pontifice, Nam omnes illę ſolennitates per Eccleſiam introductæ fuerunt. Quis enim Romanus Pontifex conſecravit Conſtantinopolitanos Imperatores? Et quis ante Carolum multos Chriſtianos Cæſares? & ante Conſtantinum quis conſecravit ethnicos Imperatores?

* Verba hæc: *Inter alia &c.* uſque ad finem, delevit Iudex Expurgatorius pag. 19.

Deinde ordinatum eſt quod Imperator præſtabit Pontifici & Eccleſiæ defenſionis, devotionis & humilitatis, non fidelitatis, homagii, aut ſubjectionis juramentum: quia temporalis Dominii Papa Imperatori nihil tribuit, imò Eccleſia omnia illa ſumpſit ab Imperio. Gladius enim uterque nihil habet commune, cum alter animam, alter corpus ſolum conficiat. Ibique decreto firmatum eſt, quod vacantis Imperii adminiſtrationem Papa habeat, nulla ſcriptura, nulla ratio, ſed ſola uſurpatio introduxit. Hæc tum principibus in cœtum Imperii congregatis viſa fuere in rem Chriſtianam obſervanda. Sed luit Germania pœnas diviſionis ſuæ: quæ ſi unum ſentiret, pareretque ſuo capiti, quomodo in Anglia & Francia Principes, Regi, rectè illi omnia procederent. Nunc verò experitur quod verbo veritatis diſcere & cavere debuit: Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.

CCLXXV. *Carolus Quartus, Imperator.*

LVdovico ſucceſſit in Imperio Carolus IV. Bohemiæ Rex, Aur. Bullæ author. Quid is de Romaniſtarum ſpiritualiumque ſpiritu ſenſerit, facilè ex ſequenti
Pag. 384. hiſtoriola apparebit; quam quod lectu digniſſima eſt, totam ex Paralip. Vrſpergenſis adſcribam. *Circa hæc tempora Carolus Imperator Moguntiæ Comitia habet cum Archiepiſcopis, Moguntinenſi, Treverenſi & Colonienſi. Aderant quoque Saxoniæ & Bavariæ Duces. Iſtuc Pontifex miſerat Legatum, Epiſcopum Canalcenſ. pro ſubſidio Cameræ, Quem cum Imperator præſentibus Principibus audiviſſet, reſpondit:* Domine Legate, Papa miſit vos ad Germaniam, in qua magnam pecuniam corraditis, ſed in Clero nihil reformatis. *Adſtabat autem Cuno de Falckenſtein, Canonicus Moguntinenſis, cum caputio precioſo, aureis & ſericis ligaturis conſuto, quod Imperator ſuo capiti imponens, inquit:* Sum ne in caputio Cunonis plus militi, quàm Clerico

rico ſimilis: *Et intuitus Gerlacum Archiepiſcopum Moguntinum, ſic affatur:* Domine Archiepiſcope, vobis præcipimus ſub ea fidelitate, qua nobis aſtringimini, ut Clerũ veſtrũ reformetis, tollatisq; abuſum in veſtibus, calceis, capillis, & toto vitæ habitu. Quod ſi nõ fecerint, mandetis fructus beneficiorum ſuorũ occupari, & Fiſco noſtro præſentari, quos nos in honeſtiores uſus convertemus. *Colloquio iſto peracto, Pontificis Legatus non diu Moguntiæ hæſit, ſed quaſi fugitans, navi conſcenſa, Coloniam ſolvit.*

CCLXXVI. Fridericus III. Cæſar.

DE Sigiſmundo Cæſare poſtea dicetur in Concilio Conſtantienſi. Iam pauca de Friderico Cæſare, patre Maximiliani, dicam. Tempore Baſilienſis Concilii, nempe Anno Domini 1441. habuit is Cæſar Conventum Imperii Moguntiæ, ubi præcipuè deliberatum eſt de rebus Eccleſiaſticis, nempè *de Concilii Baſilienſis authoritate, & minuendis oneribus* ſeu *exactionibus quas Papa Eccleſiis Germanicis totiq; Germaniæ imponebant*, quibusq; eam penitus exugebant; nam Papa Baſilienſe Concilium, quod prius ipſemet indixerat & confirmarat, evertere volebat. Id perniciosum Germani ac Imperator Eccleſiæ & Imperio fore putantes, de reſiſtendo ejus audaci tyrannidi deliberabant. Volebant præterea tolli omnes Annatas, Reſervationes, item omnes ſumptus pro palliis, confirmationibus aliasque malas Papæ artes, quibus Germaniam deglubebat. Habeo Articulos ejus deliberationis. Extat *Epiſtola Friderici Imperatoris ad Regem Galliæ*, in fine Clemangis impreſſa, qua eum hortatur, ut ad illum conventum veniat, aut ſaltem aliquos eximios viros Legatos mittat, quo de rebus Eccleſiæ deliberare inter ſeſe poſſint. At contrà Papa per Legatos à Gallo petiit, ne vel ipſe eò proficiſceretur, vel ullos Legatos eò mitteret ſe inconſulto. Omninò apparet ex utraq; contraria petitione, & præſertim ex prædicta Friderici Epiſtola, eum Cæſarem magnum quippiam de rebus Eccleſiaſticis, magnoq; ſtudio in animo voluiſſe. Graviter certè orat & obſecrat Regem Galliæ, ut velit perpendere ſummas Eccleſiæ difficultates, & ad deliberandum de eis ſanandis ad prædictum conventum venire, &c.

Extat etiã T. 2. Conſtitut. Goldaſti Imp p. 407, 408.

De hoc Moguntino Conventu vide commentaria Sylvii de Baſilienſi Concilio, ubi prolixè de eo leges. Molinæus ſcribit, bis inſtitiſſe acriter ordines Imperii apud eum, ut cohiberent Romaniſtarum rapacitatem; ipſumque Imp. id facere primo ſeriò conatum; ſed mox à Romanis, & præcipuè à Sylvio mollitum elanguiſſe, ut ſanè fuit homo lentus & remiſſo animo. Verùm hunc Molinæi locum, & prædictos Articulos ſeu Gravamina, in titulo *de Gravaminibus* integrè adſcripſimus. De Maximiliano item, quid & is conatus in hoc eodem genere ſit alibi annotatum eſt.

* Aciſamenta, ut vocantur, quæ tempore Baſilienſis Concilii Moguntiæ fuêre deliberata, extant Tom. 1. Conſtit. Imp. Goldaſti p. 403, ſeqq.

CCLXXVII. *Marsilius Patavinus.*

Insigne scriptum contra primatum Pontificis aliosq; errores

MArsilius Patavinus vixit anno 1324. edidit insigne opus, quod inscripsit, *Defensor pacis*, *pro Ludovico Cæsare*, *contra Papam Ioannem XX.* quodque nunc impressum extat. Contraxit quoque eundem librum jam olim in compendium pius aliquis, & non indoctus vir; quod compendium ego habeo. Multa in eo opere Marsilius juxta eruditè ac piè contra Papam disputat; ut, omnes Episcopos & Sacerdotes esse æquales, nec habere Papam super alios Episcopos superioritatem aliquam, multò minus super Cæsarem, aut alios politicos gubernatores. Summum judicium debere esse penes verbum Dei. In Concilium, ad cognoscendum & judicandum, non tantum spirituales, sed & laicos eruditos piosque admittendos. Clerum & ipsum Papam debere esse subjectum magistratibus. Ecclesiam esse universitatem fidelium. Ecclesiæ fundamentum & caput esse Christum: nec constituisse Christum aliquem unum Vicarium, nec Papam. Episcopos eligendos esse ab Ecclesia & Clero suo. Conjugium sacerdotum piè concedi posse. S. Petrum nunquam fuisse Romæ. Papisticum cœtum seu Synagogam esse speluncam latronum. Doctrinam Papæ non esse sequendam, quia ducat ad æternum exitium. Corruptos Christianorum mores ex turpitudine spiritualium profluere. Disputat etiam in alio quodam opere De gratuita justitia. Merita extenuat, & dicit ea esse causam salutis sine qua non. Hæc cum tam multa piè doceat, & Papæ errores confutet, non immeritò dicit esse singulare Dei donum, quod ipse fermè solus Romanorum Pontificum sophismata solvere possit. Habeo & alium parvum Marsilii libellum; *De translatione Imperii à Græcis ad Germanos*, quem libellum anno superiori Basileæ imprimendum curavi. Damnavit Marsilium ejus adversarius Ioannes XXII. in suo Extra justitiam vagante. Non dubitanter autem affirmo nullum scriptum extare contra Papam ex veteribus præstantius hoc, sive eruditionem, sive copiam & libertatem spectes. Vidi in vetusto quodam codice tractatulum, cui nomen Marsilii erat adscriptum, in quo probatur, quod potestas coactiva tantum ad Imperatorem pertineat; sed erat nomine Ludovici Cæsaris scriptus.

Extat inter Opuscula à Schardio edita p. 224 seqq.

Eodem tempore vixit Vlricus quidem Augustanus, Secretarius Imperatoris intimus, qui Ioannem Papam solitus est appellare bestiam à mari ortam; de qua in Apocalypsi.

* VVolfius Cent. 14. Lect. Memor. p. 615, 616, 617, 618.

CCLXXVIII. *Ioannes de Ianduno.*

IOannes de Ianduno, Gandaviensis, vir longè eruditissimus, circiter ante 230. annos,

annos, eadem planè dogmata cum Marsilio Patavino defendisse contra Papam dicitur; præcipuè verò primatum Papæ oppugnavit, damnatusque est eodem decreto Ioannis XXII. cum Marsilio. Sic autem id decretum incipit: *Licet intra doctrinam Apostoli*, &c. Scripsit quoque multa Philosophica super Aristotelem & Averrhoem, quæ & olim in precio fuerunt, & adhuc hodie sunt. An verò aliqua ejus Theologica usquam terrarum inveniantur, ignoro. Si quæ tamen alicubi adhuc extant, haud dubiè eximia sunt.

* VVolfius Cent. 15. Memor. Lect. p. 914.

CCLXXIX. *Wilhelmus Occam.*

Veritatis adversus Papatum patronus eximius.

Wilhelmus Occam floruit circa 1320. annum, id est, fermè ante 230. annos. Scripsit dialogus in defensionem Ludovici Bavari, contra Ioannem 22. Item opus titulo Nonaginta dierum, in defensionem Michaelis generalis Minoritarum itidem à Papa pro hæretico excommunicati. Est autem aliquantò difficilius statuere, quid Occam contra Papam vel senserit vel docuerit, quòd sic scribit, nō tanquam qui suam sententiam indicet, sed qui alienas opiniones, easque inter se diversas, earumque rationes recitet. Si tamen eas statuere debemus, esse ejus sententias, quas firmis rationibus fulcit: tunc sanè sensit, Papam non habere primatum jure divino, Petrum non habuisse primatum, Petrum nunquam fuisse Episcopum Romæ, Papam posse errare, Papam judicandum esse à Concilio, Totam Romanam Ecclesiam posse errare, Papam nullum jus habere super Imperatorem, & similia complura.

In compendio errorum Iohan. 22. clarè & asperè accusat, & redarguit cum de multis erroribus. Si extarent & alii sex tractatus, qui desunt, fortassis ibi plura, clariora & graviora, quæ contra Antichristum asseruit, reperirentur: sed ea prætermissa testatur Ascensius in præfatione, quòd essent aliquantò asperiora.

Dialogus inter *Clericum* & *Militem*, contra nimiam libertatem Clericorum, qui vulgò extat, ejus est. Reprehendit quoque luxum & fastum, vitamq; omni scelere perditam, & contaminatam, Papæ & spiritualium. Ob hanc in dicenda asserendaq; veritate libertatem, est à Papa excommunicatus. Sed ita constanter injustam Pontificis excommunicationem contempsit, ut & mortuus in ea sit. Habetur alioqui etiam ab ipsis Papistis pro Sancto.

Illud verò vel in primis notatu dignissimum est, quod in præfatione Dialogorum discipulus ad Occam dicit hisce verbis: *A te autem specialiter hoc opus efflagito, non solum, quia te reputo præ aliis eruditum; sed etiam, quia te video circa controversiam præfatam singulariter occupatum. Omnes enim libellos & opera adversariorum contra Dominum summum Pontificem niteris congregare, in quibus sine intermissione studes*, &c. Vnde apparet nec pauca, nec inerudita scripta, in quibus tantus

Sleidani testimonium. vir tantopere occupatus fuerit, tunc contra Papam edita à doctis piisque viris fuisse: Verùm quoniam Sleidanus admodum commodè & eleganter summam sententiarum Occam, præsertim quas ille contra Papam defenderit, in sua historia exposuit, ejus quoque verba adscribemus.

Guilielmus Occam, Ludovico Quarto Cæsare floruit, ad annum salutis M. CCC. XX. & inter alia de summi Pontificis potestate scripsit, quo quidem in libro quæstiones octo variè tractat, & multipliciter: An munus Pontificium simul & Cæsarium ab eodem administrari possint; An Cæsar à solo Deo, non etiam à Pontifice Romano potestatem acceperit; An authore Christo Pontifex & Ecclesia Romana facultatem habeant, ut Cæsari cæterisque Regibus jurisdictionem committant exercendam; An Cæsar electus plenum habeat hoc ipso jus administrandi remp. an cæteri Reges, præter Cæsarem & Romanorum Regem, eò quòd à sacerdotibus inaugurantur, aliquam ab eis accipiant potestatem: an ejusmodi Reges ullo modo subjecti sint inaugurantibus; An si novum adhiberent sacrificium: aut diadema sibi sumerent ac imponerent ipsi, titulum atque potestatem Regalem amittant: an septem viri Principes Electores tantum juris conferant Electo Cæsari, quantum cæteris Regibus legitima successio. Multis in utramque partem expositis argumentis atque rationibus, ut dixi, pro magistratu civili plerunque decidit: & per eam occasionem meminit Ioan. 22. Pontificis qui tum vixit, & leges fecerat, uti vocant, *Extravagantes*, insertas juri Pontificio: quas quidem omnes ait à multis reprehendi tanquam hæreticas, & omnino falsas. Deinde recitat errores ab aliis animadversos, in illius non modo libris, verùm etiam sermonibus: & homines sanos mirari dicit, tantam illis haberi fidem. Sed hoc nimirum esse tempus, de quo Paulus ad Timotheum scripsit, fore ut homines vera neglecta doctrina, novos quærant magistros, qui serviant ipsorum auribus, & ad fabulas abducant. Hunc enim esse præsentis temporis statum, ut plerique omnes non quæ Christi, quæ Apostolorum, quæ Patrum doctrina fuerit inquirant: sed quid Pontifex fieri velit atque jubeat, auscultent.

* V. Volfius Cent. 13, Memor. Lect. p. 607, seqq.

CCLXXX. *Donatio Constantini Magni.*

Mendaciũ de donatione Constantini Magni ab ipsis Papisticis scriptoribus solidè refutatum.

DOnationem Constantini, quam vocant, in qua Constantinus (si fas est credere) donavit Papæ primùm *dominium spirituale supra omnes Ecclesias orbis terrarum*, deinde *Regia insignia*, postremò, & *temporale dominium supra totum Occidentem*, multi improbarunt; ut primùm. Dantes in sua Monarchia, Marsilius Patavinus in suo Defensore pacis, circa annum 1324. Laurentius Valla proprio scripto, circa 1440. Antonius Archiepiscopus Florentinus in sua historia, qui negat in vetustis codicibus Decretorum illam donationem inveniri.

Circa idem tempus Cuſanus Cardinalis lib. 3. Cap.2.eandem oppugnavit, quam quidem ſuam ſententiam etiam ad Baſilienſe Concilium mittere non eſt veritus,circa annum 1460.Vterque ſanè, Valla & Cuſanus, diligenter cauſam tractarunt: tamen Valla longè prolixius, ac veluti ex profeſſo, cum alter tantum breviter de re dicat. Oppugnavit eam & Hieronymus Paulus Cattalanus, Cubicularius Alexandri 6.in ſua practica,circa annum 1496.qui & Papæ Pii dialogum contra eandem donationem citat. Reprehendit vanitatem hujus donationis & Ottho Friſingenſis. Item Raphael Volater.in vita Conſtantini,circa annum 1500.Omniũ tamen firmiſſima eſt Curtiſani refutatio.

* Cuſanus 3. de Concord. Cathol. 2. p. 608. ſeqq. edit. Baſ.

Sed illud credo inter cætera argumentum non poſtremum eſſe, quòd tamen ab aliis prætcritur : Quòd ſi Conſtantinus primatum Papæ Sylveſtro ſtatim poſt baptiſmum donaſſet,nunquam profectò in Concilio Nycæno (cui interfuit)paſſus fuiſſet decerni,ut Epiſcopus Romanus tantum ſuburbanis Eccleſiis præeſſet.Nihil enim id aliud fuiſſet, quàm irritam facere ſuam donationem, paulò antè tam ſolenniter tamque grandibus verbis factam,ac tam ſanctè confirmatam.Parum memoris verò mendacis poetæ & illud indicium eſt, quòd cum alioqui clamitent Papæ, ſe divino jure primatum habere : tamen ibi fingit, eum ipſis Conſtantinum donaſſe.

Commentariis Æneæ Sylvii de Concilio Baſilienſi,Coloniæ anno 35.impreſſis,adjunctæ ſunt iſtæ refutationes Donationis Conſtantini ; & præterea adjecta multorum hiſtoricorum, qui de rebus Conſtantini Magni ſcripſerunt,teſtimonia. *à fol. 66. uſq; ad f. 81.* Ex quibus liquidò cuivis apparet totam illam donationem fuiſſe eis ignotiſſimam, atque ideo haud dubiè poſtea à Papis impudenter confictam. Sed dubio procul contra iſtud commentum eſt validum & illud argumentum,quo & Antonius Florentinus utitur, quòd adhuc hodierna die inveniuntur exemplaria,quæ iſtam donationem non habent, quorum & ego duo vidi. Apparet enim poſtea demùm confictam & inſertam, ſicut in Iovis Panormiam.

* Vide Fr. Guiciardini hiſtoriam de bello Italico lib. 4. ſect. 12. ibi enim de eâdem falsâ donatione agit. Goulart. p. 770.

CCLXXXI. *Robertus Gallus*.

FRater Robertus, Gallus natione, cujus opuſculum abbreviatum cum Hildegardi,Pariſiis impreſſum eſt, floruit ante 260.id eſt,circa 1290.Viſiones multas habuit, quas recenſet. Præcipuè autem, imò fermè ſolum contra ſpirituales concionatur. Capite quinto vocat Papam *idolum*, vel potius Deus ſic eum per Robertum vocat,inquiens: *Quis poſuit idolum hoc in ſede mea,ut imperaret gregi meo? Aures habet,& non audit clamorem plangentium & deſcendentium ad inferna;clamorem buccinæ & tonitruorum tremendas voces exuperat ululatio eorum. Oculos habet, nec*

Viſiones & conciones contra Papatum.

Deus loquẽs inducitur contra Pontificem.

respicit abominationes populi sui, & debacchationes voluptatum eorum, quanta maligna operatur populus ejus coram me, nec videre ea vult, nisi congregare possit, ex eis thesaurum, os habet, & non loquitur, dicens: Constitui super eos, qui loquantur eis bona, sufficit, ut per me vel alios faciam bona. Væ idolo, *væ ponenti: quis æquabitur huic idolo in terra? Magnificavit nomen suum in terra dicens: Quis me subjiciet? Nunquid domus mea nobilibus terræ copulatur? Dapibus super excellentior sum: equites equitantes serviunt mihi. Quod non consueverant Patres mei, fit mihi. Ecce domus mea sternitur argento, aurum & gemmæ sunt ornamentum ejus*, &c.

In primo capite, & 12. sub nomine *serpentis* depingit Papam, seu Antichristum: quem dicit se supra modum extollere, & pios, qui pauci sunt, opprimere & habere multos pseudoprophetas, qui neglecto Dei & Christi nomine, illum solum prædicent & extollant, ac nomen Christi obscurent. Ecclesiam Romanam & Papam hisce verbis depingit: Orabam flexis genibus erecta facie ad cœlum, juxta altare S. Iacobi Parisiis à dextris: & vidi in aëre ante me corpus unius summi Pontificis, albis sericis indutum, tenebatque dorsum ad Orientem elevatis manibus ad Occidentem, sicut solent Sacerdotes stare, dum agunt Missarum decreta: nec videbatur caput ejus, diligentiusque intuens, an esset omnino sine capite, vidi caput ejus aridum, macilentum, ac si esset ligneum, dixitque spiritus Domini: Statum Ecclesiæ Romanæ significat.

Indicavit quoque admodum apta similitudine, in visione sibi à Deo ostensa, quo modo Monachi, Sophistæ & Sorbonistæ, neglecto ac post tergum rejecto syncero salutarique Dei verbo, seu sacris literis, laborent & sudent circa inanes & inutiles quæstiones: idque eos perinde facere, ac si quispiam habens optimum panem, & vinum in copia, id post tergum projiciat, & lapidem manibus tenens rodat. Similis est fermè parabola Esaiæ initio 55. cap. Sed ascribam ejus verba: *Iterum & alio die idem operis me agente, fui videns in spiritu. Et ecce vir ejusdem habitus circuibat, panem delicatum portans in humeris, cum vino optimo, dependebantque panis & vinum per latera ejus, ipse verò tenebat manibus lapidem oblongum durissimum, dentibus rodens illum, ut famescens circa panem agere solet, nihil autem agebat. Et de lapide egrediebantur duo capita serpentum, & instruebat me spiritus Domini dicens:* Lapis hic, quæstiones inutiles & curiosæ sunt, in quibus famescentes laborant, animarum substantialia relinquentes, *& dixi:* Quid ergo capita illa dicunt? *Et dixit:* Nomen uni *Vana gloria*, alteri *Religionis dissipatio*.

Denique & *reformationem Ecclesiæ* in hac sequenti visione prævidit: *Factum est autem, dum eram in eadem civitate, in domo cujusdam Domini Britonis, loquente mecum quibusdam, vidi crucem quandam perlucidam de argento, ad modum crucis Comitis Tholosani; sed poma illa duodecim, quæ sunt in brachiis crucis, erant sicut quædam poma vilia multum, quæ projicit mare, & dixi,* Quid est hoc Domine Iesu? *Dixitque ad me spiritus:* Crux hæc, quam vides, Ecclesia est, quæ futura

tura est lucida per munditiem vitæ, sonora per claram vocem prædicationis veræ veritatis. *Solicitus dixi:* Quid ergo significant illa poma vilia? *Et dixit:* Humiliatio Ecclesiæ futura est.

Fuit autem hic Robertus Gallus nobili genere ortus; primumque Prælatus, postea studio pietatis factus est Dominicanus, sed nimirum divinitus edoctus est, quòd lapidem monasticarum traditiuncularum pro simplici synceroque Christianismo quæsiverit. Prædixerat hic pius vir, ut in quodam Chronico legi, Deum puniturum esse cleri simoniam & avaritiam tanta peste, ut rivi sanguine fluant: quod & factum est. Nam cum plurima cadavera in unum tumulum congererentur, seque invicem suo onere comprimerent, adveniente etiam majore pluvia copiosissimè ex eis sanguis profluxit.

* Verba hæc omittit Goulartius p. 685.

Audio inveniri adhuc ingens volumen ejus visionum; nam quæ edita sunt tantum compendium est.

* Wolfius Cent. 13. Lect. Memor. p. 577. & 578.

CCLXXXII. *Ioannes XXII. Papa.*

IOannes XXII. Papa, qui vixit ante 220. annum, constanter, editis etiam pluribus scriptis, asseruit contra Mendicantes hosce Articulos. Quòd Christus nunquam præcepit, vel consuluit Christianis, ut sua bona desererent: sed ut non essent nimium soliciti de suis rebus, aut amarent eas: jussisse affectu deserere rem familiarem, & non facto ipso. Quòd non dederit aliam pietatis regulam Apostolis, quàm aliis Christianis quibuscunque. Quòd cum perfectione Christiana non pugnet possessio bonorum stabilium aut mobilium. Quòd Apostoli nunquam voverunt votum paupertatis, seu deserendi sua. Quòd Apostoli & alii pii, piè potuerint & possint litigare pro rebus temporariis. Quòd votum nihil faciat ad perfectionem. Maximæ ob istos Articulos fuerunt contentiones & turbæ. Sed tamen Monachi quoquo modo vexati, tandem prævaluerunt. Nimirum id satan obtinere voluit, summam pietatem esse, si validi mendicent, id est, pietatis prætextu, alieno sudore suaviter fruantur, eoque nomine sanctos se, ac veluti quosdam semidivos mundo jactitent, venditent, & ostentent.

Aventinus scribit, hunc Papam etiam Monachas quasdam, quæ *se Beginas* vocant, ad conjugium compulisse. Item picturas, præsertim Trinitatis, detestatum ac persecutum esse: quòd res ad idolatriam & Anthropomorphitarum hæresim declinaret. Memoratu sanè dignum est, & ab instituto nostro non alienum, quòd Iohan. Mandavilla lib. 1. cap. 7. de hoc Papa scribit. Refert enim, eum prolixè & ampulosis verbis ad Græcos scripsisse, unicam tantum esse Ecclesiam,

uni-

unicumque ejus caput, nempè se Christi Vicarium: perituros que omnes, si tam præclaro capiti non adhæserint. Quare monuisse, ut quamprimum resipiscant, & sibi obediant.

Verùm Græcos breviter respondisse: *Potentiam tuam summam circa tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non valemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Quo Laconismo compendio totam rationem & statum nostri Papæ judicant; nempe esse tristem tyrannidem, ingentem ac intolerabilem superbiam, & inexplebilem avaritiæ voraginem. Quare etiam meritò diabolum cum tali suo vicario, non Deum esse, eumque regere.

Pecuniosissimus hic Papa fuit; nam scribit Matthæus Palmerius, Florentinus eum reliquisse in thesauris 25. milliones aurearum drachmarum, id est, ducatorum. Legi in quodam Chronico, quod Robertus Gallus, de quo paulò antè, eum & Cardinales coram de avaritia & simonia objurgaverit.

CCLXXXIII. *Ioh. Scotus.*

IOannes Scotus floruit anno 1300. Is lib. Sen. 4. Dist. 18. queritur, excommunicationem & claves in nimium abusum conversas, ita ut sicut olim rarò, & non nisi ob justissimas causas homines excommunicabantur, eoque excommunicatio à Christianis valde timebatur & magni fiebat: ita, quia nunc contra crebrò & ob futilissimas causas, ut ob non solutos in tempore sacerdotum redditus, excommunicatio fiat, vilescat & contaminetur.

* Multa extant in ejus scriptis, quæ à Thomistis & ejusmodi scholasticis impugnantur. Goulart. p. 684.

CCLXXXIV. *Eudo, Dux Burgundiæ.*

EVdo, Dux Burgundiæ, circiter ante 200. annos imperavit. Is suasit Regi Galliæ, ne novas Paparum constitutiones, *Decretales* scilicet & *Extravagantes*, in suo Regno recipi ac magnifieri pateretur. Videbat ille nimirum eas leges, sicut & Budæus testatur, nihil aliud esse nisi fraudulentos quosdam laqueos & insidiosa retia, quibus Papæ eorumque Prælati omnes fortunas ac dignitates laicorum, tum publicas tum privatas ad sese rapiunt ac pertrahunt. Consilium ejus prudenter scriptum adhuc extare in Regiis Regestis, Carolus Molinæus testatur,

CCLXXXV. *Gregorius Ariminensis.*

Gratia Dei hostes impugnat.

GRegorius Ariminensis, vir (teste Trithemio) tum eruditionis tum pietatis nomine percelebris, adeò dissensit à Scholasticis, ut eos Pelagianis deteriores asseruerit. In doctrina De libero arbitrio, & gratia, rectè nobiscum sensit, contra

Sophistas

ſophiſtas, & * papiſtas. Floruit Pariſiis circa 1350. Chriſti annum: id eſt, ante ducentos annos. Sic & Andreas de Caſtro & Ioannes Buridanus diſputant de libero arbitrio contra alios ſententiarios, & veriorem ſententiam tuentur. Vide And. ſuper 1. ſententiarum diſtinct. 45. Et Buridanum ſuper 3. Ethnicorum. Floruerunt circiter ante 200. annos.

* Goulartius pro *Papiſtas*, Ponit *Pontificios Neopelagianos*, pag 805.

CCLXXXVI. Ioannes Vuicleph.

IOannes Vuicleph Anglus, vir doctus & pius, vixit ante annos 170. Multa contra Papam docuit: Non debere eſſe in Eccleſia aliquem ſupremum Epiſcopum; Papam non ſolum non eſſe vicarium Chriſti, ſed etiam Antichriſtum; Ejus privilegia, bullas diſpenſationes & indulgentias, eſſe tum otioſas ac inutiles, tum etiam impias. Spiritualibus non eſſe dandum dominium politicum. Papam ac ejus ſpirituales rapuiſſe claves regni cœlorum, & nec ipſos ingredi, nec alios permittere intrare. Tranſſubſtantiationem, Miſſas, Officia, Horas canonicas, & alias battologias improbavit. Ex baptiſmo ſuſtulit chriſma, ac ſimplici aqua baptizandos fideles docuit, ſicut Chriſtus fecit. Confeſſionem auricularem vel ejus abuſum improbavit. Reprehendit & papiſticam doctrinam de pœnitentia & ſatisfactione. Ait eſſe talem ſatisfactionem imponendam, qualem Chriſtus adulteræ impoſuit: *Vade & noli amplius peccare.* Tantum duos miniſtrorum ordines eſſe debere judicavit, nempe Presbyteros & Diaconos. Sacramentum confirmationis & extremæ unctionis plane improbavit. Venerationem reliquiarum & ſanctorum reprehendit. Affirmavit doctores ſummos & infimos tantum eatenus audiendos quatenus verbum Dei afferunt. Ritus humanos & novas umbras ac traditiones planè rejecit. Negavit cuiquam licere quicquam addere ad religionem in ſacris literis comprehenſam, eamque facere difficiliorem, ſicut Papam feciſſe queritur. Baſilicas, & totam iſtam pompam cultus Papæ, item & varios ſpiritualium gradus tollendos putavit. Ordines Monachorum tanquam ſuperſtitioſos, impios, & veræ religioni plurimum noxios damnavit, & quamprimum deſerendos cenſuit. Accuſavit Papam ac ejus ſpirituales, quod multipliciter Eccleſiam aggravaverint, eamque libertate à Chriſto donata ſpoliaverint. Defendit quoque communionem ſub utraque ſpecie; ut ex damnatione Ioannis Hus apparet.

Oppugnator Pontificiorum errorum acer.

Præter hæc porrò tribuuntur quoque ei ab adverſariis quædam parum pia, quæ nequaquam probari debent. Sed ſuſpicor ea parum bona fide ab iſtis ſycophantis Papæ ex libris Vuiclephi extracta eſſe; quamquam non negem, eum in aliquibus revera parum rectè ſenſiſſe.

Teſtatur etiam ſuo tempore plures fuiſſe, qui debilitato per ſchiſma papatu (erant enim tunc duo Papæ, ſe mutuo conficientes) veritatem profiteri auſi

 ſint.

ſint. Scripſit alioqui VViclephus, teſte Balæo, ultra ſeſquicentum ſcripta in diverſis ſcientiis, præſertim autem in Religione, quæ adhuc pleraque in Anglia extant. Narrat præterea Sylvius, Epiſcopum Pragenſem ſub initium certaminum Huſs, libros VViclephi ad ſe contractos exuſiſſe; fuiſſeque ad ducenda volumina, ſed haud dubiè non omnia inter ſe diverſa. Volumen ejus *Dialogorum* in quatuor libros partitum, eſt alicubi in Germania anno 1525. impreſſum. In ultimo ex prædictis quatuor, potiſſimum contra Papam & ejus errores pugnat. Habeo ejus librum *De Religione privata*, qui fortaſſe aliquando prodibit, habeo & *De Ideis*. Damnatus autem eſt primùm à Magiſtris Scholarum in Anglia. Deinde in quodam conciliabulo Romano, poſtremò & in Conſtantienſis. Multa eaque graviſſima certamina habuit cum Papiſtis; ſed protegente eum Domino Deo, tutus uſque ad mortem optimi Regis Eduardi Tertii, qui ei ſedulò favit, permanſit. Poſtea aliquandiu apud Bohemos exulavit. Verùm domum tandem reverſus eſt & in ſua parochia ſatur, ut Scriptura loquitur, mortuus eſt ann. 1387. Amiſit eo tempore Papa, Authore VViclepho, jus obtrudendi Eccleſiis, quos ei liberet Epiſcopos, jus imperandi decimam bonorum Eccleſiaſticorum, & Petri denarios, quos ei annuatim ex Anglia ſingulos ex ſingulis domibus, dare cogebantur.

Diſcipuli Wicleph.

Reliquit poſt ſe multos doctos diſcipulos, qui & vivente eo, & poſt mortem, multa certamina cum impiis Papiſtis habuerunt, multaque ab eis ſunt perpeſſi. Nomina quorundam ſola recitabo; nam eorum ſcripta & res geſtas enumerare nimis longum eſſet. Gualterus Britte, Iohannes Aſtone, Iohannes Aſchvvarbi, Nicolaus Herforde, Iohannes Puruer, Richardus VVith: Iohannes Oldecaſtel eques auratus, qui martyrio fidem ſuam confirmavit: Petrus Clarke, Guilhelmus Taylur, Guilhelmus Vithe: Ricardus Hampole, de quo ut non certò conſtat, eum fuiſſe VVuiclephi diſcipulum, ita certum eſt, eum ſpirituales Papæ de avaritia, libidinibus, & verbi Dei corruptione accuſaſſe: Petrus Payne, Philippus Noris, Iohannes Treviſſa, Iohannes Capgrave. Hi omnes fuerunt celebres Doctores, ac plerique etiam libros pro ſuo dogmate reliquerunt, quanquam de duobus ultimis affirmare non auſim, eos fuiſſe VViclephiſtas. Cadaver ejus annis 41. poſt ſepulturam, nempe anno Domini 1428. è terra effoſſum eſt. Vitam ejus & res geſtas prolixius ex Baleo cognoſcere, ſi libet, potes.

* Subjecit hic quædam Goulartius pag. 811 & 812 ex Faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum, quæ videbis unà cum aliis in Faſciculo fol 133. ſeqq.

CCLXXXII. *Johannes Huß, & Hieronymus de Praga.*

Certamina & afflictiones Huſſi.

WAldenſium doctrinam, vel potius Chriſti Evangelium, inſtauravit poſtea Iohannes Huſs & Hieronymus de Praga, Bohemi, anno 1400. Sylvius enim claré affirmat, eos VValdenſium dogma amplexos eſſe. Sunt tamen & VViclephi

ſcriptis

scriptis adjuti. Addiderunt præterea Articulum (ut Sylvius indicat) de communione sub utraque specie, & de gratuita justificatione; quanquam non dubito, quin & VValdus doctrinam de gratia Christi diligenter tradiderit; sed tamen inter Articulos, qui ei tanquam hæretici objiciuntur, de *fide* & *gratia* nulla fit mentio. Tempore VValdi porrò *Communio sub utraque specie* adhuc in usu fuit etiam apud Pontificios. Vterque in Concilio Constantiensi, contra publicam datam eis fidem, fermè indicta causa, condemnati sunt. Iohannes quidem anno 1415. Hieronymus verò sequenti exustus est; constanti uterq; martyrio (ut etiam ipsi eorum hostes fatentur) suam doctrinam confirmavit. Audio vulgus, quod supplicio Huss interfuit, ita admiratum ejus constantem piamque mortem, ut dixerint: *Quid iste homo antea docuerit aut fecerit, ignoramus; certè ista sunt maxima veræ pietatis indicia.* Ardentissimè enim orasse paulò ante mortem dicitur. Maximè tamen inter cætera memorabile est, quod traditum est, eum paulò ante mortem ad spirituales Concilii dixisse, *Centum revolutis annis Deo respondebitis, & mihi.* Invenitur idem dictum & in Hussitica quadam moneta, ante hæc tempora cusa. Fuit enim verè prophetia de venturo alio Doctore, qui eandem causam paulò fœlicius invitis portis inferorum egit; nam cum Huss anno 1415. sit interfectus, Lutherus cœpit anno 1517. Papatum oppugnare. Dicitur quoque & illam prophetiam paulò ante mortem edidisse: *Me jam*, inquit, *anserem* (nam id Huss Bohemicè significat) *assatis*; *sed veniet postea cygnus, qui vobis aliquantò melius cantabit, nec tamen eũ assare poteritis.* Quæ potest videri prophetia de amplissimis Lutheri donis, deq; parrhesia (*magnanimitate* posuit Goulartius p. 827.) ac fœlici usque ad mortem in instauranda Ecclesia & affligendo Antichristo successu: Quem Dei virum penè omni ope humana destitutum, totus fermè mundus opprimere cum rabiosè conaretur, nõ potuit. Sed extant ipsius sanctissimi viri Iohannis Huss scripta multa, partim impressa, partim scripta, ut me de ejus dogmate disserere prolixius necesse non sit. Videatur ingens Volumen ejus Operum, quod Norimbergæ curavi edi.

* Sententias deficiens, latas contra Hussum & Hieronymum de Praga, recenset Autor Paralipom. Ursperg. p. 398. seqq. Ortuinus Gratius in Fasciculo Opusc. fol. 51.

Sequuta sunt ob istam injustam cædem, & quia Papa volebat vi retrahere Bohemos ad suas impietates, ingentia ac Germaniæ, quæ se Antichristi ministram in persequutione Bohemicæ Ecclesiæ præbuit, funesta bella. Reliquerunt Huss & Hieronymus post se, non tantum multos Doctores, sed & Ecclesias, quarum & adhuc quædam reliquæ supersunt. Sed sequutæ sunt multæ & miseræ distractiones earum Ecclesiarum, & Doctorum qui ab eo Religionem didicerant. Pars longè maxima & florentissima, cujus velut caput fuit Rochenzana, qui Archiepiscopatum Pragensem separabat & aucupabatur cadendo, rediit (desertis fermè plerisque piis dogmatibus, tanquam adiaphoris; retentaque sola communione sub utraque specie) ad Papisticam Religionem, facta etiam postea cum Antichristianis publicè concordia in Concilio Basiliensi. Alia pars ac præsertim ea qua

Ziſcam, de quo poſtea ſequuta eſt, *Taboritæque* appellati ſunt, doctrinæ Vualdenſium etiam magis adhæſerunt: quare & puriorem ipſo Hus religionem habuerunt.

Acres fuerunt inter haſce duas partes contentiones, de Miſſa, purgatorio, invocatione ſanctorum, ſeptem ſacramentis, traditionibus humanis, aliisque ſimilibus Papæ abominationibus; præſertim circa annum trigeſimum primum, ſecundum, tertium & quartum. De quibus etiam ſcripta quædam habeo. Summa, res fuit ſimillima noſtris, poſt Lutherum ſequutis, diſtractionibus, in quibus itidem maxima florentiſſimaque pars Eccleſiarum & doctorum, neglectis pleriſque piis dogmatibus, pauciſſimisque retentis, quibuſdam cum Papa ſeſe pacis cauſa conformavit, aut certè conformare eſt conata, imbecilliore interim parte nequicquam ei reclamante, Dominus Ieſus reducat declinantes à lege, ſuæque Eccleſiæ piam concordiam reſtituat. Amen. Pugnavit tamen & *Rokanſanus* contra craſſiores Papiſtas, præſertim autem contra Capiſtranum, pro *communione ſub utraque ſpecie*, non inſtrenuè. Sed non eſt noſtri muneris, qui jam tantum Catalogum recitamus, doctorum exponere ſequutas diſputationes, diſſenſiones & contentiones inter Huſſitas, poſt mortem viri Dei Hus. Verùm id integræ hiſtoriæ eſſet, quam utinam aliquando aliquis pius, diligens, doctusque fideliter conſcribat, nam Cochlæi magis invectiva, quàm hiſtoria, mendaciis pleniſſima eſt.

Epiſt. Rokenzaan ad Capiſtran. apud Vrſperg. Paralip. p. 409.

† Wolfius Cent. 15. Lect. memor. p. 748. ſeqq.

Eccleſia Græca Papalem tyrannidem improbat.

Rectè hic quoque, ſuoque loco inſeritur *epiſtola Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ad Pragenſem*, eo tempore ſcripta, quam mihi optimus vir dominus D. Caſparus Nidbruc communicavit. Cujus hæc ſunt verba.

Η ἱεροαγιάςης Κωνςαντινοπόλεως ἐκκλησία, ἡ μήτηρ πάντων τῶν ὀρθοδόξων καὶ διδάσκαλος, πᾶσι καὶ ἑκάςοις ἐνδόξοις καὶ υἱοῖς ἐν χριςῷ ἀγαπητοῖς τῶν Ποιμένων, τῇ ὑψηλοτάτῃ κοινότητι τῆς πόλεως Πράγας, τοῖς γενναίοις ἀνδράσι καὶ ἀνθρώποις ἄρχουσι, τοῖς καπιτανίοις καὶ δουξὶ καὶ βαρώνοις καὶ καβαλλερίοις Λαμπροτάτοις, καὶ τοῖς πνευματικοῖς ἀνδράσι διδασκάλοις, καὶ πᾶσι τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν πρεποσίτοις. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ τοῖς πολίταις καὶ ὀφφικαλίοις, ἔτι δὲ πᾶσι καὶ ἑκάςοισιν τοῖς ὅπου δήποτε ὑπάρχουσιν ἐν τοῖς ὑπερορείνοις μέρεσιν ὀρθοδόξοις, (ὡς ἀκούομεν) καὶ τῆς τοῦ χριςοῦ πίςεως ὁμολογηταις, τοῖς τὴν γραφὴν ταύτην τῆς μητρικῆς προνοίας θεωρήσουσιν, σωτηρίαν ἐν τῷ τῆς ἐνδόξου παρθένου υἱῷ, καὶ ἑκατονταπλάσιον τοῦ πνευματικοῦ καρποῦ τῆς ἡμῶν συμβουλῆς αὔξησιν.

Η ἱερὰ καὶ ἁγία νύμφη τοῦ οὐρανίου νυμφίου, ὅς ἐςι κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας ἁπάσης, μείζονα ἡδονὴν οὐ δύναται ἔχειν, ἢ τοὺς αὐτῆς υἱοὺς ἀκούειν ἐν τῇ ἀληθείᾳ περιπατοῦντας. Ἐπειδὴ τοίνυν οὐκ ἄνευ μεγίςης ἡδονῆς, καὶ ὡσανεὶ ἀρραβῶνος τῆς ἐπομένης καρποφορίας, ἡ αὔξησις καὶ ὁ πληθυσμὸς τῶν καλῶς πραττόντων ἐν τῇ ὁμολογίᾳ ἀληθοῦς πίςεως, εἰς τὰ ὦτα τῆς φιλοσπλάγχνου ταύτης μητρὸς ἐνήχησεν, καὶ μάλιςα τοῦ ἡμετέρου ἀδελφοῦ τοῦ υἱοῦ τῆς ἡμῶν ἐκκλησίας Κωνςαντίνου Αγγλικοῦ τοῦ διακομιςοῦ τῶν παρόντων, διδασκάλου καὶ αἰδεσίμου ἱερέως, ἐπληροφορήθημεν ἐνεργέςερον, ὅπως

ὁ πρὸς

οὐ πρὸς τοῖς νεωτερισμοῖς τοῖς ἐν τῇ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ γεγεννημένοις ὑπό τινων. Ἀλλὰ ἐν τῷ θεμελίῳ τῆς πίστεως ἐρηρεισμένοι ἐστέ, τῆς παραδοθείσης ἡμῖν ἐκ τοῦ ἡμετέρου δεσπότου, καὶ τῶν αὐτοῦ μαθητῶν, ἐκέλευσε αὕτη ἡ ἱεροαγία ἐκκλησία γράψαντε πρὸς ὑμᾶς, καὶ πρὸς τὴν μετ' αὐτῆς ἕνωσιν διαγορεύειν, οὐ κατ' ἐκείνην τὴν ἕνωσιν, τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ δεδοξασμένην, ἥτις διαίρεσις ἀπὸ τῆς ἀληθείας εὐλόγως ἂν ὀνομάζοιτο. Καὶ διὰ τοῦτο ἐκείνην οὐ προσεδεξάμεθα, ἀλλὰ μᾶλλον παντάπασιν ἠκυρώσαμεν, ἀλλὰ κατὰ τὸν τῆς ἀληθείας ἀπαρέγκλιτον κανόνα, ἐν ᾧ μόνῳ ἀληθῶς τε καὶ ἀσφαλῶς ἑνοῦσθαι δυνάμεθα. Οὐ γὰρ ἀμφιβάλλει ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία, ἐξ ὧν περὶ ἡμῶν ἤκουσεν ἀνενεχθέντων αὐτῇ ὡς εἴρηται, ὡς ἄρα ταῖς ἐπικινδύνοις τῆς Ῥώμης καινοτομίαις ἀνθιστάναι διέγνωτε, ὅτι σύμφρονες αὐτῇ ἔσεσθε ἐν πᾶσι τῆς ἱερᾶς μεσιτευούσης γραφῆς τοῦ ἀληθεστάτου Χριστοῦ. Εἰ γὰρ καὶ πρότερον οὐκ ἀγαθὰς περὶ ἡμῶν εἴχομεν φήμας, ὡς οὐ ταῖς ῥωμαϊκαῖς ἐφευρέσεσιν ἀνθισταμένων, ἀλλὰ μᾶλλον ταῖς ἀρχαίαις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τῶν Χριστιανῶν παραδόσεσιν ἐναντιουμένων ἐν πλείοσιν, ἀλλ' ἐξ ὀλίγου καιροῦ μᾶλλον ἀναβιώσκειν, ᾧ περὶ τῶν ὑμῶν ἐπληροφορήθημεν, καὶ πρὸς τὴν κοινὴν τῶν Χριστιανῶν θρησκείαν καὶ ἀληθῆ εὐσέβειαν ἐπανιέναι, οὐδὲ τὴν μητέρα καταλείπειν, ἀλλὰ τῷ ἔρωτι τῆς ἀληθινῆς μητρὸς ἐκκαιομένους καὶ ταύτης ἐπιζητοῦντας πονεῖν, ὃ δὴ ἐκ παρουσίας τοῦ εἰρημένου Εὐλαβίου ἱερέως σαφέστερον ἡμῖν ἐδήλωσεν, ὥσπερ εἴρηται, διηγησαμένου τὰ καθ' ὑμᾶς κατὰ μέρος, καὶ δόντος ἑαυτοῦ ὁμολογίαν ἰδίαν τῇ ἁγίᾳ μητρὶ ὁσίως ἔχουσαν, καὶ εὐπρόσδεκτον, ἀποδεξαμένου δὲ καὶ τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ παρ' αὐτῆς διδασκαλίαν τῆς ἀληθοῦς πίστεως, ἐν ᾗ δεῖ συμφωνεῖν πάντας τοὺς μέλλοντας σώζεσθαι, ἣν καὶ πρὸς τὴν ὑμῶν ἀγάπην κομιεῖ.

Οὐκοῦν ποθεινότατοι ἀδελφοὶ καὶ υἱοί, εἰ οὕτως ἐστίν, ὡς ἀκούομεν, καὶ ἐλπίζομεν, ἐπισπεύσατε τὴν μεθ' ἡμῶν ἕνωσιν. μετὰ τίνων γὰρ ἰσχυρότερον δυνήσεσθε ζηλοῦν κατὰ τῶν πειραζόντων, ἢ ἐν τῷ τῆς μητρὸς κόλπῳ, καὶ τῇ ῥοπῇ τῆς ἀληθοῦς σωτηρίας, καίπου δυνήσασθε βέλτιον αὐτοὺς ἀναψύξαι, ἢ ἔνθα ἀνῴγεται ἡ πηγὴ τῶν ζώντων ὑδάτων; πάντες τοίνυν οἱ διψῶντες πρὸς ὕδατα ἔλθετε, καὶ ὠνήσασθε χωρὶς τινὸς συναλλάγματος, οἶνον σώφρονος εὐφροσύνης, καὶ γάλα ἐκ τῶν μαστῶν τῆς παρακλήσεως αὐτῆς. ἐλπίζομεν ἄρα ἐν τῷ θεῷ, ὅτι ἐν πᾶσιν ἔσεσθε σύμφρονες ἡμῖν, καὶ μετὰ ταῦτα σὺν ἐπιμελείᾳ μεγίστῃ, καὶ ἀγάπῃ πονήσομεν περὶ πνευματικῶν ποιμένων καὶ ἐπισκόπων, τῶν ὑμετέρων ψυχῶν, ποιμαινόντων ὑμᾶς τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας, καὶ τῷ παραδείγματι τῆς ζωῆς οὐ θλιβόντων.

Περὶ δὲ τὰ τῆς ἐκκλησίας ἡμῶν ἔθιμα, συγγνωμόνως συγκαταβῆναι ὑμῖν μετὰ τοῦ ἀποστόλου βουλόμεθα, ἐν ἐκείνοις ὁπόσα ἐξ ἀγαθοῦ θεμελίου καὶ σκοποῦ καθαρωτάτου πρόεισι, καὶ ὧν ἡ συγκατάβασις πρὸς μὲν ἡμετέραν οἰκοδομήν, τῇ δὲ τιμῇ τῆς ἁγίας μητρὸς ταύτης καὶ τῇ ἀληθινῇ ἡμῶν πρὸς αὐτῆς κοινωνίᾳ καὶ ὑποταγῇ οὐ μὲν ἀντίθετός τις ἔσται. περὶ γὰρ τὴν διαφορὰν τῶν τοιούτων ἐθῶν οὐ χαλεπῶς ἔχομεν, ἐξ ἀγαθῆς βουλήσεώς τε καὶ διακρίσεως ἀβλαβῶς οἰκονομεῖν.

Δοίη δὲ ὁ παντοκράτωρ κύριος, καὶ ὑμᾶς οὕτως ἔχειν, ὡς ἀρτίως ἐμάθομεν, καὶ ἄλλους πολλοὺς ὁμοίως ὑμῖν τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθοῦς ἀναλαμβάνειν ζωῆς εἰς αὔξησιν καὶ πληθυσμὸν τῶν τῆς ἀληθοῦς μητρὸς γνησίων υἱῶν, καὶ ποιήσειεν ὑμᾶς σὺν ἡμῖν ἐν τῷ τῆς ἐκκλησίας οἴκῳ, τοῖς αὐτοῖς δόγμασί τε καὶ ἤθεσι χαίροντας, ἑνὶ στόματι καὶ καρδίᾳ αἰνεῖν αὐτὸν εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Subscriptiones.

ὁ Νικομήδης Μακάριος.

ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Τορνόβου Ἰγνάτιος.

ὁ Φιλίππων

ὁ φιλίπλȣ ἰῶς.

ὁ ταπεινὸς μιτροπολίτης ἠνδρω ἀκάκιος.

ὁ μέγας ἐκκλησιάρχης διάκονος Σιλβεστρός.

ὁ Συρόπȣλος.

ὁ δικαιοφύλαξ καὶ Ιερομνήμων διάκονος Θεόδωρος.

ὁ ἀγαλλιανός.

ὁ καθολικὸς τῆς τῶν ὀρθοδόξων ἐκκλησίας διδάσκαλος ταπεινὸς μοναχὸς γεννάδιος.

† Græcam hanc Epiſtolam omiſit. Goulartius pag.828.

Epiſtola Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ad Bohemos ſcripta Anno Domini 1451.

SAcroſancta Conſtantinopolitana Eccleſia mater omnium orthodoxorum, & magiſtris univerſis & ſingulis inclytis fratribus ac filiis in Chriſto dilectis, Bohemorum ſublimi univerſitati urbis Pragenſis, & ingenuis viris atque ſtrenuis Principibus, Capitaneis, Ducibus, Baronibus, militibus præclaris ac viris ſpiritualibus fidei zelatoribus, Doctoribus, Magiſtris, & cunctis Eccleſiarum præpoſitis, nec non civibus officialibus, univerſis etiam & ſingulis ubivis exiſtentibus in partibus tranſmontaneis, cunctisque orthodoxis, & ſecum Chriſti veritatem ſyncerâ profitentibus hanc maternæ providentiæ intuentibus paginam, ſalutem per filium virginis glorioſæ, & centuplum ſpiritualis fructus incrementum. Sacroſancta ſponſa cœleſtis ſponſi, qui caput univerſæ Eccleſiæ eſt, majorem quippe nequit habere voluptatem, quàm ſuos audire filios in veritate ambulare. Cum igitur non ſine maxima voluptate, & tanquam pingnore futûræ fructualitatis, ubertas & incrementum eorum, qui fortiter perſecutiones patiuntur propter confeſſionem veræ fidei, ad aurem piæ ac benignæ hujus matris inſonuerit, & maximè per fratrem filium noſtræ Eccleſiæ Conſtantinum Anglicum præſentem nunciatum, doctorem ac venerabilem ſacerdotem planius certiores facti ſimus, quod nihil moveamini innovationibus quorundam in Eccleſiam Chriſti per nonnullos introductis, ſed conſtantes ſitis in fundamento fidei, quæ nobis tradita eſt à noſtro Domino ſuisque diſcipulis, decrevit illico ſacroſancta Eccleſia ad vos ſcribere, & ad concordiam pariter ſecum adhortari. Non autem ſecundum illam Florentinam unionem ſimulatam à recto veroque conſilio abalienatam, qui diremptio à veritate jure appellanda eſſet. Quam ob cauſam illam quoque minimè admiſimus,

misimus, imò prorsus repudiavimus. Sed secundum immutabile veritatis decretum, in quo solo verè ac tutò uniri possimus. Nam nihil ambigit Christi Ecclesia ex his, quæ de nobis lata acceperat, ut dictum est. Cum igitur periculosis Romæ innovationibus contraveniendum censuistis, concordes huic per omnia eritis mediante ipsa sacra Scriptura verò iudice. Etsi enim non bona admodum antea de vobis fama ad nos perferebatur, quod non Romanis innovationibus resistere soleretis, sed magna ex parte veteribus potius Catholicæ & Christianæ Ecclesiæ traditionibus adversari: tamen nuper vos iterum reviviscere, & ad communem Christianorum religionem ac veram pietatem reversos esse certiores facti sumus. Neque matrem deserere, verùm amore veræ matris ardentes, eam singulari studio tantopere promovere, & amplificare, id quod ex præsentia hujus devoti sacerdotis clarius cognovimus, ut antea dictum est. Qui quidem vobis singulatim rerum nostrarum statum exposuit, sanctæ matri piam atque acceptam suam edidit confessionem, recepitque doctrinam veræ fidei ab ea sibi traditam, in qua omnes decet concordare, qui salvari cupiunt, quam etiam ad vestram charitatem referet.

Cum Ecclesiis Bohemicis concordiam alere exoptat.

Quare dilectissimi fratres ac filii, si sic est ut audivimus & speramus maturate pariter nobiscum unionem. Vbi enim vehementius poteritis æmulari adversus tentatores, quàm in sinu veræ matris, ac præsidio veræ salutis? Et ubinam commodius poteritis vosmetipsos recreare, quàm ubi patet fons aquarum viventium? Omnes ergo sitientes venite ad aquas, venite & emite absque ulla commutatione, vinum sobriæ, lætitiæ, & lac ab uberibus consolationis ejus. Speramus igitur in Deum vos in omnibus consentire nobiscum. Quare posthac summa cura & studio, ac singulari charitate providebimus vobis de spiritualibus pastoribus, ac curam gerentibus animarum vestrarum, pascentibus vos verbo veritatis ac vitæ exemplo haud affligentibus. De ritibus insuper vestris circa Ecclesiam benignè vobis assentiri cum Apostolo volumus: in his sanè quæcunque ex bono fundamento ac purissima intentione proficiscuntur, & quorum assensus ad vestram quidem ædificationem erit. Honori autem hujus sanctæ matris & veræ nostræ, & communioni, atque obedientiæ minimè adversabitur. Nam de differentia hujuscemodi morum haud difficilè ducimus, ex bona voluntate atque discretione innocenter dispensare atque tractare. Det igitur omnipotens Dominus nos quoque sic habere, quemadmodum modo rescivimus. Ac multos alios nobis similiter Spiritum assumere vitæ veræ ad incrementum atque multiplicitatem filiorum dilectorum veræ matris, ac efficiat vos pariter nobiscum in Ecclesiæ domo eisdem professionibus atque moribus gaudentes, imò ore cordique hunc ipsum collaudare in secula seculorum. Amen.

Ad certitudinem atque cautionem omnium ad quos præsentes pervenerint sigillo consueto imaginis Dei nostri Iesu Christi, Dei genitricis suæ matris in cera

ra Lazurea impressæ in buxeo ligno cavato pendenti sub margine per sericum funiculum muniri, nec non subscriptionibus nostris potissimorum corroborari voluimus. Datæ die 18. Ianuarii 1451. indictione 15.

CCLXXVIII. Petrus Dresnensis, & Iacobus Misnensis.

Hussi duo Discipuli.

TEmpore Ioannis Hus: duo docti viri Misnenses, alter Petrus Dresnensis, alter Iacobus Misnensis, quia cum Pontifice non sentiebant, pulsi patria, Pragam se ad Hus contulerunt, ac eum de communione sub utraque specie docuerunt, ut Sylvius testatur. Ego tamen suspicor, eum id dogma à Vuiclepho accepisse, Inveniuntur Iacobi istius scripta quædam pia, & mediocriter erudita, præsertim de communione sub utraque specie: quæ fortassis suo tempor edentur. Sylvius scribit, Petrum hunc fuisse religionis Vualdensium. Iacobus hic & Iacobellus est vocatus fuitque celebris, ac longo tempore post Hus docuit.

Adscribam hic catalogum & seriem præcipuorum doctorum hujus religionis inde à Vuiclepho, ex quodam veteri Pasquillo Papistæ alicujus. desumptum, cujus tamen fides penes ipsum sit.

Liber maledictionis omnium hæreticorum, filiorum diaboli Vuicleph. Vuicleph genuit Stephanum de Colonia, Stephanus genuit Matthiam de Vuessalia, Mattihas genuit Magog de Sosato, Magog genuit Aneuma. Aneuma genuit Stanislaum, Stanislaus genuis Poliez, Poliez genuit Hus, Hus genuit Marcum, Marcus genuit Zdenkum, Zdenkus genuit Cuch, Cuch genuit Comptum, qui fuit circularius 4. & nequam. 5. Comptus genuit Michalich; Michalich genuit Bonim. qui fuit pater nequitiæ: Bonim genuit Hieronymum; athletam Antichristi; Hieronymus genuit Gesnik, usque ad transmigrationem trium nationum. Et post transmigrationem, Iesniz genuit Syclaum leprosum, ejus contagio infecti sunt multi.

Omisit hæc Goulartius p 530.

Hussitæ Combusti.

Habuit & in Germania Hus etiam post mortem multos sectatores. Quod inde quoque probari potest, quia ejus dogmatis causa non pauci exusti sunt; ut Ioannes Draendorff, Nobilis ac sacerdos Misnensis, Vuormaciæ anno 1424. Petrus Tornuau Spiræ, anno 1426. Henricus Grunfelder sacerdos Ratisbonæ, anno 1420. item ibidem, anno 1423. Henricus Radtgeber sacerdos, ex Gota Thuringiæ; Matthæus Hager Berlini, anno 1458. & alii alibi. Vnde apparet, plurimos Hussitas passim in Germania fuisse. Quin & in Italia non pauci fuerunt; nam scriptum quoddam, in quo S. Bernardini errores recensentur, testatur *Fratricellos*, qui potissimum in Italia fuerunt, communiter esse Hussitas. Fuit autem eorum maximus numerus.

Fratricelli.

CCLXXXIX. Petrus Payne.

PEtrus Payne Anglus VViclephita, quia Papisticos errores reprehendit, coactus est Patria profugere, ac se in Bohemiam conferre. Fuit postea unus legatorum, ad Concilium Basiliense missorum. Habeo ejus breve scriptum de Prædestinatione & libero arbitrio, nondum impressum. Fuerunt duo Petri VViclephitæ, qui ex Anglia in Bohemiam profugerunt.

CCXC. Ioannes Zischa.

FVit & Ioannes Zischa Bohemus, ex sectatoribus Ioannis Huss, vir in re militari eximius: qui postea Ecclesiam Bohemorum contra furorē Antichristi defendit. *Epitaphium Zischa.* Ejus Epitaphium, quia memoria dignum est, adscribam. *Iohannes Zischa, nullo Imperatorū ducumve rei militaris peritia inferior, superbiæ simul & avaritiæ Clericorū severus ultor, patriæq; acerrimus propugnator, hic jaceo. Quod Appius Claudius cæcus bene consulendo, & M. Furius Camillus strenuè agendo suis Romanis præbuere; hoc ipsum Bohemis meis præstiti. Fortunæ belli nunquam defui, neque illa mihi, omnem opportunitatem rerum benè agendarum, etiam cæcus prævidi; signis collatis undecies, semper victor depugnavi. Visus sum mihi esurientiū justissimam causam adversus delicatos, pingues & saginatos sacerdotes egregiè egisse, & ob hoc Dei auxilium sensisse. Nisi illorum invidia obstaret, inter illustres viros numerari proculdubiò meruissem; tamen ossa mea hoc sacrato loco cubant, etiam insalutato invitoq; Papa.* Ab hoc heroe, ejusq; exercitu, conditum est oppidum *Tabor*, in quo præcipuè religionis puritas retenta est. Habeo aliquot scripta Taborensium Pastorum, circa annum 1431, & 34. contra Papistas edita, pia sanè ac docta, quæ aliquando suo tempore fortassis edentur.

* Epitaphium extat in Paralipomenis Vrspergensis, pag. 409.

CCXCI. Hermanus Mutius.

IN Hermanni Mutii historia est, quod anno 1212. in Alsatia multi Nobiles & vulgus senserint, quod liceat quolibet die comedere carnes, modò sobriè; & quod non minor sit luxus in piscibus pretiosis, aut copiosè sumptis, quàm in carnibus. *Lib. 19. Chron. p. 176.* Item, quod impiè facerent, qui prohiberent sacerdotibus connubium, ac propterea & ipsum Papam talium authorem, impietatis damnaverint. Ob quos articulos narrat author, crudeliter in eos sæviisse Papam & Episcopos, ita ut aliquando uno die 100. exusti sint. Alii quidem historici, ut Nauclerus, narrant, eodem tempore Mediolani fuisse multos ejusdem doctrinæ homines, misisseque collectos Alsatos Mediolanensibus.

Inveni & in quadam Inquiſitione facta ante 230. annos in VValdenſes Bohemos ſolitos tunc temporis, & multis antè temporibus, collectas mittere ex Bohemia in Lombardiam, ejuſdem Religionis hominibus: item & alioqui eò proficiſci, diſcendæ Religionis gratia, unde intelligitur, VValdenſes jam antè 300. annos, & amplius fuiſſe in Bohemia, Pomerania, ut eſt in alio inquiſitorio libro, circa Rhenum, & in Italia fuiſſe quaſi præcipuas eorum Scholas. De qua re vidi in VValdenſibus. Ita hinc quoque apparet, ſemper fuiſſe aliquos qui iſtis dæmoniorum doctrinis repugnaverint, quanquam minus fœliciter, quia nondum erat conſummata Dei ira, ut inquit Daniel: nec venerat hora, qua Antichriſtus ruere debebat.

* Ex Mutio Wolfius T.2. Cent. 16. p. 628. ſeqq. varia alia teſtimonia colligit.

CCXCII. *Deſiderius Longobardus.*

Monachorū oppugnator. DEſiderius Longobardus, qui ante trecentos annos floruit: propterea inter hæreſiarchas numeratur, quia Mendicantes Monachos edito ſcripto impugnavit. Vidit nimirum ille bonus homo, quòd validos homines mendicare genus ſit flagitii, furto ſimillimum; facere autem id inſuper Religionis prætextu, eſſe ſummam impietatem & hæreſim.

CCXCIII. *Paralipomena Vrſpergenſis.*

*Pag. 352. IN Paralipomenis * Vrſpergenſis eſt, quòd circa annum 1240. multi Concionatores in Suevia libertè contra Papam concionati ſint, ejus mandatis non obtemperaverint, & prædicaverint ſe annunciare Indulgentiam, non à Papa confictam, non à Prælatis compoſitam, ſed ab omnipotenti Deo per Chriſtum conceſſam. *Pag.* 213. Crantzius lib. 1. cap. 16. Saxoniæ, unde hæc deſumpta ſunt, affirmat, eos Primatum Papæ quoque pernegaſſe, ait præterea, paſſim tam multas hæreſes fuiſſe: haud dubiè indicans propagationem doctrinæ VValdenſium. Vnde apparet eos ſenſiſſe, Bullatas iſtas Papæ Indulgentias eſſe meras puraſque Bullas, & inaniſſimas deceptiones & fraudes: ut & Theologi, qui ante Thomam fuerunt, affirmare ſoliti ſunt. Vide in fine Veſeli. Hujus ejuſdem hiſtoriæ fit mentio & in Metropoli Crantzii, lib 8. cap. 18. Sed adſcribam ejus locum, quanquam ex odio & imperitia veritatis acerbius de eis Crantzius loquatur. *Motus Hallenſis & Religionem.* *Quidam pulſatis campanis, & convocatis Baronibus terarum in Hallis Sueviæ, ſic feruntur prædicaſſe in publica ſtatione, quod* Papa *eſſet* hæreticus, omnes Epiſcopi & Prælati ſimoniaci & hæretici, inferiores *quoq;* Prælati cum Sacerdotibus, *quia eſſent in vitiis & peccatis mortalibus non haberent authoritatem ac poteſtatem ligandi & ſolvendi* (fortaſſis dixerunt tantū, nō eſſe eos ferendos in eo officio) *& omnes eſſent hominum ſeductores. Item quòd Sa-*

cerdotes

cerdotes in mortalibus constituti, non possent conficere altaris Sacramentum. Item quòd nullus vivens, neq; Papa, neq; Episcopi, neq; alii possent interdicere divina; & qui prohiberent, essent hæretici & seductores. Et permittebant in civitatibus interdicto suppositis, divina peragere, ut Sacramenta Ecclesiastica liberè perciperent: quia ipsis perceptis, mundificarentur à peccatis. Item, quòd fratres Prædicatores & Minores perverterent Ecclesiam falsis prædicationibus; & quòd omnes illi fratres, unà cum Cistercienfibus & aliis, pravam vitam ducerent, & injustam. Item, quòd nullus esset qui veritatē diceret, & qui fidem justam opere servaret, nisi ipsi, & eorū socii: & hi ipsi non venissent, priusquam Deus fidem suam periclitari fineret, de lapidibus excitasset alios qui Ecclesiam Dei vera prædicatione illustrarent. Prædicaverunt, inquiunt, ad hoc tempus prædicatores nostri, & sepelierunt veritatem, & promulgarunt falsitatem. Nos contrà veritatem prædicamus, & sepelimus falsitatem, & in fine. Indulgentiam, quàm damus vobis, non damus fictam vel compositam ab Apostolico, vel Episcopis, sed à solo Deo, &c. Hæc de eis Crantzius, aliquantò asperioribus verbis, non tamen aliena à vera pietate recenset.

* Waldensibus hoc tribuit Flacius sup. p. 430.

CCXCIV. Conradus à Lichtenb. Abbas Vrspergensis.

ABbas Vrspergensis, qui vixit ante 300. annos, narrat in historia Conradi, filii Henrici Quinti fuisse suo tempore, qui reprehenderent *peregrinationes* & *Indulgentias*, præsertim quas *Crucis* vocant; faseturque ipsemet eò loci, rem esse novam. Vnde apparet semper fuisse aliquos, qui crescentes abusus, & subinde novos pullulantes reprehenderint; sed frustra, meliorem majore parte, ut fit, vincente. Recitat quoque suam quandam *cantilenam*, in historia, separatim à me cum aliis quibusdam rhythmis impressam, in qua prolixè testatur, Curiam Romanam mera injustitia, fraudibus & impietate sibi mundum subjecisse, ejusque opes ad se contraxisse. Sed interseramus sanè eam & hisce, quia bis & ter cecinisse, quæ pulchra sunt decet. *Facta est*, inquit Vrspergensis, *hæc abusio, ut fieret quasi portentum multarum abusionum, quæ subsecuta sunt in terris. Vix enim remansit* aliquis Episcopatus, *sive* dignitas Ecclesiastica, *vel etiam* Parochialis Ecclesia, *quæ non fieret* litigiosa, *& Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua.*

Cantilena Abbatis Vrspergensis.

Hist. Philippi p. 320. edit. Basil. 1537

Gaude Mater nostra Roma,
Quoniam aperiuntur cataractæ
Thesaurorum
In terra.
Vt ad te confluant rivi & aggeres nummorum
In magna copia.
Lætare super iniquitate filiorum hominum,
Multa pecuniarum præmia.
Habes quod semper sitisti,
Decanta Canticum,
Quia per malitiam hominum,
Non per tuam Religionem,
Orbem vicisti.
Ad te trahit homines

Quoniam in recompensationem tantorum malorum.
Datur tibi precium.
Jocundare super adjutrice tua discordia,
Quæ erupit de puteo infernalis abyssi.
Ut accumulentur tibi,
Non ipsorum devotio,
Aut pura conscientia,
Sed scelerum multiplicium per-
Et litium decisio. (petratio.
Precio comparata.

Scribit etiam in eadem historia, quòd *sub Gregorio VII.* Romana Respub. tota novis & inauditis schismatum erroribus laborare cœperit: Fuit quoq; hic quidem Pontificibus & suæ farinæ hominibus plus æquo addictus, ut homines solemus nostro Ordini nimium facere. Sæpe tamen eum ipsa veritas adduxit, ut Pontificum injustos ac impios conatus sit adscribere coactus. Quale, illud in fine est, ubi narrat, quàm injustè, vel sceleratè potius, Gregorius Nonus Fridericum Secundum contra omne jus ac fas sit persecutus; inquit enim: *Honorio successit Gregorius Nonus.* Hic *tanquam superbus, primo anno Pontificatus sui cœpit excommunicare Fridericum Imperatorem,* pro causis frivolis & falsis, & postposito omni ordine judiciario, *sicut idem Imperator in Epistolis suis rescripsit Principibus Alemanniæ, retexens omnem progressum vitæ suæ, & conversationem & actionem & innocentiam pro succursu terræ sanctæ;* cum quidam hic à matre adhuc in cunis existens, tutelæ Romanæ Ecclesiæ fuerit commendatus. Et paulo pòst dicit, Imperatorem à Papa etiam excommunicatione coactum, ad liberationem Hierosolymarum profectum esse; & nihilominus tum statim initio Papam passim per Italiam curasse, cruce signatos Imperatoris milites, eum sectantes, intercipi ac jugulari; tum paulo pòst, cum Imperator bellum jam contra Soldanum gereret, regiones ejus invasisse, & occupare cœpisse. Sparsisse item rumorem de morte Cæsaris, & cruce signatos euntes ac redeuntes interfici præcepisse. Consimiles sanè lusus persæpè Papæ cum Imperatoribus luserunt, ut historiæ paulò veraciores subindicant. Sed adscribam ipsius Vrspergensis verba, ne quis me quid comminisci suspicetur. *Narrat etiam Imperator* (in sua Apologetica Epistola) *quomodo pro feliciori liberatione terræ sanctæ, Reginam Hierosolymorum ad suggestionem Honorii Papæ acceperit in uxorem. Ex his omnibus* conquæstiones *facit* Principibus, *quòd pro tot beneficiis ab Ecclesia non potius remuneratur, quàm excommunicatur; ideo & de* Papa *conqueritur, quòd nuncios suos honestos, videlicet Archiepiscopum Brundiensem, & alios, in Concilio suo non solum audire contempsit, sed nec ad præsentiam suam vel Concilii admittere voluit. Multa quoq; alia in eisdem literis sunt descripta.* Item paulo pòst: *Anno Domini M. CCXXIX. Imperator volens explere votum suum, & pacatum sibi efficere Papam, transfretavit ad terram Hierosolymitanam; prius tamen eodem anno condixerat* Curiam Principum Alemanniæ; *in Quadragesima apud Ravennam; à qua similiter impeditus fuit nunciis & legationibus Domini Papæ; Nam* Veronenses & Mediolanenses *non permiserunt aliquos transire per fines suos; spoliantes rebus suis etiam ipsos cruce signatos, ut asserebant,* authoritate Domini Papæ; *quod proh dolor, nefas est dicere. Eo anno*

Hist. Frid. 2. p. 337.

Fol. 338.

anno & sequenti tractabatur de pace inter Imperatorem & Soldanum, *& gentes ipsorum.* Papa *verò* captata occasione de absentia Imperatoris, *copiosum exercitum destinavit in Apuliam; & terras Imperatoris in servitio Christi demorantis, quòd nefandissimum est dicere, abstulit, & sibi subegit; & cruce* signatos, *ne transfretarent, omni studio prohibuit tam in Apulia quàm in Lombardia. Quis talia facta rectè considerans, non deploret & detestetur, quæ indicium videntur, & quoddam portentum & prodigium ruentis Ecclesiæ.* Fol 339.

Anno Domini M. CC. XXIX. fit compositio *in Quadragesima*, inter Imperatorem & Soldanum. *Hierusalem quoq; & Nazareth & Joppe, cum terris adjacentibus, & aliis quibusdam locis, Imperatori restituuntur; & Treuga inter Christianos & Sarracenos usq; ad decennium statuitur. Cumq; Imperator super hoc laudabili & glorioso facto rescriberet* Domino Papæ, & *gaudium annunciaret Christianitati,* Papa literas illas abjecit & respuit. *Eo anno Imperator Pascha Domini cum multis expensis, more regio coronatus procedens, Hierosolymis celebravit. Ædificia quoq; civitatis restituit; & Joppen, quæ erat destructa, reædificavit, & alia quàmplurima loca, ubi Christianos collocavit. Dum hæc agerentur in ultramarinis partibus*, Papa cum suis complicibus, *ut asserebant homines*, famam fecit *in Apulia* divulgari, Imperatorem esse mortuum. *Quocirca civitates, quæ adhuc adhærebant Imperatori, disponebant se tradere* sub Domino Papæ; *& omnes Alemannos de terra sancta redeuntes, & ibidem in Apulia demorantes*, durissimo & nequissimo facinore interficere. *Sed Deus misericors aliter providit, & homines suo servitio deditos ad laudem & gloriam nominis sui clementissimè conservavit. Tempore siquidem æstivo ejusdem anni Imperator reversus venit in Apuliam, ante alios qui revertebantur. Cujus reversione certissimè comperta*, crudelitas sævientium & furor invadentium *conquievit. Multi namq; tam de ultramontanis quàm de partibus illis Christiani & Sarraceni coadunati sunt ad Imperatorem, ut haberet maximum exercitum & fortissimum; cœpitq;* terras sibi ablatas recuperare, *& hostes de finibus suis expellere. Nihilominus quoq; omni tempore, quàm diu denuntiabat eum Papa excommunicatum*, beneficium absolutionis *humiliter cum omni obedientia & devotione & justitiæ exhibitione expostulavit. Super causis verò quæ inter ipsum & Papam vertebantur diffiniendis, advocavit Principes Alemanniæ, qui venerunt in Italiam, videlicet Patriarcha Aquileiensis, Archiepiscopus Saltzburgensis, Episcopus Ratisbonensis, Luipoldus Dux Austriæ, & Dux Dalmatiæ & Histriæ. Quibus advenientibus, Imperatore manente apud Capuam, tractatum est* de pace & concordia inter Imperium & Sacerdotium & regnum Siciliæ, & absolutione Imperatoris. *Multis aliis quoq; mediantibus tam* de Curia Romana, *quàm etiam* Italia & Alemannia. *Sanè hæc compositio cum non posset perfici eo anno dilata est usq; in annum sequentem,*

* VVolfius Cent. 13. Lect. Memor. p. 524. seqq.

CCXCV. *Prophetica Picturæ.*

EDitæ ſunt ab Oſiandro quædam Propheticæ Picturæ, cum Scholiis Germanicè & Latinæ, ante 20. annos, quæ ut ejus Præfatio teſtatur, fermè ante 300. annos ab aliquo pio pictæ fuerunt. Eæ, ut facilè quivis animadvertere poteſt, indicant, tum impietatem ingentem Papæ, qui à Chriſto defecerit; tum & interitum pœnasque ejuſdem. Inveniuntur & aliæ multæ prophetiæ, ut S. Brigittæ, Hildegardis, Mechthildis, Abbatis Ioachimi, Catharinæ Senenſis, Iohannis de Rupeſciſſa, Theodorici Epiſcopi Croatiæ, & aliorum, conſimiliter tum errores Papæ ſpiritualiumque tum & pœnas ſignificantes. De quibus aliquid dictum eſt.

CCXCVI. *Schiſma anno M. CC. LV. ſub Friderico II. Imp.*

EXortum eſt Schiſma circa annum Domini 1255. ſub Friderico Cæſare, quod 12. annis duravit, eo tempore plurimi homines neutri adhærere voluerunt; ſentientes, Eccleſiam ad homines ſeu Papas alligatam non eſſe. Sic enim ſcribit Aventinus libro ſexto de ea re. *Pleriq; tamen, quorum maxima pars fuit, neutrum Pontificem recipiebant. Illud D. Pauli uſurpabant* : Omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Petrus : una fides, unus Deus, & Pater omnium. *Atq; illud Chriſti in ore erat*: Vnus Magiſter veſter eſt, vos autem omnes fratres. *Gerochus Richenbergenſis Præſul de hoc diſſidio complura ſcripſit, quibus titulum* de Antichriſto *dedit. Manſit hæc ſeditio duodeviginti annos in Chriſtiano orbe.* Hinc clarè apparet, iſtos homines Antichriſtum Romanum non magnifeciſſe, ſenſiſſeque Chriſtianos poſſe piè Papam penitus negligere. Vtinam aliquid clarius & plenius, de hac hiſtoriola haberemus,

Pag. 508.

CCXCVII. *Nicolaus Gallus.*

Cenſura Monachorum.

HVnc Authorem etiam ideo libentius meo Catalogo inſero, quòd & nomine & cognomine noſtro Gallo conveniat; quem ego cùm ob alias ejus egregias dotes; tum verò in primis ob ardentem pro domo Domini zelum, ex animo, ac ſupra amorem mulierum, ut David inquit, amo. Tametſi hic etiam patria Gallus fuerit. Floruit autem circa 1270. Domini annum. Fuit prior generalis, neſcio cujus ordinis. Scripſit libellum titulo *Ignea ſagitta* : In eo vehementer deplorat & accuſat corruptiſſimum Monachorum Statum. Dicit, eos olim in eremo, in ſudore proprii vultus vixiſſe, orationibus & ſtudiis incubuiſſe : tunc contrà in civitatibus ubi & ſtudia & omnem pietatem negligant, voluptatibus & turpitudinibus ſint dediti, & præſentes ac futuros ſeducant. Damnat quoque inanes

Paparum

Paparum dispensationes, qui Monachis jam hoc, jam illud, contra quàm fas piumque est, indulgeant. Iam cogita tu mihi Christiane frater, si jam tunc Monachi, nempe fermè ante 300. annos, paulò post initium istius novi generis hypocritarum. Franciscanos & dæmoniacos (Dominicanos puto) tam corruptam sceleratamque vitam egerint, quid non sit verisimile eos postea securis temporibus suis flagitiis hypocrisique addidisse: & tamen genus humanum suis egregiis meritis salvare se, si Diis placet, affirmant.

* Omisit Goulartius p. 675 quæ in laudem Nicolai Galli, Ratisbonensis Ecclesiastæ, ab initio dicuntur.

CCXCVIII. *Nicolaus de Bibrach.*

Vixit ac floruit Erfordiæ Nicolaus de Bibrach, circa annum Domini 1290. id est, ante 260. annos; homo (ut videtur) non usquequaque indoctus (ut quidem illa infœlicia secula tulerunt) & vitæ communis gnarus. Is scripsit, teste etiam Trithemio, libellum, qui vocatur *Occultus*, & adhuc passim manu scriptus invenitur. In eo author narrat, se Romæ fuisse; indicat simulatas blanditias erga exteros literatosque homines, & juramenta, ut ille inquit, per Iudæ oscula. Nec obscuræ innuit, etiam se à Papa veluti Ganymedem (nam hac voce utitur) ad turpiora quædam expetitum. Docet Romæ fidem ac pietatem esse aroma, id est, rem admodum raram & caram; Papam ejusque satellites omnium opes rapere, & nulli quicquam dare. Dicit, Martinum Papam exoptasse, ut tota Germania unum stagnum esset, ejusque hoc Epitaphium, dignum sanè Papa, recitat.

Censura Rom. Curia.

Hic jacet ante chorum submersor Teutonicorum,
Pastor Martinus, extrà qui totus ovinus;
Et lupus introrsus, cui nulla redemptio prorsus:
Sed sit ad inferna detrusus ab arce superna.

Epitaphiũ Papæ Martini.

Item alibi ita de Papa inquit:

Sed quia Papa sacer, est vir versutus, & acer,
Non leve flectetur, nec gracis fortè medetur,
Suadet portari sibi munera multa, juvari
Si per eum vultis. De Episcopis ita scribit:
Sancti quid facitis, qui res vestras ita finitis
Turpiter expendi, jam jam foret hora loquendi.
Dicite summæ Pater, nos omnes & tua mater
Conquerimur durè, de nostro præsule fure.
Imò latrone est, qui deterior Phraone,
Angarians Clerum, jacet in finibus mulierum.

Hic

Hic fuit electus, non propterea quia rectus
Ex meritis morum sit, sed quia Canonicorum
Donis nummorum subvertit corda suorum:
Et tenet Ecclesiæ regimen vicio simoniæ.
Imò nec attendit, quòd spiritualia vendit:
Nec solet absq; dare, Clerum vel Templa sacrare,
Et neq; baptisma gratis confert, neq; chrisma
Sed per numisma fidei parat undiq; schisma,
Devorat & potat, natam cum conjuge dotat:
Christe tua dote, reputans quoq; pro nihilo te.
Pro grege non orat, pro vana laude laborat,
Missam non cantat, Castrensia mœnia plantat:
Militis arma gerit, quæ sunt sua, non tua quærit.
Nunquam jejunat, discordes non coadunat.
Armiger in castris, non curat quid sit in astris.
Sed discordare facit, & lites revocare.
Non mulcet flentem, non consulatur egentem.
Non vestit nudum, sed amat cum tessere ludum.
Quæ per eum detur, eleemosyna nulla videtur.
Attendensq; parum, minuit decus Ecclesiarum.
Et si plura petas, falsas jubet esse monetas,
Lucraturq; satis de nummis falsificatis.

Item de Episcopo & Prælatis inquit:

Dicite, sic miserum cur rodis Episcope Clerum:
Cujus tu Pater es, & quem de jure foveres:
Cur exempla bone non accipis à Pharaone,
Tu gregis es tutor, tu pastor es ille secutor,
Qui si peccaret, famamq; bonam macularet,
Deberet legere Psalmos, commissaq; flere,
Et jejunare, non denarios numerare.
Dicite Prælatis Cleri, cur tam malè statis,
Pro grege commisso, quòd ei locus est in abysso,
De nostris certè manibus quæretur apertè
Illorum sanguis, quos trux modò vulnerat anguis;
Tunc benè velletis totum tempus quod habetis
Rectè vixisse, gregis in curaq; stetisse:

Sed addamus conclusionis vice & hæc pauca de Papa.

Papæ dicatis precor intuitu pietatis,

Quò

Quòd stat in Ecclesia jam multiplex simonia,
Et mala quàm plura, quæ sunt fidei nocitura:
Quæ si durabunt, Eclipsin fortè creabunt.

Vnde apparet, hunc quoque virum doctum, ac rerum peritum, ea mala in Ecclesia vidisse & reprehendisse; quæ si non tollerentur, Ecclesiam & pietatem essent pessundatura. Hoc enim *Eclipsis* ipsi significat.

* Wolfius Tom. 1. Memorab. Lect. Cent. 13. p. 564.

CCXCIX. *Gerhardus & Dulcinus.*

ANte 270. annos fuerunt duo (ut à Papistis vocantur) hæresiarchæ, Gerhardus Sagareli, Parmensis, & Dulcinus Navarensis. Iis præcipuè vitio datum est, quòd docuerint, orationem Deo non minus acceptam esse in prophano, quàm sacro loco. Item, *Papam* asseruerint esse *Antichristum*; & Ecclesiam Romanam, id est, Papam, ejusque spirituales, à Deo rejectos, esse illam *meretricem Babyloniam*, de qua est in Apocalypsi. Fortasse acceperunt aliqua semina sanioris doctrinæ à VValdensibus. Habuerunt amplius quàm per 40. annos, multos sectatores, præcipuè in Cisalpina Gallia, & proximis Alpibus. Tandem verò à Papa non tantum isti duo Doctores, sed & ingens auditorum numerus, crudeliter interfecti sunt. Tribuuntur eis præterea quædam incommodæ sententiæ, quin & promiscuæ libidines; quæ, ut suspicor, magna ex parte mendaciter à Papisticis eis adscribuntur, sicut & VValdensibus promiscuas libidines falsissimè Papistæ tribuunt.

Papa Antichristus pronuntiatus.

CCC. *Dantes Aligherius Florentinus.*

DAntes Florentinus floruit ante annos 250. fuit vir pius & doctus, ut multi scriptores, & præsertim ipsius scripta testantur. Scripsit librum, quem appellavit *Monarchiam*. In eo probavit, Papam non esse supra Imperatorem, nec habere aliquod jus in Imperium. Refutat etiam donationem Constantini, tanquam quæ nec facta sit, nec fieri jure potuerit. Ob quam rem à quibusdam hæreseos est damnatus. Scripsit & vulgari Italico sermone non pauca, in quibus multa reprehendit in Papa, ejusque Religione. Queritur alicubi prolixè intermissam esse verbi Dei prædicationem, & pro ea prædicari à Monachis vanissimas fabulas, eorumque nugis fidem haberi: atque ita oves Christi non vero pabulo Evangelii, sed vento pasci. Dicit alibi. Papam ex pastore factum lupum, vastare Ecclesiam, non curare unà cum suis spiritualibus verbum Dei, sed tantum sua decreta. Alicubi in convivio amatorio, æquat conjugium cœlibatui.

Extat inter opera à Schardio vulgata 1566. p. 237.

Adjiciemus aliquot ejus dicta ulterioris fidei & perspicuitatis gratia. Ac primum quidem ex Monarchia ejus, ubi inter alia etiam hæc in tertia ejus operis parte

Aaaaa dicit.

dicit. *Igitur contra veritatem, quæ quæritur,* tria hominum genera *maximè colluctantur.* Summus *namq;* Pontifex *Domini nostri Jesu CHRISTI Vicarius & Petri Successor, cui non quicquid CHRISTO, sed quicqnid Petro debemus, zelo fortasse claviũ, nec non alii Græcorum Christianorum pastores, & alii quos credo zelo solo matris Ecclesiæ permoveri, veritati quam ostensurus sum de zelo forsan (ut dixi) non de superbia contradicunt.* Quidam *vero* alii, *quorum obstinata cupiditas lumen rationis extinxit, & dum ex parte diabolo sunt, Ecclesiæ se filios esse dicunt, non solum in hac quæstione litigium movent: sed & sacratissimi principatus vocabulum abhorrentes superiorum quæstionum & hujus principia impudenter negarunt. Sunt &* tertii *quos* Decretalistas *vocant theologiæ ac philosophiæ cujuslibet, inscii & expertes suis Decretalibus (quas profectò venerandas existimo) tota intentione innixi, de illarum prævalentia credo sperantes, Imperio derogant. Nec mirum cum jam audiverim quendam de illis dicentem, & procaciter asserentem, traditiones Ecclesiæ fidei esse fundamentum. Quod quidem nefas de opinione mortalium si submoveant, qui ante traditiones Ecclesiæ in Filium Dei CHRISTUM sive venturum, sive præsentem, sive jam passum crediderunt, & credendo speraverunt, & sperantes charitate arserunt, & ardentes ei cohæredes futuros esse mundus non dubitat.*

In poemate porrò de Paradiso hæc scribit capite nono.

Che poco toca al Papa la memoria.	*Nam parum Papæ tangit memoriam.*
La tua citta, che di colui è pianta,	*Tua urbs quæ prima est ejus planta.*
Che priu volse le spalle al su fattore,	*Qui primus vertit terga suo authori.*
Et di cui è la' nuidia tanto pianta,	*Et cujus est invidia tam diu plorata,*
Produce & spande il maladetto fiore,	*Producit & spargit execratum florem,*
C' ha disuiate le pecore & gli agni,	*Qui avertit oves & agnos:*
Pero che fatto ha lupo del pastore.	*Quia lupum fecit ex pastore.*
Per questo l' Evangelio e i dottor magni.	*Hanc ob rem Evangeliũ & Doctores magni.*
Son derelicti, & solo a i decretali.	*Sunt derelicti: & tantum Decretales.*
Si studia si, che pare a i lor uiuagni,	*Leguntur sic, ut id ex vestiũ lumbis appareat.*
A questo intende l' Papa e Cardinali,	*In hoc incumbit Papa & Cardinales:*
Non u anno i lor pensieri a Nazarette:	*Nec eunt eorum studia Nazarethum,*
La doue Gabriello aperse l' ali.	*Ubi Gabriel expandit alas:*
Ma Vaticano & l' altre parti elette.	*Sed Vaticanum cæteraq; electæ partes.*
Di Roma, che son state cimitero,	*Urbis Romæ, quæ fuerunt cœmiterium.*
A la militia, che Piero seguette,	*Militiæ quæ Petrum est secuta,*
Tosto libere fien de l' adultero,	*Ac tutum liberæ fient ab adulterio.*

Porrò Capite aut cantione XVIII. dicit hæc.

Gia si solea con le spade far guerra:	*Olim solitum fuit gladiis fieri bellum.*
Ma hor si fa togliendo hor, qui, hor quiui	*At nunc fit modo hic, modo illic auferendo,*

Lo

Lo pan, che l'pio padre a nessum serra,	*Panem, quem pius pater nulli claudit,*
Ma tu che, sol per Cancellari scriui,	*At tu qui ut deleas tantum scribis.*
Pensa che Pietro & Paolo, che moriro,	*Cogita Petrum & Paulum qui mortẽ oppe- (tivere,*
Per la uigna, che guasti, anchor son uiui.	*Propter vineam quã vastas etiamnũ vivunt,*
Ben puoi tu dire, i ho firmo'l disiro,	*Potes tu quidẽ dicere, firmũ habeo desideriũ,*
Si a colui, che uolle uiuer solo.	*Sic ad eum qui voluit vivere solus,*
Et che per salti fu tratto al martiro?	*Quiq; per saltus fuit pertractus ad suppliciũ?*
Ch' i non conosco il piscator, ne Polo.	*Equidem nec piscatorẽ agnosco nec Paulum.*

Cantu XXIX. admodum gravis querela est, de commutata prædicatione verbi in inanes nugas ac fabulas: Verba ejus hæc sunt.

Et anchor questo qua su si comporta	*Etiam isthuc hic sursum tolleratur.*
Con men disdegno, che quand' è posposta,	*Minore odio, quàm cum postponitur.*
La diuina scriptura, & quando torta.	*Divina Scriptura, & cum torquetur,*
Non ui su pensa quanto sangue costa,	*Non reputatur quanto sanguine stetit,*
Seminarla uel mondo, & quanto piace.	*Cum in mundo seminaretur & quantũ placet*
Che humilmente con essa s' accosta.	*Qui animo demisso ei adhæret.*
Per apparer ciascuns' ingigna & face,	*Ut videatur quisq; studet, & profert.*
Sue inuentioni, & quelle son trastorse	*Sua inventa: & illa pertractantur*
Da predicanti, e' l Vangilio si tace.	*A concionatoribus: & Evangelium tacet,*
Un dice, chi la luna si ritorse.	*Alius dicit lunam se retorsisse,*
Nela passion di Christo, & s' interpose,	*In Christi morte, seq; interposuisse,*
Perche' l lume del sol giu non si sporse,	*Unde lumen solis non se porrexit.*
Et altri, che la luce si nascose,	*Alius, lucem se occultasse.*
Da se, pero a gl' Hispani, & a gl' Indi	*Per se: idcirco Hispanis atq; Indis.*
Com' a Giudei, tal eclipsi rispose.	*Ut & Judæis talem Eclipsin visam esse.*
Nõ ha in Fiorinza tanti Lapi & Bindi,	*Nõ habet Florentina tot Lapos, totq; Bindos.*
Quante si fatte fauole per anno.	*Quot hujusmodi fabulæ per annum.*
In Pergamo si gridam quinci & quindi:	*E suggestu hic & illic declamitantur,*
Si che le pecorelle, che non sanno,	*Ita oviculæ quæ hoc ignorant,*
Tornan dal pasco pasciute di uento,	*Redeunt è pascuis pastæ vento,*
Et non le scusa non ueder lor damno.	*Nec eas excusat sui ignorantia damni.*
Non disse Christo al su primo conuento,	*Non dixit Christus suo primo cœtui,*
Andate, & predicate al mondo ciance,	*Ite & prædicate mundo nugas,*
Ma diede lor uerace fondamento:	*Sed verum illis dedit fundamentum.*
Et quel tanto sono ne le sue guance:	*Et illud tantum sonuit in ore ipsorum.*
Si ch' a pugnar, per accender la fede.	*Itaq; illi ad pugnam, ut fidem accenderent.*
Del' Euangilio fero scudi & lance.	*Ex Evangelio fecerunt clypeum & hastam.*

Hora si va con motti & con iscede.
A predicar: & pur che ben si rida.
Confi'l cappucio, & piu non siru hiede.

Ma tal necel nel bechettos' annida:
Che se'l vulgo il ue desse, vederebbe
La perdonanza, di che si confida,
Per cui tanta stultitia in terra crebba:
Che sanza proua d' alcun testimonio.
Ad ogino promession si conuerrebbe.
Di questo 'n grassa l'porco sant Antonio,
Et altri anchor, che son assai piu porci,
Pagando de moneta sanza Conio,

Non jocis & facetiis itur:
Ad prædicandū: & modo benè rideatur.
Intumescit cuculla, nec ultra quicquā re-(quiritur.

Verum ea avis in rostro nidum habet,
Quam si vulgus videret, cerneret
Veniam, cui confidit,
Per quam tanta stultitia in terra crevit.
Ut sine approbatione cujusquā testimonii,
Cuivis promissioni conveniret.
Ex hoc saginat porcum Sanctus Antonius.
Et alios simul, qui magis sunt sues,
Moneta persolvendo, non signata.

In cantio 32. purgatorii non obscurè ostendit Papam esse meretricem Babyloniam. Tribuit enim ejus ministris, id est, Episcopis bicornia capita, quatuor verò quibusdam unum cornu qui sunt & Patriarchæ. Ipsi verò meretrici instar cujusdam arcis. Adjungamus verò Danti etiam Iornandi dictum ex libro de translatione Imperii qui simul est impressus cum eo.

Item nota quod cum Antichristus venturus non sit, nisi prius Imperium destruatur indubitanter omnes illi qui ad hoc dant operam, ut non sit Imperiū quantum ad hoc sunt præcursores & nuntii Antichristi. Caveant ergo Romani & eorū Pontifices ne peccatis & culpis suis exigentibus justo Dei judicio sacerdotium ab ipsis auferatur. Caveant nihilominus Præsules & Principes Germani.

Non malè hic quoque conjicit Romanum Pontificem, quia dissipet & opprimat Imperium, esse Antichristum.

* Vid. I. Wolfius Memorab. Cent. 14. p. 610, 611, 612, 613.

CCCI. *Ioh. Taulerus, Concionator Argentinensis.*

TAulerus, concionator Germanus floruit ante annos 200. Docuit *de gratuita justificatione* satis rectè; nam quòd tantopere inculcat hominem debere. **Ledig und loß seyn aller Creaturen / und seiner selbst:** haud dubiè, ut ex multis ejus concionum locis apparet, eam vim habet, ut doceat, pios debere penitus de se, omnibusque humanis auxiliis desperantes, in solum Deum conjicere suam fiduciam, atq; ita ex solo Deo pendere, omniaq; ab eo sola fide impetrare. Humanorum operum merita & traditiones vehementer extenuavit: ac omnino omnium superstitionum hostis fuit acerrimus, solam Dei misericordiam diligenter commendans. In concione Epiphaniæ, dicit nostros Prælatos esse cæcos, & cæcorum duces: verendumque esse, ne & duces & ducti simul in exitium æternum ruant. In concione primæ Dominicæ quadragesimæ, dicit, vehementer obesse piis cordibus spirituales istos, qui

qui externa ſanctitate & diſciplina præfulgent, atque ita homines tantum ad externa opera trahunt. Concione ſupra, Simile eſt regnum cœlorum patrifamilias, clarè improbat ſanctorum invocationem. Verba ejus hæc ſunt: Ja es ſind etliche geiſtliche Menſchen / die ohne Troſt nicht wollen ſeyn / denn ehe ſie leuterlich und warlich ohne Troſt wollen ſeyn / und ledig und loß funden werden / ſo nehmen ſie ehe für ſich himmliſche Creaturen / alß die Heiligen / und die Engel / und beſitzen die in ihnen ſelber mit einer geiſtlichen Luſt / und ſetzen die für ſich zu einem Troſt. Alß / dieſer Heilige iſt mir lieb vor andern Heiligen / oder der Engel vor andern Engeln / und wer ihnen dann dieſen Ungelaß umbſtöſſt / daß es nicht ſoll ſeyn / ſo haben ſie darinnen wenig Frieden / ſie haben wol darinn Unfriede. Und das iſt denn zumahl unrecht / und iſt dir gegen GOtt ein groß Hindernuß. Du ſolteſt ledig ſtehen aller Creaturen im Himmel und auff Erden / und auff niemand ruhen / noch bleiben / denn bloß lauter auff GOtt allein. Wenn du das thäteſt / warlich und leuterlich / ſo wären alle Heiligen warlich und vollkömmlich von dir geehret / und gewürdiget. Denn die lieben Heiligen allezeit geſenckt werden einmüthiglich in den Göttlichen Vätterlichen Abgrund der Heiligen Dreyfaltigkeit.

Supra ſepulchrum ejus Argentinæ, in monaſterio Dominicanorum, dicitur eſſe ipſius imago, digito *Dei agnum* oſtendens: qua ipſa pictura vel ipſemet, vel aliquis alius indicare voluit, eum, Chriſtum unicum agnum peccata tollentem, prædicaſſe, neglectis omnibus humanis meritis, juſtitiis, ac ſanctitatibus. Illud ſanè memorabile eſt, & multi divinitus factum putant, ut cum illud monaſterium in ſcholæ formam redigeretur, caſu, certè ſine ullo humano conſilio, ejus ſepulchrum illa præclara imagine inſignitum ante lectorium remanſerit: veluti ſi Deus ipſe eo Mercurio janitore, tanquam epigrammate quodam, intrantes monere voluerit, qualisnam ibi doctrina doceatur: aut certè id jam mortuo tribuere, ut etiam in ſepulchro jacens vocem Chriſti puriorem auſcultaret, quam cum multis piis & ſanctis, & audire, & videre illam fœlicem diem vivens fruſtra exoptavit. Sæpè enim repetit, *Eccleſiam indigere gravi reformatione.* Celebratur in primis hoc ejus dictum, quod nunquam homo ſit tam avidus accipiendi beneficii, quin Deus id ſecundum ſua promiſſa dare magis cupiat. Velle enim eum eſſe veracem. Concionibus ejus Baſileæ 22. anno impreſſis, additæ ſunt & aliorum quorundam: ut cujuſdam M. Ekardi, qui circa eadem tempora fuiſſe dicitur, conſimilis notæ orationes. Vnde apparet, omnibus temporibus aliquos pios doctores fuiſſe. Mirabilis etiam illius hiſtoria eſt, qui eum ex phariſaiſmo eduxit.

* VVolfius Cent. 14. Memor. rer p. 670.

CCCII. Franciſcus Petrarcha.

FRanciſcus Petrarcha, vir apprimè doctus, floruit ante annos 200. Epiſtola vi-

gesima, appellat Papæ curiam *Babylonem*, & *Meretricem Babyloniam super aquas sedentem, matrem omnium idolatriarum & scortationum, cum qua scortati sunt Principes & Reges terræ; asylum hæresium & errorum*, &c. de qua in Apocalypsi spiritus sanctus prophetavit. Vide locum; prolixè id ibi disputat. Quo modo cum de curia Papæ locutus sit, planè videtur sensisse, Papam esse Antichristum. Et sanè illud quoque vehementer hoc confirmat, quod dicere solitus est, nullum cuiquam majus malum optari posse, quàm ut fiat Papa. Reprehendit alioqui valde crebrò scelera & impietates pseudospiritualium.

In Italicis suis Rhythmis scribit inter alia sic de Roma: *Schola de errori & templo de heresia*: id est, *Schola errorum, & templum hæreseos*. Sic & sæpè alias in eodem poëmate eam vocat *Babyloniam*; item *matrem errorum*, item *nidum proditionum*. Dicit eam *crescere ex alienis calamitatibus*; ait quoque, eam *se extollere contra suos fundatores*; id est, Imperatores, qui ipsi multa antea largiri sunt. Talia propemodum infinita in ejus opusculis, de Papa ac Roma, dicta extant. Apparet etiam Papam ei infestum fuisse, eumque persecutum; nam in Cantilena 92. inquit: *Del empia Babylonia, onde fuggita ogni vergogna, onde ogni bene fuori, Albergo di dolor, madre de errori, son fuggito io per allungar la vitta*. Extat quoque *Dialogus Pyladis & Orestis*, sub nomine *Petrarchæ*, non omnino indoctus aut illepidus; in quo disputatur, Romam modis omnibus fugiendam esse, tanquam quandam latronum speluncam, & malorum fontem ac primariam officinam. Credo sanè Petrarchæ non esse; sed tamen certè est hominis haudquaquam insciti; & ante annos circiter 50. editus in publicum est, seu impressus.

* Pluribus VVolfius Cent. 14. Lect. Memor. p 677, 678, 679, 680, 681, 682, 683. & Centur. 16. pag. 843.

CCCIII. *Petrus Ioannis, Minorita.*

ANte Annos 260. vel amplius, floruit Petrus Ioannis, diœcesis Biranensis Minorita, qui tum alia multa contra Papam docuit, tum etiam quod Papa sit Antichristus & Synagoga Romana sit magna Babylon. Scripsit super Matthæum, Epistolas, & Apocalypsim. Hunc cum vivum nequisset exurere Papa, longo post mortem tempore ossa ejus effossa exussit. Facit ejus mentionem Nicolaus Emerici, in libro suarum Inquisitionum; aitq; ab eo porrò Michaelem Cesenatem sua dogmata mutuatum esse. Facit & Balæus ejus mentionem in Laurentio Anglico, in Catalogo Britannicorum scriptorum.

CCCIV. *Eduardus V. Rex Angliæ.*

Angliæ sedis Papalis & tyrannidis hostis.

EDuardus Rex Angliæ V. ut opinor, ejus nominis, regnavit circiter annum 1310.

1310. id eſt, fermè ante 240. is de conſilio Parlamenti ſui, & ad petitionem totius regni, ſcripſit miſerabilem Epiſtolam, quam habeo, petens à Papa, ut deſinat ſui regni Eccleſias commendare, cui ipſi libet; relinquatque ſibi ac regno liberam electionem Prælatorum, aliorumque Paſtorum, ſicut olim eam habuerunt. Queritur lugubriter, Papam conferre regimen Eccleſiarum indignis, qui plerunque neque curent ſalutem omnium, nec earum vocem intelligant, nec etiam in ſuis Eccleſiis reſideant; ſed tantum lucro inhient, reditus Eccleſiarum per Procuratores exigentes, & oves deglubentes; unde fieri, ut pii & docti homines indigenæ paupertate preſſi, ſtudia deſerant, ædificia Eccleſiaſtica corruant, ſalus animarum periclitetur, & regnum denique penitus exhauriatur, & debilitetur Domini vinea. Dicit quoque inter cætera, majores ſuos & alios Proceres regni olim ædificaſſe & dotaſſe templa munificè, idoneosque miniſtros Eccleſiis præfeciſſe, ſicque ibi pietatem propagatam. Iam autem (inquit) *aper de ſylva devaſtat vineam Domini Sebaoth, & ſingulares feræ depaſcunt eam*; intelligens ſcilicet, ut ex ſequentibus patet, per *aprum de ſylva*, ipſum *Papam*, vel certè ejus perverſum regimen.

Similes, aliasq; plures calamitates, & in aliorum regnorum gentiumque Eccleſiis, Clemangis, in libro *de Corrupto Eccleſiæ ſtatu*, ob talem venditionem ſeu donationem, ſeu etiam proſtitutionem Eccleſiarum accidiſſe, queribundus commemorat; nam de hac Gallicarum Prælaturarum direptione, & pragmatica ſanctione, perpetua fermè fuere Regibus Galliæ certamina cum Papis, inde à Bonifacio VIII. uſque in hodiernam diem, dum alius Rex ſibi id jus extorqueri patitur, alius verò neceſſitate præſentiq; ſui regni periculo illud ad ſe retrahere, & Pragmaticam ſanctionem in uſum reducere cogitur. Qua de cauſa etiam appellatio ſcholæ Pariſienſis contra Leonem X. de qua alibi, fuit inſtituta. Sed de contentionibus Gallicorum Regum cum Papis, alibi. Illud verò obſervandum eſt, quod in ſcripto cum Clemangi impreſſo, titulo *Apoſtoli nationis Gallicæ*, ſcriptum extat, Regem Angliæ tandem ſevero edicto prohibuiſſe Annatarum exportationem, & petitionem Prælaturarum Anglicarum apud Papam; nimirum id fecit, poſtquam ſe vidit fruſtra ſupplicare Papæ.

VViclephus in libro *de Papæ poteſtate*, narrat ex Chronica quadam titulo *Flores hiſtoriarum*, aliam hiſtoriolam, quæ longè ante hanc accidit. Dicit, Papam anno 1226. miſiſſe in Angliam quendam Legatum ſuum à latere, nomine Otthonem, qui in Comitiis regni Bullam Papæ oſtenderit, in qua beatiſſimus confitetur verum eſſe, quod Romæ in curia nihil effici aut impetrari ſine maxima effuſione ſeu profuſione pecuniæ, largiſſimisque donis poſſit; eoque Romanam Eccleſiam, quæ mater omnium aliarum ſit, infamem ob avaritiam, ſimoniam & corruptelas eſſe; ſed id inde accidere, quod aliter ſeſe Papæ miniſtri alere nequeant. Decere igitur ipſos Anglos, tanquam bonos Eccleſiæ filios, ut ſuam matrem ea ignominia liberent. Poſſe autem id eos ita facere, ſi aliquo *charitativo ſubſidio* (ut Curtiſani ſuas

Flor. p. 284. ed. Francof. 1601.

ſuas turpiſſimas expilationes vocant) eam ſublevent, ſubſidium porrò id eſſe poſſe idoneum, ſi ex omnibus Cathedralibus Eccleſiis *duæ præbendæ*, & ex omnibus Monaſteriis *duæ bonorum partes*, habita ratione ad Abbatem & Monachos, perpetuò darentur. Verùm Rex ac regnum tunc id penitus recuſavit. Apparet porrò ex priori hiſtoria, Papam poſt hanc primam repulſam non deſiiſſe ſuis technis circumvenire Anglicanas Eccleſias, donec tandem jus omnes ditiores Prælaturas, conferendi omnia opulentiora ſacerdotia cui vellet, nanciſceretur, ut paulò antè oſtendi. Cæterùm *Epiſtola Regis* cujus memini, hæc eſt.

Sanctiſſimo in CHRISTO Patri Domino Clementi divina providentia, ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici. Eduardus eadem gratia Rex Francorum & Angliæ & Dux Hiberniæ, devota pedum oſcula beatorum: penſata ſedis Apoſtolicæ clementia, quæ de fovenda devotione CHRISTI fidelium, & animarum ſalute ſolet eſſe ſummè ſollicita, non quærens quæ ſua ſunt, ſed quæ ſunt potius IESV CHRISTI tenet probabiliter noſtra fiducia, quod veſtra maternitas inſpecta celſitudinis Apoſtolicæ præclaritate miſericordiæ, & ſcientia divinitus jam erecta, ea quæ decus Eccleſiæ & devotionem plebis attenuant & animarum & rerum pericula comitantur, curabit miſericorditer reformare. In publicam autem non ambigimus notitiam perveniſſe, qualiter ab exordio naſcentis Eccleſiæ, in regno noſtro Angliæ progenitorum noſtrorum Regum Angliæ, & Procerum ac fidelium dicti regni dignè recolenda prioritas, propter Domini cultus augmentum conſtruxit Eccleſias & ipſas amplis dotavit poſſeſſionibus, & privilegiis communivit, ponens in eis miniſtros idoneos, qui fidem catholicam in ſubditis ſibi linguis & populis fideliter propagarunt: per quorum curam & ſollicitudinem vinea Domini Sabaoth cum cultu & fructu ibidem mirificè fœcundavit. Sed (quod dolendum eſt) ipſius vineæ progenies degeneravit in labruſcas, exterminat eam aper de ſylva, & ſingulares feræ depaſcunt eam, dum impoſitiones & promiſſiones ſedis Apoſtolicæ, quæ ſolitò gravius ipſius peculium contra piam voluntatem & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum & præſertim cæterorum & ejus dignitatis beneficia pinguia perſonis conferuntur alienigenis, plerunque nobis ſuſpectis: qui non reſident in dictis beneficiis & vultus commiſſorum ſibi pecorum non agnoſcunt, linguam non intelligunt, Sed animarum cura negligitur, velut mercenarii ſolummodo temporalia lucra querunt & ſic dominuitur CHRISTI cultus animarum cura negligitur, ſubtrahitur hoſpitalitas. Eccleſiarum jura depereunt, ruunt ædificia Clericorum, attenuatur devotio populi, Eccleſiaſtici ſacerdotes regni viri magnæ ſcientiæ & converſationis honeſtæ, qui curam animarum paſcendarum ibi, & regimine ſalubriter peragere pro noſtris forent & publicis conſiliis oportuni ſtudium deferunt propter promotionis congruæ ſpem ablatam quæ divinæ ſimus eſſe, non placidæ voluntati. Quæ omnia in grave noſtrum & fidelium noſtrorum vertentur præjudicium

dicium & ineffabile periculum, nisi ſemper citius & conſultius caveamus. Nam jus Patronatus, quod nos & fideles noſtri in talibus obtinemus beneficiis, enervatur. Curia noſtra in qua duntaxat cauſæ ſuper jure Patronatus dictorum beneficiorum tractari debent, & ſic jura coronæ noſtræ regiæ tam probroſæ, quàm damnoſæ depereunt: & regni theſaurus ad extraneos, ne dicamus noſtros malevolos aſportatur ſubtili forſan artificio, ut regno depreſſo, ſacerdotioque & ejus exhauſto theſauro, reddatur regnum debilius in adverſis quæ ſingula & alia, quæ ex præmiſſis ſequuntur incommoda, fuerunt nuper coram nobis in Parlamento noſtro generali per communitatem dicti regni in conventu palam expoſita, unanimi & ardenti petitione ſubjuncta: Ut prædictis diſpendiis quæ dictæ communitati videntur intollerabilia, celeriter occurramus. Nos autem Anglicanæ depreſſionem Eccleſiæ, & exhæredationem coronæ regiæ, ac mala prædicta quæ diſſimulata diutius adducent veriſimiliter graviora pericula, cernentes intuitu ad vos Succeſſorem Apoſtolorum principis, qui ad paſcendum non ad concidendum oves dominicas & confirmandum, & non deprimendum fratres ſuos majoritatem à CHRISTO ſuſcepit.

Iſta deferimus votivis affectibus ſupplicantes quatenus ponderando & conſiderando, quod de jure creandi ſunt devoti populi magiſtratus, & juxta dictum Prophetæ, dandi ſunt de eodem loco populi doctores, quod per beatos Apoſtolos eſſe factum, dum gentibus viros linguarum ſuarum habentes notitiam præfecerunt, penſata etiam devotionis plenitudine, quod Dei gratia noſtra regia, in * & Clerus ac populus dicti regni perſtiterunt hactenus in obedientia dictæ ſedis, propter quod non deberet ei paternus affectus onera & gravamina cumulare: Scilicet velitis, ut pater filiis theſaurizans alleviare. Dictarum impoſitionum & perviſionum ac onerum jam per ſedem Apoſtolicam invaleſcentium gravitatem permittentes ulterius, ut patroni patronatus ſui ſolatium non admittant, Eccleſiæque cathedrales, & aliæ dicti regni liberas actiones & eorum officia habeant. Quas quidem Eccleſias dicti regni progenitores, dudum in ſingulis vocationibus eorundem perſonis idoneis jure ſuo regio liberè conferebant, & poſtmodum ad rogandum ad inſtantiam ſanctæ ſedis, ſub certis modis & conditionibus conceſſerunt, quod electiones fierent, in dictis Eccleſiis per templa eorundem, quæ conceſſio fuit per ſedem ipſam ex certa ſcientia confirmata, ſed contra formam acceſſionis & confirmationis prædictæ ſedis per reſervationes & promiſſiones ſuas dictis capitalis adimit ſupradictas electiones, & nobis jus & prærogativam, quæ juxta formam dictæ conceſſionis nobis competent in hac parte, propter quod juxta legem regni noſtri, ex quo lex in conceſſione poſita non ſervatur, conceſſio reſolvitur & ſtatim revertit in primævum, ſuper præmiſſis igitur dirigemini quæſumus, noſtra benignitas ad honorem Dei & ſalutem animarum, nec non attollenda ſcandala, &

præjudicia prælibata, festinanter & salubre temperamentum opponere, ut nos & nostri qui personam vestram sanctissimam & sanctam Romanam Ecclesiam dominari cupimus, ut debemus, cessantibus dictis malis intollerabilibus, in prima vestræ dilectionis dulcedine acquiescamus, Revereseatque nostra devotio, per ostensam nobis piæ moderationis vestræ clementiam, recreata. Conservet vos altissimus regimen Ecclesiæ suæ sanctæ, per tempora prospera & longæva. Datum apud VVasen. die 7. Anno regni nostræ Franciæ 4. Regni nostri verò Angliæ decimo septimo.

CCCV. Conradus Hager.

Missæ superstitio.

VIxit Herbipoli M. Conradus Hager, circa annum Domini 1340. Is, ut ex Bullis quibusdam Otthonis Episcopi Herbipolensis patet, confessus est, se annis 24. sensisse & docuisse, *Missam nullo modo esse sacrificium, aut cuiquam vel vivo vel mortuo prodesse*; eoq; nequaquam celebrandam. Dixit pecuniam, quæ à morientibus promissis relinquatur, esse veluti furta & sacrilegia quædam sacerdotum, quæ illi pauperibus impiè subtrahant. Dixit etiam, se, si haberet hypocaustum plenum aureis, non unicum daturum pro Missis. Affirmavit etiam, se putare propterea populum abhorrere à Missis, quod ipse multos eam sententiam docuerit. Abhorruisse autem incolas eorum locorum tunc à Missis pro mortuis, non solum hinc, sed etiam ex alio ejusdem Episcopi mandato apparet, ubi severiter subditis præcipitur, ut persolvant ea, quæ à suis majoribus pro statis Missis legata testamento fuerant. Ob hanc sententiam ille bonus magister damnatus, ac in carcerem inclusus est; nec scio, quem sit finem sortitus. Vtinam aliquid plenius de ejus doctrina haberi posset. Fortè etiam scripsit aliquid. Haud dubiè ille auditoribus verum sacerdotem, verum agnum, verumq; sacrificium, pro isto commentitio Antichristi digito, cum Ioanne ostentavit.

* V Volfius Cent. 14. Lect. Memor. p. 631.

CCCVI. Nicolaus Orem.

Oratio corā Vrbano V. habita.

FLoruit Nicolaus Orem circa annum Dom. 1364. Habeo in vetusto codice scriptam ejus orationem, quam coram Papa Vrbano V. & Cardinalibus, in Vigilia Nativitatis Domini supradicto Anno habuit, quæ post adjungetur. Acris profectò est admodum, & duriter eos, aliosque omnes Prælatos ac sacerdotes reprehendit. Summa porrò orationis ea est, quod Papæ ejusq; Clero de proximo imminere exitium prænunciet. Signa suæ prædictionis, ex eorum sceleribus sumit. Omni Prophetarum dicta contra impios Iudæorum sacerdotes, accommodat ad Clerum sui temporis: eosq; affirmat esse canes, non valentes latrare: esse canes impudentes, nescien-

nescientes saturitatem: esse Pastores, qui non gregem, sed semetipsos pascant, ignorantes intelligentiam: abivisse unumquemque eorum in viam suam, declinasse ad avaritiam à summo ad minimum. Dicit eos tanto pejores Synagoga esse, quantò gravius scelus sit Ecclesiam & Sacramenta vendere, quàm pati vendi columbas in templo. Inter signa venturæ calamitatis, ponit etiam inæqualitatem inter sacerdotes, quod alii ex eis sint plus quàm Reges, alii sint miseriores & contemptiores mendicis: Item, nimiam superbiam Prælatorum, nimiam eorum tyrannidem in Christianos. Affirmat Papam & Prælatos promovere indignissimos nebulones ad amplissima sacerdotia ac dignitates: optimos verò, ac omni honore dignissimos ab eis contemni. Objicit eis, quod & pelles & carnes ovium crudeliter ab eis auferant. Quare proponit eis etiam illam Ezechielis prophetiam: *Cessare eos faciam, ut non ultra pascant gregem meum: liberabo eum de ore ipsorum, & non erit eis ultra in escam.* Contra istam vanissimam, & tamen perpetuam Papistarum objectionem, quod ibi sint Ecclesia, quam Dominus non sit deserturus, quia sit pollicitus se cum ea fore usque in finem seculi: item, *Oravi pro te Petre, ne deficiat fides tua:* item opponit illud Prophetæ dictum, *Nolite confidere in verbis mendacii: templum Domini, templum Domini*, &c. Vtinam ea haberi possent, quæ privatim aut dixit, aut scripsit; nam si coram Papa talia dicere ausus est, verisimile est cum alias, ubi minus periculi fuit, plura ac majora dixisse. Tribuunt huic quidam vetustiores codices *Epistolam Luciferi.* Tempus sanè propemodum convenit, nec etiam sententia Epistolæ ab ejus animo multum discrepat. Sed adjiciamus prædictam ejus *Concionem* coram Papa & Cardinalibus habitam: quandoquidem vix spes est, eam alioqui in lucem prodituram.

Concio Oremi corã Papa & Cardinalibus habita.

Iuxta est salus mea, ut veniat: & justitia mea, ut reveletur. Esai. 56. Secundum sententiam B. Pauli Rom. 2. & in pluribus locis, ante Christi nativitatem, totus mundus erat divisus in duo genera hominum, scilicet Iudæos & Gentiles. Iis quidem Iudæis expectantibus apertionem januæ paradisi per sanguinem Salvatoris venturi, per quem populus gentium, qui ambulat in tenebris, erat vocandus ad lucem, & justificandus ex fide, ut habetur Rom. 5. Hanc autem salutem promiserat olim Deus Patribus in Prophetis, ut hujusmodi rei desideria in eorum cordibus accenderet, & firmam spem & fidem augeret. Mich. 6. Vox Domini clamat, & salus erit hominibus timentibus nomen suum. Esa. 46. Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meã. Item multa rursum. Quia spes quæ differtur, affligit animam: nimirum spes frequentius intulit de tarditate fastidium, & de propinquitate solatium. Esa. 14. Propè est ut tempus ejus veniat. Et Abacuc. 2. Veniet, & non tardabit, & multa similia. Expectabant enim sancti Patres in limbo, ut ipse educeret de conclusione vinctum & de domo carceris sedentem in tenebris, Esa. 42. Et appropinquavit tempus, in quo plenitudo gentium intraret. Rom. 11. Et in qua voluit Dominus notas facere divitias sacramenti hujusmodi, quod erat abscon-

ditum à seculis, & à generationibus Col. 1. Dominus igitur uno eodemque oraculo patres nostros de Salvatoris adventu certificat, de propinquitate lætificat, & justificationem gentium pro fidei intelligentia instare designat Dominus in verbis assumptis, Iuxta est salus, &c. Hoc autem impletum est, quando notum fecit Dominus salutare suum, & in conspectu gentium revelavit justitiam suam. Quantum igitur ad prius, & ad propositum. Prima pars assumpti verbi, ad Dominicæ nativitatis vicinitatem debet applicari, qua Dominus dicit, Iuxta est salus. Secundò ad mysteriũ adventus Christi, cujus est hodie quarta Dominica, potest aptari: cũ dicitur, Vt veniat: Prope enim est ut veniat: quia, Ecce ego ad vos, dicit. Tertiò, de se veritate divinæ vindictæ nobis tremenda poterit exponi. Quia dicit & justitia, ut reveletur scilicet primitiva, de qua Amos 5. Et revelabitur quasi aqua judicium, & justitia quasi torrens fortis. Primò igitur ad contemplationem solennitates sacratissimæ vigiliæ, cum gaudio suscipiamus verbum Dei Patris, Iuxta est salus mea: scilicet Christus: cui dicit Esa. 49. *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea ad extremum terræ de quo* Esa. 46. *Salus mea non morabitur.* Nam ejus proximationem Evangelium hodiernum patefecit, ubi Matth. inquit: *Cum esset desponsata viro Maria mater ejus Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Ex hac re apertè cognosci poterit, quod Salvator debeat in brevi de claustris pudoris oriri, sicut Propheta prædixit: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Nam quemadmodum grossior uva maturat ad vinum, & flos expansus festinat ad fructum: ita salus mundi in elevatione ventris virginis cœpit humano generi propius imminere. Tunc enim apparuit benignitas & humanitas Salvatoris, cum mater ejus inventa est in utero habens de Spiritu sancto, sicut in sequentibus testatur. Angelus dicit: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Sed quomodo in ea natum est? Quia si non sicut cæteri, de cursu novem mensium paulatim formatus, sed ab instanti conceptionis ejus simul fuit & verus Deus, & verus homo perfectus: & si non mole corporis, tamen decore virtutis, & quasi jam natus: ut dicit Augustinus in Epistola ad Dardanum: Etiam potest dici jam natus, quia propè est ortus ejus, dicente Domino, Esa. 51. Propè est justus meus, egressus est Salvator meus, sicut in prima parte verbi propositi dicebatur.

Secunda pars ejusdem verbi, contemplationi mysterii adventus Christi in carnem, potest aptari, cum dicit, *Vt veniat:* Aggæi 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus:* Quamvis & de secundo adventu, de quo Esaiæ 3. dicit, *Dominus ad judicium veniet,* posset exponi: pro cujus memoria, quarta Dominica fuit olim à sanctis Patribus dedicata, & de ista die judicii dicitur illud Sophoniæ primo: Iuxta est dies Domini magnus, juxta est & velox nimis. Et quamvis non in se, tamen in tribulationibus, præambulis ejus, sicut ait beatus Gregorius: Vltima tribulatio multis tribulationibus prævenitur, licet nondum statim sit finis. Ideo transeundo ad tertium videamus, si fortè de tribulationibus prævenientibus ultimum adventum

ventum Christi,sit propinqua aliqua ventura,ut de ea exponatur ultima pars verbi propositi, quo dicit Dominus: *Et justitia mea,ut reveletur*, scilicet primitiva,ut adducatur justitia,& impleatur prophetia Danielis 9.Et ad finem: Quòd hoc malum per nostram conversionem ad Dominum cum humana prudentia posset vitari,aut minui, aut saltem differri.

Circa hæc, quatuor sunt dicenda: primò,quòd si futurum est de tribulatione, ut reveletur. Secundò de ejus acceleratione,quia juxta est. Tertiò de falsa æstimatione circa hæc,quia dicit,Vt veniat,& quartò de consultatione, quæ potest fieri, ut juxta sit salus. *De novissimis temporibus.*

Quantum ad primum,ita notorium est, & exercitatum in sacra Scriptura, quòd Ecclesia patietur, quod superfluum videtur ad hoc allegare: ut quia ex hoc potuit hujusmodi mali modus & causa perpendi,& terminus conjecturari. Pro qua promitto duas regulas. Vna est, quòd per duo regna gentis Hebræorum quæ fuerunt olim, videlicet per regnum Israel, cujus caput erat Samaria,significatur in Prophetis synagoga,& per secundum regnum Iudæ,de cujus stirpe natus est Christus,à quo videlicet Iudæi sumus,secundum Apostolum: & per Ierusalem,quæ fuit secundum regnum Metropolitana, designatur Ecclesia. Ista regula non est mea, sed habetur in glossa authentica Hieronymi,& est Origenis & ultima in Omelia super Vetus Testamentum, per Ecclesiam approbata: ubi probatur multiplici ratione, & sacri canonis authoritate. Alia regula est, quod per meretricium & fornicationem intelligitur simonia, & abusiva dispensatio atque promotio, quæ fit lucri causa,seu alio adulterino favore. Nam tale quid,quo ad officia & honores seculi per leges gentium reprobatur, ut sitis: Merx dicitur namque à mercede, pro qua venditur illud quod natura fecerat non venale. Dare ergo aliquid pro pacto,quod erat debitum pro virtute, est quodam genus corruptionis spiritualis, quod olim meretricium dicebatur: secundum quod Esaiæ 1. de Ierusalem queritur, Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? Et Oseæ 9. Ierusalem fornicata es à Deo tuo,dilexisti mercedes super omnes areas tritici,& in multis locis Scripturæ non potest fornicatio aliter recipi. Ergo si secundum doctrinam beati Petri Apostoli voluerimus sermoni Prophetico benefacientes attendere, ac noscere, quòd Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines: super hanc Ecclesiam indagemus, seu etiam discurramus Scripturas, instructi regulis supradictis,quibus tanquam duabus clavibus reserabitur nobis,& aperietur intellectus earum super statu Ecclesiæ præterito & futuro.

Ex causa videamus de uno. Dominus enim Ezech.16.huic Ecclesiæ loquens sub nomine Hierusalem, sic ait: In die,in qua nata es, vidi te conculari in sanguine tuo, videlicet loquitur de tempore martyris. Sequitur: Et multiplicata es,& grandis effecta, & mundavi sanguinem tuum ex te (scilicet ex cessatione persecutionis) & dedi coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro & argento, vestita es *Synagoga & Ecclesia post Christum consideratio.*

 bisso,

biſſo,& decora facta es vehementer, & facta es in dedecore meo, quem poſueram ſuper te, Et magis videtur hiſtoria,quàm prophetia, de proſperatione Eccleſiæ.Sequitur : Et habens fiduciam in pulchritudine tua,fornicata es in nomine meo,fornicatione ſupradicta: quod de carnali nequaquam poteſt intelligi. Et poſt omnes abominationes tuas,nō es recordata dierum adoleſcentiæ tuæ: ſcilicet de ſtatu primævo,quando eras nuda,id eſt pauper,& conculcata in ſanguine tuo : & abominabilem feciſti decorem tuum. Ecce quomodo luciduſſimè prædicitur deterioratio Eccleſiæ.Et ſtatim ſequitur punitio: Et ecce,dicit Dominus. Dabo te in manus odientium te, & deſtruent lupanar tuum, & demolientur proſtibulum tuum:ſcilicet locum ubi exercebas injuſta, & denudabunt te veſtimentis tuis,& auferent vaſa gloriæ tuæ, & derelinquent nudam,plenam ignominia.

Ecce poteſtis videre, quid Eccleſiæ ſit venturum,& ſubdit capitulum dicens: Soror tua Samaria,id eſt, Synagoga,dimidium peccatorum tuorum non peccavit, ſed viciſti eam ſceleribus tuis. Ergo & tu porta confuſionem tuam.Et infrà 23.cap. poſtquam diffusè deſcripſit malitiam & deteriorationem ſynagogæ,adjecit de Eccleſia dicens: Quod cum vidiſſet ſoror ejus,plus illa inſanivit. Libidinem & fornicationem ſuam præbuit impudenter ducibus & magnatibus ad ſe venientibus,indutis veſte varia. Inſanivit inquam libidine, cupiditate divitiarum, & concupiſcentia delitiarum Erat namque futurum, ut Prælati non vererentur Eccleſiæ primitivæ venerandam pudicitiam precio & precibus, & primis actibus infamare. Cui ſic proſtitutæ conſequenter Dominus dicit: Confractæ ſunt mammæ pubertatis tuæ,& ſubjungit punitionem dicens: Receſſit anima mea ab ea,ſicut receſſerat à ſorore ejus· ſcilicet ſynagoga.Et repetit cauſam dicens: Scelus tuum & fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi. Similia reperiuntur in Eſaia, Hieremia, Ezechiele,& cæteris Prophetis : ex quo eodem ſenſu ac prope eiſdem verbis locuti ſunt,concluditur, quòd omnes uno ore pronunciaverunt, hanc Eccleſiam graviter peccaturam, & ſuis exceſſibus multa mala paſſuram, ac bonis temporalibus,niſi pœniteat, ſpoliandum. Vnde Oſeæ 2. Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, ne fortè expoliam eam nudam, & ſtatuam eam ſecundum diem nativitatis ſuæ,id eſt,in paupertate primitiva: quoniam niſi ſic faciat, ipſa erit de quo Naum tertio dicitur : Propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ & gratæ, & habentis beneficia, quæ vendidit. Item & poſt pauca ſequitur, Oſtendam gentibus nuditatem tuam,& regnis ignominiam tuam. Patet igitur, quòd ſuper hanc Eccleſiam aliquando eſt revelanda Dei juſtitia primitiva. Et hæc de primo.

De apoſtaſia à Paulo prædicta.

Ad ſecundum,quia dicitur in themate, Iuxta eſt, item,quamvis non ſit noſtrum noſſe tempora: forſitan tamen ex quibuſdam ſignis, quæ dicam, poterunt ſuſpicari aliqua de propoſito. Vnde recipio ex Apoſtolo ad Theſſalonicenſes 2.cap. 2.ubi ait, Niſi venerit diſceſſio: quòd Hieronymus in ultima quæſtione,ad inquiſitiones

tiones Ianuarii allegoricè exponit de Romani Imperii desolatione, inter quam & persecutionem Ecclesiæ præsentia Antichristi nullum ponit medium. Nunc autem qualis ejusdem Imperii præsens sit status, & præcipuè ad ejus pristinam majestatem, vos judicare. Quædam glossa dicit: Quòd erit discessio aliquarum Ecclesiarum ab ipsa Romana. In illud, Signum erit quando Ecclesia erit pejor moribus, quàm fuerat synagoga, ut patet per Glossam Ordinariam alligatam Hieremiæ 3. ubi dicitur, Iustificavit animam suam aversatrix Israel, id est, synagoga, in comparatione prævaricationis Iudæ, id est Ecclesiæ, ubi Origenes. De vobis dictum intelligite. Ezechielis 16. Dominus dicit: Vicisti sororem tuam sceleribus tuis. Pharisæos, qui (ut ait Hieronymus) erant Clerici Iudæorum. Salvator noster vocavit, ut scitis, de avaritia, quia permittebant vendi columbas in templo Dei: & de hoc, quòd solis labiis honorabant Deum: & quod dicebant, non faciebant: & erant hypocritæ. Videatis igitur, si pejus est Sacramenta & beneficia vendere, quàm permittere vendi columbas in Templo. Hic sunt aliqui, qui nec labiis Deum honorant, qui non solum non faciunt bona, sed nec dicunt, nec prædicant: canes muti, non valentes latrare: canes impudicissimi, nescientes saturitatem. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam à summo usque ad novissimum, ubi thema. Sic etiam sunt nonnulli, quorum insolentia & malitia ad modum ignis in tantum succensa est, quòd hypocrisis pallio nequit operiri, sed facti sunt verecundi, quorum Ecclesiæ improperando dicitur: Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.

Tertium signum sumitur ex proportione inæqualitatis nimiæ: quia alius quidem esurit, alius verò ebrius est. Sicut enim ad bonam harmoniam requiritur vocum inæqualitas moderata in musica, quæ si nimis excedit, tollit melodiam: ita secundum Philosophum, propter immoderatam disparitatem civium corrumpitur politia: unde taliter instituta, in qua sunt mediocres, est diuturnior & securior. Nunc autem non puto posse in historiis reperiri, quod unquam fuerit aliqua gentium politia benè instituta, in qua esset tanta doctrina, quàm nunc sit in politia Sacerdotum: ut ii quidem essent majores quàm Principes seculi, cæteri dejectiores vulgò, communitas talis vocatur oligarchia. In corpore enim (cui juxta sententiam Apuleii, Plutarchus scribens ad Tharaicinum, assimulavit Rempublicam) idem videamus, si nutrimentum fluat ad unum membrum, ita ut enormiter ingrossetur, & alia nimium macerentur, non potest diu vivere: sic in corpore Reipub. Ecclesiasticæ, si superiores augmentatione substantiæ ita graves in statu sunt, quòd vix possunt ab inferioribus sustineri, hoc est, signum & causa propinquæ ruinæ. De hoc enim ultra se offert illud Esaiæ 1. Omne caput. Item, Si verò videt, operibus languerent capita, quibus dicitur Amos 6. Væ æ qui opulenti estis in Syon, & qui confiditis in monte Samariæ optimates. Item sequitur, A planta pedes usque ad

Oligarchia' fert anarchia Pontificia.

verticem

verticem non est in eo sanitas: in inferioribus, præ inopia non potentibus vivere: & superioribus, excessu divitiarum impediente à bono opere, & ultra, Vulnus & livor & plaga tumens. Ecce periculum, ut sequatur vulnus divisionis & discordiæ, livor rancoris & invidiæ, plaga tumens rebellionis & contumeliæ.

Prælatorum fastus. Quartum signum est, *fastus Prælatorum*. Fuerunt enim quidam, qui fatuè disputaverunt de paupertate Christi, & invexerunt in Prælatos, quia non sunt sancti: depinguntur Apoc. Sed hæc fantasia venit ex ignorantia Moralis Philosophiæ & Theologiæ, defectu naturalis prudentiæ, quam in omni gente & lege vulgata de jure, quod est propriè naturale, Sacerdotes habuerunt, & debent habere, unde possent vivere honestius quàm populares, & Prælati quàm subditi, sed ex hoc non conceduntur equitaturæ, seu familiæ superflua pompa, quæ rarò potest absque superbia duci, & salva justitia sustineri, & prælium non sine injuriis indebitis. Vnde Iustinus de Carthaginensibus. Familia, inquit, tantorum Imperatorum gravis erat liberæ civitati. Talis fastus in Ecclesia Dei, potissimum temporibus istis, non tantum movet paucos ad reverentiam, quantum multos ad indignationem: & plures invitat ad prædicta, qui se reputarent Deo sacrificare, si possent, quosdam crassos presbyteros spoliare: istos præcipuè, quos nec nobilitas generis, nec scientia suffragatur: sed sunt viri mendaces, serviles, & fraudulenti, quibus Dominus dicit Amos 4. Vaccæ pingues Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, ecce dies veniet, &c.

Tyrannis Prælatorũ. Quintum signum est, *tyrannis præsidentium*, quæ cum sit res violenta, durare diu non potest. Sap. 6. Oportebat sine excusatione venire interitum exercentibus tyrannidem. Proprietas tyranni est, quærere non bonum subditorum, sed utile proprium. Tales sunt pastores, qui non pascunt gregem Domini, sed semetipsos: quibus dicitur Ezech. 24. Væ pastoribus, qui pascebant semetipsos, &c. Item multa ibidem contra pastores: Væ qui gaudent de malefactis eorum, quos possunt peculialiter condemnare, nec quærunt quantum solvere possit, quibus Dominus dicit Mich. 3. Vos odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eos, & carnem eorum desuper ossibus eorum: & ita comederunt carnes populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt. Idem dicit Ezech. 34. Cessare eos faciam, ut non pascant ultra gregem meum: liberabo eum de ore eorum, & non erit eis ultra in escam.

Indignorũ promotio. Sextum signum est, *promotio indignorum*, & vilipensio meliorum. Hæc secundum Aristotelem, est maxima causa dissolutionis politiæ, & sæpè contingit in militia seculari, quòd inhonoratio illustrium, & exaltatio inferiorum, seditionem parit. Nam propter hoc in parte, & propter quædam præmissa, non solum in codicibus legimus, sed oculis nostris vidimus, quædam regna penè destructa. ubi homines pauci facti sunt, & vexati sunt à tribulatione malorum, & dolore: effusa est contentio super Principes, sicut Haimo in Christianarum rerum memoria recitat

ex

ex Origine. Hæc est semper humanæ duritiæ incredulitas, ut non solum audiendo, sed etiam videndo non credat alios interiisse, nisi & seipsos videant interire.

Septimum signum est, *tributatio politiæ secularium*, & *commotio populorum*, quæ in multis partibus jam experta est: & quoniam ait Seneca, Mala indignantur sola venire, timendum, ne postmodum Ecclesiastica politia non solum incidenter, sed etiam intrinsecus patiatur, & impleatur quod dicitur Hierem. 3. Contritio super contritionem vocata est repentè, vastata sunt tabernacula mea. Ezech. 7. Adducam pessimos de gentibus, & possidebunt domos eorum: & quiescere faciam superbiam potentum, & possidebunt seminaria eorum: Conturbatio super conturbationem, auditus super auditum, & lex peribit à Sacerdote, & consilium à senioribus. *Disciplinæ eversio.*

Octavum signum est, *recusatio correctionis*, si forsitan de Principibus Ecclesiæ evenit, quod scriptum est Hier. 7. Noluerunt attendere, & cor suum posuerunt adamantem, ne audirent verba quæ misit Dominus in spiritu suo, per manus Prophetarum suorum. Et Esa. 3. Filii mendaces, filii nolentes audire legem, qui dicunt, nolite accipere verba quæ vera sunt, loquimini nobis placentia. Hoc autem implebitur, quando Prælati veridicos & scientificos habebunt invisos, sicut de ipsis scriptum Amos 5. Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati sunt. Et ideo Ecclesiæ Hierusalem dicit Dominus Oseæ 4. Quia tu repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, & oblitus es legis Dei tui, gloriam filiorum tuorum in ignominiam commutabo: & erit sicut populus, sic sacerdos. Multa quidem alia dicta sunt in Prophetis de dejectione sacerdotalis honoris. Et præter hoc sunt alia signa, ut puta recessus justitiæ, & penuria sapientum, prælatio puerorum, & novitas opinionum. Sed attentis prædictis, judicare poteritis utrum præsentia tempora secura, & utrum habeant locum hæc quæ Dominus in themate dicit: Iuxta est justitia mea ut reveletur, & hæc de Secundo. *Induratio Cleri.*

Quantum ad tertium, *quatuor opiniones* possunt hominibus circa hoc occurrere, quibus tamen sacri Canonis contradicit authoritas. *Una* est enim, *nimis confidentium*, atque dicentium quòd Prælati sunt Ecclesia, quam Dominus semper custodiet, nec deseret eam: sicut promiserat eis in personis Apostolorum dicens, Matth. 28. Ego autem vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Sed hoc intelligendum est, quantum ad fidem, de qua Christus dicit Lucæ 21. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Vnde Eccles. 9. Fides in seculum stabit, & dum refrigescet charitas, fides manebit in paucis, inter mundi pressuras, quas idem salvator frequenter prædixit esse venturas. Et ne fortè aliqui se putent à tribulatione securos, quia sunt de Ecclesia, huic opinioni obviat Dominus, cum dicit Hier. 7. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes Templum Domini est, Templũ Domini est, & paululum plus: Vos confiditis in verbis mendacii, quæ non proderunt vobis. *Quo sensu Christus sua adsit Ecclesiæ.*

Securitatis Pontificiæ refutatio.

Alia opinio eſt *prorogantium*. Benè enim concedunt, quòd Eccleſia turbabitur: ſed non ita citò, qui jam multæ cauſæ prætactæ, & ſigna aliàs extiterunt. Nam dudum per ſanctos Doctores Gregorium, & Bernardum, fuerunt reprehenſi Prælati, de receptione muneris, de pompis, de promotione indignorum, & aliis vitiis, quæ quidem regnaverunt in Eccleſia etiam plus quàm nunc: & tamen Dei gratia uſque adhuc proſperè ſtetit. Non vides, quòd ſi domus aliquandiu fuit ruinoſa, quòd propter hoc ſit à caſu remotior, aut minus periculoſa? Etiam multotiens accidit in principatibus, quòd poſteri pereunt temporaliter pro peccatis prædeceſſorum. Vnde Thren.5. Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt, & nos iniquitatem eorum portamus. Iuſtè huic cogitationi occurrit Dominus in exemplo Ezech.12. dicens: Fili hominis, ecce domus Iſrael dicentium: Viſio, quam hic vidit, in dies multos, & in tempora multa ipſe prophetavit. Propterea dices ad eos, dicit Dominus: Non prolongabitur ultrà verbum, ſed in diebus veſtris faciam illud, & Eſa.3. Subitò vidimus diebus quædam, quæ nuper erant incredibilia, & ſimilè aliàs evenit, ſicut ſcriptum eſt Thren.4. Non crediderunt reges terræ, & omnes habitatores orbis, quòd ingrederetur hoſtis, & inimicus per portas Hieruſalem, propter iniquitatem ſacerdotum ejus, &c. Per Hieruſalem, ſicut dictum eſt, deſignatur Eccleſia. Tertius error eſt valde perverſus, quorumlibet dicentium: Veniat, quod poterit, conformus nos huic ſeculo, temporiſemus ſicut illi qui dixerunt Sap.2. Fruamur bonis quæ ſunt, & impleamus nos item. Tales namque ſunt valde præjudiciales bonis in Eccleſia Dei: & ſi Principes Eccleſiæ forent ita viles, ut haberent hanc cogitationem tam peſſimam, non poſſent in Tartarum nimis profundè intrudi. Hæc quidem Eccleſia per Apoſtolos in Chriſto fundata, tot martyrum ſanguine dedicata, tot Sanctorum virtutibus & meritis aucta, & tam magnificè Principum ſeculi devotione dotata, & ita diu proſperata, ſi tandem in manibus talium poſita, in periclitationis diſpendium incidat, ob eorum culpam & negligentiam, ſuccurrere ſatis poſſent, adeò maledici: imò etiam vel ipſi hic incurrent temporale periculũ quod magis timent, dicente eis Domino Prov.1. Omne conſiliũ meũ & interpretationes meas neglexiſtis, & ego interitu veſtro ridebo, cùm irruerit ſuper vos tribulatio & anguſtia.

Periculã ambitioni Eccleſiaſticæ imminentia.

Quartus eſt alius error *diffidentium*, & non videtur remedium in hoc poſſe dari, ſed quòd, ſicut aliæ res & præterita regna habuerunt periodum ſuam, ſeu periodos ſuas, juxta illud Matth. Tempus habent, ipſo incurſu ſeculi irrevocabili, neceſſe eſt quòd hujuſmodi Eccleſiæ dominatio capiat finem, exigentibus demeritis & obſtinationibus gubernantium, ſicut Hier. 8. Nullus eſt qui agat pœnitentiam, omnes converſi ſunt ad curſum ſuũ, quaſi equus impetu vadens ad prælium. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas: & vos poteritis bonum facere, cum vos malum didiciſtis. Exod.17. de Iuda ſignificante Eccleſiam. Pactum Iudæ eſt ſcriptum ſtylo ferreo in unguine adamantis, quaſi diceretur, quod eſt indelebile, ſicut & de pœna Ezech.21. Ego Cominus eduxi gladium meum de vagina

ſua.

ſua irrevocabilem. Verùm hæc omnia nō ſignificant impoſſibilitatem, ſed difficultatem: quia perverſi difficilè corriguntur. Vnde opinio de mutabilitate eventuum futurorum, non ſolum adverſatur Theologiæ, Philoſophiæ, Aſtronomiæ: ſed quod plus eſt, veteri ſuperſtitioni doctrinæ, quæ fortunas hominum tribuit fato, unde N. Marcellus de Doctorum indagine, poſt allegationes famoſiſſimorum, Virgilii, Saluſtii, Lucilli, & Homeri, ex eorum dictis concludit, quòd in poteſtate noſtra ſit mutare fatum: Poteſt, inquit, fatum morum mutabilitate converti, ut ex iis celerius vel tardius aut bonum fiat, aut peſſimum. Hoc dixi propter eos, qui magis adhærent talibus, quàm ſacræ Scripturæ: Namque & ipſæ de hoc canunt. Nam Ionæ 3. dicitur: Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat Deus? Item propterea quod dicitur Hiere. 26. Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant, & convertatur unuſquiſq; à via ſua mala, & pœniteat me mali, quod cogitavi facere propter malitiam ſtudiorum ſuorum, ſicut Exod. 32. legitur, quòd Dominus placatus eſt, ne faceret malū, quod locutus fuerat contra populum ſuum. Reperitur & Ninive converſa remanſiſſe, ſimiliter & Conſtantinopolitanæ urbis deſtructionem Dominus revelaverat, cujus & ſigna monſtravit, ut recitat Auguſtinus in quodam ſermone: & hoc tertiò.

Vltimò reſtat ſalubre conſilium, quod concluditur ex prædictis, videlicet quòd ſi juxta cauſas & ſigna præmiſſa ſuper Eccleſiam ſit tribulatio præparata, nihilominus animos cum prudentia modeſtemus, ſi corde & opere ad Deū recurramus, ipſe modo inæſtimabili nos juvabit, & à flagellatione ceſſabit: ſicut ipſe dicit Hieremiæ 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, ita egi pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi facere, & loquitur more humano. Nunc oſtenditur, quod ad Dei miſericordiam poſtulandam, pronior quidē tribulationis de propè imminentis. Quia puto, quòd à multis annis nō fuerunt tot & tanti malevoli, corde rebelles, & animoſi contra Eccleſiā Dei, ſicut iis diebus: nec deſunt, qui libenter machinarentur, novitatis ſectarii: & videtur, quòd Dominus convertet cor eorū, ne oderint populum ejus, & dolum facerent in ſervos ejus, ſcilicet in ſacerdotes, quos reputat pejores presbyteris: Quia adhuc per Dei gratiam multi ſunt boni, veruntamen non eſt averſus furor Domini, ſed adhuc manus ejus extenta. Et niſi converſi fueritis, gladium ſuū vibravit, arcū ſuū tetendit, & paravit illū. Sed poſtea expectat Dominus, ut miſereatur veſtri Eſaiæ trigeſimo. Et idcirco, ſicut ad ſupplicandū nos incitat vis timoris, ita nos debet attrahere ſpes ſalutis: præcipuè hac ſacra die, quādo incipiunt feſta natalia, ſoleñia feſta, frequentia Deo dante, ſine intermiſſione proderit oratio ſancta, & cōtinuata devotio? quia valet deprecatio juſti aſſidua. Et ſi reges terreni in die celebratis ſuę ſe ſolent liberaliores oſtendere: quantò magis ſperare debem⁹, quòd Rex cœleſtis clementiſſim⁹, in die ort⁹ ſui ritè petentib⁹ veniā nō negabit? Ideo ſicut ſcriptū eſt Ioſuæ ſeptimo, Sanctificamini in craſtinū & dicite ei illud primo Regū 2. Inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venim⁹ ad te. Extra hoc invenire poteris, quod ſi illud petiveritis,

quòd ipſe in nativitate attulerit, ſcilicet pacem Eccleſiæ temporalem, quam Angelicus ſonus cecinit, & per experientiam probavit, teſtibus Tito Livio. Plinio, cæterisque hiſtoricis gentilibus, qui ſunt hoc admirati. Dixerunt enim, tantam pacem in terra non niſi divino munere contingere potuiſſe. Sic enim Dominus promiſerat Eſa. 66. dicens: Declinabo ſuper eam, quaſi fluvium pacis, & in Pſalmo: Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis. Ergo Patres in Domino conſcripti, & vos alii, Ecce nunc dies ſalutis, nunc eſt opportunitas Deum deprecandi, ut quod iſta vice contulit orbi, Eccleſiæ ſuæ diebus iſtis dignetur largiri, & quemadmodum Ninive ſubverſa eſt non in membris, ſed in moribus: ita hoc quod dicit Dominus in themate, Iuxta eſt juſtitia ut reveletur, verificetur in nobis, non de juſtitia primitiva, ſed de noſtra ſanctificatione per gratiam, ut in ortu craſtino noſtri Salvatoris oriatur juſtitia noſtra ſimul: & ſuper nos fiat benedictio, quam promiſit Deus dicens, Iuxta eſt ſalus mea ut veniat, de qua Eſaiæ 51. Salus mea in ſempiternum erit. Hanc ſalutem nobis concedat Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Hunc ſermonem fecit Magiſter Nicolaus Orem, coram Papa Vrbano & Cardinalibus, in vigilia Nativitatis Dominicæ, quæ fuit quarta Dominica Adventus, Anno Domini 1363. ipſius anno ſecundo.

* Wolfius Lect. Memorab. Cent. 14. p. 648, ad 653.

CCCVII. Michael Altiſiodorenſis.

Obſervatio dierum ſuperſtitioſa.

FLoruit fermè ducentis abhinc annis Michael Altiſiodorenſis Archiepiſcopus. Is, ut Nicolaus Clemangis in ſuo libello *de Novis Feſtis* teſtatur, congregata provinciali Synodo pleraque Feſta abolevit. Credo, ut etiam Clemangis teſtatur, offenſum eſſe variis abuſibus, non ſolum Epicuræorum, ebrioſorum, ſcortatorum, & luſorum abuſibus: Sed etiam quòd vidit tam multis Feſtis ita in Sanctorum cultum homines abduci, ut (ſicut Clemangis dicit) Dei ejusque cultus obliviſcantur. Præbet ei alioqui ille eximium teſtimonium ſingularis cujuſdam pietatis.

CCCVIII. Gerhardus Ridder.

GErhardus Ridder vixit ante annos 200. Scripſit libellum quendam titulo *Lachryma Eccleſiæ*; in quo vehementer diſputat *contra Monachos*, præſertim *mendicantes*. Dicit, eorum vitæ genus non eſſe perfectionem Chriſtianam; quia ſit contra charitatem, ex alieno, cum laborare poſſis, vivere; eos eſſe hypocritas, libidinoſos, aliisq; multis ſceleribus contaminatos dicit. Item eos humani favoris atq; adeò turpis lucri gratia, miſcere Theologię fabulas apocryphas & vaniloquas. Dicit itẽ defeciſſe ſanctos & diminutã eſſe veritatẽ. Dixit præterea, Monachos prætextu prolixarũ precularũ devorare domos viduarũ: & alioqui multipliciter perturbare

Eccleſiam

Ecclesiam suis confessionibus, concionibus, & sepulturis. Suadet etiam Prælatis, ut licentiam & abusus Monachorum coerceant.

CCCIX. *Ioannes de Rupescissa, Monachus.*

JOannes de Rupescissa, Monachus, vixit circa annum 1340. reprehendit spirituales de multis gravissimis sceleribus, & officii sui extrema neglectione: ob eamque causam fuit in carcerem conjectus. In quodam veteri codice legi, eum etiam asseruisse, Ecclesiam Romanam esse meretricem, Papam esse Antichristi ministrum, & Cardinales esse Pseudoprophetas. In carcere composuit libellum Propheticum, titulo *Vade mecum in tribulationem*, in quo prædixit imminentem spiritualibus afflictionem & tribulationem: & clarè indicavit fore, ut Deus repurget Clerum, habeatq; sacerdotes pauperes, pios, & fideliter gregem Domini pascentes: bona verò Ecclesiastica ad laicos revertantur. Quæ omnia jam reipsa compleri, perficique cernimus. Testatur etiam in eodem scripto, se & antè alia prædixisse ore coram multis, & editis etiam libris; præsertim autem Galliæ regis & ejus exercitus stragem*, quæ se in carcere existente acciderat. Scripsit porrò & aliud prolixum prophetiarum volumen, quod an extet ignoro. *Luxus & ambitio Prælatorũ.*

* Quæ Ioh. Froissardus in Historia sua de Ioh. Rupescissa retulit, huc contulit Goulartius lib. 18. p. 788, 789, 790, 791. V. Wolfius Cent. 14. Lect. Memor. p. 623, 624, 625, excerpsit.

CCCX. *Nilus, Thessalonicensis Archiepiscopus.*

QVidam Nilus, Thessalonicensis Archiepiscopus, vixit circiter ante 200. annos, ut ego ex quibusdam haud obscuris conjecturis divino. Scripsit prolixum librum contra Latinos, id est, Romanæ Ecclesiæ adhærentes. Nolo jam de toto eo scripto dicere, sed tantum de duobus primis, ac admodum prolixis capitibus, quorum utrunque suas materias sine sequentium adminiculo integrè complectitur: ita ut magis proprii libelli, quàm cum cæteris capitibus necessariò connexi, dici queat. In primo autem capite totam dissidii & schismatis inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam culpam in Papam rejicit, sicut & Humpertus de Romani, sui Ordinis magister seu Rector, qui ante 30. annos vixit, dicit, eum solum, contra omnes veteres Canones, velle imperare, neminem audire, nullum liberum Concilium pati congregare, &c. Eoque, res ad controversias inter Græcam & Latinam Ecclesiam discerni ac dijudicari, componique minimè posse. In secundo verò capite seu libello, ex professo accuratiùs *contra primatum Papæ* disputat; ostendit enim primò, eum *non divino jure*, sed *humano*, aliquam præ aliis Episcopis dignitatem habere; quippe, quam ipsi Concilia, Patres & Cæsares concesserint. Nec concessisse, tamen ob aliam graviorem rationem, seu gravius jus, nisi quia ea urbs tunc orbis terrarum imperium habuit; non quia Petrus ibi vel fuerit, *Contra Primatum.*

vel non fuerit. Secundò ostendit, eum ipsum Primatum, seu prærogativam, nequaquam talem ac tantum esse, quantum ipse, ejusque adulatores sibi usurpent, ac refutat ordine præcipuas Papistarum propositiones, seu nervos ipsorum tyrannidis. Ostendit Papam nihil habere imperii super alios Patriarchas; posse enim errare ipsum, sicut & alios mortales: subjectum eum esse Legibus & Conciliis, sicut & alios Episcopos; non esse ipsius jus convocare Concilia, sed Cæsarum; nihil eum posse sine aliis Episcopis, in rebus Ecclesiasticis statuere; & denique, nihil eum aliud ex Petri successione, quàm ut sit Episcopus, habere, quod & alii omnes Episcopi à suis Apostolis habeant. Sed quia hunc libellum unà cum versione edidi, non est necesse me prolixius de eo dicere.

* Summam librorum duorum Nili de Primatu; ut & Tractatus de Purgatorio, exhibuit Goulartius p 876, 877.

CCCXI. Norimbergenses.

Cleri rapacitas.

Vidi in quodam manuscripto libro, quædam *Norimbergensium Decreta seu leges, contra Clericos*, cum eorum primùm confirmatione, deinde refutatione. Spectant verò omnes illæ leges eò potissimum, ut crescentes Cleri opes, vel rapinas potius, quibus civium bona ad se pertrahebant, nonnihil cohibeant; & simul etiam juventurē, temerè matrimonia sine parentum consensu contrahentem, quod Pontificio jure permittitur, coerceant. Sed adscribendos potius ipsos articulos censeo.

Sunt quædam statuta, seu ordinata, sive consuetudines laicorū certi loci, tenoris vel formæ infra positorū, ut dicitur saltē in effectu, videlicet. I. Quod nullus audeat vel possit ibi instaurare, seu fundare de novo beneficium aliquod Ecclesiasticū, nisi in dotē assignet, quod in redditibus certis annis habeat 80. florenos. II. Item quod nullus extraneus, vel non subditus, vel qui non sustinet onus civitatis, &c. comparare vel acquirere valeat bona immobilia, sive possessionem vel reditus annuos in loco vel extra usq; ad 7. miliaria: vel sic, quod nemo hoc facere possit sine consensu vel licentia Consulum, sive regentium civitatem. III. Item quod Clerici & Ecclesiæ bona im̄obilia, quæ ex causa successionis ad eos devolui seu deferri contingit, vendere vel distrahere teneantur infra annum: & aliàs ad successionē vocari seu venire, vel bona hujusmodi capere, minimè possint. IV. Item quod Clericis vel Ecclesiis legari seu relinqui non possint immobilia, nisi ut illa distrahant, ut proximè suprà. V. Item quod pro Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, domus aliquæ comparari, vel pro eis acquiri in loco non possint. VI. Item quod possessionē seu prædia, quacunq; ex causa testamenti seu legati, etiā ad pias causas non valuit aliquis possidere, sive censu onerare. VII. Item quod pro solennizatione matrimoniorum sive nuptiarum, nō possint sive audeant sociare sponsas ad Ecclesiam plures quàm 12. personæ, pro qualibet cōtrahentia, & certa hora diei, duntaxat per statuentiū limitata.

VIII.

VIII. Item quòd matrimonium absque parentum sive propinquorum consensu vel consilio contrahentes, relegationum pœna ad quinquennium, ac possessionis hæreditariæ privatione puniantur. IX. Item quòd Clerici ipsius loci ibidem beneficiati, hujusmodi sua beneficia ad nutum & ad voluntatem Consulum, seu regentium civitatem permutare teneantur. X. Item quòd à beneficiatis suis, quæ in loco obtinent, abesse, vel licentiam se absentandi à suis superioribus obtinere ex causa quacunque minimè possint, absque ipsorum laicorum beneplacito seu assensu. Ad quæ, & quædam alia ipsi beneficiati in suorum assecutione beneficiorũ, hujusmodi dicuntur per eos astringi juramentis.

Vnde apparet, illos homines (ut sunt plerunque cæteris oculatiores & nasutiores) prudenter animadvertisse, istam nimiam licentiam, magis quàm libertatem Cleri, ad extremam oppressionem & eversionem civium & civitatis, imò & totius hominum societatis tendere. Contrahunt enim & congerunt multis mirisque artibus ad se omnes laicorum opes: & quod semel ex stabilibus bonis in eorum potestatem venit, id apud eos remanet: nec tamen ulla politica onera, quæ & plurima & gravissima sunt, ferre volunt. Qua ratione nimirum id tandem efficitur, ut laici seu plebeii homines mera sacrificulorum mancipia fiant: sicut & ipsa experientia id effectum jam esse docet. Animadverterunt idipsum Iurisprudentes multi etiam olim, ut Ioannes Andreas Ferrariensis, qui sæpe in sua Practica repetit, multos Imperatores ea privilegia Clericis dedisse, quæ laicos prorsus perfundent. Verùm Papæ cum suis Clericis, illis ipsis privilegiis nondum contenti, ipsi sibi pro libitu jus ac privilegia condiderunt. *Clericorum damnosa licentia.*

* Articulos à Flacio hìc recensitos non omnes recensuit. Goulartius p.878.

CCCXII. Incertus Author.

IN alio veteri codice erant hi versus, sine Authoris nomine, fortè ante 200. si non 300. annos scripti, contra Romanas impietates & abusus. *Romani abusus & reliquiarũ superstitio.*

Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
Subdita nunc servis heu malè Roma ruis.
Deseruêre tui tanto te tempore Reges,
Cessit & ad Græcos nomen, honosq; tuum.
Constancinopolis florens nova Roma vocaris,
Moribus & muris Roma vetusta cadis.
Transiit imperium, mansitq; superbia tecum,
Cultus avaritiæ te nimium superat.
Vulgus ab extremis distractum partibus orbis,
Servorum servi nunc tibi sunt Domini.
In te nobilium Rectorum nemo remansit,
Ingenuiq; tui rura Pelasga colunt.

Truncasti vivos crudeli vulnere sanctos,
Vendere nunc horum mortua membra soles.
Nam nisi te meritum Petri Paulique foveret,
Tempore jam longo Roma miscella fores.

Quatuor ultimi versus imprimis digni observatu sunt, qui indicant, Romæ ac Papæ Regnum super venditionem reliquiarum, id est, corruptam religionem, extructum esse.

CCCXIII. *Asini pœnitentiarius.*

Pœnitentia & Confessio.

NActus sum perelegans poëmation, titulo *Pœnitentiarius Asini*, 200. annis vetustius; nam erat adscriptum, completus anno Domini 1343. Dubito, an de descriptione, aut prima compositione. In eo inducuntur, Lupus, vulpes, & asinus, pœnitentiam agentes. Primùm confitetur lupus vulpi, quæ facilè eum absolvat, & insuper etiam excuset. Deinde lupus consimilem clementiam vulpi confitenti exhibet. Verùm ubi asinus optimè sperans (utpote qui sciret sua peccata leviora esse, quàm lupi aut vulpis) ibi demum omnis severitas disciplinæ ostenditur, nec ulla prorsus venia dignus reperitur asinus, sed mox à suis spiritualibus partibus devoratur. Omnino quicunque is fuit qui eum Apologum composuit, voluit ostendere, quàm facilè in sua scelera mutuo Clerici & Prælati conniveant, & solos laicos premant & opprimant. Illos solos onerant disciplina, eisque imponunt intolerabilia onera quæ digitulo minimo attingere non volunt. Lupus haud dubiè est ipse Papa, pessimorum facinorum primarius artifex. Vulpeculæ, alii Prælati, curtisani, sacerdotes, & ejus tota Lerna spiritualium: à quibus vulpibus facilè Papa lupus absolvitur, & contrà. Verùm cum devenitur ad cognitionem culpæ miserorum laicorum, qui per asinum exprimuntur: & præsertim cum sanctissima censura Germanicos Cæsares examinat, ibi irremissibilia peccata inveniuntur, ut omnes Historiæ plus satis indicant. Cogita pie lector vel illud unicum, quod Papa ejusque adulatores tanta animi commotione, verborumque exaggeratione, ac tam duris censuris, Cæsaribus quibusdam, ut Henricis & aliis simoniam objecerunt, quod fortè suis aliquibus consiliariis, qui vel antè de Romano Imperio benè meriti fuerunt, vel in posterum bene mereri potuerunt, Episcopatus aut Abbatias dederint. At ipsi Antichristi interea nihil planè aliud agunt, aut egerunt jam longissimo tempore, quàm ut omnia divina & humana, Templa, Ecclesias, Sacramenta, cœlum denique & inferos pro pecunia venderent, & orbem terrarum spoliarent ac diriperent. Itaque datur & hic venia corvis, vexat censura columbas.

Confessarius devorat confitentem.

Simonia.

Ne autem dubitare possis, cum esse Apologi scopum, cùm aliæ ejus sententiæ plus satis ostendunt, tum verò in primis, quod cum miser asinus confessus esset, se famelicum stramen cuidam Romam religionis ergò peregrinanti, circa tibias victum

victum detraxisse, ibi protinus exclamat sanctissimus pater Lupus, illud factum grande scelus esse, ac injuriam contra sacrosanctam Romanam Ecclesiam, contra Sancta Apostolorum limina, & contra ipsum sanctissimum Papam, &c. Sed adscribam aliquot carmina inde.

Immensum scelus est, injuria quam peregrino,
Fecisti, stramen subripiendo sibi.
Non advertisti, quòd plura pericula passus,
Plurima passurus, quod peregrinus erat.
Non advertisti, quod ei per maxima terræ,
Et pelagi spacia sit peragranda via.
Non advertisti sanctos, nec limina sancta,
Sanctorum sanctam sed nec Hierusalem.
Ille retransivit eadem loca, tam violentum,
Ex inopinato sensit adesse malum.
De Papa taceo, cujus protectio talem,
Conduxit, cujus tu vilipendis opem.
Totius Ecclesiæ fuerit cum nuncius iste,
Pertulit abstracto stramine damna viæ.

Atque ita hoc facinus præ omnibus aliis gravantes, & reaggravantes, seu exaggerantes, miserum asellum jugulant ac devorant. Summa, totus Apologus mirè videtur pessimas artes & fraudes Romanisticas exprimere.

CCCXIV. S. Catharina Senensis.

CAtharina Senensis circa annum Domini 1380. floruit. Tribuunt ei Papistæ non tantum ingentem sanctitatem, sed & Prophetiæ spiritum. Ea verò solita est plurimum queri de pessimo Ecclesiæ statu, & præsertim de Prælatis, de Curia Romana, ac ipso Pontifice Romano. Verùm hæc quoniam multis communia sunt, jam missa faciam. Illud tantùm adscribam ejus dictum, in quo disertè & apertè præsentem Ecclesiæ Dei reformationem prædixit; nam cum primùm indicasset, *futurum ingens schisma* in Ecclesia, quod etiam mox consecutum est, & usque ad Constantiense Concilium duravit. Deinde *gravia bella*, quæ etiam acciderunt, & fermè usque ad nostra tempora permanserunt. Demùm etiam subjunxit, pulcherrimam exoptatissimamque Ecclesiæ Dei Reformationem consecuturam esse. Quæ ipsa temporum ac rerum series, nos ad præsentem religionis instaurationem necessariò volentes nolentes deducunt. Sic enim Antoninus in tertia suæ historiæ parte ad verbum de ea scribit. *Itaque paretis vos ad patientiam, quia oportebit vos ista videre. Quod cum tunc non apparet, post breve tempus patuit veritas prophetiæ ejus, cum s. mortuo Gregorio, & creato Vrbano VI. schisma secutum est. Cum verò virgo Ro-*

Ecclesiæ corruptionem deplorat.

mam profectura esset jam inchoato schismate, *eiq́ frater diceret*, impletum jam esse quod prædixerat, *respondit ipsa:* Sicut dixi vobis tunc, quòd illud erat ut mel & lac; ita dico vobis, quòd illud, quod videtis nunc, est ut ludus puerorum, respectu futurorum, & præcipuè in patria circumstante, *denotans Regnum Siliciæ, cum patria Romana & regione circumjacente: quod rei postmodũ probavit eventus, propter gravia bella. Postquam autem illa dixerat*, ego *curiosus factus ad investigandum de futuris, post illam conquassationem*, *interrogavi* eam, *ex quo manifestè innotuerat futura sibi divinitus revelari: Obsecro*, inquam, *præclarissima mater, quid post hæc mala futurum est in Ecclesia Dei?* & illa: *His tribulationibus & angustiis modo imperceptibili hominibus, purgabit Deus Ecclesiam suam sanctam*, *& suscitabit spiritum electorum suorum: sequeturq́ post hæc tanta reformatio Ecclesiæ sanctæ Dei, & renovatio Pastorum sanctorum, quòd s. ex solo cogitatu exultat spiritus meus in Domino; & sicut aliàs pluries vobis dixi, sponsa quæ nunc est tota deformis atq́ pannosa, tunc erit pulcherrimis monilibus preciosis ornata, cunctiq́ fideles gaudebunt tam anctis Pastoribus decoratos. Et populi etiam infideles bono Christi odore tracti, ad ovile Catholicum revertentur*, *& convertentur ad verum Pastorem & Episcopum animarum suarũ. Agite igitur gratias Deo, quòd post hanc tempestatem dabit Ecclesiæ suæ grande serenum.* His dictis conticuit.

* VVolfius Cent. 14. Lect. Memor. p. 685, 686.

CCCXV. *Magister Ioannes Muntziger, Rector Scholæ Vlmensis.*

Contra Artolatriam.

JOannes Muntziger, Rector Scholæ Vlmensis, anno 1384. recitavit publicè in Schola Orationem quandam, in qua contendit, corpus Christi non esse Deum; atque ideo nec adorandum ut Deum, pro adoratione latriæ, ut Sophistæ loquuntur. Eadem postea & scriptis defendit. Fecit autem id eo fine, quòd voluit ostendere, Sacramentum non esse adorandum. Asseruit quoque Christum in resurrectione omnem sanguinem, quem effuderat in passione, secum assumpsisse; volens nimirum inferre, cruores istos Christi, qui passim adorantur, non verè Christi sanguinem dici posse, nec adorari debere. Opposuerunt sese ei mox Monachi, utpote quibus ex talibus idololatriis uberrimus quæstus provenit. Tandem de voluntate etiam Senatus Civitatis, rejecta est res ad Scholam Pragensem, quæ probavit quidem propositiones prædicti Rectoris Scholæ; sed tamen Sacramentum adorandum esse statuit, propter concomitantiam divinitatis, de qua Sophistæ ociosè in Sacramento speculantur & rixantur.

* VVolfius Lect. Mem. Cent. 14. p. 691. Crusius 5. Annal Suevic part. 3. c. 15.

CCCXVI. *M. Matthias Parisiensis.*

Papam Antichristum.

MAtthias cognomento quidem Parisiensis, fortè quòd ibi diu studuerat, sed natio-

natione Bohemus, ut opinor (certè in Bohemia diu vixit ac docuit) circa annum 1380. valde prolixum librum *de Antichristo* scripsit, ac probat eum jam venisse; subinde non obscurè ipsum Papam esse Antichristum subindicans. Insectatur alioqui graviter vitia turpitudinesq; Cleri,& officii sui in regenda Ecclesia Dei neglectionem. Locustas in Apocalypsi descriptas, dicit esse hypocritas in Ecclesia regnantes.Dicit quoque opera Antichristi esse,quòd fabulæ & adinventiones hominum in Ecclesia regnent,quòd passim statuæ & falsæ reliquiæ colantur. Item quòd alii alios Sanctos ac servatores pro Christo colant;nam ait, unumquenque hominem, & unamquamque civitatem suum Christum habere, jactare hic aut ibi esse Christum, & vel hunc vel illum Sanctum pro Christo ac suo servatore colere. Negat esse alligandam pietatem aut cultum divinum, ad loca, personas,aut tempora, tanquam hoc loco magis exaudiaris quàm illo, aut hoc tempore quàm alio, &c. ReprehenditMonachos,quòd relicto unico servatoreChristo,sibi suos Franciscos, Dominicos,&c. elegerint,quos pro suis servatoribus habeant,ac de quibus triumphent & glorientur, plurima de eis cominiscentes ac mentientes.Negligere aitMonachos, vel potius sepelire verbum Christi:& pro eo celebrare,ac omnibus obtrudere suas regulas & canones.Affirmat id vehementer pietati obesse,quòd sacerdotes, Monachi, & Monachæ, sese solos spirituales, reliquos mundanos ac seculares vocitent, ad se opinionem sanctitatis & pietatis trahant, & alios homines totamq; istam politicam & domesticam vitam,tanquam prophanam præ sua contemnant. Sic enim partim desperare de salute laicos, partim etiam pietatis curam remittere. Scribit quoque, Antichristum omnes universitates, & eruditorum collegia seduxisse, ita ut jam nihil sani doceant, aut Christianis rectè sua doctrina præluceant. Deniq; prædicit futurum, ut Deus adhuc semel pios Doctores excitet, qui spiritu ac zelo Eliæ ferventes, errores Antichristi, ipsumq; Antichristum mundo patefaciant ac refutent. Inseruit autem suo Opusculo de Antichristo, & aliorum de eadem materia scripta ac sententias ,ut Scholæ Parisiensis, *Conciones Wilhelmi de S. Amore*,& *M. Militzii* (de quo mox)ac aliorum quorundam veterum.

jam venisse 1380. dictū.

Superstitionis & hypocriseos censura.

Iacobus Misnensis testatur in suo libello de Antichristo,multos prædicto M. Matthiæ eximinum testimonium honestissimæ vitæ summæq; pietatis præbere.Optandum esset,utrunque librum & M. Parisiensis & Militzii, de Antichristo, aliquando in publicum prodire. Ego utrunque habeo.

* Vltima hæc verba: Optandum &c. Omisit Goulartius p. 795.

* Wolfius Cent. 14. Lect. Memor p. 694.

CCCXVII. *Michael Cesenas, Minoritarum Generalis.*

MIchael Cesenas, GeneralisMinoritarũ,floruit ante 230.annos. Scripsit contra tyrannidem,fastum,& primatumPapæ.AccusavIt eũ præterea Antichristum,

Contra Primatũ Pontificium.

ſtum, & Romanam Eccleſiam, id eſt, Spirituales, & Prælatos, tanquam Babyloniam meretricem, piorum ſanguine ebriam. Dixit duas eſſe Eccleſias: alteram impiorum florentem, in qua Papa regnet: alteram afflictam, piorum. Veritatem fermè penitus extinctam eſſe. Atque ob eam cauſam à Papa ſua dignitate privatus eſt. Verùm ille nihilominus in ſententia permanſit. Contra eum ſcripſit Petrus de Lutra. Damnatus quoque eſt cum Ioanne quodam propria Bulla, in Extravagantibus Ioan. 22.

Tit. II. 2.5. c.8. de 14. Artic.

Antoninus Florentinus ſic in quarta parte Summæ * de hiſce proximis duobus, & de Petro de Corbaria, ſcribit. In Extravagante Ioan. 22. quæ incipit, Dudum ab audientia, &c. reprobātur ut hæreſes, errores Petri de Corbaria, Ioannis & Michelini Ordinis Minorum, qui pertinaciter aſſeverabant, quod *Petrus Apoſtolus non fuit magis caput Eccleſiæ, quàm quilibet Apoſtolorum*; *& quod Chriſtus nullum Vicarium in Eccleſia dereliquit, vel caput.* Et quod Papa non habet corrigere & punire, inſtituere vel deſtituere Imperatorem. Item dixerunt, quod ſacerdotes omnes cujuſcunq; gradus exiſtāt, ſunt æqualis authoritatis, poteſtatis & jurisdictionis, *inſtitutione Chriſti*: ſed Cæſaris inſtitutione Papam eſſe ſuperiorem, qui etiā poteſt hoc revocare. Item quod nec Papa, nec tota Eccleſia poteſt punire quenquā punitione coactiva, niſi hoc habeat ab Imperatore. Hactenus Antoninus. Habuit ſui dogmatis multos, magniq; nominis adſtipulatores, & etiā diſcipulos, ex quib⁹ plurimi à Papa interfecti ſunt. Nomina quorundā ejus adſtipulatorū adſcribā: VVilhelmus Occā, Ioañes de Caſtilione, Franciſcus de Arcatara, uterq; ex poſterioribus eſt exuſtus.

* VVolfius Cent. 14. Memor. Lect. p 619. & Cent 16. p. 844.

CCCXVIII. Ioannes de Poliaco, Magiſter & Concionator Pariſienſis.

Primatus impugnatus.

IOannes de Poliaco, Concionator & M. Pariſienſis, vixit Anno 1322. ac ſenſit, & docuit, Papam non poſſe dare jus audiendi Confeſſiones, cui velit; ſed unumquenque in ſua parochia miniſtros adire debere, atq; ita reſiſtere voluit turbationibus miniſterii, quæ paſſim in Eccleſiis per cucullatos iſtos circulatores Bullis Antichriſti inſtructos fieri ſolent. Verum à Monachis, & Ioan. 22. oppreſſus eſt. Vidi propoſitiones quaſdam Fratrum Iacobitarum & Minoritarum (ſic enim erat titulus) in quibus ei etiam hi errores tribuebantur; quod dixerit & aſſeruerit, Paſtores & Epiſcopos habere ſuam poteſtatem immediatè à Chriſto, ejusq; Apoſtolis ac diſcipulis, & non à Papa; eoque Papam eorum jus ac poteſtatem nec poſſe nec debere minuere. Item quod dixerit & affirmarit, quod conſtitutio Papæ Benedicti XI. Inter cunctas &c. in qua Monachis contra paſtores privilegia ampliora dabantur, non ſit juris interpretatio nec declaratio, ſed ſubverſio.

Damnatio ejus extat in Extravagantibus communibus. Eundem Siſipheum lapidem circa idem tempus voluerunt & alii propemodum infiniti homines, præſertim-

ſertimque paſtores, ut ex multis Bullis propterea à Monachis impetratis apparet, ut alibi annotavi; ſed eadem etiam fortuna; nempe ut eis tandem in caput ſit revolutus.

* Wolfius Cent. 13. Lect. Memorab. p. 610.

CCCXIX. *Lupoldus de Bebenburgk, Canonicus & Epiſcopus.*

LVpoldus de Bebenburgk Iuris Doctor, prius Canonicus Moguntinus, Herbipolenſis, & Bambergenſis, poſtea etiam Epiſcopus Bambergenſis, floruit circa annum 1340. nempe ante annos 210. ſcripſit *de Juribus Imperii contra Papam*; præcipuè autem haſce ſententias defendit; *Cæſarem ſtatim poſt ſuam electionem habere integram poteſtatem adminiſtrandi imperii. Nihil ei accedere ex coronatione Papæ; non eſſe feudatarium Papæ, nec jurare ut vaſallum.* Denique *& donationem Conſtantini* adductis contrariis opinionibus oppugnat, ſimulque & varias adverſariorum objectiones diſſolvit. *Extat inter Opuſc. à Schardio Baſil. edita p. 328.*

* Cap. 5. 6. 7. 8 9. p. 356. ſeqq.

CCCXX. *Militzius Bohemus, Conciontor Pragenſis.*

IAcobus Miſnenſis, cujus ſuperius in hiſtoria Huſs mentionem feci, ſcripſit inter cætera & de *adventu Antichriſti.* In eo ſcripto facit mentionem cujuſdam docti viri, nomine Militzii, quem famoſum ac venerabilem Prædicatorem appellat. Fuit ille Concionator Pragenſis. Floruit circiter ante annos 200. longè ante Huſſium. Citat & ex ſcriptis ejus quædam ſatis prolixè. In illis dictis, narrat admodum piè bonus ille Milizius, quonam modo ſit invitus, impulſus à Spiritu Sancto, ut ex ſacris literis quæreret *de adventu Antichriſti*; comperitque eum *jam ſuo tempore veniſſe.* Idemque ſe ait Romæ coactum à Spiritu, publicè concionatum, & poſtea coram Inquiſitore affirmaſſe; *Magnum* ſcilicet illum *Antichriſtum*, de quo Scripturæ prophetizant, veniſſe. *Antichriſtianiſmus.*

Affirmat quoque idem Militzius, Eccleſiam *negligentia paſtorum deſolatam eſſe, abundare temporalibus divitiis, ſpoliatam ſpiritualibus,* & ſic impleri Evangelium: *Abundabit iniquitas*, videlicet ex *mammona iniquitatis.* Dicit eſſe in Eccleſia Chriſti idola deſtruentia Ieruſalem, & deſolantia templum, ſed hypocriſi ea tegi. Dicit etiam, multos eſſe qui negent Chriſtum, quia tacent, nec audent agnitum Chriſtum, ejusque veritatem coram hominibus confiteri, quique ſcientes veritatem & juſtitiam Dei detineant. *Eccleſia deſolatio.*

Invenitur quoque *Bulla* quædam *Gregorii XI. ad Archiepiſcopum Pragenſem,* in qua eum jubet excommunicare & perſequi Militzium, ejusque auditores. Narrat autem ea Bulla, fuiſſe eum prius Canonicum Pragenſem, ſed poſtea renun-

 ciaſſe

ciasse Canonicatui, cœpisseque concionari. Narrat etiam, eum anno 1366. docuisse, Antichristum jam adesse, ac propterea à Ioanne Archiepiscopo Pragense fuisse incarceratum. Atque hunc ponit primum ejus errorem. Indicat etiam, eum habuisse suum cœtum, quem docuerit, ac fuisse inter alios etiam scorta quædam, quæ tamen conversa à suis peccatis destiterant, pieque vivebant, quæque ille solitus sit præferre omnibus sacris virginibus. Docuit quoque publicè, quòd (ut Bullæ verbis utar) in Papa. Cardinalibus, Episcopis, Prælatis, Sacerdotibus, & aliis religiosis, exceptis adhærentibus sibi, nulla veritas esset, nec viam veritatis docerent, sed ipse solus cum suis doceret veram viam salutis. Opinor Postillam ejus adhuc inveniri posse. Tribuuntur ei alioqui & alii quidam incommodi Articuli, quos tamen existimo calumniosè ab adversariis depravatos esse. Habuit, ut ex eadem Bulla apparet, plures suæ doctrinæ adhærentes, superioris & inferioris conditionis homines.

* Wolfius Cent. 14. Lect. Memorab. p. 656, 657.

CCCXXI. *Iacobus de Theramo, Canonicus Aprucinus.*

Prædictio Reformationis Ecclesiæ.

IN libro Conciliorum est, quod Iohannes Huss aliquando in concione publica, vulgari sermone ad auditores dixerit, Iacobum de Theramo, qui vixit anno 1390. prophetasse (scripsit enim libros aliquot) fore, ut anno 1409. surgat quidam, qui *sacras literas & veram fidem* persequatur, eamq; prophetiam esse completam; nam Alexandrum Papam persequi se, suamque veram doctrinam, & vulgari sermone translatas sacras literas.

* Wolfius Cent. 14. Lect. Memor. p. 718.

CCCXXII. *Schola Parisiensis.*

Pontificis audacia.

CLemens VI. ante annos 200. vixit. Is lucri cupiditate Iubilæum ad 50. annum restrinxit, ac Bullas ita impudenter inflatas distribuit, ut in eis blateraret, se nullo modo velle pati, ut quisquam peregrinans Romam pereat; sed præcipere Angelis, ut ejus animam confestim in cælum transferant. Dedit etiam potestatem illis, qui peregrè Romam Iubilæi gratia venerant, ut seligerent singuli tres aut quatuor animas, quas vellent, ex purgatorio. Eas enim protinus propter suas Indulgentias, bullatas Bullas, & eorum meritum, in cœlum subvolaturas. Eam temerariam & manifestam impietatem, Schola Parisiensis tunc publico scripto reprehendit, damnavitque: ut plures Scriptores, inter quos Veselus & Agrippa, testantur.

Indulgentiæ impugnatæ.

Testatur quoque idem Veselus, quòd Patres, qui ante Albertum & Thomam fuerunt, indulgentiis papalibus restiterint, affirmarintque eas esse merum dolum, fraudem, & errorem. Idemque insuper ait, ipsosmet, Thomam scilicet & Albertum, in suis scriptis testatos esse. Addit etiam Veselus, quòd nisi sana paucorum Theologorum severitas hactenus indulgentiis Papæ restitisset, immensi errores inde pullulassent.

Cæterum

Cæterum Schola Parisiensis non eo tantum tempore, sed & sæpè aliàs, tyrannidi Antichristi restitit; quod exemplis quibusdam probabo. Leo X. conatus est papalem tyrannidem (præsertim quod ad expilationes attinet) aliquantò validius in Galliis instaurare, quæ prius per Basiliense Concilium, Carolum Regem, & Parisiensem Scholam nonnihil repressa fuerat; quare congregato Romæ suorum Curtisanorum cœtu, decrevit, Concilium Basiliense, ubi ejusmodi expilationes præcisæ fuerant, irritum esse debere. Hinc (ut & hoc obiter moneam) videre possumus, quàm sanctè Papæ, ipsorumque filioli, qui semper nobis pleno ore *Patres Patres, Concilia, Concilia*, crepant, Concilia Patresque servent; nempè eatenus tantum, quatenus suæ culinæ id prodesse videtur, & non ultrà. Reliqua enim scilicet nos hæretici pro eis observare tenemur. *Sorbona resistens anno 1517. tyrannidi Pontificia.*

Id porrò (ut ad rem redeam) animadvertens Parisiensis Schola, in suum totiusque regni summum detrimentum tendere, contra ea Decreta protestata est, & à Papa ad futurum Concilium appellavit. Sunt porrò in ea Appellatione non pauca vitia & abusus Romanæ Curiæ recitati. Actum id est anno 1517. Appellatio illa Coloniæ, unà cum Sylvii Basiliensi Concilio anno 35. denuò impressa est. *Fol. 34. 35. 36.*

Restitit & aliàs non rarò Parisiensis Schola Papæ conatibus, ut tempore Bonifacii Octavi, id est, ante 250. annos: item tempore Benedicti XIII. ante 150. annos. Damnavit jam olim beneficiorum pluralitatem. Reprehendit & indulgentiarum vanitatem, ut superius in Clemente VI. dictum est. Restitit & aliàs sæpe Papæ, Gallicas Ecclesias expilanti, ut in Capite de Gallicis Regibus est dictum. Sabellicus affirmat, & Heremitarum ordinem à Parisiensi Schola damnatum.

Matthias Parisiensis in suo illo prolixo opere contra Antichristum, ponit integrum ac eruditum scriptum Scholæ Parisiensis contra Monachos, præsertim Mendicantes, anno Domini 1255. scriptum: in quo illos ea Schola penitùs damnat, ac probat esse veros pseudoprophetas, venientes in vestimentis ovium; quos Christus venturos, cavendosq; jam olim prædixit. Omnia planè dicta, quæ Christus & Apostoli de venturis seductoribus scripta reliquerunt, illi ad Monachos accommodant. Imposuerunt verò ei scripto titulum, *De periculis Ecclesiæ*, quæ ei gravissima à Monachis imminere, in eo demonstrarunt. Id scriptum quidam VVilhelmo de S. Amore tribuunt. Sed non tantum prædictus M. Matthias, verùm etiam ipsa præfatio scripti clarissimè testatur, illud nomine Parisiensis Scholæ scriptum ac compositum esse. Huc accedit etiam, quòd Articuli Scholasticorum Parisiensium, quos mox subjungam, cum hoc libello conveniunt. Fieri verò benè potest, quòd VVilhelmus id scriptum pro Schola scripserit, cum unus ex præcipuis ejus Theologis fuerit; oportet enim unum aliquem scribere, etiamsi plurium nomine ac consensu scribatur.

Hæc fortè fuit ejus Scholæ prima actio contra Monachos, sequutæ enim sunt & aliæ; nam in quibusdam vetustis membranis legi *Actionem Scholæ Parisiensis, omniumq; Prælatorum Gallicorum*, habitam ante 250. annos, *contra Monachos*; quos judicave- *Scriptum Sorbonæ contra Monachos.*

judicaverunt nequaquam permittendos in alienis parochiis vel docere, vel confessiones audire, quod inde maxima Ecclesiæ ataxia seu perturbatio oriretur. Asseruerunt quoque eos nec vitæ nec doctrinæ, nec justitiæ veritatem habere, sed esse hypocritas. Verùm in hac materia multi contra Monachos scripserunt. Inveni in vetusto Codice Articulos quosdam scholasticorum Parisiensium *contra Monachos*, quos hic subjiciam, quia lectu digni sunt, & ad ea quæ modò dixi pertinent. Primo dicimus eos non esse admittendos ad societatem nostram scholasticam, nisi de voluntate nostra: Quia societas non debet esse coacta, sed voluntaria & gratuita. Secundò dicimus eos non esse admittendos, quia societatem eorum experti sumus, multipliciter nobis fuisse damnosam & periculosam. Tertiò, cum ipsi sint diversæ professionis à nóbis, quia ipsi Regulares, & nos Scholares, in uno officio scholastico conjungi vel commisceri non debemus: cùm dicat Concilium Hispanum, Non arabis cum bove & asino simul: quod est, diversæ professionis homines in uno simul officio non sociabis, &c. Nam cohærere & conjungi non possunt, quibus sunt studia & vota diversa. Quartò dicimus, eos non esse admittendos secundum Apostolũ, quia ipsi dissensiones & offendicula faciunt, cum dicat Apostolus ad Romanos ad Romanos ultimo: Rogamus fratres, ut observetis, id est, ut discernaris eos qui dissensiones & offendicula faciunt propter doctrinam, quam didicistis ab Apostolis, & declinate ab illis. Hujusmodi enim, Domino non serviunt, sed suo ventri Gloss. Aliis enim adulantur, aliis detrahunt, ut possint suum ventrem implere, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Gloss. Compositis verbis suam traditionem communicant, quibus corda simplicium decipiunt. Quintò dicimus, eos non esse admittendos: quia timemus, ne sint ipsi de penetrantibus domos: quoniam in domos singulorum se ingerunt, conscientias & proprietates hominum rimantur: & quos seductibiles ad modum mulierum inveniunt, seducunt, & à consiliis Prælatorum ad sua ducunt consilia, videlicet astringentes eos ad sua consilia vel juramentis, & tales præcipit Apostolus vitari, dicens: Et hos, &c. Sextò dicimus, eos non esse admittendos, quia timemus ne ipsi sint pseudoprophetæ: quia cum ipsi non sint Episcopi, vel Parochiales Presbyteri, nec eorum Vicarii, vel ab eis specialiter invitati, prædicant non missi, contra Apostolum dicentem ad Romanos 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Nulla enim signa virtutum eis testimonium perhibent, scilicet quòd possint propter hoc prædicare. Tales autem, cum sint periculosi, Ecclesiæ debent vitare. Septimò dicimus eos non admittendos esse, quia curiosi videlicet de curando negotia aliena, & de operibus spiritualibus: cum tamen non sint Apostoli, nec eorum successores, id est, Episcopi. Nec sunt de septuaginta duobus discipulis Domini, nec eorum opitulatores, id est, Vicarii, ut dictum est suprà. Tales autem, qui sic vivere volunt, præcipit Apostolus vitari, dicens 2. Thess. ultimo: Denunciamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi (Glos. per Christi

autho-

authoritatem vobis præcipimus) ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis, &c. uſque ibi: Et nolite quaſi inimicum æſtimare. Inſpiciantur gloſſæ, & invenitur quod tales ſunt vitandi, donec reſipiſcant à tali modo vivendi. Hactenus Articuli Scholaſticorum Pariſienſium. Hinc apparet iſtam Scholam ſæpius cum illis Monaſticis peſtibus luctatam eſſe. Sed paulo pòſt eſt omnino ab eis oppreſſa. Nam non ita multo pòſt, in Sorbona Thomas multis annis legit, regnumque tenuit.

CCCXXIII. *Richardus Armacanus.*

Richardus Armacanus, Epiſcopus & primâs Hyberniæ, Iuris ac Theologiæ egregiè peritus, ſcripſit *contra omnes Mendicantes*, vixit fermè ante 200. annos. Præcipuè autem reprehendit, quod in Mendicatione, (quæ in validis furti genus eſt) Religionem collocarent. Item quòd freti licentia Bullarum Papæ, miniſterium in Parochiis invaderent, & Eccleſias perturbarent. Propoſitiones ejus habeo. Contentio ea uſque ad mortem ejus producta eſt, nec unquam vel antea vel poſtea, aut ipſe damnatus eſt, aut Monachi abſoluti. Vnde apparet, multos ſub principium creſcenti novæ iſti Monachatus peſti repugnare conatos eſſe: ſed fruſtra, tuente quippe eos Pontifice. Vtile enim ſibi eſſe judicavit Papa, habere iſtos quaſi ſatellites, per orbem terrarum ſparſos, ſibique ob tam multa privilegia devinctos, per quos & Eccleſiis, & Epiſcopis, & Regibus, & Cæſaribus ipſis ubique moleſtus, timendusq; eſſe poſſet, dum illi in ejus gratiam lucē in tenebras, & contra, pro concione mutare non verentur, plebemq; in Papæ ſententiam pertrahunt. Aſſerit quoque idem in Quæſtionibus, Armenorum confirmationem non minus ad Sacerdotes, quàm Epiſcopos pertinere, imò quoque Sacerdotes & Epiſcopos eoſdem olim fuiſſe. Balæus dicit, eum non tantum Epiſcopum, ſed & Cardinalem fuiſſe, oppugnaſſeque eum Monachos, etiam aliorum Angliæ Epiſcoporum rogatu, quod veterum quorundam ſcriptorum teſtimonio probat.

Monachorum Mendicantium impugnator.

* Wolfius Cent. 14. R.M p. 643. & ſcripti hujus Innocentio VI. dedicati, meminit Aventinus 7. Annal. p. 640. his verbis: *In Hybernia* Richardus, *Inſulæ ejus Patriarches, primarius Hermicanorum Flamen,* adverſus Mendicantem Religionem *librum edidit, Innocentio VI. Pont. Max dedicavit, ubi teſtimoniis ſanarii cœleſtis comprobat, Religionem Mendicantem, velut cultorum falſorum Deorum propriam, adverſam eſſe veritati & pietati Chriſtianæ, Chriſtumq; & ejus Comites, non ſolùm non emendicaſſe ſtirpem hoſtiatim, victumq; emendicando quæſiſſe, ſed ne impiam quidem vel Chriſtianorum licere ſua ſponte profiteri mendicitatem.*

CCCXXIV. *S. Brigitta.*

Brigitta floruit fermè ante ducentos annos, nempe circa annum Domini 1370. Prolixum poſt ſe librum, titulo *Revelationum cœleſtium*, mundo reliquit,

Papa Papaliſq; ſedis deſcriptio.

liquit, qui sæpè est impressus. Papistæ eam pro Prophetissa habent, & Papa in Sanctorum numerum retulit, seu canonizavit. Multum autem reprehendit Papæ, ejusque spiritualium turpitudines. *Papam* vocat *animarum interfectorem, ovium Christi dispersorem & laceratorem.* Dicit, eum esse *abominabilem Judæis, immitiorem* Iuda, *injustiorem* Pilato, *pejorem & deteriorem ipso* Lucifero. Sedem Papæ dicit demergendam in profundum, sicut lapidem ponderosum. Assessores ejus dicit arsuros in igne sulphureo & inextinguibili. Episcopos, Prælatos, aliosque Sacerdotes nihilò mitius alloquitur. Alicubi dicit, eorum culpa doctrinam Christi neglectam, & fermè penitus abolitam esse. Clericos dicit convertisse divinam sapientiam in aliam pravam & vanam. Simplices præcipitare euntes per viam Domini, odisse eos, esse leprosos & mutos: & denique decem Dei præcepta in unicum verbum commutasse, in hoc nempe, *Da pecuniam:* id est, eos totam veram pietatem lucri causa subvertisse. Longum planè esset, recensere crimina, quæ hæc Prophetissa (ut à Papistis habetur) ex ore Dei, Papæ, ejusque sacrificulis objicit: & pœnas, quas eis Dei nomine comminatur. Quare prædicta ex multis sufficiant. Illud tantum adhuc breviter adjiciam, Brigittam affirmasse vidisse, sed divam virginem dicentem ad filium, *Romam esse feracem agrum*, respondisse verò Christum: *Est, sed zizaniæ.*

* Pluribus Author Oneris Ecclesiæ cap. 3 fol. 9, cap. 21. fol. 40. cap 22. fol. 42; cap. 23. fol. 44, 45: cap. 33 fol. 64 65; cap. 38. fol. 72; cap. 39. fol. 73; cap 41. fol 75, 76; cap 43. fol 79; cap. 46. fol. 83; cap. 58 fol. 107. Wolfius Cent. 14. Lect. Memorab. pag. 670, 671, 672. 673, 674.

CCCXXV. *Mechthildis.*

IN Scriptis B. Mechthildis virginis, Parisiis impressis (quæ ante 200. annos floruit) nihil inveni quod ad meum propositum faceret, imò & planè nullas de futuris Prophetias. Summarium verò quoddam ejus Prophetiarum manuscriptum in veteri codice vidi, à Minorita quopiam (ut erat adscriptum) excerptum. In eo erat primùm, multa eam prædixisse, quæ tunc cùm Monachus ille in compendium Prophetiam ejus redigeret, verè acciderant; eoque non dubitat ille abbreviator, & reliqua ab ea prædicta eventura. Deinde indicat, eam prædixisse, oritura esse diffidia in Germania ob Religionem inter Ecclesiasticos & Laicos ita acria, ut se mutuò tanquam hæreticos damnent: ob quæ primùm Sacerdotes gravia patiantur, deinde fermè utraque pars pereat. Tertiò affirmat, tunc Romanam Ecclesiam (recitabo ejus verba) totaliter à fide Christiana apostaturam apertè, quæ alioqui per multa tempora jam occultè apostataverat, ut quivis prudens conjecturare valet. Postremò affirmat, remansurum pauperem & afflictum cœtum in Germania, qui piè ac purè Deum colat. Comprobat autem eventus ipse hanc Prophetiam; nam orta sunt dissidia, ut reipsa cernimus, inter Sacerdotes &

politicos

politicos homines, de Religione: ob eaque ita ſeſe illæ duæ partes attriverunt, ut utraque graviter afflicta ſit. Denique & illud verum eſt, Papam nunc propalàm defeciſſe, cum antea tantum occultè defeciſſet. Antè enim aliquatenus clam Chriſtianam pietatem damnavit; jam verò poſt prædicationem Lutheri, id manifeſtè & apertè fecit. Quippe qui agnitam Chriſti veritatem ſciens volensque damnaverit.

Illa tamen duo loca in Mechthildis libro rectè noſtro Operi adjicientur, quæ ad verbum deſcribam, quòd alterum gratuitam juſtificationem per Chriſtum, alterum communionem ſub utraque ſpecie, confirmat. *Tunc cognovit, quòd omnia bona Opera, quæ neglexerat, ſanctiſſima Chriſti converſatione & Operibus ejus perfectiſſimis eſſent impleta, omnisq; ejus imperfectio filii Dei perfectione altiſſima perfecta. Cum enim Deus oculo miſericordiæ animam reſpicit, & ſe ad miſerandum illi inclinat, cuncta ejus crimina perpetuæ oblivioni traduntur. Itaq; cum à Deo tam eximium percepiſſet donum, ſcilicet omnium peccatorum remiſſionem, & omnium meritorum ſuppletionem, exinde ſecuritate accepta, & audacia, reclinavit ſe in ſinum dilectoris ſui Jeſu.* Et aliquando pòſt. *Congregatio autem tota ad menſam illam accedens, unaquæq; ſub brachio beatæ virginis Mariæ, quaſi geniculando, accepit Dominicum corpus de manu Domini, & beata virgo Maria crateram auream cum fiſtula aurea ad latus Domini tenebat, per quam ſugebant liquorem illum dulciſſimum, qui de pectore Domini emanabat.*

Ex hiſce clarè apparet, hanc virginem & de gratuita juſtificatione, & integra communione ſatis commodè ſenſiſſe.

* Præmiſit his quædam, & conjunxit Prophetias Goulartius quæ Flacius ſeparavit. p. 525. 526.

CCCXXVI. Henricus de Iota.

VIdi propoſitiones, earumque explicationes manuſcriptas, cujuſdam Henrici de Iota (alii Heuta ſcribunr) qui docuit Viennæ in Auſtria, anno 1371. & à Gerſone magnopere laudatur. In iis primùm affirmat, omnes in mortali peccato ſeu extra gratiam exiſtentes, etiam optimè agendo peccare mortaliter. Quod & Lutherus affirmavit, ut oſtenderet, nullo prorſus noſtro merito reconciliationem cum Deo, ſeu juſtificationem nobis contingere. Deinde aſſerit, Deum, & non Sacerdotem remittere peccata; atque ideo Sacerdotem annunciare magis ex verbo Dei, quē Deus ligaverit aut ſolverit, quàm verè ligare aut ſolvere. Quod & Hieronymus olim aſſeruit, & hoc tempore à multis aſſertum eſt: contra iſtud Phariſæorū, vel Antichriſtianum potius ſpiritualiū Papiſtarum ſupercilium, qui putant, ſe poſſe ſolvere & ligare, quicquid modò eis libet, ſive juſtum ſive injuſtum. Tertiò affirmavit, ſatius eſſe perito Sacerdoti confiteri, non habenti jus abſolvendi, quàm imperito habenti. Quod itidem pugnat cum iſto errore Papæ & Prælatorū, qui putant

ita ad se alligatum esse Christum, & jus clavium, ut qui ab ei salutem non accipiat, is planè eam habere non possit. Quartò dicit, reservationem istam casuum, jam Papis & Episcopis usitatam, non divini, sed humani juris esse. Omnes enim Sacerdotes æquale jus clavium habere. Quintò affirmavit, omnia Concilia, ut à Papistis appellantur, esse præcepta: ut & à nostris hoc tempore docetur, & rei veritas sese habet. Fuit autem is vir ob eas propositiones tanquam hæreticus accusatus, verùm accusatorem suum vicit.

CCCXXVII Henricus de Hassia.

Contra Divorum cultum.

EIusdem tempore vixisse, quin & Collegam ejus in docendo fuisse ajunt, celebrem quendam virum, nomine M. Henricum de Hassia, qui à quibusdam etiam in publicis scriptis Gymnasii Viennensis, plantator vocatur. Is in lectura super Genesim, dicit esse timendum errorem, & formidandam superstitionem, in eò quòd narratur, aliquos Sanctos suam memoriam colentibus aliqua bona aut corporalia, aut etiam spiritualia impetrasse. Pro exemplo affert, quòd S. Barbara remissionem peccatorum omnium suis cultoribus in extrema eorum hora impetraverit. Postea etiam prolixius Sanctorum Legendas insectatur, & affirmat multa ibi pueriliter & ineptè, multa etiam fabulosè & falsò scripta esse. Scripsit libellum publicè dudum editum, contra insulsas & noxias Monachorum rixas, de conceptione divæ Virginis, & similibus obscuris ociosis ac inutilibus, & interim publicè quieti perniciosis controversiis. Qui libellus oppidò displicuit Monachis, eo quòd non admodum eorum majestati, seu inani gloriæ & culinæ profuit.

Contra Clerum Pontificiū.

Prolixam quandam ejus *Epistolam ad Episcopum Wormaciensem* Iacobus Cartusiensis suo Operi *de Erroribus Christianorum* inserit. In ea author admodum graviter de multis gravissimis vitiis accusat spirituales omnium Ordinum, atque adeò etiam ipsum sanctissimum. Dicit gubernatores Ecclesiasticos comparari soli prælucenti diei, & politicos lunæ lucenti nocti: sed præsentes spirituales neque diei, neque nocti prælucere, sed utrunque obscurare magis sua caligine: id est, turpitudine, inscitia & impietate. Citat quoque ex prophetia Hildegardis hæc verba: *Ideo & Diabolus in semetipso de vobis Sacerdotibus ait, Escas epulantium & convivia omnis voluptatis in istis invenio, sed & oculi & aures, & venter meus, & venæ meæ, de spumis illorum plenæ sunt, & ubera mea plena sunt divitiis illorum*, &c. Denique inquit, eos quotidie conari (ut Luciferum) altius ascendere, sed quotidie magis, cum eodem in profundum ruere.

* Wolfius Cent. 14. Lect Memorab. p. 676.

CCCXXVIII.

CCCXXVIII. Schola Pragensis, Oxoniensis, & Parisiensis.

EDitæ ſunt ab Hutteno 1520. Domini an. aliquot *Epiſtolæ Scholarum Pragenſis, Oxonienſis & Pariſienſis, de tollendo ſchiſmate*, quod tunc erat, & Eccleſiaſtica libertate aſſerenda. Quibus adjuncta eſt & Cæſaris VVenceslai Epiſtola, item adhortatio quædam ad Germaniam, ut ſe in libertatem, ex Papali ſervitute vendicet; quæ omnia ſcripta ſunt ante annos 170. Duriter porrò invehuntur in Cardinalium & Curtiſanorum vitia, & tyrannidem ſuper Chriſti Eccleſiam. Aſſerunt, Cæſarem habere jus patronatus ſuper Papam & Romanam Eccleſiam. Papam cum Cardinalibus errare poſſe, & ſæpe erraſſe; Cardinales non habere electionem Papæ aliquo divino jure, imò etiam Cardinales ante Gregorium non fuiſſe; Cæſarem & populum Romanum id jus antè habuiſſe, & adhuc ad ſe retrahere poſſe. Qui eas legerit, inveniet multa tunc adhuc habita pro Catholicis, quæ jam tanquam Lutherana & prorſus hæretica damnantur, & ipſis inferis devoventur. Sed adſcribam inde pauca, ut manifeſtè cerni poſſit, quàm tetris coloribus Papam alioſque ſpirituales depingant. *Per Principes*(inquiunt)*ſacerdotum Eccleſia prophanatur, ſacerdotium temeratur, omnis ordo confunditur; quicquid eſt religionis, corrumpitur; quod legis, quod vitæ, quod morum, quod fidei, quod diſciplinæ, perditur & confunditur, intantum, quod etſi benedictus Dei filius multa & dura paſſus ſit per viros ſynagogicos, adhuc multò duriora patitur per noſtros ſacerdotum principes.* Hactenus ex Epiſtola.

Primatûs oppugnatio.

Recitatur ibidem & hæc Viſio *de Eccleſiæ ſtatu*, haudquaquam aſpernanda. Hæc autem ſunt verba: *Iuxta viſionem cujuſdam viri, cui oranti, legitur apparuiſſe quædam domina ante ſe regio cultu ornata; & cum ipſe obſtupuiſſet, quæ ſivit ipſa, ſi ſe agnoſceret? Cum autem ipſe diceret, quod non, niſi forſan ipſa eſſet beata virgo Maria, ait illi.* Non ſum illa, quam exiſtimas; ſed ſum illius figura, pro qua gemis frequenter, & oras, *ſcilicet* Eccleſia, *cujus eſt dolor mirabilis, & corruptela deſcendens à capite per omnes artus uſque ad pedes, & ut mihi magis condoleas, vide & argumenta doloris, & amota corona ſpecioſiſſima capitis, inclinavit caput ei. Ille autem vidit ſuperiorem partem capitis ejus ad modum crucis inciſam in quatuor partes, & vermes de cerebro vidit ebullientes, & ſcaturientia vulnera ſanie, & ait:* Ecce, ex his quæ vides in capite, perpendere potes corruptelam & dolorem meum in membris aliis, *& eo dicto evanuit ab oculis ejus.* Quæ viſio ſatis ſignificanter expreſſit, corruptiſſimum Eccleſiæ & religionis ſtatum.

In prædicta porrò Epiſtola VVenceslai, ut & hoc indicem, facit Imperator mentionem Marſilii Patavini, & Ioannis de Ianduno, (qui contra Papam jam pridem ſcripſerant) tanquam qui vera ſcripſerint.

* Wolfius Cent. 14. Lect. Memorab. p 723.

CCCXXIX. *Monstrum Babylonis.*

Schismatis Pontificii detestatio.

EXtat in quibusdam Bibliothecis Poëma, titulo *Invectiva in monstrum Babylonis*, scriptum contra schisma illud longissimum, quod incepit inter Papas anno 1378. & multis annis duravit. Tribuit totius mali originem superbiæ, avaritiæ & ambitioni, aliisque scceleribus spiritualium. Hæc enim sunt ejus verba:

Adduxit Cleri, hoc monstrum, fastus, maledictum,
Cleri magnifici, tenuit qui culmina mundi.

Et paulò post inter alia sic de Clero loquitur:

Quo cecidit fastus, quo venit honor, decus, atque
Divitiæ grandes, quibus ipse fuit cumulatus?
Venit in opprobrium fastus, decor ille superbus,
Abscessit justè: tolluntur opes, perit omnis.
Ornatus Cleri, quem tanta superbia vexit,
In cœlum suprà, quasi vellet Lucifer esse.

Tribuunt verò id Poëma quædam exemplaria Ecoardo Episcopo VVormaciensi. Hosce eum quatuor versus cæteris præponunt.

Præsulis Eckardi reverendi Wormaciensis,
Egregii patris plangentis devia mundi.
Sic loquitur patris sapientis carmen ad aures,
Flebile de mœsto prorumpens corde loquatur.

* VVolfius Cent. 14. Lect. Memor. p.684. Autor Ioh. Purvæus, Anglus, teste wolfio Cent.15 L.M.p.802.aut potius Wiclefus, Præceptor Purvæii wolfio memorante Cent. 16.pag.844. Purveium facit Autorem Vsserius de Christ.Eccl.success.c.4.n.1. Edidit eum Commentariū, ex finibus Livonicis & Sarmaticis ad se missum Lutherus cū Præfatione.

CCCXXX. *Anonymi Commentaria in Apocalypsim.*

EDita ante aliquot annos sunt à Luthero quædam Commentaria in Apocalypsim, quæ, ut ipse testatur, sunt sibi aliunde ex finibus Livonicis & Polonicis missa, ac affirmat codicem visum vetustum. Scriptor ille, quicunque demum est, manifestè reprehendit Papam, tanquam Antichristum, ac Babyloniam meretricem, eo quod neglecto Dei verbo, suas humanas traditiunculas & nugas doceat, Evangelium piosque Doctores opprimat: item quia quæstus gratia indulgentias excogitaverit, potentiam & splendorem regium sub falso donationis Constantini nomine ad se traxerit. Enumerat & alia plura flagitia erroresque Papæ & Prælatorum, præcipuè verò quod ex mandatis Dei consilia faciant. Reprehendit vehementer Papam, quod se jactet Vicarium Christi. Item quod neget, Evangelium ad salutem

sine

ſine ſuis decretis & decretalibus ſufficere. Hortatur etiam omnes, ut fugiant ex illa Babylone. Addit quoque, complures fuiſſe ante ſe, qui illam ſpiritualem Babylonem oppugnarint: & ſuo tempore multos veritatis præcones in carceribus detentos, cuſtoditosq; arctiſſimè. Fuit & ipſe author *in carcere*, ac *catenis* inſuper *chalybeis*, * cum ea Commentaria ſcripſit; ut ex decimo & undecimo ejus ſcripti capite apparet. Ait quoque *à ſpiritualibus libros contra Papam ſcriptos abſcondi, & aboleri*; non admitti quenquam ad ſuggeſtum, qui Papæ non ſit addictus; omnes rectè ſentientes ad carceres trahi. Sed tamen nihilominus ſcribi denuò etiam vehementiora ſcripta contra Papam, quàm fuerunt priora, quæ Papiſtæ oppreſſerant.

* Verba in cap. 11. f. 104. *Sæviſſimos compedes, non modò ferreos ſed & chalybeos mihi inter cæteros providerunt.*

Scripſit autem eum librum anno 1390. ut ex decimotertio capite, & principio vigeſimi apparet: Inquit enim: *Mille trecenti anni elapſi ſunt à paſſione Chriſti, & 57. Chriſtus paſſus eſt 33. ætatis ſuæ anno*, qui additi numeri faciunt *1390. quæ eſt præſens data.* Reliqua porrò quæ ſequuntur, mendoſa ſunt, ac ſic legi debent: *Quia ſumus in anno à paſſione Chriſti milleſimo, trecenteſimo, quinquageſimo ſeptimo.* Ergo trecenti quinquaginta ſeptem anni elapſi ſunt, poſtquam Antichriſtus primò regnavit, ex iſta prophetia. Sic legendum eſſe, ſenſus totius paragraphi, ac præcipuè initium indicat. Adducor porrò ratione temporis in eam ſententiam, ut putem ſcriptorem fuiſſe VValdenſem, propterea quod circa idem tempus, nempe circa annum 1390. quo iſte ſe fuiſſe in carcere queritur, gravis facta ſit ad mare Balticum inquiſitio in VValdenſes; cujus rei teſtem habeo integrum exemplar Proceſſuum, contra pios viros illic exiſtentes factorum.

Eodem tempore & Bingæ exuſti ſunt * 36. cives Moguntinenſes, ob VValdenſium dogma, teſte Bruſchio. Illud tamen huic opinioni nonnihil repugnat, quod capite 20. affirmat, Papam generaliter à præconibus Evangelicis promulgatum, quod ſit ille magnus Antichriſtus, primùm circa annum Domini 1360. id eſt, ante 200. annos: niſi velit dicere, tunc primùm vehementius & clarius Papam Antichriſtianiſmi convictum, quàm unquam antea; nam alioqui VValdenſes jam annis 400. Papam eſſe Antichriſtum docuerunt.

* Idem habet Flacius ſupra p 430. cum de Waldenſibus agit.

CCCXXXI. Ioh. Gerſon, Theologus & Cancellarius Pariſienſis.

GErſon, Pariſienſis Cancellarius, floruit ante annos 150. interfuit etiã Conſtantienſi Concilio. Fuit omnino, meo quidem judicio, vir pius ac eruditus, qui licet multis Monachorum & Sophiſtarum erroribus fuerit infectus, multos etiam nihilominus errores & abuſus Papatus animadvertit, eosq; & taxavit, & tolli ex animo optavit, ut ex ejus ſcriptis nõ uno in loco apparet. Aliquos tamen proculdubio metu Phariſæorum aut penitus diſſimulavit, aut etiam lenius, quàm tantum virum decuiſ-

decuiſſet,& res ipſa poſtulaſſet,reprehendit. Veſelus in quadam longa Epiſtola de Indulgentiis,probat quod Gerſon eas planè abrogandas ſenſerit :quanquam nonnunquam mitius,ob ſuas quaſdam cauſas, de eis ſit locutus. Variè ſe quoque torquet in materia Traditionum : & tandem fatetur, multos captos & intricatos traditionum laqueis, in deſperationem incidiſſe : aliquos etiam ſeipſos interfeciſſe. In libro de Vita ſpirituali,ſentit non peccare eum mortaliter, qui violat traditiones, modò id ſine petulantia faciat.In lib. An liceat in cauſis fidei appellare à ſummo Pontifice,propoſitione quarta, ſic ſcribit : In cauſis fidei nulla determinatio judicialis Epiſcopi,imò nec Papæ ſolius,præciſè ut eſt Epiſcopi,vel Papæ,ligat fideles ad credendum quod ita ſit de veritate fidei , ſicut prætendit ſua declaratio: quoniam tam Papa quàm Epiſcopus deviabiles ſunt à fide. Diſputat quoque alicubi, plus credendum eſſe homini munito canonica authoritate, id eſt ſcriptura, quàm Papæ, & univerſali Concilio; quia & Papa & univerſale Concilium errare poſſint, quod & ex Auguſtino probat.

Scripſit quoque librum *de Defectibus Eccleſiaſticorum*, in quo corruptam ſpiritualium vitam & neglectum officium accuſat. Reprehendit etiam doctrinæ corruptelas,quod alius vult eſſe Thomiſta, alius Scotiſta, alius Occaniſta,&c. eiſque propterea pœnas prædicit. Recitavit autem id ſcriptum publicè in Concilio Conſtantienſi. Oſtendit etiam in quodam loco, ſe non probare iſtas tam crebras miſſationes.

In tractatu *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, facit quaſi tres quaſdam collocutrices, Adulationem, Diſcretionem & Detractionem; & iſta communia præconia ſeu exaggerationes poteſtatis Pontificiæ, quas hodie Papiſtæ ſemper in ore habent, tribuit Adulationi : graviſſimè eas vituperans & rejiciens, ac ſubinde tyrannidem Papæ taxans, qui omnia in omnibus eſſe velit. Sæpè in ſuis ſcriptis Concilii poteſtatem longè ſupra Papam extollit, huncque illi penitus ſubjicit. In duobus ſermonibus, quorum alterum coram Alexandro Papa, alterum coram Benedicto habuit, ſatis liberè multos ac longè maximos abuſus Romanæ Curiæ ac Cleri totius commemorat,& ut eos tollant corrigantque hortatur. Præcipuè vero in priori, ubi inducit Eccleſiam coram Papa ſuas calamitates exponentem, & quærentem.

In quadam Epiſtola *de negligentia Prælatorum* dicit, religionis res quotidie in pejus ruere, & eſſe in ea multa inexplicabilia : Quemlibet addere mali aliquid, auferre neminem. Ignavia Paſtorum peſſimas conſuetudines ita inoleviſſe, ut non ſit amplius remedii locus. Cujus rei cum ſint innumera, unicum tantùm ſe exemplum proferre : Quòd penè ubique reliquiæ ethnicarum idololatriarum in templis exerceantur. Nec pati etiam ſpirituales,ut aboleantur. Deſeruiſſe Clericos tractationem verbi Dei : prædicationem eſſe traductam,ad neſcio quos (intelligit autem Monachos)qui verbum Dei vel imperitia,vel neſcio qua diſcretione adulte-

adulterarunt. In calce ejus operum olim Parisiis impressorum, est adjectum, solitū Gersonem paulò ante mortem congregare multos pueros in templo, quorum veluti Præceptor erat, eisq; præire precatiuncula vulgari sermone in hæc verba: *Meus Deus, meus Creator, miserearis tui miseri famuli Gersonis.* Quo facto indicavit ille bonus vir, se sentire, in eo salutem suam sitam, si piam mortem & Dei misericordiam impetret: & non, si postea multas Missarum & Vigiliarum & peregrinationum, operum supererogationis, & similium nugarum myriadas coëmat. Testantur autem quidam, cum ob veritatem à spiritualibus & Sorbonistis in exilium è Parisiis pulsum, omnibusque fortunis & dignitatibus expoliatum. Ideoque Lugduni, non Parisiis, ubi fuerat Cancellarius, mortuus est.

† Verba hæc: Quo facto &c. Immutavit Goulartius h. m. *Hac solenni protestatione pius ille Senex indicavit, se salutem suam unius Dei misericordiæ in solidum adscribere, nullo Missarum, Vigiliarum, Operum, precularum, pro defunctis & ejusmodi traditionum Pontificiarum habito respectu, pag. 805.*

CCCXXXII. *Ioannes, Episcopus Camotensis.*

IOannes, Episcopus Camotensis, jam olim, ut Agrippa testatur, questus est de tyrannide corruptissimoque statu Papæ, ejusque spiritualium. Papam intolerabilem Christianis dixit esse, ejus pompam nullum unquam Monarcham superasse: Eligere ad functiones Ecclesiasticas pessimum ac indignissimum quenque, ac per suos Legatos orbem terrarum vexare ac spoliare. Vtinam aliquid ejus scriptorum extaret. Fortè etiam plura monuit.

CCCXXXIII. *Petrus de Luna.*

PEtrus de Luna, vixit ante annos 150. Disputavit contra authoritatem Papæ & Spiritualium. Dixit non esse timendam, præsertim cum ea abutuntur. Atq; ob hanc tam veram sententiam, nihilominus tanquam hæreticus ab Antichristo damnatus est. Vult enim ipse suam, suorumq; filiorum etiam injustam sententiam timeri, ut ejus jura testantur; nec satis est, quod Paulus dicit se tantum ad ædificationem potestatem habere, ad destructionem verò non posse quicquam.

CCCXXXIV. *Theodoricus Nyem.*

THeodoricus Nyem, aliquot Paparum intimus scriba, vixit ante annos 150. vir (ut ex ejus scriptis facilè animadvertitur) bonus, & mediocriter doctus. Descripsit bona fide historiam schismatis inter Papas, quod ante Constantiense Concilium per annos 39. duravit. Deus bone, quas in ea historia technas, quas fraudes & *Cæsarea & Pontificia potestas.*

diabolicas vafricies, quæ scelera & facinora Paparum & Spiritualium recenset? quibus illi Deum, religionem & Ecclesiam Christi horribiliter ludibrio habent, vexant, & suæ tyrannidi subjiciunt. Equidem fateor, quod etsi multa eorum scelera prius legeram, audiveram, & etiam viderã; atq; ideo non vulgarem de Antichristi ejusq; filiorum malitia opinionem conceperam, tamen lecto eo libro animadverti, eos *decuplo pejores esse quàm unquam antea suspicatus* sum. Verè jam assentior, Papas (ut etiam ipsorum Canonistæ disputant) esse neq; homines, neq; Deos; sunt enim incarnati Diaboli, ipsum etiam Satanam malitia & perversitate longè vincentes. Disserit quoque idem author, Papam non habere aliquod jus politicum supra Cæsarem; sed contrà, Cæsares debere sceleratos Papas castigare. Quinetiam dicit eos esse indignos, ut Cæsares vocentur, qui ad tam fœda scelera ac tyrannidem Paparum connivent. Adscribam unicum ejus caput ex lib. 3. ubi sic ait.

Lib. 3. de schismate c. 7. p. 153. *Ideo rationabiliter fieri posset per Regem, vel Imperatorem Romanum & alios Ecclesiasticos Prælatos, nec non populum Christianum, prout civiliter intelligentibus est notum, & præcipuè interest Imperatoris, aut Regis Romani, quod Catholicus unicus & mundus Papa sedeat in sede Petri, cum Rex aut Imperator sit filius spiritualis Ecclesiæ ac Rex Regum, & Dominus dominantium. Cujus potestas à Deo est, & ut dicit Apostolus, qui & resistit, Dei ordinationi resistit, & sibi damnationem acquirit, quia in facinorosos advertit. Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est. Quod autem Imperium principaliter & immediatè pendet à Deo, sicut Ecclesia seu Ecclesiastica potestas, patet per rationes evidentes, & sicut etiam firmatur & habetur in decreto ubi agitur, & scribit Papa Imperatori in hunc modum: Ecclesiæ meæ, cui Deus noster sacerdotium meum, vobis res humanas regentibus, deputavit &c. Et hoc idem in plerisq; aliis locis patet in jure. Ex quo infertur, quod fatuè & adulatoriè loquuntur illi, qui dicunt, quod Papa seu Ecclesia duos habet gladios, scilicet spiritualẽ & temporalẽ: cum in Evangelio Petro sit dictum, converte gladium tuum in vaginam: & ibidem addita ratione, videlicet: Omnis n. qui gladio ferit &c. Etenim si uterq; gladius apud Papam existeret, supervacuè vel fictè Imperator vel Rex Romanus illud nomen haberet. Sed isti adulatores seu assentatores per talia scripta & dicta inducunt maximum errorem in tota Christianitate, & suscitant quodammodo perpetuam æmulationem seu discordiam inter Papam & Imperatorem. Conculcatur n. per hoc Imperialis authoritas, & ensis potestas sub dubio collocatur, in totius reip. detrimentum, ut videmus. Patet etiam ex decreto, cum schisma viget in Romana sede, quod propter authoritatis excellentiam, & in temporalibus potentiam Imperator vel Rex Romanus Prælatos Ecclesiasticos potest convocare, ut illud omnino tollatur. Quod credo intelligi debere de illis, qui re & nomine Imperatores & Reges existunt Romani: non autem de illis, qui desides seu solo nomine Imperatores aut Reges Romani sunt: sicut fuerunt Imperatores & Reges Romani, quos nostro tempore habuimus & habemus. Illi enim non merentur Imperatores vel Reges Romani nominari, qui sunt pusillamines & effœminati. Exempli gratia, de hoc in decretis legimus in hæc verba:*

Hic

Hic est cum authoritas Theodorici Regis ex diversis Provinciis ad urbem Romanam sacerdotes venire præcepisset, ut sanctum Concilium judicaret de hisce, quæ venerabili Papæ Symacho Præsuli Apostolicæ sedis, dicebantur objici &c.

Extat autem ejus authoris tantum unum scriptum *de Schismate*, in tres libros divisum, quod Norimbergæ an. 32. impressum est, sed indicat, se aliud quoq; scriptũ composuisse, nomine, Niemus *de Unione*; in quo ait se prolixius Paparum artes & flagitia depinxisse, quod tamen vix opinor extare, Spirituales enim devoti Antichristi, ubi potuerunt, talia scripta aboleverunt. Vidi & parvum quoddam ejus scriptum * *de Investitura Episcopatuum & Abbatiarum*, in quo id Ius Cæsari tribuitur, recitatis etiam & veluti Commentario ornatis Pontificiis decretis. Testatur autem se id excerpsisse Florentiæ ex vetustissimo codice. Fortassis aliquando prodibit. Facit ejus scripti mentionem Henricus Token. Opinor autem hunc Theodericum eundem esse, quem Crantzius dicit factum à Bonifacio Episcopum VVerdensem & Cameracensem, & *Magistrum* eum vocat. *Schardius edidit unà cum aliis.*

† Extat libet inter alia ejus Opera Basileæ & Argentinæ editus, & continet sex Tractatus, in quibus impia artes & fraudes Pontificum ad vivum describit. Multa collegit inde Wolfius Centur. 15. Lector. Memorab. pag. 781. ad 795. In edit. Argent. extat à pag. 261. ad pag. 534.

CCCXXXIII. *Speculum aureum, sive Dialogus Petri & Pauli de insolentiis & erroribus Romanæ Curiæ.*

INvenitur passim in Bibliothecis *Colloquium* quoddam *Petri & Pauli*, incerto authore, quod sic incipit: *Reverendiß. in Christo Patribus & Dominis*, &c. Scriptũ est an. 1404. ut in fine legitur, abhinc anno 150. Is Dialogus in tres partes dividitur, quarum hæ sunt propositiones. Primò, inquit, *gravissimos errores curiæ Romanæ* detegam, &c. Secundò *scripta & dicta ejus erronea, minusq; catholica confutabo*, &c. Tertiò, *totam curiam Romanam erroneam & in statu damnationis laborantem, ex verissimis fundamentis declarabo*, &c. In Præfatione inquit: *Sic tota Romana curia à planta pedis usq; ad verticem capitis patenter excæcata est erroribus, ipsaq; errorum suorum veneno inebriavit omnes fermè mundi partes, ac si immensam creatoris omnipotentiam Papa ad suum libitum posset limitare.* In fine, post multas querelas tandẽ concludit Paulus: *Reformet ipse unigenitus Dei filius suam Ecclesiam*, &c. quasi prorsus desperans, Papam ullam reformationem admissurum. Apparet ex scripto, fuisse pium, & non indoctum hominem, quicunque tandem is fuit, qui eum Dialogum scripsit. *P. 256. edit. Basil. 1555. inter Opuscula Wissenburgij.* *Pag. 254.*

Illud verò diligentissimè observandum est, quod postquam in Præfatione dixisset, Papam & Curiam tum per se errare, tum alios seducere, subjicit: *Omnes quidem intus murmurant, nulli autem clamant.* Talis enim sanè ratio rerum *Pag. 254.*

jam longo tempore fuit in Ecclesia, ut multi Antichristi errores agnoscerent, ac apud sese vel inter aliquos amiculos clam damnarent: sed metu ejus tyrannidis & potentiæ, nullus vel paucissimi auderent ejus errata publicè reprehendere. Citatur id scriptum à quibusdam veteribus, ut à Ioanne Huss, & in ejus Processu sub titulo *Aurei speculi*, & sanè sic vocandum esse, ex fine apparet.

* Extat hoc scriptum in Opusculis Wisenburgii à p. 252. ad p. 461. cum Epilogo: *Explicit Dialogus Petri & Pauli de insolentiis &c. 1467.* Idem Autor Speculi aurei, cum protulisset dictum illud ex Actis Apostolorum: *Non est æquum nobis relinquere Verbum Dei, & ministrare mensæ*, subjungit p. 278. *Sed proh dolor, modernis temporibus Apostoli per contrariũ dereliquerunt Verbum Dei, & ministrant mensæ. Hinc est etiam, quod multiplicatis reditibus Ecclesiæ, & postquam ad proprietatẽ devenimus Officiorum, nomina quasi ad sola temporalia commoda translata videatur, & non* Officia *sed* Beneficia *nuncupantur, ex eo, quod unusquisq; cõmuniter quærit, quæ sua sunt, nõ quæ Iesu Christi, & amplius temporalia obtinenda, quã divina ministeria exercenda.* Vid. Wolf. Cent. 15. Lect. Mem. p. 736. seqq.

CCCXXXVI. Rhythmi.

RHythmi quidam impressi, in fine libelli Nicol. Clemangis, de Corrupto statu Ecclesiæ tempore Ioannis Papæ, dubito an vigesimi secundi vel tertii, ut minimum ante annos 140. Eosdem inveni etiam scriptos in vetusto admodum codice, cum quibusdam aliis olim excusis. Quicunque autem eorum author (certè nec impius, nec indoctus fuisse videtur) dicit, primùm, *justitiam Romæ* esse *oppressam*. Comparat Romanam curiam *freto Siculo*. Dicit eam *sorbere aurum*, imò *totum mundum devorare, instar Scyllæ & Charybdis*, ita ut vix sit possibile homines ab ea sibi servare vel obolum. Totum mundum dicit cogi Romæ offerre munera. *Cardinales* appellat *deos carnales*; & dicit eos esse illos *piratas*, qui in eo mari grassentur. *Advocatos curiæ* appellat *inimicos veritatis*, & *Scyllæ canes*. Romæ ait *nullum esse gratum sine munere*. Plumbum in curia formatum, dicit esse *auro charius*. Postquam verò horribiliter depinxit Cardinales & totam curiam, addit: *Tales indoctos velle docere mundum, regere navem Petri, habere claves & ligandi potentiam.* His addit, Cardinales novo jure vendere Christi patrimonium, quos & hisce verbis depingit: *Foris Petrus, intus Nero; Intus lupi, foris verò sicut agni ovium.* Postremò, in eo freto piratis dominari ait Ioannem (Papam nimirum) quem vocat *mundi luem*, & *grande monstrum*.

Cæterùm in illis prius non excusis, in priore Satyra (nam duæ sunt) quæ incipit, *Roma caput mundi est*, &c. Dicit Romæ *venalia esse jura*, plus dantem melius allegare; ibi *nummum loqui*, & *leges tacere*. Apud Papam non esse locum nisi danti; Papam derivari *à papando*, quia omnium opes velit devorare. Hortatur turgida marsupia, ut Romam veniant; ibi esse medicos, qui ea sciant purgare. Postremò ait, ibi omnem pietatem & honestatem subversam esse, inquiens:

Ima:

Ima tenet Jupiter, cœlum habet Pluto,
Et accedit dignitas animali bruto,
Tanquam gemma ſtercori & pictura luto.

In poſteriori Satyra, quæ incipit, *Tanto viro loquuturi*, &c. Primùm queritur corruptos eſſe mores paſtorum: eos non ideo ſic vocari, quia paſcant, ſed quia benè paſcantur: omnes eſſe ſpinas & tribulos, canes mutos, tauros pingues, & Gygantes feros: id eſt, ignaros verbi Dei, & veritatis perſequutores, & cum Clerici ita perditi, & impii ſint, etiam vulgi mores degenerare affirmat. Poſtremò queritur, doctos negligi, non promoveri ad Eccleſiaſticas functiones, ſed eas tantùm adulatoribus, aut alioquin afferentibus pecuniam, ſimoniacè vendi. Quare queritur deſeri ſtudia tum alia, tum etiam ſacrarum literarum; quandoquidem ſtudiorum ſectatoribus nullum præmium, niſi eſuries, eſt propoſita. Habeo alioquin & aliud quoddam *vetus poëma*, in quo deploratur Eccleſiæ miſeria, quòd Papa indigniſſimis Eccleſias vendat & proſtituat, & quod Papa penitus ſit venalis. Dabo operam, ut omnia illa poëmata aliquando ſimul edantur. Sunt etiam rhythmi quidam ſemigermanicè, & ſemilatinè jam olim editi. Item alii de fide, cum præfatione Lutheri, in quibus queritur author, fidem defeciſſe. Item diſertè dicit, ſi quis velit egrégiè Diabolo ſervire, eum debere intrare monaſterium.

Cæterum Rhythmorum & poëmatum olim contra Papam & ejus impuros ſpirituales ſcriptorum infinitus pene eſt numerus, quantumvis plurima ſint deleta. Edidi ſatis magnum eorum librum. Sed ſubinde plures reperiuntur. Qui fortè aliquando alicujus alterius diligentia & labore in lucem edentur.

* Extant Baſileæ edita veterum Poemata titulo: *de corrupto Eccleſiæ ſtatu*, cum præfatione Flacii Anno 1557.

CCCXXXVII. *Gregorius Morgenſtern.*

GRegorius Morgenſtern, floruit ante annos fortaſſis centum. Multa in ſuis ſcriptis dicit contra Clericorum, & præſertim Monachorum hypocriticam ſuperbiam, qui tantùm ſuo veſtitui ſuiſque votis ac Religionibus tribuant, cum ſint omni ſcelerum genere contaminatiſſimi. In Sermonibus ſuis, in prima expoſitione triplicis veritatis dicit eos primùm ideo *ſuperbire*, quòd putent ſe *cæteris ſanctiores* eſſe. Secundò ſuperbire & gloriari eos de ſuis Patronis. *Benedictinos* prædicare & extollere uſque in cœluum ſuum *Benedictum*, dicere eum fuiſſe *Patrem Monachorum in Occidente*: Quare ſe, ut qui eum ſecuti ſint, ei legiſſe optimam partem cum Maria, &c. *Dominicanos* gloriari de ſuo Dominico, eumque Chriſto ſimilem facere; *Franciſcanos* item mira de ſuo Franciſco jactare, quòd in loco Luciferi ſedeat, eum omni anno purgatorium expoliare ſuis devotis interceſſionibus; *Heremitas* veſtire Auguſtinum ſuo habitu, eumque ſuæ ſectæ Principem jactare, ſimiliter & alios. Quibus ineptis gloriationibus opponit illud Petri Actor. 10. *In*

Monachatus Cenſura.

veritate comperi, quòd Deus non sit acceptor personarum, &c. Indicans eo dicto, in omnibus statibus ac vitæ generibus homines Deo placere posse.

In quinta expositione triplicis veritatis, citat Hieronymum affirmantem, mundum quidem jam plenum Monachis ac Sacerdotibus esse, sed vix esse unum hominem inter centum, *nec esse pejorem bestiam* in mundo, quàm *malum Monachū*. Citat & ex Vitis Patrum, quòd Deus beato Pachumio ostenderit, paucissimos Monachos salvari. Item ibidem citat Hieronymum & hæc dicentem: *Væ malis religiosis*, ordinem professum non servantibus.

* Wolfius Cent. 14. Lect Memorab. p. 728.

CCCXXXVIII. Dominicus, Episcopus Brixiensis.

Romanæ Curiæ reformatio.

SCripsit Dominicus Brixiensis Episcopus, libellum ad pium II. titulo *Reformatio Curiæ Romanæ*, Molli quidem cubitorem attingit, utpote qui in eodem luto cum aliis hæserit. Erumpit tamen ei subinde vel invito ex ore veritas. Quare aliquot ejus dicta ex illo ejus opere excerpta adscribam. *Et si consideramus Pontifices præcedentes, & acta eorum, ut si quod mali in ipsis fuit, non sit imitandum, deinde R.D. Cardinales, deinde Episcopos, Protonotarios, & alios Prælatos, pœnitentiarios, Subdiaconos, Auditores, Clericos Cameræ, Acolytos, Cubicularios, Advocatos, Procuratores, Notarios, & Præpositos, Registratores, Ostiarios, Servientes Armorum, Cursores, Plumbatores, Familias Prælatorum, & sic alios in diversis gradibus & officiis constitutos: plorabimus certè cum Jerem. Thren. 4. Heu quàm obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii (id est Prælati) in capitibus platearum (id est, latarum viarum) quæ scilicet ducunt ad perditionem in quarum capite sunt, ut Gregorius exponit, candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore, antiquo saphiro pulchriores, erant Nazaræi ejus: sed nunc facies eorum super carbonem denigrata est, & non sunt cogniti, scilicet per bona*, &c. Item paulo pòst. *Per hanc deformationem & labem curialium & Clericorum, & maximè Prælatorum, enervata vitetur censura Ecclesiastica, & diminuta obedientia, &c. Et ita in multis aliis, ne longè exempla petantur. Quare hoc? nisi ob contemptam vitam & opera Prælatorum: quia videbantur quærere quæ sua sunt, non quæ* Iesu Christi. Item paulo pòst. *Ista reformatio & correctio primò pertinet ad Papam, qui sicut caput aliorum, eam debet agere, & eidem intendere. Sed qui alios corrigere vult, prius debet aspicere se & suos, de Censi. Romanus lib. 6. Quia Pastoris vita exemplum est aliis. q. 7. Cum Pastoris, Et languente capite, cætera membra inficiuntur. 6. q. 1. Ex merito. Et vulnerato Pastore, quis curandis ovibus adhibet medicinam? 1. q. 1. Fertur, ver. Hinc igitur. Unde languente medico, dicetur ei, Cura teipsum*, &c.

Octava consideratio est circa indulgentias, & videtur, quòd dare ita frequenter indulgentias plenarias, faciat eas vilescere cunctis. Quotiescunq; Papa exibat aliquo festo in publicum, dabatur indulgentia plenaria contra consuetudinem antiquorū Pontificū.

Cum

Cum tamen per indiscretas ac superfluas indulgentias claves Ecclesiæ contemnantur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, de pœnit. & remiss. c. Cum ex eo. §. Ad hæc. Item paulo pòst. *Ex hac consideratione sequitur, quòdd circa dandas gratias expectativas major deberet haberi consideratio, & non ita passim & indifferenter. Quia propter tantam multitudinem & confusionem, ut plurimum beneficia conceduntur indignis & magna datur litium materia.* Item paulo pòst: *De malo exemplo & scandalo, quod præbent Laicis, & hujusmodi videantur, quæ dicit beatus Bernhardus in sermone super Evangelio, Ego sum bonus Pastor: ibi, Quid facit in cibis tam superfluus apparatus: & ibi, Quomodo seculares non expendont substantiam suam vivendo luxuriosè, etiam in præstantia Sacerdotum: quomodo non intendent vanitatibus & lenociniis hujus seculi, quomodo non essent insolentes & elati, cum fastũ tantũ, tantam insolentiam videant Clericorum? Nonne, inquit, præstantia eorum abutimini eleemosynis pauperum de patrimonio crucifixi? Ista agitis, impinguantes canes, adornantes equos, phalerantes pectora & capita eorum*, &c.

CCCXXXIX. *Franciscus Zabarellus, Rom. Eccles. Cardinalis.*

FRanciscus Zabarellus, Cardinalis Florentinus, & Iurisprudens, vixit circa annum 1406. Editum est ejus scriptum quoddam *de Schismate & Concilio*, acutũ sanè & eruditum, & liberum. Multa in eo contra Papæ errores ac tyrannidem scribit. Inter alia & hæc affirmat Assertores Papæ ita Canones hactenus glossasse & interpretatos esse, ut persuaderent Papæ, quòd omnia posset, quòd liceret ei quicquid liberet, etiam illicita alioqui; sicque eum supra Deum extulerunt. Inde infinitos errores ortos, Papamque omnia jura inferiorum Ecclesiarum occupasse. 2. Papam in futuro Concilio ita astringendum & restringendum esse ut non possit, nisi quod liceat. 3. Potestatem Ecclesiæ & Conciliorum esse supra Papam, & sic in Apost. Concilio Act. 15. factum esse. 4. Concilia convocare licere Imperatori, & id ejus proprium jus fuisse. Convocasse enim olim Concilia Constantinum, Iustinianum, Carolum, & alios. Quin & in illa sanctissima Synodo Nicena præsedisse Constantinum. 5. Laicos posse & debere interesse Conciliis, cũ de causa fidei agitur. 6. Imperatorem posse exigere rationem fidei à Papa. 7. Papam coram Imperatore de quolibet notorio crimine accusari posse. 8. Petrum non habuisse plenitudinem potestatis, sed fuisse unum ex præcipuis Apostolis & Ecclesiæ administratoribus: & cum claves à Christo accepit, totius Ecclesiæ personam gessisse. 9. Papæ non obtemperandũ, nisi justa ac pia præcipienti. 10. Videndũ ne ita nimium honoretur Papa, ut Deo fermè æquetur. 11. Per futura Concilia abrogari ea posse, quæ non satis firma ratione justisque causis sunt constituta in præteritis. 12. Quòd dicitur Ecclesia errare non posse, intelligendum esse de tota Ecclesia Christi. Dignus sanè liber est, qui legatur, ac in causa congregandi Concilii fraudibus & præjudiciis Antichristi opponatur. Omnia enim quæ dicit,

Extat inter Opusc. à Schardio edita p. 688. & seqq. Sensim quoque editum Argentinæ 1609. à Luca Schroteisen.

dicit,non tantum ex ſcriptura, ſed & ex ipſorum propriis juribus probat. Super Clementinas de Statu Monachorum affirmat, Confeſſionem auricularem non eſſe neceſſariam ad ſalutem.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Memorab. p.795. Appendix Speculi Hiſtorialis Vincentii lib. 31. f. 479.

CCCXL. *Petrus Ferrarienſis.*

Iureconſultorum querela de artibus impiis Pontif. Rom.

IOannes Petrus Ferrarienſis Iuris prudens, vixit circa 1400. annum. Summus fuit tyrannidis & impietatis Papæ inimicus. In form. Reſponſ. rei coment. ſic ſcribit: *Et ſic nota, quot modis Clerici illaqueant Laicos, & jurisdictionem ampliant. Sed heu miſeri Imperatores & Principes ſeculares, qui hæc & alia ſuſtinetis, & vos ſervos Eccleſiæ facitis; & mundum per eos infinitis modis uſurpari videtis, nec de remedio cogitatis; quia prudentiæ & ſapientiæ non intenditis,* &c. Alibi (in formâ libelli actionis confeſſoriæ, ſi verbo, plenam) dicit, ridiculum eſſe dicere, & abominabile audire, quòd Papa ſibi vendicat ſuperioritatem in Cæſarem. Clericos olim fuiſſe ſub poteſtate & jurisdictione Imperii, poſtea eos benignitate Imperatorum privilegiis donatos, quibus tanquam ingrati, peſſimè abuſi ſunt. Papam provincias & civitates detinere non jure, ſed mera violentia: Papæ poteſtatem nimium ampliatam, auctamque ideo neceſſariò reſtringendam eſſe. Non concedendum eſſe Papæ merum & mixtum imperium, imò potius penitus ei temporalem gladium extorquendum. Imperatores olim habuiſſe utrunque gladium: contuliſſe non tantùm politica feuda, ſed & Epiſcopatus, atque adeò ipſos Papas creaſſe. Non quieturam prius Chriſtianitatem, quàm Papa & Clerici reſtituant temporarium dominium Imperatori: atque ita reddita fuerint Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei. Non debere Papam & alios Eccleſiaſticos gubernatores habere temporale dominium & potentiam, quia non conveniat Pſalterium cum cithara: nec dictum ſit à Chriſto, nec à B. Petro, quod poſſidere debeant talia, ſed quod eſt Cæſaris, reddatur Cæſari, & quod eſt Dei, Deo.

Dicit etiam, *ſtultos Cæſares* multa Privilegia conceſſiſſe Clericis, quæ Laicorum ſtatum conſumant; Papam & Clericos multis modis illaqueare Laicos, uſurpare Iura Imperii, ſuamque jurisdictionem per ſuos Canones ampliare, explendæ avaritiæ ſuæ cauſa: fierique ſtultitia Principum & Imperatorum, quòd in ſervitutem Clericorum redigantur. Papam & ſpirituales, dum aliquos juramentis abſolvunt, perjuros facere. Clericos portare conſcientiam in caputio, quo depoſito, ſimul & conſcientiam amittere: avariores ſceleratioresque eſſe cæteris, nec vel Theologiam, vel philoſophiam curare. Canones Papales ſub quadam ſimulata conſcientia latos, deſtruere ſtatum Laicorum, & augere ſtatum Clericorum. Templa & Monaſteria eſſe *retia*, contexta ad capienda bona Laicorum; eſſe adeò cauſam rapinæ & avaritiæ, ut hodie deſtruxerint mundum, & annihilaverint ſtatum

Imperii

Imperii. *Deus novit* (inquit inter cætera) *quanta sit in Principum modernorum curiis abominatio de talibus rescriptis & privilegiis, contra jus elicitis & impetratis, & maximè in Curia Romani Pontificis, in qua est fundamentum omnis avaritiæ & ambitionis.* Ita boni isti jurisprudentes animadverterunt summam injustitiam & iniquitatem Papæ in ea materia, in qua ipsi præcipuè sunt versati. Quod si eadem diligentia & iis studuissent, quæ Religionem propius attingunt, plura haud dubiè animadvertissent.

* VVolfius Cent. 14. Lect. Memor. p. 729. Alia Iurisconsultorum testimonia Goulartius p. 857. addidit.

CCCXLIV. Nicephorus.

NIcephorus, cujus nuper admodum Ecclesiastica historia edita est, floruit circa annum Domini 1400. Is lib 12. cap. 34. prolixè narrat, olim varias fuisse consuetudines & ritus Ecclesiarum circa Festa, jejunia, cibos vetitos, Ecclesiasticas cæremonias, &c. Ac affirmat, primos illos verbi ministros, id est, Apostolos, eorumque Successores ejusmodi observationes arbitrio singulorum reliquisse, & sequenti capite, docens necessaria & quæ præcipua in Religione sunt, potius curanda esse, quàm cæremonias, hæc verba ponit: At quidam hæc nihil curantes, omnem quidem fornicationem pro nihilo habent: de diebus autem feriis & institutis, perinde atque de anima ipsa decertant, Dei mandata invertentes, & sibi ipsis leges ferentes: haud secus atque si studiosè hoc agerent, ut contrarias maximè adversus Decreta Dei res agitantes, latere possint. Vbi clarè videtur perstringere Papam, ejusque spirituales, qui per suas humanas traditiunculas, mandata Dei antiquant & obliterant. Quis enim ignorat, in Papatu longè majus peccatum haberi, comedere die Veneris aut in Quadragesima carnes, quàm furari, defraudare suum proximum, aut scortari?

Traditionū humanarū Censura.

* wolfius Cent. 14. Lect. Memor. p. 687.

CCCXLV. Theologia Germanica.

EDitus est Lipsiæ anno 1520. cum præfatione Lutheri, libellus quidam titulo, *Germanica Theologia*; nomen Authoris non adest, sed fuisse custodem ordinis Ioannitarum, vixisseque Francofordiæ, adscriptum est. Lutherus id scriptum valde laudat, tanquam in quo rectè de peccato, libero arbitrio, & toto veteri homine, ac contrà etiam de gratia, Christo & regeneratione doceatur. Sanè 9. cap. disertè dicit, salutem nostram ex solo Deo pendere, non ex ullis nostris aut aliorum Operibus, eoque nos de Sanctorum vita ac Operibus non admodum solicitos esse debere. Vnde conjicere licet, eum Authorem etiam de Sanctorum invocatione non

Gratiæ Dei assertio.

magnificè sensisse. Sic & tertio cap. dicit, *Salutem nostram* esse *meram passionem*; sicut & Lutherus est solitus disputare. Sic & cap. 37. & 42. nostra merita extenuat. Sermo videtur sub obscurus: & plura clarioraq; animadverto eum de vera ac falsa Theologia scivisse, quàm vel potuerit, vel etiam voluerit, aut denique ausus sit manifestè exprimere. Facit mentionem Tauleri, quod signum est, eum 200. annis recentiorem esse.

CCCXLVI. Vincentius, Italus.

Pontificius Clerus & Pont. Rom. taxatur.

FLoruit in Italia Sanctus Vincentius, diuque partim Venetiis, partim alibi est concionatus. Circa annum Domini 1400. Vincentius quidam fuit sanctitatis opinione ibi celebris. Is prophetias quasdam post se reliquit, in quibus primùm vehementer Clericos insectatur, nam inter alia sic de eis inquit: *De religiosis breviter loquendo, non est in toto mundo, qui teneat regulam, ut debet; corrupti omnes & scandalosi facti sunt animabus, via perditionis, qui debent esse via salutis. Sacerdotes hodie piscantur honores, sed minimè mores,* Item: *Non est Episcopus, qui curet de de animabus sui Episcopatus.* Dicit, eos Sacramenta *pecunia vendere.* Dicit etiam clarè, *Antichristum* fore *Papam*; sed quo id periculi causa molliat, dicit eum fore, qui non sit legitimè electus. Sunt editæ Parisiis quædam prophetiæ in octavo sub Maximiliano, ex variis authoribus collectæ. In eo libello clarè citatur quædam Epistola S. Vincentii, in qua affirmaverit, Antichristum jam esse in mundo. Credo hunc aliquid plus vidisse, sed non omnia clarè dicere voluisse, aut etiam ausum esse, sicut subinde indicat.

CCCXLVII. Speculum Stultorum.

Roma Caput imperiumq; malorum.

EXtat impressus liber versu non usquequaque contemnendo scriptus, incerto Authore titulo *Brunellus*, seu *Speculum Stultorum*, vide ejus Exemplar manuscriptum, vetustius 100. annis. In eo scripto acriter taxantur spirituales Papistici, idq; sigillatim singuli ordines. De Monachis inter alia ait tot esse Ordines, quot jam mundus vix nnmerare queat. De Canonicis inquit.

Hi sunt, qui faciunt quicquid petulantia carnis, Imperat, &c.

Et paulo pòst:

Totus in errores mundus praeuntibus istis, Ducitur, &c.
Hi sunt, justitiam qui prostituere pudicam,
Falsa loqui linguas qui docuere suas:

Pastores dicit factos esse lupos. Præcipuè tamen objicit toti isti pseudospiritualium turbæ, sceleratam turpemque vitam, & neglectionem verbi Dei, ac curæ salutis animarum. De Pontifice & Roma, inquit:

Si

Si caput à capio, *vel dixeris* à capiendo,
Tunc est ipsa caput; omnia nanq; capit.
Si declinando capio capis, *ad capiendum,*
Retia laxavit, retia larga nimis.

Et paulo pòst Romæ crudelitatem, piorumque persecutionem his verbis objicit.

Quondam larga fuit, proprii nec avara cruoris:
Nunc vice conversa, sitiens sitis, atq; cruorem,
Fundat ut alterius ebibit ira suum.

Et paulo pòst inquit, eam suppeditare aliis pocula pro melle, felle referta suo. Objicit ei & avaritiam, & clavium abusum, inquiens.

Bursa referta reos solvit, peccata relaxat,
Quæ non peccantes evacuata ligat.
Nil tam difficile est, nil tam pravum, nec amarum,
Quod non emendet bursa referta beaè.
Hoc facit, ut licitè faciat quodcunq; libebit,
Reddit & illicitum, quodlibet, arte pari.

Dicit quoque Romam esse fontem & caput vitiorum, ac inde omne malum ad Christianos fluere. Negat se omnia Romæ scelera describere posse, etiamsi Nestoris annos viveret. Denique concludit duobus versibus totum Cleri corpus, & præcipuè Romanam Curiam graphicè depingit.

A summo capitis, pariter pedis usq; deorsum,
Ad plantam, sanum nil superesse reor.

Nec solum sceleratam turpemque Papæ aliorumque omnium spiritualium vitam vituperat, & abusum clavium, ac officii neglectionem: sed etiam damnat prohibitionem esus carnium, inquiens: Carnem non esse prophaniorem pisis, aut piscibus, sed abusus ejus aliorumque ciborum malum prophanumque esse. Conjugium quoque Sacerdotum defendit, dicens: conjugium & à Deo in Paradiso institutum esse, & inde genus humanum propagari, eoque rem piam ac licitam esse. Omnino quisquis ejus scripti author fuit, plurimum ab Antichristi ejusque spiritualium hypocrisi & impietate dissensit.

CCCXLVIII. Clemens Septimus, Pont. Rom.

CLemens Septimus, & Vrbanus Sextus, simul Papæ fuerunt, ac de Papatu contenderunt circa annum Domini 1390. Ii perinde impudenter vendiderunt Indulgentias, teste Aventino, ac nostris temporibus Leo Decimus per Tecelium. Quare restiterunt eis multa passim. Schola Parisiensis, teste eodem, etiam solenniter adhibitis tubis & campanis, ut eorum mos est, Papæ erroneam sententiam Indulgentiariis Bullis comprehensam damnavit. Sed Monachi mendicantes eam

ſedulò uſque ad impudentiam defenderunt. De hac eadem re etiam alibi dictum eſt, & in Veſelo dicetur.

* In Anglia reſtiterunt Thomas Lancaſter & Ioh. Viglefus; deſcribente Aventino 17. Annal. p. 640. Verba ejus ſunt: *In Brittania, quam* Angliam *dicimus, æmuli Wilhelmi Occomenſis* Thomas Longaſtrius, Iohannes Vigilephus, *Oxonienſis Theologus, Parochus, Cantuarienſis, in vitia Sacerdotum diſerti fuêre, graviter atq; invidioſè* Romanorum Pontificum, *quod duo* Urbanus VI. Clemens VII. *ovili incubarent*; ambitionem pernicioſam, faſtam lethalem, *queſti ſunt, atq; caninam, ut ajunt, exercuêre facundiam.* Sextus *namq; ac* Septimus *inter ſe gregem committebant*; ille *Anglis ac Vgris*, alter *Gallis ſavebat*. Septimus *Regnum Neapolitanum Ludovico Andium Regulo*; Sextus *Carolo parvo Vgris oriundo tradit.*

CCCLXIX. *Ioannes Antonius Cardinalis.*

Contra Sacerdotum cœlibatum.

CIrca annum Domini floruit, ut opinor, Ioannes Antonius primùm præpoſitus S. Ambroſii, Epiſcopus Alexandrinus, & auditor cauſarum ſacri Palatii, demum & Cardinalis. Is de Sacerdotum conjugio ita, tit. Qui Clerici vel voventes matrimonia contrahere poſſunt, ſcribit: *Tempore primitivæ Ecclesiæ licebat Presbyteris, & ſic conſtitutis in ſacris, uxorem habere, dummodo die celebrationis abſtinerent à conjugibus. Poſtea in Occidentali Eccleſia venit prohibitio, ut conſtituti in ſacris deberent continere.* Et dicit hic Cardinalis, quòd dat materiam illaqueandi plures animas, hoc præceptum & ideo credit, quod ſicut Eccleſia induxit hoc præceptum continentiæ, quòd quandoque revocabit. Et erit conveniens dicto Apoſtoli revocatio, qui dixit: De virginibus præceptum non habeo, conſilium autem do, &c.

CCCL. *Theodoricus Vriæ Auguſtinianus.*

Papæ & Prælatorum tyrannis & ſcelera.

THeodoricus Vriæ Auguſtinianus, vixit circiter ante 140. annos. Scripſit aliquot libros *de Conſolatione Eccleſiæ*, in quibus, præſertim autem in Tertio, graviter inſectatur Prælatorum ſcelera, libidines, ſimoniam, ambitionem, neglectionem verbi Dei & ſalutis animarum. Inter alia pronunciat, Prælatos quantò ſint majores, tantò eſſe deteriores. Papæ inter alia objicit & hæc duo crimina, quòd rapiat ſibi gladium contra jus, quem geſtare ſit Cæſaris. Item quòd negligant ſuum officium, ſcilicet paſcere gregem Chriſti ejus verbo. Quare tandem pronunciat, Papam eſſe prænuncium & præcurſorem Antichriſti.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Memorab. p. 745.

CCCLI. Mechtildis Prophetia.

Prælatorum vitia.

INter alias Prophetias jam olim Rhythmis ſcriptas, edita eſt etiam cujuſdam ſanctæ mulieris nomine Mechtildis Prophetia; in qua illa veluti quandam Chriſti Epiſtolam ad ſpirituales & Prælatos recitans, primùm dicit *columnas Eccleſiæ* (id eſt ſacerdotes) *fragiles*, corruptas eſſe; ideoque verendum, ne tota Eccleſia corruat. Deinde id explicans dicit, ſummos & infimos ſpirituales eſſe perditos avaritia, ſuperbia, libidinibus, inſcitia, non curare eos Chriſti mandata, negligere eos munus docendi, eſſe indoctos, defeciſſe à Chriſto; quin & factos eſſe *lupos*, jugulare & devorare omnes, abducere oves Chriſti à ſacris paſcuis. Deinde prædicit, Deum exuſcitaturum novos Paſtores, qui ſanam Chriſti doctrinam piis proponant, ejusque jam fermè collapſam Eccleſiam ſedulò reædificent & inſtaurent; Chriſtianamque religionem, quæ multis erroribus eſſet contaminata, repurgent, ac contra Antichriſtum concionentur. Poſtremò hortatur omnes, ut illos audiant. Sed prius dixerat fore, ut pii ſub finem, gravem perſecutionem patiantur ob puram religionem, quam eis Antichriſtus auferre ſit conaturus. Quando autem ea mulier vixerit, non eſt adſcriptum, illud certè apparet, eam acu, quod ajunt, rem tetigiſſe. Opinor hanc ab ea, cujus ſuperius mentionem feci, diverſam eſſe.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Mem p. 745.

CCCLII. Theodoricus, Epiſcopus Croatus.

Romanæ ſedis corruptio & ruina.

THeodoricus primùm Minorita, poſtea Epiſcopus Croatiæ, vixit anno 1410. In fine ſuæ Prophetiæ, unà cum aliis Rhythmicis Prophetiis impreſſæ, prædixit fore, ut Romana ſedes, quæ ſimonia & libidinibus eſſet contaminatiſſima, corruat: nec quenquam, ut antea, tyrannide ſua premat, ſed à propriis ſubditis malè tractetur & prematur. Prædixit etiam fore, ut juſtitia, quæ longo tempore fuerat recluſa, in lucem prodeat & exaltetur; item ut Eccleſia ac vera pietas refloreat magis quàm unquam antea.

CCCLIII. Nicolaus Clemangis.

Corruptus Eccleſiæ ſtatus graphicè deſcriptus.

CIrca annum 1416. floruit Nicolaus Clemangis, Magiſter Pariſienſis, & Archidiaconus Baroenſis, homo pius ac doctus, politiorisque ſermonis & literaturæ ſectator. Scripſit librum, qui jam excuſus eſt, *de Corrupto Eccleſiæ ſtatu*; declarans, quibus rationibus res Eccleſiaſtica creverit & decreverit pietas. Depingit ſanè graphicè in eo libro, quàm tyrannicè Papa omnes reditus Eccleſiarum ad ſe rapuerit, ſuisque adulatoribus, vel etiam afferentibus pecuniam diſtribuerit; ita ut

Ecclesiæ aut destitutæ sint ministris; aut illi qui adsunt, & plerumque indoctissimi & turpissimi sunt, miserè esurire cogantur. Præcipuè ergo insectatur luxum, fastum & avaritiam Papæ ac Cardinalium, simul quoque eorum tyrannidem super Ecclesiam depingit. Dicit, Theologiæ studium, & verbi Dei prædicationem penitus contemptam jacere: Adscribam pauca ejus verba: *Multo æquanimius decem milium animarum ferunt jacturam, quàm decem solidorum. Sed me jure reprehendo; qui æquanimius dixi, cum nullo animi motu vel turbatione animarum dispendia, de quibus non modò nulla apud eos cura, sed neque cogitatio est, excipiant; damna verò suæ rei familiaris etiam levia, furiata propè mente sustinent.* Et paulò post: *Iam itaque sacrorum eloquiorum studia cum suis Professoribus in risum atq; ludibrium omnibus sunt versa, & præsertim (quod magis prodigiosum est) Pontificibus, qui suas traditiones divinis longè mandatis anteponunt. Iam illud egregium & præclarissimum prædicandi officium, solis quondam Pastoribus attributum, eisq; maximè debitum, ita apud eos viluit, ut nihil magis indignum, aut magis suæ dignitati erubescendum existiment.* Monachos dicit & probat esse *lupos rapaces* in vestimentis ovium, satanas in Angelos lucis transformatos, scribas, Pharisæos, hypocritas, sepulchra dealbata: denique prophetiam Pauli 2. Tim. 3. de Pseudoprophetis extremorum temporum, ad ipsos applicat, ac dicit alias quoq; Prophetias de venturis sub fine mundi Pseudoprophetis ad ipsos pertinere. Monacharum monasteria dicit nihil aliud esse, quàm Veneris execranda prostibula: & virginem velare nihil aliud esse, quàm publicè eam ad scortandum exponere.

Wolfii Memorab. pag. 771. & 765.

Scholastica Theologica depicta.

Scholasticam Theologiam passim in suis scriptis acriter, tanquam non tantum inutilem, sed & noxiam insectatur, præsertim autem in Epistola de Theologiæ studio. Applicat ad id studium illud Pauli: *Languent circa quæstiones & pugnas,* &c. item comparat eam Theologiam cum fructibus lacus Asphaltitis, qui foris speciem pulchram habeant, sed intus fumum ac cinerem. Dicit eos semper discere, sed nunquam ad scientiam perfectam venire. Scripsit etiam brevem libellum *contra simoniacos*, ac affirmat nulli non tantum beneficia, sed ne ipsos quidem ordines sine pecunia dari. Pro pecunia verò omnibus temerè, quantumvis sceleratis, dari. Inde verò ait omnia mala in Ecclesia Dei oriri. Ibidem etiam dicit, adeò libidinosum esse Clerum, ut in plerisque parochiis nolint amplius ferre laici pastorem, nisi habentem concubinam, quo tanto eis sint tutiores uxores ac filiæ, tametsi ne sic quidem eas adhuc esse tutas. Edidit item libellum *contra nova sanctorum festa*, ac probat potius aliqua vetera esse abolenda, propter ingentem abusum. Citat etiam quendam Altisidiorensem Episcopum Michaelem nomine, qui plerosque sanctorum dies in suo Episcopatu aboleverit. Queritur item in eodem scripto, longè diligentius & ardentius observari hominum traditiunculas, graviusque earum transgressiones ab Episcopis puniri, quàm mandatorum Dei. Queritur quoq; tam multa de sanctis legi ac dici in templis, ut jam sacrarum literarum lectio planè omittatur.

tur. Sed in antiqua Ecclesia diversum fuisse morem. Itaque jam Deum suo loco detrusum esse, ac sanctos pro eo in templo regnare. Testatur quoque ibidem, imagines in primitiva Ecclesia prohibitas inusitatasque fuisse.

Scripsit quoque *de astutiis & practicis Eugenii IV.* quibus conatus est dissipare Concilium Basiliense, antea ipsius mandato congregatum. Scripsit & *de authoritate Concilii*, planè secundum nostrorum Doctorum sententiam. Dixit quoque, superbiam melius depingi aut exprimi non posse, quàm fastuosa Cardinalium pompa. *Concilij autoritas.*

Lepidam admodum historiam narrat in quadam Epistola prolixa, quæ jam edita extat, de Spiritu Papisticis Conciliis præsidente. Sed adscribam ejus verba: *In Concilio Romæ à Ioanne XXIII.* celebrato, quid acciderit, audisse te arbitror. Res enim ita pervulgata fuit, ut vix quenquam latere potuerit: quam illo tempore ex veridico comperi authore, & qui me minimè fallere voluisset: quam paucis, si fortè non audisti, referre volo. Convocaverat ante quatuor fermè annos Concilium Romæ is Papa, maxima quorundam impulsus instantia: cumque ante primam Concilii congressionem pro invocatione sancti Spiritus, solito fuisset more Missa celebrata, ubi Concilium assedit, ipseque Iohannes in parata sibi cathedra sublimior præsedit; ecce *dirus ac ferialis bubo*, funeris, aut alterius (ut ferunt) calamitatis semper Nuncius, è latebris suis erumpens, cum sua illa horrifica voce continuò advolat, super trabemque templi mediam, oculis in Papam directo intuitu conjectis astitit. Cœperunt universi mirari, quod nocturna avis & lucifuga, diurna luce in turbæ medium advenisset, malumque omen ex prodigio non immeritò auspicabantur. En (inquiebant, suppressa voce alter ad alterum) in specie bubonis spiritus adest. Cumque cæteri & se mutuò & Papam spectantes, vix risum tenerent, Ioannes ipse, in quem ille fixa acie oculos intenderat, rubore suffusus, sudare, angustiari, atq; intra semetipsum æstuare cœpit: tandemque non inveniens qua alia posset ratione suæ tantæ confusioni consulere, soluto Concilio surgens abscessit. Sequuta est deinde altera sessio, in qua rursum more simili (licet, ut credo, minimè vocatus) bubo adesse non omisit, verso semper in Pontificem contuitu. Quem ille rediisse conspiciens, majori quàm prius verecundia meritò conturbatus est: nec illius ultra ferre prævalens conspectum, fustibus illum terrificisq; clamoribus abigi præcepit. Sed ille nec clamorum inquietudine, nec aliis tremefactus molestiis aufugere voluit. Hæc ex quodam fideli amico didici, qui illis diebus recto gradu Roma veniebat, super quibus cum propter rei insuetudinem hæsitare cœpissem, per me vehementissimè adjuratus, verissima se retulisse confirmavit. Addebat autem, omnes qui aderant, in magnum contemptum atque irrisionem Concilii ex hac re adductos: paulatimque toto dilapso Concilio, nihil illic prorsus actum esse. Hæc ille.

Fol. 201. b. in Fasciculo Opusc. à Gentio Coloniæ editorum 1535.

Tales spirituales columbas jam longo tempore Papis & Conciliis affuisse, eosque

eosque rexiſſe, etiamſi non ſemper conſpectæ ſint, facilè eorum impia dogmata evincunt. Lege pie lector ipſum Clemangim; non pigebit operæ. Satis enim Latinè, verè, liberè & piè Antichriſti, ejusque miniſtrorum turpitudines & ſcelera, impietates & tyrannidem, ac miſeræ Eccleſiæ triſtiſſimam faciem ſtatumque deploravit.

* De libris ejus vide excerpta Wolfii Cent. 15. Lect. Mem. p. 765, ad 779.

CCCLIV. *Concilium Conſtantienſe.*

Papa à Concilio, ut inferior, iudicandus.

CONcilium Conſtantienſe anno 1414. celebratum, & Baſilienſe aliquanto poſt, illud tantum contra Papam decreverunt, quod ſcilicet Papa ſit infra Concilium & quod Concilium poſſit ac debeat judicare de Papa. Nec tantum decreto id teſtati ſunt, ſed & opere; nam Conſtantienſe Concilium depoſuit & damnavit Ioannem XXIII. ob ejus innumerabilia ſcelera; Baſilienſe verò, Eugenium. Fatetur quoque Conſtantienſe Concilium, Communionem ſub utraque ſpecie, & à Chriſto mandatam eſſe, & primitivæ Eccleſiæ fuiſſe uſitatam, ſed tamen id nihilominus prohibet. In hoc Concilio pius aliquis vir publicè in templo, ubi patres Miſſam de Spiritu & Hymnum *Veni ſancte Spiritus*, canere ſunt ſoliti, affixit hanc ſchedam: *Aliis rebus occupati, nunc adeſſe vobis non poſſumus.* Sed de hujus Concilii actis etiam poſtea ſubinde aliquid dicetur.

CCCLV. *Cæſar Sigiſmundus.*

Reformatio à Pontifice ſuppreſſa.

CÆſar Sigiſmundus paraverat *Reformationem* quandam, quæ jam vulgari ſermone impreſſa extat, qua voluit in Conſtantienſi Concilio Papæ ejusque ſpiritualium ſuperbiam, pompam & ſimonias nonnihil reprimere. Sed ut ſcriptores quidam teſtantur, admodum callidè à Papa deceptus eſt, piusque ejus conatus eluſus. Accidit autem id ipſi eo acerbius, quod non ſine graviſſimis laboribus, ſumtibus & periculis, orbem penè totum peragraverat in quærendis & deponendis tribus Papis: jamque eò rem ſuo ſudore perduxerat, ut novus Pontifex eſſet electus, de quo ſibi nihil non multi pollicerentur. Putabat igitur ipſe, poſſe jam Eccleſiam piè utiliterque reformari: ſed ſua opinione nimium falſus eſt. Vafro enim commento dicitur Pontifex Cæſarem, ejusque pium inſtitutum eluſiſſe. Dixit (commendato tamen accuratè prius ejus ſtudio in unienda reformandaque Eccleſia) ſibi vehementer ejus conſilium probari, ſummaque ſe id ope adjuturum. Sed jam tantum temporis non reſtare, quantum ad tantam rem opus ſit. Oportere enim ſe quamprimum Romam proficiſci, ut templa illa ſanctiſſima, tamdiu propter proximum Paparum ſchiſma neglecta, inviſat & inſtauret, ut urbem penè in ſolitudinem redactam frequentari curet. Dilabi adhæc patrimonium Petri,

quod

quod ſuam præſentiam vehementer flagitet. Illis procuratis, ſe poſtea quamprimum (ſcilicet ad Calendas Græcas) iſtius ſanctæ & neceſſariæ reformationis memorem fore: communicatoq; cum Cæſarea majeſtate conſilio, eam promoturum. In quo & illud obſervandum eſt, *Henricum Token*, qui ante 120. annos floruit, & in Concilio Baſilienſi nomine Archiepiſcopi Magdeburgenſis legatione functus eſt, ſcribere, Cæſarem & Germanicam nationem inſtitiſſe Conſtantiæ, ut *reformatio* fieret, antequam novus Pontifex crearetur; ſed Cardinales non permiſiſſe, quod (ut ille inquit) ſciebant, quod poſtea nihil fieret.

Lepidum quoque Cæſaris de ea reformatione dictum narratur, cum conſultaret cum quibuſdam ſpiritualibus de inſtituenda reformatione, ac illi dicerent, *Oportere incipere à Minoritis*: reſpondit ille: *Non à Minoritis, ſed à Majoritis*, volens indicare, primùm Papam, Cardinales, & Epiſcopos reformari oportere, ut curatio à fonte mali incipiat, poſtea demum inferiores reformentur. In fine iſtius impreſſæ Sigiſmundi Reformationis eſt Viſio quædam ejuſdem Imperatoris, in qua cum aliæ mundi calamitates prædicuntur, tum etiam ſpiritualibus gravis afflictio prophetizatur. Indicatur enim, quod Papa ac ejus ſpirituales ſint ſumma ſuperbia, falſitate ſeu perfidia, ſumma injuſtitia, turpiſſimis libidinibus, maxima avaritia contaminatiſſimi; non imitari eos Apoſtolos; ac denique vendere & Eccleſias, & ipſum ſanguinem Ieſu Chriſti, ex eoque quæſtu ventrem, & inguina, luxum & faſtum ſuum magnificè fovere. Nec quenquam Prælatum eſſe, aut etiam fuiſſe inde à Nicolao Tertio, id eſt, jam 300. annis, qui à Simonia liber extiterit. Vidi exemplar hujus Reformationis impreſſum Auguſtæ Anno Domini 1484. Quæ ipſa editionis vetuſtas fidem ei facit.

* Wofius Cent. *15.* Lect. Mem. p 809, *810, 811, 812.* Quæ huc faciunt, alia ſunt, nempe Sigiſmundi Epiſtola ad Regem Galliæ, ut veniat pro tollendo Schiſmate Paparum & reformatione Eccleſiæ inſtituenda ad Concilium Conſtantienſe. Item Aviſamenta ſuper materiâ Apoſtolicarum Reſervationum, & collatione beneficiorum hactenus per Pontifices practicata A. 14*16.* Item ſacra directa ad Conc. Conſtant. ne abſente ſe quidquam definire aut decernere aggrediantur. Collegit hæc & ediderant Goldaſtus Tom. I. Conſtit. Imp. p. *386, 390, 391.*

CCCLVI. Concilium Baſilienſe.

BAſilienſe Concilium præterea confirmavit articulum Bohemorum, *de communione ſub utraque ſpecie*. Concluſit etiam, Papam debere tollere quædã gravamina Eccleſiarum, cum Germanicarum, tum & aliarum, ut de Annatis, decimis, Palliis, Confirmationibus, aliiſque Simoniis in congerenda pecunia artibus. *Articuli contra Pontifices errores.* Id decretum confirmavit *Sanctionem pragmaticam*, tollentem expilationes Papæ, quibus Gallias vexat; de qua ſanctione ſcripta quædam ſunt nomine Gallicæ nationis impreſſa cum Clemange. Primùm eſt, ſcriptum appellatum *Apoſtoli* poſtea *decretum Regis*. Ibidem quoque à Patribus Dux Sabaudiæ uxoratus, in Papam

electus eſt. Fuerunt in Baſilienſi Concilio plures viri pii ac conſtantes, quorum ſatis piæ & contra Papam acres ſententiæ referuntur; inter quos Cardinalis Arelatenſis, Theologus Segovius Hiſpanus, Thomas de Corſellis. Rurſum fuerunt alii non vulgares homines, qui contra conſcientiam Papam defenderunt, veritatemque ac publicam utilitatem oppugnarunt, ut Panormitanus, Ludovicus Protonotarius Romanus, Burgenſis, & quidam alii. Lege, Chriſtiane frater, Comment. Sylvii, & invenies, quomodo etiam maximi Apoſtoli ſoleant aliquando Chriſtum oſculo prodere. Porrò articulos Concilii, *quod Synodus ſit ſupra Papam*, adhuc ſtante Concilio, Colonienſis & Lovanienſis ſchola probarunt.

Valde multa ſunt hoc tempore tum à Patribus Concilii, tum ab aliis viris doctis, quin & ab integris Vniverſitatibus, pro Papa Eugenio contra Concilium, & econtra pro Concilio contra Papam ſcripta, quæ adhuc paſſim inveniuntur. Sed plura ac validiora probant, tum Concilium eſſe ſupra Papam, poſſe ac debere de eo judicare, poſſe eum eligere ac deponere; item, non Papæ, ſed Regis aut Imperatoris eſſe Concilium congregare.

CCCLVII. *Epiſtola Chriſti ad Concilium Conſtantienſe.*

EXtat in Bibliotheca Sancti Andreæ Brunſvigæ, *Epiſtola Chriſti ad Concilium Conſtantienſe*, ſecundo Concilii anno ſcripta, cujus ſumma & verba hæc fermè ſunt: Quod Concilium promittens reformationem Eccleſiæ, nec tamen reformans Papam & Curiam, ſimile ſit *fabulæ Æſopicæ*, cum *parturiunt montes, naſcitur ridiculus mus*. Quare *reformationem à Papa, aliisq́, ſummi ordinis ſpiritualibus* inchoandam eſſe. Tales magis ſimulatas quàm ſerias reformationes, ſemper Papæ in animo volvunt, quoties reformationem pollicentur. Quis autem tam ſtultus eſt, qui ſibi perſuadeat, iſtam Babyloniam meretricem unquam ſuas voluptates, opes, tyrannidem & impietates, in quibus tota ejus potentia fundata eſt, ſua ſponte abolituram eſſe? Quomodo eluſerunt Romaniſtæ conatum in reformanda Eccleſia, ſuperius dictum eſt.

CCCLVIII. *Gregorius Heimburgenſis.*

Antichriſtus Papa dictus.

TEmpore Baſilienſis Concilii, quod incœptum eſt anno 1434. vixit utriusque Iuris Doctor Gregorius Heimburgenſis, vir zelo, ut apparet, fervens ac doctus, ut ea quidem fuerunt tempora. Scripſit *contra Primatum* (præſertim politicum) *Papæ*, brevem ac eruditum libellum, quem ego Magdeburgæ primùm Latinè ſine Authoris nomine edidi, propterea quòd id ignorabam, poſtea nactus aliud exemplar cum titulo, edidi Germanicè, unà cũ authoris nomine. VVimflingus in ſua

in sua Prosthesi ad illustres viros Germaniæ Tritemii, facit ejus mentionem, cum fuisse *insignem Oratorem & eruditum Iurisprudentem*; cumq; ab Italis, præsertim à Venetis, magni factum. Dicit etiam eum scripsisse plures Orationes & Epistolas, & unam *Appellationem pro Sigismundo Duce Austriæ contra Papam*; de qua controversia vide Paralipomena Vrspergen. Ob prædictam porrò Appellationem, excommunicavit eum Papa Sylvius, olim ejus summus amicus, quiq; eum antè laudaverat, quæ excommunicatio continetur Epistola 415. ad Senatũ Noriberg. Ab ea excommunicatione ipse pro se itidem (sicut & pro Sigismundo) ad Concilium appellavit. Quæ *Appellatio* in Vrsperg. Paralip. extat. Vtinam autem & illa quam pro Sigismundo scripsit, unà cum aliis ejus scriptis extaret. Pag. 430, 431, 432, 433.

* Liber, quo confutavit Papæ Primatum, extat inter varia Opuscula à Wissenburgio Basileæ anno 1555. edita à p. 543. usque ad p. 584. Appellatio pro Sigismundo extat à p. 528. ad p. 542 In Bibliothecâ Augustanâ extat MS. de solenni concertatione Heimburgii contra Nicolaum de Cusa de causa Sigismundi Austriæ Ducis. Conf. Wolfii Cent. 15. Lect. Memor. p. 815, 816. seqq.

Habitavit aliquandiu circiter 30. annis Norimbergæ, fuit enim eorum Syndicus aliquandiu; sed excommunicatus à Pio Secundo, in Bohemiam abiit, ut Vandal. Crantzius scripsit, ubi uxorem duxit. Aliquot annis postea accersitus à Dietero Moguntino Episcopo, quem idem Impius Secundus persequebatur. In multis (ut ex ejus scriptis & actis conjicere licet) à Papa ejusque erroribus dissensit. In libello *contra Primatum*, Papam subinde ejusque spirituales & synagogam. *Babylonem* & *Babyloniam meretricem* nominat. Iubet (ut est in Apocalypsi) omnes ab ea exire, & pœnas ipsi imminentes prædicit. Facit quoque *antitheses multas Christi & Papæ*, ut ostendat, quàm sit per omnia Christo contrarius. Accusat & doctores, quòd partim metu, partim etiam lucri spe, non contradicant erroribus Papæ, sed tacentes, eos invalescere patiantur, ac inter cætera in hæc verba erumpit: *Liberius fuit à multis annis, de potestate Dei, quàm Papæ, prædicare vel disputare. Homines enim vino dictæ meretricis inebriati, dulcedine muliebris tacti, adulantes sacram scripturam exponunt, in confirmationem erroris retorquentes.* Commemorat quoque satis commodè, quibusnam articulis, fraudibus, & maleficiis Papæ, Imperatores & totum Imperium suis pedibus subjecerint. * Scripta hujus viri aliquot, unà cum multis aliis ejusdem generis, Basileæ sub titulo Antilogiæ recudi anno 55. curavi.

* Verba hæc ultima omisit Goulartius pag. 865.

CCCLIX. *Epistola Luciferi de non Apostolicis quorundam moribus.*

EPistola Luciferi, quam ego Magdeburgi anno 1549. imprimi curavi scripta ante annos multos, monet Papam & alios spirituales, ut strenuè pergant sua impietate, tacendoque Evangelium, infinitas animas ad inferos protrudere. Suos

enim eos esse, non Christi Vicarios. Teterrinis profectò coloribus & Papam & alios spirituales depingit. Dicit eos Babyloniam meretricem esse, cum qua Reges & Principes scortentur, de qua in Apocalypsi prædictum est: Eos defecisse à Christo ad Satanam, eos plures animas ad inferos detrudere, quàm infernus capere possit. Eos non secundum Christi, sed secundum Satanæ decretum, utrumque gladium gestare, & imperium opprimere, ac tot bella in Christianitate, clam ciere. Eos se appellare Deos, sanctos & sanctissimos, cum sceleftiores majoresque nequitias exerceant, quàm ipse infernales furiæ excogitare possint.

Nactus sum postea eandem illam Epistolam anno 1507. impressam. In fine ejus, tempus, quo erat scripta, sic indicatur: *Anno à Palatii nostri fractione, consortiumq; nostrorum subtractione 1351.* Vnde licet colligere, scriptas esse eas literas ante 204. annos, vel si fractione Palatii, pass. Christi tempus indicat, ante 138. Titulus porrò hæc habet verba: *Epistola Luciferi ad malos Principes Ecclesiasticos, Parisiis primum impressa, ubi est fons optimorum, & doctissimorum hominũ multitudo,* &c. Ex quibus verbis licet suspicari, hanc Epistolam, veluti publico Parisiensi Scholæ consensu editam. Extat quoque olim impressa unà cum Gulielmi Parisiensis Episcopi de beneficiorum collatione.

Fit mentio etiam cujusdam Epistolæ Luciferi tenebrarum Principis ad Prælatos, in quadam Epistola Pragensis Scholæ ad Oxoniensem, anno circiter 1370. scripta, & hoc ævo ab Hutteno cum aliis aliquot Epistolis edita, de quibus superius mentionem fecimus. Vnde apparet, istam Luciferi Epistolam, si modo eadem est, & non alia, jam ut minimum ante 200. annos, ut dixi, scriptam spiritualiumque sanctitatem tam diu, tam celebrem etiam magnorum virorum judicio fuisse.

Fol. 356. Libro 25. cap. 89. Speculi historialis Vincentii, fit mentio itidem cujusdam Epistolæ Inferorum ad Clericos, ante 400. annos in visione repræsentatæ, in qua diaboli spiritualibus gratias agunt, quòd *tacendo Evangelium infinitas animas ad infernum præcipitent.* Quòd ut nullam veritatis rei sic factæ fidem habeat; ita tamen hominum illorum, qui jam ante 400. annos illam poësin finxerunt, judicium de intermissa Evangelii prædicatione, substitutisq; in Evangelii locum Philsophia, superstitionibus & fabulis indicat.

Vidi & aliam quandam perbrevem Epistolam, titulo, *Princeps regionis gehennalis, Ecclesiarum Prælatis & Clericis universis*: in qua inter cætera satan dicit, omnes servire sibi. Haud dubiè plures tales Epistolæ conscriptæ sunt, quòd pii homines perditissimam spiritualium vitam & corruptam Religionem taxare voluerunt. Huc etiam illud referatur, quòd passim in Bibliothecis invenitur quædam historia in vetustioribus chartis scripta. Cùm fortè anno Domini 1228. Parisiis in Synodo Clericus quidam habere orationem jussus esset, isq; maximopere animo augeretur, ac solicitè cogitaret, quidnam deberet dicere, venisse ad eum diabolum, ac dixisse: Quid solicitus es, quid debeas istis Clericis prædicare: dicas

modò,

modò, Principes inferni salutant vos, Principes Ecclesiæ: vobis læti agunt gratias, quod vestra culpa ac negligentia fermè omnes animæ ad inferos descendant. Addidisse etiam, se illa divino mandato coactum dicere: & insuper signum quoddam Clerico illi dedisse, quo Synodo fidem facere posset, se in eo non mentiri.

* Extat integra in Wolfii Cent. 14. Mem. Lect. p. *654, 655, 656,*

CCCLX. *Cleri fletus.*

EDidi ante biennium poëma, inscriptum *Cleri fletus*, ex antiquo admodum codice desumptum; in quo corruptissimus spiritualium status deploratur. Opinor esse ante annos amplius 100. scriptum.

CCCLXI. *Rodericus Zamorensis Pauli II. Referendarius.*

ROdericus Episcopus Zamorensis, & Referendarius Pauli Secundi, floruit ante annos 100. nempe sub Paulo Secundo. Scripsit cum alia, tum & *Speculum vitæ humanæ*; in quo graviter invehitur in Papam & spirituales. Multis nominibus eos durissimè accusat; sed inter alia dicit, *Papam* vacare *non sapientiæ, non laudatis studiis non paci, non quieti Christiani populi, sed tantum rebus terrenis. Prælatos* nec docere nec posse docere, utpote indoctissimos, deditos ventri & inguini; alligare tamen miseris Christianis varia ac importabilia traditionum onera, eos arctare, gravare, & involuere legum laqueis, quæ olim in primitiva Ecclesia partim non fuerint, partim libera fuerint. Sed adscribam aliqua ejus verba, ne quis dicat me hæc fingere. *In primitiva* (inquit) *Ecclesia multi floruerunt, verissimum puto illos fuisse perfectioris & sanctioris vitæ, cæteris socialem vitam agentibus. Eo enim tempore non arctabantur fideles tot Canonum & Decretornm præceptis, censuris, aut pœnis. Nec erant tunc (ut ita dicam) tot laquei Legum seu constitutionũ Excommunicationũ, sive Censurarum, à quibus fideles etiam diligentissimi & timorati respirare & præcavere non possunt. Non tot Jejunia indicta, non vigiliæ, non silentia, non diuturna pariter & nocturna divina officia dietim ex præcepto dicenda. Non tot deniq;* Festa *colenda; non tam crebra confessio, & corporis Christi communicatio* (intelligit Missam) *non tot obedientiarũ præstationes, sicut modò fideles arctantur, aut potius involvuntur; ita ut rectè de Prælatis Ecclesiæ dici possit illud Christi, Qui alligant onera importabilia, &c. Unde si aliqua hujusmodi in illa primitiva Ecclesia servabantur, erat tantum voluntatis, quæ pro tunc transgredi peccatum non erat, quia nondum prohibita.* Hæc ille.

Lib. 2. c. 7. f. 59. b. edit. Argent. 1507.

* Lib. 2. cap. 29. fol. 89. a. Vid Wolfii Cent. 15. Lect. Memor, p. 887.

CCCLXII. *Domicius Calderinus.*

Communis erroris censura.

DOmicius Calderinus, vir ſanè non indoctus, floruit ante annos 100. Non libenter audiebat Miſſas, ut ſcriptores quidam (inter quos & Vives) teſtantur. Cumque aliquando ab amicis invitus ad eas pertraheretur, ſolitus erat dicere: *Eamus ſanè ad communes errores.* Sentiebat igitur, Miſſam eſſe quendam errorem, in quo plerique homines vehementer errarent. Quòd autem non plura de ea re, nec explicatiora dixerit, fortaſſis periculum in cauſa fuit: quòd contradicentibus Miſſæ, & tunc atrox periculum imminuit, & hodierna die adhuc imminet.

* Wolfius Cent. 15 Lect. Memor. p. 891.

CCCLXIII. *Martinus Meier.*

Tyrannis Pontificia.

MArtinus Meier, Cancellarius Archiepiſcopi Moguntini, Æneæ Sylvii (poſtea Pii Secundi) familiaris & amicus, floruit circa 1435. annum. Scribit in quadam Epiſtola, Germanos queri de Papa, non confirmari ab eo electos ad Epiſcopatus quantumvis ſint idonei. Item, exigi ab illis nimis magnam pecuniam. Item, alioqui multipliciter per decimas, annatas, aliasque expilationes ſpoliari Germaniam, contra Decreta Conſtantienſis & Baſilienſis Concilii. Nec obſcurè indicat, ſe quoque unà cum aliis queri. Item, ut ex alia ad eum Sylvii Epiſtola apparet, & ipſe Meier, & alii multi in Germania tunc Primatum Papæ damnarunt: quare Sylvius eum illi perſuadere, politicis quibuſdam magis quàm Theologicis rationibus conatur. In qua Epiſtola diſertè Sylvius confitetur, Primatum Papæ ante Nycenam Synodum, id eſt, circiter 300. annos poſt Chriſtum, neglectum ab Eccleſia fuiſſe, & unumquemque ſibi, ſeu ſuo arbitrio vixiſſe. In ea Epiſtola Martini Meier, quæ Sylvii deſcriptioni Germaniæ præpoſita eſt, queritur ſatis lugubriter ille bonus vir, beneficia non plus merentibus, ſed plus offerentibus dari; Mille artes excogitari, quibus Chriſtiani à Papa exhauriantur: Germaniam olim florentem, ac rerum dominam, nunc ita à Papa expilatam & decalvatam, & in ſervitutem redactam, ut paupercula ſub tributo fleat ac lugeat. Quare affirmat, jam Principes Imperii cogitare de excutiendo penitus jugo Papæ.

Fuit autem ſanè circa Rhenum ſatis crebra, non tantum querela de oneribus Antichriſti, ſed & deliberatio de excutiendis illis importabilibus gravaminibus. Nam & tempore Baſilienſis Concilii, habuit Moguntiæ Cæſar Fridericus, anno 1441. deliberationem cum Imperii Proceribus, de excutienda illa tyrannica expilatione; petiitque à Rege Galliæ, ut ſuos quoque Legatos eò mitteret, ad communem deliberationem; ſed contra Eugenius Papa petiit, ne mitteret. Vtriuſque poſtulatio cum Clemangi impreſſa eſt. Habeo etiam Articulos in eo conventu agitatos, ſecundum quos Papæ rapacitatem conabantur reprimere; ac eſt aliquid,

quanquam

quanquam non totum Nicolao Quinto extortum. Postea sunt tentatæ novæ consultationes de libertate Ecclesiarum, circa annum 1450. & aliquanto pòst: quas ut Legatus ad id missus summa diligentia impediret, aliquot Epistolis eum Æneas Sylvius hortatur. Postremò ob eam causam Sylvius Papa Impius Secundus, cum Dietero Episcopo Moguntino, atrocissimum & furiosissimum bellum gessit.

* Wolfii Cent. 15. Lect. Memo ab. p. 153, 154.

CCCLXIV. Nicolaus Seculus de Tudeschis Archiepiscopus Panormitanus.

PAnormitanus, Iuris Canonici sacrarumque literarum callentissimus, ac inter Canonicos Legistas cum primis celebris, non pauca rectè contra Papam Papistarumque errores dicit. De elect. cap. significasti, inquit: *Uni fideli privato, si meliorem scripturæ authoritatem aut rationem habeat, plus credendum est, quàm toti Concilio vel Papæ Concilium errare potest; sicut alias erravit super causa matrimonii contrahendi inter raptam & raptorem, quando dictum Hieronymi fuit postea toti Concilio Prælatum* Hactenus ille. Vbi ille Doctor & jus sententiæ tribuit singulis Christianis, & Papam totumque Concilium errare posse affirmat, & denique soli sacræ Scripturæ credendum esse censet. * Defendit etiam proprio scripto *Basiliense Concilium contra Eugenium Papam*, ac inter alia rectè dicta affirmat, adeò consulendum esse libertati Conciliorum, ut non solum non fuerit transferendum Basilea Concilium illud Ferrariam, sicut Papa tunc flagitabat: sed etiam, si initio Ferrariæ congregatum fuisset, inde fuerit libertatis causa in Germaniam traducendum, quòd ibi Papa nimirum potens esset. Sed tamen mirabile dictu is idem Panormitanus, velut in alium virum mutatus, cœpit Eugenium Papam contra Basiliense Concilium defendere. Sylvius ei in suis commentariis tribuit, quòd Eugenium, non tam volens quàm jussu sui Regis defenderit. Quinetiam ait, cum tandem in Concilio victus esset, domum sese mœstum recepisse, ibique diu secum questum de suo Rege, qui se invitum compellat contra veritatem pugnare. Narrat ibidem Sylvius, & quendam Ludovicum Protonotarium Romanum, quem plurimum eruditionis ac ingenii nomine deprædicat, eundem Eugenium contra mentem suam defendisse; sed tamen non ita multum pòst, penè subitanea morte extinctum esse. Non enim ultra 36. horas ægrotantem jacuisse. Sed ut ad Abbatem redeamus, ille super caput, *Omnes utriusq; sexus*, sentit ac scribit, confessionem istam quam vocant auricularem, non divini, sed humani juris esse: eoque ad salutem non esse necessariam. Item in cap. *Cum olim de Cler. con.* dicit traditiones conscientiis imponendas non esse, seu eas illis obligari non oportere. Vixit in Sicilia, ubi Episcopus fuit, circiter ante 120. annos.

Scripturæ sacræ authoritas suprà Concilia & Pontifices.

* Goulartius pag. 868, 869. addit: Fatetur etiam, plerosque Pontifices Romanos ita vitam suam componere in hoc mundo, ut facilè appareat, non credere illos, restare aliam vitam, aut ullam

ullam mortuorum resurrectionem & judicium. Idem author Laicos idoneos etiam debere interesse Conciliis Ecclesiasticis expresse defendit in quæst. 1. num. 26. citans ad hoc caput, Ubinam distinct. 96.

CCCLXV. *Thomas Rhedonensis, Carmelita.*

Antichristus censuram respuens, gladios & ignes spirans.

Thomas Rhedonensis, Gallus Carmelita, celebris (teste Antonino) concionator, floruit circa annum Christi 1430. Is inter concionandum per Galliam & Italiam solitus erat dicere ac docere, Romæ magnas abominationes fieri Ecclesiam magna reformatione indigere: & quòd Prælati deposito fastu ac luxu deberent modestius instar Christi & Apostolorum vivere. Ob hasce gravissimas hæreses & blasphemias, curavit eum Antichristus Eugenius IV. Romæ anno 1436. exuri.

De Sacerdotum quoque conjugio non malè sensit. Sic enim titulo de Cler. conjug. Cum olim, de hac re scribit. *Numquid hodie possit Ecclesia statuere, quòd Clericus possit contrahere matrimonium, sicut Græci? Credo quòd sic: & hoc indubitatum est apud me, respectu eorum qui non sunt obligati ex voto tacito vel expresso. Probo ratione. Continentia non est in Clericis secularibus de substantia ordinis, nec de jure divino: quia alias Græci peccarent, nec excusaret eos consuetudo: quia illa non valent contra legem divinam, & iste, de quo Textus loquitur, esset illegitimus, quia foret contra legem divinam genitus. Et non solum credo potestatem inesse Ecclesiæ hoc concedendi, sed credo pro bono & salute animarũ, quòd esset salubre statuum ut valentes continere, & magis mereri, relinquerentur voluntati eorum: non valentes autem continere, possint contrahere. Quia experientia docente, contrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege continentiæ: cum hodie non vivant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu, cum eorum gravissimo peccato, ubi cum propria uxore esset castitas. Unde deberet Ecclesia facere sicut bonus medicus, ut si medicina experientia docente potius officit quàm prosit, eam tollat, &c.*

CCCLXVI. *Æneas Sylvius, Episcopus, Cardinalis, & demum Papa.*

Concilium supra Papam.

Floruit circa annum 1440. Æneas Sylvius. Antequam Episcopus Senensis, Cardinalis, ac demum Papa fieret, fuit Scriba Imperatoris, & Secretarius; ac tunc quidem temporis de multis Religionis partibus mediocriter sensit, præsertim de eo quod tunc in Conciliis agitabatur; nempe Concilium esse supra Papam. Quod etiam inde patet, quia laudat Coloniensem Scholam, quæ idem publico scripto probarat. Laudat etiam alicubi Germanos, quòd seriò oppugnent Papam. Sed postea factus & ipse spiritualis, concepto scilicet Antichristi Spiritu, contrarium defendere impudenter cœpit; nempe Papam esse supra Ecclesiam & Concilium, nec licere penitus ab eo appellare.

Epistola

Epistola 301. ad Martinum Meier Cancellarium Moguntinum, qui Papæ ejusque tyrannidi vehementer erat infensus, defendit Primatum Papæ, in qua illa duo præcipuè observatu digna sunt, alterum, quòd confitetur ipsemet, ante *Nycænam Synodum*, id est 300. annos post Christum, *unumquemq;* (ejus verba recito) *sibi vixisse, & parvum respectum ad Romanam sedem habitum*, unde clarum est, Primatum Papæ non esse à Christo institutum; nam profectò primitiva Ecclesia id non neglexisset. Secundò, quòd affirmat, suo tempore multos in Germania Primatum Papæ oppugnasse.

Papa adversus Papatum testimonia.

* Epistolæ Æneæ Sylvii sunt Anno 1496. editæ Norimbergæ sine paginarum signaturâ, quas eâ de causâ hîc addere non potuimus.

In Epistola 415. ad Norimbergensem Senatum excommunicat Gregorium Heimburgensem, propter appellationem ab ipso Papa ad Concilium factam, de qua superius scripsi, ac ejus bona publicari jubet. Narrat simul quandam diabolicam hæresim, quod quidam sibi *jus appellandi à Papa ad Concilium vendicent*, & putent Concilium esse supra Papam, sensim crevisse; sed se jamdudum eam cum suis fratribus Cardinalibus damnasse.

Epistola 348. & multis aliis, ad Legatum Apostol. & diversos Episcopos scriptis hortatur eos, ut Germanis querentibus de Gravaminibus, quibus à Papa contra decreta Concilii Basiliensis premantur, resistant, ac ipsos compescant. Imprimisque illud jubet inculcari Principibus Germaniæ, ut in eo negotio Papæ gratificentur; quia eorum filios longè melius Papa, quàm alii, promovere possit. An non hoc validum, ac ex intimis Apostoli Iudæ Evangeliis argumentum desumptum est, propter privatam utilitatem debere Principes publicum Ecclesiæ Christi ac patriæ bonum libertatemque negligere, aut etiam impedire? Pepulit etiam eam ob causam *Dieterum, Episcopum Moguntinum*, non sine multo civili sanguine, quod noluit in quædam onera Germaniæ à Papa imponenda consentire.

Scripsit quoque ante Papatum *duos libros de Concilio Basiliensi* satis piè, in quibus illorum Patrum sententiam laudat, quòd Papam Concilio subesse voluerint. Commemorat quoque multorum piè constanterque dictas sententias. Sed paulo pòst factus spiritualis, conceptoque (ut dictum est) Antichristi spiritu, cum non putaret expedire Curiæ Romanæ, edi eos, suppressit illos. Inventi tamen tandem ab aliis, in lucem evulgati sunt. Mirum profectò est, illum hominem adeò prorsus immutatum esse, ut etiam scriberet, Papa jam factus, in quadam Epistola ad Moguntinum Capitulum: *Quod verum quoq; contra Papam dicere, sit contra juramentum Episcoporum*. Et ipse primus de consensu suorum Cardinalium edidit Decretum, ne cuiquam liceret à Papa ad Concilium appellare, quod tamen impium & tyrannicum, & planè Antichristianum decretum, nondum authoritatem aliquam obtinere potuit, quantumvis id confirmare Papæ magnopere conati sunt.

An Sylvii libri de Concilio Basil. editi Colon. 1535.

Reliquit tamen & Papa jam factus, post mortem, ut Platina & Sabellicus re-

 ferunt

Fol.25.b. ferunt, inter proverbiales suas sententias, & hanc: *Sacerdotibus magna ratione olim ademptum conjugium, majori restituendum.* In eandem sententiam inquit lib. 2. de Concilio: *Fortassis non esset pejus Sacerdotes quàm plures uxorari, quoniam multi salvarentur in sacerdotio conjugato, qui sterili in presbyteratu damnantur.*

* Wolfius Cent. 15. Lect. Memorab. p. 848. ad p. 853.

CCCLXVII. Nicolaus Cusanus, Cardinalis.

Nicolaus Cusanus, vir apprimè eruditus, floruit ante annos 100. Primùm reprehendit quosdam errores & crimina Papæ, postea factus Cardinalis, eundem tueri cœpit. Extant tamen ejus scripta, quibus non paucorum Antichristi mendaciorum & errorum vanitatem refutavit.

Extat inter Opuscul. Schardii num. 11. p. 465.

In libris *de Concordia Catholica*, refutat vanitatem donationis Constantini, quæ est in Decretis: Item Epistolarum Clementis & Anacleti, eandem superioritatem seu Primatum astruentium, qui & in Donatione ponitur. In libro de Pace fidei, probat nos sola fide justificari, non ex merito operum, multoque minus per traditiones humanas quas etiam vehementer extenuat.

Sed editus est propitius liber Germanicè nomine *Hercules Papæ*, in quo prolixè sententia Cusani contra Papæ errores ex libris ejus demonstratur. Eum, qui vult plenius cognoscere, in quibus Articulis Cusanus Antichristo contradixerit, legat. Certum est enim illum plurimos ipsius errores reprehendisse. In concionibus, cum esset apud Germanos Papæ Legatus, solitus est mendicantes accusare, quod non sint probatæ vitæ: item, quod perturbent ordinem sive hierarchiam Ecclesiæ. Item quòd Ecclesia in meliori statu ante eos fuerit. Ob quam causam acres contentiones cum Monachis habuit, quarum summam quandam descriptam habeo. Est porrò in ea, pervenisse in manus Cusani scriptum cujusdam provincialis mendicantium, in quo assertum probatumque fuit, Romanam Ecclesiam esse illam Apocalypticam meretricem, sedentem super aquas multas. Vtinam illud scriptum haberemus. Fuerunt haud dubiè & multa alia memoratu digna in eodem. Quare non sine causa eum Antichristi ministri oppresserunt. Affirmatur etiam ibidem, multum tunc solitos esse mendicantes concionari contra sedem Apostolicam, seu potius Apostaticam.

CCCLXVIII. Laurentius Valla.

Valla libero stilo invebit in larvatū Donationem Constantini M.

Laurentius Valla, Senator Romanus, vir eruditissimus, qui ante annos 100. floruit, primò prolixo scripto, *Constantini donationem* (ut superius indicavi) quæ in Decretis extat, quaque Papa sibi à Cæsare primum donatum Primatum

super

ſuper omnes Eccleſias, deinde Imperatoria ornamenta dignitatemque, poſtremò & imperium totius Occidentis, gloriatur, redarguit. Poſtea refutavit Pelagianam Papiſtarum opinionem de libero arbitrio, & viribus meritiſque humanis, totamq; ſalutem noſtram gratiæ attribuit. Denique id fictitiam caſtitatem, totamque vovendi Monachorum rationem coarguit. In reprehenſione commentitiæ Conſtantini donationis, arguit Papam, ejusque ſpirituales, & de aliis multis mendaciis in Religione impiè ac ſceleratè confictis, deque polluta falſitatibus Chriſtiana pietate, quæ ibi commodius legi cognoſcique poſſunt. Recitabo tamen aliquot ejus loca tum teſtimonii gratia, tum ut gratificer iis, qui fortè Vallæ librum ad manum non habet, Inquit enim inter alia & hæc. *O miram hominum dementiam, qui his anilibus deliramentis fidem habent. Jam verò quamdiu hoc factitatum eſt? Quando fuit cœptum? Ante adventum Salvatoris? An poſtea nihil horum ſcitur. Pudeat nos, pudeat harum neniarum & levitatis pluſquam inimicæ. Erubeſcat Chriſtianus homo, qui veritatis ſe ac lucis filium nominat, proloqui, quæ non modo vera non ſunt, ſed* nec veriſimilia. *At enim inquiunt, hanc dæmones poteſtatem in gentibus obtinebant, ut eas Diis ſervientes illuderent. Silete impudentiſſimi homines, ne dicam ſceleratiſſimos, qui fabulis veſtris tale ſemper velamentum obtenditis. Non deſiderat ſynceritas Chriſtiana patrocinium falſitatis, Satis per ſe ſuperq; ſua ipſius luce ac veritate defenditur, ſine iſtis commentitiis ac præſtigioſis fabellis in Deum, in CHRISTUM, in Spiritum Sanctum contumelioſiſſimis.* Item. *At verò noſtri fabulatores paſſim inducunt idola loquentia, quod ipſi gentiles & idolorum cultores non dicunt, & ſyncerius negant, quam Chriſtiani affirmant. Apud iſtos pauciſſima miracula, non fide authorum, ſed veluti ſacra quadam ac religioſa vetuſtatis commentatione nituntur. Apud iſtos recentiòra quædam narrantur, quæ illorum homines temporum neſcierunt. Neque ego admirationi Sanctorum derogo, nec ipſorum divina opera abnuo, quum ſciam tantum fidei, quantum eſt granum ſynapis, montes etiam poſſe transferre. Imò defendo illa, & tueor; ſed* miſceri cum fabulis non ſino. *Nec perſuaderi poſſum, hos ſcriptores alios fuiſſe, quam aut infideles, qui hoc agerent in deriſum Chriſtianorum. Si hæc figmenta, per doloſos homines in manus imperitorum delata acciperentur pro veris, aut fideles habentes æmulationem DEI, ſed non ſecundum ſcientiam, qui non modo de geſtis Sanctorum, verum etiam Dei genetricis, atq; adeo CHRISTI improba quædam & pſeudoevangelia ſcribere non reformidarunt, & ſummus Pontifex hos libros appellat apocryphos. Quaſi nihil vitii ſit, quod eorum ignoratur author. Quaſi credibilia ſint quæ narrantur. Quaſi ſancta, & ad confirmationem Religionis pertinentia, ut jam non minus culpæ ſit penes hunc, qui mala probat, quàm penes illum qui mala excogitavit. Nummos reprobos diſcernimus, ſeparamus, abjicimus, Dominum reprobum non diſcernemus, ſed retinebimus? ſed cum bona miſcebimus, ſed pro bona defendemus? Ego verò ingenuam feram ſententiam, Geſta Sylveſtri nego eſſe Apocrypha, quia ut dixi,* &c. Item. *Melius ſummus Pontifex ab augendo Auguſtus diceretur, niſi quod dum temporalia auget, ſpiritualia mi-*

 nuit,

nuit, Itaq; videas, ut quisq; pessimus est summorum Pontificum, ita maximè defendendæ huic donationi incumbere. Qualis Bonifacius Octavus, qui Cælestinum tubis parieti insertis decepit. Hic & de donatione Constantini scribit, & Regem Franciæ privavit, regnumq; ipsum quasi donationem Constantini exequi vellet Ecclesiæ Romanæ fuisse & esse subjectum judicavit. Quod statim successores ejus Benedictus & Clemens, ut improbum injustumq; revocarunt. Verum quid sibi vult ista vestra Rom. Pontifices solicitudo, quod à singulis Imperatoribus donationem Constantini exigitis confirmari, nisi quod juri diffiditis vestro? Sed laterem lavatis, ut dicitur. Nam neq; illa unquam fuit: & quod non est, confirmari non potest & quicquid donant Cæsares decepti exemplo Constantini faciunt, & donare imperium nequeunt. Age verò demus Constantinum donasse. Item. *An possumus principatum potentiæ Papalis pro jure proferre, quem tantorum scelerum tantorumq; omnis generis malorum cernimus esse causam? Quamobrem dico, & exclamo (neq; enim timebo homines DEO fretus) neminem mea ætate in summo Pontificatu fuisse, ut fidelem dispensatorem, aut prudentem, qui tantum abest, ut dederit familiæ DEI cibum, & escam panis. Papa & ipse bella pacatis populis infert, & inter civitates Principesq; discordias serit. Papa & alienas sitit opes & suas exsorbet; ut Achilles in Agamem nomen δημοβόρος βασιλεύς, Papa non modo Rempublicam, quod non Verres, non Catilena, non quispiam peculator auderet, sed etiam rem Ecclesiasticam, & Spiritum Sanctum quæstu habet, quod Simon illa Magus detestatur. Et cum horum admonetur, & à quibusdam bonis viris reprehenditur licere eum quavis ratione patrimonium Ecclesiæ à Constantino donatum, ab occupantibus extorquetur.* Fuit sanè vir ille Pontificiæ impietatis, tyrannidis, & aliorum scelerum hostis acerrimus. Atque ob id etiam in exilium ab eo pulsus est, sed à Rege Neapolitano honorificè exceptus & habitus est.

* Schardius in Opusculis p. 728. Wolfius Cent. 15. Lect. Memor p. 746, 747.

CCCLXIX. *Wilhelmus Albus.*

Contra cœlibatum. WIlhelmus cognomento Albus, Presbyter uxoratus, & Doctor, VViclephista fuisse memoratur; & docuisse cum alia, tum quòd Sacerdotibus conjugium sit licitum. Item quòd non sit peccatum Festis diebus operari. Item, quòd reliquiæ Sanctorum non sint adorandæ. Vixit itidem circiter ante 100. annos.

CCCLXX. *Iulianus Cardinalis contra Eugenium Papam.*

IN hoc Catalogo scriptorum, qui Papæ, ejusque impietatibus, & abusibus contradixerunt, non immeritò numerantur etiam duæ Epistolæ Iuliani Cardinalis

dinalis S. Angeli, qui Basiliensi Concilio præfuit, quæ sunt cum Æneæ Sylvii Basiliensi Concilio impressæ. Is enim, cum Eugenius Papa timens suæ culinæ & dignitati, Concilium illud, quod tamen prius congregaverat, multis artibus dissipare conaretur, restitit illi satis audacter. Scripsit quoque ad eum *duas Epistolas* satis liberè, quibus eum monuit ut ab impio proposito desisteret. Queritur quoque in illis Epistolis, de corruptissima Cleri vita, summaque inde oriente vulgi contra eos indignatione. Probat *Concilium* esse *supra Papam*, & curiam Romanam vereri, ne in Concilio ei opes adimantur. Monet Papam, eum debere gregem Domini custodire, non arces & opes, illud enim esse pastoris Christi officium. Dicit etiam, eum resistere voluntati Dei, irritare & scandalizare Ecclesiam: ac subinde exitium spiritualibus vaticinatur, quoniam adeò prorsus degeneres, nihil boni amplius velint facere. Ait multa Concilia celebrari, sed nullam inde reformationem sequi; ac ex eo colligere vulgus, Papam & ejus spirituales simulando Concilia, & nullam piam reformationem instituendo, deridere Deum & homines. Atque ideo jam esse prægnantes ipsorum odio. Tandem tamen veluti desperans, Papam à Concilii perturbatione destitutum, proponit ei quandam *Romanisticam practicam*, qua possit imponere laicis, ac simulare per se non stetisse, quo minus tunc aliqua sancta reformatio facta fuisset: atque ita postea decepto vulgo latenter Concilium dissipare. Talibus præstigiis longo jam tempore Antichristus simplicium oculos ita perstrinxit, ut cum revera non solum abnegasset, sed & persequeretur veram pietatem, foris tamen speciem pietatis semper habere, secundum prophetiam Spiritus sancti, visus sit.

Colon. 1535. fol. 28. usq; ad f. 35.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Mem. p. 807, 808.

CCCLXXI. Fortalicium fidei.

AVtor Fortalicii fidei, testatur in suo opere, fuisse suo tempore, nempè anno 1450. non paucos, qui Purgatorium, & Auricularis Confessionis necessitatem Indulgentias, Missas, & Vigilias pro mortuis improbarent. Ita apparet, omnibus temporibus fuisse, qui erroribus Antichristi reclamarent. Vide lib. 2. Consid. 6.

CCCLXXII. Petrus de Aliaco.

PEtrus de Aliaco Cardinalis, in Concilio Constantiensi, jussu Sigismundi Cæsaris obtulit Articulos, secundum quos putabat corruptissimum statum Ecclesiæ reformandum esse. Primùm autem ac præcipuè curiam Romanam corrigendam censuit, totque ac tam varias ei corradendæ pecuniæ artes præcidendas. Episcoporum Prælatorumque mores ac vitam corrigendam, eosque ad proprium eo-

Libellus de emendatione Ecclesiæ extat inter varia Opuscula à Gra-

tio Coloniæ 1535. edita fol. 203, ad f. 208. rum officium rectè obeundum cogendos. Deinde *pompam Ecclesiasticam, superflua festa, jejuniorum abusum, prolixas battologias boatusq́, & sanctorum canonisationem* esse tollendam. Quin & Monachorum Ordines minuendos esse. Denique & *nimiam imaginum templorumq́ curam & copiam* abrogandam.

Hæc & similia quædam alia in reformanda Ecclesia agenda putavit, ac, ut fierent, in Concilio suasit, sed nihil profecit. Ipsimet enim qui emendari reformarique debebant, nempè Curtisani, Cardinales, Episcopi & Monachi, in Concilio regnabant, & ad suam libidinem jus fasque inflectebant. Impressus est libellus cum Sylvii Basiliensi Concilio Coloniæ, anno 35. & recusus Basileæ anno 1551. Testatur porrò in præfatione ejusdem libelli, se alias de reformatione Ecclesiæ prolixius scripsisse. Narrat quoque idem Cardinalis in suo libello, fuisse ante ea tempora quosdam qui contenderint, Cardinales neque à Christo, neque ab Apostolis institutus; ad hæc inutiles, damnosos & onerosos Ecclesiæ esse, eoque tollendum totum eum ordinem. Quin addit, fuisse aliquos, qui & in Cap. 1. fol. 204. Constantiensi Concilio idem asseverare voluerunt. Scribit in eadem reformatione & hæc verba: *Ea mala quæ universam tangunt Ecclesiam, diu remanserunt impunita, incorrecta; & adeò creverunt & inveterata sunt, ut tandem multa injusta & iniqua sub prætextu fictæ & corruptæ consuetudinis licita reputentur. Multi suspicantur, quod hæc dissimulaverit Romana curia, & super hoc Concilia fieri neglexerit, ut posset ad suæ voluntatis libitum plenius dominari, & jura aliarum Ecclesiarum liberius usurpare.* Hoc profectò dictum valde memorabile est. Dicit enim non unum, sed multos suo tempore judicasse, quod Romana curia injustissimas consuetudines & alia universa prementia mala foveat, quò tantum tyrannidem suam super omnes Ecclesias stabilire possit. Aliquanto post, nominat etiam quasdam pravas consuetudines, quas Romanistæ in præjudicium aliarum Ecclesiarum foverent: ut quod Episcopos titulares creent, ut Episcopum Sodomæorum, Ierusalem, &c. qui scientes & volentes contra propriam conscientiam jurent, se esse illam Ecclesiam adituros, & docturos. Item quod eximunt quos volunt, ex jure ac potestate ordinariorum Pastorum & Episcoporum: de qua re multos pios jam olim quæstos testatur. Item, quod temerè admittunt appellationes, sicque jura ac disciplinam Ecclesiarum tollant, quod nimis multos Cardinales creet Papa, &c. Quod temerè Episcopos pro libitu ponat & deponat. Sunt & hæc ejus verba: *Ipsa quoque Theologia in statu secularium paucos habet sectatores, propter abusum Romanæ Curiæ, quæ Theologos contempsit, & in omni Ecclesiastico gradu lucrativarum scientiarum studiosos præposuit. Dicit veteres Theologos Ecclesiam ædificasse, sed præsentes seductores eam devastare*: & quidem multos ex eis ita Ecclesiæ & Deo insultare, ut ultro dicant Ecclesiam in eum statum deductam, ut non sit digna Regi nisi per reprobos. Vtinam illius boni Cardinalis prolixior illa reformatio extaret. Haud dubiè plura ibi digna notatu de corrupto Ecclesiæ statu reperi-

rentur.

rentur. Testatur etiam hic idem author in eodem scripto, jam olim antiquos sapientes (inter quos Guilhelmum Parisiensem Episcopum, cum primis celebrem virum, nominat) quæstos esse, quod spirituales plura beneficia ad se coacervent, ac de aliis eorum abusibus.

In laudatione Theologiæ, dictum hoc, *Super hanc petram*, trahit ad Christum, & ejus verbum. In suis Conclusionibus disputat, *Ecclesiam esse alligatam ad Scripturam*: item *Papam non habere Monarchiam temporalem*. Item, *Romanam Ecclesiam errare posse*.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Memor. p. 756. ad p. 765.

CCCLXXIII. *Guilhelmus Sarctoris.*

GVilhelmus Sarctoris Anglus vixit ante 130. annos. Multa contra Papam docuit; præcipuè tamen *Invocationem Sanctorum & adorationem* improbavit. Fuit & hic VViclepi discipulus.

CCCLXXIV. *Bedricus.*

BEdricus Sacerdos, qui ante annos 130. vixit, propterea inter hæreticos numeratur, quod contempto jure Pontificio, & ipso Romano Pontifice, uxorem duxit. O gravem hæresin, ducendo uxorem ordinationi divinæ parere, & Antichristi prohibitionem non curare. Minus sceleratus Papistarum judicio fuisset, si mille scorta aleret, & totidem honestas matronas adulteraret.

CCCLXXV. *Anonymi Liber de Honestate Clericorum.*

LEgi in quadam Bibliotheca scriptum *de vita & honestate Clericorum*, in quo author (quicunque ille est, nam nomen non est adjectum) simul describit, & quales deberent esse Clerici, & quales jam sint. Ac sanè admodum prolixè & commodè tum sceleratam ipsorum vitam, tum etiam summam officii neglectionem exponit. Compositum est scriptum post Concilium Constantiense. Facit etiam mentionem Episcopi Civitatensis, qui coram toto eo Concilio lugubri oratione deploraverit perditam spiritualium malitiam, cujus & verba non pauca recenset. Id scriptum nondum opinor editum esse. Sic verò incipit: *Humilis religio Christiana ac dilectio fraterna*, &c. Sed Civitatensis ille Episcopus inter cætera de spiritualibus & hæc dicit: *Narraverunt iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. A veritate enim auditum tales averterunt, & ad fabulas conversi sunt*, 2. Timoth. 4.

Cleri sceleoata vita officiiq; neglectus.

CCCLXXVI. Abbas Græcus.

PAſſim in Bibliothecis invenitur ſermo quidam cujuſdam Græci Abbatis (ut titulus habet) in Concilio Baſilienſi habitus. In eo bonus ille Abbas, quicunque demùm eſt, ſatis graviter accuſat ſpirituales, qui omnia arma ſpiritualia ſuæ ſanctioni neceſſaria amiſerint: & hortatur patres, ut Clerum reforment ſeveriter, alioqui Eccleſiam penitus perituram eſſe. Sic autem incipit: *Eja milites, abjicite opera tenebrarnm*, &c.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Mem. p. 814.

CCCLXXVII. Henricus Token.

Superſtitionum condemnatio. HEnricus Token Canonicus Magdeburgenſis, circiter ante annos centum & viginti vixit. Legitur de eo in vita Friderici Archiepiſcopi Magdeburgenſis, quod fuerit acerrimos ſuperſtitionum hoſtis, quodque ex octodecim locis novas idololatrias extirpaverit. Teſtatur eadem hiſtoria, incitaſſe eum quoque ipſum Archiepiſcopum, ut reſiſteret celebri idololatriæ *commentitii cruoris Chriſti in Welſnac*, cujus ortum ſic accidiſſe refert. Anno 1383. oppidulum VVelſnac in diœceſi Havelburgenſi incenſum eſt, unà cum templo parochiali, à quibuſdam latrunculis. Poſt illam cladem inventa eſt (ut dixerunt ſacrificuli) inter ruinas templi, hoſtia (ut vocant) maculata: eas maculas dixerunt eſſe cruorem Chriſti. Qui confeſtim cœptus eſt adorari. Conficta quoque ſunt multa miracula: quorum unum Joannes Huſs piæ memoriæ, in quodam libello narrat. Dicit, Bohemum quendam, habentem manum ſemiaridam & contractam, argenteam manum in VVelſnac tuliſſe, ſpe recipiendæ per miraculum valetudinis: ibique fruſtra ſanationem aliquandiu expectaſſe. Accidiſſe autem interea dum ille expectat, ut ſacrificulus oſtentans ex ſuggeſtu illam argenteam manum, lucrumque celebrando ſuum idolum aucupans, diceret, Bohemum quendam ob contractæ manus incolumitatem illud munus obtuliſſe. Ibi ille miſer homo impatiens vel impudentiæ ſacrificuli, vel ſuæ miſeriæ, ſtansque in media concione manum contractam oſtendit, ſacrificulumque & verbis & re mendacii convicit. Ei idololatriæ ſe poſtea Archiepiſcopus Magdeburgenſ. cum prædicto Token oppoſuit. Orto certamine, convenerunt Epiſcopus Havelburgenſis, Marchio Brandeburgenſis, & Archiepiſcopus Magdeburgenſis. In eo Conventu prædictus Token evidentiſſimis argumentis fraudes & impietates illius idololatriæ refutavit. Verùm ut illa ipſa hiſtoria inquit, Havelburgenſis Epiſcopus & Marchio vinci planè noluerunt: ſed mittentes ad Papam Legatos & pecunias, impetrarunt ab eo, datis largiſſimis bullis, idololatriam illam confirmari. Quoniam autem dubium adhuc erat, non tantum an illæ

maculæ

maculæ essent ex Christi cruore, sed etiam an omnino *consecrata esset illa hostia.* Insuper astuti homines aliam consecratam hostiam illi imposuerunt, sicque putarunt nihil idololatriæ ea adoratione admitti posse. Quia etiamsi prior illa miraculosa hostia non fuisset consecrata, tamen altera ei adjuncta esset. Idque totum lucrandi denarii (ut historia loquitur) causa Episcopus & Marchio fecerunt. Inveniuntur alioqui adhuc scripta Token, & Erphordensis scholæ, contra illam idololatriam. Quæ tamen nihilominus contra tam firmas refutationes obtinuit, & usque ad nostra tempora viguit. Dicit alicubi idem Token in sua variarum materiarum Sylva: Nunc majores hæretici comburunt & exterminant minores, & hæretici operum persequuntur & excommunicant hæreticos verborum. Sed adscribam historiam, cujus superius mentionem feci, ex Chronica Archiepiscopi Magdeburgensis. *Anno Domini 1383. Dominica post assumptionis, oppidum Welsnac in diœcesi Havelburgensi, cum Ecclesia parochiali, per raptores totaliter combustum fuit, & quædam hostiæ consecratæ resperſæ cruore ibi repertæ fuerunt, ut dicunt: & fit ingens concursus, & multa miracula ibi fiunt, prout etiam hodie fiunt, & pronuntiantur in Ecclesia prædicta. Archiepiscopus Magdeburgensis Fridericus, fretus consilio D. Henrici Token, se huic concursui opposuit, propter multa pericula animarum: & tamen Dominus Marchio Brandeburgensis apud Papam Nicolaum obtinuit, ut hostia sacrata poneretur super aliam hostiam sanguinolentam, ne idololatria committeretur. Sed, ut timetur, magis pro denario lucrando, quàm salute animarum acquirenda: quia hostiæ immutatæ consumi debent à Presbytero, aut recludi, & verè ibi periculum animarum vertitur. Sed avaritia excæcat homines. Fridericus Archiepiscopus in cultu Dei totus zelosus, superstitiones nedum de diœcesi sua, sed etiam de tota Provincia fortiter exterminare studuit, cum in iis maximè Deus offendatur, & populus à recta fide ad idololatriam trahatur: ob id, ut concursum superstitiosum in Welsnac destrueret, & justis rationibus, actibus & signis evidentibus non merum sanguinem Christi, sed ex falso propter quæstum factum ostendit: & plures dietas cum Episcopo in Havelberg, & cum Marchione Brandeburgensi Friderico tenuit, qui usi consiliis D. sacræ Theologiæ Thoringi & Camoman, restiterunt fortiter. Quanquam præfatus Henricus Token, eos rationibus evidentibus & argumentis insolubilibus vicit: sed vinci noluerunt, & D. Papam Nicolaum adierunt, qui precibus Marchionum indulsit, ut hostia consecrata super istam transformatam hostiam poneretur. Quod factum fuit, & hodie durat, in periculum animarum multarum: de quibus præfatus D. Token multa scripsit, & ferè murum pro recta fide se posuit. Sed avaritia prævalente, in parte ruptus fuit murus, &c. Prænominatus D. Token omnibus infinitis concursibus seductoriis & quæstuariis fortiter, ut verus Christianæ fidei miles, se opposuit: & in 18. locis destruxit, & eos superstitiosos & sacræ fidei contrarios ostendit.* Hactenus ex Chronico Episcoporum Magdeburgensium. Fuit omnino is vir ex iis, qui plus cæteris & agnoverunt & amarunt veritatem; nam *de indulgentiis* quoque leviter sensit. Validorum mendicitatem

tatem damnavit proprio ſcripto. In ſua illa Alphabetaria Sylva dicit alicubi eſſe periculoſas abuſiones in Monaſteriis etiam Monachorum, quos (ut ejus verba recitem) tam callidè decipit ſatan, ut ſuis propriis traditionibus & adinventionibus prævaricentur Dei mandata. Scribit etiam, modernos Clericos plus contemnere quàm honorare Deum. Fuit hic Token Legatus Archiepiſcopi Magdeburgenſ. in Concilio Baſilienſi, ac edidit ibi prolixum ſcriptum, quod adhuc invenitur; quo probavit, *Concilium eſſe ſupra Papam*, poſſeque ac debere eum & judicare & deponere, cum juſta cauſa adeſt. Plura omnino videtur vidiſſe, quàm ſit dicere auſus, quales plurimi omnibus ſeculis fuere.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Mem. p. 803, 804.

CCCLXXVIII. Guntherus, Epiſcopus Magdeburgenſis.

Monachi Mendicantes emendationem reſpuentes.

HEnricus Token, Canonicus Magdeburgenſis, qui olim ante 130. annos floruit, hæc de Gunthero Epiſcopo in ſuis collectaneis annotat; adſcribam enim ad verbum, quod lectu ſunt digna, & ad cognitionem corruptiſſimi ſtatus Spiritualium (uti vocantur) plurimum faciunt. *Reformatio debet incipi à capite 2. q. 7. ſicut laudabile eſt. Anno Domini 1429. ante Feſtum Nativitatis Chriſti, Dominus Archiepiſcopus Magdeburgenſis & Primas Germaniæ, Dominus Guntherus Comes de Schvvartzburg, fraterne & charitative proprio ore monuit omnes ſuæ civitatis Magdeburgenſis mendicantes, ut ſe reformarent, & viverent ſecundum regulas ſuas & inſtituta Patrum ſuorum. Quia ipſe ut aſſeruit ſuam diœceſin, imò totam Provinciam intenderet reformare cum Dei ſuffragante gratia. Hæc facta ſunt in parvo æſtuario domus ejus in Magdeburg, præſentibus Dominis Decano decretorum Doctore & me, aliisq; Canonicis ſuis, qui moniti petiverunt terminum intimandi ſuis Prælatis Provincialibus uſque ad Lætare: Quo veniente nihil fecerunt. Secundario verò moniti fuerunt Anno Domini 1430. per Dominum Theodoricum Roſentreder, pro tunc Officialem & me, ante Capellam beatæ virginis in ambitu Eccleſiæ Majoris, ubi ſeriosè dixit; videatis, quod per vos fiat, quia oportet fieri & honorabilius & tolerabilius vobis fiet. Poſt hoc anno Domini 1444. in menſe Septembri, cum eſſem miſſus à capitulo, adjunctis mihi Dominis Henningo Storbetten, & Iohanne Mentz ad Provincialem Carmelitarum, qui tunc erat in Magdeburg. habita occaſione ratione cujuſdam literæ miſſæ per Dominum Marchionem Brandeburgenſem pro Simone olim priore, ſubjunxi de reformatione, qualiter ante ea tempora Dominus Magdeb. monuiſſet eos, & tunc hortabamur eos, ut ſe reformarent: Sed ex his omnibus nihil factum eſt. Et poſſit quis dicere, unde hoc? Certè non aliud dici poteſt, quàm quia in capitibus modica aut nulla reformationis veſtigia perſpexerunt, & quod majus eſt, fortè indigni erant tam qui reformare intendebant, quam qui reformari debebant. Licet ſperoq; quod certè ſalvandi ſunt rectè intendentes. Quia legimus David non fuiſſe dignum ædificare templum Domini, licet omnia ad hoc diſpoſuerit. Quia*

vir

vir sanguinum fuit. in historia libri Regum, &c. Hoc exemplum nostri temporis Episcopi perpendant, qui nec tantum quidem boni studii reformandi suas sorumque turpitudines habent.

CCCLXXIX. D. Lurtzen.

VIdi librum circiter ante annos 90. scriptum, cui titulus erat, *Tractatus D. Lurtzen, de squaloribus Romanæ curiæ.* Insectatur autem in eo Author prolixè corruptissimum statum, vitam & tyrannicum regimen Papæ, ejusque spiritualium, & alia eorum scelera. Opinor nondum editum esse. Quis autem fuerit D. Lurtzen, aut quando vixerit, ignoro; hominem tamen fuisse pium, & non indoctum, facilè ex ejus scriptis apparet. Porrò scriptum ejus sic incipit: *Moyses factus est tanquam solitudinis amicus, &c.* Cum hæc jam scripsissem, incidi in exemplar hujus libelli, Basileæ an. 1551. cum reformatione minori Petri de Aliaco, impressum. Sed nomen ibi Lurtzen non est additum. Hoc scriptum aliqua exemplaria inscribunt M. Matthæo Graco viensi, qui fuit Episcopus VVormatiensis. & circa Hus tempora vixit. Testantur verò eadem exemplaria, id scriptum à prædicto Episcopo ad Basiliense Concilium transmissum esse. **Rom. Curiæ squalores.**

* Wolfius T. 1. Cent. 15. Lect. Mem. p. 873.

CCCLXXX. Concilia quomodo celebranda.

CVravit imprimi Hutenus libellum quendam Germanicum, Anno 1521. titulo. *Quomodo Concilia celebranda sint.* Libellus est, ut ex quodam ejus loco est cernere, sub Friderico ultimo, nempe circiter ante annos 100. conscriptus. Disputat in eo Author, homo (ut apparet) pius & doctus, Concilia esse supra Papam, Papam posse errare: quod multis exemplis & historiis scelerum Papalium probat: Ecclesiam esse ædificatam supra petram, id est, Christum, non supra Petrum. Recitat miras Paparum fraudes, quibus jus conferendi Episcopatus, Abbatias, aliaque Ecclesiastica bona ad se pertraxerunt. Item, quibus reformationem spiritualium, & præsertim summorum, Constantiæ & Basileæ inchoatam, perturbarunt, impediveruntque. Ostendit porrò etiam, inde ferè omnia mala in Ecclesiam venire, quod Papa & Cardinales dent beneficia Ecclesiastica suis vilissimis mancipiis, & plus pecuniæ afferentibus, non doctis & piis viris. Ideo enim gregem destitutum bonis Pastoribus, in errores & scelera præcipitem ruere. Recenset quoque idem scriptum varias & mirè artificiosas simonias Curtisanorum, quibus tum alias orbis partes, tum verò in primis Germaniam, corrasis ad se omnibus pecuniis penitus expilarunt. **Concilia supra Papam.**

CCCLXXXI. *Baptiſta Platina.*

Epicureiſimus Pontificum.

ETſi Platina turpiter & impudenter Papis adulatus ſit; tamen nimia ipſorum turpitudine ac malitia coactus aliquando, etiam ſubindicat Babyloniæ meretricis nefanda ſcelera. In Marcellino queritur, Paparum ſcelera eò excreviſſe, ut vix apud Deum miſericordiæ locum reliquerint: avaritiam, ſuperbiam, neglectum doctrinæ, & religionis ſimulationem. Mores etiam prophanis deteſtandos pro palàm eſſe, ut inde laudem quærere videantur. In Pontificibus poſt milleſimum annum, ſubinde repetit, omnem pietatem & ſanctitatem à Papis ad Cæſares migraſſe. Locus in Marcellino ſic habet: *Sed quid futurum noſtra ætate arbitramur? qua vitia noſtra eò crevere, ut vix apud Deum miſericordiæ locum nobis reliquerint. Quanta ſit avaritia ſacerdotum, & eorum maximè qui rerum potiuntur, quanta libido undique conquiſita, quanta ambitio & pompa, quanta ſuperbia & deſidia, quanta ignoratio tum ſuiipſius, tum doctrinæ Chriſtianæ, quàm prava religio, & ſimulata potius quàm vera, quàm corrupti mores, vel in prophanis etiam hominibus (quos ſeculares vocant) deteſtandi, non attinet dicere: cum ipſi ita apertè & palàm peccent, ac ſi inde laudem quærerent.* Huic non abſimilis eſt in Stephano III. *Item autem eſt* (inquit Platina) *à Lateranenſi Baſilica ad ſanctum Petrum, cum maximè omnium religione, nudis pedibus, & à Pontifice & ab hominibus, qui tum aderant. Nunc verò adeò refrixit pietas & religio; non dico nudis pedibus, ſed caligati & cothurnati vix ſupplicare dignantur. Non flent inter eundum, vel dum ſacrificatur, ut illi ſancti Patres; ſed rident, & quidem impudenter. De his etiam loquor; quos* purpura *inſigniores facit. Non hymnos canunt, id enim ſervile videtur; ſed jocos & fabulas ad riſum concitandum inter ſe narrant. Quid plura? Quo quis dicacior eſt, & petulantior, eo majorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Severos & graves reformidat hic noſter Clerus. Quid ita? Quia in tali licentia malunt vivere, quàm benè monenti aut cogenti obtemperare, & ob eam rem Chriſtiana religio quotidie in pejus labitur.*

* De Pontificum degeneratione unum atq; alteram ex Platina teſtimonium notatur in Cent. X, Magdeb. c. 7. p. 410, 411. Conf. Wolfius Cent. 16. Lect. Mem. p 865, ad p. 871.

CCCLXXXII. *Laurentius Miniatenſis.*

Inſtaurationis futuræ in Eccleſia prædictio.

LAurentius Miniatenſis, Pontani Præceptor circiter ante annos 90. floruit. In tertio ſui operis libro, hoſce verſus ſcriptos reliquit.

Illa autem noſtris jamjam ventura ſub annis
Eſt melior, noſtræ legis vix pauca refringet,
Aſpera quæ nimium, ſacris & dura ferendis,
Et genus omne mali tollet, pompasq; ſacrorum:

Ac

Ac Regem dabit innocuum, qui terminet orbem,
Et reget imperio populos, gentemq; rebellem.
Imperio subdet, toti & dominabitur orbi.

Quibus versibus ille vir instaurationem Religionis prædixit: clareque fassus est, adesse in Religione Papistica superfluas pompas, & multa nimium dura & aspera, id est, quibus conscientiæ excarnificantur. Quod porrò addit, de Rege per totum orbem imperaturo: id haud dubiè de Christo intellexit, cui regnum dejecto Antichristo instaurandum restituendumque est: juxta Danielis prophetiam, & non de Cæsare, ut quidam semiadulatores interpretantur, qui nec innocuus est, nec vel mediæ Europæ imperat.

CCCLXXXIII. Iacobus Cartusensis.

IAcobus de Cruitro de Cartusensis, floruit circa annum Domini 1440. d est, ante 110. annos. Scripsit inter cætera etiam *de Septem statibus Ecclesiæ in Apocalypsi descriptis, & de Authoritate Ecclesiæ, ejusq; reformatione.* In quo scripto multum accusat Prælatos, Curiam Romanam & Papam. Ostendit Ecclesiam Papa superiorem esse: & queritur spirituales, præsertim verò curiales semper reformationem Ecclesiæ impedivisse: ac ait, eos vel tantum ad nomen Concilii contremiscere. *Cleri & Pontificum vitia.*

Scripsit quoque librum jam impressum *De Erroribus modernorum Christianorum*, in quo non tantum vitia reprehendit tum laicorum, tum & aliorum: sed etiam idololatriam, ut peregrinationes, concursus ad statuas, conficta avaritiæ causa miracula. Additque, ob ejusmodi manifestas vanitates & impietates derideri, ab infidelibus nostram Religionem, ac à Iudæis multos nostros etiam in fide languefieri: quòd Christianis, & præsertim in imperitioribus proponant illas manifestarias falsitates, erroresque, quibus à Sacerdotibus quæstus gratia ludificentur, indeque eos & reliquæ nostræ Religionis vanitatem probare conari. In eo libro & illud præclarè de gratuita justificatione scribit inquiens, homines quidem accipere ac diligere alios propter ipsa eorum opera sibi grata aut utilia· Deum verò opera accipere propter hominem. Quare prius debere hominem esse Deo reconciliatum, postea speret opera sua ipsi placitura esse.

Scripsit & de *Malo* prolixum librum, in quo itidem omnium malorum causam, quæ in Ecclesia grassantur, in spirituales rejicit. Edidit quoque scriptum prolixum, titulo *De abusionibus Clericorum*; item quòd Prælati vitia curare debeant; qui ejusdem fermè sunt argumenti cum præcedentibus. Posterior enim est impressus. In libro de Causis & remediis passionum animi, reprehendens Prælatorum superbiam, disertè dicit eos locum tenere Antichristi, & non Christi: & eos Luciferiana superbia præditos esse.

CCCLXXXIV. *Anthoninus de Rosellis.*

Papa non convenit gladius temporalis.

ANthoninus Rosellus, Doctor Iuris, vir prudens ac bonus, ut quidam historici testantur, doctus certè, ut ejus scripta indicant, scripsit librum titulo *Monarchiæ*. In eo probat, Papam non esse Dominum mundi, nec posse aut debere Cæsari imperare, nec omnino habere gladium temporalem. Affert quoque multas rationes, cur Papa non sit superior aliis Episcopis. Floruit ante annos 70.

* Extat in Tract. Tractatuum Volum. 10. initio fol. 2. seqq. Conf. Wolfius T. 1. Cent. 16. Lect. Memor. p. 28.

CCCLXXXV. *Speculum Hierarchiæ Ecclesiasticæ.*

Contra Monachos Mendicantes.

EXtat liber ante plurimos annos excusus, non ita prolixus titulo *Defensorium Ecclesiæ*, seu *Speculi Hierarchiæ Ecclesiasticæ fasciculus*, contra Mendicantes Monachos (ut facilè apparet) scriptus. Disputat verò præcipuè hæc contra eos: Non licere cuiquam Monacho usquam concionari, sine ordinarii Episcopi permissione: mendicitatem nullo modo esse perfectionis opus, imò nec pium quidem, sed sacris & prophanis legibus prohibitum. Quare pauperibus Monachis omnino laborandum esse, ut de opere manuum suarum vivant. Prolixè id, multisque testimoniis, tum sacrarum literarum, tum Patrum confirmat. Negat quoque rectè Papam facere, qui tanta privilegia det Monachis. Citat inter alia ipsius Francisci regulam, cap. 5. qui affirmat, eam esse sanctissimam paupertatem, si suis manibus Monachi operentur, ac inde vivant. Citat Petrum reprehendentē matrem Clementis, quod mendicabat. Item Antonium heremitam, damnantem mendicitatem: item veterum Ægyptiorum Patrum sententiam, qui soliti sunt dicere, Monachum operantem ab uno dæmone vexari, ociosum ab innumeris. Objicit quoque Monachis in tertia distinctione, quòd varias superstitiones ex hypocrisi invenerint, quodquè frustra colant Deum hominum mandatis: omnia enim ipsorum esse commenta, & traditiones hominum, &c. Quicunque demum ejus scripti author fuit, omnino multos Monachorum abusus vidit, & graviter taxavit. Apparet autem eum ante annos 100. vel plures vixisse.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Memor. p. 871.

CCCLXXXVI, *Magister de Wesalia, Wormatiensis & Moguntinensis Ecclesiastes.*

DOctor Ioannes de Vesalia, Concionator VVormaciensis, floruit circa 1470. annum. Articuli ejus ii fuerunt: Gratis, meraque gratia per fidem in Christum, salvari omnes. Liberum arbitrium nihil esse. Tantum verbo Dei credendum, non

non Glossæ, aut Patribus; Verbum autem Dei per collationem locorum mutuam illustrandum esse. Prælatos non habere jus condendi leges, aut interpretandi scripturam jure prætorio. Humanas traditiones, ut Iejunia, Indulgentias, Festa, longas precum battologias, peregrinationes, & similia, penitus rejecit. Extremam unctionem & confirmationem reprobavit. Confessionem & satisfactionem reprehendit. Primatum Papæ nihil esse docuit. Dixit etiam se veteri, nostros Doctores male exponere scripturas. Recitantur & hæc sequentia Germanicè tanquam hæretica dicta: Item Doctor VVesalia soll gesagt haben: Was Sünde in der heyligen Schrifft nicht stehen/will ich auch nicht für Sünde halten/weiß ein anderer weiter und baß/wil ichs ihm wol gönnen. Die heylige Kirch soll auffgesetzt haben die Fasten/ und daß man fürbaß mehr in der verbunden Zeit nicht Bräut einführen/ und Hochzeit machen soll. Es ist eitel Lügen/repetendo & exaltando vocem. Die Vätter die die Fasten auffgesetzt/haben sie wollen abstellen/etliche Speiß zu meyden/ so haben sie doch nicht gewolt/daß der Mensch nicht esse/wann ihn hungert. Als offt den Menschen hungert/ mag er essen. Und du magst am Charfreitag einen guten Capaunen essen. Ich verachte den Bapst/ die Kirche und Concilia, und lobe Christum. Verbum Christi habitet in nobis abundanter. Item dixit, Es ist nunmehr schwer Christen zu seyn. Apparet etiam ex quibusdam interrogationibus, eum probasse *conjugium Sacerdotum*. Item *communionem sub utraq; specie*. Condemnatus est anno 1479. Moguntiæ. Expertus est nimirum ipsemet ille bonus vir, quàm difficile sit esse Christianum, sicut antè dicere solitus erat scriptor, qui historiam condemnationis D. Iohannis de Vesalia conscripsit. Narrat eam condemnationem vehementer displicuisse duobus doctissimis Theologis, D. Iohanni Keyserbergio, & D. Engelino Brunsvvicensi, qui judicaverunt eum invidia Monachorum oppressum. Addit etiam, Engelinum affirmasse, plerosque ejus Articulos defendi posse. *Hæreseos cōdemnatur ab Inquisitoribus Monachis Ordinis Prædicatorum.*

Historia extat in Paralipomenis* Vrspergensis; & simul impressa est cum duobus libris Æneæ Sylvii de Concilio Basiliensi * Iacobus VVimpflingus testatur, eundem Vesaliam docendo & scribendo non parum Scholam Erfordensem illustrasse. Audio Erphordiæ ejus scripta adhuc inveniri posse. Ego tantum ejus libellum *contra Indulgentias* habeo, ubi affirmat, necessaria ad salutem omnia in sacris literis contineri. Indulgentias refutat, ac etiam veteres quosdam, præsertim Cantorem Parisiensem solitum affirmare, *Indulgentias* esse *pias fraudes*, quia per eas laici ad eleemosynas dandas alliciantur. Item docet, *Ecclesiam errare posse*. Item docet, *Papæ Primatum humanum inventum esse*. *Pag. 452. 453. 454. Fol. 163. 164. 165. 166.*

* Extat in Bibliotheca Augustana liber, cujus titulus: *Paradoxa Ioh. de VVesalia, Concionatoris VVormatiensis, damnata per Gerardum Elten de Colonia, & Iacobum Sprenger, A. D. 1479. Moguntiæ.* Vid. VVolfii Cent. 15. Lect. Memor. 874. 875.

CCCLXXXVII. D. Veſelus.

DOctor Veſelus, vel Baſilius, eodem tempore vixit cum præcedenti M. Ioanne de VVeſalia; ſed tamen fuit eo aliquanto junior, fueruntque mutua amicitia juncti. Mortuus eſt anno 1490. Scribit in quadam Epiſtola, ſe putare, quòd mox condemnato Veſalia, ad ſe examinandum inquiſitor ſit venturus. Fuit alioqui adeò celebris, ut *lux mundi* vulgò vocaretur. Teſtatur in quodam ſcripto ſuo, ſe Pariſiis, Romæ, & in multis aliis celeberrimis locis diſputaſſe, ſuamque de Religione ſententiam defendiſſe. Docuit autem fermè eadem quæ & ille, niſi quòd aliquanto remiſſius, gratuitam juſtificationem per fidem inculcavit. Doctrinam Papiſticam de tribus pœnitentiæ partibus reprehendit. Satisfactionem ſcripſit continere errorem, habere blaſphemiam, ac deſperationũ nutrire. Purgatoriũ, cõmunicationẽ operũ, & Indulgentias planè improbavit. Ac quidem ſe Pariſiis quoq; Indulgentias & Romæ improbaſſe affirmat: multoſque ex curia Papæ ſibi aſſenſos, longeque liberius poſtea de ea re locutos, quàm ipſe fecerat. Vituperavit & *abuſum Miſſarum, ac Orationum pro mortuis*; quanquam, ut ex quadam Epiſtola apparet, & omnino eas rejecerit. Loquitur ſanè de Miſſis, tanquam de ſola cõmunione. Primatum Papæ, in libro Sacramenti pœnitentiæ omnino rejicit. Negat prorſus, poſſe aliquem ſupremum per orbem terrarum inſpectorem conſtitui. Sæpè autem aſſerit, Papam nihil Imperio mandare poſſe: ſed tantum veritate, ſeu quatenus alicui veritatem probitatemque ſuæ ſententiæ oſtendit, ita & eatenus eum obligare. Non plus eum urgere mandando quàm docendo. Qua ratione & quivis Chriſtianus alteri imperare poteſt. Alicubi etiam docet, quòd quoniam Papæ & ſpirituales pietati ſint contrarii, ideo ſint Antichriſti. Infirmos, qui caſtitatem præſtare non poſſunt, cenſuit piè votum poſſe negligere. Teſtatur quoque idem Veſelus, quòd Patres, qui ante Albertum & Thomam fuerunt, Indulgentiis Papalibus reſtiterint: affirmarintque in ſuis ſcriptis, eas eſſe merum idolum, fraudem & errorem. Addit quoque, quòd niſi ſana paucorum Theologorum ſeveritas hactenus Indulgentiis Papæ reſtitiſſet, immenſi errores inde pullulaſſent.

Extat in Veſeli opere Epiſtola ab alio ad ipſum ſcripta, in qua author teſtatur, ſuo tempore fuiſſe Pariſiis doctum quendam virum, M. Thomam de Curſelis Decanum, qui cum in Baſilienſi Concilio nonnulli nimio plus poteſtatem Papæ efferrent, dixerit, ſibi à Chriſto dictum: *Quicquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum*, &c. & non, *Quicquid dixeris eſſe ligatum.* Qui hoc nimirum dicere voluit: Papam non poſſe ligare, niſi cum juſtitia rei poſtulaverit. Hujus Thomæ longa & erudita oratio in Commentariis Sylvii extat, qua ille potiſſimùm probavit, *Concilium ſupra Papam eſſe*, tametſi & multa alia Papiſtarum paradoxa oppugnaverit. Perlege eam, non pigebit operæ.

Editus

Editus est separatim ab aliis libellis, quidam ejus *Germanicus liber*, titulo *de Subditis & Superioribus*, seu quòd subditi non usquequaque suis Rectoribus obedire cogantur. In eo admodum multa & graviter contra Papæ & Prælatorum tyrannidem disputat. Asserit, non nisi rectè sentiendi, seu credenti Papæ parendum esse. Papam errare posse: & cum errat, ei modis omnibus resistendum esse. Nimias istas opes Ecclesiæ non prodesse, sed obesse. Papam pessimè redditus Ecclesiæ dispensare, & Ecclesias indignissimis per Simoniam ob pecuniam aut alias utilitates & obsequia tradere. Vnde liquidò colligi queat, eum non curare Deum, nec Ecclesiæ salutem. Mandata Papæ & Prælatorum non aliter, nec longius obligare, nisi quatenus cum verbo Dei conveniant, seu quatenus eos res ipsa obliget. Alioqui esse tantum veluti consilia, sicut medicorum præcepta. Papam nihil sub pœna peccati mortalis præcipere posse, si id Deus non prius præcepit. Dicit claves Papæ ac Prælatorum non eas esse, quibus regnum cœlorum aperiant, sed claudant potius, sicut & Pharisæi. De votis disputat stulta & impossibilia vota rescindenda esse. Auditores posse & debere judicare de doctrina suorum Prælatorum, & non omnia temerè sine ullo discrimine accipere. Vbi simul refutat & declarat diligenter omnia objecta, Super cathedram Moysi, &c. Item Petri: Obedite præpositis vestris, etiam difficilibus, &c. Demonstrat quoque pluris faciendam esse sententiam, quin & excommunicationem hominis pii ac docti, quàm Papæ: sicut Constantiense Concilium magis Ioannem Gersonem, quàm Ioannem XXIII. item olim pii magis Bernhardum, quàm Eugenium audiverunt. Quin etiam ostendit, Christianos etiam infimæ conditionis, Papæ ejusque Prælatis tam malè agentibus & regentibus, modis omnibus resistere debere. Nec etiam obscurè indicat, Papam cum suis Prælatis esse ipsissimum Antichristum. Recitat quoque tetras historias Pii II. & Sixti IV. quarum etiam in Latinis opusculis meminit. Dicit Pium Secundum sibi quadam bulla omnia mundi regna usurpasse; Sixtum verò, non tantum de factis juramentis in rebus politicis dispensasse, sed etiam de fiendis. Quod nihil aliud fuit, nisi dare jus ac facultatem pejerandi, & homines decipiendi.

Reformationis prædictio.

Magister Ioannes Ostendorpius, Canonicus Templi divi Levini Daventriensis, vir multo studio longaque experientia doctiss. adolescens admodum, VVesselum Phrisium (qui lux mundi vulgò dicebatur) senem adiit, & inter cætera ab eo audivit, quasi jam, quod futurum erat prævidente *: *Studiose adolescens, ad illum vives diem, quo doctrina recentiorum & contentiosorum istorum Theologorum*, Thomæ & Bonaventuræ, *& aliorum ejusdem farinæ, ab omnibus vere Christianis Theologis explodetur.* Id ego à jam canescente Ostendorpio in Templo D. Levini audivi, Anno 1520. 10. Calen. Mart. Hæc Noviomagus. Hoc vaticinium editis Veseli opusculis adjunctum est.

* Wolfius Cent. 15. Rer. Memorab. p. 835. 856.

CCCLXXXVIII. *Ioannes Gochius.*

Iustificatio & gratia Dei, aliaq;. IOannes Gochius Presbyter Mechlinienſis, circiter ante annos 70. floruit. De Articulo gratuitæ juſtificationis rectiſſimè ſenſit, & de multis aliis, quæ jam ordine commemorabo. Aſſerit, ſcripta Thomæ, Alberti, & aliorum Sophiſtarum, ex turbidis philoſophorū fontibus fluentia, magis obſcurare quàm illuſtrare veritatem, pugnare cum canonica veritate, pugnare quoque inter ſe, Pelagianam hæreſim ſapere. Modernorum ſcriptorum, & præſertim mendicantium ſcripta, dicit carere omni ſolido fundamento, non illuſtrare intellectum, ſed nudam ſimplicemq; veritatem obſcurare, vanitatiq; magis deſervire quàm veritati, & ſimilima quamplurima. Scripturam ſolam ſequendam, alioſque omnes ſcriptores ad eam examinandos: etiam Pontificum conciliorumq; decreta ei ſubjicienda. Vota tanquam ad pietatem inutlia, & cum libertate Chriſtiana pugnantia, prorſus damnat. Satisfactoria commenticiaque opera damnat: Chriſtianiſmum degeneraſſe in Iudaiſmum & Phariſaiſmum queritur. Vehementer aſſerit, nos per ſolum Chriſti meritum fide juſtificari, & non per ulla noſtra merita. Dicit verè remanere peccatum in piis, ſed non imputari eis, ſed remitti propter Chriſtum: & graviter refutat Sophiſtas, peccatum in ſanctis remanens extenuantes. Conſtanter veſtigia Pauli in prædicando Chriſti merito ſequitur, negans eum indigere gloſſis Sophiſtarum, in contrarium ſenſum ejus ſententiam rapientium. Veriſimile eſt, eum & de aliis Articulis rectè ſenſiſſe, ſi omnia ejus ſcripta extarent; ſed aliquot tantum, eaque manca, impreſſa ſunt.

CCCLXXXIX. *Incertus Author.*

Lupi ſpirituales. IN veteri quodam codice centum annis vetuſtiore, hoſce verſus legi:

Væ væ vobis Paſtoribus, vacantibus nunc erroribus:
Agni lanam diripuiſtis, ejus veſtem induiſtis:
Propter hoc ſciet populus, qui ut leonis catulus
Rugiens fermè mugiet, & mugiens deficiet,
Quòd ſi agnum cuſtodiiſſent, hinc exules non obiiſſent.

Quibus carminibus bonus aliquis vir clarè teſtatum reliquit, quàm piè ac religiosè lupi Antichriſti agnum Dei, ejusque oves curent.

CCCXC. *Stephanus Brulifer.*

Iuſtificatio & autoritas Eccleſiæ. STephanus Brulifer in Schola Pariſienſi Doctoratus inſignia accepit, ibique publicè docuit, prælegit & diſputavit, magna auditorum frequentia, hoſce ſubſequentes Articulos, conſtantia magna & animi integritate, contempto beſtiæ charactere,

tractere, defendens & propugnans. Doctrinam, quæ *meritis hominum jusficationem* aſcribit, mendacem, imò diabolicam eſſe: cum agnus immolatus pro nobis ſatisfecerit. Ioanne Clamante, Ecce agnus Dei, &c. Item, Eccleſiæ non eſſe poteſtatem ſtatuendi & præcipiendi quicquam, ſub pœna peccati mortalis, & ita ut conſcientias vel liget vel conturbet. Item, ei nullam facultatem, niſi tuendi Sacramenta à Chriſto traditam: & ſaltem eorum miniſtram inſtitutam eſſe. Nullas ceremonias pro Articulis fidei habendas.

Supra ſententias Bonaventuræ ſcribens, diſertè dicit, hiſce etiam fermè verbis: *Nec Papam, nec Concilium, nec ullum planè hominem poſſe quicquam præcipere, ſub pœna mortalis peccati, quod antè à Deo præceptum non eſſet.* Quamobrem Pariſienſium tyrannidem expertus, Moguntiam conceſſit; ubi cum plures Articulos doctrinæ Papiſticæ contrarios in diſputationem vocaret, nec ſuis periculis & perſecutionibus caruit. Vixit circiter 1470. annum.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Memor. p. 884.

CCCXCI. *Paulus Scriptoris.*

HUjus diſcipulus Paulus Scriptoris Tubingenſis Præceptoris Articulos omnes apprehendit & ſecutus eſt; & cum Tubingæ Scotum prælegeret, ac ad decimam quarti libri diſtinctionẽ deveniret, Transſubſtantiationem negavit, aſſerens omnia Dei verbo ceu Lydio quodam lapide probanda: cætera enim omnia erronea eſſe. Solitus eſt prophetare mutationem Religionis. Hic habuit auditores Auguſtinianos, diſcipulos & ſubditos Ioannis Staupicii Provincialis; ac inter reliquos Conradum Pellicanum Rubeaquenſem, qui eum multos abuſus & errores Papiſticos taxaſſe & inſectatum fuiſſe teſtatur. Ob quàm etiam cauſam à Minoritis in exilium pulſus, Keyſersbergæ obiit. Vixit anno reparatæ ſalutis 1499. paululum ante tempora Lutheri. Hæc fermè eadem in primo Tomo Geſneri continentur.

Transſubſtantiationis oppugnator.

CCCXCII. *Rodolphus Agricola.*

DE hoc, inter cætera, in oratione de vita ipſius, Philippus Melanchthon ſcribit in hunc modum: In Theologia quid deſiderarit, memini huc ſcribere Ioſquinum Groningenſem, ſenem pietate & gravitate excellentem: ſe adoleſcentem interfuiſſe ſermonibus Rodolphi & VVeſſeli, in quibus deplorarint Eccleſiæ tenebras, & reprehenderint prophanationem in Miſſis, & cœlibatum. Item diſputaverint de juſtitia fidei, quid ſit quod Paulus toties inculcat, homines fide juſtos eſſe, non operibus. Scribebat Ioſquinus, apertè rejeciſſe eos Monachorum opinionem, quæ fingit homines operibus juſtos eſſe. Item ſenſiſſe eos de humanis traditionibus, errare eos, qui affingunt illis opinionem cultus, & non poſſe violari judicant, &c.

CCCXCIII. *Gamfredus.*

Gamfredus, vir ſanè non indoctus, ut ex ſcriptis ejus apparet; Scripſit verſu poëticam, & Romanæ Curiæ laudes, antiphraſtico, vel ironico potius præconio; in quo prolixè omnes Romaniſtarum virtutes depingit. Vixit, ut opinor ante annos 70. Scripti ejus utriuſque Exemplaria habeo, nondum arbitror edita eſſe.

CCCXCIV. *Vulgi de Pontificio Iugo judicia.*

PLures hiſtorici referunt, quòd circa annum 1500. vulgò ſoliti ſunt homines in Germania ſic ſe mutuò compellare.

Was iſt nun in der Welt für ein Weſen?
Wir mögen für den Pfaffen nicht geneſen.

* Symbolum fuiſſe Agricolarum Ligæ Sotulatiæ notant Paralipom. Urſpergen. p. 461.

Longo ſanè jam tempore ea Chriſtianorum ratio fuit, ut præ tyrannide ſpirituali & carnali Papæ, infinitorumque ejus ſpiritualium, vix halitum trahere & reſpirare potuerint. Verum hic titulus latiſſimè extendi poteſt. Varia enim planè ac multa dicteria, & quaſi proverbia in omnibus gentibus habentur, quibus homines uno conſenſu, quid de Roma ſentiant, indicant. In Italia multum hoc dictum in uſu eſt: Quàmprimum Clericus ſuſcipit raſuram, ſtatim intrat in eam Diabolus; & alia plura hujus generis. In Germania crebrum eſt illud, Je näher Rom/je böſer Chriſt. *Quantò Romam propius, tantò eſſe pejores homines.* Item, *In nomine Domini incipit omne malum:* alludens ad initia & fucos bullarum Papæ. Item, *Cùm afferuntur indulgentiæ Româ, obliga loculos.* Item, *Qui ſemel it Romam, videt ſceleſtum*; qui *ſecundò, diſcit cognoſcere eum*; qui *tertiò, refert ſecum ſceleſtum*; quo indicatur, plerunq; eos ſceleſtiſſimos fieri, qui Romæ diutius commorantur, quod experientia ipſa indicat, per quos fermè omnes provinciæ magis ac magis infectæ ſunt. Tale & illud vetus ac celebre eſt, *Curia Romana non petit ovem ſine lana.* Item illud: *Olim fuerunt lignei calices, & aurei Sacerdotes*; *nunc contra ſunt aurei calices & lignei Sacerdotes.* Item illud Bavaricum, quod Aventinus ſcribit eſſe valde vetuſtum: *Olim habuiſſe Chriſtianos obſcura Templa, ſed lucida corda*; *nunc contrà habere lucida Templa, ſed obſcura corda.* Huc poteſt referri & illud commune, *Multos in cœlo adorari, quorum animæ in inferno crucientur.* Quo dicto non tantum canonizationum (ut eas vulgò vocant) vanitas taxatur, ſed & Invocatio Sanctorum, & propemodum tota Papiſtica Religio, quæ & hominibus perſuadet, eam eſſe ſalutis ac pietatis viam, quæ minimè eſt.

Præcedentibus, ſi libet, addantur & hi duo: Gallus Senonenſis Epiſcopus, ante 400. annos ad Papam Alexandrum in cauſa Thomæ Cantuarienſis ſcribens, affirma-

affirmavit, fuisse apud Gallos tunc usitatum dicterium; *Romæ solvi Satanam in perniciem totius Ecclesiæ.* Item ipse divus Thomas Cantuar. (ut cum Papistæ esse credunt) scribens ad totum Collegium Cardinalium, inquit: *Jam certè clamitatur in plateis, prædicatur per civitates & vicos, quòd non sit justitia Romæ,* &c. Talia penè innumera dicta in diversis regionibus, partim jam sunt in usu, partim olim fuerunt: quibus uno consensu omnes fermè homines, Papam ac Clericos accusant.

CCCXCV. Ioh. Trithemius, Abbas Spanhemensis.

IOannes Trithemius, Abbas Spanheimensis, floruit circa annum 1500. Habuit plurima certamina cum Monachis, describitque non rarò luculenter eorum scelera. Accusat Sacerdotes in quadam Epistola, quòd sint contemptores sacrarum literarum. In alia queritur graviter, quòd non tam Christus, quàm Aristoteles, in suggestu prædicetur. Dicit, non philosophiam, multò minus fabulas, sed legem & Evangelium Ecclesiæ Dei proponendum; sic & Patres fecisse. Ibidem ponit & propositionem, *Nos sola fide justificari.* In alia Epistola, negat Sanctos carere veris pecatis. Scripsit etiam de Ruina monastici status. Omnino fuit & purioris literaturæ & syncerioris Theologiæ, quàm multi ejus coætanei, studiosior. Paulum cum primis diligenter legit, ut ex ejus scriptis apparet.

Pietatis studium & amor.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Memorab. p. 935, 932. 933, 934.

CCCXCVI. Hieronymus Savanorola Dominicanus Monachus.

ANte annos 50. exustus est Florentiæ celeberrimus concionator Hieronymus Savanorola, Monachus Dominicanus, cum aliquot sociis, vir eruditione ac pietate insignis. De Articulo *gratuitæ justificationis, per fidem in Christum,* rectè sensit, ut apparet ex ejus comentariis in Psal. 51. Humanas traditiones elevavit. Communionem sub utraque specie defendit. Indulgentias damnavit Papæ, Cardinalium, omniumque spiritualium turpem sceleratamque vitam & officii neglectionem, gravissimè est accusare solitus. Negavit quoque Primatum Papæ: claves docuit Ecclesiæ toti, non uni Petro traditas. Adhæc Papam nec vitam, nec doctrinam Christi retinere: quia plus suis Indulgentiis & traditiunculis, quam Christi merito tribuat, ideoque eum esse *Antichristum.* Asseruit quoque, Papæ excommunicationem curandam non esse: quod qui Papæ impias excommunicationes timeat & fugiat, eum in Dei excommunicationem incidere.

Doctrina Savanorolæ & Prædicationes.

Prædixit etiam futura quædam, nempe vastitatem Florentiæ Romæ, & instaurationem Ecclesiæ: quæ omnia tria, nostra memoria acciderunt. Quare etiam à Iohanne Francisco Pico Comite Mirandulæ, *sanctus Propheta* appellatur, & proprio scripto contra Papam defenditur, de quo postea. Defendunt & alii quidam

docti viri ejusdem Savanorolæ innocentiam. Tribuit ei & Marsilius Ficinus in quadam Epistola *propheticum spiritum*, & alioqui eum magnificè celebrat Philippus Comineus Gallicus historicus, qui cum eo loquutus est, etiam testatur eum fuisse virum sanctum, planeque prophetici spiritus; quippe qui multa sibi prædixerit, quæ eventus comprobarit.

† Wolfius Tom. 1. Cent. 15. Lect. Memor. p. 926, 927; apud quem etiam extat Tom. 2. L. M. p. 37. seqq. Ioh. Fr. Pici Defensio, cujus hîc fit mentio.

CCCXCVII. Wolffgangus Aitinger, Augustanus Clericus.

FLoruit VVolffgangus Aitinger, Clericus Augustanus, circiter anno Domini 1500. Commentariis illustravit prophetias Methodii, ac non rarò tum turpitudinem vitæ sacrificulorum, tum officii neglectionem, ac beneficiorum immensam coacervationem, tum denique & Religionis contaminationem, gravissimis verbis ac prolixè taxat & insectatur. Sed adscribam aliquot ejus verba. *Spirituales labores pauperum devorânt, salutem animarum non curant: nec subditorum suorum notitiam habent, sed valorem proventuum ac redditumm subtiliter ponderant: diu noctuq; pro majoribus beneficiis Romæ, aut in curiis Principum & Dominorum plus solicitant, non contenti suis stipendiis: quòd multo plus habent, quàm scientia eorum se extendat. In vinea Domini nihil boni operantes, nec prædicant neq; Sacramenta ministrant: sed magnum absentes aut præsentes reservatum ex præbendis extorquent. Ignaros & idiotas Sacerdotes in vicarios & mercenarios locant in suis pastoriis, qui populum Dei nesciunt docere. Quia parum in his sapiunt, de quibus Dominus in Evangelio dixit: Si cæcus cæco ducatum præbet, nonne ambo in foveam cadunt?* Illud quoque memoratu dignum est, quòd contendit, Antichristum non in corporea, sed mystica Babylone nasciturum. Ea porro, teste Petro, Roma est.

* Wolfius Cent. 16. Lect. Memorab. p. 2, Tom. 2.

CCCXCVIII. Bernhardus Liblinensis.

BErnhardus Liblinensis, Scriba magnifici Domini Iohannis Pilecii, vixit circa annum Domini 1510. Is in quadam Epistola anno 1515. Dominica Lætare scripta, satis clarè subindicat, se plurimos Papæ errores damnare. Inter alia dicit, extra Evangrlium, nullas planè hominum constitutiones curandas, quia sine illis salus hominum constare benè possit: quo traditiones humanas rejicit. *De Primatu Papæ dicit*, impossibile planè esse totum mundum uni parere. Satis esse, si Christo solum credatur. Salvari etiam eos, qui nihil de Papa sciunt: nec ab eo ullam authoritatem petant, aut accipiant. Ait miserrimam esse Christianorum sortem, quibus etiam manifestæ veritati propter decreta hominum assentiri non liceat. Affirmat

mat Papas adeò non idem ſentire, ut quæ alter approbarit, alter damnet,& contrà, &c.

Scribit adulatores Paparum nihil non Papis tribuere: & non ferre, ut quiſquam quicquam etiam pio zelo de Papis dicat, cum illi interea contra Deum multa dicere & blaterare non vereantur. Veriſimile mihi hiſce paucis indiciis fit, eum demultis rectè ſenſiſſe. Vtinam omnia ejus ſcripta haberemus. Omnibus ſeculis,& fermè in omnibus Chriſtianitatis locis, fuerunt aliqui rectius in multis ſentientes, ſed non omnia dicere audentes.

CCCXCIX. *Sebaſtianus Doctor*.

FVit circiter ante 50. annos, quidam Canonicus Erphordiæ Doctor Theologiæ, & concionator in ſummo Templo divæ Virginis. Is multum ſolitus eſt inſectari inſcitiam, ignaviam & turpitudines Cleri, ac dicere: Si ſpirituales eſſe ac dici vultis, ducite etiam vitam ſpiritualem. *Errorum publica reprehenſio.*

Indulgentias damnavit, quòd ex hiſce ejus verbis patet; nam anno 1508. Dominica pòſt Iudica, Romanas Indulgentias, qua tunc erant allatæ, ſic prædicavit: Lieben Freunde / wir ſolten heute auff den weiſſen Sontag unſern Kram außlegen. Es iſt aber ein frembder Krämer hie / der ſoll beſſer Wahr haben dann wir. Wenn der hinweg kompt / ſo wollen wir mit unſer Krämerey auch kommen. In eadem concione etiam ſatisfactiones alienas, ſeu qui pecunia aliorum bona opera ſoliti ſunt, emere, reprehendit: & quòd res tota Eccleſiaſtica à plebe ad Clerum, quaſi illi ſoli ſint Chriſtiani, ſit devoluta. Item / Wir haben / die für uns zur Kirchen gehen / beten / ſingen / Horas leſen / Meß halten / wer will aber für uns in die Hölle fahren. Item de cæco nato legit Evangelium, dicendo. Es wird die Zeit kommen / daß man euch das Evangelium wird auß dem Buch leſen. Euer etliche werdens erleben. Ich werd es nicht erleben. Nam Papiſtici concionatores, plerunque memoriter recitant Evangelia. Crebrò etiam ſolitus eſt prædicere correctionem, ſeu reformationem Religionis & Eccleſiæ. Ob tales ejus conciones incidit in ſummum Sacerdotum odium, & Senatus, cum alioqui à ſtudioſis & civibus diligenter, & etiam libenter audiretur: ab eiſque eſt in exilium actus Exulavit aliquandiu Magdeburgæ, ſed denuò eſt reverſus Erphordiam, ibique mortuus.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Memor. p. 960, 961.

CCCC. *Baſilienſis Epiſcopus*.

CIrciter ante annos 50. quidam Baſilienſis Epiſcopus inſtauraverat Edictum, ſemper fruſtra tentatum, *de prohibendo concubinatu Sacerdotum*. De ea re ſtatim varia certamina publicata, ac impreſſa ſunt. Primùm quidem reprehendit id *Cœlibatus Sacerdotũ.*

edictum,

edictum, & rectè affirmat, virginitatem non esse humanarum virium. Quare aut concubinas Sacerdotibus concedendas esse, aut contaminaturos eos civium uxores ac filias. Deinde alii reprehendunt illum, & tamen simul fatentur & accusant turpissimam Sacerdotum vitam, propter quam & reliqui homines in turpitudines ruant, & Deus mundum atrociter puniat. Atque in utraque pars agnoscit, Clerum Gomorræam quandam vitam agere; sed neutra de vero remedio, id est, conjugio cogitat. Sic sanè actum & deliberatum est jam annis ferme mille. Gratia autem sit Deo, omnium bonorum fonti, qui nunc veram reformationem, veraque malorum remedia commonstravit.

CCCCI. *Nicolaus Machiavellus.*

Ambitio & crudelitas Pontificum.

NIcolaus Machiavellus, Historicus & Secretarius Forentinus, floruit ante annos 50. Is in sua historia impressa Italica sæpè clarè ostendit, ex ambitione & crudelitate Pontificum, pleraque mala ac bella Christianis provenisse. In primo libro, ubi Pontifieum & Cardinalium originem ponit, disertè affirmat, nullam eos aliam potestatem, nisi Ecclesiasticam, usque ad Theodericum Regem Longobardorum habuisse, eò usque in politicis rebus Regibus paruisse. Sed tunc paulatim etiam politicam potentiam quærere ac rapere sibi cœpisse Tribus autem rationibus aut artibus eum crevisse demonstrat: *Excommunicationibus*, *Indulgentiis*, & *Armis*: quibus tamen sceleratè sint abusi. Dicit eum omnium bellorum, quæ in Italia à Theoderici tempore ferbuerunt, maxima ex Parte causam extitisse: & hodie quoque seminando diffidia ac bella, in Italia suam potentiam tueri & augere. Cardinales quoque ait initio nihil aliud quàm Parochos seu Pastores Romæ fuisse; sed posteà sibi opes, titulos & singularia insignia ac vestitum usurpasse. Cæterum Papas dicit suis technis & malis artibus eò rem deduxisse, ut sicut ipsi antè Cæsaribus obnoxii subjectique fuerunt, ita nunc contrà Cæsares eis subesse, ac jurare obedientiam cogantur. Memorabile autem vehementer est, quod initio suæ historiæ dicit circa 600. Domini annum consuetudines seu dogmata veteris Ecclesiæ cum miraculis novæ pugnare cœpisse; nam spectrorum apparitiones & aliæ imposturæ Satanæ miraculorum veterem illam formam Religionis prorsus everterunt. Adscribam pauca ejus verba: *Ma intra tante variationi non fu di minore momento il variare della Religione, per che conbattendo la consuetudine della antica fede con i miracoli della nuova, si generavano tumulti, & discordie gravissime intra gli huomini. Et se pure la Christiana Religione fuisse stata unita.*

CCCCII. *Prior Carthusianorum ad Emericum Sedis Apostolicæ Cancellarium.*

AD Emericum Cancellarium Sedis Apostolicæ scripsit Epistolam quidam Prior Carthu-

Carthusanus, in qua graviter accusat Episcoporum & Prælatorum non tantum delicatam, sed & sceleratam vitam, item quòd templa *studio bellandi* dispolient omniaque à piis in templorum ornamenta collata convasantes', *civilia bella* inter Christianos excitent, omniaque Christiano sanguine contaminent. Idemque etiam ipsum Papam factitare affirmat. Fortè & hæc Epistola ante annos 200. scripta est; Certè vetustas codicum, in quibus invenitur, id indicat.

CCCCIII. *Iacobus Faber & Iodocus Clichtoveus.*

FLoruerunt ante annos 30. aut paulo amplius, duo doctissimi viri, Parisiis, Iacobus Faber, & Clitoveus. Olfecerunt illi errores Papisticos etiam longè antè, quam Lutherus in hanc arenam prodiret. Sic enim de eis Aventinus, * qui circiter 1500. annum eorum discipulus fuit, de eis scribit: *Ea tempestate Petrus Longobardus Lutetiæ Parisiorum creatur Pontifex. Is quidem* Theologumenon quatuor libros *scripsit; sed sacrosanctæ philosophiæ veritatem fontemq; purissimum, sicuti plus millies* à Iacobo Fabro & Iodoco Clichtoveo, Præceptoribus meis *accepi atq; audivi, cœno quæstionum, rivulis opinionum conturbavit. Id quod & usus rerum magis (nisi cæci simus) satis superq; docet.* Faber etiam docente Luthero, graves persecutiones ob veritatem à Parisiensibus Magistris sustinuit, ut Sleidanus in sua historia scribit. Sed Rex scriptis ex captivitate Hispanica literis, jussit ei parci. Tales ubique multi fuerunt; sed eorum sententiæ ad nos usque non pervenerunt.

Petri Lombardi Theologia carosa. Lib. 6. p. 508

* De Clichtoveo Wolfius T. 2. Cent. 16. Lect. Memor. p. 313.

CCCCIV. *Franciscus Picus Mirandulanus.*

IOannes Franciscus Picus, Comes Mirandulæ, floruit ante annos 50. Habuit *Orationem* in Concilio Lateranensi. Invectus in ea vehementissimè est, in concontemptissimum statum curiæ, & omnino omnium spiritualium; hortatusque est Concilium & Papam ad reformationem. Suasit etiam, ut studia linguarum & sacrarum literarum instituerentur, ut statæ preces corrigerentur, ut in eis veræ à falsis commenticiisque historiis separarentur. Scripsit etiam propositiones quasdam *de non adorandis imaginibus*, quas Parisienses condemnaverunt. Defendit quoque *Hieronymum Savanorolam*, quem Papa tanquam hæreticum exusserat; eumque sanctum Prophetam appellat.

* Malè hic expunxit nomen *Francisci* Goulartius p. 893. Summum Orationis exhibet Autor Paralipom. Ursperg. p. 469. 470.

In Epistola quadam adhortatur Maximilianum ad reformationem Ecclesiæ hisce verbis: *Reliquum est, maxime Cæsar, qua te fide & pietate possum, deprecer, ut sanctissimum illud propositum tuum vindicandæ in pristinam libertatem Christianæ Reipublicæ, quàm citius fieri possit adimpleas. Concutitur ab externis hostibus, ab internis*

laceratur: & Jesu Christi Domini nostri sanguine circum septum & consecratum ovile, pejora multo perpessum est, indiesq; patitur à lupis, magis sub ovina quàm propria pelle grassantibus. Age igitur jam Cæsar optime, & excitis qua ratione potes Christianis Regibus, te Christo Regum omnium Regi, oves suas tam ab hostibus quàm à perfidis Pastoribus jamjam liberaturo, fidum ministrum exhibe. Mirandulæ, Calendis Decemb. Anno à Christi incarnatione M. D.

De quæstione, *An Papa sit supra Concilium*, disputans, recitat illam Bernhardi sententiam: Quæ major superbia, quàm quòd unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam solus habeat Spiritum Sanctum. Ponit & illam sententiam: Quinimo simplici potius rustico, & infanti, & aniculæ, quam Pontifici maximo, & mille Episcopis credendum est: si contra Evangelium isti, illi pro Evangelio verba facerent.

† Wolfius Tom. 2. Cent. 16. Memor. Lect. p. 33, 34, 35.

CCCCV. *Bapt. Mantuanus, Monachus Carthusianus.*

Fol. 23. edit. Bonon. 1502

BAptista Mantuanus Monachus, homo apprimè doctus, nec tamen (ut apparet) impius, sæpius gravissimè accusat Rom. Ecclesiam. Degenerem eius statum prolixè & satis duriter insectatur Ecloga 9. ubi inter cætera affirmat, spirituales illos ex pastoribus ac canibus factos * lupos rabiosos; ovileque, quòd pascere ac tueri debebant, lacerare. In tertio porrò Calamitatum libro ita corruptum Romanæ Sedis Statum describit.

Fol. 145. b.

* Iodocus Badius in Notis fol. 72, 73. *Pervenit ad mores Curiæ Romanæ notandos, & allegorices vult, quod Prælati subditos spolient*; edit. Argent. 1503.

Fama de Sodomitico Statu Curiæ Papalis Europam pervagata.

——— Petriq; domus polluta fluente
Marcescit luxu (nulla hic arcana revelo,
Non ignota loquor, liceat vulgata referre:
Sic urbes populiq; ferunt, ea fama per omnem
Jam vetus Europam) mores extirpat honestos:
Sanctus ager scurris, venerabilis ara cynædis
Servit, honorandæ divum Ganymedibus ædes.
Quid miramur opes; recidivaq; surgere tecta?
Thuris odorati globulos & cinnama vendit
Mollis Arabs, Tyrii vestes: venalia nobis
Templa Sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, cœlum est venale, Deusq;.

Vide & alia similia his tum ibi, tum in aliis ejus scriptis floruit autem is Mantuanus ante annos 50. qui & ipse (ut cum ex prædictis, tum ex aliis ejus scriptis apparet) magnopere Babyloniæ istius meretricis impuritatem & turpitudinem, sicut & alii pii viri omnibus temporibus, detestatus est. De

De *conjngio* verò *Sacerdotum* quid senserit, facilè ex hisce ejus de divo Hilario, in ejus vita existentibus carminibus apparet:

Integritas vitæ, legum prudentia cultus
Cœlitum, tutela inopum, diadema pedumq;
Pictaviense tibi, dum nil mortalia curas,
Dum vivis tibi sorte tua contentus ab omni
Ambitione procul, populo applaudente tulerunt.
Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitimo conjuncta thoro: non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, tædas:
Sola erat in precio, quæ nunc incognita virtus
Sordet, & attrito vivit cum plebe cucullo.
Propterea leges, quæ sunt connubia contra,
Esse malas quidam perhibent, prudentia Patrum
Non satis advertit, dicunt, quid ferre recuset,
Quid valeat natura pati. Cervicibus ajunt
Hoc insuave jugum nostris imponere Christus
Noluit istud onus, quod adhuc quam plurima monstra
Fecit, ab audaci dicunt pietate repertum.
Tutius esse volunt, qua lex divina sinebat,
Isse via, veterumq; sequi vestigia Patrum:
Quorum vita fuit melior cum conjuge, quàm nunc
Nostra sit, exclusis thalamis, & conjngis usu.

* wolfius Lect. Memor. Cent. 15. p. 949. 950. 951. 952.

CCCCVI. Ioh. *Keisersbergius, Concionator Argentinensis.*

DOctor Iohannes Keisersbergk, pius (ut opinor) homo, nec etiam indoctus, ante 60. annos Argentinæ concionatus est. Invehitur subinde in suis scriptis, in corruptissimum Prælatorum statum; accusat eos, quod sint indocti & inhonesti, sintque causa omnis mali in populo. Dicit eos pravos successisse prioribus Prælatis, qui olim boni, & veluti sepes quædam Ecclesiæ fuerunt; quare jam ipsorum culpa prodi & dissipari Ecclesiam. Monachos verò *nigros* solitus est appellare diabolos, *albos* matrem ejus; *pullos* de utroque mixtos; ac ob id eos parum æquos habuit. Arguit & Romanam Ecclesiam erroris non segniter. Audio quoque solitum in publicis concionibus hanc quæstionem proponere: *Qui sunt illi homines, qui incedunt rasi, sicut moriones; tecta facie, sicut infames; & fune vincti, sicut fures?* & postea sibi ipsi subjicere: *Sunt Monachi Franciscani.* *Prælatorũ & Monachorum pictura.*

 Sæpè

Sæpè dicitur solitus queri, corruptam esse Religionem; ac prædicere, venturum quendam divinitus excitatum, qui eam instauret, optavitque videre diem illam, & esse ejus Discipulus. Improbavit damnationem Vesalii, dixitque invidia Monachorum damnatum.

‡ Wolfius T. 2. Cent. 16. Lect. Mem. p 31. Videatur Actuarium.

CCCCVII. *Ioannes Syringius Magdeburgensis Canonicus.*

VIxit hic Magdeburgæ ante annos 40. Doctor Theologiæ, & summi Templi Canonicus & Concionator, nomine Ioannes Syringus, clarissimi viri D. Ioannis Syringi jurisprudentis patruus. Docuit amplius 30. annos. Multi testantur, eum crebrò solitum etiam in concionibus dicere, Daß der Pfaffen Thun nicht recht were/ sie müsten fallen. eorum Religionem non esse synceram, necessariò ruituram: multaque in eam sententiam sæpe disserere solitum. Audio etiam passim in suis theologicis libris in margine adscripsisse, ubi aliqua parum vera sententia in textu fuit: Hæc verba sic non sentit communiter Ecclesia, sed contrarium ex scriptura probari potest. Alioqui eum admodum piè ac religiosè vixisse, multi affirmant. Sed adscribam aliquot ejus dicta, quæ cognata quædam ejus, quæ adhuc Magdeburgæ vivit, sæpe fratrem ejus, D.D. Ioannis Syringi Patrem, qui ante paucos annos ad Dominum commigravit, commemorare audivit: Zum Ersten hat er also pflegen zu sagen / zu seinem Bruder Emmeram Scheyrinck / wenn er mit ihm redete / Lieber Bruder / du bist ein rechter Pfaffen-Feind / als ich wol vermercket / und auß deinen Reden wider sie verstanden. Aber das sey dir gesagt / daß die Pfaffen (welches ich nicht / sondern du) wol erleben / und mit der Zeit erfahren wirst / welche jetzt so hoch erhaben / solchen Anhang an ihnen haben / und so groß für der Welt geachtet seynd / so veracht werden seyn / so hoch sie jetzt geachtet und geehret seyn. Denn Gott muß sie straffen. Und wann ihr Wesen und Abgötterey (welches doch nicht recht / sondern ein Teufelisch und Abgöttisch Wesen ist) noch länger stünde / und zunemme / und Gott seine Macht an ihnen nicht beweisete und straffete / und sie weidlich angriffe / so würden sie mit ihrer Abgötterey und falschem Gottesdienst die gantze Welt verführen / und unter sich bringen. Aber ich weiß fürwahr / und bin deß sicher und gewiß / sie müssen fallen / und einen grossen Anstoß erleyden / darum daß ihr Wesen nicht recht / noch Gott gefällig ist. Zum Andern / hat er unter anderm auch also gesagt: Es ist ein solches böses und gifftiges Kräutlein umb die Gottslästerlichen Pfaffen / daß wañ einer mit einem Pfaffen zuthun oder zukriegẽ hat / deß Sache schwerlich mit ihm kan vertragen / und zum guten Ende gebracht werden (deñ sie lassen nicht ab von ihren bösen Tückẽ und Stücken) es sey deñ daß man den Pfaffen die Köpffe zerschlage / und so gantz uñ gar außrotte / daß man von ihnen weder zu reden noch zu singẽ weiß. Zum Dritten / hat er auch also nit einmal / sonder zum öfftermal pflegẽ zusagen / lieber Bruder / du sihst allhie / daß ich damit umgehe ein Predigt zuthun / und höre.

lieber Bruder/ich lauffe von einem Orth zum andern / auß einem Buch zu dem andern/so finde ich nichts/denn daß an allen Orthen von einem hie / vom andern dort/ die Warheit eigentlich jämmerlich verfälschet ist worden. Und daß der böse und arge Feind der Teufel an allen Orthen / seinen Dreck auch mit untergemenget und gesäet hat/daß mir so schwer und angst drüber wird/daß/so ein Mäußlein oder Vögelein in der Stuben ein Geraspel oder Gekritzel hätte (welches ich nicht wol leiden köndte) ist mirs schon entfallen was ich studiert und zusammen gelesen habe. So schwere und so grosse Arbeit kostet es / auff daß man die Göttliche Schrifft recht verstehe / und von dem Teufels-Dreck und Abgötterey/damit sie von vielen verfälschet/und fein außgespicket wird/recht und rein abfege und unterscheide. Zu dem hat er auch offt gesagt/ wenn der liebe getreue fromme GOtt/ keinen auß Gnaden erwecken würde / der uns die Heilige Schrifft klar an den Tag gebe / so würde auch keiner mit freyem Hertzen und guten Gewissen eine rechte Predigt thun. Derhalben werde er nicht wissen/was recht oder unrecht ist. Aber GOtt wird die Lästerung seines Namens nicht leiden/ und sein Göttlich Wort an den Tag geben. Hat auch pflegen das Volck zu vermahnen/daß sie nicht recht dran thun/ daß sie einen Heiligen hie/ den andern dort vor einen Gott anbetten / welche doch ohne den rechten GOtt / Schöpffer alles das so im Himmel und auff Erden lebet und schwebet / nicht ein Augenblick ihr Leben erhalten können/und sollen andern helffen ? Hat auch die Pfaffen mit Predigen/Lesen/und an allen Orten sehr hefftig gestraffet/daß ihr Thun und Leben nicht recht/ und stracks wider GOtt und sein Gebott sey. Darvon er/der Pfaffen Ungunst auff sich geladen/ und sind ihm nicht gut gewesen.

Clarissimus Vir D.D. Ioannes Syringius, ejus Nepos, morienti affuit, ac disertè affirmat, illum integrum quatriduum diem & horam mortis suæ prædixisse; quo toto tempore diligenter se promissionibus divinis *de gratuita misericordia per Christum*, neglectis omnibus humanis meritis & præsidiis, sit consolatus; atque ita tandem eum ter repetito dicto, *In manus tuas commendo, &c.* fidentem Deo, læto ac constanti animo expirasse; unde clarissimè apparet, eum cùm de aliis, tum & de Iustificationis articulo rectissimè nobiscum sensisse; quin & prophetico spiritu futura prævidisse.

* Wolfius Tom. II. Lect. Mem. Cent. 16. p. 29.

CCCCVIII. *Ludolphus Castrick, Magdeburgensis Concionator.*

LVdolphus Castrick fuit Pastor ad divum Michaelem in suburbio Magdeburgæ, aliquanto ante hæc tempora. Sæpè ante prædicationem Lutheri (nam & post id tempus vixit) solitus est in publicis Concionibus reprehendere Papæ indulgentias; hortari omnes, ut à Christo petant indulgentias, seu peccatorum re- *Indulgentiæ Pontificiæ.*

missionem, & denique prædicere, futurum, ut errores illi ex Ecclesia Dei per piam quandam reformationem brevi expurgentur, & removeantur.

* Wolfius Tom. 2. Cent. 16, Memor. Lect. p. 76.

CCCCIX. *Andreas, Archiepiscopus Carniæ.*

Reformationis studiũ tyrannide Pontificia obruitur.

ANdreas Archiepiscopus Carniæ, vixit circa annum Domini 1480. nempe ante 70. ann. Is deformatum religiosorum sui temporis statum considerans, innumeris ferè tam doctrinæ quàm vitæ scandalis succurrere malo statuit; idque per liberum & generale Concilium in Germania commodissimè fieri posse prospiciens, ea de re quàm primum perficienda, scriptis suis Fridericum Imperatorem & omnes Imperii Proceres admonuit. Consentiunt plerique. Andreas igitur locum Concilio Basileam statuit, eoque cum doctis quibusdam venit. Hæc cum *Sixto* Pontifici nunciata essent, illicò Legatum suum Angelum Suetiæ Episcopum ad Senatum ejusdem urbis cum mandatis mittit, ut (nisi Pontificis interdictum incurrere velint) *Andream Episcopum captivum vinctumq́; Romam mittant*, ac omnes illi consentientes in Concilio exequendo pro excommunicatis habeant. Verùm Basilienses minimè concedere voluerunt, ut in libera civitate Episcopo innocenti vincula injicerentur. Legatus igitur ita commotus, totam civitatem excommunicat, & abit. Misit autem Pontifex alios ad Imperatorem Legatos, inter quos primas Iodocus Sedunensium præsul tenebat. Hi astutis persuasionibus eò deduxerunt Fridericum Cæsarem, ut (licet invitus, & longis victus precibus) mandaret Basiliensibus, ne Andream ad sua redire permitterent, sed custoditum, secum in urbe, usque quò aliud ad eos destinaret mandatum, reservarent. Voluit tamen Imperator etiam, ut interea Basilienses à nemine pro excommunicatis haberentur, nec propter prioris Legati iratum discessum à quoquam devitarentur. Mansit igitur Andreas Basileæ aliquot mensibus, in conclavi quodam, à certis quibusdam, qui illum observarent, custoditus; tandemque ibidem mortuus est, laqueo strangulatus, proculdubiò id Pontifice procurante. Hæc Stumpffius. Scripsit contra hunc Andream Archiepiscopus *Henricus Institoris*, ac affirmat eum post privatam fraternamque admonitionem, evulgasse libellum quendam, in quo *Papam* accusaverit, tum *de fide*, tum *de vita*. Scripsisse quoque eum ad omnes Prælatos & Academias, ac invitasse eos ad celebrandam Synodum, & reformandam Ecclesiam. Vtinam hujus boni Episcopi scripta extarent.

Basilienses excommunicati.

CCCCX. *Papasellus.*

Tom. 2. Oper. Luth.

EDidit Philippus Melancthon ante annos 29. picturam quandam Monstri, ex asino

asino aliisque animalibus conflati, ac in Tyberi anno 1496. inventi; quod profectò, ut quisque etiam sine interpretatione (quæ tamen commodissima addita est) animadvertere potest, horribiliter Babyloniam istam meretricem, ac ipsam Babylonem depingit. *fol. 290 & Tom. 3 f. 532*

CCCCXI. *Nicolaus Helvetius.*

EXtat in Carolo Bovillo, Visio Nicolai Helvetii heremitæ, qui ante annos 60. floruit, ac amplius quàm 20. annis, ut certò constat, sine omni cibo vixit. Vidit autem *is Papale caput coronatum*, cum *tribus gladiis ex facie ejus exeuntibus*, & tribus in eam tendentibus. Qua pictura haud dubiè tum pestilentes Papæ errores & tyrannis, quibus Ecclesiam Christi vastat, per gladios egredientes; tum calamitate sejusdem, quibus eum Deus perdet, per gladios in ipsum tendentes, significatæ sunt. Extat alioqui & separatim impressa, cum Præfatione D. Martini Lutheri. *Visio Eremita tyrannidem Pontificis ostēdens T. 4. Oper. Luth. f. 352. ed. Ien.*

† Wolfius Tom. 2. Cent. 16 Lect Mem. p. 18; 19.

CCCCXII. *Sacerdos Curiensis.*

EX pio ac docto viro D. Nicolao Medlero, Superintendente Brunsvicensi, pluries audivi, fuisse Curiæ in ejus Patria sacerdotem, qui crebrò sacrificulis dictitare solitus sit: *Vos jam Paulum sub scamnum abjecistis; veniet aliquando tempus, cum ipse inde prorepens, vicissim vos sub scamnum protrudet.* Quæ prophetici spiritus verba, multa continere videntur. Primùm enim significant, Papam & ejus spirituales, contempto Evangelio Pauli, aliud Evangelium attulisse, aliamq; religionem instituisse, per eam illos regnare jam, jacente in squalore Apostolo, præcipuo Christi organo, cum suo Christo, quem unicum ardentissimè prædicat. Deinde prædicunt, futura esse tempora, quibus Paulinum Evangelium in lucem reductum, impiam spiritualium religionem & ejus ministros prosternat, & humi affigat. Id nunc experientia ipsa comprobatum esse, clarè cernimus. Memini ante annos quindecim (cum nihil dum certi de doctrina instauratæ religionis scirem, essemque ab ea, utpote vulgo pessimè audiente, planè aversus) audire me ex quodam honesto alioqui & prudente, nec tamen indocto viro, Antonio Legato Piranensi, non esse legendas Epistolas Pauli: Scio, inquiebat, aliquot homines, qui tantum ex lectione Paulinarum Epistolarum, Lutherani facti sunt. *Pauli scripta suppressa.*

CCCCXIII. *Ioannes Hilten, Monachus Isenacensis.*

PHilippus in Apologia, in capite de Votis Monasticis, narrat, fuisse ante annos ab *Prædictio ad v. Papatum.*

ab hinc 50. Monachum quendam Isennaci in Turingia, nomine Ioannem Hilten, qui ob reprehensos quosdam Monasticos abusus, in carcerem conjectus fuerit, ac tandem graviter laborans, ad se Guardianum Conventus vocaverit, petieritq; sui morbi rationem haberi. A quo cum insuper duriter objurgatus esset, dixerit, se quidem nihil admodum contra monachatum docuisse. Sed venturum anno 1516. qui sit Monachos eversurus, ac cui repugnare planè non queant. Eo verò anno Lutherus docere incœpit. Quæ fuerit porrò ejus doctrina, non satis indicat: Sed tamen innuit, eum de aliis etiam quibusdam articulis satis rectè sensisse.

* VVolfius T. 2. Lect. Memor. Cent. 16. p. 4.

CCCCXIV. *Iacobus Almain, Magister Parisiensis.*

Contra Primatum. IAcobus Almain Magister Parisiensis, scripsit anno 1512. quendam libellum satis acutè & diligenter contra Thomam Cajetanum, in quo probat, *Concilium & Ecclesiam esse supra Papam*, & alioqui primatum Papæ non parum extenuat. Impressus est liber Coloniæ, anno 1514. Affirmat quoq; multos studio adulandi, & beneficia obtinendi, nimium extollere Papæ potestatem.

* Wolfius T. 2. Cent. 16. Lect. Mem. p. 73.

CCCCXV. *Maximilianus I. Imperator.*

ANno undecimo supra millesimum & 500. oblata sunt Maximiliano *Gravamina Germanicarum Ecclesiarum, quibus à Papa premuntur.* Iis motus Maximilianus, decretum quoddam opposuit, quo utcunq; malum reprimeret & leniret. Gravia sanè, ne dicam etiam impia sunt illa gravamina, ac digna quæ à multis cognoscantur. Impressa sunt sæpius; postremò verò Coloniæ cum Basiliensi Concilio Sylvii. Postea anno 23. in Comitiis Noribergensibus sunt 100. ejusmodi importabilia onera ab Imperio Papæ missa; in quibus aliquanto plenius ferrea servitus Germaniæ, qua ab Romano isto Pharaone seu Antichristo miserè premitur impressa expositaq; est. Fertur vulgò, cum à Leone, nescio in qua re deceptus esset, dixisse Germanicè: *Jam severè affirmare posse, quod nullus Paparum sibi fidem servaverit, atque Leonem ultimum futurum, cui confideret.*

* Addit alia Goulartius ex recentioribus Historicis p. 819, 820. quo alio loco referenda. De Gravaminibus vide Goldast. Tom. 1. Constit. Imp. p. 420. & Tom. 2. Constit. p. 119. seqq.

CCCCXVI. *Frater Flecken, Monachus Steinlausicensis.*

Monachus Monachi sui hostis. MOnachus quidam cognomento Flecken, notus reverendo viro D. Amsdorffio, fuit in monasterio Steinlausic prope Bitterfeld, qui nunquam voluit

celebrare

celebrare Missam. Accusatus propterea pigritiæ, dixit esse aliam ejus rei causam. In refectorio primum vidit propositiones Lutheri de Indulgentiis. Ibi cum alioqui silentium præstandum de more esset, præ gaudio ridens & gestiens (fuit autem grandi & pleno corpore) dixit. Ha, ha, ha, Er ist kommen/ ders euch thun wird. *Iam is venit, qui vos rectè tractabit*; Monachos & sacrificulos putans. Vnde apparet, eum ante prædicationem Lutheri expectasse redemptionem Israel, ex captivitate Babylonica Antichristi. Lutherus facit ejus mentionem in præfatione Alcorani Minoritarum, tanquam à Monachis violenter oppressus sit. D. Martinus, piæ memoriæ, sic aliquando de hoc bono Monacho est locutus, Ich hab Flecken lieb/ quia fuit homo plenus consolatione: Verba ejus erant planè consolatoria: Scripsit ad me statim cum edidissem meas propositiones, optimam Epistolam. Ich wolt zehen Gülden darumb geben/ daß ich sie noch hätte. Erat autem fermè hæc sententia: Venerabilis Domine D. pergite & urgete pedes vestros: Et mihi displicuerunt hi abusus Papistici, &c. Die Mönch waren ihm auch gramm/ denn zu Steinlausick hat er gesagt. Er ist da/ der es thun wird/ so hat er auch nie keine Meß gehalten/ welches ein gut Zeichen gewesen.

* Wolfius T. 2. Cent. 16. Lect. Mem. p. 73.

CCCCXVII. *Vestigia vetustatis.*

INter antiquitatis testimonia, contra Antichristum ejusque errores, non immeritò recenseri debet, quod non tantum historiæ, ut Moguntina quædam, testantur, extitisse olim fistulas, per quas laici sanguinem Domini hauserint; item & calices, in quibus versus sculpti fuerint, testes communionis sub utraq; specie: sed & hodierna die adhuc Ratisbonæ talia instrumenta calicesque, talem laicorum communionem testantes, extare audio. Princeps Georgius Anhaldinus plura talia signa & tecmiria in suis concionibus contra Missam utiliter collegit; quas vide, & non pigebit. Quid verò de hac re multum disputare attinet, cum extent in quodam hymno adhuc in Papistica Ecclesia usitato, hi versus, manifestè communionem laicorum sub utraque specie asserentes? *Communio sub utraq.*

Dedit fragilibus, corporis ferculum:
Dedit & tristibus, sanguinis poculum,
Dicens accipite, quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.
Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit,
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Vt sumant, & dent cæteris.

Hiſce teſtimoniis non immeritò addi poſſunt & ea ſigna, quibus Beatus Rhenanus in Præfatione ſuper verſionem Miſſæ Græcæ probat, olim & ſacerdotes paucos eſſe ſolitos, & Miſſas nec privatas fuiſſe ullas penitus, nec publicas, niſi admodum raras in Germania, quæ tamen propriè communionis tantum cauſa ſint celebratæ. Hiſce adde & *vetuſtas Agendas*, in quarum rubricis communio ſub utraque ſpecie, aliaque complura ſecundum noſtram religionem, contra Papiſticos abuſus & abominationes ponuntur.

CCCCXVIII. *Ruſticorum querela.*

IMpreſſus eſt jam olim unicus arcus, titulo *Altercatio ruſticorum*, verſu conſcripta. Ibi queruntur miſeri ruſtici, id eſt, omnes laici, de ſpiritualibus primùm, quod pro libitu ac ſine ulla planè legitima cauſa à ſpiritualibus variè, præſertim autem litibus, excommunicationibus, & calumniis vexentur & opprimantur. Deinde, quod ſibi ab eis uxores contaminentur. Vnde & triſtes conjugum rixæ ac diſtractiones, & infamia tum ipſorum conjugum, tum & liberorum oriantur. Poſtremò queruntur quoque, ſibi vendi ſepulturas, ſeque variè expilari. Obſervatu autem dignum eſt, quod, quanquam Clerici nihil, quod alicujus momenti ſit, ad illas graviſſimas querelas reſpondeant: tamen à Papa (nam coram eo litigatur) abſolvuntur. Tale nimirum regimen debet eſſe Antichriſti, ejusque miniſtrorum, ut miſerorum laicorum animam famam, opes, uxores, & etiam ipſa corpora perderent, in ſervitutem redigerent, & pedibus conculcarent. Etſi autem poëma fictum eſt, tamen in eo inveterata tam Papæ ejusque ſpiritualium tyrannis, Chriſtianorumque turpis ſervitus expreſſa eſt.

CCCCXIX. *Speculum Viſionis.*

Papatus pictura. IMpreſſus eſt liber Noribergæ annos 1508. titulo *Speculum Viſionis*, authore presbytero *Joſepho Grunepeck*, qui vixit circa idem tempus. Minatur graves pœnas Chriſtianis, & præcipuè Eccleſiaſticis ſeu ſpiritualibus, ob eorum horribilia ſcelera. Objicit autem eis potiſſimum, turpiſſimas libidines, avaritiam, ambitionem & neglectionem verbi Dei, ac ſalutis animarum. Ac inter cætera picturis clarè oſtendit, fore ut laici curam verbi ac miniſterii ſuſcipiāt, auferant officium & opes à ſpiritualibus, resque eis ad raſtra redeat. Dicit etiam, eodem tempore fuiſſe ſanctum quendam vatem, qui per omnia Eccleſiarum limina diſcurrerit, & pœnitentiam Chriſtianis, futurumq; exitium comminatus ſit. Recitat quoq; vel ſummam vel etiam partem alicujus ejus concionis, cujus aliquot lineas & ego adſcribam. *Expergiſcimini* (inquit) *ò viri Chriſtiani, è gravi ſcelerum ſomno, utraq; mortis calagine: auriumq; & omnium ſenſuum veſtrorum corda reſcindentes, verba mea intentiſ-*

ſimè

ſimè percipite; quia legem Domini Dei noſtri in latrinam, & omnes ejus divinos ſermones in oblivionis & contemptus cloacas abjeciſtis; cœpiſtis virtutum in exercitatione prorſus delirare, in malitia ſapere & prudentiſſimi eſſe: omnem æquitatem & juſtitiam ſubvertere; pupillorum & viduarum ſudore inebriari: patrimonium Chriſti ſcortorum deliciis diſſipare: ac etiam efferatam libidinem veſtram ſtupris, adulteriis, inceſtu, & omni illicito concubitu, inexplebilem verò habendi voracitatem furtis & ſacrilegiis explere; denique Dei templum *per ſcelus & ſummam iniquitatem veſtram, conſtitutum eſt* lupanar, *& domus furum atque latronum, in quo non celebres hymni, ſed blaſphemiæ cœleſtis Principis reſonant. Propterea extant adhuc pauci dies, &c.* In hiſce ſanctus iſte Propheta, quanquam videatur omnes Chriſtianos compellare, tamen (meo judicio) præcipuè ſacerdotes alloquitur. Nam objicit eis, quod patrimonium Chriſti ſcortorum deliciis diſſipent, quod ad laicos non poteſt pertinere: item, quod ex templo Dei fecerint lupanar, & domum furum: item, quod legem Domini & ejus ſermones abjecerint, & obliti ſint. Affirmat quoque idem Ioſephus, fuiſſe aliquando ante ea tempora, quendam juſtum, ſanctum & zelo Dei plenum virum, qui prædixerit, gravem perſecutionem ſpiritualibus per omnes Eccleſias ob eorum ſcelera imminere, everſionemq; multorum templorum: ideoque ſuo tempore ait nullum ſermonem frequentiorem in omnium ore fuiſſe, quàm, jam imminere exitium ſpiritualibus, ob eorum turpem & ſceleratam vitam.

Eodem quoque ſuo tempore ait *cruces ſuper veſtes* cecidiſſe, quod & alii hiſtorici indicant. Interpretatur autem ipſe id ſignum ita, tanquam Deus homines & ad agnitionem peccati, & ſpem veniæ vocaverit; dicitque, primùm in Eccleſiaſticis indumentis & ſacerdotum veſtibus conſpectas. Ego credo, Deum eo ſigno Chriſtianos admonere voluiſſe crucis Chriſti, id eſt, doctrinæ de paſſione Domini; ac indicare, ſe brevi largè cognitionem Evangelii ſuper omnes homines effuſurum eſſe.

Omnia ergo iſta, & prophetia iſtius ſacerdotis, & conciones illius ſancti Prophetæ, & denique vaticinium illius juſti viri, de quo ipſe dicit, fuerunt (meo ſanè judicio) ideo ſpiritualibus à Deo propoſita, ut pœnitentiam agentes, imminentes calamitates effugerent: ſicut ſolet Deus facere, cum ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Nam vix decennio poſt venit Lutherus, qui Papam cum ſuis ſacrificulis evertit.

† Titulus libri eſt: Speculum naturalis, cœleſtis & Propheticæ Viſionis, omnium calamitatum, tribulationum & anxietatum, quæ ſuper omnes ſtatus, ſtirpes & nationes Chriſtianæ Reip. proximis temporibus venturæ ſunt. *Norimb.* 1508.

CCCCXX. *Faſciculus temporum.*

CHronica Cartuſani cujuſdam Colonienſis, titulo *Faſciculus temporum*, ante

Impietas Cleri Pontificij. fol 97. edit. Colon. 1476. 60. annos ſcripta, ſubinde gravia ſcelera & impietates ſpiritualium recenſet, circa annum Domini 900. ſic de impietate Paparum conqueritur: Heu, heu, heu, Domine Deus, quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Qualia contigiſſe circa hæc tempora etiam in Eccleſia, ſede Apoſtolica, quam uſque huc tanto zelo cuſtodiviſti, legimus ſcandala? Quales contentiones & æmulationes, ſectæ, invidiæ, ambitiones, intruſiones, perſecutiones? O tempus peſſimum, in quo Pag. 105. defecit ſanctus, & diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Et circa annum 1040. ſic ſcribit: De pluralitate beneficiorum, quæ circa hæc tempora nimis invaluiſſe videntur, & deinceps continuata, multum dolenda ambitione Prælatorum, & ſimoniaca labe, quàm plurima ſcripta ſanctorum Patrum habeantur, deteſtantium abuſiones iſtas. Et nota, quod facilè inventi ſunt pauperes Clerici & Doctores qui pluralitatem beneficiorum, & pompam Eccleſiaſticorum reprehenderunt, donec offerret ſe occaſio participandi; qua accepta, communiter avaritia excæcavit eos. Fertur de quodam Magiſtro magnæ literaturæ, qui valde ſublimiter diſputavit contra divitias Prælatorum, & faſtum eorum, quaſi omnino ſic vivere non liceret, &c. Hæc cum nunciata Domino Papæ fuiſſent, plauſibiliter reſpondit: Demus ei bonam præpoſituram, & hæc & illa beneficia, & benè pacatus erit. Factum eſt ita, & ecce protinus ſententiam mutavit, dicens: Nunquam intellexi materiam hanc, præter modò. Hactenus ille.

Sic nimirum illa Meretrix Babylonia ſe poculo inebriavit, & ſcortationibus delinivit potentes & ſapientes, ut videntes nec viderent, nec videre vellent veritatem & juſtitiam.

* Wolfius Centur. 15. Lector. Memorab. p. 921, 922, 923, 924. Autor Faſciculi, Wernerus Rollvinck de quo alibi.

CCCCXXI. *Nicolaus Rus.*

Nicolaus Rus, Sacerdos Roſtochienſis, Magiſter & Baccalaureus (ut vocant) formatus Theologiæ, vixit ante annos 40. Reliquit prolixum ſcriptum, impreſſum Saxonica lingua, titulo *De triplici funiculo.* Eſt autem expoſitio Symboli, Decalogi, & Dominicæ orationis, in qua multa contra Papam diſputat, præcipuè autem hæc: Indulgentias eſſe meram deceptionem piorum, & quæſtum: Veras indulgentias contingere à ſolo Deo gratis, propter Chriſtum, omnibus verè pœnitentibus: Papam non eam poteſtatem habere, quam ei multi tribuant: nec audiendum, niſi recta præcipiat. Sanctorum oſſa non eſſe adoranda: Sanctos non eſſe invocandos: ſpirituales debere dare cenſum, & ſubeſſe Magiſtratibus, reprehendit quoque traditiones humanas, varios abuſus & ſuperſtitiones. In primis verò graviſſimè inſectatus eſt, ſpiritualium turpiſſimam vitam, & officii neglectionem. Dicit eos Antichriſti miniſtros eſſe. Habuit etiam ſuos audi-

auditores,eosque non paucos. Soliti enim sunt Rostochium ex Bohemia venire certi homines,haud dubiè VValdensium concionatores, qui cum ipso & aliis suæ doctrinæ hominibus proprios conventus habuerunt. Sed excitata est ab impiis contra eos persequutio,multique cives sunt propterea expulsi; nam præter alia,etiam ilud contra eos commenti sunt,solere illos noctu convenire,& in illis suis conventiculis promiscuas libidines exercere. Quare vulgò dictitatum est, convenire eos in Kußkeller / id est, *osculorum cellario.* Ipse Nicolaus Rus primùm ob persequutionem coactus est Rostochio VVismariam secedere,ubi circiter sesquiannum vixit,unde reversus denuò Rostochium,rursus ob novam persecutionem in Livoniam abiit,ibique diem suum obiit.

Habeo *Harmonias Evangeliorum*, ejus manuscriptas. Apparet fuisse hominem doctum,& diligentem. Vivunt adhuc hodierna die duo pii & docti viri, meique amici Rostochii,qui ejus in humanioribus studiis discipuli fuerunt, D. M. Conradus Pegellius, & D. M. Vitus, fidelis Christi minister ad sanctum Ioannem. Liber ipsius, ignoro an ante mortem vel post sit impressus: certum tamen est, indulgentiarios impostores,& inquisitores, summo studio illius exemplaria conquisivisse, & pleraque exussisse. Bonus quidam vir unam arcam plenam illis exemplaribus in terram defoderat,quæ usque ad Lutheri tempora sub terra fuerunt. Quare & pleraque computruerunt,eoque paucissima extant,non illæsa tamen à putredine. Ego unicum habeo,curaboque aliquando,Deo juvante,ut & Misnica lingua excudatur.

CCCCXXII. D. Pfennig, Naumburgi Concionator.

Concionatus est ante annos fermè 50. Naumburgi quidam Doctor Theologiæ,cognomento Pfennig, qui contra multos Papæ errores, præsertim autem Indulgentias,publicè quoque disputare est solitus. Tandem verò,ubi intellexit sibi insidias strui,tentavit fugam in Bohemiam; sed retractus ex itinere ab Alberto Duce Saxoniæ ac Misnensi,Episcopo traditus fuit; apud quem in carcere & vinculis,veritati testimonium dando contabuisse dicitur. *Contra Indulgentias.*

* Wolfius Tom.2.Cent.16. Lect.p.141.

CCCCXXIII. Antonius Mancinellus Orator & Poeta.

De Antonio Mancinello quidam celebris vir hanc narravit historiam. Mancinellus in solenni quodam festo Romæ sub processione, more solito, albo insidens equo, publicè coram omni populo elegantem habuit *orationem*, *contra Alexandrum Sextum* Pontificem; ubi omnes Papistarum & Antichristi regni *Crudelitatis Papalis exemplum.*

abuſus, impios mores, ſpurciſſimam vitam, inaudita ſcelera & ſcandala reprehendit, ac valde acriter in eaſdem abominationes eſt invectus; & in fine, poſtquam peroraverat, orationem ſcriptam inter populum aſtantem ſparſit. Commotus hac oratione Pontifex, illum comprehendi, & utramque ei manum abſcindi juſſit. Sed convaleſcens Antonius, paulo pòſt iterum in aliquo quodam feſto, ſimili modo multo graviorem & vehementiorem habuit contra Pontificem orationem, qua ita accenſus ille Satanæ miniſter Alexander, linguam Antonio excindi curavit: quo dolore aggravato, pius hic vir interiit. Hujus rei fides penes authorem ſit; nam ego eam pro comperta non habeo.

† Wolfius T. 2. Lect. Memor. Cent. 16. p. 51.

CCCCXXIV. *M. Joannes Ibenhagen, Frimarienſis Paſtor.*

Adverſus ciborum delectum & alias traditiones.

MAgiſter Ioannes Ibenhagen, Eccleſiæ Frimarienſis Paſtor, qui floruit ante 50. annos, ſolitus eſt reprehendere prohibitionem ciborum, butyri, &c. nam iſtis diebus, quibus in Papatu hominibus non licuit comedere carnes, ipſemet curavit ſuis operariis coqui ſuillam carnem, eiſque apponi, & ſimul cum eis comedit, dictitans, omnibus diebus licere Chriſtianis veſci carnibus. Reprehendit etiam alias (ut probatæ fidei homines teſtantur) ſuperſtitiones, à Papa & pſeudoſpiritualibus ordinatas & inſtitutas; nam quòd ſit humanum inventum, non comedere carnes, ſic probavit. Omnia in uſum hominis à Deo eſſe creata, & non inveniri in ſacris literis iſtiuſmodi præceptum; ideo & homines, ut id ſervent, non obligari. Improbavit quoque adorationem ſtatuarum, & peregrinationem ad S. Iacobum, S. Mariam, & alios Divos. Item, hominibus in confeſſione fertur dixiſſe, eos Sanctorum neque meritis, neque interceſſione niti debere: ſed ſola miſericordia Dei, qui filium ſuum unigenitum pro peccatis totiùs mundi dediſſet, qui homines ſua ſatisfactione (verba ejus recito) Deo reconciliaſſet, &c.

† Wolfius Cent. 15. Lect. Memor. p. 898.

CCCCXXV. *Tilemannus, Monachus Gröningenſis.*

Traditionum humanarum commenta.

FVit in monaſterio Groningæ fermè ante 50. annos, quidam Monachus Minorita, grandis admodum natu, nomine Tilemannus. Is cuidam civi nomine Hanß Ludeke/ in confeſſione querenti, ſuam conſcientiam neſcio quibus hominum traditionibus implicatam teneri: reſpondit, Multa eſſe, quæ de ea materia dici oporteret, ſed non eſſe liberum. Maximum enim eſſe periculum veritatem dicenti. Sed tamen eum breviter jam ſic rem accipere debere: Chriſtum pro nobis eſſe mortuum: eum ſolum eſſe noſtrum ſervatorem, in eum ſolum fidendum: reliqua omnia, ut Indulgentias, & ſimilia, eſſe meras nugas,

ideoque

ideoque non curandas. Similia haud dubiè & aliis in confessione dixit. An etiam publicè quid dixerit, ignoro; dicturus haud dubiè & ea & alia multo plura, si per tyrannidem Antichristi, ejusque satellitum, qui veritatem oppressam sepultamque tenebant, licuisset.

† Wolfius Cent. 15. Lect. Memor. p. 949.

CCCCXXVI. *Stephanus Aufrerius, Tholosanus.*

STephanus Aufierii, qui aliquando ante hanc ætatem vixit, scribit quædam digna lectu *de Bonifacii Octavi, Indulgentiarum Patris, seu Matris, importunitate & arrogantia,* quæ adscribam. *Bonifacius Octavus, licet in his quæ ad Curiam pertinent, fuerit exercitatissimus: in tantam tamen arrogantiam seipsum erexit, ut totius se mundi Dominum diceret, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus. Unde inimicitias contraxit cum Philippo Pulchro, Rege Franciæ, vulgariter dicto* Lebel; *propter quas Regnum Franciæ subjecit Alberto Imperatori, sicut & alia regna, sed nihil profecit,*&c. Et paulo pòst. *Quia Bonifacius sciebat Philippum hæc omnia parvi facere, sibi quandam bullam transmisit hujus tenoris :* Bonifacius Episcopus servus servorum Dei, Philippo Francorum Regi, Deum time, & mandata ejus observa. Scire te volumus, quod in spiritualibus & temporalibus nobis subes, beneficiorum & præbendarum ad te collatio nullà spectat: & si aliquorum vacantiam habeas, fructus eorum successoribus reserves: & si quæ contulisti, collationes tales irritas decernimus: & quantum de facto processerunt, revocamus. Aliud credentes, hæreticos reputamus. *Datum Laterani nonas Decemb. pontificatus nostri anno primo.* Rex autem Philippus, ut sequitur, respondit: *Philippus Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam, sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse, Ecclesiarum & præbendarum collationem ad nos jure regio pertinere, & fructus earum vacatione duratione nostros facere; collationes à nobis hactenus factas, & in posterum faciendas, fore validas: & illarum vigore, possessores contra omnes viriliter nos tueri: secus autem credentes, fatuos & dementes reputamus.* Datum, &c. *Occasione hujusmodi literarum maxima tunc fuit habita Parisiis disputatio,* de potestate Papæ & Regali authoritate; *de quo per Petrum de Palude in suo tractatu de Potestate Ecclesiastica. Multa autem alia fecit idem Bonifacius, quæ in fine miserabiliter defecerunt; deditq; exemplum cunctis Prælatis, ne alta saperent sed forma facti gregis, magis studerent amari à subditis, quàm timeri.* Hactenus Aufrerius. Hic est, de quo dicitur, Quòd intravit, ut vulpes, regnavit ut leo, exivit ut canis.

Parrhesia Regis Galliæ Philippi contra Papam. Vide Tractat. Tract. 8, 10. 13. & 14 de potestate secularium & Ecclesiæ.

Idem Stephanus ibidem *de conjugio Sacerdotum,* inquit: *Tempore primitivæ Ecclesiæ licebat Presbyteris, & sic constitutis, uxorem ducere. Quoniam, &c. Aliter dist. 31. dummodo die celebrationis abstinerent à conjugibus. Postea in occidentali Ecclesia venit*

venit prohibitio, ut constituti in sacris deberent continere. d.c. Aliter, &c. In cœna. Et dicit Franciscus in Rub. q. 10. vel 20. quod hoc præceptum det materiam illaqueandi plures animas, propter fragilitatem nostram. Ideo credit, quòd sicut Ecclesia indixit hoc præceptum continentiæ, quòd quandoq; revocabit, & erit conveniens dicto Apostoli revocatio, qui dicit 1. Cor. 7. De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do. Et dicit Sivil. in c. Cum olim, de Clericis conjugatis, quòd pro bono ac salute animarum esset salubre statutum, ut volentes continere & mereri, relinquerentur voluntati eorum: non volentes autem continere, possent contrahere. Nam experientia docente, prorsus contrarius effectus sequitur ex illa lege continentiæ: cum hodie non vivant spiritualiter, nec sint mundi, sed illicito coitu maculentur, cum eorum gravissimo peccato, ubi cum propria uxore esset castitas. d. c. Nicena. Unde deberet Ecclesia facere, sicut bonus medicus, ut si medicina experientia docente potius officit, quàm proficit, eam tollat. Hæc ille.

CCCCXXVII. Tilemannus Spangenberg.

Reformationis Ecclesiæ prædictio.

TIlemanuus Spangenberg. D. Ioannis Spangenbergii Theologi syncerissimi, piæ memoriæ, Pater, qui circiter annum 1499. diem clausit extremum, inter alia pia monita ad liberos suos & vicinos sæpè dixerat: *Brevi eam Religionem, quæ tum vigebat, in summum venturam contemptum; tum eos visuros, Sacerdotes & Monachos ob malitiam avaritiam, odia & fœditates, ejectos ex templis & monasteriis discurrere, & aliam veram tum Religionem fore instaurandam. Non enim patietur Deus* (dixerat) *corruptissimos horum hominum mores, præsertim cum vix unicum verbum Evangelii doceant, & præterea vitam quolibet etiam ethnico indignam ducant. Hanc Religionis* (papisticæ videlicet) *mutationem* tum dixit futuram, *quando* cornua calceorum, *quæ tum abjiciebantur, homines iterum essent recepturi, & non in anteriore parte tantum, sed ex utroq; latere gesturi.* Dixerat præterea aliquando in præsentia quorundam canonicorum: *Spirituales & Ecclesiæ ministri docere populum quidem deberent, sed inverso ordine bella gerunt, & ad arma adhortantur* (erat enim quædam tunc inter Duces Brunsuicenses & Episcopum Hildesheimensem discordia) *id quod aliis prohibere eos deceret, facere ipsi non erubescunt. Ubi animas curare deberent, non animas tantum, sed corpora trucidant.* Sie solten seyn Seelsorger/ so seynd sie Leib und Seel Würger.

* Wolfius Cent. 15. Lect. Memorab. p. 947.

CCCCXVIII. Ernestus Archiepiscopus Magdeburgensis,

ERnestum olim Archiepiscopum Magdeburgensem, de Iustificationis Articulo piè sensisse, apparet ex verbis ejus fermè in ultimo agone dictis. Nam D. Clemens Schavvdiaconus Ecclesiæ Islebiensis, & tum Archiepiscopi Capellanus, testatur se astitisse ei, unà cum duobus Franciscanis, in Salinis morienti: quorum alter

ad

ad Archiepiscopum dixerit, *Esto bono animo inclyte Princeps, Nos omnia non tantum nostra, sed & totius Minoritarum ordinis bona opera, tuæ celsitudini communicabimus. Non est dubinm, quin illis acceptis, coram Dei consistas tribunali justus & beatus.* Respondisse verò Archiepiscopum. Nein ich trauen/ich begehre euer Werck nirgend zu. Meines HErrn Christi Werck müssens allein thun/ darauff verlaß ich mich. Id est, *Nullo modo, nec meis nec vestris operibus ego confidam, sed solius mihi Christi opera sufficient.* Fuit alioqui & in politica gubernatione homo justus ac frugi, & non dilapidator reddituum, & vexator miserorum, sicut sequentes Marchitæ.

* Obiit Ernestus Anno 1476. Wolfius Cent. 15. Lect. Memor. p. 808.

CCCCXXIX. Berna, Urbs Helvetica, testis facti detestandi quatuor Monachorum Prædicatorii Ordinis.

BErnæ accidit anno 1507. mirabilis historia, conscripta vulgari & Latino sermone, versu & soluta oratione. Digna sanè est, quæ huic Catalogo nostro breviter inseratur, propterea quòd insignem * impietatem, audaciam & fraudem Monachorum contineat. *Monastica fraus detecta Bernæ.*

* Hæresim fœdissimam vocat Herm. Buschius Epist. ad Reuchlinum p. 168.

Dominicani, quibus perpetua est cum Franciscanis (juxta illud Hesiodicum, Invidet mendicus mendico, ob partecas & lucrum) æmulatio, cupientes sui ordinis, aliquo insigni facinore, nomen augere, & Franciscanorum diminuere, atque ita oblationes plebeculæ ad se pertrahere. Longam telam quandam fraudum technarumque per suos quosdam primarios excogitaverunt, ac Bernæ in suo monasterio contexuerunt.

Quatuor quidam (Primates alioqui sui Ordinis) histriones, selegerunt simplicem quendam fratrem, qui recens, non sine dote, ex nimia superstitione erat factus Monachus. Eum tum aliis multiplicibus superstitionibus, tum fictis S. Mariæ, Barbaræ, Catharinæque Senensis apparitionibus & revelationibus, tum medicatis potionibus, tum denique etiam magicis artibus ita dementarunt, factis ei etiam instar Francisci quinque vulneribus, ut ille planè crederet sibi Divam virginem apparuisse, sibique rubentem eucharistiam & miraculosum Christi sanguinem obtulisse, & ad Senatum mandata tradidisse, quæ etiam in Senatu exposuit, in quibus inter cætera fuit, quòd Diva virgo sit in peccato concepta: ideoque ferendi non sint in civitate Franciscani, qui cum alioqui scelerati & non reformati essent, tum etiam non ferendum errorem de pura conceptione virginis docerent. Docuit etiam, imaginem quandam D. Virginis, quam Monachi arte (tanquam si fleret) humorem stillare fecerant, colendam esse.

Res est primùm ab omnibus credita, ruffus ille color pro Christi sanguine adoratus, & multis magnis satrapis huc atque illuc, velut pro ingenti munere (non sine recompensatione) guttatim missitatus. Factus maximus concursus ad illam

plorantem ſtatuam, & ad ementitum Chriſti cruorem, non ſine maximis muneribus & oblationibus Si ergo rem eò Dominicani perduxerunt, ut ſoli omne lucrum haberent, ſoli pro ſemidivis colerentur: miſeri verò Funigeri Franciſci filii cum contemptu etiam damnum & eſuriem, nemine eleemoſynam eis dante, ferre habereque cogerentur. Sicque ſanctis Funigeris res planè ad funem reſtimque redacta eſſe videbatur. Sed Franciſcani ignominia damnoque extimulari (ut miſeris ingenium grande eſt) taliumque technarum fingendi apparitiones & miracula (eo quòd Papiſticis impoſtoribus ſeu ſacrificulis ſunt uſitatæ) non ignari, cò uſque rem diligenter inveſtigarunt, quoad tota fraus patefieret. Atque ob ea maleficia impiasque fraudes quatuor tantum illi primarii, anno 1509. exuſti ſunt: cum non illi ſoli, ſed quam plures alii ejus ſceleris rei participesque eſſent. Inter alios etiam ipſe Provincialis, ut eum vocant. Cum torquerentur impoſtores illi, multa & horribilia, præter ea quæ recitavi, confeſſi ſunt, quæ tamen (uti teſtantur ipſimet Papiſtici Scriptores) ne totus ſpiritualium Papæ: ordo populo vileſceret, ipſo Papa per Legatum ita præcipiente, occultata ſunt.

Talibus fraudibus fictarum apparitionum, revelationum & miraculorum, non dubito pleraſque idololatrias & cultus, apud Papiſtas vel excitatos primùm, vel certè poſtea confirmatos & auctos; ſicut in omnibus fermè regionibus technarum hujuſmodi, tum olim patefactarum, tum poſt inſtauratam prædicationem Evangelii, hiſtoriæ narrantur. Sverini in Mechelburgenſi Ducatu, cultus eſt ſanguis Chriſti; qui poſtea recluſus, & ab aurifabris diligenter inſpectus, draconis ſanguis deprehenſus eſt; nam eo illi in exprimendis inſignibus annularibus utuntur, eoque ejus gnari ſunt.

* Wolfius Tom. 2. Lect. Mem. Cent. 16. p. 10, 11, 12.

CCCCXXX. *Guilielmus Budæus, Gallus.*

BUdæus, in iis quæ ante Lutheri prædicationem ſcripſit, duriter & prolixè Papam, Epiſcopos, Prælatos & ſacrificulos accuſat; præſertim autem in libro de Eſſe, qui anno 1513. editus eſt. Dicit eos bella inter Chriſtianos ciere, cum pacis authores eſſe deberent; vincere longè peſſimum quemque è populo, avaritia, crudelitate, ſuperbia, ambitione, crapula, luxu, ſpurciſſimis libidinibus, & omnibus aliis ſceleribus, quæ in vita hominum graſſantur, præſertim autem Epicureiſmum extremum eis tribuit. Dicit eos eſſe tum indoctos, tum etiam inimicos literarum: negligere penitùs ſalutem Chriſtianorum ſibique commiſſas piorum Eccleſias. Multis eos velle præeſſe Eccleſiis, cum ne unicam quidem rectè regere poſſint, imò ne cogitent quidem. Quin etiam ait eos perdere, & ad inferos præcipitare homines cùm aliis rationibus, tum verò turpiſſimè ſceleſtiſſimæq; vitæ nefariis exemplis. Diſſolviſſe eis ait Eccleſiaſticam diſciplinam, quam tueri debebant. Erumpit alicubi in haſce voces: *Quàm autem ſpem ſalutis habere poſſunt, qui cum ſint Principes, Sacerdo-*

Sacerdotes, & in plebe gubernacula tenentes, meridie in ſcopulos impietatis impingunt? & cum ſplendore vitæ prælucere Dominicæ familiæ debeant, erroris illi nobis & hallucinationis caliginem terram ob oculos offundunt?

Item: *Egone ut credam, fidem eos bonam agnoſcere, qui ſub exuviis Domini noſtri, aram & ſacra tenentes, & ipſum deniq́ Dominum exoſculantes, ejuſdem ipſius placita & inſtituta floccipendant, eiſq́ è diametro oppoſita pugnantiaq́ amplectantur?*

Item: *Ecquis eſt autem obſecro, qui ſi ſtatum Eccleſiæ, motum, flexum, habitum, affectiones deniq́ corporis & animi, & ſeſſiones ipſas æſtimet, quales non pridem vidimus, ullam rationem haberi oraculorum, aut omnino ſacrorū monumentorum judicet? Quaſi verò non monodias veras in funus animarum Entheus ille vates, ſed planè nænias effatus ſit. Nam pontificiam jurisdictionem ita degeneraſſe cernimus ex charitate priſca, ut ubi æqui boniq́ & benignitatis ſinus ſolebat eſſe, ibi litium officina, capturarumq́ improbarum nunc eſſe videatur. Inde illa formularum aucupia, & rituum Pontificiorum cautiones ad circumſcribendam familiam Domini concinnatæ. Inde multarum compendia præſulibus enata, acceptorū paginas luculenter augentia. Inde ſacrilegæ nundinæ earum rerum, quæ in commercio humano ſine piaculo eſſe non poſſunt. Mitto nunc teſſeras, non modò veniales, ſed etiam venales, impuritatem ſcelerum, & ſolutionem ſacrarū legum, ſordida benignitate largientes. Itaq́ ſacroſanctos canones, melioribus annis facto, ut iis velut regulis vita Clericorum dirigeretur, & velut Patrum præſcriptis poſteri formarentur, jam in amuſſes plumbeas evaſiſſe, quis non videt? Quales olim fuiſſe canones plumbei, & moles non ſtructuram operum tenore æquabili dirigunt, ſed ex ſtructorum commodo & libidine flexiles, ſtructuræ accommodantur: ſic canones Pontificii ex uſu Eccleſiæ antiſtitum flexibiles, plumbei & cerei facti ſunt, ut jam diu inſtituta majorum & ſanctiones Pontificiæ non moribus regendis uſui eſſe, ſed (propemodum dixerim) argentariæ factitandæ authoritatem accommodare videantur.* Hæc ille.

Ex quibus apparet, Budæum non ſolum vitæ ſummam turpitudinem & ſcelera Papæ, Sacerdotibusque, ſed & officii ſui in inſtituenda plebe Domini neglectionem, atque adeò corruptam & diſciplinam, & aliquatenus etiam Religionem Chriſtianam exprobrare. Ait quoque oportere quamprimum reformari Eccleſiaſticos, ſeu ſpirituales: id niſi fiat funditus interituram eſſe Eccleſiam. Poſt prædicationem verò D. Martini, audivi etiam æquiorem factum nobis eſſe, ac Locos commmunes diligenter lectitare ſolitum eſſe. Sed timuit fortaſſis tyrannorum & carnificum Dominicanorum crudelitatem, eoque publicè eam ſententiam profiteri uon eſt auſus.

* Wolfius Tom. 2. Cent. 16 L. M. p. 53.

CCCCXXXI. *Conradus Celtes, Viennenſis Profeſſor.*

Conradus Celtes, homo doctiſſimus floruit Viennæ circiter ante 60. an. Intellexi ex fide digniſſimis hominib⁹, rerumq; ac vitæ ejus nō ignaris, damnaſſe eum *Miſſam, purgatorium, & ſanctorum invocationem*; eoque eum nunquam publi-

ca sacra seu Missas frequentasse; atque eam ob causam excommunicatum, excommunicationemque contempsisse.

CCCCXXXII. *Pater Friderici Myconii.*

CLarissimi viri & Theologi constantissimi Friderici Myconnii Patrem, non tantum verè pium, sed & probè gnarum fuisse purioris Religionis, facilè ex scripto filii, cui *Somnium* nomen imposuit, cerni potest. Vnde pauca huc transcribam.

Instituerat me Pater meus (inquit Fridericus Myconius) ad huc puerum & infantem, Decalogi verba, orationem Dominicam, & Symbolum, & cogebat me frequenter orare. A solo enim Deo esse nobis gratis omnia, & illum nos gubernaturum, si diligenter orarem, persuadebat. Item, sanguinem Christi esse precium pro peccatis mundi, & cuilibet Christiano esse necessariam hanc fidem. Quòd si tantum tres homines debeant salvari per sanguinem Christi, tamen se certissimè statuere debere, se esse unum ex illis tribus: & contumeliam esse in sanguinem Christi; de hac re dubitare. *Indulgentias* Papales esse *retia*, quibus caperetur pecunia simplicium. Certè remissionem peccatorum & vitam æternam non posse emi pecunia: sed offendi Sacerdotes, si ista dicerentur. Hæc ille. Hinc apparet, illum virum rectè sensisse de justificatione, de vera ac non dubitante fide, qua omnia à Deo impetremus: De invocando solo Deo, & de Indulgentiarum vanitate. Fuit haud dubiè aut VValdensium discipulus, aut alioquio θεοδίδακτος mirabili modo à Deo veritatem edoctus: quales multi in omnibus locis fuerunt.

* Wolfius Tom. 2. Lect. Memor. init. Cent. 16. p 1.

CCCCXXXIII. *Ioannes Tornacensis.*

IOannes Tornacensis oppugnavit Primatum Papæ, ac ob eam causam à Parisiensibus est damnatus. Floruit ante hæc tempora. Testatur Lutherus.

CCCCXXXIV. *Ioannes Kalcheisen.*

IOannes Kalcheisen oppugnavit Indulgentias ante hæc tempora in Anglia. Testis Lutherus.

CCCCXXXV. *Orbellus & Bernerus.*

ORbellus & Bernerus, duo quidam docti homines, contra spiritualium cœlibatum pro conjugio scripsisse dicuntur. Quando autem vixerint, ignoro.

CCCCXXXVI.

CCCCXXXVI. *Albericus Roxiatus, sive de Rosate.*

ALbericus Roxiatus floruit circa annum Domini 1340. *in l. benè à Zenone. col. 6. num. 18. c. de quadri. præscript.* inquit: *Præsidentes Romanæ Ecclesiæ, eorum astuta & sagaci prudentia secundum temporum varietatem sua variaverunt statuta, modò Imperium sublimando, modò paulatim deprimendo de tempore in tempus. Sed ad quid? nisi ut sensim omnia & cœlestia & terrena, & spiritualia & temporalia (ut vocant) pedibus suis (ut palàm gloriantur) subjicerent?* Eodem loco probat quoque sententiam Ioannis Parisiensis & Dantis Aligerii, quod *imperium à Papa non dependeat.* Refert quoq; ibidem, & approbat legem Lud. Bavari Imperatoris 4. per quam item declaratur, & ex sola electione verum Imperatorem fieri, sine ulla Papæ vel suæ sedis approbatione; & contrarium asserentes, omnibus feudis & bonis Imperii ipso facto privantur, & crimen læsæ Majestatis incurrisse decernuntur.

* Wolfius Cent. 14. Lect. Mem. p. 631.

Decanus Magdeburgensis.

QVidam Decanus Magdeburgensis olim scripsit *de vitiato curiæ Romanæ statu.* Ejus scriptum adhuc invenitur. Quis verò aut quando fuerit, non satis mihi constat. Dabo tamen operam, ut totam rem clarius explorem.

CCCCXXXVII. *D. Andreas Proles, Augustinianorum Provincialis.*

HEnningus, Monachus Augustinianus, in Porta cœli prope VVeringerodi, qui adhuc, valde tamen grandævus, vivit, sic de D. Andrea Prole Lipsensi, qui ante 40. annos obiit, narrat: Me vivente, inquit, erat Prior nostri Monasterii D. Andreas Proles Lipsensis, vir doctus & magni animi, bonumq; pro Christiano populo zelum habens. Ab ipso sæpè audivi inter prælegendum, hæc verba: *Auditis fratres testimonium scripturæ sanctæ, quod gratia sumus, quicquid sumus; & gratia habemus, quicquid habemus. Unde igitur tantæ tenebræ, & horrendæ superstitiones? O fratres, res Christiana opus habet forti & magna reformatione, quam quidem jam prope instare video.* Quærentibus fratribus, *Quare ipse non inciperet reformationem, ac erroribus sese opponeret?* respondebat: *Videtis fratres, me esse ætate grandævum, corpore & viribus debilem; & agnosco me non esse præditum tanta doctrina industria, & eloquentia, quantam hæc res postulat. Sed excitabit Dominus heroem, ætate, viribus, industria, doctrina, ingenio & eloquentia præstantem, qui reformationem incipiet, erroribusq; sese opponet; ei Deus animum dabit, ut Magnatibus contradicere ausit; & ipsius ministerium salutare Dei beneficio competietis.* Solitus est etiam sæpè dicere inter prælegendum:

Prædictio de Reformatione futura.

Regnum Papæ magnam minatur ruinam, quia nimis altè & nimis citò crevit. Hæc testatur prædictus frater Henningus, se sæpè ex ore D. Andreæ Prolis audivisse.

Hunc ipsum D. Prolem jam decrepitum, vidit & audivit D. Martinus Lutherus, admodum tamen juvenis, Magdeburgæ. Testatur & sequentia Henningus, vocatum esse prædictum D. Prolem paulò ante mortem ad Synodum quandam, utpote jam Provincialem, cujus locum ac nomen ipse ignorat; Ego suspicor esse eam, quæ primò fuit Pisis indicta, post Mediolani acta, & demùm in Laterano circa 1510. absoluta. Ibi cum ageretur de indicendo nescio quo novo festo, omnesque id probarent, solus iste D. Proles contradixit, & usque in finem contradicturum se affirmavit; quod populus Christianus sanguine Christi liberatus, alioqui nimium esset traditionibus oneratus. Tentavit Papa unà cum Concilii Patribus, seu potius suis adulatoribus, Prolem à sententia sua deducere, & ut revocaret persuadere; sed frustra. Quare Papa eum excommunicavit. Proles contempta excommunicatione, ad suos confugit. In hac fuga, ut ipsemet postea narrare est solitus, persuasus à comite, emit arcum & sagittas; quem cum diebus aliquot gestasset, tandem secum cogitans, causam eam non suam, sed Dei esse, quæ nec opprimi totius mundi armis, nec defendi possit, quantò minus à decrepito & debili sene? arcum unà cum pharetra ex curru in itinere projecit, seque Domino commendavit.

Affirmavit quoque, sæpè se in eo itinere in maximis fuisse periculis, quod ei Papa insidiatores subornarat: ex quibus, si non fuisset divinitùs protectus, nequaquam se evadere potuisse. Demum reversus, narravit fratribus omnia ordine, qui pietate & gravitate viri moti, cœperunt primùm contemnere excommunicationem, ac fuit anno integro in excommunicatione: quo tempore etiã gravius, quàm antea, errores ac superstitiones Papæ reprehendit. Verùm tam multum tandem actum ac laboratum est ab Archiepiscopo Magdeburgensi Ernesto, Duce Saxoniæ (qui tum eo quòd in suo Episcopatu ageret Proles, tum quod Lipsiæ erat natus, de eo homine & causa erat solicitus) ut tandem Proles à Papa absolveretur: sed ea conditione, ut ipsemet accepto salvoconductu, ut vocant, adiret Papam. Profectus eò, cum non procul Roma esset, præmonitus per certũ hominem, à Cardinale quodam sui ordinis Monacho, obviam ipsi missum, imminere sibi Romæ à Papa certum exitium, denuò in Germaniam cœpit fugere, in qua fuga, ob extremum senium parum jactationis patiens, incidit in morbum: ac vix usque Ciclenbachium perlatus est, ubi in Domino obiit, & in Augustinianorum monasterio sepultus est, &c.

* Wolfius Tom. 2. Lect. Mem. Cent. 16 p. 32.

CCCCXXXVIII. Bernhardus Lublinensis.

Viri pii solicitudo in religionis negotio.

MIssa est mihi à fide dignis viris *Epistola Bernhardi Lublinensis*, ad quendam Simonem Cracoviensem bibliopolam, Anno Domini 1505. scripta, in qua quoniam

niam erant quædam ſcitu digna, & noſtro ſcopo convenientia de religione ſcripta, viſum mihi eſt eam partem adſcribere. Hæc verò ejus verba ſunt.

Nuper Dominus Joannes Pilcenſis attulit mihi Chronicam Bohemorum, illā quæ & Bohemicè impreſſa eſt, penes quam hiſtoria eſt de tribus Regibus Maguntiæ, quā legi diligenter, & omnino plurima digna lectu & ſcitu ibi reperiuntur, de moribus Orientaliū. Præcipuè a. de genere hominum, qui Mandapoli vocantur, quibus neq; domus eſt ulla, neq; poſſeſſio, neq; locus certus, ſed continuo eunt more iſtorum Ciconum, quos dicimus Cigani, ab urbe ad urbem circumeuntes, villas, oppida, regiones, tam irrequieto labore, ut nullibi ultra tres dies commorari eis liceat: nullam ſectā pertinaciter defendunt. Quamvis a. Chriſtiani dicantur, tamen ubicunq; venerint, eo ritu baptizantur, ut tenent homines loci illius, aliaq; plura ſunt eorum inſtituta, aliis non communia, ſicut videbis ſi legas, & cogitabam qui tam piè Deum colant, & nihil injuſtum habeant, ab injuriis etiam abſtineant, quomodo damnari debeant: viſaq; mihi ſunt judicia Domini abyſſus multa: & extra Evangelium nullas omnino conſtitutiones eſſe curandas, quoniam vanæ, ſint & incertæ, & cum tēporibus mutantur, ut videmus in Decreto & aliis juribus: alius præcipit, alius diſſolvit, alius excōmunicat, alius ſanctificat: quorū exempla ſunt innumerabilia. Quod ſi verū eſt, debere immutari celebrationē Paſchæ, novumq; Calendarium conſtitui: quis dubitabit & in aliis Romanos potuiſſe errare, & fortè aliorū meliores ritus ſine cauſa damnaſſe? Quamvis a. ſimplicitas fidei ab his tricis facilè nos abſolvere poſſit, ut credamus pia eſſe, quæ nobis illi, qui ſuper cathedram Moſi ſedent, præcipiunt: at tamen ratio hominis cohiberi nō poteſt, quin ſemper veritatem exquirat, ad eumq; intellectus tanquam ad objectum proprium elevetur, qui diſcurſus ſi peccato nos obnoxios facere debeat, quàm in arcto miſeri Chriſtiani poſiti ſumus, quibus etiam compertæ veritati per decreta hominū aſſentiri nō liceat? Si dicit quiſpiam zelo religionis, malè Romanos Pontifices cum ſuis Eccleſiæ providere, excipiunt continuò aſſentatores: quod ô miſer ponis os in cœlum? audésne contra Papam quicquam hiſcere, qui eſt ſanctiſſimus, & Deus terrenus? At ſi illi ſanctiſſimi non ſanctum os, ſed manus & pedes ponant in cœlum, ſi homines jugulantes arbitrentur obſequium ſe præſtare Deo, non modò non obloquuntur, ſed impia eorum facta paſſim laudant, magnificant, deferentes honorem ſummo Pontifici: & niſi revoces, ignē experieris. Ego verò in his malis, quæ nos circumſtant, unicum refugium habeo, ut potiſſimum Chriſto credam, & in eo totam ſpem reponam: ritus autem & inventa hominum tantiſper tolerem, dum in honorem Dei cedant, ſint tamen Dei præceptis & Evangelio longe inferiora, & ſine quibus ſalus hominum conſtare poterit. Ideoq; non omnia, quæ alii damnant, damnata eſſe apud Deum: aut quæ ſanctificant, non omnia eſſe ſancta. Aliter n. judicat Deus, quàm homo. Præclarè n. mihi videtur dictum illud: Loquendū eſt nobis ut plures, ſentiendū ut pauci. *Et Paulus Evangelii Prædicator, nolens ſua inſtituta divinis miſcere:* Vnusquisq; inquit, in ſuo ſenſu abundet, *reprobabatq; illud quod dicebant quidam,* Ego ſum Pauli, ego Cephæ, ego Apollo, *affirmans* unum Deum eſſe, unam fidem, unum baptiſma. *De his itaque omnibus, qui in Chriſtum credunt, baptizantur,*

Rom. 14.
1. Cor. 1.
Epheſ. 4.

zantur, ejusq; doctrinam custodiunt, quid sentiendum est, nō audeo decernere: sed potius dicerem hos salvandos, quamvis nostra instituta non suscipiant, & à Papa authoritatem non capiant, sufficere sibi arbitrantes antiquam institutionem beati Thomæ Apostoli, qui Indis præfuit, & sacrum ritum sanctissimè tradidit: cum sciam, claudos, cæcos, & debiles ad cœnam cœlestem per vim etiam compellendos : nam impossibile est omnino, ut totus mundus uni homini pareat: satis est, si Christo crederetur. Ecce tibi, scripsi cogitationes meas & quid tibi videtur, aliquando scribe; ego nihil approbo pertinaciter, excepta fide Christi: misi tibi medicinas, &c. Infiniti proculdubio tales omnibus temporibus fuere, quibus Antichristi errores improbati sunt. Tametsi injuria non solum vetustatis, sed & osorum veritatis ea partim dudum deperierint, partim adhuc in Bibliothecis latitent.

* VVolfius T.2. Lect. Memor. Cent. 16. p.32.

CCCCXXXIX. Stier.

Waldensiū Acta.

ESt civitas in finibus Austriæ ac Bavariæ hoc nomine dicta. Audivi ex Michaele Stifelio, ibi in quodam Monasterio esse tria satis magna volumina Examinationum, aut Confessionum multorum hominum à Romana Ecclesia dissentientium, qui jam olim fortè amplius ante ducentos annos sunt ab Inquisitoribus examinati; & in plerisque articulis prorsus eadem senserint & confessi sint, quæ nos hoc tempore sentimus ac docemus. Ego suspicor fuisse *Waldenses*, quorum olim tum in Austria, tum & in tota Germania, vel potius in tota Europa ingens numerus fuit. Quod in alio capite in hoc eodem libro prolixius exposui.

CCCCXL. Conradus Stifelius.

Reformationis prædictio.

MIchael Stifelius jam grandævus vel decrepitus potius, mihi narravit se admodum sæpe olim inter Monachos ac sacrificos versantē audivisse eos narrantes, esse veteres Prophetias sequuturam adhuc aliquando violentam sacrificorum reformationem. Dixit etiam patrem suum Conradum Stifelium solitum esse crebris sermonibus repetere id certò breviq; esse futurum. Et pro suo erga impietatem & impuritatem sacrificorum odio quendam suum amicum ac vicinum nomine Petrum Pirer orare, ut quandoquidem se mortuo ipse esset certò usque ad ea tempora victurus, quibus dudum prædicta sacrificorum cædes fieret, velit unum seorsim, in sui gratiam interficere præter illos, quos sua sponte proptiore homini esset interfecturus.

Apparet fuisse multas Prophetias de sacrificorum reformatione, quas homines non rectè acceperunt de eorum cæde: propterea quod & dignos tali mercede

eede esse judicarent, & nullam aliam tolerabilem reformationem facilè reperiri aut fieri posse existimabant.

* Wolfius Tom.2. Lect. Mem. Cent.16. p.1.

CCCCXLI. *Hieronymus Paulus, Canonicus Batrinovensis.*

Hieronymus Paulus Cathalanus Canonicus Batrinovensis, Iuris utriusq; Doctor, ac Cubicularius Alexandri VI. Pontificis Maximi, vir fide dignissimus, in libello, quem vocant *practicam Cancellariæ Apostolicæ*, sic scribit: Quod donatio Constantini etiam de facto non fuerit, lege Laurentium Vallam, & Papam Pium in dialogo. Nec de tali donatione quicquam legi apud probatum Historicum, præsertim eos, qui scripserint illa ætate, vel illi proxima. Nam nec Eusebius, qui fuit diligentissimus scrutator & narrator rerum Christianarum meminit, quod tamen nullo modo videbatur omittendum. Nec Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Ioannes Chrysostomus, nec Amianus, nec Historia Tripartita, nec ipsemet Damasius Papa in sua Chronica, nec Beda, nec Orosius meminerunt. Et constat per plures quàm 500. annos post Constantinum Imperatores tenuisse gubernacula urbis & Italiæ per Duces, Præsides, & Exarchos, & urbis Romanæ usq; ad tempora Innocentii II. ut patet apertè in Chronicis, & Historiis. Et de Iustiniano patet L.1. & 2. de offi. præfe. prætor. Afric. & in procemio Instituit. & in Epistola inter claras. ibi nostrum firmat Imperium. Et in L. fin. C. de vet. tur. evul. & in L. bene à Zenone. & in auth. ut etiam Romana Ecclesia, ibi ad Ecclesias nostras, & usq; ad Oceani recessus, & in auth. ut proprio nomine Impera. Et in vita Phocæ Imperatoris legitur, imperrasse pantheon Bonifacium Papam ab eo. Vnde ergo habuerit terras Ecclesia, vide gesta Caroli Magni, & Pipini, & Pium in dicto dialogo, & collecta novissimè per D. Bartholomæum de Platina Bibliothecarium, qui omnia instrumenta pertinentia ad statum Ecclesiæ, in temporalibus præsertim circa acquisitionem terrarum, & aliorum jurium & censuum collegit in valde magno volumine, ad cujus collectionem etiam operam nostram præbuimus in revidendo. Et de dicta donatione & curatione lepræ Constantini, lege quæ latè scribit Remus Episcopus Paduanus in Historia sua, de vitis Pontificum.

Contra Constantini Donationem.

CCCCXLII. *Leges Civiles.*

Leges civiles à Christianis Imperatoribus aut latæ, aut instauratæ ante 1000. annos multa admodum decreta continent prorsus & expresse contraria Romanorum Pontificũ tyrannidi. Primum enim certum est ex omnibus fide dignis Historiis, & etiam Scriptoribus Ecclesiasticis, olim non tantum alios Clericos, sed & ipsos Romanos Pontifices Cæsari subjectos fuisse: quin & sæpè coram eis reos stetisse, ac causas

Pontifices Romani olim Cæsaribus subjecti.

causas etiam Capitis dixisse. Notum sanè est, olim Romanorum Episcoporum electionem nequaquam ratam fuisse, nisi accessisset Cæsarum confirmatio, quod Platina, & innumeri alii Historici disertè testantur. Quin & certam pecuniam solvere pro confirmatione Cæsari, olim Episcopi Romani coacti sunt, usq; ad annum Domini 700. teste Sigeberto fol. 44. Testatur idem & Luitbrandus in vitis Pontificum in Agathone, de quo suo loco. Gregorius quidem Magnus subinde inculcat in suis Epistolis, Imperatorem esse Dominum; Imo & ipsi Pontifices in suo decreto non ita dudum, nempe ante 400. annos congesto profitentur, se omnibus modis *velle obedire Cæsareis legibus, & mendacii* contra sententientes arguunt. Sic enim loquitur Leo IV. à Papistis inter sanctos relatus, distin, 10. Canon. 19. *Leo. IV. Lothario Augusto. De capitulis vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumq; etiam Pontificum, prædecessorum irrefragabiliter custodiendis, & conservandis quantum valuimus & valemus Christo propitio, & nunc, & in ævum nos tonservaturos, modis omnibus profitemur; & si fortasse aliquis aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis, eum pro certo mendacem.* Hæc ille. Quibus se non tantum Cæsaris legibus, sed etiam ipsorum Episcoporum subjicit.

Leo IV. subjicit se Legibus Cæsareis.

Quia & de multis rebus Ecclesiasticis in specie Christiani Cæsares olim leges tulerunt; quarum aliquas postea recensebo, præsertim quæ pugnant cum constitutionibus & erroribus Papæ. Omnes quidem in eo cum Pontificia tyrannide pugnant, quod ei non tantum non concedunt utrunq; gladium, aut ullam omnino superioritatem super Cæsares, sed etiam Cæsaribus subjiciunt; quodque nusquam eis dominium Romæ, multo minus totius Italiæ concedunt.

Synodorum convocatio.

Synodos convocare ac regere, quæ est magna quædam potestas, & tota nunc à Romanistis possidetur, olim prorsus fuit penes Cæsares ac Reges, quod Historiæ omnium fermè Synodorum testantur, & à nostris Ecclesiis sæpe contra Papas probatum obtentumque est hoc tempore, cum de jure convocandæ Synodi actum disceptatumque est.

Excommunicatio.

De non præcipitanda excommunicatione, & pœna Sacerdotis, sine præcedente criminis probatione aliquem anathematizantis, sancivit Iustinianus, quæ lex citatur in Decreto Pontificio 24. q. 5. C. de illicita.

Monachismus.

Monachos jubet Iustinianus in Novellis 133. aut sacris literis studere, aut operas manuarias exercere. Vnde animadvertimus, Imperatorem nequaquam voluisse, ut ocio tantum, ac boationi, aut Missationi vacarent; quò postea in Papatu degeneravit Monachatus.

De clara verborum consecrationis pronunciatione & intelligibili lingua in sacris ita Iustinianus in Novellis sanxit constit. 123.

Iubemus, ut omnes Episcopi pariter & Presbyteri, nō tacito modo, sed clara voce, quæ à fideli populo exaudiatur, sacram oblationem, & eorum omniū sacrorum, quæ in templis agūtur, & preces, in sacro baptismate adhibitas, celebrent. Quò majore exinde devotione in depromendis Domini Dei laudibus audientium anim affici-

afficiantur. Ita enim & D. Apostolus docet in Epistola ad Corinthios. Convenit ergo, ut inter cæteras preces, & ea, quæ in sancta oblatione dicitur clara voce à religiosissimis Episcopis & Presbyteris, Domino nostro IESV CHRISTO Deo nostro cum Patre & S. Spiritu proferatur, scituris religiosissimis Sacerdotibus, quod si quid horum neglexerint, & in horrendo judicio magni Dei & Servatoris nostri IESV CHRISTI de his rationem reddent, neque nos hæc cognoscentes, conquiescemus, relinquemusque multa. 1. Cor. 14.

Extat etiam *lex Arcadii*, ut si quis Sacerdotum contra quietem publicam aliquid moliri fuerit deprehensus, secundum legem divinæ memoriæ Gratiani vitam agat 100. millibus ab eorum cœtibus separatus, à quorum est cœtu discretus. Item ait idem.

Quoties autem de Religione agitur, Episcopos convenit judicare in cæteris, quæ ad usum publici juris pertinent, legibus oportet obtemperare.

Clericos & Episcopos præcipuè jus Cæsareum in provinciis judicare. Sic enim habet lib. 1. Codicis de Episcop. tit. 6. *Omnes, qui ubicunque sint, vel posthac fuerint orthodoxæ fidei Sacerdotes & Clerici, cujuscunque gradus sint, Monachi quoque in causis civilibus ex nullius penitus majoris minorisve sententia judicis commonitoria ad extranea judicia pertrahantur, aut provinciam, aut locum, aut regionem, quam habitant, exire cogantur. Nullus eorum Ecclesias, vel Monasteria propria, quæ Religionis intuitu habitant, relinquere miserabili necessitate jubeatur. Sed apud suos judices ordinario* (id est, provinciarum Rectores) *in quibus locis degunt, Ecclesiarum ministeriis obsecundent, omniumque contra se agentium excipiant actiones, ut iis horis saltem atque temporibus, quibus religiosos viros à turbulenta observatione prætoriis vacare contigerit. Cumque eos ad tempus petitorum, intentio calumniosa laxaverit, ad sua se Monasteria & venerabiles Ecclesias conferentes sapienti animo, precatione solita, faciliusque de proximo sacrosanctis altaribus obsecundent, in suis laribus, domiciliisque constituti.*

De electione Pontificis Romani graviter suoque arbitrio decernit Honorius ut in Bonifacio ejus rescripti verba interserui.

Constantinopolitanum Patriarcham jura exæquant Romano, ita tamen ut sit ordine secundus, Romanusque primum nomen obtineat, neuter tamen sit alteri subjectus.

Leo Imperator statuit & citatur d. 14. *Ut liceat servum factum Sacerdotem inscio Domino retrahere*, simulque dicit, *oportere aliquem integro triennio versari in Monasterio, antequam fiat Monachus.* Quod utinam fuisset posteris temporibus observatum, minus profectò malorum accidisset, ex tam numerosa temerè in Monasteria præcipitatorum hominum turba.

Hinc licet animadvertere, quàm parum jura Cæsarea probent Pontificum tyrannidem, & quantopere illi status Ecclesiæ à Pontificio variaverit. Verùm de hoc capite aut materia, vide Orationem Molinæi Tubingæ editam, qui abunde

 ostendit.

ostendit, quomodo olim Papæ fuerint Cæsaribus, ac eorum legibus subjecti, sed postea contrà Pontifices suis juribus Cæsares simul, & leges sibi subjecerint.

CCCCXLIII. *Gobelinus Persona, Decanus Bilfeldensis.*

Testis adversus Legendas.

DOctor Gobelinus Decanus, in Bilfeld, scripsit Historiam titulo *Cosmodromium*, in quo cum multa alia notatu digna sunt, tum illud nô minimè, ubi ostendit, *Legendam*, vel *fabulam* potius *Catharinæ, merum commentum figmentumque esse. Talia sanè apparet & plurima alia esse, ut de Christophoro, Georgio*, &c. Vt non tantum illud verum sit, quod vulgo jam olim celebratum est, non multos Sanctos in cœlis invocare, quorum animæ in inferno crucientur, sed etiam, sicut Hieronymus affirmat, qui nunquam nati sunt, aut fuerunt. Verùm adscribam ipsius verba. Sed ego admiror multum, quare idem Eusebius factum prædictæ virginis Dorotheæ sic miratus, de beata Catharina virgine (cujus agonis certamina, si vera sunt, quæ de ea narrantur, apud Alexandriam eisdem temporibus acta constat, ac supra aliarum virginum agones meritò essent extollenda) nihil omnino scripsit, maximè cum eundem Eusebium eisdem temporibus in ipsis partibus ultramarinis constet extitisse: & intentionis suæ, in libro prædicto dicat esse, martyria suis temporibus recepta declarare. Quomodo etiam potuisset facta ipsius ignorasse, circa quam inter cætera tam excellens miraculum foret factum, quod corpus mortuum Angelico ductu per aëra ad locum remotum translatum sepeliretur. Nec solum miror Eusebium, verumetiam Hieronymum & Bedam, quorum uterque in partibus ultramarinis degens, magnam fecit diligentiam de passionibus Sanctorum perquirendis, & neuter eorum, Hieronymus in Calendario, Beda Martyrologio, mentionem facit de sancta Catharina. Imò libri antiqui apud nos, nec nomen Catharinæ in Calendario, nec officium Missæ in Sacramentario continent, & quod me maximè vertit in dubium, est istud, quod ubicunque de ejus passione quicquam legi vel audivi, Maxentium eam Alexandriæ occidisse inveni; quem nullam potestatem ibidem ex libris Authenticis & famosis tunc, constat habuisse, sed Romæ per totum tempus, quo tenuit imperium, seu tyrannidem, resedisse.

Ætat. 6. c. 25. p. 551. ed. Francof. 1599.

** Quæcunque toto hoc Opere (ita concludit Goulartius p. 943.) in medium prolata sunt, ad eum finem pertinent, ut pius Lector videat omnibus seculis à tempore Apostolorum repertos esse homines, veritatis amantes; præsertim autem ab eo tempore, quo Romani Pontifices Iniquitatis mysterium in Ecclesiâ Dei promoverunt, quamplurimos bonos & eruditos Politici & Ecclesiastici Ordinis Viros, huic Tyrannidi reclamasse, Pontifices ipsos variis argumentis se adversarios Christi ostendisse, in pejus profecisse, tandemque evasisse insanabiles.

**

*

INDEX RERUM ET VERBORUM

Ubi

Prior numerus Romanus ordinem Testium, posterior numerum Paginæ denotat.

A.

Abbas Græcus, *Testis Veritatis contra Papatum* CCCLXXVI. graviter in Concilio Basileensi Spirituales accusat pag. 812. Ecclesiam nisi reformetur perituram asserens, ib.

Abbas Joachim Calaber T. CCXVIII. Testatur Papam & ejus Sacrificos Antichristos esse, 601. ob quorum scelera Judæi & Ethnici à Conversione ad Christum absterrerentur, ibid. damnatus à Pontifice, defenditur à Luthero, ib. Repurgationem Ecclesiæ prædicit, ib. & 603.

Abbates Episcopis subjacent 616. sed eorum se obedientiæ multis modis eximunt, ibid.

Abbatiæ & Episcopatus, majora & electiora sunt Beneficia 245. 246. 247. Abbatiis incubant Cardinales 432. Abbatiæ Annatæ seu fructus vacantiæ primi anni, quanti circiter ? 246. 432. §. 73. Abbatiarum in Anglia Annatæ nunquam dicuntur solutæ 394. Abbatis ad taxam solvendam vacantiæ in curia Rom. violenta & captiosa obligatio 410.

Aberratio à vera doctrina Rom. Ecclesiæ Guilielmo Occam notata 750. Aberratio à veritate Jesu Christi totius populi Christiani 690.

Absolutio à solo Deo procedit authenticè, à Sacerdote ministerialiter, & sub conditione justitiæ 396. 775. &c. Absolutionis à juramentis, pactis, & obligationibus, jus sibi sumunt Legati, & Oratores Papæ 518.

Abusus Annatarum 492.

Abusus & frequentia juramentorum 656.

Abusus & tetri nævi Ecclesiæ ac Prælatorum 597. 598. &c. Abusus in Ecclesia contra Deum, & salutem animarum 112. Abusus Rom. Ecclesiæ multiplices à Reinerio Valdenses refutare conante enumerati 647. & seqq.

Accusatoribus suspectis, vel de domo inimicorum prodeuntibus, quæ fides habenda 57.

Acon & Tripolis amissæ 377. & cur? ib.

Adagia Nationum de sede Rom. 824. 825.

Adalbertus Gallus unà cum Claudio Scoto Legem cœlibatus, Primatum, & Imagines impugnant, contra Bonifacium Germaniæ quasi-Apostolum 87. 89.

Adalramus piissimus doctor, sedem Juvanensem regendam suscipit 170. Orhonem secundum Slavorum Episcopum instituit, ibid.

Adalvinus Juvanensis Archiepiscopus 170.

Adiaphororum in causa celebrationis Paschatis, jejuniorum, & id genus lumen: suboritur caligo Romæ, quam tandem in toto Occidente densæ exceperunt tenebræ 11 14. 15. 16. Adiaphororum nomine Rochenzani pars Hussitarum capitalia deserunt dogmata, & à Romanensibus ad Unionem admittuntur 717. salva Communione sub utraque, ib.

Adhortatio Friderici Imp. ad omnes Mundi Reges & Principes, ne obediant Papæ & Cardinalibus, eleemosynis pauperum impinguatis, recalcitrantibus 354.

Adhortatio ad Germaniam ut se à servitute in libertatem vindicet Papali 777.

Admonitio in genere exercenda 333. & quomodò obliget 810.

Admonet Huldericus Augustanus Ep. Nicolaum Pontificem de Lege cœlibatus tollenda 80. 81. & seqq. Bonifacius Germaniæ Apostolus Zachariam, de Paparum avaritia, simonia, & labefactatione Canonum 91. Carolus M. Ecclesiasticos omnes ad intemeratam Religionem & disciplinam 98.

Adolescentia Ecclesiæ sub Martyrio 674. 676.

Adoratio imaginum, sanctorum, & reliquiarum impugnata 32.

mania ad certum tempus contra Turcas solvendas & Romæ fideliter adservandas Principes & Servandas & Romæ fideliter adservandas Principes & status consensere 492. tandem vela complicantur, ib.

Annonius vel Aimonius CXLVIII. Benedictinus Monachus testatur Greg. P. III. seditionem filiorum contra Ludov. P. patrem juvisse 272. Synodum VIII Græcam & Adrianum P. contra orthodoxiam doctorum & antiquos Canones, imagines adorandas constituisse 274. Reges Francorum longè ante Carolum M. consules & Augustos dictos, 274. 275. non per Papam

Anonymus seu incertus author CCCII. carmine in Romam ludit 763.

Anonymi Commentaria in Apocalypsin CCCXXX. demonstrant Papam Antichristum 778.

Anonymi liber de Honestate Clericorum CCCLXXV. Cleri scelera & officii neglectum perstringens 811.

Anonymus CCCLXXXVIII. luposobservat, quibus spiritualibus fugam & exilia prædicit 822.

Anselmus Avelburgensis CCXLVI. Monahis adimit laudem perfectionis 629. confirmat eos Ecclesiam in varias sectas discerpere 630.

Anthonius Eremita Ægypt. CCCIII. contra reliquias ut vocant, sanctorum, duriter invectus: corpora humatorum exemplô Christi ad resurrectionis usque diem quiescere volens 32. 33. peregrinationes item improbavit, ib. Monachis regulam à se petentibus codicem Evangeliorum monsttavit, ibid. validos mendicantes damnavit 34. 818.

Anthonius Mancinellus Orator & Poëta CCCCXXII. dicitur contra Alexand. VI. Romæ in solenni Processione orationem habuisse in qua Paparum, totiusque Curiæ Rom. abominationes suis coloribus depinxit 841

Anthonius de Rosellis CCCLXXXIV. Papam non esse Dominum Mundi, ac ne quidem jus in Episcopos habere evincit 818.

Anthropomorphitarum hæresis, cognata conolatrarum 713.

Antichristi tot quot Christi doctrinæ contrarii 55. Antichristi nomen perversi est officii quod vel solo neglectu committitur 524. 525. Antichr. Magnus juxta sacram Paginam futurus qualis? 4. 5. quis præsens talis? qui nomen universalis usurpat Episcopi, Pelag. 62. Gregor. M, 66. 67. qui debilitato Regno Romano sub suo nomine Romanis libertatem restituit, Ambrosius 193. qui in sublimi Romæ solio veste purpureæ & aurea radiat &c. Roman. Synodus 574. contra Papam & ejus Ministros Spirituales respondent: Vetera quædam carmina Friderico II. Imp. non incognita 79. Sibylla 191. Hieronymus 591. Sigisbertus Gemblacensis, aut ex eo aliorum, Veterum scriptis & sermone Aventinus tyrannidem & divinitatis characterem errare non possum urgens 298. 299. 283. 352. 353. Rhytmicæ veteres cantilenæ 584 Honorius Augustodunensis Presbyter & Scholaster 591. Abbas Joachimus Calaber 602. Hagabalus Monachus 666. S. Bernardus 684. Wilhelmus Aurifex 691. Wilhelmus de S. Amore sententiam suam evolutis omnibus Scripturæ testimoniis 39. signis confirmans 692. Laurentius Anglicus Mag. Paris. multis itidem coacervatis signis ac testimoniis 694. Episcopus quidem Fluentinus seu Florentinus publicè concionando, Paschali P. II contra Ravennatem Ecclesiam armis rem gerente 606. Antichristum Papam, non Vicarium Christi esse, quod se supremum Episcopum citaret &c. assumpsit Joan. Vuicleph 725. porro contra Papam, ejus Spirituales Traditiones & Synagogam responderunt Gerochus Rechenbergensis Præsul 738. Gerardus Parmensis & Dulcinus Navarensis 741. Petrus Joannis Minorita 746. Nicolaus Oren è suggestu ipso Papæ & Cardinalibus præsentibus argumentô desolationis Imperii Rom. & unius fornicationis simoniacæ 755. Matthias Parisiensis 767. commentaria Anonymi in Apocalypsin 778. Vincentius Italus, junctâ historiâ Gregorii VII. non solum non legitimè sed à nemine electi 790. S Vincentius, ibid. Antichristum A. 1366. circiter infallibiliter appariturum seu magis appariturum eruit ex vaticinio quodam Arnoldus de villa nova apostasiæ Ecclesiæ Rom. jam suo tempore certus 377. 366. 690. cum verò apparuisse ipsissimumque Papam esse haud obscurè prodit Lux Mundi D. Veselus 821. Antichristum Papam, qui nec vitâ nec doctrinâ Christum retineat, plusque indulgentiis & traditionibus suis quàm Christi merito tribuat, nominavit & prædicavit Hier. Savanorola Dominicanus 825. J. Apocalypt. meretr. Apostas. Babyl. Bella, & similia.

Antiochenus Patriarcha Greg. M. Papæ, modestè id eo suscipiente, benedixit 671

Apolcalyptica Meretrix omnium tam spiritualium, quâm carnalium libidinum Mater 41. ebria de Sanguine virorum & de Sanguine Martyrum Christi, Mulier mollis, Sanguisuga &c. Cathedra Pestilentiæ 686. Mater omnium idololatriarum & Scortationum 746. It. Babylon.

Apollonius XXIII. scripsit contra Montanum, quòd leges jejunio circumscriberet. 23

Apologeticum Claudii Episcopi Taurinensis contra adorationem imaginum, & peregrinationes 129

Apologia Lud. IV. Imp. contra calumnias Joann. P. XXII. 709

Apologus Propheticus de Ecclesia Rom. Joannis de Rupescissa 566

Apophthegma Hugonis Cardinalis de 2. Diaboli filiabus Avaritia & Luxu Clero nuptis 601

Apophthegma Richardi Regis Angliæ tres filias Superb. Avarit. & Luxuriam Ecclesiasticis in thorum dantis 523

Apostasiæ sedis Apostol. Rom. per Joan. de Rupescissa demonstratæ, ipsi Sedi Apostol. in Scriptis communicatæ & lectæ, materia & signa 358. usque 376. Apostasia à Paulo prædicta Romæ Papæ & Cardinalibus explicata per Nicolaum Orem 755. Apostasia Ecclesiæ Rom. à fide Christiana aperta, quæ alioqui per multa tempora jam occultè apostataverat, à S. Mechtilde prædicta 774. Apostasia non Apostolicorum in Ecclesia Principum 799. 800

Apostatarum furiæ, Christianum nec quidquam terrere debent, ut vel parum à mandato Christi deflectat 26

Apostatæ ex capite Morum & ruptæ Disciplinæ, Liberius & Anastasius Papæ 311. 308

Apostoli & Responsio data per Nationem Gallicanam DD. Cardinalibus &c. Appellantibus ab ejusdem conclusione, voto, deliberatione, ac declaratione Constantiæ captis & factis, solenniter per eandem, quod Vacantiæ ac minuta servitia nullo jure sint debita, & de cætero nihil solvant CCCLXXV. 392

Apostolicus quis? 132. Apostolus voluit serviri Regibus; voluit honorari & non conculcari Reges 139

Apostoli re & verbis libertatem in universum conjugij asseruere 29

Apparitiones mortuorum imposturæ Satanæ, Milevitanæ Synodo 34. Apparitionis D. Virginis falsæ per Dominicanos Monachos Bernæ procuratio 845

Appellatio, quia defensio juris est naturalis, quod nullus Princeps, nullus Papa potest auferre 436. 437

Appellationis beneficium non effugia & impunitatem quærentibus, sed gravamen allegantibus servit 331. 333. 334 Appellationes ad Curiam Rom. Disciplinam solvunt, & Ordines seu Statum confundunt 152. Ideoque in Gallia contra Adrianum P fortiter retusæ 134. eædem Appellationes Canoni Milevitano, causas in Provinciis, ubi ortæ, finiri volēti, adversantur 618. vetitæ jure Cæsareo, unicuique Provinciæ Clerum sine ulla ulteriore provocatione Patriarchæ subjiciente 181. famæ nocent Prælatorum & Episcoporum 613

Appellatio Vniversitatis Parisiensis ad generale Concilium, contra Leonem X. A. 1517. in causa solutionis Annatarum CLXXX. ubi varii simul abusus Curiæ Romæ & Simoniaca abyssus in imis latuenda aperitur 436 & seqq.

Appellatio in causa fidei à Papa omnino admitti debet; eò quòd constet eum peccare, & ab officio deviare 436. 780

Appellationes ne à Papa fierent primus Impius II. lege lata voluit 805

Appellatio ad Sedem Rom. tantum in causa rigidioris Disciplinæ obtinet locum quoad corruptam doctrinam Evangelicam carceribus & exiliis &c. denegatur 367. 368

Apuliæ & Siciliæ Archiepiscopi & Episcopi Regi quam Pontifici obedientiores 545

Aquilegia Histriæ Patriarchatus olim fuit 61. Aquilegiensis, Ravennas & Mediolanensis Ecclesiæ quotannis Primatui Rom. restiterunt 22. Aquilegiensis Synodus Sergio P. contraria, *ibid.*

Archiepiscopi quàm nefandum in modum à Capitulis ad inordinatas Collationes & impunitatem sese conduci patiantur 489. 490. 494. 514.

Aristoteles jussu Frid. II. Imp. in Latium translatus 347 lectus in Templis 193 è suggestu magis prædicatus quàm Christus 825

Archipresbyteri qualium officialium Principales? 503.

Arma Christiani nominis adversariis adferentes, Romæ facilè absolvuntur. 615

Arnoldus Episcopus Brixiensis CCIX. usurpationem juris gladii, & civilem administrationem in Clero damnat 381

Arnoldus de nova Villa Hispanus CCLXIV. Scripsit de spurcitiis Pseudoreligiosorum 690. statuit, quod diabolus totum populum Christianum fecerit aberrare à Veritate Jesu Christi, *ibid.* Ejus & Friderici Regis sc. collocutio de Moribus Christianorum spiritualium maximè, sedi Apostol. lecta & communicata 358. *& seqq* Ejus ad Jacobum Arragoniæ Regem Frid. fratrem, in causa procurandæ Reformationis Ecclesiæ Legatio 372. 374. Ejusdem Arnoldi Breviloquium in vaticinium quoddam de 12. Oneribus Urbis 376. Ubi de causis amissæ Terræ S. & adventu Antichristi 377

Arnoldus Noricorum Dux, qualis? 175

Arnon Juvanensis in Norico seu Bavar. Episcopus 169. Archiepiscopus factus jussu Caroli Imp. non Pontificis M. ulteriores Slavos convertit 169. Redux ab Imperatore Theodorum Slavorum Episcopum consecrandum accipit, consecratum cum Geroldo Comite introducit, *ibid.* & 170. *conf.* 164. 165.

Arnon Saltzburg. Episcopus severam à Lud. P. Epistolam, & Testes, Reformationem Cleri volentes, accipit 117

Arnulphus Aurelianensis Episcopus CCIII. 571. Præses Remensis Synodi, totum Concilium Africanum, Primatum deturbans, Actis Remens. Synodalibus inseruit 573

Arnulphus Lugdun. Archiepiscopus CCVIII. Prædicator divinitus excitatus, & Romam contra Cardinalium & Cleri fastum, avaritiam, &c. missus 580

Arnulphus CXCVIII. & Nicolaus Cusanus rationem assignant Communionis sub una, quod Ecclesia Rom non ardeat, nec caleat, sed tantum tepeat 549. 550

Arragoniæ Rex Jacobus de genuino Catholicismo reducendæ veritatis Evangelicæ solicitus 358. 374

Arresta & impedimenta Ecclesiarum iniqua 512

Arrestum Curiæ Parlamenti Parisiensis super Annatis non solvendis CLXXVII. 412. *& seqq.*

Arrianismi lapsus Leonis Papæ I. 35. 36

Arrogantia Pontificum adversus Galliæ Regnum in causa Annatarum 440. 700. Artes stabiliendæ sedis Romanæ. Excommunicatio, Indulgentiæ, Bellorum semina Nicol. Machiavello observatæ 828. Primatus fascinatio 618 Bonorum Ecclesiasticorum invasio, *ibid.* & Beneficiorum corruptio, si quis sapientior contradiceret 840. *Vid. Alb. Roxiat.*

Articuli
- Basil. Concilii 799. v. Concil. B.
- Johann. P. XXII. contra Mendicantes 723. v. Monach.
- Joann. de Wesalia 818. V. J. de W.
- Gochii 822. V. J. G.
- Stephani Bruliferi 822. V. St. B.
- Valdensium 633. V. Vald. &c.

Artololatria Ulmæ castigata 766

Asiatici ob diversitatem celebrationis Paschatis à Victore excommunicati, invidi perstant in more recepto, ac mox restituuntur 13. 14

Asini Pœnitentiarius CCCXIII. 764

Assentatores Papæ, Libertatis Christianæ, in qua unica spes fluctuantis Catholicismi, pessundatores 851

Asyla non sunt Templa contra justitiam 95. 614

Attalus Martyr XXIV. jejunia nullis legibus circumscribenda adstruit 23

Avari seu Hunni 293

Avaræ postulationes Papæ 536. Avaritia Episcoporum 88. Cleri & Sacerdotum 196. 558. Monachorum spolia hæredum à Concilio Catilon. restituere jussorum 105

Aucupia Clericorum 113. 233

Auditores possunt & debent judicare de doctrina suorum Prælatorum, nec temere quid pro pro suscipere 821

Aventini memoria Antichristi 293. 298. 299. 352. Ejusque luculenta inprimis notatio 353

Augustinus CXX. dolet, Ecclesiam ita humanis traditionibus obrui, ut Judæorum conditio melior fuerit 187. In Pelagio liberum arbitrium Papistarum refutavit 188. Pro authoritate S. scripturæ unicè pugnavit, *ibid.* de Eucharistia; de gratuita Justificatione; ciborum delectu, ibid. de non unius generis morbis Sacerdotum 191

Augustinus Gregorii, P. I. in Britannia Legatus qualis? 78

Avinio-

Avinioна 240.568.569.
Avisamenta 450 467.469 471.795
Authentica Synodorum Acta 42.45
Authoritas Cæsaris in Monachos, Clerum, Prælatos, Papam 97.118, 853. Regum Franciæ 134. 139.
Authoritas Petri tanquam cæteris Apostolis superioris incognita 4. Authoritas Papæ ad Nicænam usque synodum præ aliis insigniorum Episcoporum urbium, exigua aut nulla 42. 802.805. Authoritas Papæ & Conciliorum, tanta non est, ut quidquam quod à Deo præceptum non est, injungere queant 823. Authoritas Conciliorum major Papæ 55.575. Authoritas Papæ & Conciliorum minor est authoritate scripturæ 612.780.803. authoritas unius hominis, etiam scripturæ sententis contra Papam & Concilium quanta? 708.803
Azyma 622.623

B.

Babenbergensis Episcopus Simoniacus ab Alex. P. II. muneribus corrupto, Pallio pro benedictione donatur 319
Babenbergensium Episcoporum vita CCLXII. 688
Babylon mystica non corporea, nidus nasciturі Antichristi 826 Babylon mystica, damnata Civitas Roma 591. Babylonica meretrix poculum habens aureum 686. mirabiliter inebrians Sacerdotes & Clericos, *ibid.*
Babylon Roma, Papa Antichristus 691. Babylonicæ Meretricis designatio Papæ instar Capitolii seu Arcis 744. Babylonia Roma, mater flagitiorum 746. Babylonica Meretrix mali Principes Ecclesiastici à diabolo per Epistolam declarati 799. 800. Babylonis monstrum titulus contra Schisma illud longissimum edicti à Johanne Purvæo Anglo 778
Balaam 146
Balduinus Imperator Constantinipol. CCXXXI. rescripsit Innocentio Papæ III. meminisse eum debere, quod non dominus Imperatoris, sed subditus esset 606
Baliviæ ac domus Ordini militari Teutonicorum in Apulia & Sicilia vi doloque ereptæ, & Cardinalibus, Archiepiscopis, Italis, Germanis exclusis, collatæ 497
Banni onus 495
Baptismus aquæ fluviatilis & consecratæ 8
Baptismus veterum fluvialis absque Chrismate 17
Baptismus alter Thomæ Cucullus 41 Hæreticorum excommunicatorum 310, 311. Campanarum ad pellendum dæmones & tempestates 501. Baptismus disputatus occasione Valdensium 649
Baptista Platina CCCLXXXI. de avaritia & libidine Sacerdotum 816
Baptista Mantuanus Monachus Carthusianus CCCCV. contra Synodos 830. Proque Libertate Conjugii Sacerdotum 815
Bardas Imperator 198
Basilius Imp. quis? 198. velificatur Primatui Adriani P. II *ibid* & *seqq*. 203. & *seqq*
Basilius Magnus reprehenditur ob Monasticen, novaque pietatis genera ab Episcopo suo & Ecclesia Neocæsariensi 37. ipse miratur diffidia Episcoporum, *ibid.*
Basileensis Episcopus CCCC. de concubinis Sacerdotum 827
Basileensis Sixti P. Legato non obedientes excommunicantur 834. vitari non nitentur ab Imp. *ibid.*
Basileense Concilium 797
Basileensis Concilii tempore, deliberationes Principum Germaniæ in causa gravaminum contra Pontificem, Moguntiæ in publico conventu CLXXXII. 456
Battologiæ & boatus 810
Bavarorum origo 173
Bavarorum Caranthanorum, aliorumq; Sclavorum conversio CXI. 164. 165. & *seqq.*
Bajoniorum Comites à Carolo Imper. instituti, eorundemque Duces 170. 171. negant Censum Imperio 174.
Bavariæ Episcoporum Epistola ad Ioann. VIII. CXXXV 212
Bavariæ sub Leone VII. Episcopi locupletibus assentantes, ambitioni litantes 232

Bedricus CCCLXXIV. uxore ducta Libertatem conjugii Sacerdotum re tutatur 811

Belgici Episcopi contra Nicolaum Papam XCIV. Beneficiorum lationem, non Pontificem, sed Tyrannum vocant 108. Sedem ei Babylonem tribuentes 109

Bella pleraque à Sacrificulis 500. retro annis excitata 90. Bella in Italia unde? & à quo tempore? 828. Bellorum concitatio unguis Antichristi 287. Bellorum concitatio unguis Antichristi 287. Bellorum omniumque calamitatum causæ 564. Bellorum flabrum Spirituales 844. Bella seminantes Romulei, Satanæ & Antichristi Satrapæ 624

Benedicti Pontifices Benedictus V. P. dum rudis literarum Sedem invadit, alterum secum consecrari facit 252. 297. depositus & in Saxoniam deportatus post mortem vanissimè pro Sancto colitur 229, 230. Benedictus IX. Magus mulieres in sylvis & montibus post se currere faciens 312. cui coronam Imperii miserit? 313. quanti Pontificatum vendiderit? 314. suffocatus à diabolo 313

Benedictus Papa XI. propter Privilegia Monachis data non laudatur 768

Benedictus XII. Imper. Orbis, vicarios Imperii contra Ludovicum Bav. constituit 236

Benedictus P. XII. T. CCXLVIII. Cardinalium rapacitatem vituperavit 663. quid idem de Clericis & Monachis judicaverit, *ibid.*

Benedicti Pap. Apostasia Sedis Rom. divinitus denunciatur 366

Benedictus P. XII. pro innocentia Ludovici Bav. Imp. contra Joann. P. XXII. 707

Beneficia seu Sacerdotia majora & electiva 218. 245, 427. Minora & Collativa 2,6. 451. 452. Beneficiorum pluralitatis pestifera inventio 612. quàm execrabilis 438. 467. 468. 478. 613. 840

Beneficia tribuuntur Lenonibus 686. Beneficium Cardinali collatum hæreditarium 450. Beneficiorum Collatio penes quem 452. Beneficiorum non necessariæ confirmationes 499. Beneficiorum inordinatè oblatorum grande præjudicium 466. Beneficiorum Collationes sub prætextu familiaritatis Papalis impugnatio 486.

Beneficia curata & non curata, quò ex Germania translata? 488. qualibus conferantur? 489. Beneficiorum nundinatio 489

Benno Cardinalis CLVII. de vita & gestis Hildebrandi, nec non de Benedicto IX. aliisque 302. 303. 304. & *seqq*

Berengarius & Adelbertus in Italia tumultuantes 222. Berengarii hæretici quid oscinati? 286. eorum discipulus Hildebrandus P. *ibid.* & 305. 324

Berna urbs Helvetiæ testis facti detestandi 4. Primariorum Monachorum Prædicatorii Ordinis seu Dominicanorum CCCCXXIX. 845

Bernhardus Abbas Clarevallensis CCVII. queritur Prælatos factos esse Pilatos 579. Moriturus vitam suam perditam confessus, *ibid.*

Bernardus Cluniacensis CCXX. carmine insectatur dactylico multiplicia Cleri flagitia 593

Bernardus Monachus in Kremb monstrat originem Bavarorum sub Frid. Imper. 173

Bernardus Lublinensis CCCXCVIII. 826. & CCCCXXXVIII. 850. quid de inventis hominum statuerit 851, nihil pertinaciter approbavit præter fidem Christi 852.

Bernardus Westrodi CCXXXIV. scripsit rhythmicè contra Clerum 608.

Bernerus & Orbellus CCCCXLV pro libertate pugnarunt Conjugii Sacerdotum 848

Beseritæ LXXXVIII. imagines adorare spreverunt 86

Bestiæ Sedes, tentorii, thalamus, in Cardinalibus, Monialibus singulatim expressa 591

Bethlehemitici fratres stella rubentes in pectore crinita 541

Biblia in Saxonicam Linguam transportata 126. Gallica Waldensium 631. 641. Caroli Sap. V. Regis 703

Blasphemia satisfactionum pro pœnis temporalibus 829. de conjugio tanquam statu carnali 50

Bohemi ad Christum conversi 245. Bohemiæ Ecclesiarum à Rom. Sede discessio 558

Bohemiæ Secta perniciosa plures habens Fautores quàm Adversarios 562

Bona Clericorum stabilia Norimbergæ 761

Bona Laicorum ad Ecclesiasticorum perveniunt manus, non vice versa 498. Bona Laicorum certis

tis conditionibus alienata ab Ecclesiasticis subjugantur 499
Bona Laicis Spiritualium ab intestato intercipiuntur 498
Bona Ecclesiastica Feuda, Eleemosynæ &c. 248. 475-477. 490. 547. 787. alicubi in Gallia antiqua consuetudine Testamentis Prælatorum trasferuntur, ab intestatore ad hæredes devolvuntur 697. Eorum legitimus usus 94. 95. 475. 614. 697. Eorum multiplex abusus 23. 490. 491. 589. 600. 601. 787. 821. Bonis Ecclesiasticis pro libidine utentes, quæ divina vindicta maneat? 561. 562. & *seqq.* 557. & *seqq.*
Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum 188, non justificant 625. 626. *conf.* Justific.
Bonifacius P. I. LII. 50. in Schismate electus Imperiali authoritate urbe ejicitur 51. Ejus lugubris & subjectionis plena ad Honorium Imp. Epistola, *ibid.*
Bonifacii P. IV. cum Phoca congressus. Bonifacius P. VIII ad Philippum Pulchrum Regem Galliæ & vice versa contra Primatum 843. Bonifacius P. cunctos mortales nequitiâ superans 574. Bonifacius IX. Philippum Pulchr. Galliæ Regem in causa exactionum nulliter excommunicat 702. Ei objicitur hæresis & sedis invasio, *ibid.* Eidem Sedis suæ Apostasia divinitus intimatur 366. Proditus, spoliatus, subitò mortuus 703
Bonifacius Germanorum Apostolus LXXXIV Ejus tempore oblationes improbavit 90. nec spiritualem cognationem assequi potuit, parvique fecit 76. 92. Zachariam Papam quid monuerit? 91. 92. Cætera Malefacius potius & Antichristianismi Pseudoapostolus, quàm Germaniæ Apostolus dicendus 87. 89. 90
Brancaleus Senator Rom. Malleus superborum, Cardinalium affines suspendit 542. 544. 545
Bremenses & Hamburg. quem pro Sancto coluerint? 229
S. Brigitta CCCXXIV. 773. Papam vocat animarum interfectorem, deteriorem Lucifero 774. D. Brigittæ tribuitur Prophetia: Gallorum Levitas 88
Brixia Cisalpina Galliæ Civitas CCLVIII. sumptus funebres contra Vespillonum, Cleri & Monachorum rapacitatem temperavit 682
Bulgari ad Christianismum conversi CXXXII 203. Romanæ primum sedi accedunt 207. sed mox jugum excutiunt, *ibid.*
Bulla Johannis XXII. contra Ludov. Imperat 708

C

Cæsar fons Jurisdictionis, à quo rivulos suos duxere Papa & Prælati 768. 788
Cæsaris est Jus Patronatus super Papam & Ecclesiam Rom. 777. Cæsaris est Concilium cogere præsertim in Ecclesiæ Reive publicæ periculo 125. 344. Cæsar ipse præsidet Concilio 101. 721. Cæsar Concilio significat, ne se absente quidquam definiat 797. Cæsaris Legati Concilio interloquuntur 45. Cæsaris Potestas in Papam sine Principali authoritate 195. Cæsari Papæ & omnes Prælati subditi 121 & *seqq.* 606. 678. 788. 853. & seqq. Cæsares quos timendos habuerint 472
Cæsares infelices ob Paparum tyrannidem ex Platina & aliis CXLIX. 175. 176. 177. & *seqq.*
Cæsar Exemptionem Spiritualium potest revocare 768. 788. ob abusum & ingratitudinem 718. 719
Calamitatum publicarum causæ quæ? 564. Procatarcticæ Spirituales 69. 164. 718
Calcei utrinque cornuti reassumendi quid boni portenderint 844
Calisto P. subjicitur Germania in divinis & humanis 464
Calixtus P CLXV. quid ei conjugium Sacerdotibus eripere conanti objectum sit 334.
Calumniatores Ecclesiastici 36. 37. 386. 838
Cameræ Pontificiæ libri falsariis patent 395. Cameræ Papalis reditus in quibus consistant 434. 447. 450. 529 Cameræ Papalis reditus ex Gallia 404
Campanæ novum inventum exigui usus 177. earum Christianismus seu Baptismus 51. 501
Cancellariæ Papalis novæ technæ super reservatis 487
Candelæ vel cereæ interdiu in templis 28. 29. 32
Canonũ labefactatio 91. Canones sublati, Patrum Scripta rejecta, Evangelium suppressum 588. Canones Ecclesiasticam disciplinam continent 436 Canonum & LL. Sacrarum par ratio, par au-

authoritas 144. 145 Canonici libri in Ecclesia legendi, non Aristotelis 193.
Cantus in Ecclesia Rom. serotinus usus tempore primum Damasi 49. 285
Cantus & Liturgia, Rom. Monachis observanda, non reliquis Sacerdotibus 94. Cantui plus æquo vacat Ecclesia Rom. 68 queritur 810
Cantilenæ veteres rhythmicæ CCXIII. de gratuita justitia 584 & Principe Babylonis in Templo sedente Salomonis 585
Cantionum aliqua pro Monachis initia à Basilio M. 37. Cantus per artem unum annum, per usum sexennium requirens ut adducatur 597. ignorantiam fovet Clericorum 598
Capitulorum turpia pacta 514. 489 490
Capitulares seu Decreta Caroli M. & Ludovici 93 95
Capita infantum quot vivario Greg. M inventa 68. 82
Captivitas Babylonica seu gemitus & angustiæ piorum Doctorum sub Papatu 832. 833
Cardinalium origo 403. 777. 810. 828. Abbatiis incubant 432. Annatis innatant 393. in absentia ipsorum Parentes & affines suspenduntur 544. ipsis Avinionæ Apocalypsis & Daniel explicatur 567. *& seqq.* Romæ itidem divinitus vir eò missus concionatur 580. Eorum luxus, summa injustitia & rapacitas 587. 588 663. citantur duo ad Tribunal Dei, & comparent, *ibid.* Bestiæ in illis imago atque ipsa sedes inventu haud difficilis 591. ipsorum pestifera adinventio est pluralitas Beneficiorum 613. quorum aliqui 200. aliqui 300. tenent 579. quot & quales Cardinales esse debent? 481. Cardinalium omniumque Spiritualium turpis sceleratáque vita & officii neglectio gravissimè accusata 825
Cardinalis Portuensis CCLXXII. 706
Carmina Vetera LXXVI de Antichristo Romano 79
Caronth 167. 175 176
Carniæ Archiepiscopus 834
Carnis esus 7. 791
Caroli Marcelli mater 250. 295
Carolus à quo Rex Galliæ factus? 87. invitatur à Subdolo Papa contra Socerum Desiderium in Italiam 121. quibus conditionibus Romam acceperit? 120. 123. 237. Salutatur à Populo Rom. Imperator, perque manus Leonis P. coronatur 244
Carolus M. LXXVI statuas adorandas multa in his suo arbitrio decrevit 93. & geniculationem ante eas prohibuit 96. 97. ejus Edictū de Reformatione Ecclesiæ & disciplinæ Christianæ 97 *& seqq.*
Carolus Calvus CXXXIV. se & Concilium suum Rom. Ecclesiæ in honorem Petri subjicit 211
Carolus Calvus Galliæ Rex à Papa contra Ludovici II. successorem in Italiam pellicitur 125. Papam & Romanos à Jure Regio absolvit 126. contra Ravennatem Ecclesiam rescribit 211
Carolus quidam de Servitute Regni sui contra Papam queritur 96
Carolus IV. Imp. CCLXXV. Moguntinum Clerum reformans 716. 717
Carolus Rex Galliæ, M. Nepos CVII. & Synodus apud Duziacum contra utrumque Papæ Primatum 134. 148. *& seqq.*
Carolus V. aut Sapiens, Rex Galliæ CCLXXI. ejus jussu somnium Viridarii adversus Pontificis in Spiritualibus & Secularibus imaginariam Jurisdictionem editur 703. &c
Carolus VI. CCLXX Edictum promulgat super libertate Ecclesiarum Galliæ, contra Annatas aliasque Exactiones Papæ 696. &c.
Caroli VII. Regis Galliæ mandatum pro observatione Concilii Basileensis 439
Carthusianorum Prior ad Emericum Sedis Apostolicæ Cancellarium CCCCII. 828
Castitas Conjugum 40. Castitas corporis ab animo constuprato distincta 83
Castitas Ecclesiæ seu Cleri Rom. ab omni servitute seculari seu Jurisdictione immunis 522. 525. 530
Casus reservati 483. 484 543
S. Catharina Senensis CCXIV. Reforationem summo cum animi gaudio & Ecclesiæ congratulatione prædixit 765. 766
Cathedra pestilentiæ complexim pro omni Prælatura 686
Catholicismus, si doctrina vel traditio universi orbis conveniat Ecclesiæ 103. nullo antiquorum Patrum, multo minus Scriptura contradicente, *ib.*
Catholicismus Bohemis quoad Principalem partem, Fidem nempe à Græcis, agnitus contra Romanos novatores 728. usque 732. Acatholicismi Ecclesiæ Rom. tabella ab Episcopo & Refedario Papæ proposita 801
Causa inter alia Rom. Ecclesiæ tribulationis 243
Censura Gregorii P I. Contra Paulum Diadinæ Civitatis Episcopum facultatum Ecclesiæ dilapidatorem 143

Censura in Pontificem Prælatosque per Propheticum Spiritum Elisabethæ 592
Censura Episcopi Verdunensis in Hildebrandum 325. Episcopi Trevirensis in eundem, ibid.
Censuræ propter Annatas non solutas, non timendæ 396. 397. It. Excommunicat.
Census pro Capite Generalis & Spiritualium decimæ totius Latinæ Ecclesiæ à Greg. X. & Cur? 449. Census animus concubinariorum & fornicatorum 683. 687
Ceremoniarum instauratores judaizantes, scissum velum reparantes 607
Ceremoniis purior Christianismus fucatus 22. Ceremoniarum in Ecclesia Similitudo optanda, non ceu necessaria exprobranda 68
Certamen Synodi VI. Carthag. & 3. Ordin. Paparum de potestate Episcopi Rom. 42. 45. certamen Hincmari Remens. Archiepiscopi pro authoritate Regia & disciplina Ecclesiastica contra Papam 136. 139. 148. 150. 162. Certamen Prælatorum Gallicorũ & Universitatis Parisiensis cum Monachis Mendicantibus & Prædicantibus 692. 694
Charentani, gens Sclavorum, quomodo ad fidem conversi 167. Charentanorum Episcopi & Duces 175. 176
Charitas Petri reprehensionem coram ferentis 138
Chrisma ex Baptismo sublatum 715. Chrisma seculo secundo non in usu 17
Christus Petri inscitiã & cupiditatem graviter repellit 2. Pro capite hominis, quo nostri causa erat indutus tributũ solvit 161. solus vere fieri potuit Rex & Sacerdos; post ejus Ascensionẽ, nemo 163. cur pro nobis pauperfactus, fameq; pertulerit 575 adest suæ Ecclesiæ perpetuò 757. ejus doctrina neglecta, & ferme penitus abolita 774, Christi dictum, quid mihi & tibi mulier, explicatum 30. similiter, tibi dabo claves 141. 146. 184. 190. Christus somno suo in periclitante nave quid significare voluerit 1, eum multi negant tacendo, scientes veritatem & justitiam Dei detinentes 769
Christiani esse & salvari possunt absque Papa 46. Christianorum maximè Sacerdotum arma 321. Christianæ Libertati traditiunculæ cœlibatus jejuniorum non præjudicant 10. Christiani de temporali ratione status magis quam cœlesti mansione solliciti, periclitantur de utroque 372. 373. ob profanissimos mores, & deviationem etiam à Fide Terrâ Sanctâ exciderunt 377. quâ nondum recuperata quasi in captivitate degunt Babylonica 378. Christiani falsi Judæis detestabiliores, usurarii Papæ 536. Christianorum adversus Christum conjuratio, illorum inprimis, qui Primatum tenent 579. Christianorum corrupti mores profluunt ex neglectu officii, ex turpitudine Spiritualium 69 164. 718. de Erroribus Christianorum Liber 817. Christianus admonens 820. pravis resistens 821
Christianismus in Judaismum & Pharisaismum degeneravit 822
Christi fideles Laici vulgò dicti Spiritualium ludibrium 764. 765. Christi fidelium vulgò Laic. causa Gravaminum actione ficta contra veras Spiritualium injurias coram Papa quasi agitata, & quo eventu? 838 Christi fideles tantum Laicos dici in suppresso Sanctorum illuminatorum nomine, unguis Antichristi 763. uni fideli privato, si meliorem Scripturæ authoritatem aut rationem habeat, plus credendum, quàm toti Concilio 708. 803. Judicio pollentes intersint Concilio 804. Christi fidelis pii & viri docti sententiam, quin, & excommunicationem pluris faciendam quàm Papæ, declaratur 821. Christi fideli simplici rustico & aniculæ quando contra Pontificem & mille Episcopos credendum? 830
Christianus & Henricus Archiepiscopi Moguntini cur à Papa depositi 577. 578
Chrysostomus CXXIII. duriter reprehendit Evangelii de collo suspensionem 192. de utroque Papæ gladio, de Primatu & contra imagines 192
Ciborum usus 8. ciborum obtrusa abstinentia doctrina dæmoniorum 24. Ciborum moderari usum pro necessitate & tempore propriè Christianorum est 185
Ciconiarum nuptialis castitas 600
Cisternenses Monachi decimationem contra Saracenos 1640. Marcis puri argenti à Papa redimentes 449
Citatio Hildebrandinorum Schismaticorum & Hæreticorum ad Audientiam per Synodum Brixiensem 284. non comparent 285. citationis legitimæ requisita 712. citatio Joann. P. XII. ad se purgandum ad Concil 227. Citatio 2. Cardinalium ad Tribunal Dei 578
Claudius Altisidiorensis seu Clemens Scotus LXXX. oppugnavit potissimum coactum Cœlibatum, Primatũ, reliquiarum & imaginum cultũ aliasq; imposturas 87 *Clem-*

Claudius Taurinensis Episcopus in Italia, CIII. pugnavit acriter voce & scriptis contra adorationem imaginum, crucis, reliquiarum, Invocationem Sanctorum, Peregrinationes, Primatum 129. à Papa tandem damnatus 104

Claustrales extra caritatem 690

Clemens Alexandrinus XVII. Sacrificium Christiani hominis vocat preces, altare piam animam 19. Petro Jacobum Justum & Johannem exæquat, ut tamen Jacobus omnibus Apostolis ordine habitus prior & superior 20

Clemens Episcopus Rom. V. in ejus suppofititiis Epistolis primatus ordinis non Petro sed Jacobo Justo tribuitur 8

Clementes Pontifices: Clemens V. cum Cardinalibus Lugduni in Galliis 357

Clementi P. Rex Angliæ Eduardus in eligendo turbatus resistit 570. &c. Clementi VI. Ecclesiam Rom. Babylonicam esse meretricem in faciem concionatur Hayabalus Monachus; accusatus quòd sic passim concionatus fuisset 666. ejus inflata Jubilæi & Indulgentiarum Bulla à Schola Parisiensi publico Scripto proteritur 770

Clementis VII. P. CCCXLVIII. Similis Bulla ab ead. Parisiensi universitate adhibitis tubis & Campanis exploditur 791. Clementis VII. jussu Concilium Viennense celebraturi, Gv. Durandus Refotmationem scribit 610. &c.

Clerus Rom. innocentium virorum ab antiquo persecutor; Tertulliani 24. Hieronymi 186. Clerus Rom. Cæsaribus perjurus & rebellis 120. Clerus Rom vituli Bethel, idola Ægypti, Sacerdotes Baal, pingues Samariæ 584. Clericorum Epicurea vita & neglectio officii 606. Clerici & religiosi pauci vel nulli boni 563. nulli vel pauci promotionibus & gradibus digni, *ibid.* Clericorum ditescendi studium & disciplinæ excussio 56. Luxus, fastus, libidines 75 601. 688. rapinæ 59 immania scelera 58. 59. 318 337. 591. &c. inscitia, ignavia 827. Cleri corruptus status 76. impura & scandalosa vita 77. 771 828. subest de Jure Magist. polit. 78. 718. Clericorum cœlibatus 83. eorum fornicationes, stupra, adulteria, incestus, Sodomiæ 79. 81. 83. 683. immunda femoralia 88. Clerici donationes in damnum hæredum ne accipiant 94. nulla arma ferunto 90. cauponas evitent, *ibid.* Eorum luxus & licentia à Carolo M. coercita 95. 96 Clerici jure Saxonum ab adeunda hæreditate exclusi 110

Clericorum commune refectorium & dormitorium 113. Clericus ne veritas occultetur, testimonium dicere non detrectet 113. Clerici non fœnerent 113 233. Clericorum regulæ à Lud. P. 117. Clericis æquale pondus & mensura panis sit & potus 119. Clericus ex inope dives, ex ignobili gloriosus, pestis 198. citius porrigunt panem canibus, quàm pauperibus 337. Clerici, Episcopi, Abbates, quoad Spiritualia vita steriles, in ceremoniis & officiis illusores 359 Clericorum abominabile monstrum 609. Clerici Monachi, Abbates, Prælati, Episcopi, Papæ, reformati 610. *usque* 621. Clerici evagantes 614. venantes *ibid.* Clerici peioris vitæ quàm Laici 618. Clerici universo populo Christiano pessimo Exemplo, de eleemosynis Regibus lautius convivantes 620. Clerici viros doctos ac Catholicos monitores, pro fantasticis & pacis turbatoribus habent 683. 681 Clerici quod delectat eligunt, quod molestum est respuunt 684. Clericorum conversatio quàm periculosa? 685. Clericorum Luxuriæ, Simoniæ, maxima mala, imo hæresis & perfidia, quasi jam peccata non reputantur 685. Clerici quàm indocti 687. Clerici divinam sapientiam in aliam pravam & vanam converterunt 774. Clericis multi Imperatores ea dedere Privilegia, quæ Laicos prorsus pessundant 763. Clericorum non reformatorum effectus 812

Cleri fletus CCCL in corruptissimum Spiritualium statum 801

Cleri Rom. erga Sanctos Viros non obliteranda malitia, Paulinum 197. Arnulphum 580. per Principes eleemosynis pauperum impinguati recalcitrantis 354. ei graves pœnas imminere à muliere quadam prædicitur 199. Clerico vel Sacerdote malo nulla in mundo crudelior bestia 683 Clerici ægerrimè pœnitentiam agunt: erubescunt enim judicari, qui semper fuerunt judices 192. eorum impudentiæ & malitiæ causa superiorum collusio ac rata impunitas 493. 514. 516

Clodoveus Franc. Rex Consul & Augustus ab Anastasio Imp. salutatus 275. eo contra Alaricum Engolismæ Urbi appropinquante, murus sponte ruit 274. dictus alias Litavicus M. 566

Cœlestinus P. I. CXVI. invitis auditoribus nullus

do-

doctor obtrudendus 181. monastici habitus superstitionem reprehendit, *ibid.* gratiam Christi multum prædicavit, *ibid.*

Cœlestinus P. Nicænæ Actorum Synodi falsarius 42. 44. 46

Cœlibi vitæ connubium in convivio amatorio æquiparatum 741. cœlibatus Lex generaliter concubinarios & clandestinos conjuges dedit 665. causa de infirmitate labentium, quæque hinc sequuntur 68. 79. 80. 82. 554. 555. 556. Infanticid. vindict. dejecto matrimonio statutum concubinatus fecit vigere 558. Prima Ecclesiæ Græcæ à Latina segregationis occasio, *ibid.* ejus vanissima affertur ratio, ne bona Eccl. dilapidentur 62. cœlibatus legis relaxandæ necessitas propter infirmiores 804

Cœmiteriorum non necessaria consecratio 501

Cognatio Spiritualis ad effectum prohibitionis nuptiarum omni carens fundamento 92

Collationes, reservationes, electiones: quid in his juris? 479. 480. Collationes quomodo ad Papam pertrahantur 485. 486. & practicatæ 450. 797. Collatio Beneficiorum ipsis originariis fundatoribus præcipitur 499. Collationum abusus 467. 468. Collatio Beneficiorum an competat Prælatis, Papæ, præsertim si uni plura conferant? 607

Collectis seu contributionibus se eximunt Spirituales 486. 492. collectæ Valdensium fratribus in Lombardiam missæ 734

Collegiatæ in gratiam Principum & nobilium dotatæ Ecclesiæ ignobilibus & stupidis Curtisanis præda fiunt 491

Colloquium Friderici Regis Siciliæ & Arnoldi de nova villa, de corruptis moribus Christianorum & apostasia Sedis Apostolicæ 358. &c.

Collusio Papæ & inferiorum 838

Commendæ Papæ non permittendæ, quod cæteros & indignos promoveat 579. commendarum etiam ultra marinarum pestifera adinventio & detentio in curia Rom 613. Commendæ Abbatiis & Cœnobiis exitiosæ 490. Commendationes pestes Ecclesiarum & Monasteriorum. 434. 435

Comites Bajoarii instituti 170. 171. Comites Palatini S. Pontificis, idiotæ 518

Comitiis Imperii interest Rex Angliæ & Bohem. 715. 716. invitatur Rex Galliæ 420

Communio sub utraque specie defensa 825 à Cypriano 24. ab Hildeberto contra Instinctum 331. à Julio P. reprobato Instinctu 349. â Thom. de Aquino in genere, additis specialibus causis 627. à Joann. Wiclefo contra consuetudinem sub una 715. Joann. Husso similiter, & Hussitis multo sanguine 727. 728. Ejus Christi mandatum & primitivæ Ecclesiæ usus à Concilio agnoscitur Constantiensi 796. probata, etsi nō propugnata 819. ejus solidissima tremenda Papistis ratio, ex ipsis rerum argumentis & veris circumstantiis desumta 550.

Communicationis opera: Wir haben/die für uns das thun / will aber für uns zur Hölle fahren 827

Communicandum quibus & quomodo? 158. 159. Communicans excommunicando, habendus pro ligando 159. & 333. Communicans ligato, vitandus & habendus pro excommunicato, 311. communicare est malo non contradicere, sed tacitè vel expresse consentire 159

Concilium quomodo celebrandum CCCXXX. multis docetur exemplis & historiis scelerum Papalium, Papam errare posse, ideoque Concilium esse supra Papam 815. idem confirmatur 56. 57. 436. 689. 787. 804. 809. 814. 815. 836. Concilii regionalis provincialisve convocandi potestas penes Metropolitanum 34. 48. aut potius Regem 125. 798. Universalis penes Cæsarem 125. 798. Concilium constituunt non solùm Spirituales, sed & alii Christi fideles eruditi piique viri 612. 718. Conciliorum authoritas ea abrogare, quæ non satis firma ratione, justisque causis in præteritis uno vel pluribus Conciliis constituta 778. sub mortali verò nihil præcipere, nisi quod Deus ante præcepit 823 Appellant contra Papam Concilium & Universitas Parisiensis 436. &c. Joann. Seneca Præpositus Halberstad. 691. Archidux Austriæ Sigismundus 799. Conciliorum authoritas & securitas ne quid contra ea sive Papa sive Cæsar attentet 145. Concilia seu Synodi ab ipsis Apostolis celebratæ, an sex? 675. Concilia præcepta 776. subsunt scripturæ 822

Concilia & Patres, Papistæ quam nobilem authoritatem ipsi falsando conculcarunt & concacarunt 46

Con-cilia seuSynodi œcumenicæ, regionales, provinciales

Africanum Concilium seu *Carthaginensis Synodus* VI. XLVI. contra Romani Episcopi primatum 45. 573. ubi trium ordine Pontificum Rom. falsariorum ob falsata Niceni Concilii Acta detectio ac cõvictio notanda 42. 45

Ancyranum Concilium XXXV. Diaconis in ordinatione protestantibus, conjugii libertatẽ reservat 34 visiones animarum imposturas Satanæ pronuntiat *ibid.*

Aquisgranense Regulas scribit Clericorum 75.116.117. severe Clerũ reformat, sic Ludovico P. volente 117. &c.

Asiatica Synodus contra Papam Victorem XII. de celebratione Paschatis 13

Basileense Concilium CCCLVI. contra Primatum, Papam Concilio subjiciens 797. contra Simoniam Pallii, Annatarum & id genus, *ibid.* Bohemis confirmat articulum sub utraque, *ibid.*

Basiliensis Concilii tempore, quæ à Statibus Imperii, Moguntiæ congregatis, deliberata fuerint? CLXXXII. 456

Basileensis sacri Concilii Constitutio super Annatis, in sessione 21. CLXXVI. 411. *inordinatis Beneficiorum Ecclesiasticorum oblationibus, quæ à Papa fiunt,* in sessione 31. CLXXXV. 466. 480

Basileense Concilium à 3. Universitatibus approbatum 798. receptum in Gallia 419. 437. ei insidiatur Eugenius Papa in Gallia 419. in Germania 462. obtinet Papa in Germania 463. 464

Brixiensis Synodus in Norico contra Hildebrandum 284

Cabilonense sub Carolo M. XC. Monachorum castigat rapacitatem 105. Peregrinationes religionis causa damnat 105.106

Carthaginense Concilium V. CXIV. 180. & CXXIX. 193. Sacella dirui jubet, ubi non requiescunt corpora Sanctorum, *ibid.* Ei Romanenses in infinitas particulas uno discerpto corpore illudunt *ibid.* Libri tantum Canonici in Ecclesia legendi, *ibid.* Carthag. Synod. VI. Vid. African. Conc.

Chalcedonensis Synodus XLV. de Primatu super Ecclesias Orientales 44. Ei intersunt Cæsaris Legati gloriosissimi judices 45

Constantiense Concilium CCCL IV. Primatum refellit 796

Constantiensi in Concilio per Deputatos Provinciarum Nationis Germanicæ concepta, Avisamenta super materia Apostolicarum Reservationum, & collatione Beneficiorum CLXXXI 450

Constantiensi in Concilio deliberatio ac declaratio Nationis Gallicanæ, quod vacantiæ ac minuta servitia curiæ Rom. nullo jure debeantur, nec in posterum solvantur CLXXV. 392

Constantiẽsi Concilio significat Sigism. Imp. ne se absente quidquam definire aggrediantur 797

Constantinopolitana Synodus universalis I. T. XLIII. Primatum Archiepiscopo Constantinopolit. super omnes Orientales Ecclesias confert 41. 43

Con-cilia seuSynodi &c.

Constantinopolitana VI. LXVIII conjugium permittit Sacerdotibus & cohabitationem tempore congruo 73, in ea prima Latina Missa decantata 74. damnatus Honorius P. ob jejunium Sabbathi *ibid.*

Constantinopolit. VII. Synodus LXXXVIII. Cultum imaginum damnat, & ipsas imagines è Templis ejicit 100. 101. huic opposita altera VII. Græca, Nicæna II. vocitata 100.

Constantinopolitana Synodus VIII. Universalis appellata contra Photium 201. usque 203. in ea simul adoratio imaginum, contra orthodoxiam anteriorum Doctorum conquerente Aimonio Monacho, provecta 274. Apud Duziacum in Gallia pro Authoritate Regia, & disciplina Ecclesiastica contra Primatum, & Appellationes extra Provinciam Rom. 148. &c. 150. &c.

Elibertinum Concilium XV. imaginum & reliquiarum idololatriam improbat 16

Fran-

Francofurtensis Synodus, à Carolo M. instituta LXXXIX. Græcam alteram VII, Nicænam II. dictam, & cum ea Adrianum P. idololatriæ damnat 101. imagines historiæ quidē gratiâ ferens, sed adorari, honorari, vestiri &c. omninò vetans 101. &c.
Gangrense XL. proscripsit superstitionem de conjugio, esu carnium, vulgari vestitu &c. 39
Lateranense Romæ celebratum CCXXII. agnoscit, tot monasticos ordines gravem Dei in Ecclesia offensionem parere 596.
Lugdunense in Gallia: in quo Vigilantius (Greg.) X. Patribus conscriptis curam studiumq; belli, & utriusq; Reip. administrationem commendat 449. censum & decimas ad subjugandos Schismaticos Græcos &c. imperet, *ibi.*
Con-cil. seu Syno-di &c. *Macrensis Synodus* CX. officia ac Regimen Politicum & Ecclesiasticum diligenter distinguit 163. Spiritualique confusioni causam omnis mali adscribit, *ibid.* & 164
Moguntinum Concil. contra Clericos, Venatores, accipitrarios, turpia lucra sectantes 233
Milevitanum XLIV. vetat, ne quis ad Papam appellet 43. Synodos convocandi jus apud Metropolitanos esse declarat, *ibid.*
Nicænum XLII. ducere volentibus uxorem Sacerdotibus conjugium tandem permittit 41. Hierarchiam IV. Metropolitanorum ordinat 42. ad quos Synodosque sive Provinciales sive universales Appellationes omnes devolvi vult, *ibid.* cavetque, ne Episcopus Rom. Universalis primævæ sedis nominetur 677
Nicæna II. altera VII Græca dicta, Iconolatriam VII. Constantinopolitanæ contrariam reducit, approbante, literis ad Imperatorem, & Tarasium Patriarcham Constantinop. scriptis, Adriano Papâ 100. 104.
Remensis II. pro disciplina Ecclesiastica contra Primatum & Appellationes Rom. 572. Ejus Actis integro Concilio Africano seu Carthag. VI. Synodo annexâ 573
Romanum Conciliū sub Leone III. Clericorum venationes & aucupia improbat 113. Monasteria & Oratoria invitis constructoribus non auferenda tradit 114. Clericos Metropolitano ubivis subjicit, nulla ad Sedem Rom. Appellationis mentione facta 112. 113
Romanum sub Othone Imp. contra sceleratissimum Joann. P. XII 225. 227
Romanum contra Pæderastas à Clero abjiciendos, levis pœna 531
Romanum Joan. P. XXIII. 793
Rotomagense prohibet, ne amplius corpus & calix Domini Laicis à Sacerdote in manus daretur 551
Con-cil. seu Syno-di &c. *Toletanum III. T.* LXXI. mortuos cum psalmis & psallentium vocibus ad sepulchrum jubet deferri, nulla facta Missæ mentione 76.
Toletanum VII. T. LXXII. de Pontificibus Galliæ rapacitatis convictis 76
Toletanum XI. T. LXXIII. impuram & scandalosam Cleri vitam accusat 77
Turonicum LXVII. Sacerdos uxoratus in officio maneat, sed altius non ascendat 47. Papa talem ante pro excommunicato habente, *ibid.*
In Vangionum urbe contra Hildebrandum 281
Wurzburgense Friderico I. rerum potiunte constituit, ne posthac aliter, quàm more majorum, consensu accedente Imperatorio, Papa locum sortiretur 341
Conciliorum primis statim seculis abusus 27. novissima servitus 211. 212. 700
Concilium Prælati fugiunt, quemadmodum pueri Scholam 562. Concilia curia Rom. eatenus tantum fert, quatenus culinæ & Dominatui favent 77. 113 771
Concionator Cardinalium & Cleri Rom. Arnulphus 580. Concio Oremi 751. Ruperti 514. Concionatoris sub Papatu Catholici meditationes, & animi constitutio 832. Concio cujusdam

Sancti vatis per omnia Ecclesiarum limina discurrentis 839

Concordata Principum Germaniæ cum Sede Apostolica 174. 474

Concubinatus Sacerdotum annuo censu locatus 511. mancipatis annuo censui etiam concubinariis 91. 516. concubinatus statuum 558. concubinarum luxus 478. concubinæ ferendæ, aut uxorum & filiarum stupra 828

Condemnandus nemo ex suspicionibus aut præsumtionibus, præsertim à viro Ecclesiastico 137. 138. sed confessus demum aut convictus 135. 156

Confessio facienda peccatorum pars Reformationis Disciplinæ Ecclesiasticæ Caroli M. 99. Confessio auricularis 494 510. Confessionis abusus 493. 494. 651. 818. 820. Confessio apud Valdenses 644. Confessio secreta indocto & improbo Sacerdoti laqueus 687. Confessionis non usum sed abusum improbat Joan. Wiclefus, 725. Confessionis ad asininam pro pœnis temporalibus satisfactionem & simplicium circumventionem abusus 764. 765. Confessarii potestas eligendi extra Parochiam 768. Confessio Sacerdoti perito vel imperito, jus habenti absolvendi, vel non habenti 775. ubi & de reservatis 776. Confessio auricularis sitne divini Juris? Negatur 803. sed dato Confessionem indifferentem divini esse juris, inde tamen non sequitur, eam esse ad salutem necessariam 788. 809. Confessionis secretæ in Papatu insignis usus contra Papatum 842

Confessionum sive Actorum Martyrum & Confessorum in Stiria aliquot volumina 851. Confessio fidei Thaboritarum in Bohemia 640. Valdensium in Gallia & Hungaria 638

Confirmatio Papæ per Cæsarem & vice versa 357. Confirmationes Beneficiorum & Fraternitatum non tam necessariæ, quam sumptuosæ 499. Abbatum item & Abbatissarum 502. Præpositorum Monialium & Monachorum 502. Confirmationum Simonia prohibita 797. Confirmationis Sacramentum primitivæ Ecclesiæ incognitum 17. improbatum 725

Confusio in Ecclesia 588

Conjugii Sacerdotum libertas Clementi Alex. defensa 19. 20. quo tempore in Anglia & Germania sublata 23. Diaconis ab Ancyrana & Milevitana Synodis recognita 34. Conjugati Episcopi qui & quot? 14. 34. 36. viginti quatuor per Germaniam & Galliam sub Henrico IV. 85

Conjugii Sacerdotum Historici LXXVIII. Naucle-rus, Crantzius & alii, imprimis Gebvilerus 85

Conjugium Sacerdotibus Canones permittunt Apostolorum 7. asserit Synodus VI. *ibid.* & 73

Conjugii Libertatis Sacerdotum prohibitæ futilis ratio 62. Conjugii Sac. libertas defensa, *ibid.* & 334. 335. 601. Cohabitatio quando Altari non servitur, 73. Conjugia Sacerdotum ab Hildebrando P. solvuntur 279. 329. 330. Conjugati Sacerdotes quomodo tunc habiti? 280. Conjugium Sacerdotum ex consilio confessarii occultum 627. Libertatem Conjugii Sacerdotum pie palam concedi posse 718. Libertas & necessitas in Alsatia quomodo defensa? 733. Ecclesiæ Primitivæ: dummodo die abstinerent celebrationis 792. 843. privatim probata 819. palam defensa 381. vigens in Italia ipsa 318. & quidni Gallia 383 Conjugii in genere dignitas 40. 599. utilitas & necessitas 558. 579. Conjuges nec tempus nec causam prolis attendentes 652. Conjuges absque spe prolis convenientes, quales Valdensibus habiti 645 Conjugium Papæ immundum & carnale vitæ genus 5. Conjugium citra consensum quorum interest Norimbergæ contrahentes, & Sacerdos consecrans, quomodo castigentur 76. Conjugii inter compatres prohibitio carens fundamento 91

Conradus Trajectensis Episcopus CLIX. causam orat in consessu Episcoporum Galliæ & Germaniæ pro Henrico IV. & Potestate Cæsarum contra Papas 319 & *seqq.*

Conradus Episcopus CCVI. historiam depositi iniquissimè Henrici Archiepiscopi Moguntini, instigante proditore Romæ Arnoldo in Sede successore 577. 578

Cōradus à Lichtenberg Abbas Vrspergensis CCXCIV. Peregrinationes, indulgentias, præsertim crucis, impietatemq; Greg. IX. contra Henr V. Imp. virgula notat 753. Ejus de Simonia cantilena: Gaude Mater nostra Roma *ibid.*

Con-

Conradus Hager CCCV is confeſſus eſt,ſe annis 24. ſenſiſſe & docuiſſe, Miſſam non eſſe ſacrificium 750.nec cuiquam prodeſſe,*ibid*.
Conradus Celtes, Viennenſis Profeſſor CCCCXXXI. Miſſam, Purgatorium, & Sanctorum invocationem nauci fecit 847. publica Sacra idcirco non frequentavit, *ibid*. Excommunicatione contempta 848
Conradus Stifelius CCCCXL. monuit, Sacrificorum Reformationem inſtare, quam vulgus famam variarum ſequens Prophetiarum, cædem Monachorum appellabat 852
Conradus Imp. legis & religionis cultor fideliſſimus 313.mancipium Papæ 311
Conſervatores Epiſcoporum & Abbatum ſuſpecti & odioſi judices 486
Conſtantienſe Concil. V. Concil. Conſtant.
Conſtantini M. donatio CCLXXX. Sylveſtro P. Primatus ſuper omnes Eccleſias, & temporalis ſimul Dominii ſuper Occidentem in jure & facto refutata 720.721.741.769.806.853
Conſtantinus IV. Imperat. an jure Cæſarum quoad ordinationem Rom. Epiſcopo Benedicto ceſſerit? 233.234
Conſtantinopolitani Archiepiſcopi LXXIX. approbante tertia & quarta generali Synodo univerſales Epiſcopi nominati 86 Conſtantinopol. Patriarcha Romano exæquatus 181.855.Conſtantinopol. Patriacha & Papa orbem quaſi diviſuri 204
Conſuetudines & Canones veteres qua fide Rom. Eccleſia ſervârit? 12. Conſuetudines Veteres in creando Papa 120. Conſuetudo univerſalis Eccleſiæ attendenda 141. Conſuetudines non ſunt de fide 185
Contentiones Chriſtianorum maximè Theologorum ab ipſis Eccleſiæ cunabulis, quæ & quantæ? 13.37
Contributiones V. Collectæ.
Converſatio Cleri: felix, qui ejus vincula effugit & diſrumpit 685
Corbejenſis in Haſſia Monaſterii divitiæ cum Scortis abligurità 579
Cornelii P. in ſtringenda diſciplina Eccleſiaſtica facilitas, cauſam dedit Schiſmati Novatiano 25
Crimina datâ pecuniâ permiſſa concub. fornic. adult. 511. Crimina datâ Viſitatoribus pecunia remiſſa 514
Critica Sacra in conferendis antiquis codicibus & originalibus contra falſarios 42.45
Crux non adoranda 104.129.130
Crucem adorare & oſculari ſtultum & impium 8.
Cruce Signati abſolvuntur pro pecunia 534.
Crux contra rebellem Regis Angliæ Comitem prædicata 546 Crucis prædicatio & bellum ſacrum à Valdenſibus damnatum 649
Culpa à ſcandalo paſſivo ſeu defenſivo communiter abeſt 392
Curia Romana: vult marcas, burſas exhaurit & arcas 596.598. ejus Reformatio à Durando propoſita 616.619 mera injuſtitia, fraudibus, & impietate mundum ſibi ſubjecit, ejusque opes ad ſe traxit 715. Aperde Sylva & ſingulares feræ vineas Eccleſiarum depaſcentes 748. Per Principes Sacerdotum quicquid religionis & diſciplinæ eſt perditus 777. ab his Filius Dei duriora patitur, quàm à Synagoga Judæorum, *ibid*. ad hos & ſimiles Epiſtola 799. 800. Adduxit Cleri hoc monſtrum (Schiſmatis ſcil.) faſtus maledictum, Cleri Magnifici tenuit qui culmina mundi 778. Curiæ Rom. ac Cleri muti ac longè maximi abuſus coràm oratione inducuntur 780. Curialium Rom genera & ſpecies enumeratæ 786 Curia in Rom. fundamentum eſt omnis ambitionis & avaritiæ 789. Curiæ Rom. ſqualores, tractatus de vita & tyrannico regimine Papæ ejusque Spiritualium 815. Curiæ Rom. contemtiſſimus ſtatus, & omnino omnium Spiritualium coràm evolvitur 829. Curiæ Rom. vitiatus ſtatus, 849
Curienſis Sacerdos CCCCXII. de Paulo, Sacrificis ſub ſcamnum abjecto, prorepturo, & par pari relaturo 835
Curioſitas à dæmone periclitatur 308
Curtiſanorum impietatis pararia, cognita priſcis ſeculis Cleri Rom. malitia 24. Curtiſanorum gratiis quæ in Germania Eccleſiæ nunquam ſuccubuerint? 478 479. Curtiſanorum prætextus, ſubtilitas, technæ in præ- & eripiendis Beneficiis 486.487. Curtiſani Prælaturis negotiantur 488
Cynædi Romæ ſeculo publicè tolerati 59.60
Cyprianus XXVI. ſanguis Domini omnibus dandus 24 vocatio & depoſitio Paſtorum, in poteſtate eſt ſacræ plebis, *ibid*. Primatus Cornelii P. nullus, unoquolibet Epiſcopatum ſuum in ſoli-

dum possidente 16. causæ ibi cognoscendæ, ubi acciderunt, *ibid.*

D.

Dalmatæ aliique Illyrici populi vulgari in Sacris lingua utentes, non Latina 106

Damasus Papa T. L. psallendi ritum in Rom. Ecclesia introduxit, modum Orientalium ab Hieronymo mutuatus 48. Sanguine pollutus & adulterii accusatus 49. scripsit Chronicon, in quo Constantinianæ Donationis nulla mentio 853

Dantes Aligherius Florentinus CCC. Donationem Constantini M. & Traditiones impugnat 741. 742. fabulæ prædicatorum 743. Papa Antichristus 744

Decanatus Annata, quanti in Gallia circiter 246. 482. Decanus Magdeburgensis quidam de vitiato Curiæ Rom Statu 849

Decem Dei Præceptorum Romani compendium facientes: Da pecuniam 774

Decimatio Spiritualium juxta censum Capitum generalis, à Greg. P. X. ad subigendos Græcos Schismaticos, & fugandos Asiæ & Africæ Saracenos, injuncta 449. Decimæ prætextu expugnandorum Turcarum exiguntur 670. invitis Prælatis 464. Decimandi necessitas vindemiantes fraudat opportunitate 514 Decimæ in Anglia contra Frid. II. Cæsarem 534. *ibid.* quinta pars redituum Bonorum Ecclesiasticorum contra eundem 534. 535. Decimæ in subsidium Terræ S. contra Saracenos: quas tamen inviti contra Manfredum Frid. II. Filium converti, ferre coguntur 538. Decimæ Libertatis sunt Christianæ, non necessitatis 653. Decimæ in Germania violentæ 505 Decimas Papa sine tractatu cum Prælatis exigit 698

Decreta majorum non leviter inita facienda 613

Dedicatio Templorum occasione Valdensium 655

Defectio Papæ à Christo picturis proposita 738

Defensio Ludovici Imp. Superioritatis Politicæ in Comitiis Imp. contra Papam 707

Delegati Papales Imperii jurisdictionem convellunt 486. Delegati Officialium, seu Synodales judices, illicitos census domesticatim exigunt 511.

Delicta esse punienda innuitur 658. sed non puniuntur 688, nec puniri debent 494. 504. 514

Depactationes in judiciis Ecclesiasticis 52

Descriptio Sedis Papalis 774

Desiderius ultimus Longobardorum Rex usurpator Bonorum Ecclesiæ 237

Desiderius Longobardus CCXCII. Contra Monachos scripsit validos Mendicantes 734

Desolatio Ecclesiæ affluentis temporalibus, & spoliatæ divitiis spiritualibus 769

Desperatio Satisfactionum 529

Deus per Petrum Pontifices Magistratibus subjecit 2. Reges non conculcandos, sed honorandos præcepit 139. 140. Nullius respectus homunciones amplissimis quandoque donis exornat 2. Nullius rei indiget, non Sacrificiis, non donariis 19. 28. non structura delectatur Templorum, sed pia mente & justitia, *ibid.* 28. Ejus domus fideles pauperes 192. resistit inflatis, dans gratiam humilibus, *ibid.* Unicè colendus absque omni superstitionis nota 28. 29. opinionem meriti ludit & ridet 33. 40. Monasticen non pluris æstimans, quàm vitam musici, cerdonis, Mercatoris, judicis, *ibid.* & otiosam quidem Monasticem longè minoris 20. Unoquolibet eum in suo ministerio colente, secundum Ejus mandatum, non constitutionem hominum 363. Solus suæ Ecclesiæ & veritatis conservator: contra humanam rationem quod videre Niceæ 41. 82. & in tot conciliorum Capitibus pro & contra statuentium 100. Eum qui adeò justum novit, ut seipsum ad judicium offerat, noverat hypocrisin facilius detecturum, requisiturum judicium, facturum 272. 591. Deum non revereri & justitiam negligere, causa cujusque status ruinæ 564. &c. Ecclesiarum, & Bonorum Ecclesiæ invasionis, desolationis, Ecclesiasticorum contemptus, humiliationis, fugæ, & persecutionis 556. &c. 559. &c Loquens inducitur adversus idolum in sua sede positum Papam 721. 722. dejectus loco, Sanctis pro eo in Templo regnantibus 795. plus dare paratus, quàm homo accipere avidus 754. à nullis majus tolerat præjudicium, quàm à Sacerdotibus, Gregis ductoribus 69

Diaconi circa Ordinationem protestantes uxores

ducant 34. Diaconi & Presbyteri in Ecclesia sufficiunt 725
Diabolo est sacrificare, munera Sanctis offerre 8
Dialogus inter Prudentiam & Fidem de causis calamitatum Ecclesiæ & Politiarum 559 &c. Dialogus inter Clericū & Militē de nimia libertate Clericorum 719. Dialogus Petri & Pauli de insolentiis & erroribus Rom. Curiæ 783
Dictum Christi: quid mihi & tibi mulier? explicatum 30. Christi ad Petrum: tibi dabo Claves: & quodcunque &c. subtiliter 132. 146. 151. 190. Dicti & facti Christi contra columbas in Templo venundantes 265. Jobi: si adversum me terra mea clamat 267. Dictum: diligite Justitiam, egregie 364. Dictum Petri: Subjecti estote &c. à Papa ad consilium humilitatis detortum 606. Christi: si vis esse perfectus, vende omnia 692. Christi: super hanc Petram, &c. 815. quodcunque ligaveris &c. verè domesticè, & omnipotentiæ ligantium oppositum 820
Dicteria Vulgi de S. Sede Rom. 824. 825
Dies in Sacris pro anno, 5
Dieto Noricorum Dux tributum Imperatori denegat, se cervo assimilans 174
Dignitas Regia à Francorū Rege contra Rom. Pontificem defensa 134. &c. Dignitates in Germania pingues Ecclesiasticæ Romam pertractæ 487
Dinoth Abbas Bangorensis in Britannia LXVII. Primatum Papæ negavit 71. Monachos sub se habuit 100. omnes labore manuum suarum viventes, *ibid.*
Dionysius Corinth. Ep. VI. discipuli i. e. Christiani elementis cœlibatus, jejuniorum & id genus non sunt circumducendi seu detinendi 10
Disciplinæ Romæ neglectus Ecclesiasticæ, causam dedit Novatiano Schismati 25
Disciplinæ Severitatem Novato intendente, non gratiam lapsis negante, *ibid.* Disciplinæ dissolutio, petulantiæ, superbiæ & rixæ Sacerdotum ac Episcoporum, causa Diocletianæ Persecutionis 36. Disciplinæ dissolutio occasionem Imperatoribus Ethnicis cogitandi præbuit, Religionem Christianam esse pravorum hominum commentum, *ibid.* causa calamitatum 69 164. 564. Disciplinæ Reformatio per Carolum M. 97. fræni Leges & Canones justitiæ & pœnitentiæ probatio & confessio 135. 145. &c. 510. 511. Disciplina ex fructibus penitus collapsa & verecundia exuta 331. 336. Disciplinæ hostes, effugia & Appellationes Romam 333
Disciplinam Eccles. Canones continent 134. 152. usque 164. 436. Neglectus Regi Siciliæ Friderico dubitandi ansam dat, sitne doctrina Evang. traditio humana, an divina revelatio, 359. *& seqq.* Disciplinæ Christianæ fama atque gloria reducenda 475 Disciplinæ Ecclesiasticæ ad armandum Antichristum in ministris obequitantem Potestates in fundo jurisdictionis turbantem, typhum seculi, & avaritiam abusus 84. 514. Neglectus disciplinæ collusoriæ Indulgentiæ, fomes audaciæ & malitiæ 543. Disciplinæ veterum observantia, Character Reformatæ Ecclesiæ 587. neglectus & Simonia simul, aut certè potestatis Clavium cum Seculari confusio: peccata pecunia transiguntur 507. 651 Sacerdotes in immunditiis relicti pecunia interdum multantur 599. Argenteus candor in munditie vitæ & disciplinæ observantia, nota reformatæ Ecclesiæ 722. 723. Disciplina & Sanctitate præfulgentes externa, valde piis cordibus obsunt, quòd hominem tantum ad externa trahant. Descriptio est hypocritarum & Pharisæorum 744. 745 Disciplinæ eversio, signum seu causa ruentis Ecclesiæ Rom. 757. Disciplinæ solutio ad alendam hypocrisin aut manifestam impietatem, quam apud Infideles opinionem, & contra Christianos repercussionem pariat 817. Disciplinæ totalis eversio ex effectu grassantium immane scelerum, ab extraordinario quodam clamante ob oculos statuta 838. 839. Disciplinæ neglectus fidem & Religionem in dubium vocat 847. Ecclesiam ad scopulos exitii allidit, *ibid* Negligentia Sacerdotum causa est dissolutæ Disciplinæ in Ecclesia 180. Quod si unquam ullis temporibus verum fuit, nostris certè est verissimum, *ibid.*
Dispensationes ære redemptæ 482. Dispensatio commentitiæ cognationis, quam Spirituale vocant, quanti? exemplū 447. ad beneficium curatum ob minorem ætatem, *ibid.* Despensationibus

nibus Papa in caufis matrimoniorum, ciborum &c. magnam vim nummorum ex Germania expifcatur 482. Carnis illecebras Monachi annua à Papa redimunt penfione 584. Iniquitates terræ, quas abfonditis propter aurum & argentum, adfcendunt coram me ficut fumus de igne 592. nonne animæ funt plus quàm aurum, quas fuffocatis propter avaritiam? ibid. Difpenfatio contra Dei mandatum & juftitiam nihil valet 608. Difpenfationes in futura Reformatione cohibendæ 611. Difpenfationes miferabiles S. Bernardo dictæ 672. negatæ 654. Earum fons periculofus & erroneus 683. Difpenfat Ludov. IV. Imp. in caufa prohibiti Jure Canonico gradus matrimonii 707. Difpenfationes Papæ otiofæ & inutiles 725. pro monachis contra ordinarios inanes 738. 739.

Difpenfavit Sixtus P. fuper juramentis factis & fiendis 821. Sed vid. Sixt. P. Tefferæ non modo veniales, fed etiam venales 847

Difperfio feu ejectio Lugduno Valdenfium, lucem veritatis latius in Gallia, ac tota penè Europa fpargit 634. 638 *& feqq.*

Diffidium in Ecclefia fiusquam gentium 13. 37

Divitiæ Ecclefiæ venenum 561. ejus innocentiæ tam contrariæ, ut veftes aut plumæ nuditati 568.

Docti fint presbyteri. 481 & Cur? Specialiter 687.

Docti fint Epifcopi, alias non ferendi 112

Dolus & culpa in fcandalo paffivo feu defenfivo communiter non habet locum 392

Domicius Calderinus CCCLXII. Miffam communem errorem dixit, nec nifi ab amicis pertractus eam audivit 802

Dominicus Ep. Brixienfis CCCXXXVIII Reformationem concinnavit Curiæ Rom. Pio P. II. Satis acriter ipfum Papam & Prælatos notans 786

Dominicani contra Univerfitatem Parifienfem 517. *& feqq.* an Dæmoniaci? 141. falfam Bernæ D. virginii apparitionem cudunt 845 quatuor primarii cremantur 846

Domus ac Baliviæ Teutonico Ordini per Apuliam & Siciliam eripiuntur 497

Donationes in hæredum notabile damnum Clerici ne accipiant 94

Donationes & Ceffiones Rom. Ecclefiæ per Conftant. M. Conftant. IV. & Ludovicum P. Impp. refutatæ 195. 233. 234. 235 720. 721. 741. 769. 806. Donatio Conftant. M. aut quorum Ecclefiæ Rom. venenum non ex intentione dantium, fed manu abutentium 461. 562. Donationes quas Ecclefia Rom. fibi factas alleget & confirmari curet? 357. Per munera nunc data, nunc accepta, corrupta eft Chriftianitas feu Ecclefia &c, deficietque 582

Dorothea virgo & Martyr 856

Drogo Archiepifcopus Metenfis CIV. Caroli M. filius à Lothario Imp. Romam cum pluribus aliis Epifcopis miffus, Sergium Pa am coràm confundit 152. *& feqq.*

Dubius in Fide infidelis habetur 305

Durandus V. Guil. Durand. 601. usque 621

E

Eadmundus Cantuarienfis exulat cum Duce Britanniæ 534

Eboracenfis Archiepifcopus 526. V. Sevaldus.

Ecclefia quid? 718. Ecclefia Dei fuper Petrum Chriftum, non fuper Petrum extructa 31. 815. Sexcentis amplius annis fine Papæ Imperio ftetit, quid ni jam? 48

Ecclefia Græca & conjuncta IV. maxima pars mundi nunquam Primatum Papæ agnoverunt 7. nunquam communi confenfu purgatorium, indulgentias, privatas miffas, vigilias aliaque probarunt, 8

Ecclefia Gallica XI. Eleutherium Rom. Epifcopum orto inter Chriftianos diffidio, tanquam fui æqualem liberè ad pacem admonent 13. Ecclefiæ Gallicæ aut ullæ exterarum provinciarum tam non fubfunt Papæ, quam Petrus non fuit defpota Coafpoftolorum 54 421 *& feqq.*

Ecclefia Ravennas, Aquilegienfis, & Medíolanenfis XX. nongentis ferè annis jugi Pontificii expertes fuere 21

Ecclefia Illyrica & Sclavonica XXI. in hodiernum in publicis Sacris vulgari lingua, nō Latina utuntur 21. cùmque id Romani ferre nollent, quid cœlitus refponfi acceperint? ibid.

Ecclefia Anglica XXII turbatæ à Greg. I. Primatus ignaræ refiftunt 22. Conjugii Sacerdotum Libertatem unà cum Germanis, ad A. 1100. vindicant 23

Ecclefiæ Conftantinopolit. Primatus 42. 43. Catholicifmum quæ Fidem agnofcit Bohemis 728. 729. 730. 731. Papæ novitates improbat, *ibid.*

Ecclesiæ Rom. unitas & Catholicismus V. Schism. &c. rituum vel invitæ dissonantiæ 22. 107. discesserunt ab ea Bohemi, imo verò totus penè orbis Christianus 558. omnes intus murmurant, clamare non audent 743. Ecclesia exiliis jam & carceribus absterret, credique sibi cogit, quæ exiliis & carceribus est credita 53. Ecclesiæ Rom. ante Synodum Nicænam exiguus aut nullus respectus 42. Ecclesia Rom. Imperatorib. subjecta 51. 52. 53. liberatur à summa pro confirmatione Episcopi sui pendi solita, salva subjectione 52. 53. publicos seculo V. Mater fornicationum Cynædos tolerat 59. 60. omissa prædicatione cantui vacat 68. Ejus die Sabbathi jejunandi mos Græcis damnatus 73. 623, errores, fœdissimæ libidines, ruina, & in ea exoriturus Antichristus 79. Pacta cum Carolo M 120. Carolo calvo 126 Homagium præstat Lothario 134. It. Clerus Rom. Ecclesiæ ab Impp. Regibus, aliisque devotis hominibus dotatæ, quam inique se eorum clientelæ subducant 248. Ecclesia Rom. omnia Regalia & temporalia Othoni I. & Imperio resignavit ob causam 241. 242. 243 248. Præcipui dotatores circa confirmationem Jurium exprimuntur 357. Spelunca est vespillonum, vigiliis & Missis pro mortuis personans 581. Reformatio pro desperata habetur 617. non est Ecclesia Jesu Christi, sed malignantium, & cur? 647. ejus abusus à D. Reinerio occasione Valdensium enumerati 647. & *seqq.* Diaboli doctrina imbuta; Babylon illa, de qua Joannes &c. 662. Talis in publicis jam olim concionibus proclamata 666. ætates: fæminea, senium 674. 675. 677. 678. Synagoga, spelunca latronum 718. non est mater omnium Ecclesiarum 185. 403. sed omnium fornicationum 746. humilitate jura acquisivit 398. impinguata recalcitravit 354. Labi potuit, quia particularis 719. 811. misera conditio in visione celebraturi Sacerdotis caput lignei, & quæ alia observanda ob oculos posita 722. fantastica 191. Meretrix, Papæ Antichristi ministra, Cardinales Pseudoprophetæ 761. Ejus Simonia & mille abominationes 272. 602. Ecclesiæ veræ successus prædicitur, & fantasticæ ruina 191. Ecclesiæ vera ac pia doctrina tollitur doctoribus præeuntibus sceleratis, Pseudoepiscopis sua somnia seditionibus & cædibus defendentibus 37. Ecclesiæ juxta normam S. Scripturæ Concilia & universalis consuetudo attendenda 144

Ecclesia miser status sub Leone VII. CXXXIX. Episcopi canes muti, ambitioni & avaritiæ immersi, cum divitibus & potentioribus in tenuiorum oppressionem colludentes 232

Ecclesia unitas conservanda CLII. titulus & argumentum libri, tempore Hildebrandi P. scripti 288. qui lupus omnia disiecit, Ecclesiam dividens in se, & ejus nobile hospitium Imperium Rom. in Imperatore ab Ecclesia disturbando, ac se pro hospite activè & passivè gerendo 289

Ecclesia ex quo crevit in possessionibus, decrevit in virtutibus 185. Ecclesiæ status inversus, quî sic? 221

Ecclesia Leodiensis Epistola adversus Paschalem II. T. CLVI. pro Henrico IV. 299. Roma Babylon 300. propter traditiones, Papæ mandatum Dei, ut Magistratui subsimus, non violandum, *ibid.* & 301. Maledicti, qui à Dei declinant mandatis, non qui excommunicantur à Pontifice 301

Ecclesias pro libitu exactionibus vexandi potestas Papæ nulla 397. Ecclesiæ qua ratione dici voluerint Papæ? inspectione & tuitione, non appropriatione & tonsione 539 Ecclesiæ cura deseritur, salus animarum negligitur 560. Ecclesiæ calamitatum causæ 559. & *seqq.* quid fructuum attulerit Lex cœlibatus 556. 558. Cur Ecclesiæ polluantur, vastentur 563. Ecclesia in Antistitibus elata, deprimitur 560. quomodo reformanda? à capite incipiatur 615. novi abusus tollantur, leges & canones restituantur 611. Ecclesiæ status: Evangelica suppressa, Canones sublati, Patrum scripta rejecta 558

Ecclesiæ proprius ac felicissimus status, nudam esse, nec volare, nec vivere commodè natæ 568. Ecclesia Rom. plurimis pavonum, falconum &c. ditata, formam & gratiam nativam exuit, *ibid.* Ecclesia Mater à Clericis, viperarū progenie corrosa, & quantum in ipsis interfecta 601 Ecclesiæ primitivæ formæ, & institutionis S. Patrum, Conciliorum & Decretorum, Rom. etiam Pontificum Ecclesia tandem Rom. oblita 612. Ecclesiæ ætates: quomodo cœperit, processerit, & tandem Romæ in fœdam ambitionem, & avaritiam desierit 669. & *seqq.*

Ecclesiæ status: eò perventum, ut ablata ab oculis veritate, nec antiqua religio, nec humanitatis ratio obtineat 670. Ecclesiæ Dominæ & Reginæ Sponsæ Christi, servus & dispensator est Papa, quam universales Synodi repræsentant 676. Ecclesiæ status novus collatus cum veteri, quantum degeneravit? 579. Ecclesiæ status securitatis, morum scilicet pravitatis & hypocriticæ impunitatis, periculosior est, quàm si hostes tyrannos & in forma hæreticos experiretur 684. adversatur enim sibi ipsi intestina & insanabili plaga *ibid.* Ecclesiæ monstrum, altero in alterius membri functionem involante, Papa dispensatore 667. Ecclesiæ secula aureũ, argenteũ, cupreũ, ferreum, stanneum, plumbeum 570 Ecclesia ad Concilium supra Papam 689. 817 Ecclesiæ turbatæ ad Regem refugium 699. Ecclesiæ Rom. periculosæ innovationes Græcis notatæ 731. Ecclesia ad homines seu Papas non est alligata. Unus Magister noster, nos omnes Fratres 738. Ecclesiæ ex Prophetis eruenda ratio status in comparatione Judæorum & Israeliticorum 753. usque 757. Ecclesia duplex: impiorum florens, altera piorum afflicta 768. Ecclesiam destruentia idola non incognita ab hypocrisi teguntur 769. Ecclesiæ status sub tempus Reformationis, & post à Mechtilde sacrata Virgine prænotatus 774 Ecclesia figura in visione amota capitis speciosissima corona, ebullientes è cerebro vermes ostendentis, simili de reliquis mẽbris faciundo judicio 777. Ecclesiam errare non posse, intelligendum est de tota Ecclesia, seu universis Christianis 787. Ecclesię aut destitutæ ministris, aut hi esurire coguntur, Ecclesiarum reditibus Romam omnibus pertractis 793. Ecclesiæ primitivæ Evangel. libertas, Romanæ judaica servitus 801 hujus spiritualis fornicatio Sororis, Judæorum Synagogæ victrix 755. status unus 850. Prophetis Baal se opponens in una causa Pelagianismi 551. quia particularis errare potuit 811. 819 peritura nisi Clerus reformetur 812. tenebræ deploratæ 823. Papist. pius Doctor detestatur 832. 833. Ecclesiæ conservatio in fide paucorum 757. corruptio deplorata 765. negligentia Pastorum desolata 769. corruptus status libro promulgatus 793. Reformandus 844

Ecclesiarum Cathedralium ordinationes penes Cæsarem 678. Ecclesiarum consecrationes immodicis peractæ impensis 501

Ecclesia usque ad mortem S. Joannis virgo, pôst, errores in eam ceu desertam domum irruerunt 10. eam ipsi custodes voluerant 77. Ecclesiarum æqualitas V. Æqual. oppressio 22. 23. in Prælatis miseranda seductio 440

Ecclesiastici Potestas in excercenda jurisdictione non perturbetur 29. 492

Ecclesiasticorum in itinere Romam morientium beneficia prætextu familiaritatis pro comissis habentur 485. 486. Ecclesiasticarum dignitatum seu pinguium beneficiorum præposituræ, Decanatus, Cantoratus &c. prætextu familiaritatis Papæ Cardilanisve Romam pertrahuntur 487. Ecclesiastici quomodo lanam magis, quam salutem ovium curent 488. 489 Ecclesiastica beneficia plane pro pretii quantitate elocari 489. Ecclesiarum super nobilibus fundatarum beneficia, à Curtisanis pretio redimenda 491. Ecclesiasticos ob patrata maleficia non aliter judicio sisti posse, quâm degradatos 494. id quod tantis sumtibus tantaque pompa celebratur, ut &c. *ibid.* uxores ac filias detinentes, maritis patribusve repetentibus gladium, ignem, aquam minantur, *ibid.* falsa cadunt numismata, & quæ non centum scelera, *ibid.* nefariè cum suis superioribus contrahunt, ne eos vel leviter punire audeant, *ibid.* 514

Ecclesiasticorum Judices lucrum ex sponsaliorum dissolutionibus facientes 508. 509 Ecclesiastici Judices seculares causas prætentæ ac quasi præscriptæ jurisdictionis prætextu, ad se pertrahentes 510. Ecclesiastici homicidas similesve & pœnitentiæ publicæ subjicientes, & pecunia mulctantes 510. Ecclesiastici judices funestæ pecuniæ intuitu illegitimas cohabitationes & usuras tolerant 511. Ecclesiastici Synodis seu visitatioribus abutentes, fictitiam jurisdictionem exercentes, crimina transigentes, 514

Ecclesiastici pleriqueLaicam planeque rixosam vitam agunt 516. Choreis se immiscentes, Laicos vulnerantes, confodientes 516. nonnulli publicas exercent tabernas, quæque eò ex usu spectant 516. Moribundis ut legitimos defraudent hæredes persuadent 517. Seculares ab hæreditate excludunt 519. externos Patronos vafro prætextu in judiciis non admittunt 513

Ecclesiastici onera ferant 492. contra Turcas aurum

rum, argentum, uniones &c, denique & Campanarum partem in medium proferant 493 eorum delicta & maleficia cum Laicis æqualiter puniantur 494. sintque eadem Laicorum & Ecclesiasticorum Judicia 494
Ecclesiastici bona subjugantes Laicorum 408. 499
Ecclesiasticorum Judicum avaritia ne micam habentium conscientiæ 503
Ecclesiasticorum Impunitas stupris & adulteriis omnia miscentium, re verbisque miseros Laicos subagitantium 493. 566
Ecclesiastici novas, quas Reformationes vocant, Leges figunt refiguntq; in privata sua commoda Laicorum necem 507. honestos viros & mulieres falso rumore delatos quomodo relevent 508. Ecclesiastici criminosos jurisdictionibus eximunt, etiamsi nec tonsurâ nec habitum deferant 384. 385 redditos sibi malefactores, Latrones, homicidas evadere & impune ferre scelus sinunt, *ibid.* 385. imponunt personis famæ laudabilis, quod sint usurarii, adulteri adulteræ ve 386. ad infamiam & extorsionem pecuniarum, *ibid.* tonsuras faciunt etiam conjugatis, quando ad eos veniunt metu incarcerationis 46. 387 omnes suos advocatos jurare faciunt, quod nemo contra eos sine ipsorum licentia litigabit 389
Ecclesiasticis, Clericis, Monachis, Templariis &c. tres Regiæ nubunt filiæ, Superbia, Avaritia, Luxuria 523. Ecclesiastici superbi avari, &c insuper luxuriosissimi super omnes fornicatores, adulteri, incestuosi 525. omni genere gulositatis & omni genere flagitii coinquinati, *ibid.* Simoniaci, maledictè intrantes, apostaticè sedentes 557. 558. suppressis Evangeliis, rejectis Patrum scriptis, explosis canonibus, *ibid.* libidine profligatissimi, superbi, avari 558. 560. quomodo ambitio, avaritia & mala vita Sacerdotum in causa sint, cur Ecclesia ita affligatur 560 quomodo negligentia Prælatorum & luxus inferiorum Sacerdotum generat omne Scandalum in Ecclesia 561.
Ecclesiasticis de rebus Cæsares amplius 800. annis LL. tulerunt, obediente Ecclesia 628
Ecclesiastici reditus turpiter in equos & canes profundentes 679. neglectis pauperibus neglectisque Ecclesiarum ædificiis, quæ etiam Romæ corruunt 579
Ecclesiasticorum Defectus, titulus libri 780.
Ecclesiastici universi Papa, Patriarchæ, Episcopi &c. Cæsari subjecti 553. *& seqq.*
Edictum Caroli M. de Reformatione Ecclesiæ & disciplinæ Christianæ 97. Gratiani & Valentiniani, ne quis depositum Episcopum defenset, neve is in ea urbe agat 142. 143 Friderici I. Barbarossæ pro Majestate Imperii contra Adriani Patris & Fratrum Cardinalium Legatum 342. Philippi pulchri Galliæ R. contra finantias Pontificis 391. ejusdem contra eundem pro libertate Ecclesiarum Regni & Delphinatus 697. Maximiliani Cæsaris contra pluralitatem Beneficiorum . 73
Edmundus Cantuariensis Episcopus CCXI per munera nunc data, nunc accepta, corrupta est Christianitas 582
Eduardus Rex Angliæ III. T. CCII. petit à Papa, ut Electio Ministrorum Ecclesiæ sibi & subditis relinquatur 570, frustra Clementi supplicans Edicto Annatarum, prohibet exportationem & Prælaturarum Angliæ petitionem extra Angliam 747
Egesippus VII. Ecclesia usque ad mortem Joannis virgo 10. Romæ agens Egesippus multos hæreticos convertit, quos Rom. Episcopi vel negligebant, vel convincere non valebant 11.
Ekbertus Abbas Benedictinus CCXV. abusum queritur bonorum Ecclesiasticorum, impudicitiam Monialium 588. 589. negligentiam Episcoporũ & schismatum scandala Pontificum 589. 590
Electio & depositio Pastorum penes sacram Plebem 24. Electio Episcopi penes Principem seu Magistratum vel Populum 78. Electio Papæ inconsulto Cæsare ne fieret 120 133. 195. 214. 219. Electio Episcopi & Archiepiscopi penes Clerũ & Populũ 182. 220. 221. 426. 427. penes Ecclesiam & Clerũ 718. Eligendi jus Pontificis in Carolum M. ejusq; Successores translatum 237. 238. 239. 240. 247. Electio Episcopi citra confirmationem & juramentum Papæ 253. usque 269. Electionem Episcopi jejunia & Litaniarum obsecrationes antecedant 259. Electionis Papæ primus honos Imperatori tanquam Regi & Patritio urbis Romæ debetur 284. Electio Episcoporum ad Frid. II circiter tempora penes Clerum & Populum 348. Electionis jus Prælatorum penes Principes terræ 427. Electiones

nes Canonicæ Prælatorum à Papa rejiciuntur 469. Electionibus magno ære impetratis contravenitur, *ibid.* Electio ut restituenda 479. Electio Episcopi fiat à juratis 457. Electionis & Investituræ seu confirmationis jura Papa ad se rapit 529. Electionis Episcoporum in Anglia jus penes suum Regem in Ecclesiis Cathedralibus 571. deinde penes Regem & capitula: tandem per reservationes & provisiones penes Papam, *ibid.* Electio Imperatoris absque Papa rata & perfecta 707. 710. & *seqq.* 716. Electionis jus Anglis Edvardus Rex III. beneficio Vuiclephiani Antipapismi restituit 747. Electio Papæ penes Cæsarem 854

Electores Imperii quo tempore cœperint? 245

Eleemosynæ prædicandæ 99. Eleemosyna data Pontifici Rom. 122. Eleemosynæ & Feuda Principum bona Ecclesiastica in capite, cathedralia 547.

Elibertinum Concil. Vid. Conc.

Elisabetha sancta monialis CCXVIII. Prophetissa Germaniæ 592. Caput Ecclesiæ & membra mortua, sedes Apostolica obsessa, *ibid.*

Engelberta Lud. II. conjux 124. ejus pietate erga Ravennatem Episcopum exulem, Nicolaus Papa offensus Imperium ad Carolum Calvum transfert, *ibid.* & *seqq.*

Engolisma urbs Hispaniæ altera Jericho, Clodoveus Josua 274

Epicureismus Pontificum & Ministrorum 803. 606. 790. 816

Epiphanius XXIX. Adorationem Mariæ aliorumque Sanctorum vehementer reprehendit 29. reprobans imaginum cultum 17 repertam in Templo Christiano imaginem Christi in velo pictam, laceravit 30

Episcoporum Rom. ingenia in Petri lapsibus, & Prophetia ad vivum depicta 1. & *seqq.* Mira ambitio ad cædes usque & sanguinem de cathedra Ethnicis adhuc arbitris 48. luxus & regales mensæ de matronarum oblationibus, *ibid.*

Episcopandi fractis parietibus ingredientes 665

Episcoporum & Pastorum omnium potestas immediatè à Christo procedens per Apostolos & eorum discipulos, non mediante Papa 768. Episcopus eligitur Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, non nisi casu necessitatis 64. Episcoporum seditiosa ingenia, ultra omnium artium & scientiarum Magistros dissidentium, falsaque dogmata cædibus propugnantium 37. ambitio & avaritia Christianitatem in magnam calamitatem præcipitatura 88. Episcopi publicè docendo in templo suo fungantur munere 95. Episcopales ædes scholæ, *ibid.*

Episcoporum vitia, venari, inebriari, civilibus rebus implicari 105. unde rem augere ab inferioribus Sacerdotibus aliquid exigendo, *ibid.* Episcopi negligentes excitati 112. 116. Episcopus non nisi à toto Synodo excommunicatur 125. Episcopus & Episcopatus novus à Metropolitano in Provinciali Concilio instituendus 213. Episcopi vi juramenti, quo Papæ obstricti, veritatem promere non audent 121. canes muti dignioribus & ditioribus blandi 232. Eorum collusione & culpa auditores vitiis immersi vivunt, tenues fraudantur, ex spoliis Pauperum stati reditus *ibid.* gravissimus morbus, qui à Capite diffunditur, *ibid.*

Episcoporum olim paupertas 250. 251. 296. Episcopus canonicè electus, sacris literis, Cæsari & Metropolitano obedientiam promittebat, non Papæ jurabat 221. 253 & *seqq.* Episcopi pro chrismate Ecclesiarum dedicatione, consecratione, Sacerdotum ordinatione, evlogiis nihil accipiunt 105.. 265. Episcoporum accipitrum Xenia, denarii, caballi, frissingæ seu verres, veredi, *ibid.*

Episcoporum est diœcesanos suos gallinarum more fovere, non diripere 265. 266. Episcopi ordinandi fidei professio coram suo Metropolitano 462

Episcopi sint docti, alias non ferendi 112. Episcopus non consecretur, nisi à Clero & Populo postulatus 112. ultra 3. menses ab Ecclesiis suis non absit, *ibid.* Episcopi quà possessiones & crimina Principi subjecti 139. & *seqq.* à Principe jussum expectant 113. citra Regis consensum extra fines progredi iis illicitum 163. Episcopo, illegitimè excommunicato, communicare nolenti, communicandum non est 157. Episcoporum & Doctorum oppressio servitus 22. 23. 80. 152. Episcopatus à Sergio P. sub hasta quasi publicè venditi 179. Episcopi & Presbyteri jure divino pares 184. Episcoporum vitæ testes 196

Episcoporum Hildesheimensis & Fuldensis de superiori loco in Templo præsente Cæsare cruentum certamen Goslariæ 318. ejusdem Fuldensis Moguntiæ, *ib d.* Episcopi ad Friderici II. circiter tempora non Apostolicæ Sedis gratiâ, sed sola miseratione divina tales 348. Episcoporum accipitrum geminæ Annatæ, si Laicus Collator præsentet 500. turpia pacta 489 490. 493. 514. Census 516. Præpositorum, virginum & Monachorum Confirmationes 502. de oblationibus contra Turcas participationes 502

Episcopatus Annatæ quanti circiter? 246. 432. Episcopi à Principibus Synodaliter, inconsulto Papa, in provinciis judicati & damnati 548. Episcoporum vice, officiales oves tondent 532. Episcopari quid? Carni indulgere 589. Episcopi in diœcesi agant, non Romæ, non in aulis Principum 612. 615. nec alios corrigentes, nec sua delicta detergentes, canes impudici 611

Episcoporum omnium paritas ut Apostolorum 13. 16. 26 27. 617. & Sacerdotum 718. Episcopus sedens Presbyterum stare non patiatur 672. intra domum Collegæ, *ibid.* Episcopi decoctores animas nihil curantes 790. titulares Sodomæorum &c jurantes, se illam Ecclesiam adituros &c. 810. Episcoporum & Prælatorum ultra deligatam scelerata vita 829. Civilia bella concitant, bellandi studio Templa spoliant, Papa præsaliente, *ibid.*

Episcoporum Asiaticorum decretum contra Victorem in causa Paschatis 13

Episcopum supremum seu primæ sedis se esse dicit Hierosolymitanus 53. Episcopi aliquandiu universalis titulo usi Archiepiscopi Constantinopolitani 86 Episcopi universalis titulus prodromus Antichristi 62. 65. *& seqq.*

Episcopi Germaniæ & Galliæ contra Anastasium P. LIX. 56. LX. *ibid* Monent Papam & Italicos Episcopos, ut se missos faciant &c. Præsidentes si devient, non esse sequendos, *ibid.* Episcopi procellas in Ecclesia excitantes, humilitatem boni pastoris non imitantes &c. 57

Episcopi Conjugati qui & quot? 14. 34. 36. 85

Episcopi bona Ecclesiasticorum hereditaria sibi & Ecclesiæ vendicantes 498. nec non alia certis pactionibus alienata, simpliciter Ecclesiæ subjugantes 499.

Episcopi correctio etiam ab inferiore fieri potest 270. ad pœnam ita vocari honoris nomen, non virtutis tenentes, 69. 164. ad antiquam frugalitatem reducendi, luxus cohibendus 614

Episcopi Rom. imbecilliores & modestiores tempore Cypriani 27. Episcopis Rom. subsidii modum scribunt Galli 401

Episcopi vocatio vid. Electio It. Investitur. Sacerdot. &c.

Epistolæ: Clementis Episcopi Romani cujus authoritatis & quid contineant 8. 9. *& seqq.* Pii P. I. fragmentum, certam Ecclesiæ Rom. Eccl. consuetudinem sub conditione confirmans. II. Cypriani ad Felicem Presbyt. quod electio Pastoris sit penes Sacram plebem 24 ad Cornelium P. pro disciplina intra provinciã contra Primatum 25. Damasi P. ad Hieronymum de modo psallendi 48. Innocentii P. I. ad Macedoniæ Episcopos pro conjugio contra Syricium P. 50. Bonifacii P. in Schismate electi ad Honorium Imp. deprecatoria 51. responsoria 52. Pelagii ad Narsetem Præfectum Cæsaris contra Episcopos Ligures, Venetos, &c. machinatoria 60. Zachariæ P. responsoria ad Bonifacium Germaniæ Apostolum, qui eum Simoniæ, &c. insimulaverat 91. Gregorii M. contra titulum universalis Episcopi Joannis Constantinopolitani ad Mauritium Augustum 65. Alia, *ibid.* Tertia ad Evlogium Alexandrinum 66. Quarta ad ipsum Joan. Constaninopolit. *ibid* Quintæ fragmentum 67. Sexta ad Mauritium Imp. 67. Adriani P. ad Carolum M. quadraginta quatuor remissivè 93. Leonis P. III. ad eund. Carol M. 100. Michaelis Palæologi Imp. ad Nicolaum P. I. contra Primatum 107. Hulderici Augusti. Episcopi ad Nicol. P. contra legem cœlibatus 80. Episcoporum Belgicorum contra eundem 108. Luitperti Moguntini Archiepiscopi ad Ludovicum P. contra aberrantem Papam ad Reformationem adhortatoria 110. Caroli Regis Galliæ, M. nepotis, & Episcoporũ, Remensis singulariter Archiepiscopi Hincmari responsoriæ ad Nicolaum Papam, pro authoritate Regia, & disciplina intra provinciam continenda 134. 148. 150. Lud. Pii ad Metropolitanum Salzburgensem adjunctis testibus, ut illico Clerum suum reformet 117. Cleri Ravennatis ad Carolum Calvum pro rationabili Ecclesiæ consuetudine contra Primatum petitoria 208. Synodalis & citatoria Joann. P. XXII. authoritate Othonis Imp. I. 227.

Sssss 3 Metro-

Metropolitani ad Clerum & plebem vocatoria pro ordinando electo Episcopo 260. Hincmari Remensis in negotio Electionis & Confirmationis Episcoporum 256. 258. 264. Henrici IV. dehortatoria adversus Hildebrand. P. 322. Friderici I. ad Adrianum IV. de meritis Cardinalium 286. Adriani P. ad Trevirensem, Mogunt. & Agrippin. contra Majestatem Imperii 340. Friderici Regis Siciliæ ad Jacobum fratrem Arragoniæ Regem de reducenda Evangelica veritate, & collapsa disciplina 372. responsoria 374. Frid. III. ad Carolum Regem Galliæ ad comitia Imperii invitatoria pro concilio Basileensi 420. Æneæ Sylvii Cardinalis ad Laurentium Povorellam de arte vexandi Germaniam 467. Jacobi Regii familiaris ad Maximilianum Imp. de jure conferendi contra pluralitatem Beneficiorum 467. Maximiliani Imp. ad Jacob. Wimphelingum Theol. Selstadiensem consultatoria contra usurpationes Papæ 474. responsoria & informatoria 475

Epistola de extrema expilatione ac servitute Angliæ per Papas effecta, ex veteri codice CXCIII. 527. Pontificem Nabuchdonosori comparans, Templum Domini devastanti 528

Epistola: Eduardi III. R. Angliæ ad Clementem P. ne se in jure turbet eligendi & investiendi Ecclesiæ ministros 570. Petri Blesensis ad quendam officialem (Episcopi) ut de Ur Chaldæorum exeat 582. Balduini Imp. Constantinopol. ad Innocentiũ P. III. pro honore Magistratus Commonitoria 606. Responsoria & Elusoria, *ibid.* Caroli Regis Galliæ super liberate Ecclesiarum contra Exactiones Papæ 697. Græcorum ab Joann. P. XXII Responsoria contra tyrannidem Primatus Constinopolitanæ Ecclesię ad Bohemos, Catholicismum Fidei agnoscentis, & unionem optantis contra Romanos Novatores 728. 830. Scholarũ Parisiensis, Oxoniensis & Pragensis contra Primatũ 777. Cæsaris Wenceslai ejusdẽ argumenti, *ib* Henrici de Hassia ad Episcopum Wormatiensem de Erroribus Christianorum, contra Spiritualium vitia 776. D. Veseli de Indulgentiis 780. Joannis Gerson de negligentia Prælatorum 780. Nicolai Clemangis de bubone conciliabuli Joann. XXIII. Præside 795. Sigismundi Imp. invitatoria ad Reg Galliæ, Reformationis in Concilio Constantiensi promovendæ causa 797

Epistola Christi ad Conciliũ Constantiense CCCLVII. de reformando tandem Papa & Curia ejus 798

Epistola Luciferi de non Apostolicis quorundam moribus CCCLIX. gratulatoria & gratiarum actoria 799 ejusdem Principis tenebrarum ad Prælatos 800. ad Clericos, *ibid.* ad Prælatos & Clericos aversim, *ibid.*

Epistola Franc. Pici de Mirandul ad Maximil. Cæs. ad Reformationis studium exstimulatoria 829

Epistola Bernardi Lubliensis ad quendam Simonem Cracoviensem Bibliopolam contra Traditiones & Primatum pro solius fidei justificatione & libertate Christiana 850. 851

Epitaphium Arnoldi Noricorum Sacrilegi 175. Brancalei superborum Romæ mallei 545 Zische Bohemi ultoris superbiæ & avaritiæ Cleri severi 733 Martini Lupi Teutonicorum submersoris, Pontificis 739

Erasmus Roterodamus de Irenæo, Purgatorium nesciente 16

Ernestus Archiepiscopus Magdeburg. CCCCXXVIII abire jussis superstitiosis Monachis orthodoxè de Articulo Justificationis sentiens, Catholicè in Papatu mortuus 844. 845

Errores à morte Joannis in Ecclesiam ceu desertam domum irruerunt 10 errores seu veritates Græcorum contra Papatum 8 errores & insolentiæ Curiæ Romanæ à Petro & Paulo declaratæ 783

Error undique imminet, à Papa, Conciliis 708. 803. excepto unico: mente in divinis firmata, *ibid.*

Esaiæ vaticinium: *& erit sicut Populus, sic Sacerdos*, plusquam impletum 69. 104

Evagationes Clericorum 614

Evangelii & Epistolæ lectio in Ecclesia totius cultus basis ac substantiale 49 Evangelii & Legis prædicationis cibo solido assueti, spernunt elementa, quæ 210 Evangelium quam perfecta regula, contra quasuis Monachorum regulas 35. Evangelica doctrina sitne humana Traditio, an divina revelatio dubitatur, & cur? 359 Evangelici libri comburuntur & quare? 368. Evangelium suppressum, Patrum scripta rejecta &c. 558. Sic procedi, Evangelium taceri &c. quam diabolo lucrosum declarat missis gratiarum actoriis 500. 799. 800

Eucha-

Eucharistia pleno in usu à pristino martyre dulciter enarrata 18. à Julio P. observari jussa 48. usque ad Synodum Rotomag. corpus & calix Domini communicanti in manus dabatur 551. Turonica Synodus laicos intinctu contentos esse jussit, *ibid.* Constantinens. Christi fideles calice omninò privare ausa, *ibid.* Valdenses quotidie communicantes 644. Eucharistiæ falsum miraculum Bernæ 844

Eudo, Dux Burgundiæ CCLXXXIV. Decretales & Extravagantes, tanquam insidiosa retia vitari voluit 724

Eugenio P. S. Bernardus: Tu procedis deauratus &c. oves quid capiunt? dæmonum magis, quàm ovium pascua 672

Eugenii P. Legationes ad Frid. Imp. 462. & Carolum Francorum Regem 419. Contra Concilium Basileense, *ibid.* Eugenius scopo resistens Reformationis, Conclii Basil. quis qualis? 809

Eulogiarum usus Simoniacus 265

Evocatio & Jurisdictionis confusio 485. & *seqq.* Evocatio Laicorum ad Archiepiscoporum, Episcoporum &c. suffectos judices cum periculo animæ, existimationis, &c. 498 in quibus causis & quam nulliter? 504. 505. quas causas ad forum competens Ecclesiastici planè remittere nolint 504. 509. famuli & famulæ Ecclesiasticorum Laicos evocant 505. levi verbo offensus Ecclesiastes evocat 506. ob quas porrò causas Laici evocentur? 506. quo generaliter prætextu? præscriptæ jurisdictionis 509. evocantur ad tribunalia Rom. indistinctim 464. 470

Eusebius Emissenus XXX. Ecclesia super Christum Petram ædificata, non super Petrum 31

Eusebius Cæsariensis XXXVII. Persecutio sub Diocletiano potissimum ex petulantia, superbia & rixis Sacerdotum & Episcoporum orta 36

Eusebius Pamphyl. Christum in animatis coloribus effigiari indignum censebat 36

Eutropii continuator Cæsarum demonstrat imperium in Pontifices urbemque Romam C.121 *& seqq.*

Exactiones non necessariarum Confirmationum 499

Examinationes Martyrum & Confessorum 852

Exarchatus in Italia 234. & ejus in Pontificem auctoritas, *ibid.*

Excommunicatio temere ne fiat 94. Episcopi non nisi à tota Synodo 125. cavendum Sacerdotibus, ne quando illi ligent in terris, Deus solvat in cœlis 248. apud Deum non sententia Sacerdotis, sed vita hominis quæritur 283. Excommunicatio 2. Paparum ab uno & altero Clericorum realis sola vitatione 311. Excommunicato sine satisfactione publica communicans, Ecclesiam dividit, *ibid.* Excommunicans contra legem potestate se privat ligandi 185. Excommunicandus nemo ob rem temporalem, sed ob causam unicè, quæ directè animam perimit, hæresis in fide aut Schismatis, perversitatis morum 495. Excommunicationis Papalis minæ à Concilio Rom. contemta 228. in eventum retorsio, *ibid.* Excommunicantur injustè: pauperes judicatum solvere non valentes 513. vicini pro Principali non solventes 495 Andreas Carniæ Episcopus 834. Basileensis, *ibid.* Asiatici 13. 14. 15

Excommunicationem Papæ contemnunt M. Simon Langton & Gervasius de Hoppruggc 535. S. Lucas Hungarus in ea mortuus 609. Similiter S. Wilhelm Occam 719. Rupertus Lyncon miraculo ab obitu clarus 524. 536. Sevaldus Eborac. Archiepiscopus 542. 544. Andreas Proles 850

Excommunicantium levitas & injustitia, ob minuta debita metui volentium, ob immania sua scelera Deum nihil reverentium 562. Excommunicantur Romæ benedicendi, communicantur quibus nec ave dicendum 576. Excommunicatur pro minimo contra Concil. Agath. 614. 618. Excommunicationes temerariæ inhibendæ 579. Excommunicatur Frid. II. Imp. non citatus, multominus auditus 695. ultimum contra incorrigibiles remedium ad futilissimas causas non solutionis denarii decimalis &c. adhibetur, non absolutis communicatur, & sic &c. 653. 724. Excommunicare Papa non potest nisi justitia rei postulante 820. non timendus, qui enim ejus Excommunicationem timet & fugit, in Dei incidit 825. Excommunicationibus Indulgentiis & armis Regnum succrevit & conservatur Pontificium 828. Excommunicandus anathematizandusve nemo nisi ob crimen prævia probatione 854. Excommunicationū anathema-

tumve non præcipitandorum ordinatio & mandatum penes Cæsarem, *ibid.*

Exemplis quorundam antecessorum Papæ refellitur arrogantia 140. Exemplum vita Pastoris 786. Exemplorum vis in populo 229. Exempla eversarum Politiarum, & quamobrem? 564

Exemptio Monasteriorum ab obedientia Ordinariorum, & consequenter ab Imperii oneribus 486. Exemptio Cleri in Anglia, quà justitiam 531. generaliter in Synodo Rom. *ibid.* Exemptionem Cleri à Judiciis secularium tot Exemptiones à Prælatis subsecutæ, ut manifestò appareat, omnia ad licentiam & impunitatem tendere 562. Exemptionis speciales effectus, *ibid.* Exemptio Abbatum & Prælatorum ab Episcoporũ jure damnata 606. Exemptiones & privilegia Paparum cohibenda 579. Exemptiones Prælatorum, Abbatum, Abbatissarum abolendæ 611. Clericorum Exemptio Laicorum illaqueatio & oppressio 788. Exemptionum concessarum, quodque ferantur, stultitiæ 788. à potestate ordinariorum querelæ 810.

Exequiorum sumtus & vespillonum quæstus cohibitus Sundæ 682. Brixiæ, *ibid.*

Expensæ & damna Evocationis 504. 506

Expectativæ gratiæ absque numero 464. 469

Expilatio & extrema servitus Angliæ à Papis 527

Externi causarum Patroni seu Judiciorum secularium, in Consistoriis Ecclesiasticorum non feruntur 389. quo prætextu? 513

Extrema unctio iterari solita 628

Extraneis implicati Episcopi quales? 163. 164

F.

Fabulæ CCXXXVIII. in Bibliotheca Fuldensi lupum Monachali cucullo &c. & catum Episcopali scipione &c. procedentes 610

Fabulæ è suggestu declamitantur 741. Fabulæ Legendæ Catharinæ, Christophori, Sergii &c. 856

Falsa in Synodis 27. 45. 199. Falsatores Romani pro Idoli sui primatu actorum Concilii Nicæni 42. 45. & Chalcedonensis 45. Falsarii tres ordine Papæ 42. 44. 45. 46. 47. Falsificationi actionum Synodalium Aquisgrani, quàm sollicitè Ludov. P. occurrat 118. Falsum Constant. donationis 195

Falsa in jure canonico donationis Const. & Ludovici 233 torsionis S. scripturæ & doctrinæ Christi 281. 305. 690 Cameræ Librorum Apostolicæ 395. Falsi familiares Curiæ Romanæ 474. Falsa cudentes impunè numismata in latebris suis Ecclesiastici 494. Falsarii Prælati criminosos tondendo, & justitiæ eximendo 387. 546. Falsa miracula & reliquiæ; vestigiorum in petra Christi ascendentis Sanguinis Christi, Lactis Mariæ 536 Lactis & vestis S. Mariæ, sudoris Christi, membranæ, quâ involutus 656. it. reliquorum Angelorum, *ibid.* & oris minutatim secti loco reliquiarum quorumlibet Sanctorum, *ibid.* Falsa Signa & miracula: imaginis Christi sudantis, sanguinis Christi in manubrio adorati, hostiæ sanguine tinctæ 680. Falsa in Ecclesia Rom. locum sortita idolorum, imaginum & statuarum, quasi loquerentur 807. Simili cum Diabolo jure apud Ethnicos, *ibid.* Falsa Fabularum & Pseudoevangeliorum vulgato nomine apogryphorum, *ibid* Falsorum effectus 817. Relig. Christ. infideli falsum piæ fraudis Indulgentiarum 819. Falsa miracula, spectrorum apparitiones, & imposturæ Satanæ, quando cum Vet. Ecclesiæ miraculis permutatæ Romæ cœperint? 828. Falsum miraculum apparitionis D. virginis, rubentis Eucharistiæ, vulnerum Francisci 845. Sanguinis Christi pro draconis 846. hostiæ inter rudera repertæ & cruore Christi maculatæ 812. Falsi fratres Clerici & unde? 601

Familiaritatis Curiæ Rom. Beneficia 474. falsa, fraudes prætextus, *ibid.* 485. 486. 487

Fasciculus temporum CCCCXX. Cartusani cujusdam Chronicon 839. de sede Apost. ô tempus pessimum, in quo defecit Sanctus, & diminutæ sunt veritates hominum! 840

Festa quæ celebranda secundum Carol. M. 94. 95. festorum ac feriarum multitudo, sceleribus januam aperiens, messoribus inprimis gravis 496. festo die scortatio magis frequentatur, quam tota septima aut quindena 597. 654. Festa nova provinciali Synodo abolentur 760. Festa aliquot Sanctorum abolenda 794. festis proletariis operari nullum est peccatum 808. festa superflua tollenda 810. festi novi institutioni contradicitur Romæ 850

Feriæ vid. Festa

Feuda & eleemosynæ Principum bona Ecclesiastica in capite, cathedralia 547

Fidei

Fidei consonantiam jejunii & rituum diversitas non rumpat 14. fides in Chr. D. N. Sigillum & murus securitatis 33. in Euchariſtia : crede & comediſti 188. Fide sola gratis juſtificamur 194. 579.

Fidei fortalitium, CCCLXXI. contra ignaviam quidquam ad salutem necessarium præter fidem ſtatuentium 809.

Fidei professio ordinandi Episcopi, ad VI. S. & Generales Synodos sese referentis 262. Fides Chriſtianorum fides Dæmonum 690. Fides hiſtorica, subducta fiducia, dogma eſt horrendum, *ibid.* Fides in seculum ſtans in paucis inter mundi pressuras refrigescente charitate 755.

Flaminum bellum Romanensium contra Turcas, Saracenos, Tartaros 450.

Flaviani Antiocheni digniſſimi Præsulis Hiſtoria & lætus rerum exitus contra odium Rom. Pontificum 182. 183.

Fr. Flecken Monachus Steinlausicensis CCCCXVI. Miſſam celebrare noluit 836 visis in refectorio propositionibus Lutheri de Indulgentiis, dixit: ha, ha, ha, Er iſt kommen/ ders euch thun wird. 837.

Flores hiſtoriarum 547.

Florentini & Judæi Papæ in Anglia usurarii 540.

Fluentinus seu Florentinus Episcopus CCXXX. Paschalem P II. armis contra Ecclesiam Ravennatem rem gerentem, Antichriſtum pronuntiat 606.

Fœneratores Clerici 12. 13.

Fontificii qui & cur? 725.

Fornicantur Clerici annuo censu 683. Fornicatores tot & tanti Sacerdotes pecuniam Prælatis ab hoc pendentes 687. Fornicationem pro nihilo haberi, de feriis autem dimicari tanquam pro anima 789. Fornicatio data pecunia vulgò permiſſa 75. 511. Fornicatio Ecclesiæ Rom. Spiritualis qua unam Simoniam quanta? 755.

Forum in causis Clericorum Patriarchæ fine ulteriore provocatione judicando 182. Episcopi à Principibus in Synodis judicati & damnati 548. Papa coram cæsare conventus 122. de quolibet notorio crimine conveniendus 787. Forum Paparum in Causis capitis ſimilibusque coram Cæsare 853. 854. Episcoporum, Sacerdotum, Clericorum, Monachorum, in criminalibus & civilibus coram provinciarum Rectoribus 855, in causis religionis coram Episcopo, *ibid.*

Francia decrescens, Saxonia florens Sceptrum permutant Imperatorium 239.

Franciæ Rectores à Litavico M. seu Clodoveo Consules & Auguſti 274 275.

Franciæ Rex Fanciscus pactis à Papa circumventus 440. Appellatio Universitatis Parisiens. in causa Annatarum 436 Francia Regnum florentiſſimum 473.

Franciscus Duarenus, *Sebaſtiano Albaspineo Regis Chriſtianiſſimi Legato* CLXXIX. pro jure Regio contra Exactiones Papæ 421.

Franciscus Petrarcha CCCII. Curiam Papæ, & quidni ipsum Papam Babylonicam meretricem dicit 745. nec cuiquam majus malum optari posse, quàm ut Papa fiat, *ibid.*

Franciscus Zabarellus, Cardinalis CCCXXXIX. Canonum interpretes Papam supra Deum extulere 787.

Franciscus eam sanctiſſimam paupertatem ratus, ſi Monachus suis manibus operetur, & inde vivat 818. Franciscani Monachi propheticus Apologus 566 568. Franciscani parvum semper cucullum pectori superligatum habentes 604. falso à Dæmoniacis seu Dominicanis miraculo Bernæ ad incitas redacti, egregiè se defendunt, & veritatem orbi produnt 845. 846.

Francofurtensis Synod vid. Concil.

Fridericus I Barbaroſſa dictus CLXX. ægrè fert picturæ inscriptionem Romæ : *Rex* (Lothar. II.) *venit ante fores jurans* &c. Poſt homo fit Papæ 341. negatus se beneficio Papæ imperare 240. & *seqq* ac literis publicis mendacii eum reum esse oſtendit, qui hoc dixerit 343. ejus ad Adrianum P. IV. de virtutibus Cardinalium tabella 286.

Fridericus II. CLXXI. utiliſſimus Reip. Chriſtianæ ac potentiſſimus Princeps 346. 347. absens in Palæſtina agens à Greg P. IX. devovetur 346. à succeſſore Innocentio IV innocens deponitur 354. 695. ejus ad omnes mundi Reges & Principes Parænesis, ne Papæ ac Cardinalibus obediant 354. Sed de reductione Ecclesiæ ad normam primitivæ cogitent 355. contra eum, ut Papæ contribuerēt Anglicanæ Ecclesiæ, fruſtra supplicante Imperatore 535. submergit multos Prælatos ad Conciliabulum proficiscentes 534 535.

Fridericus III. Imp. circumventus ab Ænea Sylvio Cardin. ſtatus deserit 463. 464. invitatus ab Andrea

drea

drea Carniæ Episcopo ad Concilium celebrandum generale, Andream Basileæ expectantem à Papa captivari permittit 834. Concilio celebrato Basileæ generali Carolum Galliæ R. Moguntiam ad consultationem invitat pro Concilio Bas. & liberanda à Dominatu Papæ Germania 420.463 sed victus unica seditiosa & venenata Æneæ Sylvii Cardinalis Senensis ratione Germaniam antiquo solenniter jugo subdit, *ibid.* 463.464.

Fridericus & Iacobus Reges Hispaniæ & Siciliæ CLXXIII. de reducenda veritate Evangelica, & restauranda disciplina Ecclesiastica solliciti 338. *& seqq.*

Fridericus Myconii Pater CCCCXXXII orthodoxè ab unguiculis filium quà fidem quave modum orandi, & retia indulgentiarum ac traditionum vitandi instituit 848 fueritne Valdensis, aut qua alia ratione de illis 7000. unus? incertum. *ibid,*

Frossard vid. Joannn. Fr.

Fuldensis Bibliothecæ picturæ contra Episcopos catos fidem muribus prædicantes, & lupos religiosos 610. Fuldensis sive Abbatis sive Episcopi execrabilis ambitio 318.

Fundatori collatio in dubium vocatur 43 499. Fundatores qua pietate moti & quomodo à subsecuto Bonorum Eccl. abusu excusandi 557. 561. Fundatores de rapinis & malequæsitis sacrificantes 557. Fundator spe frustratus 688.

Fures, homicidæ, &c ex Templis extrahendi nulla obstrepente immunitate 95.

G.

Galliæ Episcopi, & Irenæus, Victorem P. Asiaticos in causa Paschatis excommunicantem objurgant 14. *& seqq* contra mendicantes confessiones audientes 667. Gallicæ Ecclesiæ & Hilarius, Petri & Papæ Primatum negantes 54. Galliæ Germaniæque Episcoporum Epistola contra Anastasium P. sub Litavico M. Rege, , Gallis Clodoveo 56. *& seqq.*

Galliæ Regnum Papa ab antiqua Clodoveorum familia in Carolum transfert 87.

Gallorum Levitas &c. Prophetia 88.

Galliæ gravamina contra Papam , & Spirituales 378. usque 449. novæ adinventiones, reservationes & præventiones redituum & dignitatum Ecclesiasticarum 378.379. 695. his obviat Ludovici R IX Pragmatica Sanctio 378. Exactiones sub Philippo R. Pulchro 379.696. Collectiones pro Papa sistuntur & collecta detinentur à Carolo IV. *ibid.* & 695.700. ejus edictum pro libertate Galliæ contra Gravamina Papæ. 697. Galliæ Regni & Regis Philippi P. Acta & Articuli 66. contra Prælatos & Episcopos. A. 1329. p. 379 380. & seqq. 701. Officiales Prælatorum nituntur habere cognitionem contractuum &c. 381. Prælati faciunt consilia provincialia in grande præjudicium jurisdictionis temporalis &c. *ibid.* Sigillant bona & domos mercatorum in fundo seculari 383.

Galliæ Clerici conjugati 383.

Galliæ Prelati comprehensos malefactores, si se dicunt Clericos esse, licet nec tonsuram, nec habitum deferant, ad se trahunt 384.385. attractos malefactores, latrones, homicidas impunè scelus ferre & evadere sinunt 384. 385. imponunt famæ integræ & honestæ vitæ personis, quòd sint usurarii, adulteri adulteræve odii & lucri causa 386 tonsuras faciunt criminosis metu carceris id flagitantibus 386. omnes suos Advocatos jurare faciunt, quòd nemo sine eorum licentia contra eos litigabit 389. pensionarii regii non nisi de speciali licentia admittuntur, *ibid.* volunt inventaria facere bonorum ab intestato, & talia distribuere 389. Rex Ecclesiasticorum audaciam & tyrannidem verbis solam reformationem simulantium cohibet 391. Galliæ Ecclesiarum per Papam oppressio, pauperies & ruina sub Carolo R. VI. 591 Gallicanæ Nationis Apostoli & responsio Dati Cardinalibus ab ejusdem conclusione , voto &c. Constan. quòd Vacantiæ ac minuta servitia nullo jure sint debita, & de cætero nihil solvant 392. 699. Annatarum malum maximum 400. Galli Papam, propter merita Antecessorum, si ultima responderent primis recognoverant 403. Summa Annatarum de Ecclesiis solùm cathedralibus & Abbatiis de Sexennio in Sexennium quanta? 404. Galli Exactionibus Papæ præ omnibus aliis gravantur 405. Cardinalibus usque ad 70000. Fr. annuatim sese provisuros offerunt 407. It. Annatæ. Gallicanæ Parisiensis Curiæ super Annatis non solvendis Arrestum 412. 699. Finantiæ Papales 414. cessent Cardinales

& Camerarius colligere 418. Finantiæ Benedicti P. & Successorum non ad Ecclesiæ tendebant profectum, sed ipsius & animarum interitum 437. Galliæ Regis Caroli VII. Concilii Basileensis contra Exactiones Papæ approbatio & pragmatica Sanctio 419. 439. in 14. annis circa A. 1439. quantum ad Curiam Rom. ex Gallia provenerit? 421. quantum tempore Martini P. *ibid.* quòd sæpius singulis annis, omnibus certis & accidentariis computatis Papa in Gallia undequaque 10. milliones corraserit 701. Franciscus Duarenus Sebast. Albaspineo Regis Christianissimi Legato 421. de Gallia miserabiliter per Papam vexata 422.

Gallicæ Ecclesiæ per Parisiensem Curiam adversus Rom. Aulam defensio Ludovico Regi XI. oblata 422. Caroli VII. pragmatica Sanctio, quid complectatur? 424. Electio penes Principem, Clerum & Populum 426. 427. in Diœcesi Andegaviensi quot aliquando gratiæ expectativæ, repertæ, & quanti singulæ? 429. demtis Annatis & aliis hujusmodi vectigalibus, gratiis item antiquatis, expectativis, quæque hinc dependent, decies adhuc centena millia aureorum & eò amplius, ex Gallia Romam exportarentur 432. Quot in Gallia Archiep. & Episcopatus Pii Pontificis tempore vacarint & quanti Singulorum Annatæ 246, 433, quod Abbatiæ & quanti earum Annatæ? 246. 433. quot & quanti Prioratus, Decanatus, Præposituræ, Præceptoriæ? *ibid.* Parœciæ in Gallia ut minimum 100000. & quanti singularum gratia expectativa? *ibid.* Pii Pontificis tempore & post Annatarum solutionis discrimen 434. Pontifex sublatis etiam reservationibus & gratiis expectativis, multò plus emolumenti ex Gallia, quàm aliunde aufert, pro Annatis, Præventionibus puta ultra 200000. aureorum? 434. Reditus Episcopatuum, Abbatiarum &c. in Curia residentiũ ex Gallia, annis singulis 100000. aureor. summam excedit, *ibid.* Appellatio Universitatis Parisiensis contra Leonem P. X. A. 1517. in causa Annatarum & pactis circumscripti Francisci Regis 436. Molinæi computatio 446. Prioratus simplicis non conventualis in Gallia ob curam animarum & minorem ætatem dispensatio Romæ quanti? 447. quòd demtis Annatis Ludovici XI. tempore ex Gallia Curiæ Rom. provenerit undequaque annuatim ultra 200000. aureorum 448. hæc summa propter augmentum populi & taxarum duplicata, *ibid.* postquàm locum pragmaticæ subintravit circũventi Francisci Regis cõcordatum & Annatæ solvi cœptæ, quadruplicata, *ibid.* reditus Beneficiorum quotannis Romam evehi soliti ferè ad decem milliones ascendunt 449. QuantumPapa Galliæ singulis annis eripere solitus? 696.

Gallici Reges CCLXX. Testes ingratitudinis, Tyrannidis, Simoniæ, rapinarum & expilationum Rom. Pontificum 157 378. usque 449. 695. usq; 706.

Galliarum Regum merita erga Rom. Ecclesiam, & hujus ingratitudo 134: 135. 157. 237.

Galli à Papa in remissionem peccatorum incitantur contra Angelos 532. amissis 300. navibus & 5000. insuper librarum irridentur, *ibid.* eorum de Papæ Primatu politico judicium, *ibid.* & 533. Galliarum Rectores parum laudabiles recensentur 249 295.

Gallorum interludente Cardinalis Tornonii opera in Valdenses crudelitas 635. & *seqq.*

Gamfredus CCCXCIII. carmen pinxit in laudes Curiæ Rom. 824.

Gerhardus & Dulcinus CCXCIX. quòd orationi ex loco præcisè nihil accedat 741. Papa Anti-Christus, *ibid.*

Gerhardus Ridder CCCVIII. contra Monachos agit Mendicantes prolixis preculis domos devorantes viduarum 760.

Germaniæ & Galliæ Episcopi, Anastasium P. & Italiæ Episcopos monentes, ut semetipsos continuis obnoxios febribus curent &c. 56. & *seqq.*

Germaniæ Episcoporum sententia damnans Hildebrandum CLX. 324.

Germaniæ Episcopi quorum filii ab hoc Greg. P. VII habiti 326.

Germanica Biblia 126. quanti ingenii & jucunditatis? 127. 128 divino afflatu translata 127.

Germanica Gens Thomitanorum in Scythia 177. Sacra Christiana vulgari celebrans lingua, *ibid.*

Germanicæ veteris Linguæ censura 217.

Germaniæ, amissæ investituræ dedecus 292. triumphatæ in his & devictæ, *ibid.* & 293. Germaniæ Episcopis, ex quo à Papa investiuntur, gladius non competit temporalis 329.

Germaniæ Gravamina contra Papam, Curiam. & Spi-

& Spirituales 328. 449. Flamines Romanenses in cineres atque favillas eam redactui i, si potuissent 347. Romaniola Sedi Rom. ob causam cessa non præstitam 450. Avisamenta per Deputatos provinciarum in Concilio Constantiensi concepta super materia Reservationũ & collatione beneficiorum 450. 497. Wolf Reservationes beneficiorum in corpore juris non contentæ 450. beneficia Cardinalium Collegii hæreditaria, *ibid.* & 451. beneficiorum electivorum gratiæ expectativæ 451. Deliberationes statuum Imperii tempore Basileensis Concilii 456. Reservationes 457 Electio Episcopi aut Abbatis fieret à juratis *ibid.* gratiæ expectativæ 458

Germania minus præ Gallia opulenta mirum in modum gravatur 461. Germaniæ supplices Pontificibus eluduntur, exprobrãtibus, quòd multò eis pretiosiora sua Spiritualia seminent, *ibid.* & centuplum per Indulgentias reciperent, *ibid.* Germanorum conditio, Gallorum vel Italorum deterior 463 Italorum servi, *ibid* ab Imperatore Frid. contra Concilium Basileense deserti, *ibid.* Pontificibus in divinis & humanis iteratò subjecit 464. Germaniæ paupertas, & Pontificia in eã tyrannis, *ibid.* Martinus Meyer Cancellarius Moguntini Præsulis Dn. Æneæ Cardinali Senensi 464. Annatarum plus quam debetur, extorquetur, *ibid.* expectativæ gratiæ sine numero Decimarum exactiones inconsultis Prælatis, *ibid.* Ecclesiarum regimina non merenti, sed plus offerenti committuntur, *ibid.* & 802. Æneas Cardinalis &c. Laurentio Rovarellæ 465. Persuadendum murmurantibus, magis filios ipsorum per sedem Apostolicam, quàm per Capitula vel Ordinarios promotum iri 466

Germanicæ Nationis Gravamina contra sedem Rom. cum remediis & avisamentis ad Maximilianum Cæsarem CLXXXVI. 467. damna pluralitatis Sacerdotiorum & beneficiorum, docti non promoventur 567 lites feruntur, perit hospitalitas, eleemosyna &c 468

Germanicæ Nationes & S. R. Imperii Gravamina decem 469. Pacta non servari, *ibid.* Indulgentias novas cum revocatione aut suspensione veterum pecuniæ causa concedi, *ibid.* Decimas sub prætextu expugandorum Turcarum exigi, nulla expeditione subsecuta 470. Germanicæ Nationis Gravaminum remedium proponatur Pontifici intolerabile esse &c. *ibid.* 470. Archiepiscopus Moguntiæ moriturus, quid subditos doleat 471. Avisamenta ad eand. Cæs. Maj. concordata Principum A. 1447. serventur 471. experiatur Cæs. Majestas, quomodo in Regno Franciæ beneficia conferantur, *ibid.* approbationem propositi ab Universitate nanciscatur Parisiensi &c. 472. provideat, provideat tamen &c. Timeat, timeat, timeat, timeat, timeat Cæs. Ma. Vestra quos? *ibid.* Si Cæsar hanc impietatẽ enervaverit &c tunc erit, &c 473. Edictum Maximiliani 473 ne quis duos pluresve in Imperio Canonicatus aut Vicarias, possideat 474. Maximilianus Imp. Jacobo Wimphelingo, Selestadiẽsi Theologo consiliũ expetens 74 Invictissimo D. nostro Imp. Jacobus Seleft. 475. usus bonorum Ecclesiasticorum genuinus quis? *ibid.* Epitome in procemium pragmaticæ Sanctionis Regni Galliæ 477. quæ Ecclesiæ in Germania Curialibus nunquam per gratiam succubuerunt 478. 479. sed jus suum præsentandi maturè & statim vacante Cathedra in effectum deduxerit? *ibid.* reservatio generalis non sit penes Pontificem 479. revocentur 480. damna gratiarum expectativarum, *ibid.* non concedendæ posthac, *ibid* tertia pars præbendarum conferatur graduatis, *ibid.* Parochi quales in posterum? 481. Cardinales quot & quales? *ibid* P. Ræsteriscus D. Jac. Wimphelingio &c. Faxit Deus, ne posthac beneficiorum isti harpagines Germaniam ita exenterent enerventque 481

Germanis non ferenda centum Gravamina sedis Apostolicæ, Carolo V. A. 1522. Norimbergæ, & per hunc Legato Papæ oblata CLXXXVII. 482. 836. Dispensationes ære redimendæ in causis matrimoniorum & ciborum 482. Pauperes traditionibus illaqueari, divites pecunia liberos *ibid.* post Septuagesimæ nuptias vetari, genialiter autem publice sine discrimine vivi, *ibid.* onus indulgengentiarum 482 unde stupra, adulteria, homicidia &c. 483. Indulgentiarum Prædicatores sanguinem & medullam simplicium vorantes 484. Mendicantium Terminariorum nulli termini, *ibid.* Traditionum servitus 485. Evocationes in causis hæreditatum, pignorum, &c. Romam 885. Si quis Romæ juret, se in Germania non sperare justitiam, decernitur citatio, *ibid.* de delegatis Papæ judicibus nulli in Causis omni-

nino profanis parcentibus 486. Prælatorum & Monasteriorum ab Episcoporum jurisdictione, perq; hanc technam ab oneribus Imperii exemptiones, *ibid.* & 487. de alternatione juris patronatus per præventionem Papæ, *ibid.* falsa familiaritatis Curiæ, ut Pontificis collationi prætextus sit 485. 486 Prætextus, Subtilitas, fraudes eorundem familiarium seu Curtisanorum 486. 487. 488 Curtisani Prælaturis negotiantur 488. 489. ut iniquis Archiepiscopi & Episcopi nexibus se à suis capitulis inordinatam collationem & impunitatem patiantur adstringi 489. 494. 500. 514. Prælaturarum Commendæ & incorporationes 490. Collegiatæ Ecclesiæ super Principibus & Nobilibus fundatæ 491. inveterata item privilegia, Præposituras conferendi, Statibus non servari 491. Annatarum contra Turcas destinatarum, Romæ absorptarum vela complicātur 492. Ecclesiastici defensionis causâ contribuant, *ibid* Secularium jurisdictionem non turbent, paria onera ferant 492 493. contra Turcas aurum, aliaque cimelia, nec non & campanarum partem in medium proferant 403. eorum scelerata vita & impunitas 493. 494. onus Banni & interdicti: quàm leviter excommunicetur, &c. quomodo posthac procedendum 495. 496. 510. 513 multitudo feriarum 496. domus ac Balivæ Teutonicorum per Apuliam & Siciliam ablatæ 497. idem militaris Ordo & Bononiæ turbatur, *ibid.* Evocationes ad Prælatorum suffectos judices, & quanto cum animæ, corporis, bonorum, &c periculo 498. injuriæ circa bona immobilia, & successionum inæqualitas 498. 499. 519. ipsi fundatori collatio præcipitur, *ibid.* 499. exactiones non necessariarum confirmationum, consecrationum, *ibid* & 501. 502 collatore Laico, quid præsentatus subire cogatur 500. Episcopi Sacerdotes, hi plebeculâ emungentes & deprædantes 500. 515. 516. quales ordinentur? *ibid.* Campanarum baptismus exhibendis conviviis & munusculis, *ibid.* Episcopi partem oblationum contra Turcas sibi vendicantes 502. Abbatum & Abbatissarum, regii pastus non necessariæ consecrationes *ibid.* Multitudo Scribarum & vulturum Romæ Pallium, *ibid.* Definitio Archiepresbyteri aliorumq; officialium in Spiritualibus 503. Evocationes in causis planè civilibus, & ut loquuntur profanis 503. 504. 505. causas stuprorum illegitimè reatuum, adulteriorum, &c. Ecclesiastici ad Laicos omninò remittere negant 504 505. violentæ decimæ, *ibid.* Evocant famuli & famulæ Ecclesiasticorum 505. Evocat Ecclesiastes levi verbo offensus 506. Evocationes prætextu interpositi juramenti, stipulationis, promissionis 506. Reformationes judiciorū non observantur, Episcopis Præpositum, Decanum, &c. punire non audentibus 506. reformationes legum in Laicorum necem 507. à lapsis plus pecuniæ, quam pœnitentiæ exigitur *ibid.* calumniæ contra honestos & honestas 508. Lucrum arrhabonis ex dissolutione sponsaliorum, *ibid.* Evocatiocationes & Ephoratus prætextu protractæ justitiæ denegatæ executionis, 503. 509. 510. lusus præscriptionis 510. abusus confessionis ad mulctas pecuniarias 510. permissus pecuniâ concubinatus, fornicatio, imò absente marito adulterium 511. census, transactiones & ficta jurisdictio Synodalium judicum seu visitatorū 511. 514. forensiū Ecclesiasticorum Patronorum, Scribarum, &c. nullis stipendiis conductorum multitudo, & quid inde? 512. externi causarum Patroni non admittuntur 513. decimando vindemiandi tempus aufertur 514. Missarum negotiatio 515. Ecclesiastici Laicos ad arma provocant, vulnerant, confodiunt 516. Concubinatus Sacerdotū quò excreverit 516. Ecclesiastici publicas tabernas exercent, quæque eò ex usu spectant, *ibid.* moribundos circumveniunt, hæredes defraudant 517. Mendicantes, illustrales, vestales, depeculantes, & pecuniam Romam vehentes, *ibid.* Legatorum & vice Palatinorum natalium legitimationes, & quales hi posteriores doctrinâ & rerum usu 518. iidem Legati & Oratores Pontificii à jurejurando pactis & obligationibus absolvunt 518. 519. Eadem Gravamina Wormatiæ oblata 519. plura longeque graviora referenda essent, sed his emandatis, corruent 520

Germaniæ & Imperii erga Ecclesiā Ro. merita 456

Germani neutrales nec Felici, nec Eugenio Papis adhærentes 461

Germaniæ Episcopatus plus quàm 50. p. 471. accidit intra paucos annos 3. sedere Episcopos, Simonia Annatarum & Pallii æstimanda, *ibid.* Germaniæ quædam Parochiæ, Episcopatus æquant Italiæ 472

Germania ferreâ servitute à Pharaone Rom. pressa 836

Ger-

Germ.It. Feuton.Francon Saxon. Germ. Theol. vid.Theol.
Gerson vid. Joann.Gers
Gervasius præcentor Londinensis, & M. Langton Papæ excommunicationem inanem dicunt 533.
Gigantes Theologiæ quid ægrè ferant? 371. Gigantes famosi per totam Imperii Christiani latitudinem,qui,& unde? 603.
Gilbertus Monachus CCXXXVII. Cistertiensis, dixit abominabile esse monstrum factum in Clero: cui gradus summus,animus infimus, sedes prima, vita ima 609.
Glossa Decreti CCXLIII. Confessionem statuit universalis esse Ecclesiæ traditionem,nec Græcis rigidè observari 617. Communio sub utraque, *ibid.* Conjugii honos usque ad Syricium 628. Cæsares Ecclesiæ Domini in temporalibus, *ibid.*
Glossator juris Saxonici Ek de Repkau pro Conjugio,& contra Primatum 590.
Gobelinus Decanus Bilfeldensis CCCCXLIII. contra Legendam Catharinæ 856.
Gomorrhæa Cleri vita 828.
Godefridus de Fontanis CCLII. contra Monachos extra limites vagantes 667.
Græcæ Ecclesiæ & conjunctæ Asiatica, Macedonica, Mœsica, Valachica, &c. nũquam communi consensu Papæ Primatum agnoverunt 7. nunquam purgatorium,privatas musas &c. probarunt 8. Græcæ Ecclesiæ antiquitas & dignitas 401. Græcorum errorum, seu veritatum maximam partem Basileæ volumen: Sanctos non esse invocandos &c. 8.
Græci & omnes Orientales occasione Photii Patriarchæ Constantinopolit. Infulam Papæ tangentis excommunicantur 201. reconciliationem bienniam expectant, *ibid.* tandem in Concilio quasi Oecumenico Constantinopoli Libelli Papalis subscriptione decepti restruuntur, *ibid.* & 202. restituti subscriptos Libellos reposcunt 202. 203.
Græci Germaniæ Regibus titulum invident Imperatoris 202.
Græcorum in Italia ignavia 236.
Græciæ Schismatis prima causa Lex cœlibatus 558.
Græcorum Sacerdotum libertas matrimonii 614.
Græcorum laconizans ad Joann. P.XXII. Primatum, Diabolus tecum 724.
Græcorum cum Romanis Florentiæ unio simulata, repudiata 729. 730. 731. Græci Bohemi Catholicissimum Fidei agnoscentes, qua ritus bonam voluntatem & discretionem, atq; in toto unionem offerentes 728. 729. 730. 731.
Gratia Christi à Cœlestino P. celebrata 181. contra Pelagianizontas & liberum arbitrium asserta 549.
Gratiæ expectativæ in Diœcesi Andegaviensi quot & quanti? 419. in beneficiis electivis inordinatæ 451. metis juris includendæ 458. damnum 480. non concedendæ, *ibid.* majori attentione conferendæ 787.
Gratiani decreti Collectoris censura, quoad donationem Constantinianam 234. Legatus in Angliam 521.
Gravamina & oppressio Rerumpubl. ac Ecclesiarum per Papã & respectivè Prælatos CLXXIV 378. *& seqq.* jugum Pontificium jam sub Carolo II. circiter ceu intolerandum in Synodis accusatum 96. 211. 378. Generalis Latinorum Gravaminis particula: Census & Decimæ 496. par magna Episcoporum seductio & Jurisdictioni convulsio, *ibid.* Specialia Gravamina Galliæ 378. usque ad 449. vid. Gall. Germaniæ 449 usque 520. vid Germ. Angliæ 520. usque 548 vid Angl. Siciliæ 548.
Gregorius Nazianzenus XXVII. nullam se testatu Synodum vidisse,in qua non potius mali aliqui quàm boni effectum sit 27. mortuis opera hi facta non prodesse, *ibid.*
Gregorius Nyssenus XXXIX. peregrinationes Hierosolymam inutiles, & cur? 38.
Gregorii Papæ I. LXV. titulum universalis Episcop Antichristi prodromum dixit 65. 66. 67. eju purgatorium 69 70. imaginum cultum reprobavit 17. primus servus servorum videri volu 68. Legem cœlibatus abrogavit,& quam ol specialem causam? 68. 70. 80. 82. coram Cæsar adulterii accusatus 70 contra Anglicanas Ecclesias per Augustinum Legatum armis grassatu 23. 71. 72.
Greg. P. III. seditionem filiorum contra patrem Ludovicum P. juvit 272. &c.
Greg. P. VI. Necromanta Pontificatum 1500. Libris emit 314 deponitur 316.
Gregorius P. VII. Monachus antè,& cujus Sectæ 219. 313. in Schola profundæ perversitati Gregor. VI. eruditus 308. 312. 313. ejus mo re

tes aliquanto plenius 308.312.313.314.315.316. Hic Henricum IV. Imperat incautiùs circa investituras versantem deposuit 277. & *seqq.* quorum specialiter in Germania auxiliis? 280. 282. 305 quibus artibus? 279. 280. 286. 308. 309. 310. 311. 317. ejus memoria & encomia: falsarius ob detortas violenter Scripturas 28'.305. Antichristus 283. 299 300. pacis atque pietatis Christianæ labefactetur 281.283. Minister Diaboli 289. seductor populi 302. proditor 303. 308 erro à fide Catholica 305. 317. infidelis in causa Eucharistiæ 286. 324. manifestè pythonicus, *ibid* vivi comburii dignus & quare? 306, Simoniacus 319, Schismaticus 310.736. Hæreticus 285.286 Tyrannus 282. Apostata 391.392. ejus Decretum, in quo à doctrina & fide Cathol. aberravit 317 investiturarum jura Imperio sub anathemate confirmata primus solvit 238. maritos Sacerdotes ab uxoribus separavit 281. subditos à juramento absolvit 281 299.305. deponitur 286. 291. Successoribus vestigia prementibus Antecessores 299. dicitur in extrema hora pœnitentiam egisse: Henricum IV. per intimum quendam deprecatur, *ibid*, visus æternis mactari suppliciis 298.

Greg IX & Successor Innocentius IV. Friderici II. Imp exagitatores quales? 349 eorum fascinationes populi, & prætextus contra depositum Imp 348. processus 736.

Gregorius X. Lugduni Concilium cogit 449. quam artem Episcopos doceat? quid impetret & ad quid? *ibid*. Leo ferocitate, sanguisugus avaritiâ 534. ejus escambiatores, seu trapezitæ in Anglia, *ibid*, ejus visitatores in orbem qui quanti? missi Satanæ à facie Dei, *ibid*.

Gregorius Ariminensis CCLXXXV. Scholasticos Pelagianis deteriores esse asseruit. 724.

Gregorius Heimburgensis CCCLVIII. Norimbergensis Syndicus 798. scripsit contra Primatum, *ibid.* à Pio P. II. excommunicatus in Bohemia exulat 799.805.

Gregorius Morgenstern CCCXXXVII. contra Monachos agit antecessores suos Dominicum Christo tantum non comparantes 785.

Gualterus Mapes CCXLV. contra mores vitamque Præsulum: væ genti inutili cornutis ducibus &c. 628.

Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis in Gallia CCXXXIX. scripsit inter alia jussu Clementis P. V. Concilium celebraturi Viennense Reformationem non solùm mores, verùm etiam alios abusus Ecclesiæ Rom. concernentem 610 usque 621.

Guilielmus Aurifaber CCLXVI. Papa Antichristus, Prælati membra, Roma Babylon 691.

Guilielmus de S. Amore CCLXVII. Magister Parisiensis & Concionator occasione tunc prævalidæ Monachorum ambitionis contra hypocrisin malorum in Ecclesia & Rep. maximum se unicè acturum professus voceque & calamo præstitit 691.

Guilielmus Occam CCLXXIX. Primatum in dubium vocavit 719 Clericorum nimiam libertatem damnavit, frustra excommunicatus à Romanensibus pro Sancto colitur, *ibid.*

Guilielmus Sarctoris CCCLXXIII. contra invocationem & adorationem Sanctorum 811.

Guilielmus Budæus, ICtus, Gallus CCCCXXX. de Papa, Episcopis, &c. Egone ut credam fidem eos bonam agnoscere, quorum &c. cum doctrina è diametro vita pugnat &c 846.847.

Guntherus Episcopus Magdeb. CCCLXXVIII. Reformationem tentavit 814. Sed irrito conatu, quòd non à capite sed mendicantibus Monachis inciperet, *ibid.*

H.

Hæredit. vid. Successio.

Hæresis quid? 537. Hæreticus quis? 495. Hæreses extravagantium 720.

Hæretici à morte S. Joannis in Ecclesiam irruerunt ceu desertam domum 10. Hæretici Papæ: Leo I. 35.36. Liberius 308.311. Greg. VII. 285. 286.299 311.324. Hæresiarchæ Greg. IX. & Innocent. IV. 349.736.737. Hæreticorum fructus, reprehensorem persequi 681. Hæresis & falsa juris Pontificii 720. Hæreseos quasi Valdensium 7. causæ eruuntur 641 & seqq.

Halleluja Paschatis 623.

Hayabalus Monachus CCL. Minorita affirmabat se divinitus jussum concionari: Synagogam Roman. Babylonicam esse meretricem 666.

Haymo Archidiaconus Cantuariensis CLXVIII traditiones pseudoprophetarum digno prosecutus odio 337

Helias Rubeus Tripelanensis CCXLIX. contra idololatriam imaginum 664 Superstitionem, luxum Ecclesiasticorum 664 665.

Helmol-

Helmoldus Historicus CLXI. de innocentia Henrici IV. Imp 326. & seqq.

Henricus I. Imp. & Rex Galliæ electus, ungi non vult & cur? 239.

Henrici III. Imp. divinus furor contra duos Moguntiæ de superiori loco in Templo concertantes Prælatos 318.

Henrici IV. T. CL 277. Summæ laudes 321. 328. 764. nævi 278. 309. 314. 318. 327. 328. 764. noxia clementia in depositum & relegatum in Germaniam Greg. P. VI. ejusque discipulum ac comitem Hildebrandum 314. Hildebrandum, Sedis cum tempore Rom nimis atrocem invasorem Greg. VII. dictum 305. 309. à quo ob speciem Simoniæ 826. 764. non tamen vel confessus, vel convictus, 308. anathemate percussus & depositus 282. 283. nec publicè licet Canusii deprecans, ad reconciliationem unquam admissus 309. sed ad extremam tandem sortem à Papis & filio redactus 326 *& seqq.*

Henrici V. T. CLXII. Seducti à Papis, Patris sui Henrici IV. AntiCæsaris brevis narratio 328. 329.

Henricus VII. Luceburgensis T. CLXXII. homagium servo servorum præstare noluit 356. explicatur juramentum ad modum pacti vestiti 357 extinguitur Cæsar toxico illita Eucharistia 356.

Henricus I. Rex Angliæ CLXXXVIII. multa tentat pro jure vindicando investiturarum contra Papam 520. 529 530.

Henricus II Rex Angliæ CLXXXIX. instauratis retentus quibusdam Regni consuetudinibus, Episcopos & Prælatos ad præstandum sibi homagium adducit 521. 522. 530. 531.

Henricus Rex Angliæ degener imago Bestiæ 536. 537. 539. 541. 546.

Henricus Archiepiscopus Mogunt. proditoriè delatus, & iniquissimè depositus 577. Appellat: quo? quove eventu? 578.

Henricus de Gandavo CCXXXV. contra dispensationes, & abusum bonorum Ecclesiasticorum 608. 609.

Henricus de Hassia CCCXXVII. patrocinia & merita negavit defunctorum 776. Fabulæ Legendæ, *ibid.* de Erroribus Christianorum liber, *ibid.*

Henricus de tota CCCXXVI. in mortali existens peccato coram Deo qualis? 775. Deus, non Sacerdos peccata remittit, *ibid.*

Henricus Token CCCLXXVII. Canonicus Magdeb. 812. murus contra idololatriam. 813. Seductorios & quæstuarios concursus Populi sustulit 812. ejus Rapularia de investituris 244.

Heraclius & Tiberius Impp. quid Ecclesiæ Rom remiserint? 52. 53.

Hermannus Mutius CCXCI. de hypocritico jejunio & abstinentia à sola bubula, huicve simil carne 733. & libertate Conjugii Sacerdotum *ibid.*

Hermannus Ried CCLIX. contra exulceratissimo Cleri mores 682

Hermes Pastor X. Visionibus suis de purgatorio ali isque Pio P. I. imposuit 12. damnatus posteà *ibid.*

Hierarcha juxta Canones Apostolorum aliena Primatu 7. quatuor Metropolitanorum 41. Romanis turbata 428.

Hieronymus CXIX Episcopi Presbyteris jure non div sed hum. majores 184. Sanctorum filii *ibid* Quis liget solvatve? *ibid* Sanctorum invocatio nihil prodest 185. Peregrinationes inutiles 186 Clerici depicti, hypocrisis Monachorum & Virginum 185. 186. 187. 196. 197. Papam Damasum psallere docet 185. Agapetos virginitatem mentientes exagitat 31.

Hieronymus Paulus, *Canonicus Batrinovensi* CCCCXLI. donationem Constantinianam in facto & jure refutat 853.

Hieronymus Savanorola Dominicanus Monachus CCCXCVI. Justificatio gratuita 825 traditiones elevatæ; Communio sub utraque; Indulgentiæ damnatæ; Primatus negatus, *ibid.*

Hieronym. Prag. Vid. Huss.

Hierosolymæ Cacodæmonas putes habitare 38.

Hierosolymitanus Archiepiscopus primæ sedis Episcopus haberi vult ob causas 53. Hierosolym omnium Ecclesiarum mater 185.

Hilarius sive Pictav. sive Viennensis Leonem P. o Arrianismum reprehendit 35. 36.

Hilarius Pictaviensis & Ecclesia Gallica LVII Primatum negant Petri & Papæ 54.

Hildebertus Episcopus Cenomanensis CLXIV. peregrinationes vanæ 330. 331. 332 Appellatione ad Papam noxiæ 331. 332. encomiũ Romanorũ *hi sunt, qui negant reverentiam Clericis, originen nobilibus* 331.

Hildebrandus vid. Greg. VII.

Hildegardis vaticinia CCXIV. Reformationem prædicit: Apostolico tunc vix Romam & pauca adjacen

adjacentia retenturo 586. contra Mendicantes 587. 588
Hincmarus Remensis Archiepiscopus CIX. Adriano P. contra Carolum Galliæ Regem excommunicandum inobediens 150. *& seqq.* ejus praxis Epistolarum in negotio Electionis & Confirmationis Episcoporum 256 258. 264
Hincmarus major Episcopus Lundunensis LL. prævaricator deponitur 142. frustra Romam appellans, *ibid* & *seqq.*
Hispani Sacerdotes Conjugati LI. seculo adhuc septimo 49. 85
Hispaniæ Synodi an Clerum unquam à jurisdictione exem erint? 78
Homicidæ ex templis extrahendi nulla obstrepente immunitate 95
Honorius Augustodunensis Presbyter CCXVII. per Babylonem Sedem intelligit Rom 591. imaginem Bestiæ singulatim ostendens, *ibid.*
Honorius P. à Synodo VI. Constantinopolit. damnatur 74
Horæ canonicæ recentioris ævi 176. vix à 4. aut 5. in choro præsentibus canuntur 598. reliquis magno numero absentibus. *ibid.*
Hormisdæ P. Legato Constantinop. Maxentius Presbyter & ipsi Papæ coram adversantur missi Græci Monachi 63. 64. hæresim probare parati, *ibid.*
Hospitalitas & eleemosynæ per Papæ collationes & exactiones impeditæ 468. 536. 542. 544. 570. 836
Hostiæ in Welsnac commentitii cruoris Christi cultus 812. 813
Hugo de S. Victore CLXVII. acerrimè notat Clericos 337.
Hugo Cardinalis CCXXV. impietatem Spiritualium insectatur 601
Huldericus Augustanus Episcopus LXXVII. contra Legem Cœlibatus ad Nicolaum P. 79. & *seqq.*
Humbertus de Romania CCLXXIII. Monachus de intolerabilibus Papæ gravaminibus schismatis Græcorum causis 706
Hunni seu Avari 293
Hussi de Luthero vaticinium in veteri moneta notandum 727. Hussitæ Constantinopol. suam Confessionem mittunt 728. 731. ipsis agnoscitur Catholicismus 729. 731. exuruntur Wormatiæ, Spiræ, &c. 732. in Italia Fabricelli vocantur *ibid.* Hussitarum doctrina Valdensium purgatior 640. pars Papatui accedit 727. & quibus conditionibus? *ibid.*
Hypocrisin contra 31. 81. 84. 691. 692. 767. 846

I

Jacobus Apostolorum primus 20
Jacobitæ novum Prædicatorum genus 531
Jacobus Arragoniæ Rex Friderico fratri de Evangelica veritate & collapsa disciplina solicito 374. & *seqq.*
Jacobus Almain, Magister Parisiens. CCCCXIV. Consilium & Ecclesia super Papam, contra Caietanum 836
Jacobus Cartusensis CCCLXXXIII Religio Christiana ob vitæ Christianorum perversitatem, & conficta miracula infidelibus derisui 817
Jacobus Faber & Iodocus Clichtoveus CCCCIII Parisienses Magistri 829. S. S. Theologiæ fontem cœno Scholasticarum quæstionum turbatum toties questi, *ibid.*
Jacobus de Theramo, Canonicus CCCXXI. annum Joan. Hussi Reformationis 1409. prædixit 770
Idololatria imaginum & reliquiarum damnata 16. 17. ita ut imagines non vestiendæ, non luminaria iis accendenda 102. Idololatriarum in Templis reliquias exerceri 780. idolum Papæ Dei in modum honorandi 787. Deus loco detrusis Sanctis in Templo regnantibus 795. Idololatria in Welsnac 812 & *seqq.* Idololatricus & Diabolicus Status deploratus 832
Jejunii in Ecclesia antiquitas & libertas 14. 17. 23. 34. Jejunium hebdomadale & quadragesimale 14. 34. jejunium hypocriticum, abstinere à carne sola bubula similive 733. tollendus abusus 810. Valdenses jejunantes 660. 664. servitus & hypocrisis egregiè castata 842
Illyricæ vel Sclavonicæ Ecclesiæ vulgari in sacris utuntur lingua 22
Imagines: non est dubium, quin religio nulla, ubi Simulachra 28. Imago ejus qui vel quæ adoratur commune quasi fit scortum 29. non adorandæ 65. Imagines Sanctorum virtutes & Scripta 71. Imaginum cultus oppugnatus 87. scriptis

libris ab Imperatoribus Orientis 107 Occidentis 101. 104. 117. Impp. Iconoclastæ quot? ubi? 111. Imaginum Patroni Irene mulier & Constantinus puer 101 111. Iconolatrarum absurditas 130. 131. Imagines neque colendæ neque abjiciendæ 117. Imagines Sanctorum, expressio eorum virtutum 192. 193 Iconolatria improbata 274. 576. 646. 655. 829. Idololatriæ occasio 579 delendæ 600 Imagines de trunco, & picturæ horridæ 655. Imaginibus templa primitivorum Christianorum caruisse 21. ne quidem in communi domo ferendæ 31

Immunitas locorum, templorum &c. contra criminosos nulla 95. quando prætendi cœperit, vid. Concilia.

Imperatorum in Ecclesiam Rom. ejusque Antistites Papas jus ac potestas 51. 52. 53 70. Imperatoris sententia Concilio expectanda 106

Imperatores 13. *& Synodus Constantinopolit.* generalis septima, cultui imaginum ac reliquiarum contrarii XCVII. 111.

Imperator tanquam Rex & Patritius, primus in Electione suæ urbis Romæ Episcopi 284. Imperatoriæ & Papalis Authoritatis vicissitudo 357. Imperatores multi ea dedere Clericis Privilegia, quæ fideles eorum subditos pessundant 763 Imperator statim atque Electus Jus habet administrandi 769. re exigente Concilium cogere ipsumque Papam sede movere potest 782. Imperatores quidam nomen non meriti cur? & quales? 782. Imperatorum est quæcunque Feuda conferre sive Ecclesiastica sive Politica 788. Imperatores Græci urbis Rom. Domini usque ad Innocent. P. II. 853

Imperator quilibet Christianus talis, qualis Papa, & quomodo? 820

Imperii debilitati sub nomine restitutio, illius Antichristi nominis argumentum 193. Imperio Ecclesia Rom. omnia sua regalia resignat protectionis ergò 242. 243. Imperii Rom. miserabilis status quando? 239. dedecus amissæ investituræ 292. hostes qui? 339 347. & *seqq.* 739. Imperii dignitatem à Populo Rom. tantum votiva acclamatione in Carolum M. translatam, ab Impp. orientis 276. Imperium Carolo M. in fidem atque tutelam commissum 708 negatur validè 710 716. Imperii desolatio argumentum Apostasias & præsentiæ Antichristi 751. 755. Imperium quanta astutia Præsidentes Rom. sublimaverint, depresserint? 849

Impunitas Cleri 493. 506. ingentium in Ecclesia & Rep. calamitatum regnantium peccatorum causa 562. 685. 686 688. iniquitates abscconditæ adscendunt 592

Incertus Author vid Anonym.

Incestus Cleri 79 81. 83

Incubi qui & quales? 536

Indignorum promotionis effectus 562

Indulgentiæ ab Orientalibus communi consensu nunquam probatæ 8. Indulgentiæ novæ revocatis prioribus & quamobrem? 464. falsorum juramentorum &c. pro pecunia 543. iniquitates propter aurum & argentum absconditæ, adscendunt sicut fumus de igne 592. Indulgentiæ piæ fraudes dictæ 606. 819. earum Simonia 616. 619. faciunt, ut sine metu Deus offendatur, *ibid.* negatæ 654. fictæ, nullius effectus 7 4. 735. crucis præsertim 735. Indulgentiæ Clementis P. VI. 770. ante Albertum & Thomam pro mero dolo habitæ, *ibid.* & 810. abrogandæ 780. levipenduntur 813. tubis & campanis adsonantibus refutatæ 791. sana paucorum Theologorum veritas iis restitit 820. damnatæ 825. Lieben Freunde/wir solten heute unsern Kram außlegen 2c. 827. pars rationis conservandi Status Pontificii 818. reprehensæ, 840. palam pugnatæ 841. 848. retia simplicium 848.

Infallibilitati objiciuntur: *indiscretio*, *hæresis*, *apostasia* 79. 80. *& seqq.* calumnia Balaamismus 134. usque 164. indicio domesticorum prodita, nulla, Papa labiis veneno aspidum oblitis obnoxius 605. consiliariis Satanæ 366. monetur, *ibid.* Papa & totum Concilium errare possunt 803. Papa errare potest, & erranti resistendum 821. alter alterius decreta damnat 827

Infidelibus Christiana religio ob duplicem causam est derisui 817

Injuriæ per indirectum 681

Injustitia absconsa adscendit sicut fumus de igne 592. Injustitia Curiæ Papalis coram confusa 666. per Legatum agnita 547. 747. actione ficta in vulgus nota 838. justificatio Impii pro pecunia 543

Innocentius P. I. T. LII. uxorem ducere nulli crimini dari poteſt 50
Innocentius II. Paparum ultimus, qui continuo ordine Imperatoribus ſubjecti paruere 853
Innocentius Papa III. Sacra in Templis vulgaribus linguis peragi voluit 50. ejus exactiones & prætextus ſubveniendi Terræ S. 311. tyrannis in Anglia 532. Valdenſes armis, non rationibus vincit in Gallia 662
Innocentius P. IV. Friderici II. Imp. Maſtix Vid. Greg. IX. ejus geſta in Anglia & Sicilia 537. & *ſeqq.* Beſtia notus 539. prædo famoſus 540. Innocentio P. & Cardinalibus Avinionæ Johannes de Rupeſciſſa, Franciſcanus Monachus concionatur 567. 568. quid? quave mercede? *ibid.*
Inquiſitores in Provinciis quales? 367
Inſcitia Magiſtri, profeſſioni contemptum parit 615
Intelligentes rerum ad Synodos admittendi, non ſoli Spirituales 17
Interdictum nuptiarum à Septuageſima 482. ob homicidium Sacerdotis 496. ſanguinis in cœmiterio 501
Intinctus vid. Communio
Invectiva in Clerum 682. 686
Inveſtitura fundatori ſalva 114. 116. Epiſcoporum Ital. Carolo M. agnita 238. 239. 247
Inveſtitura Epiſcoporum Otthonis I. ſeculo ex ſylva Henrici Token CXLIII. 244. & ſeqq. *de A.* 1100. ex veteri codice CXLIV. 247
Inveſtituræ Galliæ, Hiſpaniæ, Scotiæ &c. 249. Inveſtiturarum Germaniæ triumphus Romæ 292. 293
Inveſtituræ per Imperatores faciendæ ex antiquo codice Walthrami 293
Inveſtituræ Principibus ex quo Chriſtum noſcere cœperunt ad Hildebrand usque intactæ? 299. Inveſtituras Germaniæ quis plenè eripuerit 329. qua inveſtiendorum conditione? 329. quàm graviter hinc Imperii vires attenuatæ, *ibid.*
Inveſtituræ apud Epiſcoporum vicarios præſentante Laico quanti? 500. Inveſtiturarum certamen in Anglia 520. & *ſeqq.* 529. & *ſeqq.* amiſſas Eduard. III. reſtituit 747
Inveſtituræ Cæſaris 788
Ioannes Maxentius Presbyter LXIII. contra Hormisdam P. de libero arbitrio aliisque 63. 64
Joanna Papiſſa ſcortum 240. 241
Joannes P. XII. volutabrum libidinum &c. 574. totus monſtrum, *ibid.* & 222.
Ioannes P. XXII. T. CCLXXXII. contra mendicantes 723. ſed ejus Bulla numen ſpirans divinum contra Ludov. IV. 708. Beſtia è mari orta 718. compendium errorum 719. 720. author reſervationum & vacantiarum 394. quamdiu ſederit? & quot milliones reliquerit? 701. Joanne P. XXIII. Concilium Romæ celebrante, præſidet dirus ac ferialis bubo 795. mendax & avarus 399. innumeris ſceleribus coopertus 796. deponitur, *ibid.*
Joannes Cremenſis Apoſt. Sedis in Anglia Legatus qualis? 530.
Joannes Rex Angliæ à quo anathemizatus, & quam rigoroſè? depoſitus, & quo eventu? 532
Ioannes à Rupe ſciſſa Franciſcanus Monachus CCI. 566 & CCCIX. 761. Papam & ejus miniſtros de multis reprehendit graviſſimis ſceleribus 761. ejus apoſtologus 568
Joannes Froſſardus de Joanne à Rupe ſciſſa 566. & ſeqq.
Ioannes Saresbiriſienſis, Carnot. Ep. CCX. contra traditiones, & ſcelera Paparum 581
Ioannes Monachi CCXXI. ejus ſtatuta 596
Ioannes de Argentina Prædicator CCXXII. gratuitæ juſtificationis 602
Ioannes Vunſchelburgius CCLV. de falſis ſignis & miraculis 680
Ioannes Semeca CCLXV. Præpoſitus, contra Clementem P. ad Concilium provocat 691
Ioannes de Ionduno CCLXXVIII. contra Primatum, & meritum operum 718
Ioannes Schotus CCLXXXIII. contra levitatem excommunicationum 724
Ioannes Vuiclephus CCLXXXVI. contra Primatum & totum Papatum 725. 726
Ioannes Huſſ & Hieronymus de Praga CCLXXXVII. Reformatores ſimiliter totius Papatus 726 ille 19. annis antè prædictus 770
Ioannes Ziſcha CCXC. Bohemus, undecies collatis ſignis contra Miniſtros Antichriſti victor 733
Ioannes Munziger Rector Scholæ CCCXV. contra transſubſtantionem publicè perorare auſus 766
Ioannes de Poliaco Magiſter & Concionator Pariſ. CCCXVIII. contra certam portiunculam Primatus 768

Ioannes Gerson Theol. & Cancellarius CCCXXXI. contra Primatum pro Conciliis & speciem Ethnicæ idololatriæ 779. 780
Ioannes Episcopus Camotensis CCCXXXII. Papa Christianis intolerabilis 781. Legati, *ibid.*
Ioannes Antonius Cardinalis CCCXLIX. pro Libertate conjugii Sacerdotum 792
Ioannes Iochius CCCLXXXVIII. Presbyter in articulo Justificationis Paulum secutus non Sophistas 822
Ioann. Trithemius Abbas CCCXCV. contra S. Literarum contemptores, pro gratuita Justificatione 825
Ioannes Fr. Pic. Mirand Comes. CCCCIV. scripsit de non adorandis imaginibus 829. Ecclesiæ Reformationem suasit, *ibid.*
Ioann. Keisersbergius concionator CCCCVI. contra Prælatos & Monachos 831
Ioann. Syringius Canonicus & Concionator CCCCVII. religionem Rom. necessario ruituram prædixit, idololatriam deploravit 832
Ioannes Hilten Monachus CCCCXIII. Reformationis A. 1516. prædixit 835.
M. Ioannes Ibenhagen Pastor CCCCXXIV. contra servitutem & hypocrisin jejuniorum 842. adorationem statuarum, &c *ibid.*
Ioannes Tornacensis CCCCXXXIII. Mag. Paris. oppugnator Primatus 848
Ioann Kalcheisen CCCCXXXIV. contra Indulgentias 848
Irenæus, aliique Galliæ Episcopi XIV. Victorem P. objurgant 14
Irenæus purgatorium ignoravit 16
Italiæ Status 118. & *seq.* 222. & *seqq* Italiæ Episcopi quales medici? 57. Itali quam ingeniosi? 394
Judæi Papæ trapezitæ & usurarii 534. 537. absterrentur à Christianismo, & cur? 602 Judaismus, Christianismus 822
Iulius P. I. LXVIII. Acta Synodi Nicænæ falsavit 47. Communionem sub utraque defendit 48
Julius Papa II. à Cæsare reformandus 450
Iulianus Cardinalis CCCLXX. Reformationem necessariam esse videt 808. 809
Juramentorum absolutionem sibi tribuunt Legati 518. Jurandi frequentia 656. Juramentorum factorum & S[illegible]orum, sed quibus? dispensatio 8[illegible]
Jurisdictio in res & personas Ecclesiasticorum 78[illegible] turbata 48[illegible]
Justitia Dei 59. splendens 287. 578
Justitia est, virum morte dignum elabi non finere 142. justitiam negligere, ruinæ est subdere conditionem & statum 564 justitiam Romæ non esse 825
Justificamur gratuita Dei misericordia per solam Fidem non immiscendis operibus 188. 579. 602. 727 775. 781 789. 806. 818. 822. 823. 825 833. 842. 845. 848. 849
Justificat impium Papa ex operibus pecunia 543
Ius civile CXV. Sacra vulgaribus linguis celebranda 160. Clerici subsunto Patriarchis 181
Jus Patronatus fundatum 114. attenuatum & enervatum 467. 487. 519. 570. 571. vindicatum 474
Jus Canonicum quà decretum & Extravagantes quale? 690. Extravagantium hæresis & falsa 710. insidiosi laquei & retia 724. aucupia formularum &c. 847 vicissitudini ac contrariæ consuetudini obnoxium 651. Juris canon. compilator quid notabile omiserit? 600
Iustinus Martyr XVI. de Baptismate & Eucharistia Ecclesiæ primitivæ 17. 18

L

Lactantius XXVIII. contra imagines & luminaria 28
Laicorum conditio 493. 498. retia & pessundatio 763. Publicani, Regulares Pharisæi 693
Lampertus *Martyr* ob increpatum pellicatum 250
Lampertus Aschafnaburgensis Monachus CXLIII peregrinationum reprehendit vanitatem 318
Lardum in Germania quando comedendum 90
Lapsorum aurea & argentea pœnitentia 483. 507
Latinæ Linguæ inopia 347
Latini suffocatum commedentes 623
Latro Beneficiorum, lupus qua processum 108
Laurentius Anglicus CCLXVIII. Mag. Paris. monstrat Antichristum 694

Laurentius Valla CCCLXVIII. Senator Rom: contra donationem Constãt. falsa miracula, pseudo-evangelia 806. & *seqq*.
Legatio Domini Dominorum ad sedem Apostolicam de ejus Apostasia 366. Legatus Medicus 371.
Legatio Greg. P. I. in Anglia 22. 23 71. 72. Adriani P. ad Basilium 108. 200. Adriani P. & Cardinalium ad Fridericum I 341. 342. 544.
Legati & Oratores Pontificis legitimantes 518. obligationibus absolventes, *ibid* & 519. Legatus Papæ Joannes Cremensis & Joannes Romanus in Anglia quales? 530. 539. Rustandus? 542 Legati Honorii P. IV. in Concilio Sueviæ expeditio 624. Legati Papæ orbem vexant terrarum ac spoliant 781.
Legendorum fabulæ 194.
Leges Civiles CCCCXLII Spirituales omnes Cæsari subjiciunt 853. usque 857 remissione in causis Religionis ad Episcopum & Concilium facienda 855 Legibus subjecti Antistites 145. Legũ & Canonum par ratio, par authoritas 144. 145.
Legitimatio Pontificia Natalium 518.
Lenonibus & Gynæκαρχαξιν Beneficia 686.
Leo P. Arrianus 35. 36.
Leo P. III. T. LXXXVII. 100. & XCVIII 112 vix latinè doctus, quid pro Primatu sanxerit? 100. sub eo Concilium Romæ sic satis laudabile 112. & *seqq*. ejus erga Carolum M. & Ludovicum P. subjectio 119. 120. 241. 242.
Leonis P. VII. electio præsente Imperatore 229.
Leo P. IX. T. CXL. qualem Moguntiæ Archiepiscopum ob causam in Ecclesia erga se senserit 232.
Leo P. X. contra fidem Catholicam S. Basileense Concilium damnavit 440.
Leodiensis Ecclesiæ Epistola contra Paschalem P. II. CLVI. 299.
Letaniæ & jejunium ante Electionem Episcopi 259.
Levitæ nulla latifundia possidentes cur? 190.
Libri in Ecclesia Canonici legendi 180.
Libri Cameræ Papalis falsis obnoxii 395.
Libri sub Papatu contra Papatum notabiles: objurgatorium Cleri 681. Planctus 608. de occultis 739.
Lachrymæ Ecclesiæ 760. Valde in tribulatione 761. de periculis Ecclesiæ 771. de signis & falsis miraculis 680. Ignea Sagitta 738. de Erroribus Christianorum 776. Commentaria in Apocalypsin 778 de defectibus Ecclesiasticorum 780. Speculum aureum sive Dialogus Petri & Pauli de insolentiis Roman Curiæ 783. de Schismate & Concilio 787. Speculum stultorum 790. de Consolatione Ecclesiæ 792. de corrupto Ecclesiæ statu 784. 793. contra nova Sanctorum festa 795 contra Simoniacos, *ibid*. de astutiis & Practicis Eugenii IV. 795 de Authoritate Cõcilii, *ibid*. contra Primatum 798. de Concilio Basil. 805. de meretrice Apocalyptica 806. de emendatione Ecclesiæ 809. contra Mendicantes 813. de squaloribus Rom. Curiæ 815. quomodo Concilium celebrandum 815. de septem Statibus Ecclesiæ in Apocalypsi, de Authoritate Ecclesiæ, ejus Reformatione, de Erroribus modernorum Christianorum, de Malo, de abusionibus Clericorum & quòd Prælati vitia corrigere debeant 817. de Indulgentiis 819. de subditis & superioribus 821. de ruina Monastici Status 825. de non adorandis imaginibus 629. de Conciliorum & Ecclesiæ authoritate 836. Speculum calamitatum super Christianos eventurarum 839. de vitiato Curiæ Roman. Statu 849. Poëmata: Cantilena de Simonia 735. Invectiva in monstrum Babylonicum 778. Cleri fletus 816. Rom. Curiæ laudes 824.
Libri contra Papatum scripti suppressi 779. 805.
Liberius P. hæreticus 308 311.
Libertati Christianæ quomodo repugnent vota 822. Libertas Ecclesiarum Galliæ 422. libera in civitate, lingua, mentes liberæ 547.
Liberum Pelagianismi arbitrium Papatus oppugnatum 64. 188. 626. 724. 725. 789.
Libido Gregis Antichristi τεκμήριον 5. Libido Cleri per omnes gradus 79. 81. peccatum regnans 599 600. castigatio de communi concordia neglecta 368. species quædam pro peccato non habita, *ibid*. Sed vid. Cler. Eccl. Spirit. Prælat. &c. libido Sacerdotibus familiaris 191.
Ligures Episcopi Primatui non assurgentes 60. 61.
Limburgensis Dux fugitivo Henrico IV. obvius 327.
Linguâ vulgari Sacra tractanda 50. 854.
Linus primus Ecclesiæ Rom. Episcopus 16.
Lites immortales 679.
Liturgiæ Justini Martyris pars 17. Liturgia Rom: Monachis observanda 94
Lituus Archiepiscopi 96.
Livoni conversi 245.

Lotharius Princeps Patri Ludovico R.Imp. præ aliis rebellis 273.274. Imperator libertati restituit conjugii Sacerdotum 85. uxore infelix 108. 109 notorius adulter 157 quid sub eo Saraceni? 179. Sergium P. in ordinem redigit 120. 179.
Lotharius II.Imp. qualis erga antecessorem extiterit? 329. subditus Papæ 341.
Longobardorum Regis Theodorici authoritas in Papam 55. Reguli Alachis odium cœlibatus 87. Status 122.
S. Lucas Hungarus CCXXXVI. Primatui se opposuit Alexandri P. II ex capite disciplinæ intra provinciam 117.
Ludolphus Castriek , Magdeburgensis Concionator CCCCVIII. contra Indulgentias 833.
Ludovicus Pius Imp. XCIX. Concilium celebrat Aquisgranense 116. qualem Epistolam ad Archiepiscopum Saltzburgensem mittat 117 Papæ subjectio 112.120. donatio refutata 233. Zelus contra iconolatras 117. O Ludovice utinam nunc viveres! *ibid.* quid diceres? 687.688. Filiorum rebellio 273.274. Papa fautore 271.
Ludovicus II. Princeps Sergium P. in orbitam reducit 134. Imperator Italiam potissimùm inhabitat 124. & Papam quid juris docet 124.125. Paparum post obitum vindicta 125.126.
Ludovicus Imp. & Rex Galliæ ex posteris Caroli M. ultimus, Henricum I. Ducem Saxoniæ ad utrumque sceptrum Statibus commendat 239.
Ludovicus IV. Bavarus CCLXXIV. citra Papæ consensum imperat 706. excommunicatur, deponitur 708. Comitia 708. 715.716. Apologia 709 Appellat Concilium 715. dispensat contra jus Pontificium 707.
Ludovicus Rex Galliæ IX. Sanctus, cujus justitia 365. querelæ & Lex contra Papam 378.695. sub eo Pontifex securim immisit in Ecclesias & Beneficia electiva Galliæ 427.
Ludovicus Galliæ Regis filius in Regem Angliæ electus à Papa impeditur 532. gratitudinis ergò, *ibid.*
Ludovico XI defensio libertatis Ecclesiæ Gallicæ à Curia Parisiensi oblata 422. Ludovicus, & Maximilianus Imperator, Reformationem Ecclesiæ animis agitant 450.
Luitperti Moguntini Archiepiscopi Epistola ad Ludovicum Regem XCVI. contra aberrantem Papam 110.
Luminaria de die in Templis accensa reprehenduntur 28. à Valdensibus non feruntur 655.
Lupoldus de Bebenburgk Ep. CCCXIX. pro Jure Imperii contra Primatum 769.
D. Lurtzen CCCLXXIX contra corruptissimum Ecclesiæ Statum 815.
Lutheri Repurgatio Ecclesiæ generalis ante 120 annos prædicta 21. in Claustris & vulgo not 852. Lutherus qualis ab Andreæ Prole prædictus 849. hunc Lutherus juvenis admodum vidit & audivit 850. totius Reformationis fundamentum Paulus 835.
Luxus Episcoporum Rom. 48. Prælatorum 620 Coercitus 96. Ecclesiasticorum 561.
Luzates conversi 245

M.

Machtilda qualis : Henrici IV. Imp. cognata 180 181.282.
Macrensis Synodus, vide Concilia.
Magdeburg. Decanus quidam de vitiato Rom. Curiæ Statu 849. reliquos Vid. suis nom. Henr. Token, Lud. Castr. &c.
Magistratus Jus animadvertendi in Episcopum & Clerum 78. omnis anima subjecta, etiam Leoni P. 112.120.140.283. censum debent 840.
Magistratus criminosos elabi sinens causam suam facit 142 ipse LL. observans 144.
Malum in Ecclesia Rom. multiplicatum quomodo? 801.
Mandata Papæ & Prælatorum quando obligent 821.
Mandrapoli Christiani 851.
Manfredus Frid. II. filius 538 542.544.
Manifestum Frid. II. Imp. contra Greg. P. IX. & Successorem 353.354.
Marcellinus Papa grana thuris Idolo offerens 676
S. Maria non adoranda 29.30. ejus invocatio à Monacho exprobrata, cui? 529.530.
Marsilius Patavinus CCLXXVII. pro jure Magistratus 718. ejus Scripta Wenceslao Imperatori allegata 777.
Martinus Meyer Cancellarius Mogunt. Æneæ Cardinali Senensi Patriopt. S. D. CLXXXIII. 464.
Martini P. benevolentia erga Germanos 739. epitaphium, *ibid.*
Martyrium : defunctorum in confessione veritatis Sanctitatem calumniis & diffamationibus extingui 368.
Martyres & Confessores sub Papatu cum pericu-

culo vitæ,famæ,aliquot: Valdus & eum secuti 631. 638. 639. 662. Wilhelmus Occam 719. Marsilius Patavinus 718 Joann. Wicleph 726. Joann. Huss & Hier Prag. 727. Petrus Dresdensis & Jacobus Misnensis,732. Petrus Payne, 733 Alsatiæ Nobilitas & Vulgus 733 Gerardus Parmensis & Dulcinus Navarrensis 741. Franciscus Petrarcha 746. Petrus Joannes Minorita 746. Joann.de Rupescissa 761. Michael Cesenas Minorita , 768. Anonymus quidam in Livonia 778. 779. Thomas Phedonensis Carmelita 804, Laurentius Valla 809 Greg. Heimburgensis 799. 805. M.de Wesalia 819. Stephanus Brulifer 822. Paulus Scriptoris 823. D.Sebastianus 827. Hieronym Savanorola Dominicanus 825 Andreas Archiepiscopus 834. Joan. Hilten Monachus 835 Nicolaus Rus 840 D.Pfenning 841 Joann.Tornacensis 848.

Matthæus Paris. Albanensis Monachus CXCIV. Epitomator Historiæ Anglicæ. 529.usque 547.

Matthæus Westmonasteriensis CXCV. Flores Historiarum 547.

Matthias M. Parisiensis CCCXVI. Bohemus de Antichristo 766.

Maximilianus I. Imp. CCCCXV. oblatis sibi Gravaminibus utrumque malum lenit 836. Edicto 471. facturus plura,Si &c 450 829 830. Gravamina & Avisamenta ad eum 467.usque 481. perfidia Paparum 836.

Mechtildis CCCXXV. Prophetissa 744. *ead.* CCCLI. 793.

Medicus à Deo ad Sedem Apostol missus 371 cujus rei gratiâ? 366. *& seqq.*

Mediolanensis Ecclesia Primatui restitit 22.

Mendacium de omnium Ecclesiarum Matre Romana 201. non habente maculam. 99.mentientes Petrus eo,quo peccarunt,jaculo nudi sermonis occidit 270. Mendacia apostatarum contra Evangelicos Martyres 368.

Mendicantes Prædicatores cui timendi? 472 Mendicantium ordinum insatiabilis avaritia 484. Illustres Virgines Vestales emungunt 517. res accipiunt furtivas,quid pollicentes? 587.588. eorum multitudinis scandalum 598. ipsi Benedicto P.perfecto odio exosi 663 eorum in Gallia litigium 667 *& seqq.* injusti, hypocritæ 669. probatum esse Pseudo-Apostolos 692.

Mendicitas validorum damnata 813 814. 818. talibus nihil dandū,attamen opus assignandū 95.

Mendicantium Reformatio non procedit cur? 814.

eorum scripta fundamento destituta 822.

Meretrix apocalyptica 686. vid Apocaly t

Meritorum opinio explosa 33.40,41. an causa salutis sine qua non? 718.

Methodius Græcus Tyri Episcopus XVIII. vaticinatus de novissimis 21.

Methodius Illyricus XCI. S Biblia Slavis vertit 106. Slavicè celebravit, *ibid.* & 176.

Metropolitani seu Patriarchæ IV. 41 authoritate pares 42. Synodos convocent 43. eorum in Clerum suprema potestas 112. *& seqq.* 156.

Michael Palæol.Imp. XCII. ad Nicolaum P. Magistratui eum subjiciens 107. idem contra iconolatriam, *ibid.*

Michaelis Imperatoris Bardæ interfectoris historia 198 199.

Michael Constantinopolit.& Leo Atridanus Archiepiscopi CCXL. contra Latinorum Azyma,suffocatum 621 *& seqq.*

Michaël Altisiodorensis CCCVII. Archiepiscopus pleraque nova festa tollens 760.

Michael Cesenas, Minorita CCCXVII. Joannes ejusdem Ordinis & Petrus de Corbana Primatum in radice vellunt 767. 768.

Militzius Bohemus Concionator CCCXX. Romæ Antichristum prædicat 769.

Ministri Ecclesiæ 196. 570. 844.

Minoritæ contra crucifixum Judæis assistentes 537 539. an Reformandi 797.

Miraculum Antichristi ignis 313. Miraculum 20. annos sine cibo transigentis 835. crucium super indumentis Ecclesiasticis &c. cadentium 859.

Miser Ecclesiæ Status sub Leone CXXXIX, canibus non latrantibus 232.

Miseris ingenium grande 846.

Missæ sacrificium Ecclesiæ Primitivæ incognitum 171. Missa Sclavonica 22. 102. Apostolica 68. Romana Latina prima 74 pro mortuis seculo VII nulla 76 Missæ venduntur 515 una pluribus *ibid.* Missæ prædicationi non anteferendæ 546. Lucrosæ 650. 651. 662. non celebrandæ 690 pro mortuis non sacrificandum , *ibid.* improbatum sacrificium 725. nullo modo prosunt 750. earū furtum 750. communis error 802. abusus 820. Missæ olim privatæ nullæ 835, ab universali Ecclesia nunquam approbatæ 8. Publicæ in Germania admodum raræ. *ibid.* ore damnata Missa Romana 847.

Modestus

Modestus I. Charentanorum Episcopus 175.
Moguntini Archiepiscopi authoritas contra Leonis P. Primatum 232. Moguntinum Pontificale de Ordin. Episcopis 269. Pallium 470. 471. Calicis fistulæ testes Communionis sub utraque 837.
Monachatus: flagitium est fidem habere in coloribus 27. hypocrisin præfigurarunt Agapeti 31. quæ eorum in terminis Regula? laborarentque non aliunde comesturi 33. 34. 190. Monasticam non præstare communi vita 41. 629 760. Monachi quot laborantes? 71. Monachorum Legatio contra errores Papæ 63. Monachi in fraudem hæredum 105. peculium Papæ ad Liturgiam Rom. obligati 94. Monachorum & Monialium dimensum 119.
Monachus titulo Gratiæ Harmoniam Evangelicam concinnans 215. & seqq.
Monachus libertatem Conjugii Sacerdotum defendens 233. 831. Monachorum laxæ vestes 290. Scapulare singularitatis 210 fit curtum causa laboris 391. Regnum adversus Regnum concitant, Cathedra pestilentiæ 291 292. Monachi primitus non computabantur in Clerum 181. funibus præcingunt lumbos cur nō & lucernas gestant? ibid. & 209. habitus superstitio inprimis cùm ad Sacerdotium assumuntur observanda 208 &c. Crœsi & Tantali opes congerunt 319. cerne lupum Monachum 336. Monachus Eucharistia Henr. VII necans, 356. Monachi festis diebus ad vomitus vorantes 187. 291. exauthoratus exercitus 231. ante justam ætatem se in claustra non abdant 233. nec aliter quàm impetrata à Principe veniâ, ibid.
Monachus tyrannidem Papæ egregiè depingens 529. usque 547.
Monachi Papæ se opponentes expilationi 542. erroribus in fide 63. Monachi prolifici incubi 536. turpitudines cantantur in tentoriis Geth, in compitis Ascalonis 584. quid annua pensione redimant, ibid mundo mundaniores 608.
Monachi duo Clementis P. VI. adversarii 666 Monachus Eugenii P. severus Magister 672 673. Monachi quales recipiendi & quomodo habendi 615. polypragmones 689. Mundana Monasteria Monialium in lupanaria, Monachorum in tabernas versa, ibid. rapacitas circa exequias coërcita 682. multitudo onerosa 689. Prædicatorum & Parisiensis Scholæ controversia 692 693. iidem contra Pastores ordinarios 693 771. 772. prædicti à Cyrillo 694.
Monachus visiones & conciones habens contra Papam 722. 723. Monachus reprehendens & apologo castigans Papam 568. 761. Monachorū ordines superstitiosi, impii, damnati 725. 767. 818. quales Monachi olim, quales jam 738. præsentes ac futuros seducunt, ibid. iis Papa ad finem suum contra fas indulget 738 739. 768. 773 impunè hypocritæ, palam libidinosi 760. Theologiam ventris causa adulterantes, ibid cur superbiant? 785. rarissimi salvantur 786. væ! ibid. Sepulchra dealbata 794. monasteria prostibula, virginem velare quid 784. quàm callidè decepti 814. Ethelothriscia 818. Scelerum luculenta descriptio 825. nigri, quis? albi mater ejus, pulli de utroque 831. Qui sunt illi homines rasi, ibid. evertendi repugnare nequibunt 839 eorum Reformatio in claustris & vulgò nota, cædes Sacrificorum dicta 8 2 853.
Monacho malo non est pejor bestia in mundo 786. Monacho bono nullus post Apostolos honoratior à Deo. D. M. L 837.
Monasteria Dominio Constructoris salva 114. Scholæ simul sint puerorum 95.
Moniales: Claustra vidi virginum aucupia Satanæ 589. Monachorum & Monialium Bestiæ tabernaculum, sedes, imago, thalamus 591. à teneris impudicitiam discunt, fornicariis pejus prosternuntur, ibid. multitudo gravis Ecclesiæ offensio 597. 603. 630. Moniales per castra discurrentes 598. Scorta conversa sacris virginibus prælata 770.
Monstrum Ecclesiæ propter negligentiam ordinariorum & confusionem officiorum 667. Monstrum Monachale 4. facierum 685. 686. Monstrum Canonicorum & Clericorum quot capitum? ibid.
Monstrum Babylonis CCCXXIX. Invectiva 778.
Monstrum in Tyberi repertum Accolam designans 834.
Montanus & Victor Antichristi præludentes adventui 23.
Morani seu Morini à quibus conversi 213. 214. Episcopatus quot, quando, quomodo? 214.
Mortuis succenturiata hîc opera non prosunt 17. mortui non audiunt 32. moriendi ars Catholicè in tenebris Papatus 823. 845.

Murmu-

Murmurans quis? Regni Dei exsors 136.
Murus Engolismæ sponte ruens 274.

N.

Nationatim in Concilio procedatur 456. Nationum eligendi Cardinales 679.
Narses à Papa contra Ecclesias Ligures, Venetas incitatur 60.61.
Nebulones Romulei, genus Archisynagogcon pessimum 624.
Necromantæ Papæ: Benedictus IX. 312. Sylvester II. *ibid.* Greg. VII. seu Hildebrandus 313. Necromantici libri lectio periculosa 308.
Negligentia Paparum non visitantium 361. 371. Præfectorum jura Superioritatis non custodientium 195.
Nicæna Concilia vid. Concil.
Nicephorus CCCXLIV. fornicationem pro nihilo haberi 789.
Nicetas Pectoratus Monachus CXLI. pro libertate Conjugii Sacerdotum 233.
Nicolao P.I. scribit Huldericus Augustanus 80. Episcopi Belgici 108. 109. Græci 199. Rex Britanniæ 548.
Nicolaus contra Ecclesiam Ravennatem, & ejus occasione contra domum & Statum Imperialem 124. & seqq.
Nicolaus Gallus CCXCVII. contra Monachos 738.
Nicolaus de Bibrach CCXCVIII. de occultis Papatus 739.
Nicolaus Orem CCCVI. Concionator Urbani P. V 750. *& seqq.*
Nicolaus Clemangis CCCLIII. M. Paris. contra corruptum Ecclesiæ Statum intimè perquisitum 793.
Nicolaus Siculus de Tudeschis Archiepiscop. CCCLXIV. scriptura supra Papam & Concilium errori obnoxios 803.
Nicolaus Cusanus Cardinalis CCCLXVII. contra Primatum, opera, traditiones 806.
Nicolaus Machiavellus CCCCI. Primatum vellit, rationes Status detegit 828.
Nicolaus Helvetius CCCCXI. Eremita visionem habuit de Papa coronato gladios emittente, & totidem recipiente 835.
Nicolaus Rus Concionator CCCCXXI. indulgentiarum deceptio, Sanctorum invocatio, Spiritualium exemptio 840.
Nilus Thessalonicensis Archiepiscopus, CCCX. contra Primatum 761.
Norimbergenses CCCXI. Clerum legibus arctantes 761.
Nortmanni Galli excommunicatio 134. & seqq. 151. & seqq.
Nortmanni in Italia auxiliares contra Henricum IV 279 315.
Norvvegi conversi 245.
Novationes Romanensibus à Græcis exprobratæ 529.530.
Novatus disciplinæ amans non talis, qualis pingitur 25 26.
Novus Status Ecclesiæ CCLIV. corruptus cum primitivæ confertur 679.
Nuptiæ & affinitas Clericorum 523. 601.

O.

Obduratio Pastorum 592. & auditorum: ex millibus vix unus super enormitatibus ingemiscit 599.
Obedientiæ Papæ quando locus? 787.
Oblationum piorum abusus 48. Oblationes novi sancti contra Turcas 502.
Oblationes pro mortuis seculo VIII. ô quæ & quales? 89.
Obligationis Archiepiscopi, Abbatis, forma in causa Annatarum 408. 410.
Occulta spurcities in lucem notitiæ protracta 367 occultorum Liber 739.
Officiales in Spiritualibus illustrati 682. 683.
Officium horæ canonicæ sub mortali, improbatum 725.
Oligarchia Status Ecclesiastici 751. 755. 756.
Olitani (pro antiqui) Canones 93.
Onus Ecclesiæ, vaticinium 191.
Opinionum varietas 679.
Opus operatum in commestione Sacramenti 188. quoad Articulũ Justificationis 190. opera supererogationis 190.
Opusculum tripartitum CCXXIII. de causis & modo Reformandi 597.
Oppressio vid. Servitus.
Orationes sine Concilii approbatione non frequentandæ 43. Oratur pro mortuis qualibus? 657. rejicitur opinio 576. Orandi modus Valdensium

densium 659. orationi superficies loci nihil confert 741.
Oratio Probi contra Improbi emissarium 624.
Orator Synodalis à Diabolo ad Dei gloriam & Ecclesiæ bonum quid dicturus esset? instructus 800.
Orator & poëta si quis alius loco & tempore congruus, fortis & disertus 841.
Oratores Papæ quales? vid. Legat.
Orbellus & Bernerus CCCCXXXV. pro libertate conjugii Sacerdotum 848.
Ordinatio Episcopi 253. usque 269. Ordinantur inepti 500.
Ordinum religiosorum confusio & multitudo 541 545.
Orientalium Patriarcharum Vicarii Synodum Constantinop. VIII. universalem repræsentantes 201. 203. vid. Concil.
Orthodoxi speculum Doctoris sub Papatu 832. Orthodoxa Patris Laici filii institutio 848.
Osculorum cellarium 841.
Ottho I.T. CXXXVII. Joann. P. XII. deponit 218 *& seqq* Monachos reformat multis cucullo exutis 231. quando & quale Imperium acceperit 239. 245. Ei & Imperio Romani omnia Regalia restituunt ob causam 241. Investituræ eo seculo 244. Latinæ Linguæ ignarus Romæ per interpretem loquitur 226.
Otho Constantiensis Episcopus CLXIII. Interdicto libertatis conjugii Sacerdotum Greg. VII. non paret 329.
Otho Frisingensis Episcopus CCXIX. cingulo Papam solvit gladii materialis 593.
Othofridus Wissenburgensis CXXXVI. Monachus titulo Gratiæ harmoniam reliquit Evangeliorum Germanis 215.

P.

Pacta Ecclesiæ & Populi Rom. cum Carolo M. 120. 237. & *seqq* cum Carolo Calvio 126. Othone I. 241. eorum Romani immemores 120.
Pactum solvens non effugiet 299.
Pacta Principum Germaniæ cum sede Apostolica 471. 474.
Pactorum absolutio penes Legatos Pontificis 518. Pactis Antecessorum Pontifex se non teneri existimat 469. 613. Pacta Capitulorum turpia 489. 490. 494. 514.
Pallii Archiepiscopalis pretium 470. Lachrymæ 471. intenditur subinde & unde? 502. Pallii Simonia 91.
Panormitanus in Sicilia Archiepiscopus quid miretur? 548.
Papam fieri nulli majus malum optari posse 746. Paparum regimen & lapsus in Petro præfiguratur 1. & *seq* ubi Satanismus 2. 3. 4. Papæ sibi invicem contrarii 49. 50. 107. 707. Fraudes & machinationes pro primatu 42. 43. 53. 201. & *seqq*. Papa detrectans judicari 55. negligens non visitans, sed per Inquisitores enecans 361. 367. Balaamismus 150. Antichristus 109. tyrannus 275. & *seq* egregiè sceleratus cum suis tyrannus 380. 531. Imperii hostes 339. ejus Consiliarii Satanæ 366. ex quibus Carnalis eligitur 368. 369 timendus Cæsaribus anteà 350. 472. hospitalitatem & eleemosynas inordinatis collationibus & exactionibus impediens 468 536. 542. 544. malo succedit pejor excoriatori eviscerator. 540. Judæis utens ministris, & privilegiis evehens 534. 537. Consueta tyrannis 544. pictura throni & avaritiæ 596. Socordia & injustitia 665. Ingratitudo, ambitio, superbia, typhus 671. Papæ & Clericorum turpitudine Infideles à Christo absterreri 602. lupus rapax, cujus ingluviem totus mundus non replet 695. 697. 698. tyrannis, qua Orientem ab Occidente, & Europam nuper scidit, in quo consistat 706. Papæ & Spiritualium omni scelere perdita vita Exemptionis & nimiæ libertatis fructus 719 Idolum aures habens, & descendentes ad inferna non audiens 771. Papa cum Episcopis & Prælatis hæretici & Simoniaci publicantur 734. defectio à Christo & ingens impietas picturis proposita 738. Papæ flagitia præcipua quæ? 778. 779. provincias & civitates detinet non jure, sed mera violentia 788. ejus antehac in Principes Superioritas ridicula & abominabilis 788. Papæ & Cardinales jacturam non animarum, sed crumenæ cogitantes 794. Diaboli per literas innotescunt Vicarii 800. fraudes, quibus jus conferen-

conferendi Episcopatus ad se pertraxit 815. scelera eò excreverunt, ut vix Misericordiæ locus 816. bellorum semen 808. 828. colligitur, eum nec Deum, nec Ecclesiæ salutem curare unde? 821. Claves Pharisæorum non reserantes Regnum cœlorum, sed claudentes, *ibid.*

Papasellus CCCCX. monstrum in Tyberi repertum, bardum & crudelem Accolæ procedendi modum designans 834. Paparum perfidia cognita Maximiliano Imp. 836. collusio & injustitia vulgo 838.

Papatus & ejus Reformatio ante 12. secula prædicta 21. Papismo cunabula damnati Hermetis visiones 12. Papicolæ Acta Synodorum & Patrum scripta depravantes 45. religio quæ nunc (1499.) viget, in summum ventura contemptum 844.

Paphnutius XLI. pro libertate conjugii Sacerdotum 40. 81. contra imaginationem meritorum.

Paralipomena Vrspergensis CCXCIII. de Ingentiis & Primatu 734.

Parisienses Episcopi CCLI. Thomæ de Aquino doctrinam in quibusdam damnarunt 666. Parisiensis Universitatis seu Scholæ Appellatio cōtra Leonem P. X. 436. *& seqq.* authoritas apud exteros 472. Galliæ Episcopos 667. certamen cum Prædicatoribus & Minoribus 537. 542. 545. 692. 693. Indulgentias Papæ tubis & campanis adsonantibus refutat 791.

Parochiæ in Gallia quot? 246. 429. 432. Parochialibus Ecclesiis quomodo providendum 481. Parochi civitatum sint Magistri, *ibid.* Parochianus aliò migrans, aureum solvens pro testimonialibus 515. Parochiæ quædam Germaniæ, Italiæ Episcopatibus pares 472. Parochi non residentes quales conducant vicarios 599. Parochi Cardinales 828.

Parrhesia Marcinelli 841.

Paschalis P. I. contra Pacta electus, Ludov. R. Imperatorem deprecatur 120.

Paschalis P. II. Henrico V. & Imperio perfidus Investituras aufert 328. 329. promulgatur Antichristus 606.

Paschali P. fidelitatem à Panormitano Archiepiscopo exigenti, contradicitur 548.

Paschatis celebrandi diei controversia in Primitiva Ecclesia 13. 14.

Pastorum mala vita 229. mulis pascendis magis idonei 464. 469 Oviculas deprædantes 515. repressa pastorali potestate quales? 524. mandata hominum docentes 526. super gregem non vigilantes 527. de computo magis lactis, quàm de claudis & miseris solliciti 628. 822. Pastoralis cura formidanda, non involanda 673 ob rapacitatem Papæ esurientes 794. perfidi 830. Pastoris boni inter tormina Papatus imago 832. 833.

Patriarcharum seu Metropolitanorum par authoritas 677. officium cognoscendi 182. quot? triumque vicarii 203. & seqq. Patriarcharum Constantinop. & Romani exequutio 855.

Patrimonium Petri cur nōn Romanis sufficiat 405. boni & mali scientiæ lignum 603. abusus gigantes peperit, *ibid.*

Patritius Imperator urbis Romæ 284. & quid inde? *ibid.*

Patroni & Evergetæ Rom. Ecclesiæ 357. Patroni causarum 513.

Paulus Scriptoris CCCXCI. Lector Tubing. transsubstantiationem aliaque reprehendit 823

Paulinus Nol. Episcopus CXXX. odio à Clero Rom. haberi, quàm nihili duxerit 197.

Pauperes quævis Regio suos alat 95. & unde? *ibid.* it. 94. 475. Pauperum cura 177. 192. 232. 364. Pauperes judicatum solvere non valentes, nulliter excommunicari 513. Pauperibus Prælati, & cur? 616.

Pauperculus quidam alter Henrici IV. Simei 328.

Paupertas olim Episcoporum 251. 252. 296.

quæ quanta Monachorum? 319.
Peccatum capitale nullum tolerandum 661. immanitas scelerum ac species Cleri & Populi 58. & seqq. occulta in lucem protracta 367. Indulgentia causa 543. Peccatum regnans 493. 506. 599. 789. involutio prætextu famæ &c. foliis eleganter Adami comparata 603. peccato in mortali seu extra gratiam existentis Status 775. Peccata in Ecclesia Rom. multiplicata 801. peccatum re non peccatum, & vice versa 789 (It. Simonia) 811. Peccati mortalis definitio, solius Dei 821. 823.
Pelagius P. LXII. universalis Episcopi titulum abhorret 62.
Pelagii post errorem totus mundus abiit 552. vexatissimum omnium linguarum, graduum atque Sexuum problema 555.
Pelagianis deteriora statuentes Scholastici 724. Neopelagianismus Pontificiorum 725.
Peregrinationes Hierosolymam, Romam, &c. inutiles 38. 131. circumscriptæ 105.
Peregrinationum Canones LXXI. ut sibi in itinere caveat sequior sexus 75. 76. 657. favent etiam validis Mendicantibus 106 vanitas 318. vivis Principibus noxiæ 330. & seqq. reprehensæ 735. 842.
Prrfidia Paparum 328. 329. 336.
Persecutiones Diocletianæ causa quæ? 36.
Petrus T. I. ejus Lapsus & Prophetia Papæ & Synagogæ quam congruunt! 1. usque 4.
Petrus Jacobo inferior 20. Si Primatum reticuisset qualis? *ibid.* & 21. Petro cæteri Apostoli pares 25. reprehensibilis & ad obsequendum obstrictus 57. lenitas & erga correptorem gratitudo 138. Petri privilegium æquitatis judicium 160.
Petrus triumphans de spoliata Investituris Germania 292. 293.
Petrus an fuerit Romæ? 718. an Episcopus fuerit Romæ 719. dialogus 784.
Petrus Damianus Cardinalis CXLVII. de correctione Papæ 270. Simonia 727. à Petro Regi Ungariæ Corona Imperii missa 313.
Petrus Pæsteriscus Jacobo Wimphelingio 481.
Petrus de Bruis CCIV. iconolatriam, invocationem Sanctorum &c. damnavit 576.
Petrus Blesensis CCXII. Officialem in Spiritualibus depingit 582
Petrus Comestor CCXXVI. contra Scripturæ neglectum & Cleri vitam 601.
Petrus Cantor Paris. CCXXXII. Epicureismus Cleri 606.
Petrus Cluniacensis Abbas CCXXIX. contra multitudinem & vanitatem Monachorum 603.
Petrus de Vineis CCLXIX. Cancellarius de Potestate Imperatoris 694.
Petrus Dresdensis & Iacob Misnensis CCLXXXVIII Valdi discipuli 731.
Petrus Payne CCLXXXIX. Wiclephi discipulus 733.
Petrus Ioannis, Minorita CCCIII. quis Antichristus? 746.
Petrus de Luna CCCXXXIII. circumscribit Papam 78.
Petrus Ferrariensis CCCXL temporalem Papæ gladium adimit 788.
Petrus de Aliaco CCCLXXII. Cardin. Reformationem scripsit 809.
D. Pfenning Naumb. Concionator CCCCXXII contra Indulgentias publicè disputans 841.
Pharisaismus Pontificis 149 Presbyterorum 685. Monachorum 693.
Pharisæi Cardinales, Pontifex quis? Christus quis? 695.
Philippus Deodatus Rex Gall. Monachis jus electionis tribuit 427.
Philippus Pulch. Rex Galliæ Bonifacio P. VIII. 843. excommunicatur & deponitur 702. quo eventu? *ibid.*
Philosophiæ ancillatio Theologiæ commixta 690. 691.
Phocas & Bonifacius 103 674 677.
Photius, Patriarcha Constantinopolitanus CXXXI. 197. scripto libro tiaram Primatus tangit 202. malo procedendi modo 199. causa cadit 202.
Pictura Romæ de Lothario II. 341. Fuldæ lupi & cati qui? quid? 610 vid. Prophet.
Pius P. I. T. IX. Apostolicam consuetudinem abrogare tentat 11. & imponitur visionibus 12.
Pii P. II. tetra historia & usurpatio orbis Dominii 821.
Planeta Paparum casula 231.
Platinæ adulatoris testimonium contra Papas 179. 816.
Pluralitas Sacerdotiorum & Beneficiorum vid. Benef. Sacerdot.

Pœnæ consors malum non corrigens 333.
Pœnitentiæ quasi tantum semel esset locus 12. pœnitentia publica pro culpis criminalibus 257. sive clam, sive palam commissis 510. 511.
Pœnitentiaria Papæ temerè absolvens 617. etiam arma portantium infidelibus 615. Pœnitentia & satisfactio à Christo imposita, quæ? 725. pœnitentiam agens nullus 758. pœnitentiæ tres partes evacuatæ 829.
Pola Româ antiquior 61. ejus Episcopi cum Romano concertatio, *ibid.*
Politicorum Ecclesiasticorum lunæ comparatorum consectarium 776.
Politicos debere interesse Concilio, etiam in causis fidei 787.
Polycarpus VIII. pro Adiaphoris contra Anicetum *P.* 11.
Polychronius, Hierosolymæ Archiepiscopus LVI. suam sedem primæ dignationis haberi voluit 53.
Polycrates Ephesiorum Episcopus XIII. Victori P. in causa Adiaphororum celebrationis Paschatis repugnavit 13.
Pompejus Sacrilegii pœnam luens 564.
Pondus & mensura victus Clericorum & Monialium 519.
Pontifices statim contra jurata pacta ordinati 120. Pontificis Rom angustiæ & eleemosynæ 121. ad exitium & mortem subjectus 251. 252. 197. Pontifex cæteriq; Flamines Rom. falsi Pastores 349. qui & quot Cæsares vehementius exagitarint? 357. testimonium de se ipso nulli subjectum esse 429. totalem *A*nglicanam pecuniam novi Dominii genere compellens 529
Pontifex in ædificationem 672. deificatus 677. tonsor qualis? 672 atheus, Judicium & resurrectionem vix credens 803. potestas intra limites usque ad Theodoricum Longob. Regem 828. 853. Machiavellismus 849 insanabilis factus 856.
Pontificii Fontificii 725.
Pontificalia quædam antiqua de ordinatione Episcopi 269.
Possessiones Magistratui obligant 301.
Potestas ligandi & solvendi omnibus ordinatis eadem 31. 825. quàm nullo modo tollat Politicam 144. 163. quid sit? contra Pharisaicum supercilium 184. cavendum, ne quando ipsi ligant, Deus solvat 148 ignorantia & indiscretio 599.
Præbendarum tertia pars gradualis 480. præbendas unus 70 aucupatus 607.
Præceptoriæ Annatæ quanti circiter? 246 433.
Prædicandum quid? juxta Carol. M. 98. textus libri canonici 180. Prædicatio Missis potior 546. fabulæ 607. 811. Aristoteles 825. Scripturæ adulteratio 367. prædicat lupus, catus 610. docendum verbo, exemplo 612. Prædicatio traducta ad Monachos, queruntur Ordinarii 780. Prædicatores Indulgentiarum stationarii 484.
Præfatio Bibliorum Linguâ Saxonicâ rhythmicè sonantium CI. 126.
Prælatorum libido 79 81. 83. Prælatus Episcopum solus non excommunicans 125. Prælatorum imaginatio unde? 184. bellorum inflammatores 192. ambitioni, turpibus lucris, aliisque vitiis dediti 319. Prælaturæ in commercio 448. earum commendæ & incorporationes quàm exitiosæ 490. audacia & tyrannis à Rege coercita 391. Synodalia statuta in præjudicium Jurisdictionis 387. venduntur ut boves & asini à quo, quo pacto? 536. Conciliabulo intersuturi à Cæsare merguntur 534. negligentia generans scandala 661. 780 hæredes hujus quanti? 585 Pilati 579. scelerati & pestiferi propter multitudinem testium, qui ad eos convincendos requiruntur 598. Prælatum arguens, præsumitur vera dicere 599. familiæ vestitus vanitas & lascivia à planta ad verticem 599. tria eorum fercula à Gratiano omissa 600. justitia competenter stipendiatorum expectabatur gratuita 599. membra Diaboli & Dei hostes evehuntur 607. ministri & subditi Legis, non Domini 608. Oeconomi & gubernatores 618. Superbiæ pœna contemtus 619. Doctores & Studiosos circa se habent 618. opibus & fastu quàm inflati? 679. humanitatem docendi, *ibid.* quot viæ Cathedram pestilentiæ sibi vendicantium 686. pauperibus providerent, quorum patrimonium partiti 616. vaccæ pingues Samariæ 756. Scelera, Simonia &c. 792. posito fastu Christi & Apostolorum vestigia legerent 804. Causa omnis mali in populo 831. sæpe Priscorum

Ecclesiæ sublata, *ibid.* idololatricus & Diabolicus Ecclesiam captivam tenentium status deploratus 832

Præpositurae inter alia in Italia regales Papæ salvæ 247. Præposituras conferendi privilegia Germanis non servari 491 Præposituræ Annata circiter quanti? 246. 433.

Præsulis Sancti Zelus & certamina 537. perversus; *conquerimur durè de nostro Præsule fure* 740. *lucratus satis de nummis falsificatus ibid.*

Pragmaticæ Regni Galliæ Sanctionis contra usurpationes Papæ antiquitas, & quid specificè complectatur 424. Maximiliano Cæsari commendata 474. & *seqq.*

Precum battologiæ & prolixi ululatus tollendi 607

Presbyteri sint docti 9. Episcopis jure div. pares 184. Synonymi 672

Presbyterissæ honestum vocabulum 279. quò detortum 326

Presbyter & Episcopus intra domum collegæ 672. stare non permittatur Episcopo sedente, *ibid.* Presbyterorum genus hypocritis & Pharisæis deterius quid 684, 685

Presbyteri & Diaconi in Ecclesia sufficiunt 725

Primatum Papæ Græcæ & conjunctæ Ecclesiæ nunquam agnoverunt 7. Petrus tacuit 20. contrarium passus *ibid.* & 138. quæ Ecclesiæ in ipsa Italia restiterint, & quamdiu? 22. in Anglia? *ibid.* uno quolibet Episcopo in solidum tali 26. falsis adstructus apud Orientales documentis 42. retunditur 45. Appellationibus trans mare prohibitis 43. Ecclesiæ orientales Patriarchæ committuntur Constantinopolitano 42. omnes sibi vendicat Hierosolymitanus 53. repudiant ægrotos Italiæ Medicos Episcopi Galliæ & Germaniæ 56. 57. Ipse Deus judicari non detrectat 55. 56. Papæ tantum est monere 82. quomodo? 348. Regna transfert nullitor 87. in externas Ecclesias regimen obtinebat nullum 96. in angustiis vitam trahens diœcesi conclusus 122. Cæsari subjectus 133. 134. 195. 297. 606. Statutis Conciliorum Antecessorum, & suis propriis 141. 146. secus; typhus habitus seculi umbrosus 139. sal fatuus ejiciendus, porcis dæmonibus proculcandus 186. facti sunt vicarii Apostolorum Judæ, & Antichristi præambuli 194. floribus vafritiâ nebulonum veneficatis apes mortuæ 141. Primatus adjutore quales? 124 usque 126. 203. 211. 441. 504. cùm correctioni subjicitur à Cardinali 270. & *seqq.* quis, quando primus falcem in beneficia immisit Galliæ electiva? 427. ab exactionibus ad Concilium appellatum 236. docetur Papa modum subsidii quærendi intra provinciam 402. 416. sublatis antè à Concilio nundinatis oblationibus 466. Primatui resistunt Ecclesiæ, Synodi, Episcopi, doctores 108. & *seqq* 211. 572. 576. 624. Imperatores 277. & *seqq.* 340. 344. 354. Status 449. usque 520. Reges Galliæ 134 & *seqq.* 697. & *seqq* Britonum & Anglia 520. & *seqq.* 529. 548 Sicilia 540. ICTI 110. 590. Historici 576. Justiniano Tribonianoque plane incognitus 181. 853. Ipse Papa legibus se Imperatoris obstrictum agnoscit 112. & in praxi talem se exhibet 120. nec in Ecclesiasticis aliquid, quod plures liget, injussu Cæsaris & extrasynodaliter constituens 112. & *seqq.* Clerum non ad Appellationes invitans, sed Metropolitanis suis relinquens, *ibid.* Imperator inconsulto Papa in Synodis suo arbitrio multa ordinat 93. & *seqq.* 117. Primatus reformatur ab Auditore Rotæ 610. 614. 617. gladium temporalem Jus Canonum adimit 591. 593. ipsum nomen priscis aliquot Pontificibus execrabile visum 62. 65. & *seqq.* alios Episcopos sibi præferre soliti 614. Papa & Principes Evangelio, Conciliis, & Juribus approbatis subjecti 611. non dicendus primæ sedis Episcopus, nec appellandus 637. caput omnium errorum Prælati cœci 648. primatus socordiæ & injustitiæ 665. Papæ olim nomen omnibus Episcopis commune 670. titulus idem cum quo, & à quo? 118. Apostoli judicandi steterunt, non judices sederunt 671. Episcopi Rom. simpli-

citer Presbyteri & Sacerdores dicti *ibid.* quod opes & lites sint causæ tantæ mutationis, *ibid.* Primatus nec divino nec humano jure nititur, sola pro tempore benevolentia 704. & *seqq.* nullus super Episcopos, nedum in Politicos 718. 725. 818 Papa non est vicarius Christi, *ibid* non sequendus, ducens ad æternum exitium 718. Primatum exactionum Vid. Anglia, Gall. &c. Papa omnia mundi regna sibi tribuens, refutatus per somnium Viridarii 793. & *seq.* Papæ contra notorietatem non obiendum 699 coactiva jurisdictio nulla 704. Primatus Constantin. nitens donatione unde deprehensus nullus? 721. Portentum, omnium abusionum causa 735 non divino, sed aliquo humano jure sustentatur 761. Primatus & Cardinalium electio à 3. Universitatibus reprobatus 777. maxima ejus Patrona adulatio 780. tyrannis, *ibid.* non timendus, propter abusum 781. ita constringendus, ut Papa non possit, nisi quod liceat 787. Ecclesiæ & Concilii potestas supra Papam, *ibid.* 795 814. jus convocandi Concilium penes Cæsarem 145. 787. Papam Imperator rationem fidei poscere potest, an orthodoxus? 787. Coram Cæsare de quolibet notorio crimine accusandus 787. non obtemperandum, nisi justa præcipienti, *ibid.* non aliter stringit, quâm veritatem & utilitatem sententiæ ostendendo 820. Pontificum Conciliorumque Decreta subjecta Scripturæ 822. Papa sub mortali nihil constituere potest 823. Primatus negatur 825. inter Cæsares & Papas vicissitudo 828. quæ major superbia? 830. in dubium vocatus 840. oppugnatus 848. notoriè nullus usque ad Innocentiæ P. II. tempora 853. & *seqq.*

Principum est, communi studio pacem & Concordiam Ecclesiæ procurare 110. 111. gregem adversus lupos defendere 283. Princeps jubet Episcopum 113. Pontificem excitat 112. 116. Synodum convocat 125. Simoniam, aliaque scelera coerceat 179. cautela de ministris 332. 333. Justitia & cura pauperum 364. Principum per Oratores voces in Concilio Constantiensi definitivæ 455. indulgentia & oleum igni 562. Principes ab Papa Evangelio, Conciliis & Juribus approbatis obstricti 611. Sollicitudo & officium circa Ecclesiastica 699. 700. severa pietas erga tyrannos Ecclesiasticos 385. Principes impunitatem scelerum seu exemptionem Cleri ferre quàm indignum 788

Prioratus Annata circiter 246. 433

Privilegia & donationes CXLII. Constantini. IV. & Lud. Rom. Imperatorum pro Primatu, refutata 233

Privilegia Præposituras conferendi non servari 491. Privilegia Cleri restricta 762. Exemptionum per se, & ob ingratitudinem nulla 788. abominatio Curiarum seu Archivorum 789. contra Ordinarios à Papa Monachorum 818

Probationis studiosa difficultas contra Prælatum 598. impunitatis & licentiæ obvolucrum, *ibid.*

Processiones contemnuntur propter stultitias 655

Proditio causæ 463. proditor quis, quid, cujus, ubi? 521. proditoriæ artes 321. Proditores, totius mundi 524. Proditor quis, quomodo? 535. quis, cujus? 540. Proditor 572. 577. Proditores ne arma Christiani nominis afferentes? quod facilè absolvantur Romæ 615. ô nova proditio procedens de Sanctuario 308

Promoventur indigni 562. 751. 756. bestiæ coquinæ mancipia, lenones 467. Promovendi literari 614. promoventur pessimi, indignissimi 781. servi, aut plus offerentes 815. effectus 562. 756

Prophetiæ de novissimis temporibus 21

Prophetia, Gallorum levitas LXXXII. de Cleri vanitate & ruina 88. contra Clerum Rom. 299 falsa Hildebrandi 310 de 12. oneribus urbis 376. contra Sedem Rom. 568. Româ in Germaniam missa 706. contra Papatum 738. 773. picturis de Apostasia, 738. de Joanne Huss. 770 Reformatione Lutheri 727. 793. 825. 852. 844

Prudentia & Fidei Dialogismus 559

Pseudoapostoli qui, quotve signis probati 692.

Pseudopræcones 2. astutia deprehensi 378

Pur-

Purgatorium communi Ecclesiæ consensu nunquam receptum 8. allusio & prima mentio 12. cui ignoratum 26. Gregorii I. 69. à quo negatum 185. 809. 847. improbatum 829

R

Ravennas inter primarios Venetiarum Episcopos Sedi Rom. contrarius 22. 61. Ravennas Patriarcha exul, à Ludov. II. contra Papam protegitur 124. consequens 125. 126. Ravennas Ecclesia à Carolo Calvo opprimitur 208. & *seqq.*

Reformationis Ecclesiæ generalis prædictio antiquissima cujus? & causæ 21

Reformatio Ecclesiæ & disciplinæ Christi per Carolum M. 93. & *seqq.* pronunciata à Friderico II. & quomodo inchoanda? 355. necessariam ducunt Reges Arragoniæ & Siciliæ 358. & *seqq.* declinatur vani nominis causâ 370. necessariam judicant Maximilianus Imp. & Lud. Rex Galliæ 450

Reformatio Monachorum sub Otthone I. CXXXVIII. 131

Reformatio judiciorum Ecclesiasticorum non observatur, cur? quomodo? quomodo? 506. Reformationes, quas vocant Ecclesiasticorum, quid sint, quove tendant 507. Reformationem eludentibus Galliæ Prælatis, Rex tyrannidem reprimit 391

Reformatio in Anglia tentata, â Pontifice impedita 524. quo dato responso 536. & quanta in constantem virum sævitia 537

Reformatio in Concilio proponitur Lugdunensi à quo, queis, quorum? 449

Reformatur Clerus Anglicanus conditis statutis à à Legato Papæ 546

Reformatio Ecclesiæ ab Hildegardi prædicta 586. Reformatis qualibus exstituris? 587. à Calabro 602. Mechtilde 774. ubi concomitantia ab ea 793

Reformatio per Valdum 630. & *seqq.* quis fuerit? 631 quod solidæ Reformationis fundamentum Adversariis ob oculos statuerit? 647. definitio veræ Ecclesiæ, *ibid.*

Reformatio cujusdam anonymi, quid in Ecclesia à capite inchoando emendandum 678. 679

Reformationem Carolus IV. necessariam Legato Pontificis significat 716. & re coràm comprobat, quo facto? *ibid.*

Reformandæ Ecclesiæ qualis futura visio 721. 766

Reformatio Vuiclephi 716. Hussi 727. Valdensium, sanctio, purgatio 640

Reformationis necessitas ex Epistola ad Concil. Basil. 798 prædicta à Magistro Parif. 769 ab anonymo 821. à D. Veselo 821. à Savanorola 81[illegible] à variis tanquam præsens 832. 844. cum prosopographia Reformatoris 849

Reformatio scripta per Episcopum Brixiensem Pi[illegible] P.II. 786

Reformare incipit Archiepiscopus Magdeburgensis 814 sed inaniter, & qui sic? *ibid.*

Reformationis modus Petri de Aliaco 809. Mirandi 829. plenius Durandi 810. & *seqq.* Ejus modus opusculi tripartiti 597. Vehementia 852

Reformationem aggreditur Sigism. Imp. in Concilio Constant. sed à Papa eluditur 796. Suadetur Frid. III. à quo, quove casu? 834. Maximiliano 829. 830 Ejus conatus 474. & *seqq.*

Reformatio in Constantiensi & Basil. Concilii quorum fraude turbata, ac vi perfracta 419. 462. 809. 815

Reformatio Cleri quam extremè necessaria 812. 847. Curiæ Rom. 804

Regula Clericorum 75. 117. Regulares quam irregulares, maximè Dominicani 359

Religionis sub prætextu prope ritum gentilium videmus in Ecclesia, in quo 32. Religio, disciplina sublata Ecclesiastica, quid? 36

Religiosi Laicos ab hæreditate excludentes 519 quinam corrupti 790

Religionem difficiliorem reddere nulla ratio suadet 725. Religionis res multiplicabiles 780 quotidiè in pejus ruentis, *ibid.*

Religio Christiana cur infidelibus derisui? 615. 817 ab ipsisque Christianis in dubium vocetur? *ibid.* peccandi licentiâ in deterius quotidiè ruit 686. 688. corrupta 832

Religio perversa: Patrimonium Christi, scortorum deliciis dissipatum, Dei Templum lupanar &c 839

Reliquiarum cultus è fundamento subrutus 33. pugnatus à quot & qualibus, *ibid.* & 129. obviat idololatriæ Conciliũ & Sacella tollendo 180. eluditur quomodo? *ibid.* veneratio reprehensa 725. non adorandæ 808

Remedium contra Gravamina Papæ 470

Reprehensores persequi hæreticorum fructus 681.

Rescriptum Henorii Imp. ad Bonif. P. LIV. contra seditiosos 52.

Reservationum Apostolicarum origo 394. practica 450. reservantur beneficia majora & dignitates Cardinal. & Pronotariis 469. terminis juris includendæ 458. quot Pontifici competant? *ibid.* Reservatio generalis extra diœcesin non sit penes Papam 479. revocentur 480. solvi recusantur 394.

Resignant Imperio Rom. omnia Regalia & temporalia 241. 337.

Respublica impii Æneæ Sylvii Pontificis posteà Pii II. 463. alia 821.

Restituere tenentur Sacerdotes & Monachi quid? quibus? 105.

Revelatio Medico de Apostasia Sedis Apost. 366. 371.

Rex: Regum Longobardorum in Sedem Rom. potestas 55. Reges in imagine Dei ambulant 135. quid gladius eorum utraque parte acutus? 141. ultores & defensores quisquis ille Spiritualis, Secularis 139. & *seqq.* Pugiles pro oppressa Ecclesia contra novatores & Concussores Romanos 700. Reges & Imperatores jus distinguendorum negotiorum Episcopis permiserant 139. non Episcoporum sunt villici, *ibid.*

Rex & Sacerdos qualem se Papa fingit, nemo præter unum Christum 163. 144. Regis absque scientia Episcopo extra fines progredi licitum non est 163.

Regalia Papa, Clerus & Optimates Romæ Imperio resignant 247. 293. investituris aliquot in fundis & reditibus pro Pontifice exceptis, *ibid.*

Reinerius Valdenses quasi refutando, singulos Rom. Ecclesiæ abusus egregie perstringit 647. & seqq.

Rhythmi CCCXXXVI. de corrupto Ecclesiæ Statu 784. Rhythmi vid. Cantilenæ.

Richardus Rex Angliæ CXC. tres filias Spiritualibus elocans, superbiam &c. 513.

Richardus Rex Angliæ in Imperatorem electus 541. astutiâ Papæ 543.

Richardus Armacanus CCCXXIII. Patriarcha & Cardinalis contra privilegia Mendicantium 773

Rigensis Archiepiscopus 465.

Rituum diversitas eadem famulantium fide & charitate 14. 605. 729. Rituum dissonantia in Rom. & universali Ecclesia: Paschatis & Jejuniorum *ibid.* Missæ 211. azymorum 622. lectionum, cantuum 605. missæ Lat. & Slavonicæ 22. 102.

Robertus Gallus CCLXXXI. frater Dominicanus visiones habuit & Conciones multas contra Papam 721.

Rodericus Zamorensis Episcopus & Pauli P. II. Referendarius CCCLXI. agnoscit importabile Christianorum onus & Papæ perversitatem 801

Romæ & Hierosolymæ sceleratius vivitur 38. seculo V. publicè Cynædi Romæ tolerati 59.

Romanæ Urbis Status 120. & seqq. usque ad Carolum Calvum 126. Lothario I. Imp. juratur 134.

Romæ non veridicis locus, sed qualibus? 186. procacitas & furtivo Latinis consiliorum insultans concubitu 191. Roma & cum ea tota Italia quo pacto ad Carolum M. transierit 237 & seqq.

Romanorum levitas & perjurium contra Othon. Imp. pro Joanne P. XII. 224. & seqq: 229. & seq. tandem omnia Regalia & temporalia eidem Othoni & Imperio resignant 241. ob causam 242. cur à Græcis desciverint, & Carolum M. advocarint 247. stupendum encomium: Domini sine fide &c. 330. & seqq. Roma excussa Rom. Imperii inane foret nomen 344.

Romaniola qua occasione & intentione Sedi Rom. cessa 450.

Roma mater facta meretrix pro mercede prostibulum 521: Romanorum hydropica sitis, follicosi rictus &c. 536. Roma lugenda ob monstrosas quas fundit tenebras 573. bonis maledicit 576. emptoribus venalis ad nummorum pondus judicium æquans 575. ignorantia & atheologia, *ibid.* Princeps Sodomorum discipulis juxta pestilentiæ cathedram 584. Babylonia damnata civitas 591 666. 691, Roma à rosione manuum dicta 596. gloriosa in rapinis inclyta in superbia Chaldæorum 618. Romanorum artes, captiones, fraudes, circa exemptionem 618. Vultures, nebulones, & unde? 624. gaude mater Roma, aperiuntur tibi catarractæ thesaurorum 735. Schola errorum, nidus proditionum 746. fugienda, fons malorum ac primaria officina, ibid. olim vivos truncans Sanctos, nunc mortuos in reliquiis vendens 763.

ferax Zizaniæ ager 784. Crudelitas 790. caput à capiendo 791.
Romæ contra Indulgentias disputatur 810.
Romæ, solvi Satanam in perniciem Ecclesiæ 825. qui lustrans scelus redit 814. quantò propius Romæ, tantò pejores homines 824.
Rudolphus Dux Sueviæ CLI. contra Henricum IV. à Spiritualibus incitatus qua gratiarum actione 287.
Rudolphus Agricola CCCXCII. contra prophanationem Missæ, legem cœlibatus 823.
Rupertus Episcopus Lynconiensis CXCI. 523. Romanorum malleus & contemptor 537. ejus Reformatio à Papa inhibita 536. concio Romæ habita 525.
Rusticorum querela CCCCXIIX. de Sceleribus Spiritualium & collusione Pontificis 838.

S

Sabbathi ob jejunium Honorius P. ab Universali VI. Synodo damnatus 73. Hieronymus quanti hoc discrimen fecerit 605. Græci urgent 621.
Sacra intelligibili vulgari lingua peragenda 50, 854 observatur 22. 177.
Sacra literæ T. II. praxi temporum collatæ probant evidentissimè, Papam esse Antichristum 4. Scripturæ veritas omnibus attendenda, nullius sententia opponenda 57. Scriptura omnium Scriptorum norma & lima 188. eam Hildebrandini interpretando suo negotio servire cogunt 280. artes 367. 368. clarum textum aut explicationes Patrum subterfugiunt 370. quid non reconditi in sacris contra securos! 568. 569. praxis herminevtica 607. Scripturæ, contrariæ consuetudines cedant etiam longi temporis 612. sufficit ad salutem 648. eliminanda ex Templis apogrypha & fabulosa 679. ejus in controversiis summum judicium 718. eâ munito plus credendum, quàm Concilio & Papæ 780. 803. ei per se credendum, non glossis aut patribus interpretatione facienda per mutuam collationem 818. 819. ad hanc omnia Pontificum & Conciliorum decreta examinanda 822 823. Sacrarum Literarum contemptores Sacerdotes 825. glossæ: Der Teuffel hat an allen Orten seinen Dreck eingemengt 833.
Sacerdotum & Episcoporum petulantia, causa Diocletianæ persecutionis, 6. quid, quibus restituere jubeantur? 103. sacris literis diligenter studeant, *ibid.* Sacerdos & Rex nemo præter Christum 144. Sacerdotum præter libidinem alia quoque plurima & maxima peccata 191. Sacerdos non omnis sanctus est, sed omnis sanctus Sacerdos est 192 Eorũ fit potissimũ culpâ, ut vulgi mores sint corrupti, *ibid.* iis omne bonum ac malum debetur, *ibid.* Sacerdotis tantum est arguere, non arma movere, *ibid.* Sacerdotes super omnia arguuntur, sepulchra vocantur dealbata, mulier verò adultera misericorditer accipitur 297. canes muti 606. Sacerdotum & Prælatorum turpitudines 607 peccata eorum monstra sunt, ipsi Ægyptus, Sodoma, *ibid.* justitiam omnem populo mãdant, ipsi nec modicum servantes 613. ob inscitiam Religio Christiana derisui 615. Sacerdos vel Episcopus factus, pejor evadit 664. Sacerdotum saginatornm ultor in Bohemia 733.
Sacerdotes omnes ejusdem potestatis 768. 773. 776. Sacerdotem honestate conjugii infirmati consulere, quantò pejus? 811. aureorum & ligneorum vicissitudo 824. Was ist in der Welt für ein Wesen/wir mögen für den Pfaffen nit genesen 824. Sacrarum literarum contemptores 825. fœditates & avaritia causæ ejectionis ex templis & Monasteriis 844.
Sacerdotes subsunt in civil. & criminalibus provinciarum Rectoribus 855. remissione facienda, quando? ad quem? *ibid.*
Sacellorum delubra disjicienda 180. 193.
Sacrificium Christianorum preces, ara devota anima 19.
Sacrificiorum V. T. ad bona Ecclesiastica, fundatorum & Sacerdotũ bona applicatio 556 & *seq.*
Sacrilegium Deus ne in Ethnicis quidem inultum sivit 564.
Salomon Rex Britonum CXCVI. Nicolai P. restitit Primatui 548.
Saltzburgensis & Romani par titulus 18, literas & testes à Cæsare accipit, ut illico Clerum reformet, *ibid. seqq.*
Salvianus Episcopus Massil. LXI. impunitatem enumeratis sceleribus, vah quàm queritur 58.
Sanctinõ invocandi 8. 661. 663. iis offerre, Diabolo est sacrificare, *ib.* Sanctorum canonisationes abrogandæ 810. Eorum filii qui? 186. qui se sub-

jectis humiliat, caput deferens truncus 194. Sanctorum mansuetudo: non livore roduntur, non buffonizant moniti 370. Sancti præsulis mores & studia 535 Sanctitatis Papæ spes exsufflata evanuit 539. Sanctorum & festorum numerus non augendus 679. Sanctorum invocatio populo dissuasa ceu impedimentum objiciens 745. Sanctum ac Servatorem omnem civitatem singulum fere hominem habere, & quid inde? 767 à sanctis aliquid expectare, error & formidanda superstitio 776. Sancti Deum Templo extruserunt 795. Sanctorum invocatio & adoratio improbata, exagitata, 129. 132. 811. multos in cœlo adorari, quorum animæ in inferno crucientur 824. Sanctos non carere veris peccatis 825. cultus populo dissuasus 833 & Ossa non adoranda 840 merita & intercessiones in confessione secretò indicatum nihil esse, & animis superstitio excerpta 824.

Sapientis judicium Dei cum hic difficulter dignoscatur, inter quos? 365.

Saracenorum causa census & decimæ per totam Europam 449. Saracenis in fidem se commendat Adalbertus Italiæ Regulus 222. Eorum in Italia successus Theologica ratio 179.

Satanismus cui? 3.4. toto orbe invictus Romæ superatus à quo? 781.

Satisfactiones pro pœnis temporalibus sole & tectis contrarium testantibus, reprehensæ, damnatæ 8. 819, 822. ludibrium & exagitatio Laicorum 764. erroneæ, blasphemæ, desperationem nutrientes 829. pro nugis habitæ 842.

Saxonicum speculum an à Constantino M. confirmatum? 110. Saxonica Biblia 22. Magistratus Clerum puniens 78.

Speculum XCV. Primatum Papæ politicum negat 110. Clericos ceu steriles hæreditate mulctat, *ibid.*

Saxonia florens, Francia decrescens sceptrum permutant 239. à partibus Hildebrandi 280, 282

Scandala Episcoporum Roman. Ethnicis censoribus 48. & Christianis 840. per totum mundum 598. cunctis obsunt, quot subsunt 219. Scandalum pacta non servare 249. ex elatione in Prælatione, & indiscretione in correctione 295

Scelerum apex ac extrema linea 839

Schismatum & novitatum Romæ contra regulam Veritatis antiquitas 16. Schisma & laniena Damasi P. & Ursacii 48. Bonifacii & Eulalii 506

Schismatis definitio perpendenda 60. alia planior 310

Schisma Paparum sub Henrico Imp. Conradi filio 252. Symmachi & Laurentiæ 275

Schisma Sylvestri P. 314. Hildebrandi 310. Gregorii VI. & Sylvestri III. 314. Innocentii & Leonis 329

Schismatis Græciæ causa allegatur Lex cœlibatus 658. Bohemiæ luxus & avaritia Sacerdotum 558. 562

Schisma Urbani VI. & Clem. VII. CCLIV. 678 & 587

Schisma internum 590. ac generale 562

Schismatis manifesti Græcorum & Europæorum à Rom. Ecclesia exhaurientes causæ 706. 761

Schisma A. 1255 sub Friderico II. Imp. CCXCVI. quod 18. annis duravit 738. Clement. VII. & Urbani VI. 791

Scholæ ædes Episcopales & Monasteria 95. passim instaurandæ & erigendæ 105. Scholaribus decima pars redituum, bonorum Ecclesiasticorum assignanda 614

Schola Pragensis, Oxoniensis, & Parisiensis CCCXXVIII. contra Primatum 777

Scorta conversa sacris virginibus prælata 770

Scoti Pascha non Rom. sed Orientalium more celebrantes 72

Scriptura S. vid. Sacræ Literæ.

Scytharum Thomitani, Germani sacra vulgari lingua celebrantes 177

Sebastianus Doctor CCCXCIX. Concionator, quomodo Indulgentias prædicaverit? 827

Sectarii Thomistæ, Scotistæ, &c. reprehensi 780

Seculares in Conciliis 45. 455. Judiciis in res & personas Ecclesiasticas 78

Securitas: hæc est semper humanæ duritiæ incredulitas 755. 758. Vid. Hypocrisis

Sedes Romana: Cathedra nõ facit successorem 184.

ci ab Abbate Leodienſi anathema maranatha dicitur ob cauſam 337. Apoſtaſia communicatur in Scriptis 358 Sedis Apoſtolicæ trapezitæ, & cujus generis 534. 537. obſeſſæ à ſuperbia, colitur avaritia 592. gentium jugum & gravamina vid. Grav.

Sedis Apoſtolicæ ordinatio penes Cæſarem 678.

Seditio filiorum à Sede Apoſt. adjuta contra patrem Ludov. R. Imp. 272. Seditio ſeu Schiſma Bonifacii P. & Eulalii 52. Seditioſus de cauſa ſua diffidere videtur 285.

Seductores Papa & ejus Curia 302. Si quis nō dederit &c. ſanctificant ſuper eum bellum, *ibid.*

Sententia injuſta in Conſcientia non metuenda 396. 781.

Sententia, quin & excommunicatio cujus pluris facienda quam Papæ? 821.

Sepultura privantur caſu mortui qui? & cujus rei gratiâ? 516.

Sepultura: in fanis neminem humandum 95. terra non invidenda, gratis concedenda 266. quæſtus & ſuperſtitio cœmeteriorum 657. exequiarum immoderatus ſumptus contra Miſſarum veſpillonem cohibitus Sundæ 682. Brixiæ, *ibid*

Serenus Maſſilienſis Ep. LXV. iconoclaſta 64.

Sergius P. os Porci CXIII. Simoniæ frœna laxavit 179. Cæſari perjurus & rebellis in ordinem redigitur 120. 132.

Sermo Epiſcopi Lynconienſis Papæ & Cardinalibus exhibitus 524.

Servitia olim erant oblatio Eccleſiarum gratuita 394. communia Papæ ob curam non negantur 405. Cardinalibus nihil præſtantibus non debentur *ibid.* ſervitia inulta quæ? quibus? 698.

Sevaldus Eboracenſis Archiepiſcopus CXCII. tyrannidi & explicationibus Papæ reclamat 526. excommunicatus, quibus ſolennitatibus ad terrorem? 542. à populo benedicitur, *ibid.* ejus de Primatu ſupremæ tabulæ 544.

Sibylla CXXI. de fantaſtica Eccleſiæ ruina 191. Sibylla memoratur 353.

Sicilia Papæ Regno accreſcit, & quibus concordatis 339. Rex Fridericus de Evang. veritate ſollicitus 358. ſeqq. Status defuncto R. Imp. Conrado 537. 545. ſeqq.

Siciliæ Rex & Optimates contradicunt Primatui CXCVII. 548.

Sidonius Apollinaris LXXXIII. ambitionem & avaritiam queritur Epiſcoporum 88.

Sigilli lucrum Epiſcopalis 599.

Sigisbertus Gemblacenſis CLV. Monachus pro Henrico contra Hildebr. & Paſchalem 298.

Sigiſmundus Imp. CCCLV. Reformationem in Concilio aggrediens Conſtant. à Papa eluditur 796. Imperator Regi Galliæ de adjuvanda Reformatione 797.

Simonia Pallii Papæ objicitur 91. negatis ſe quidquam exigere, *ibid.* os aperiens in ore Porci Sergio P. Epiſcopatus vendente 179. ex affectu & gratia erga indignum nullo licet acceto pretio 235. 240. 821. Simoniaci magna pietatis ſuperficie dealbati 280. aliquot ingenioſæ recenſentur ſpecies 265. eſt enim latè patens hæreſis *ibid.* Simoniæ querelæ & editus liber Cardinalis Oſtienſis 272. Simoniaci tergemini Pontifices 319. Monachi & alii Clerici Abbatias atque Epiſcopatus licitantes & ementes, *ibid.* objicitur Henrico IV, 326. qualis fuerit? 764. Simoniæ & caſtitatis Hildebrandus admonet Epiſcopum. Conſtantienſem 329. res nimis injuſta fit nummis Præſul & Abbas 336. abyſſus detecta 391. & ſeqq. 399. inſtitores domeſtici Curſatini 489. 491. Prælati ſeu Prælaturæ à trapezitis Papæ, venduntur ut boves & aſini 534. 538. præmiis & muneribus Romæ diſcurſitantes 540. abſolutio cruce ſignatorum pro pecunia 534. maledictus Cleri introitus latronum inſtar 557. Principes & Judices Babylonis Sancta vendentes ſcelera ementibus 591. Parochi per preces & familiaritates, indigni 599. Simoniæ Antichriſtus Papa & Sacrificuli immerſi 602. finis luxus, libido, *ibid.* commune ſcelus curiæ cum aliis Prælatis impunè graſſans 615. 665. 791. ejus nefanda palliatio, 683. Simonia Annatarum ſimilesvé in Concilio Baſileenſi prohibitæ, 700. 797. Papa Remp. verrit & Spir. S. quæſtu habet 808. non tantū beneficia, ſed ordines in commercio 794. Templa, Sacerdotes, &c. cœlum eſt venale Deuſque 830.

Simplicius P. CXXVII. pro Imperiali authoritate contra Rom. Eccleſiæ Primatum 195.

Simulachrificum ſtudium conatus diabolicus 29.

Sixti P. III ambitus 53. Sixtus P. de Juramentis politicis factis & flendis diſpenſans 821. Sixtus

tus P. ab Archiepiscopo Carniæ de fide & moribus accusatus 834. reformandus, sed repugnat, qua arte? *ibid.*
Sclavi, Boioari, Carentani, Illyrici, Morani, Wandali 164. & *seqq.* eorum citra beneficium Papæ ad Christum conversio. *ibid.*
Slavonica sacra & Biblia 22
Socrates CXVIII. Traditiunculas distinguens 183
Sodomia Cleri 79. 81. 83. non ignota loquor 830. Sodomitæ Spirituales qui? quales? ingeniosissimè inquisiti 525
Somnia quomodo discernenda? 361
Somnium Viridarii, liber Regius contra Papam 703
Sorbona Vid. Paris. Univers.
Speculum aureum sive Dialogus Petri & Pauli de insolentiis Curiæ Rom. CCCXXXIII. 783
Speculum stultorum CCCXLVII. 790
Speculum Hierarchiæ Ecclesiasticæ CCCLXXXV. 818
Speculum Visionum CCCCXIX. de Sceleribus & calamitatibus Christianorum 839
Speculum orthodoxi Pastoris inter tormina Papatus 832
Spiridion XXXIV. heros libertatis Christianæ 34
Spiritus S. Conciliabulo Joannis P. XXIII. quem præsidem miserit 795 nec Concilio Constantiensi affuit 796
Spirituales omnium calamitatum præcipua causa 69. 164 duplici ratione nocentes, *ibid.* luculenta descriptio Pontificis & Flaminum Rom. quæ studia? gratitudo? 349. usque 355. exquisita Clericorum secularium & regularium, ubi pestiferorum, rebellionis occasionum, Scorpionum mentio 359. *seqq.* formidabiles anteà Principibus Mendicantes, maximè Prædicantes 471. Spiritualium turpitudo, Christianismi corruptio 718. coactiva jurisdictio nulla 704. multorum gravissimorum scelerum & officii neglectus rei 761. confessionis & disciplinæ 764. nominisque Spiritualium ad exagitationem, contemtum, & desperationem tantum, non Christi fidelium abusio 767. Summi qui esse debebant infimi, perditi avaritia, libidine, lupi 793. gratias summis infimis diabolus missa epistola persolvit 799. degeneres 809. Vita, lugubri oratione in Const. Concilio deplorata 811. Scelera Papæ & inferiorum 815. labores pauperum vorant, redituum subtiliter valorem ponderantes 826. accusantur à vulgo calumniæ, adulteriorum coram Papa 838. subjecti ultori gladio Magistratus 725 840. Leib- vnd Seel- Würger 844. omnibus sceleribus, quæ in vitam hominis apostatici cadūt, obruti 846. Spirituales Sodomitæ corporalibus longo pejores qui? quomodo? 525
Spoletani Ducis nomine Imperii authoritas in Papam 122. abrogata per Carolum Calvum, ditione subjecta Romanis 126
Spolia bona Ecclesiastica 697. *seqq.*
Sponsaliorum commissum 508
Stablore Imperii statibus curæ 497
Statuarum adoratio communi Ecclesiæ consensu nunquam probata 8. erectio diabolicæ deceptionis inventum 71. cultus improbatus 842 geniculatio ante eas damnata 93, Statuas colentes & idola adorantes, quid relinquant discriminis, discerni vix potest 105
Status cribrationem præcaventes, Consiliarii angeli Satanæ Romæ 366
Statuta Veterum LXXV. Alemannorum, Anglorum, &c. contra Exemptionem, pro jure Magistratus 78
Statutum concubinatus 558
Steinshauß vel Strohhauß 641. 646
Stephanus P. auxilium Caroli contra Astulphum implorans 236. Stephanus P. contra pacta electus ratihabitionis causa Imperatorem adiens 120
Stephanus Brulifer CCCXC. D. Paris. pro justificatione gratuita 822
Stephanus Aufrerius Tholos. CCCCXXVI. contra primatum 843.
Stier CCCCXXXIX. Acta Martyrum habet & Confessorum 851
Stulti quidam, & cur? 788
Strupri gravamen contra Spirituales 838
Subditi & Superiores 821
Subsidium monetur Episcopus Rom. quærere intra diœcesin 402. 416. Subsidia Episcopi à Clero exigunt sine manifesta & rationabili causa 500
Successionis religiosorum contra Laicos inæqualitas 519
Suerini sanguinis draconis pro sanguine Christi cultus 846

Sueviæ Sacerdotes contra Papam hæreticum 734
Suffocatum comedentes Latini quales? 623
Sulpitius Severus CXXIX. contra avaritiam & latifundia Cleri 196
Sunda civitas CCLVII. Sumptuosas coercens exequias 782
Superbiæ Papæ & Prælatorũ pœnæ contemtus 619
Superioritatis somnolenti custodes 195
Superintendens primus quis fuerit? & quid sit? 675
Sylverius P. Longobardos contra Græcos in Italiam accersens 122
Sylvester P. II. totum se diabolo devoverat 317. delusus pœnitentiam dicitur egisse 313
Symmachus Papa LVIII. Theodorico Arriano Regi subjectus, gravissimorũ facinorum accusatus 55
Synagoga Romana magna Babylon, Papa Antichristus 746. Vid. Curia Rom. Eccles. Rom
Synodo rerum intelligentes, non soli Episcopi intersint 17. convocandi jus penes Principem 125. authoritas 145. universalis octava repræsentatio seculo IX. 201. 203. Synodi Ecclesiam referunt Reginam, cujus servus & dispensator quis? 676
Synodus Parisiensis Oratorem à Diabolo instructum dicentem audit, sed quid? 800
Synodi Hispaniæ, Galliæ, Austriæ provinciales an Clerum unquam Jurisdictione exemerint? 78.
Syricius P. de conjugio blaterans N. T. Sacerdotes esse homines 49

T

Tabor in Bohemia condita 733. Taboritarum doctrina Valdensium consentiens Hussitarum doctrina purior 640
Templa primorum Christianorum caruere simulachris 21. Templorum structura Deum non delectans, sed quid? 28. 177. non sint asyla contra justitiam 95. in latronum speluncam versa 679. corruentia etiam Romæ, *ibid.* Templa & monasteria, Laicorum bonorum retia 788. olim obscura, sed corda Christianorum lucida, nunc contra 824
Templarii, Hospitalarii aliique rem armis in Oriente confecturi tandem converso gladio in seipsos sæviunt 545
Tenebræ in Anglia Ægyptiacæ 536
Terminarii colonis quàm graves 484
Terra S. ob scelera Christianorum amissa 377. : missæ deploratio, & causæ 674. hucusque su Sabbatha agit: populo Christiano Babylon quasi in captivitate 378
Tertullianus XXV. à Rom. Clero pulsus 24
Testamentum conditum, arbitrium impeditum hæredes defraudati à quibus? 517
Testimoniũ perhibeãt veritatis Clerici requisiti r
Testimonium Papæ de seipso: *non possum erra*[illegible] 429
Teutonicorum neminem Henricus IV. Imp. ut Papa fieret, inducere potest 678
Teutonicus S. Mariæ militaris ordo bonis Apuli & Siciliæ exuitur, a quibus? 497
Thema dicendi à Diabolo, in Synodo peroratur Clerico popositum 800
Theodorus Ep. Ancyranus LXVI. contra cultu[illegible] Statuarum 70
Theodoricus Nyem Ep. VVerdens. CCCXXXIV. tech nas & fraudes promit Paparum 781. de Joann Papissa 240
Theod. Episcopus Croatus CCCLXII. contra Simo niam & libidinem 793
Thod. Abbas S. Trudonis CLXVI. anathema dicer Romanis 336
Theodorico & Theoberto Regibus Francoru[illegible] Gregorius M. de prejudicio cujusdã Episcopi 14
Theodosius M. CXVII. Flavianum Antiochenu contra Paparum odium in sede confirmavit 18 ab Ambrosio præsens & sponte confessus Thessalon. facinus, ligatus 309
Theologorum Christianorum ultra omnes gent & scientiarum professores dissidia 37 gigant quid pusillis Christi ægerrimè ferant? 371. gr duatis tertia pars Præbendarum cedat 480
Theologia Germanica CCCXLV. Viadro France furtensis gratiam Dei, servum arbitrium assere 789. Selstadiensis quàm Primatui faverit 47 *seqq.* Scholastica vapulans 794. veteris studiu contemtum seductoribus Ecclesiam vastantibu 810. recentiores explodendi prædicantur, & q eorum coryphæi? 821. causa 822. eadem quer la conturbari SS. Philosophiæ fontem cœno Longobardi quæstionum 829 an huc Philosophia dictum pertineat Innocentii P 537
Thomas de Aquino CCXLII. de Justificatione, liber arbitrio, &c. è re scripsit 625. sed Monachatu

Baptismo exæquat 41, damnatus in quibusdam publico programmate, *ibid.* ubi docuit Lutetiæ 666. quando vixerit? 546
Thomas Rhedonensis Carmelita CCCLXV. contra abominationes Curiæ Rom. & Legem cælibatus 804
Thomas Branduardinus Archiepiscopus Cantuariens. CXCIX. contra novos Pelagianos 551
Thomas de Corsellis CCLXIII. Papam Concilio subjicit 689
Thomitani Scytarum, Germani & Christiani 177. sacra lingua vulgari peragentes, *ibid.*
Tilemannus Monachus Gröningensis CCCCXXV. traditiones Indulgentiarum, & similes nugæ 842
Tilem. Spangenberg. CCCCXXVII. fœditates, odia, avaritia Spiritualium 844
Timor in causa gloriæ Dei quid, unde? 365
Titulus Archiepiscopi? ab Imperatore Sanctitas, Paternitas, Beatitudo 118. ipsi omnesque Episcopi ad Friderici II. usque circiter tempora: divina favente gratia, non *Apostolica* 348
Traditionibus cœlibatus jejuniorum &c. Christiana libertas non lædenda 10 jam dudum in excusabili inscitia mandato Dei æquata 15 festorum &c. à vero Apostolorum in Ecclesia fine distinctæ 183. obruitur Ecclesia fine distinctæ 183 obruitur Ecclesia judaicæ similis futura 187. supervacuæ 192. primatus cedat præcipienti Spiritui S *omnis anima subjecta esto* 300 *seqq.* obligatio jugum Pseudoprophetarum Judaicum 337 propter mandatum hominum Dei vox inanis dicitur, negligitur 607. ad salutem non necessariæ 448. 633. novæ umbræ, ritus obtrusi humani rejecti 725. Traditiones fidei esse fundamentum dicere 741. non edendæ carnis, cœlibatus, &c. reprehensæ 791 de institutis dimicari pro nihilo haberi 789 extenuatæ 806 825. propriarum adinventionum laqueus 834. frustra his colitur Deus 818. Indulgentiæ, Battologiæ, peregrinationes, &c. rejectæ 819. cultus nullus, violabiles 823. propter Decreta hominum manifestæ veritati assentiri non licere 826. varii abusus & superstitiones reprehensæ 840. Constitutiones extra Evangelium non curandæ, vanæ, mutationibus temporum obnoxiæ 851
Transactiones in judiciis Ecclesiasticis coactæ 512. per indirectum unde, quomodo? *ibid.*
Transubstantiatio improbata 725, ipsa & adoratio à Ludimagistro ad necem castigata 760. negata 823
Trevirensis Archiepiscopus sententiam stringens contra Hildebrandum 324
Turbanus paracletus Hildebrandi 311
Turcarum causa oblationes in festo novi Sancti 502. decimæ 469
Tyrannis & audacia Prælatorum 391
Tyranni Prælati Pilati Ecclesiæ oppressores 608
Tyrannis liberius fuit à multis annis de potestate Dei prædicare vel disputare, quàm Papæ 399. Vid. Libertas. Tyrannis in animas, famam, opes, grassans 838. Curiæ Rom. 544. Consueta Papæ tondere, excoriare, eviscerare, devorare, *ibid.*

V.

Valdenses Fratres CCLXVII. 630, eorum qua nomen origo? & quis fuerit Valdus? 631. 643. doctrinæ antiquitas & Catholicismus 642. fundata in Scriptura, & Patrum testimoniis illustrata 632. quid docuerint 633. quo modo à D. Reinerio refutati, seu omnium apparenter errorem occasio abusibus Ecclesiæ Rom. in solidum transscripta 641. usque 658. eorum doctrina Hussitarum purgatior 604. quanto Zelo atque industria orthodoxiam propagarint 641. quod in terminis orthodoxis retinuerint usum signi crucis 659. jejunium 660. Confessionem & pœnitentiam 644. 651. quàm observantes discipinæ & casti amputatis calumniis? 645. 652. 659. 661. quàm devoti noctem diei jungentes flexis genibus 659. persecutiones 632. 634. *seqq.* 662. &c. frustra contra eos orat S. Bernardus 661. Acta Martyrum & Confessorum in una Stiria quæ volumina? 852. Reformationis lapis lydius & aries invictus in duobus 647
Valentiniani hæretici Romæ vel neglecti, vel invicti 11.
Valtramus Naumburg. Episcopus CLIII pro Henrico IV. contra Hildebrand. P. 292
Vaticinium seu judicium, quid fructuum Lex Cœlibatus Ecclesiæ attulerit per Alanum Chartierum Secretarium Regium CC. 554
Venatores Clerici 113. 233
Venenum Eucharistiæ 356. Angliæ 544. Romanæ Ecclesiæ 561. 647.
Venericus Vercell. Ep. CLIV. pro Henrico IV. ad Papam 298
Verdunensis Episcopus, censura contra Hildebrandum 323

Vergilius Hybernus Episcopus Saltzburg 167. Modestum primum Charentanorum Episcopum conservat 175
Veritatem in Canonibus Sacris expressam quilibet intelligens publicare tenetur 683
Verum dicendo Papæ Episcopum juramentum fallere? 805
Veritati non licere assentiri miseranda sors 826. Veritati dicendæ quàm tuendæ paupertas aptior 840. exquirendæ nulla humana potestas limites ponit 851. ratio naturalis, *ibid.*
Veselus Frisius C C C L X X X V I I. Lux mundi habitus 820. satisfactionem blasphemiam continere indicavit, *ibid.*
Vestitus Monasticus 208. *seqq.*
Vetera carmina LXXVI. ante M. annos edita de erroribus & libidinibus Rom. 79
Vetustatis vestigia CCCCXVII. de communione sub utraque 837
Vexationes causa quæsita non data 681
Vicarii exiguo servientes salario, præsumuntur, quales? 599. idiotæ, cœci duces 826
Victor P. ab Asiaticis triumphatus in causa adiaphoræ diei celebrationis Paschatis 13. Victor P. Victoriæ Antichristi cum Montano præludentes 23
Victor & Anastasius Papæ, vestigia prementes proximi Antecessoris Hildebrandi quales cum posteris judicandi 292
Vigilantius XXXII. contra idololatriam imaginum, reliquiarum 32. Eum Hieronymus quomodo refutaverit, *ibid.*
Vigiliæ pro mortuis non probatæ 8. improbatæ 809
Vigilius P. Sceleratus & impius contra 2. Antecessores cathedram mercatus 272
Vindicta Dei certa atque metuenda 59
Visiones animarum, ludubria dæmonum 34. in somnis quomodo discernendæ 361
Visio Gamaleonis consanguinei Papæ de rebus Germaniæ 680. Nicolai Helvetii S. Eremitæ de statu Papæ 835
Visionum Speculum naturalium, cœlestium, & propheticarum omnium calamitatum 838
Visitationum abusus: crimina transiguntur, jurisdictio turbatur 511. 514. Visitantes Archiepiscopi, Episcopi &c. quot equis stipati 531. Visitatores Greg. P. X. Satanas à facie Dei 534. Visitationes diœcesium singulis instituendi æ annis 697. Visitationes de profectu & defectu Evangelii Pontifex negligit 361. 367
Vitæ hujus felicitas Episcopus vel Rex ludentium evanescens 372
Vita & honestas Clericorum CCLXI. 686
Vlrico Cæsaris Secretario, Ioanne P. XXII. quis habitus? 718.
Vnctio ad reconvalescentiam usque ægroti iterata 253. ægrotantis ante communionem 603. Valdensibus ultima superbia dicta 652. propter vanitatem & abusum *ibid.*
Vngari Italiam invadentes 214. Regi à Papa Corona Imperii missa 313
Vnio Græcorum & Romanorum Florentiæ simulata, palam repudiata 729
Vniversitates seductæ Antichristo velificantes 767. invitantur ad Concilium Generale 834. vid. Scholæ Paris.
Vocatio vid. ejus contrarium Simonia.
Volquinus Abbas in Sedichenbech CCLX. de Zizania & monstris Spiritualium 685
Votum quod est electionis non præjudicet debito præceptionis 332. exemplum, *ibid.* castitatis continere non valentis commutabile 820. stulta & impossibilia rescindenda 821. temeritas pietati nocens & cum Christiana libertate pugnans 822
Vrbanus P. cruce signatis ad bellum abutitur civile 546. compatitur Siciliæ, Angliæ causa expilationi, Siciliam Franciæ conferens *ibid.*
Vsuræ adulterii, &c. calumnia agendo excipiendo in Iudiciis Ecclesiasticis 386
Vsurarii Papæ escambiatores Florentini & Iudæi in Anglia 534
Vsurarum discrimen etiam nolentibus propter violentas præstationes & exactiones Papæ imminere 536
Vsurarii contractus, usurariorum fraudes colludentibus Ecclesiasticis 599. vid. Sigillum.
Vuicleph. in Bohemia exul 726. redux in Angliam Parochus satur deinde rum moritur, *ibid.* eum secuti ordine XVI. Doctores à maledica lingua recensentur 732
Vulgi de Pontificis jugo judicium CCCXCIV. 824
VValafridus Strabo, Abbas CXII. contra sacrificium Missæ, &c. 177.
VVelsnaci in Marchia commentitus cultus cruoris Christi 812
VVenceslaus Imp. Scripta contra Primatum allegando probans 777
M. de VVesalia VVormat. & Mogunt Ecclesiastes CCCLXXXVI. pro gratuita Iustificatione, &c. 818
VVilhelmus Albus CCCLXIX. de libertate conjugii Sacerdotum 808
VVilhelmus Paris. Episcopus C C X X X I I I. melius aliis de Iustificatione 607. terribiliter verò contra pluralitatem Sacerdotiorum, *ibid.* VVilhel. reliquos vid. Guiliel.
VVolfgangus Aitinger, August. Cler. CCCXCVII. de vaua Religionis contaminatione 826

X

Xenia Episcoporum Simoniaca 265

Z

Zacharias P. subdolè contra Longobardos Carolum in Italiam vocans 122. corrumpens in itinere Desiderii Regis subditos & ministros ibid. objectam sibi à domestico, Germanicorum Apostolo Bonifacio, Simoniam Pallii & labefactionem Canonum quàm strenuè negat 91. *seqq.*
Zelus justitiæ 364
Zophonnæ exauthoratæ 448
Zosimus trium ex ordine falsariorum Paparum Primus 42. 44. 45. *seqq.*

FINIS.

CATALOGI
TESTIUM VERITATIS
AUCTARIUM,

Quo

Monumenta & Teſtimonia hactenus deſiderata, nec edita, primùm producuntur; aut extantia, ſed nondum allata, apponuntur; vel vetera & conceſſa augentur, illuſtrantur, atque in integrum reſtituuntur.

Auctario huic adjunguntur tres Matthiæ Flacii tractatus, hactenus deſiderati:

I. De Synodo VI. Carthaginenſi;
II. De Primatu Petri;
III. De Electione Epiſcoporum.

CATTOPOLI
M. DC. LXVII.

Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, lib. 2. de Rep. Eccleſ. cap. 10 num. 61. p. 312.

Bone Deus, quid non audet ſumma noſtrorum temporum imprudentia? Pupillam oculi tangit, qui Romanos errores detegit, & abuſus reprehendit. Profanus eſt, imprudens, inſolens & hæreticus, qui veritatem propugnat contra Romanas ineptias & falſitates.

MATTHIÆ FLACII
TRES
AUREI TRACTATUS

I. De Synodo VI. Carthaginensi.
II. De Petri Primatu.
III. De Electione Episcoporum.

CATTOPOLI
M. DC. LXVII.

Matthias Flacius in Catalogo Testium Veritatis num. 46. p. 46.

Hanc totam Historiam (de sextâ Carthaginensi Synodo) separatim paulò prolixius recitavi, ac edidi, eoque eam jam breviter tantùm in summam redigere volui. Dignissima autem profectò esset, quæ ab homine docto luculenter describeretur, & ab omnibus piis ad unguem ediſceretur.

D. Herm. Conringius Exercit. de Constitutione Episcoporum Germaniæ thes. XXXVI. edit. Helmst. anno 1647.

Ita se rem habuisse, ut à Clero & Plebe *primùm nominaretur* Episcopus, *ex antiquis monumentis constat. Etsi enim sint, qui* Plebis *non putant magnam rationem habitam, tamen oppidò falluntur. Probatum id satis dedit* Matthias Flacius Illyricus *non solùm* in Catalogo Testium Veritatis, *&* Centuriis Ecclesiasticis, *sed etiam* singulari scripto, *quo ostendere voluit,* Electionem Episcoporum non ad Ecclesiasticos solùm, sed & ad Laicos pertinere, *eosq; hoc jure Electionis inde usq; à Christi tempore per annos M.CCC liberè usos. Rectè verò id astruxit Flacius, allatis compluribus testimoniis & exemplis, etsi ea non satis distinctè, & ferè sine ordine proponat, ductoq; à consuetudine diuturnâ Ecclesiæ peregregio argumento quod cùm Bellarminus dextrè refellere non posset, maluit criminari Flacium, quàm nihil dicere.*

VIRIS

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS, EXCELlentissimis, Consultissimis, Prudentissimis, Integerrimis, longoq; rerum Usu & Experientiâ maximè onspicuis

Dn. BVRGGRAVIO,
Dnn. CONSVLIBVS,
Dnn. SYNDICIS,
Dnn. SENATORIBVS,

Florentissimæ LIVONIÆ Civitatum ac Rerumpublicarum

RIGENSIS;
REVALIENSIS;
DORPATENSIS;

longè meritissimis,

Dominis, Mecœnatibus, Patronis, Fautoribus, Amicis omni honoris cultu prosequendis, suspiciendis,

Gratiam, Pacem & Felicitatem sempiterternam à Trinuno DEO Optimo Maximo, ex animo devoto precatur

Auctarii hujus Auctor.

CVM Romano-Catholici Doctores quorundam suorum dogmatum autoritates in Verbo Dei ostendere nequeunt, ad speciosum ECCLESIÆ nomen, veluti ad sacram anchoram, solent confugere, ac inde allaborant sub *Ecclesiæ*, *Conciliorum*, *Papæ* aut *Patrum* autoritate fucum facere; quamprimùm enim premuntur autoritate S. Scripturæ, solent sese in varias mutare formas; nunc confugere ad Traditiones, nunc ad Patres, mox ad Catholicam Ecclesiam. Controversiarum verò, quæ nostrum potissimùm exercent seculum,

a gravis-

graviſſima eſt ea,quæ de Eccleſiæ veritate & antiquitate,nec non Arbitro Controverſiarum,& olim ſuſcepta fuit à Reformatore Luthero,& nondum terminata eſt. Qui Papanicam Eccleſiam jactitant, ut antiquiſſimam & veriſſimam, de Eccleſia tanto cum faſtu, jactantiâ, animique præfidentiâ diſputant, ut quovis pignore depoſito nuſpiam alibi certiorem ſibi polliceantur victoriam; imò audeant pro confitentibus reis nos habere; non poſſe enim nos, velimus nolimus, diffiteri, ſe tot centenis annis in antiquitùs per manus tradita poſſeſſione fuiſſe. Sub titulo *Eccleſiæ*, maximè *Catholicæ*, ejuſque autoritate immotæ ſtare jubent, qui nec erroribus noxiis dementari,nec regno cœlorum excludi velint. *Si nobis non eſſet clypeus ille invincibilis*, exclamat Pariſienſis quidam Doctor, *Eccleſiam ſcilicet non poſſe errare, eſſemus jam centies victi à Lutheranis, nam illi habent pro ſe apparentiam veritatis Biblicæ.* Bellum ſanè eſt de re momenti longè maximi,unde etiam adverſæ partis acies omnes baliſtas intendit,ut verbum aliquod ἄγραφον, non minoris autoritatis, obtineat,atq; *Eccleſiæ obtentu* opinionibus novis κρησφύγετον reperiat.Si *Eccleſiam primæ originis* intelligunt, labuntur egregiè,nam ea patefactionibus ſuis longè ſeceſſit ab Eccleſia,Paparum ſive conſenſu,ſive diſſenſu accepta.De *fundamento* alia nos docebit;de *gubernatione* itidem, Eccleſia conſenſu unanimi Apoſtolorum fundata, primiſque aliquot ſeculis aucta & roborata, quæ autoritatem ſibi fecit ex dictamine Scripturæ ſacræ θεοσδότῳ. Solent autem ſummum S.Scripturas interpretandi jus *Eccleſiæ* adſcribere Pontificatus aſſeclæ, & rogati, quid per Eccleſiam intelligant, tandem per varias ambages cò deveniunt,ut ſplendida vox Eccleſiæ in *unius Pontificis* caput & cerebrum reſolvatur. Aſt quis ille? Romanus ille Epiſcopus arrogat ſibi, quòd jure divino ſit ſuper omnes Epiſcopos totius orbis Epiſcopus οἰκουμενικὸς ſive univerſalis, à quo peti debeat doctrinæ veritas, expeti Ordinatio & Confirmatio ab omnibus Epiſcopis & Paſtoribus,expectari jus eligendi,confirmandi,deponendi omnes Epiſcopos. Largiſſimæ huic ἐπισκοπῇ addit,ſibi jure divino competere utrumque gladium, autoritatem ſcilicet conferendi & transferendi regna. Quæ eò φορτικώτερα,quod jubeat hoc credere ſub neceſſitate ſalutis, & ob id ſe ſedere in Eccleſia Vicarium Chriſti. Olim non niſi inſpectio ſuper unicam Eccleſiam Romanam competebat Papæ,eaque *Spiritualis*,ut decebat Epiſcopum. *Temporalis* prorſus nulla erat, nec à Conſtantino Magno donatio ulla eo contigit nomine. Poſt aliquot ſeculorum decurſus,inter varias rerum tempeſtates tandem eò gloriæ devenit thronus Romanus,quâ nullâ unquam mortalibus accidit major. Gladium poſtquam accepit in manum unà cum triplici corona, tum demum poterat ſe jactare Papa tiaratus, ſe jam caput eſſe omnium Eccleſiarum, ſibi jam competere ſummam & univerſalem poteſtatem ſuper omnes totius orbis Chriſtianos. Ex hoc præeminentiæ culmine,cui nullum eſt comparandum, nedum æquandum, poſcebatur ab Imperatore & Regibus juramentum fidelitatis, Regum & Principum adgeniculatio imperabatur; Imperatores imperio, Reges regnis privabantur & excommu-

communicabantur; Reges & Duces creabantur, alienæ terræ aliis donabantur; ita ut Pontifex, auro & argento ſplendens, μετὰ πολλῆς φαντασίας, magis quàm ille Rex Agrippa, imò ipſe hodiernus Imperator Turcicus, aut ullus Schach Sefi inceſſerit, ac receperit adorationes, proſtrationes & oſcula pedum, quæ non admiſit Petrus à Cornelio, nec Angelus à Iohanne Evangeliſta, ipſo nõ diffitente Archiepiſcopo Florentino Antonino. In publicum proceſſurus, humeris miniſtrorum, etiam Magnatum, geſtatur, omniaque tanquam in Circenſi pompa ſplendent. Quantum ſuperbiæ in venerabilibus pedibus! Maximinus Senior nunquam ad oſcula pedum quenquam admiſit, dicens: *Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſcula figat.* Sed ubi ſunt, quod ait Eraſmus, Apophthegmata Cæſarum ſcribens, qui non ſolùm ingenuos, verùm etiam ſummos Monarchas ad oſcula non pedum, ſed calceorum, non dicam admittunt, ſed incitant, & quodammodo cogunt? Romæ ſunt, & quidem Epiſcopi Chriſtiani ſunt. Egregios verò Chriſti Vicarios, Petrique Succeſſores, quòd Chriſto & Petro, tanquam primis exemplaribus, tàm aptè conveniunt! In Leone X. *tanta magnificentia, ſplendor,* & *animus verè Regius* eluxit, ut vel in quopiam, qui longâ ſerie *à Regibus & Cæſaribus* genus duceret, mirum videri potuerit, ſcribente Guicciardino. In aliis ſimilia gloriæ ſecularis phantaſmata reperias, quorum ſi non poteſtatem in Regna mundi magnis verborum cothurnis deprædices, periculoſa res erit; nec Papæ gratius acroama pretioſiorque liber, quàm ſi typhi illius ſecularis poteſtas extollitur, magnoque niſu ſtatuminatur. Quum modeſtiore aſſertione diceret Bellarminus, ſummus Pontificis defenſor, Papæ poteſtatem eſſe in Regna mundi *indirectè*, fraudi fuerat locutio, Majeſtati Papali non conveniens, *parumq; abfuerat*, quod Guilelmus Barclajus retulit, *quin omnia Doctoris illius opera, quæ hæreſin ſummo hodie ſucceſſu oppugnant, Pontificia Cenſura magno cum Eccleſiæ detrimento aboleret.* Aderant homines, qui Pontificis auribus inſuſurrarent, recenſente Fuligatto in vita Bellarmini, illâ de indirecto dominio doctrinâ Bellarmini *autoritatem* illam minui, quam Chriſtus Dominus *Vicario ſuo in terris dederit ad Eccleſiæ dignitatem firmitatemque*; niſique Papa exceſſiſſet vitâ, in Bellarmini libros ſævitum fuiſſet, eodem teſte, ut Indicem probroſorum Scriptorum ſubierit. Atque ita circa dominium temporarium, Papaleque regimen dividiæ ſunt, ſicut & ratione temporum diſtinctè eſt de illis rebus loquendum. Diſtingui Statûs Papalis regimina in aliquot periodos commodum erit, quarum prima ſit Regiminis adfectati, uſque ad tempus Gregorii VII; ſecunda Regiminis impetrati, quando illum magnum Præſulem ſequuti ſunt, ut ait Bibliander, Domini Dominantium & Reges Regum; tertia Regiminis ſeneſcentis eo tempore, quo Lutherus contra Tezelianas nundinationes ſcripſit. Qui Paparum hiſtoriam conſideratè attendit, uno obtutu multa videt ad ſuam inſtructionem, ne circa Statum Eccleſiæ erret. Si illa hiſtoria probius inculcaretur & animdverteretur, non tot apoſtaſiæ exempla in Principibus aliiſque magnis viris viderentur. Si ſummi Gubernatoris naturam probè per-

ſpectam cognitamque habuerimus, ſimul judicari poteſt, quid ſit de Eccleſia habendum, cui præeſt; quique caput diligenter luſtraverit, de membris facilius judicabit. Ingenuo ore Antoninus: *Cùm omnia poſſit Papa, poteſt etiam hoc, quod eſt commune omnibus, ſcilicet ERRARE, & peccare.* Si Præſes errare poteſt, etiam Eccleſia; Eccleſiæ enim nomine, ultimatè, ut loquuntur, intelligendus Romanus Pontifex. Si audiamus eos ipſos, qui Eccleſiæ ſuæ periti ſunt, & ſine affectu ſentiunt, hocq; gratiæ pro hoſpitio quandoque reponunt, ut dicant, erraviſſe & errare poſſe; unde Alexander Carerius, cùm agit de poteſtate R.P. Papam in illum etiam ordinem redigit hominum, de quibus dicitur: *Omnis homo mendax*; Balduſque ait ſcitè: *Papa homo eſt, & ſæpè patitur lethargum.* Dum Sedes Romana fuit, lethargum paſſa eſt per Schiſmata viginti ſeptem, & amplius. Quos autem in illa Interregnorum ſomnolentia Schiſmatumque tempore Interpretes & Iudices nobis numerabis, cùm aut dubia erat perſona Pontificis Romani, aut nulla, præſertim ſeculo decicimo, Schiſmatum Antipapalium feraci; aut illo in Schiſmate, vaſto lateque patenti; quod erat inter Vrbanum VI. & Clementem VII. ubi tenui pendens filo conſpiciebatur Eccleſia Romana, bicepſque per quadraginta annos durabat. Non erat tunc Oraculum, non Propheta, & unuſquiſque faciebat, quod ſibi videbatur rectum. Cauſæ dubiæ religionis non poterant cognoſci, non doceri aut demonſtrari, non determinari per ſua principia. Fides nulli habebatur, quum diceretur de fide. Fidem habe Bullis utrinque ſcriptis, quibus alter alterum proſcindebat excommunicabatque, & ſe tanquam ſchiſmaticos, hæreticos, tyrannos, fures, proditores, iniquos, zizaniorum ſatores ac filios Belial honorabant. Vbi tunc unitas conſervata & cuſtodita! Vbi tunc in ſtatu felicitatis ſuæ Eccleſia! Eccleſia ſe ab omni tutela nudam conſpexit, ingemuit, & Magiſtros veritatis, fidei, fiduciæ, in quibus fiduciam poneret, oberrans quæſivit. Ex facili enarrari poſſent alia, ſed afferemus unicum, reliqua immanitate obliterans. Annus erat milleſimus trecenteſimus ſeptuageſimus octavus, quo, Onufrii teſtificatione, ſchiſma fuit exortum omnium peſſimum, quod quinquaginta annos perduravit, tandemque in Concilio Conſtantienſi, tribus Antipapis depoſitis, & Martino V. electo ſublatum fuit. Quis intereà potuit adiri Iudex? Quis repræſentavit Eccleſiam? Quæ tunc encomia cantata de tàm claro & luculento Iudice veritatis, in tot mutationibus, in tot ſchiſmatibus, in toties variatis Pontificibus? Erant in illa ævi labe, & trium Pontificum exaltatione, qui Iohanni eſſent gratioſi; erant, qui Benedicto benedicebant; erant, qui pro Gregorio vigilabant. Erant, qui tres deteſtabantur, & perverſos judicabant. Non tetrius, non diuturnius ſchiſma fuit, de quo quæ legi apud Iohannem Baptiſtam Signium Italum, merentur afferri. *In ea temporum calamitate, in ea religionis tempeſtate, in ea totius Eccleſiæ quaſi deſperata periclitatione, omnia tunc corrupta præcipiti ſorte agebantur, labe ſchiſmaticâ annos circiter XL. ubique debacchante, quam humano præſidio ſanari, haud poſſibile videbatur. Quare diverſis locis diverſa Religioſorum Collegia*

per

per ea tempora, intra Italiam præsertim excitata, passim adinvenies, dum Pontifices Maximi alter in alterius factionis sectatores diris execrationibus, & Ecclesiasticarum Censurarum comminationibus inter se digladiabantur. Plerique tùm Laici, tùm Clerici, neutralitati adhærentes, in aliquem solitarium locum se recipiebant. Hæc ille Signius, Canonicus Regularis, in libro Bononiæ edito, de Ortu & Statu Canonico, ubi & Gregorium XII. quasi *Reformatorem Ecclesiæ* laudat, confessus eâ schismatis pestilitate universali, ut loquitur, *prorsus exaruisse pietatem, & fidem in Ecclesia*, & diebus illis *omnia Christianorum* ad occasum inclinasse. Ipse Bellarminus alicubi: *Erant eo tempore tres, qui Pontifices haberi volebant, Gregorius XII. Benedictus XIII. & Johannes XXIII. nec poterat facile judicari, quis eorum verus ac legitimus esset Pontifex, cùm non deessent singulis doctissimi Patroni.* Ignorato vero Pontifice, necessum erat Ecclesiæ veritatem ignorari, maximè cùm colligatio membrorum Ecclesiæ sub regimine Pontificis sit de Ecclesiæ essentia. Cùm itaque non esset in mundo Pontifex, ubi terrarum Ecclesia hæsit? Quoties de vero capite inter tot capita anomala nulla fuit certitudo; Quis in tanta incertitudine scivit, quinam Pontifex esset Ararum atq; Ecclesiarum? Aram Victoriæ de Senatu Romano sublatam ægrè admodum tulêre Gentes, Christianismo invalescente, de qua Symmachus sic queritur: *Quis est ita familiaris Barbaris, ut Aram Victoriæ non requirat?* Invalescente Papatu, Aram Pacis & Concordiæ, Pietatis & Fidei, per horrendas factiones Antistitum subinde eversam fuisse, ægrè & dolenter tulêre probi veritatisque amantes. Objecit Ambrosius Symmacho: *Si ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma successit?* Objicimus nos Christianis Romanis hodiernis: *Si veteres ritus Christiani delectarunt, cur in alienos* (è Gentilibus & Iudæis transumptos) *ritus eadem Roma postmodum successit?* Cur à veteri doctrina, veraque antiquitate discessit? Cur Antiquitatis & Ecclesiæ, quæ ab antiquitate Apostolica recessit, nomen pro velo servit mille novellis inventionibus? Novatores Pontificii videntes se Scripturæ destitui præsidiis, antiquitatis speciem arripiunt, & corruptelis suis prætexunt. Vt ille prætextus adimatur, & fide bonâ ostendatur, fide sublestâ antiquitatis testimonia ab ipsis tractari, utile est & necessarium, Catalogos texere veræ & genuinæ Antiquitatis, qui ostendant, pro Traditionibus Apostolicis ea venditari, quæ extent in illis Scriptis, quorum vetus Ecclesia non nisi inter Apocrypha faciat mentionem; plura conquiri suffragia ex illis Scriptis, quæ falsò Patribus quibusdam tribuantur; veteribus quædam affingi, quæ ipsi nunquam vel senserint, vel scripserint. Non ulla res majorem doctrinæ ac morum perniciem invexit Ecclesiis, quàm quòd corruptæ fidei ac disciplinæ exempla de illis manârint in populum, qui doctrinæ & vitæ puritate atque integritate aliis debebant præesse. Dissidia turpia Pontificum, qui Atlantes Ecclesiæ antiquæ visi fuêre, turpissimè illustrant talem Ecclesiam, cujus se tamen Præsidem ἀναμάρτητον contra proprium pectoris scrinium jactitant. Quæ illa concordia, ubi alter alterum damnat, & quod unus decernit, alter rescindit? Ingenua confessio

est Platinæ, post Stephanum Papam ferè semper hanc consuetudinem fuisse servatam, ut *Acta priorum Pontificum* sequentes aut infregerint, aut omninò tulerint. Quodnam connubium veritatis, ubi Papa adversus Concilium aliud convocat Concilium, & ubi contraria Concilia simul habita, hoc illud, illud hoc damnat? Sagacibus ingeniis proclive est intelligere, quid de tali supremo capite sit habendum. Cogitemus in Ravennatensi Synodo Pontificis Formosi defuncti Acta approbata & confirmata; Stephani Papæ Decreta contraria publicè in omnium oculis fuisse concremata. Cogitemus sub Otthone I. Synodum Romanam contra Iohannem Papam fuisse habitam; illum verò fraude ac vi recuperato suo atrio, vicissim Romæ Synodum instituisse, quâ Leonem VIII. qui in ejus locum fuerat electus, condemnavit. Solet Phœbo cithara cum plectris dari, eò quòd Solis ascensu & descensu, & radiorum ejus cum cæteris astris consonantiâ totius naturæ humanæ concentus temperetur. Si Phœbi illius Romani Nicolai III. & alterius Iohannis XXII. citharam auscultamus, nulla consonantia, mera dissonantia audietur. Erat magnum dissidium circa Regulam Franciscanorum, ubi contradictoria definierunt è cathedra ambo Phœbi, & radii Iohannis adeò erant Saturnini & malefici, ut de Religione Minoritana; teste Bzovio, extinguenda, seriò cogitaverit. Pro Minoritis erat sententia Nic. III. cùmque definitioni & determinationi Iohannis Minoritæ refragarentur, multi eorum igne cremati fuêre, horrendâ sævitiâ inauditoque exemplo. Cogitemus ponderosa verba Gilberti Genebrardi de sesqui seculo, quo Pontifices circiter quinquaginta *à virtute Majorum* prorsus defecerint, *Apotastici, Apostaticive* potius quàm *Apostolici.* Quinquaginta adhuc annos superaddit Sigonius. Vix ullum fuit peccatum, ne hæresi quidem exceptâ, quo illa sedes per sua secula, quibus sedem usurpavit, turpiter maculata non fuerit. In nemine turpius, fœdius & exsecrabilius est vitium, quàm in eo, qui cæteros ductu suo dirigere debet. Hinc fit, ut nullum facinus malum majus censeatur, quàm si quis Papa, Ecclesiæ suæ Rector, malè fecit. Quàm multi autem malè vixerint, malèque aut prorsus non docuerint, vulgatius est, quàm ut sit per plura exempla hîc eundum, cùm Catalogus Testium Veritatis, quem præ manibus habemus, testes producat, si non omnes, tamen præcipuos, eosque domesticos. Odio mero Pontificis ipsi Pontificii scribere contra Pontificem non possunt. Hos sequitur Flacius, & tangit ulcus. Hos sequuntur Flacii imitatores & auctores Ioh. VVolfius & Simon Goulartius, recensentes ejusmodi Pontifices, qui fuerint adulteri, mœchi, scortatores, fornicatores, Sodomitæ, Simoniaci, raptores, lenones, parricidæ, Cæsaricidæ, Tyranni, malefici, fœdifragi, athei, Epicurei, hæretici. Exemplis his sumptis & probè expensis, jam judica de infallibilitate Papæ, quæ magnum censetur esse fundamentum Papatûs, quo subverso, multa magnifica collabuntur. Sublatâ infallibilitate, tollitur & aufertur judicium in Ecclesia supremum. Quomodo infallibiles esse dices, qui Montanizarunt, Arianizarunt, Pelagizarunt, idolis sacrificarunt, aliaque fœda commiserunt.

Piè

Piè Æneas Sylvius, antequam Papa fieret, diceretùrque Pius: *De Romanis Pontificibus liceret exempla admodum multa referre, ſi tempus ſineret, quoniam aut* Hæretici, *aut aliis imbuti vitiis, ſunt recepti. Nos non fugit*, Marcellinum *juſſu Cæſareo idolis thus ſacrificaſſe; alium verò, quod majus & horribilius eſt, Diabolicâ fraude Romanum Pontificatũ aſcendiſſe.* Hęc ille in libro de geſtis Concilii Baſileenſis. Quàm bellè tunc Eccleſiam repræſentârunt Papę! Quàm aptè tunc ſinceritas interpretationis S. Scripturæ à Papa, tanquam ex Homerica catena, ſuſpenſa! Quoties verò Eccleſiæ Præſes fuit deſes! Quoties non adfuit Eccleſiæ, aut ſi fuit, quoties defuit! *Univerſa Eccleſia à ſuo ſtatu corruit, quando is, qui* univerſalis *appellatur, cadit*, ait in Epiſtolis Gregorius. Ipſi ſunt Papæ αὐτοκατάκριτοι. Æneas Sylvius ſupprimit & damnat Pontifex, quæ anteà firmaverat Cardinalis, & quod *Æneas* probat, alter *Pius* damnat. Sic Paulus IV. Cardinalis adhuc, Pauli III. conſilium de reformanda Eccleſia juvare in animo habet, quem animum mutat mox, cùm tiaram ipſe accepit. In Ianſeniſtica controverſia, quid Romæ actum fuerit per diverſos Actus, in recenti adhuc eſt memoria, Pontificibus ipſis in hoc bello gratiali in diverſa euntibus; nam à Pio V. & Gregorio XIII. planè diverſum ſtatuiſſe Clementem VIII. ex ipſis verbis Guilielmus de Gibieuffe, Ordin. Orat. Presbyter, & Doctor Sorbonicus in libello Pariſiis excuſo, & Papæ Vrbano VIII. dicato monſtrat. Inde factum, ut nihil hactenus in re tàm momentoſa deciſum fuerit, niſi quod in cauſa belli hujus auxiliaris Innocentius X. ſedens pro tribunali, interdicat libellis, ab utraque parte editis, de re autem ipſa nihil decernat; Alexander verò Pontifex audaciori ſpiritu aggreſſus fuit has difficultates, ſed nondum ſuperavit. Sententiam à Pontifice Innocentio X. latam adverſus Ianſenii, Epiſcopi quondam Iprenſis, propoſitiones quinque de gratia, impugnabat Mechlinienſis Archiepiſcopus cum reliquis Epiſcopis & Provinciæ Generalibus, adeò ut aliud mandatum ſtatim opponeret, idque templorum valvis publicè affigeret. Scriptum ante aliquot annos editum unà cum Bulla Papali, dignum quod legas. Si Pontifex Romanus propriis eorum effatis eſt conditor & demiurgus ſacrorum dogmatum, à cujus arbitrio fidei decreta ſancire, ſancita mutare, neceſſitatem imponere credendi, cur nunc definire deſiſtit? Miſſa fuit olim in controverſia de B. Mariæ immaculata conceptione, legatio ad Papam à Regibus Hiſpaniarum Philippo III. & IV. ut definiret & decideret iſtam controverſiam, & quidem cum anathemate contrariæ partis. Magiſtrum Thomam ſecuti *Dominicani* Mariam in peccato originali conceptam eſſe dicebant. Contrarium docebant *Franciſcani*; quibus acceſſêre *Jeſuitæ*, qui tantum potuêre in Aula Hiſpanica, ut ſummis impenſis ad Vrbanum VIII. legatio mitteretur. Os legationis Antonius de Trejo, Epiſcopus Carthaginenſis, compellabat tunc Pontificem: *Jubeor tuam orare clementiam, ut certo & unico, quod in tuo pectore ſitum eſt, remedio, ſeculi turbines & regnorum procellas velis prævenire. Non dubito, quin citò viam, per quam æquè omnibus incedendum ſit, tu verus Eccleſiæ Mercurius nobis jam tandem digneris aperire.* Sed

Papa

Papa infallibili & irrefragabili suo oraculo dubium hoc solvere noluit, frustraque *in acervum Mercurii* lapides, ut ex sacris loquar, conjecti à Vincentio Bandello, Dominicano, commmemorante, varia scandala, ex intermissa Papali decisione orta, quò magis Papam ad judicandum flectere queat; sed Vrbanus erat prudentior, & legationem re infectâ rursus dimittebat, animadvertens, hoc agitari à Iesuitis, ut possent supprimere Dominicanos, quorum magna tunc erat in Hispanico Regno autoritas. Quod verò Vrbanus VIII. ausus non fuit tentare, id non dubitavit efficere Alexander hodie VII. qui determinavit Romæ, credendam esse immaculatam conceptionem B. Virginis esse ad salutem necessariam. Ægerrimè id ferunt Dominicani, quod nobis constat, ita ut sub alienis nominibus Papæ Decretum impugnare non desinant. Historiam legationum eâ gratia factarum prolixè descripsit Lucas VValdingus, sed sine Pontificum gloria. Ipsos porrò Pontifices Romanos videamus, quid doctrinæ novæ cum suis conjuratis Gubernatoribus & Prælatis in Ecclesiam invexerint, & ut adhuc in tanta seculi illustrati luce mordicus retineant, aliosque secùs statuentes persequantur & trucident. Maximum sibi esse momentum in nomine *Catholicus* putant, quod ipsi perperam explicant. Quid popularius inter Papistas: *Non est Catholicus*, *ergo Hæreticus*. Quàm verò Catholici sint, nemini dubium esse potest, qui legerit nostri D. Gerhardi *Confessionem Catholicam*, & *Acatholicum Papatum* Heilbrunneri. Si Catholica est Ecclesia, quæ omnibus locis & temporibus, ac in omnibus doctrinæ Christianæ capitibus eandem semper sonuit & tradidit doctrinam, Pontificia certè Ecclesia tàm non erit Catholica, quàm non Baptista Iohannes Noæ, primi mundi Navarchi, fuit coætaneus. Si oculos conjicis in hodiernum Catholicismum, & cum Catholica prima ætate confers, ex variis centonibus consarcinatus est Catholicismus, prioribus seculis non respondens. Certant numero Regnorum & Provinciarum, contra pusillum numerum hominum, & inde *Catholicismum* explicant. Sæpenumerò Orthodoxi Hæreticorum superati sunt numero. Ergone ex numero Hæreticos æstimatis Catholicos? Hoc sanè argumento tàm de vobis, quàm de nobis negaretur Ecclesia; nam plures ad proportionem vestram sumus, quàm vos ad totius Paganismi aut Mahumetismi. Vix Europam continet Christianismus. Quid igitur Asia, quid Africa, quid America fieret? Nihil igitur in numero est numeri. Ecclesia Catholica ex orbis totius corpore conflatur, & ad verbi divini vocem, quæ in omnes orbis partes per vocem Apostolorum exiit, congregatur. Hæc Ecclesia quum una sit, sicut unus est orbis, unam etiam formam, quam dat verbum Dei, recipit. Hæc est vera Catholici nominis interpretatio, in qua *Catholici Romani* non habent, quod intendant. Romana Ecclesia ut se Catholicam magis faceret, *Antiquitatem* jactat. Objicis venerandam antiquitatem Catholico-Romanæ Ecclesiæ; sed respondemus verbis Iohannis Raulini de Reformatione Monasteriorum: *Non causanda erit temporis diuturnitas, quandoquidem Cain perseveravit, dum Abel non erat; & tribus millibus annis ante Christi adventum*

ventum perduravit idololatria; *& spurcissima* Mahometi Secta *jam octingentis annis & amplius Orientem fœdavit & Austrum. Nec tamen hæc longa veniunt ævi duratione excusanda, quin potius timendum est, ne lentè ad vindictam divina procedat ira.* Vnde quæso, illa Antiquitas de *Pontifice Romano*, quòd caput sit totius Christianitatis, quòd judicare possit omnia, ipsum autem nemo; quod potestatem omnem habeat, neque errare possit in negotio religionis, & absolutè sit supra omnia Concilia? Religio conflata ex variis Pontificibus variè, diversæ classes invectæ variorum dogmatum, & stribiligine sic paulatim corrupta, ut alia prorsus religio è varia illa commixtione exorta fuerit, quæ in Italia Romæ prius concepta, longis mensibus gestata, tandemque dias in luminis oras nata fuit obstetricante Phoca. Ad *Patres* deinde se conferunt, & sanciunt cum Concilio Tridentino, ut Patrum Scripta & Traditiones cum Propheticis & Apostolicis Scriptis pari pietatis affectu & reverentiâ suscipiantur. Ostendant illi nobis à prima antiquitate perennem, & sibi ab omni temporum memoria congruentem atque constantem religionem. Hoc sibi negotii sumant post sacram Scripturam, ut ex probæ monetæ Patribus, ea quæ adhuc produnt, consensum demonstrent, seque vetustissimis Patrum monumentis consentanea docere. Hoc è priscorum consensu doceant, nosque reos habebunt Novitatis. In Patrum consensu ipsi non consentiunt. Quamvis enim Salmero ajat, illud dogma à Doctoribus expressum, Catholicam fidem in Ecclesia Catholica facere, quod *universali consensu* vel *ab omnibus*, vel *ferè ab omnibus magnâ constantiâ* traditum est; quamvis Gerhardus Lorichius Hadamarius ex sententiis Patrum *omnium controversiarum finem* esse faciendum, dicat, obstat tamen illis Tanneri assertio, tùm quia *singuli Patres fallere possint, omnia monumenta vel non extent*, vel *dubiæ fidei esse* queant; obstat Gregorii de Valentia ingenua confessio, Patres *potuisse errare, atque errâsse aliquando singulos.* Ipsi etiam à se ipsis dissentiunt, & sub venerabili Patrum pallio multa etiam supposititia venditant pro veris. Vestigia Patrum cum Scriptura sacra congruentia sequimur, non propter Patres, sed propter Scripturam. Assumimus explanationes Patrum, eorum potissimùm, qui proxime abfuerunt ab ortu & prima progenie Apostolorum, vel certè puritatem istius felicis seculi, & sementem campi Apostolici imitati sunt. Nostrum propositum idem est cum Hieronymiano, *antiquos legere, probare singula, retinere, quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ non recedere.* Cùm pro nobis solemus afferre autoritatem alicujus Patris, quæ non interdum effugia, quæ non latibula quæruntur? Hic ait: *Respondeo, locum hunc fortasse non esse Augustini.* Ille: *Vt liberè pronuntiem sententiam meam, suspicor, locum hunc fuisse ab hæreticis depravatum.* Iste: *Verba illa non sunt Epiphanii, sed supposititia.* Alius: *Dico Chrysostomum, ut quædam alia per excessum ita esse locutum.* Alter: *Nihil aliud dico, nisi more poetico lusisse Prudentium.* Tertius: *Origenes plenus est erroribus, quos Ecclesia semper detestata est.* Quartus: *Non magni facienda est Tertulliani autoritas, cùm contradicit aliis Patribus, cùm constat, eum hominem Ecclesiæ non fuisse.*

 Octa-

Octavus: *Hieronymus non est regula fidei.* Decimus quintus: *Justini, Irenæi, Epiphanii atque Oecumenii sententiam non video, quo pacto ab errore possimus defendere.* Trigesimus octavus: *Cyprianus hoc scripsit, cùm errorem suum tueri vellet.* Quòd si in Patribus, aut propriis scriptis habentur testimonia, suæ religioni non faventia, adest statim Expurgator, & addit: DELEATUR. Si hoc faceremus, essemus *Novatores.* Gregorius de Valentia ait: *Novi estis, & pauci.* Verùm sciat, nobis Patres *novos* esse, si contra Scripturam pugnent. Magnificè de TRADITIONIBUS sentiunt, tanquam oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatis, & continuâ successione quasi per manus sibi traditis, & sanctè conservatis, ut Missam, Cœlibatum, Jejunium quadragesimale, Extremam Vnctionem, Cultum Imaginum, Reliquiarum, Sanctorum, & alia colorent. Malè sibi conscii, dùm Scripturæ sacræ autoritate premuntur, confugiunt ad Ecclesiam, ejusque Traditiones, & qui eas, ut gallina exclusit Papam. MISSA, nervus Papisticorum est cultuum, in quo omni hærent fiduciâ, maximè Sacrificuli, qui hinc magno numero aluntur cum satellitio suo. Mercantur eo officio multa jugera & juga agrorum boumque, & boni homines, velut fascinati, existimant, se ex hoc opere missatico Sacerdotis sibi suisque liberationem ex purgatorio, & vitam æternam mercari posse. Affertur aurum & argentum, & fit Missa aucupium quæstuosum. Dum hæc scribimus, venit in mentem historia, quæ ea in disputatione accidit, quam Lutherus VVittebergæ habuit de Missa. Gravibus dum exponebat rationibus Lutherus, cur Missa Papistica esset abroganda, tum in medio cœtu erat, qui stomachosè exclamaret: *Quid igitur nos sacrificuli sumus futuri, Missâ abolita?* Mox audita fuit alia vox è Studiosorum corona: *Lemures & larvæ.* Eam vocem subsequebatur cachinnus totius auditorii. In re missaria & negotiatione per Missas inter se dissenserunt olim acriter, nec adhuc conveniunt, & tamen neque hanc corrigi patiuntur, neque Missificorum mores. Multorum connumerat Cæsarius in Dialogis, super quæstione de præsentia corporis & sanguinis Domini, hæsitationes & fluctuationes. Tot hîc sententiæ, quot à mundi secula. Varias sententias non negat Bellarminus, easque conciliare nititur, & ubi disputat de antiquitate Canonis Missæ, ingenuè fatetur Canonem integrum, qualis hodie in Missalibus habetur, non reperiri in libris, qui sint antiquiores ordine Romano post annum septingentesimũ confecto, conquiritq; rationes, ut ostendat, ante annum Christi octingentesimum Canonem in Ecclesia usitatum fuisse. Quod argumento nobis est, primis aliquot seculis, nempè totis minimùm quingentis annis, Canonem Papisticum hodiernum in Ecclesia non fuisse. Missa longo usu temporis mollita, exasciata, expolita, distincta, variegata, donec in hoc excrevit pantheum. Cœlestinus Papa ordinavit *introitum*, Pontianus I. vel secundùm Platinam, Damasus *Confiteor*, Sylvester & Gregorius Magnus *Kyrieeleison*, Telesphorus *Gloriam in excelsis*, Symmachus *Et in terra pax*, Clemens & Anacletus, *Dominus vobiscum*, ut septies repetatur, Gelasius *Collectas*, Gregorius Magnus *Graduale*, Damasus *Halleluja*, Nicolaus *Sequentias*, Dama-

sus

ſus & Teleſphorus *Lectiones ex Epiſtolis & Evangeliis*, Marcus & Damaſus *Symbolum*, Gregorius I. & VII. *Offertorium*, Leo I. & Pelagius II. *Præfationes*, Sixtus *Sanctum*, Leo III. *Thus*, Gregorius Magnus *Pater noſter, Complendas* & *Secretas*, Sergius I. *Agnum Dei*, Leo I. *Ite, Miſſa eſt*, & *Benedicamus*. En habes Miſſæ maſſam, ex variis ſimplicibus à novendecim Papis compoſtam, prout Bernhardus de Parentinis, Frater Ordinis Prædicatorum, in Tractatu de Officio Miſſæ, totiuſque Canonis Expoſitione, anno 1442. ſcripto, exhibuit. Elegantiſſima Goropio Becano vox ſit *Miſſa*, non invidemus, quam ſi ejus monitu *Maſſam* vertas, *non longè à myſterio Miſſæ recedes*. Latini *Maſſam* vocant, quod Græci μάζαν, pro farina in unum corpus liquoris alicujus adjumento redacta. Idem prorſus τόλμα à multis Papis hîc contigit, egregiis Piſtoribus. Miſſæ illæ cùm multis modis, oblatione, ſacrificio, applicatione, denique aliis modis longè diſcedant ab inſtituto Chriſti, abolendæ ſunt. Inſtitutus à Chriſto longè alius modus, & obſervatus in veteri Eccleſia. Ipſo aſſerente Ænea Sylvio, Apoſtoli ſimplici oratione Dominica, & recitatione verborum Teſtamenti Dominici, Cœnam ſacram adminiſtrarunt. Probent illi Novatores ſuam Miſſam ex antiquitate; probent ſimul varios iſtos & mirabiles geſtus & actus, quibus ſacrificus ſæpius geniculatur, inclinatur, ſtrictis manibus modò diſtendit, modò reducit brachia, ſubinde ſe convertit, nunc altiſſimâ voce clamat, nunc magno ſilentio quædam demurmurat, ſuſpicit in altum, pronus eſt, non uno conſiſtit loco, nunc in dextram, nunc in lævam partem altaris commigrat, micat digitis, inhalat in panem & calicem, ea tollit in ſublime, poſteà reponit, panem frangit, & in calicem immittit, pectus ferit pugno, ſuſpirat, clauſis oculis repræſentat ſomnum, rurſus expergiſcitur, patellam deauratam averſus extenſo brachio demonſtrat populo, admovet eam fronti & pectori, oſculatur nunc altare, nunc imagunculam materiæ vel metallo incluſam, ut graphicè deſcribit Schleidanus. Domitianus Calderinus cùm ire conſueverat ad celebrationem Miſſę, ſolebat dicere, ſe ire ad communem errorem. Communis error jus jam facit. Miſſam faciemus miſſam, & videamus TRANSSUBSTANTIATIONEM. Figmentum novum itidem eſt, de qua dubitavit Gregorius VII. *jejunium indicens Cardinalibus, ut Deus oſtenderet, quis rectius ſentiret de corpore Domini, Romanane Eccleſia, an Berengarius*, quod ejus vitæ Scriptor Benno retulit. Ingenuè Gabriel Biel, magni nominis Scriptor, fatetur, *determinationem Eccleſiæ* eſſe, cùm in Sacramento Euchariſtiæ negatur eſſe panis. Apertius Alfonſus à Caſtro, diligens Patrum lector, ſcribit: *De Tranſſubſtantiatione panis in corpus Chriſti, rara eſt in antiquis Scriptoribus mentio*. Tranſubſtantiatio itaque apud otioſos ſine ſcripturis nata, tàm aliena eſt à ſacro illo Cœnæ Dominicæ myſterio, quàm eſt uſu & origine barbarum, & ab omni prorſus latinitate remotum verbum *Tranſubſtantiare*. Sic COMMUNIO SUB VNA SPECIE ſpecioſa eſt novitas, à Chriſti inſtitutione & veteris Eccleſiæ Catholicæ veſtigiis quàm remotiſſima. Vera Dei Eccleſia nunquam non probavit & uſurpavit uſum Calicis. Loquatur Caſſander: *Satis compertum eſt*,

universalem Christi Ecclesiam in hunc usque diem; occidentalē verò seu Romanam mille amplius annis à Christo in solenni præsertim, & ordinaria hujus Sacramenti dispensatione utramque panis & vini speciem omnibus Ecclesiæ membris *exhibuisse*, *id quod ex innumeris veterum Scriptorum, tàm Græcorum, quàm Latinorum, testimoniis manifestum est.* Decretis verò Concilii Constantiensis, Basileensis, Florentini, Lateranensis & Tridentini Eucharistia sub una specie non modò Laicis, sed etiam Sacerdotibus non sacrificantibus, præscribitur. Si ulla in re Sedes Romana novitatem suam revelavit, hìc revelavit, rejectis tot Principum petitionibus. Insigni certè crilegio usus sacri poculi Laicis eripitur; sique nunc redivivi existerent Paulus & Petrus, expuerent in Diribitores Sacramentorumque Direptores. Quanta verò permutatio tàm sacratissimi mysterii! Pro Cœna Dominica theatricum Missæ spectaculum exhiberier! Salmeron: *Ingenuè & apertè confitemur, morem generalem extitisse communicandi etiam Laicos sub utraque specie.* Et Alfonsus à Castro: *Olim per multa secula sic apud omnes Catholicos usitatum esse, ex multorum Sanctorum scripturis didicimus.* Dum ipse Gelasius Papa, cujus frequens apud Gratianum fit mentio, sacrilegii accusat, qui Symbola Cœnæ sacræ dividunt aut separant; quæ portentosorum ingeniorum sacrilegia sunt, in Mysteriis Ecclesiæ cum comminatione, ne quid addatur aut subtrahatur, relictis; aliud diversumve contra Christi doctrinam; ut de Gelasii autoritate nihil dicamus; docere, tradere, facere. Equidem plus quàm prodigiosi homines; imò portenta hominum æstimandi, qui olim & adhuc speciem vini in superstitionum, schismatum, hæreseon, seditionum & bellorum occasionem, atque adeò totius Ecclesiæ convulsionem, animarumque exterminium, Laicis, quos vocant, *sub anathemate* (proh stuprum!) denegandum censent. Utinam, qui hoc faciunt, sui Cassandri; utinam sui Lorichii admonitiones sequantur! Limatissimum est judicium de tremenda hac controversia Gerardi Lorichii Hadamarii, quod præsenti seculo expendendum hìc proponimus; *Si*, inquit, *vel superstitio, vel quæstus, vel sectæ seu hæreses, sub alterius speciei superstitione introducūtur, ut fit, quando* alterâ specie plebs *communicare cogitur*, *altera* solis Sacerdotibus *ad quæstuosum seu venalitium sacrificium reservatur, impietas est.* *Non hìc notatos volo Patres, qui propter pericula certa alteram speciem saltem Laicis administraverunt, & administrandam lege constituerunt; habet ea constitutio pietatis rationem; sed non habent, quod se excusent nostrates hodie Episcopi, qui discincti & supini nihil pro grege Dominico vigilant, videntes tot hæreses, tot schismata, tot seditiones, tot superstitiones, tot æmulationes, tot etiam cædes & homicidia, ex constitutione illa subnasci; neque excitantur ad legem illam solvendam; unde omnium hujusmodi malorum Dominus ab illis rationem in illa die poscet. Cumq; vulgus propter Cleri cœcitatem & errores tumultuetur, & in sectas ac hæreses diffindatur, omninò antiquanda est illa Patrum constitutio, & in* primitivam nativamque institutionem *Sacramenti Eucharistiæ administrationem & usum est redigenda, non in Patrum invidiam & contumeliam, sed in Christi gloriam, inq; Ecclesiæ*

pacem

pacem & salutem. Cur ergò antiqua Ecclesiæ consuetudo mutata, & cur antiquatum est, quod antiquum est? Quanta autem autoritas Concilii Constantiensis, definientis: *Licèt* Christus *Sacramentum Cœnæ sub utraque specie instituerit, & suis discipulis administraverit, licèt quoque in* primitiva Ecclesia *sub utraque specie reciperetur, hoc tamen* non obstante *à Laicis tantummodò sub specie panis suscipiendum est.* Suppresâ Iustificationis doctrina puriori longè efficacius & penitius in hominum animos dicta penetrare putârunt, si varia operum excogitarentur scitamenta, cumque viderent corruptos vulgi animos ad superstitionem quàm veram Religionem, ad fabulas & nugas quàm ad solidam veritatem proniores, rationem nunc hanc, nunc illam excogitârunt, quâ simul & vulgo essent in admiratione, & sibi uberrimum facerent quæstum. Deserta itaque sinceriori via, ceu parum lucrosa, mercatum aperuerunt per Missarum longos Schematismos, per Purgatorii caliginosum antrum, per Indulgentiarum præconium, per Iubilæorum proclamationem, per Fraternitatum institutionem. Dona hinc data certatim. Cùm apud Adolfum, Episcopum Mersburgensem, aliqui doctrinam de Iustificatione nostram tanquam *novam* eremodicii accusarent, *Quid vosne,* ait, *doctrinam hanc* novam *perhibetis? Annon meministis in Psalmo dictum*: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Obscurant Pontificii doctrinam de beneficiis Filii Dei, & de vera invocatione, Mariæ & Sanctorum superstitiosa invocatione. MARIÆLATRIA in fanis & delubris decantata, est quoque nova. Mediatrix hominum, ablutrix criminum, consolatrix omnium Maria non esset, nisi corrupto textu legeretur: *Ipsa conteret caput serpentis.* Imotum est & inconcussum Theologiæ effatum, solius Salvatoris Iesu esse *conterere caput serpentis.* Qui verò sunt, qui corrupto textu Biblico, & dulcissima prima Evangelii promissione effari non erubescunt: *Ipsa conteret caput serpentis?* Quæ hæc stupida *novatio* est? Nomen Mariæ ad numerum XII. stellarum, duodecim honoribus sublimatum, gloriosissimè deprædicant in grandi volumine Haganoæ ante annos centum quinquaginta tres edito, quod *Stellarium Coronæ benedictæ Mariæ Virginis* inscribunt, & libris duodecim absolvunt. In libro sexto extant hæc: ***Beata Virgo virtute suæ Virginitatis Luciferum occidit, juxta illud:*** Ipsa *conteret caput tuum.* De aliis alibi, cùm nunc non vacet; possetque sine negotio compleri, quæ divinitus ei attribuerunt. Extat Parthenoclea Iohannis Francisci Quintiani, Parisiis edita, cui & hæc insunt: *Tu cœlorum omnium potens, terrestris regni pervigil auxiliatrix, creata conservans omnia. Te superi colunt, venerantur sidera, uterque conclamat polus. Tuo nutu cœlorum rotantur vertigines, solis in se vertuntur reciprocationes*; & quæ audes supra meritum sunt aliæ. Maria illis est Mediatrix apud Filium Christum, ut eum efficiat hominibus magis propitium. Variè hinc pingi solet. Pictura vetus mihi, ubi pingitur in navi sedens, gubernans Clerum. Pingitur alicubi cum uberibus, quæ ostendat Filio Christo, ut nutritiis beneficiis motus fiat propitius. Pingitur in agone mortis suscipere animas, ut evehat in cœlum. Sculpitur cum longo pallio,

complectente homines, qui inde prospectant velut pulli sub alis gallinarum, cujus schema videri potest sub finem Cyrilli, Parisiis anno 1513. editi. Ejusmodi imaginibus illectant homines ad Mariæ cultum, qui major inter eos, quàm queat dici scribique. Precationem precationum habemus in *Oratione Dominica*, quæ Palladium est totius Christianismi. Sed ejus loco usitatior est Papistis *Angelica salutatio*, qua crebrius illi utuntur præ illa precatione, à Christo nobis præcepta. Instituit Iohannes XXII. ut ter in singulos dies tintinnabula ad Vesperam pulsarentur, ac tum unusquisque salutationem Angelicam D. Virgini sacram recitaret, non semel tantùm, sed ter. Quod Papæ institutum adeò invaluit, ut ad vocem tintinnabuli barbottarent Ave Marias ubique. In periculo pronior confluxus ad Mariam, quàm ad Deum, veluti magis exorabilem. Blandiuntur titulis pompaticis, Psalmos in eam torquent. Regina cœli vocatur, aut Domina mundi, aut Stella maris, & quæ ejusmodi alia sunt. Si praxin Religionis Papisticæ consideramus, misera plebs, maximè in Italia & Hispania, in Christianæ Religionis capitibus tenuissimè instructa est, nilque religionis tenet, nisi quòd in ritibus externis hæret superstitiosè, & quòd *Ave Maria* pro oratione, *Mariamq;* pro Dea sua observat suspicitque. Deploranda summè est hæc supina in tanta luce seculi inscitia. Tertium verbum est, *Jesu Maria*, nec frequentius audies. In America auditæ voces vulgi Hispanici: *Unus Deus, unus Papa, unus Rex.* Hoc erat Symbolum. Maria & Sancti optimè coluntur imitatione. In Christo fixa est nostræ salutis sacra anchora, non in Virgine. De DIVIS honorificè semper & sensimus, & loqui volumus. Deum in Sanctis colimus, dona in his Dei laudamus, honoramusq; propter religionem. Parem à Deo fidem, similem gratiam, eundem zelum & ipsi per Christum petimus, ad imitandum proponimus. Quæ hæc nostra novitas? De invocatione eorum nihil est uspiam in Scripturis proditum, nec præceptum ullum, nec exemplum extat. Ideò ad eorum opem non confugimus. *In periculis invocare Sanctos, inventum esse superstitiosum, & cedere in opprobrium neglecti Dei*, alicubi sententiam fert Georgius VVicelius. Quæ autem non figmenta de variis Sanctis in rudi seculo memoriæ prodita sunt? Id genus nugas historiæ intulerunt Petrus Comestor, Cæsarius Heisterbacensis, Iacobus de Voragine, & qui naris sunt obtusioris, credunt. Putarunt, sibi licere pietatis excitandæ gratia mentiri, & indoctis figmentis contra veritatem historicam ludere. Quicquid somniarunt noctu Monachuli aliqui, obtruderunt mane tanquam exertim deprehendissent. Qui prudentiores hodie sunt, nihili faciunt eas narrationes, nec nos movemur magis, quàm si corvus crocitet. Multa excogitata à simplici cœtu, ad inflammandum pietatis, uti volebant, studium. Nobis hoc non agitur. Si *paupertas* premit, ad Ioachimum confugiunt: Si *captivitas*, ad Leonhardum: Si *adversa valetudo*, ad Sebastianum, Rochium, Valentinum, Iobum, Ottiliam, Apoloniam, Cosmum, Damianum itur. Si *tempestas maritima* vexat, est Nicolaus Si *sitis*, Bacchus est & Vrbanus. In naufragiis protinus clamant: *Sancte Nicolae adjuva nos.* In

incen-

incendiis: *Sancte Florentine, adjuva nos.* In puerperiis: *Sancta Margaretha adjuva nos.* Certè in Litaniis Ecclesiæ veteris tale quid non auditur; ita verò: *Pater de cœlis Deus miserere nobis, adjuva nos, libera nos, exaudi nos, propitius esto.* E Sanctis verò nunc Nicolaus navigantibus adest; Vrbanus vineas curat; Anna divitias dat; Apollonia dentium dolores sedat; Sebastianus pestem curat; Catharina literatos juvat. *A plerisque in Italia & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certè majori metu colitur, quàm Deus immortalis*, teste Bodino. Nil poterat ad Deum illustrius dici à Iohanne Suicardo à Cronenberg, Archiepiscopo Moguntino, in libello Precationum à se edito: *Ne permittas Domine Deus, me humanæ meæ ignorantiæ aut infirmitati, vel etiam meritis propriis inniti, sed tu ipse rege me, & omnes cogitatus & actus meos in beneplacito clementer dispone.* Sed nil abjectius ab eodem, quum in Litaniis inter alios Sanctos Sanctasve Catharinam compellans clamat: *Sancta Catharina, Martyr & Regina, Virgo Christi charissima, quæ quinquaginta Philosophos disputando superasti, tuo martyrio amplissimum fidei testimonium præstitisti, ora pro nobis.* In Sanctis invocat, quæ nusquam fuit, & quæ ab ipsis Papistis in dubium vocatur Legenda, teste Cassandro, Scholiasta hymni de S. Catharina. Christophorum, Catharinam, Margaretham, & similes Sanctos Sanctasque, qui nunquam in rerum natura extiterunt, colunt, & miracula de his plura pari commento confingunt. Quid absurdius & indignius fingi potest iis miraculis, quæ *Legenda aurea*, *Conformitatum libri*, *Bonaventuræ Legenda* exhibent? Quàm sunt diluta *Lauretani Sacelli* encomia, ab Horatio Tursellino ebuccinata? Narratur, domum B. Virginis funditus cum simulacro ipsius è Galilæa, Angelorum ministerio per aërem transportatam, primùm in Dalmatiam, atque inde secundò post quinque menses in Italiam, in Pyceni Sylvam, inde tertiò post octo menses in collem duorum Fratrum, postremò inde post paucos menses in eum collem, ubi nunc visitur, translatam. Quid de eo Lauretano Tabernaculo sit statuendum, perspicuè monstrat Matth. Berneggerus singulari libro. Alius alium Sanctum sibi in mediatorem & intercessorem quærit & eligit. Civitates & oppida proprium quendam Defensorem & Patronum in cœlo habent. Sanctorum officia diversa sunt, ut alius alia bona huic & illi tribuat. Quid illæ Deificationes aut Canonizationes Sanctorum? Novitates sunt novitatum, sine quibus Ecclesia per 800. annos ex computatione ipsius Bellarmini satis benè se habuit. Sumit sibi Papa, quod nimis crassum est, potestatem, homines quosdam sibi sanctos visos ex nescio quibus meritis aut miraculis *canonizandi*, h.e. in Divorum numerum transferendi, eosque reverentia & adoratione colendi. Quid verò est ἀντίθεον esse, si hoc non est? Diva ejusmodi creatura Bonaventura, cujus ἀποθέωσιν seorsim excusam habemus. Inter Divos relati fuêre à Gregorio XV. Ignatius de Lojola, Societatis Iesu Fundator, & Franciscus Xaverius, Indiarum Apostolus; Diabolusque non ita pridem fassus fuit, non semel in exorcisatione inter Bavaros instituta, ad nullius nomen se magis expavescere, quàm Xaverii, sicut tandem simulavit, se cessisse virtuti Xaverianæ. Quàm

insano

insano honore triumphum adornârint Patres Domus Professæ & Colegii Societatis Iesu Antuerpiæ, in publico scripto legi potest. Ignes accendebantur immanes, tubæ accinebant grandissimæ; tormenta bellica audiebantur horrisona, vasa picea ad plurima millia ardebant; tota urbs in igne splendebat. Sic Ignatius Divus diris ignibus, ut nomini conveniret, cultus fuit in terris, dum corpus ejus esset sub terris. Mille Sanctis mille vota voventur. Gestantur Sanctorum simulacra, circumferuntur per fora & plateas. Per campos eunt circumeuntque cohortes, supplicant, cantant pro frugibus, libant aris, linum lanamque offerunt. Quæ hæc supplicationum ambitiosa novitas? Iconolatria, latria nova est, quam & Durandus agnovit novam, dicens tamen, loquendum esse ut plures. Ecclesia primitiva longo tempore nullam novit nec pictam, nec sculptam, nec textam imaginem. Gregorii Magni ævo cœpit, & paulò post invaluit sacrarum imaginum honoratio, veneratio, salutatio, osculatio, adoratio. Carolus ipse Magnus contra imaginum adorationem scripsit libros, qui extant excusi Parisiis opera Tilii Episcopi, ut de Francofurtensi prælo taceam. Damnat pius Imperator istam idolomaniam, statuarumque adorationem, rejicit vestitus & suffitus, improbat lumina & alia statuarum ornamenta, reprobat geniculationes, & alia, quæ compendio retulit Ioh. Gv. Stuckius in historia Caroli Magni. Qui Romæ Bibliothecarii sunt, in Vaticana invenient genuinum exemplar vetustis Longobardicis scriptum literis, id quod testatus fuit Bibliothecæ illius Præfectus Augustinus Steuchus. Pictores & sculptores ipsi cùm idolomaniam Pontificiam, tùm verò impuritatem Monachorum Monialiumque, suis emblematis, suisque statuis festivè passim traduxerunt, uti inter alia ipse vidi in Templo summo Argentinensium, Arnstadii in Thuringia, & alibi, recensuitque Flacius inter Testes etiam Veritatis Picturas & Sculpturas. Veneratio RELIQUIARUM sexti seculi partus est, quinto conceptus occasione templorum ingentibus sumtibus extructorum introductus. Illa Sceletolatria verè religionis sceleton. Vt sanctos non dehonestamus, sic nec eorum ossa contemtim, irreverenter & irreligiosè habemus, quod Hieronymus Vigilantio adscribit. Honestè habemus, sed non concursu facto per instituta peregrinationes colimus, non superstitione circumgestamus, non gestamus à collo, vota facimus, exosculamur, opem per illa petimus; quia est species aliqua idololatriæ. Sacrosanctas esse Reliquias volunt Sanctorum, & cultum earum necessarium faciunt conscientiis, atque in tribunal vocant inobedientem. Non puto majori pompâ fieri coronationem Imperatoris Romani, quàm facta fuit translatio Reliquiarum Gregorii Nazianzeni in urbe Roma è campo Martio ad S. Petrum. Ipse Turnebus, inspector & descriptor pompæ: *Cogitas pompam, quam legisti in triumphis illis Pompejanis aut Cæsarianis? Magnam cogitas, sed non hanc, quam vellem intelligi, summam. Cogitas magnificentiam, quam audisti in illis Cyri & Alexandri spectaculis?* Possent inde promi vanitatis in B. Gregorium, vanitatum impugnatorem & osorem, commissæ, varia argumenta, si esset locus. Mallet profectò Gregorius

rius alium præconii locum, quàm Romam, sibi tam vitâ & doctrinâ similem, quàm anum puellæ floridæ. Nova religio, quâ, *aqua lustralis*; *Cerei*, *Palmarum rami*, *Cineres*, *Agni Dei*, *Campanæ*, *domus privatæ*, *enses* & reliqua consecrantur. Aqua lustralis diem natalem vidit sub Alexandro I. teste Platina. *De multiplici Papatûs idolomaniâ* extat gravis disputatio, Casparis Krazeri, qui Iesuita fuerat, & Regens Collegii novi Pragensis & humaniorum literarum Pragæ Viennæq; Professor. Ex eâ possemus, ἀξιόπιστα proferre, si spatium esset scribendi. Exequiæ, vigiliæ, tricesimæ, anniversaria pro defunctis, quid nisi traditiones novæ, quid nisi expilationes probæ? Multiplex fuit per *jactatas Visiones & Revelationes* impostura, quam & Gerson, celebris Doctor & Cancellarius Parisiensis libro peculiari de distinctione Visionum verarum à falsis insectatus est. Magisterium hoc spiritûs revelantis fons & scaturigo opinionum ineptarum & ridiculorum Colloquiorum. Visionum mirificarum & colloquiorum cum Maria & Sanctis. Imposturæ variæ dum fiunt, miracula tamen venditantur. Quot falsa miracula per Idolũ Lauretanũ? Quot per Franciscũ de Assissio? Quot per Antonium de Padua? Quot per idolũ crucifixi S. Rochi Venetiis? Et quis omnia? Figmentũ cerebri nõ bene purgati est PVRGATORIVM, quod nõ est, nisi ad purgandũ crumenas hominũ œconomicè confictũ probè. Sacerdotum, & summorũ & medioxumorũ, & infimorũ, avaritiæ Purgatoriũ, plus conciliat uno anno quæstûs, quàm quatuor annis omnia telonia Livoniæ Thesaurariis possunt. Mercatus mendaciorum hîc aperiuntur, quibus instituendis favent Papæ, subservientes hinc rationi statûs hierarchici, hinc Sacerdotum pleonexiæ, hinc ementium credulitati. *Nusquam liberaliùs sumtus fit, nusquam magis prodigi sumus, quàm ubi hæ nugæ venduntur, & nulla ad hunc quæstum faciendum proclivior via est, quæ per sacra religionemq; ducit, quod ut apertissimum est vel ipsis pueris, ita exemplis non est docendum, ne quorundam aures offendantur*, ut contra vos Goropius Becanus loquitur. De Carcere autem isto locoq; purgatorii incertissimi sunt, & Bellarminus ipse fatetur, nihil Ecclesiam de eâ re definiisse, & esse octo diversas de loco purgatorii opiniones. Visæ interim animæ visibiliter extractæ per Virginem Mariam, sicut id retulit Magister Iohannes de Fabrica, Professor famosissimus Parisiensis super Declaratione Indulgentiarum concessarum à Papa Innocentio pro animabus in purgatorio. Sed & alia nova nobis videnda. COELIBATVS quàm novus sit, docet accurato libro D. Calixtus; Tum rationibus è scriptis θεοπνεύστοις, tum testimonijs Patrum, tum exemplis variis propositis ex omni temporum historiâ agens, ut qui illud argumentum jam retractet, actum agere videatur. Cœlibatum simulant, celebrant, defendunt. Interim vivitur spurcè, & hodie filia hujus in periculo est, cras uxor illius. Scorta aluntur pleraq; de bonis Ecclesiæ & marsupiis Clericorum. Sacerdotes, ut de Pontificibus & majoribus Sacerdotibus taceamus, ubiq; concubinatu, adulteriis, stupris sunt infames. Querelæ ordinum Imperij, ut Regnorum aliorum nominæ transeamus, publicis scriptis ex-

insano honore triumphum adornârint Patres Domus Professæ & Colegii Societa-
tis Iesu Antuerpiæ, in publico scripto legi potest. Ignes accendebantur immanes,
tubæ accinebant grandissimæ; tormenta bellica audiebantur horrisona, vasa picea
ad plurima millia ardebant; tota urbs in igne splendebat. Sic Ignatius Divus diris
ignibus, ut nomini conveniret, cultus fuit in terris, dum corpus ejus esset sub terris.
Mille Sanctis mille vota voventur. Gestantur Sanctorum simulacra, circumferun-
tur per fora & plateas. Per campos eunt circumeuntque cohortes, supplicant, can-
tant pro frugibus, libant aris, linum lanamque offerunt. Quæ hæc supplicationum
ambitiosa novitas? Iconolatria, latria nova est, quam & Durandus agnovit novam,
dicens tamen, loquendum esse ut plures. Ecclesia primitiva longo tempore nullam
novit nec pictam, nec sculptam, nec textam imaginem. Gregorii Magni ævo cœpit,
& paulò post invaluit sacrarum imaginum honoratio, veneratio, salutatio, oscula-
tio, adoratio. Carolus ipse Magnus contra imaginum adorationem scripsit libros,
qui extant excusi Parisiis opera Tilii Episcopi, ut de Francofurtensi prælo taceam.
Damnat pius Imperator istam idolomaniam, statuarumque adorationem, rejicit
vestitus & suffitus, improbat lumina & alia statuarum ornamenta, reprobat geni-
culationes, & alia, quæ compendio retulit Ioh. Gv. Stuckius in historia Caroli Ma-
gni. Qui Romæ Bibliothecarii sunt, in Vaticana invenient genuinum exemplar ve-
tustis Longobardicis scriptum literis, id quod testatus fuit Bibliothecæ illius Præfe-
ctus Augustinus Steuchus. Pictores & sculptores ipsi cùm idolomaniam Pontifi-
ciam, tùm verò impuritatem Monachorum Monialiumque, suis emblematis, suis-
que statuis festivè passim traduxerunt, uti inter alia ipse vidi in Templo summo Ar-
gentinensium, Arnstadii in Thuringia, & alibi, recensuitque Flacius inter Teste
etiam Veritatis Picturas & Sculpturas. Veneratio Reliquiarum sexti seculi par
tus est, quinto conceptus occasione templorum ingentibus sumtibus extructorum
introductus. Illa Sceletolatria verè religionis sceleton. Vt sanctos non dehonesta
mus, sic nec eorum ossa contemtim, irreverenter & irreligiosè habemus, quod Hie
ronymus Vigilantio adscribit. Honestè habemus, sed non concursu facto per insti
tutas peregrinationes colimus, non superstitione circumgestamus, non gestamus
collo, vota facimus, exosculamur, opem per illa petimus; quia est species aliqu
idololatriæ. Sacrosanctas esse Reliquias volunt Sanctorum, & cultum earum ne
cessarium faciunt conscientiis, atque in tribunal vocant inobedientem. Non put
majori pompâ fieri coronationem Imperatoris Romani, quàm facta fuit transla
tio Reliquiarum Gregorii Nazianzeni in urbe Roma è campo Martio ad S. Pe
trum. Ipse Turnebus, inspector & descriptor pompæ: *Cogitas pompam, quam legist
in triumphis illis Pompejanis aut Cæsarianis? Magnam cogitas, sed non hanc, quam vel
lem intelligi, summam. Cogitas magnificentiam, quam audisti in illis Cyri & Alexand
spectaculis?* Possent inde promi vanitatis in B. Gregorium, vanitatum impugnato
rem & osorem, commissæ, varia argumenta, si esset locus. Mallet profectò Greg
rit

rius alium præconii locum, quàm Romam, ſibi tam vitâ & doctrinâ ſimilem, quàm anum puellæ floridæ. Nova religio, quâ, *aqua luſtralis*, *Cerei*, *Palmarum rami*, *Cineres*, *Agni Dei*, *Campanæ*, *domus privatæ*, *enſes* & reliqua conſecrantur. Aqua luſtralis diem natalem vidit ſub Alexandro I. teſte Platina. *De multiplici Papatûs idolomaniâ* extat gravis diſputatio, Caſparis Krazeri, qui Ieſuita fuerat, & Regens Collegii novi Pragenſis & humaniorum literarum Pragæ Viennæq; Profeſſor. Ex eâ poſſemus, ἀξιόπιστα proferre, ſi ſpatium eſſet ſcribendi. Exequiæ, vigiliæ, triceſimæ, anniverſaria pro defunctis, quid niſi traditiones novæ, quid niſi expilationes probæ? Multiplex fuit per *jactatas Viſiones & Revelationes* impoſtura, quam & Gerſon, celebris Doctor & Cancellarius Pariſienſis libro peculiari de diſtinctione Viſionum verarum à falſis inſectatus eſt. Magiſterium hoc ſpiritûs revelantis fons & ſcaturigo opinionum ineptarum & ridiculorum Colloquiorum. Viſionum mirificarum & colloquiorum cum Maria & Sanctis. Impoſturæ variæ dum fiunt, miracula tamen venditantur. Quot falſa miracula per IdolũLauretanũ? Quot per Franciſcũ de Aſſiſſio? Quot per Antonium de Padua? Quot per idolũ crucifixi S. Rochi Venetiis? Et quis omnia? Figmentũ cerebri nõ bene purgati eſt PVRGATORIVM, quod nõ eſt, niſi ad purgandũ crumenas hominũ œconomicè confictũ probè. Sacerdotum, & ſummorũ & medioxumorũ, & infimorũ, avaritiæ Purgatoriũ, plus conciliat uno anno quæſtûs, quàm quatuor annis omnia telonia Livoniæ Theſaurariis poſſunt. Mercatus mendaciorum hîc aperiuntur, quibus inſtituendis favent Papæ, ſubſervientes hinc rationi ſtatûs hierarchici, hinc Sacerdotum pleonexiæ, hinc ementium credulitati. *Nuſquam liberaliùs ſumtus fit, nuſquam magis prodigi ſumus, quàm ubi hæ nugæ venduntur, & nulla ad hunc quæſtum faciendum proclivior via eſt, quæ per ſacra religionemq́; ducit, quod ut apertiſſimum eſt vel ipſis pueris, ita exemplis non eſt docendum, ne quorundam aures offendantur*, ut contra vos Goropius Becanus loquitur. De Carcere autem iſto locoq; purgatorii incertiſſimi ſunt, & Bellarminus ipſe fatetur, nihil Eccleſiam de eâ re definiiſſe, & eſſe octo diverſas de loco purgatorii opiniones. Viſæ interim animæ viſibiliter extractæ per Virginem Mariam, ſicut id retulit Magiſter Iohannes de Fabrica, Profeſſor famoſiſſimus Pariſienſis ſuper Declaratione Indulgentiarum conceſſarum à Papa Innocentio pro animabus in purgatorio. Sed & alia nova nobis videnda. COELIBATVS quàm novus ſit, docet accurato libro D. Calixtus; Tum rationibus è ſcriptis θεοπνεύστοις, tum teſtimonijs Patrum, tum exemplis variis propoſitis ex omni temporum hiſtoriâ agens, ut qui illud argumentum jam retractet, actum agere videatur. Cœlibatum ſimulant, celebrant, defendunt. Interim vivitur ſpurcè, & hodie filia hujus in periculo eſt, cras uxor illius. Scorta aluntur pleraq; de bonis Eccleſiæ & marſupiis Clericorum. Sacerdotes, ut de Pontificibus & majoribus Sacerdotibus taceamus, ubiq; concubinatu, adulteriis, ſtupris ſunt infames. Querelæ ordinum Imperij, ut Regnorum aliorum nominæ tranſeamus, publicis ſcriptis ex-

tant. De Clero Veneto Orator Reipublicæ coram Paulo V. conqueritur, *non à stupris, non ab adulteriis* abstinere. De Clero Bavarico, Legatus Bavaricus coram Concilii Tridentini Patribus dixit anno 1563. gulæ libidinibusq; indulgere libidinemq; in Clero nimis liberam atq; notoriam esse. Clerum Italicum & Hispanicum nolumus tangere, quibus frustra Canones & Leges ponuntur. Gallici, Hispanici, Italici Monachi sunt omnium Nationum vehementiores Zelotæ Veneris. Quicquid hîc dicas, scribas, moneas illi, Regulas ferre suas non possunt Cœlibatûs, nisi jam Capulares. Germani sunt nonnihil tepidiores, & ad conscientiam, quam faciunt sibi sine causâ, trepidantiores. Est quidam Gallus, nomine Franciscus Lamberti Avenionensis, scriptis & professione celeberrimus. Is Consilium dedit, ut Presbyter aut Monachus sibi secretò desponset bene in pietate instructam fæminam, cùm solennitates contractus matrimonialis, licet sint laudabiles, non sint hâc parte necessariæ: *Fierem Ego* (sunt ejus verba) *secretè Conjux, & cum uxore legitimâ hoc sustinet omne opprobrium, ut scortator Ego, & illa scortum vocaretur. Expectarem autem tempus id revelandi, quo utiliter id ad omnium ædificationem fieret. Quod si non alia sese offerret opportunitas, vel in extremis diebus id testificarer, vel scripto post me relinquerem, publicando mox post mortem ultimò viventis, scilicet aut meam, aut uxoris.* Hæc sc. sunt arcana statûs cœlibis, sed sine arcanis. Quis hodie, vel olim, Papa, quis Cardinalis, quis Episcopus & Abbas, (ut Monachos prætereamus) qui nesciant hæc & alia arcana? Sed arcana hæc non sunt propalanda, ne damnum patiatur Cœlibatus. Novi hominem mihi amicissimum, qui affirmavit, non se experimento habuisse secretiores & in praxi certiores comites in re amatoriâ, quàm Monachos in Hispania, Italiâ & Galliâ. FLAGELLATIO panegyrica, nova est constitutio, ipseq; novator & flagellator Gretserus, dum istam sanctam flagellationem Sanctorum exemplo probare nititur, sanctum priorem Dominico invenire haud potuit. Excedere hos Flagellatores Ottocarus, Bohemiæ Rex, suo regno atque terris mandat, teste Lupacio, & mandandum est adhuc. IEIUNIORUM indictorum est affatim, sed ubi verè jejunantes? In delectu ciborum estis curiosi, sed in delectu rerum spiritualium quàm rarus delectus! Iejunium quadragesimale ludicra potius illusio, quam imitatio jejunii Christi est. Piscium ibi & aliorum concessorum eduliorum copia vel famem antevertere potest. Pisces pro jejunio illis, & de piscibus multis corio tectis testatur Amatus Lusitanus, Medicus, libidinem incitare. PRECUM *latina recitatio* in Ecclesiis illatinis mera novatio est, eamq; ex causâ quadam politica Pontifices injunxerunt, non dissimulante Costero; *quod, quemadmodum hi populi*, Germani & Galli, *imperio Romano erant subjecti, à Romanisq; Ducibus & militibus in officio continebantur; ita & Ecclesiæ ab illis institutæ subessent Pontifici, & ab ipso missis Episcopis in officio continerentur; hacque ratione majestas & autoritas Ecclesiæ Romanæ in dies magis magisque amplificaretur.* Vberrimos fructus sperant ex *Miraculis*, spirantque meros folles miraculorum; quorum

rum gratia vel gens Indorum interroganda. Vetera crepant subinde miracula, in Europa autem nunc retecto Papatu nulla exhibent. Quod de Insulis Japponicis, ad fidem per miracula redactis, gloriantur, puto, Quintiliano præceptore usos, qui inter fingendi cautelas eam quoque ponit, quod minus verisimilia recitaturi ea proferre debeant, quæ inquisitionem non facile admittant, estq; è Strabone notum dictum, τὸ πόῤῥω εἶναι δυσέλεγκτον. Doceant nos tandem, quô antiquitatis prætextu doceant, non legi deberi BIBLIA, nisi à Clericis? scilicet hoc dogma novum factum, ut eò tutius spargi queant traditiones & somnia. Muhamedistæ suum tenent Alcoranum. Iudæi ab incunabulis suum ediscunt Mosen. Augustiniani Augustini præcepta è verbo ad verbum ediscunt. Franciscani Francisci sui traditiunculas legunt, amplectuntur, adorant, & quocunque terrarum se conferunt, secum circumferunt, tutos satis se non credentes, nisi libellus sit in sinu. Cur plus deferunt regulæ ab homine scriptæ, quàm universi Christianismi salutaribus Evangelicis Apostolicisq; doctrinis, quas Christus tradidit omnibus legendas, sequendas? Fleret Laicus, nisi sit saxeus, si sciret Novatorum fraudes. Interim *cæcâ obedientiâ* illi commendatur, ne fleat. Deus ὁ δικαιοκρίτης in illustri suo adventu secundum veritatem verbi sui revelati pronuntiabit cum terrore justum & rectum judicium, & Laicorum plerique condemnabũt Δικαιολόγυς Παπαΐκὑς. Aperite vos tandem oculos vestros, & cogitate, in qua vos sitis confusione, de qua & Majores vestri conquesti sunt, & adhuc conqueruntur, qui inter vos sunt benigniores. Miseria religionis vestræ sanè deploranda est, nec deplorari potest satis. Deplorat maximè in Papatu adhuc degens, Henricus Stromer, Medicus olim celeberrimus in quadam ad Gregorium Coppum, Medicum Moguntinum, Epistola, quod ei fuerit per matæologos, ut vocat, prohibita lectio sacrarum literarum. *Auditores*, scribit, *errori meo fuerunt Sycophantæ ac quidam Sophistæ, qui portentoso habitu, ciborum delectu & concertationibus, non umbram aselli valentibus, magis ad victoriam inanemq; gloriam, quàm veritatem investigandam compositis foris religionem præ se ferunt, intùs interim innumeris vitiis madentes, odio, livore, ambitione, avaritiâ, & quod omnium pessimum est, dedecorosâ mentis cæcitate. Hi nostræ religionis pestes (de malis superstitiosisq; loquor, bonos semper excipio) mihi credulo, sicut plerisque aliis persuaserunt, non mei muneris esse, Iesu Christi, nostri Salvatoris, legem legere, in quo natus sum, vivo, mori salvarique cupio.* Respondit Coppus graviter, quæ digna esset, ut iterum recuderetur epistola. Quantulo in pretio sint Papistis Scripturæ sacræ, docet libro singulari Nigrinus. Conqueritur Martinus Delrius in Præludio Phari sapientiæ adeò in Academiis Scripturam sacram vilescere, ut paucis ejus audiendæ studio publicè se dedant præ illis, qui subtilitatibus Theologiæ Scholasticæ toti occupantur, Conqueritur Iacobus Reihing, frequentiùs ac studiosiùs Theologorum Scholasticorum, quàm divinorum Vatum & Apostolorum Volumina legi ac teri; sæpius Thomæ, quàm Dei Codicem in manibus esse. Relictis igi-

tur pronunciatis Papæ & Conciliorum cathedralibus λογίοις evehamus *Sacram Scripturam*, tanquam universam legem Dei & normam cognoscendi revelationes Divinas de salutis negotio absolutissimam, adeoque hodie ordinariam supremi judicis in Ecclesia vocem. Quod olim etiam in terminis, ut dici solet, defendit Nicolaus Orbelius. Biblicos nos vocat χλευαστικῶς Ioh. Baptist. Ovvenus, qui ipse in βιβλίον Ionæ scripsit. Biblicos nos ait *videri velle, & vel pro uno illius apice certare.* Non volumus δοκεῖν, sed εἶναι. Anathema simus, si apicem mutamus, si nullum, ut pestilentissimè convitiatur, illius apicem servamus; *Hi sunt*, exclamat ibi Stentor, *homines illi* Novi, *qui nuper ex speleis Lutheri aut Calvini gurgustiis prodierunt.* Novi sumus Ovveno eique similibus, qui antiquissimam Sacrosanctæ scripturæ regulam sequimur, & in fontibus ipsis sedulo indagamus. Omnia vestra Nova, & tamen Papatus Novus non est. Doctrina rituumque moles recessit ab antiqua Ecclesiæ consuetudine quàm longissimè, & tamen *Catholici* vultis haberi. Catholicæ Ecclesiæ titulum & honorem à nobis verè Catholicis denegari vobis non iniquè feratis, aut nobis monstrate Catholicismum, qui fuit ab antiquo dierum. Id nisi nobis expediveritis, nihil apud nos effeceritis. Multi inter Papas extitêre, qui Biblia aut rarò, aut rarissimè legerunt, forsitan etiam nunquam, & tamen voluêre esse Iudices controversiarum. Egregios sanè Biblistas! Loci scripturæ potissimi miserrimè tractati sunt à Scholasticis, Thomistis & Scotistis. Neque enim Thomas cum omnibus Thomistis universisque Scholasticis Doctoribus, præ inscitiâ Græcæ & Ebrææ linguæ & somnolentiâ, unius Capituli vel in Evangelio, vel quocunque libro Scripturæ intelligentiam germanam & legitimam unquam aut habuit, aut docuit, ut evidens est experientia, & monstratum à Meisnero, Bindero, Gerhardo, aliis. Qua ratione primum in Hispaniâ cæperit tractari Theologia Scholastica, docet Dominicus Bannes, Monachus in Theologiâ illâ exercitatissimus, sub initium Commentarii in Theologiam Thomæ Aquinatis, laudemque defert Francisco Victoriæ, natione Hispano, qui fundamenta Theologiæ Scholasticæ Parisiis jecerat tam feliciter, ut omnes suos superaverit Præceptores. Qua ratione autem Scripturæ sacræ veritas & lux paulatim fuerit posthabita, ac Papalia & Episcopalia statuta Scholasticorumque tradita obtinuerint, Christophorus Binderus in Theologia Scholastica, & per totum tractatum, & capite singulari singulariter ostendit, & post hunc Andreas Trebecco. Postquam paulatim quorundam confidentia id tentatum est, ut Scripturæ sacræ autoritas & monumenta, ut Patrum decreta antiquissima, infringerentur, ut Ebrææ & Græcæ linguæ gloria imminueretur, in scenam prolata est Religio lasciviens ceremoniis superstitiosis, superbiens in præsidio Protectoris cujusdam sanctissimi, sub vario Schemate certantis pro juribus Ecclesiæ, & in dies invalescens errorum proluvie, veluti diluvio quodam, priscæ religionis severitas tandem inundata fuit. Sed quęnam causa, ut sacram Scripturam extenuent? Nimirum

hæc

hæc eſt, quam olim Eraſmus detexit Dorpio in Epiſtola apologetica pro ſua Moria: *Verentur, ne, cùm perperam divinas citant literas, id quod ſæpenumero faciunt, Græcæ aut Hebraicæ veritatis autoritas in os jaciatur, & mox appareat ſomnium eſſe, quod velut oraculum adducebatur.* Si quid verò ſtatuendum eſt, eodem monente aliquâ ante paginâ, *id velim reverenter, non arroganter, & ex divinis literis, non è commentitiis hominum ratiunculis, ſtatui. Eò redacta res eſt, ut negotii ſumma non tam ex Chriſti præſcripto, quàm ex Scholaſticorum definitionibus, & Epiſcoporum qualiumcunque dependeat. Quibus rebus ſic involuta ſunt omnia, ut ne ſpes quidem ſit, mundum ad verum iſtum Chriſtianiſmum revocandi. Hæc aliaque permulta perſpiciunt ac deplorant ſanctiſſimi, iiq; doctiſſimi Viri.* Ieſuitæ Bavarici in Actis præparatoriis ad Colloquium Ratisbonenſe eructant, *fontem omnium hæreſium & confuſionis Babylonicæ eſſe, ſi quis ſtatuere vellet, nihil in cauſa religionis eſſe credendum, & in cultu faciendum, quod non expreſſè contineatur in ſacris literis, vel per bonam conſequentiam inde deduci poſſit.* Sic illis loquendum, ut ſalva autoritas maneat Spiritui Romanenſi, ex quibuslibet dictis ſcripturæ, etiam ſine linguarum originalium Ebrææ & Græcæ cognitione, quidlibet tanquam ex materia prima edocere, juxta illud Hoſii; *Si quis habeat interpretationem Eccleſiæ, etiamſi non videat, quomodo cum textu vel conveniat, vel pugnet, habet tamen ipſiſſimum verbum Dei.* Opinionibus pleriq; ſuis dum non favere vident S. Scripturam, non proba eſt illis ejus autoritas, niſi autoritas Pontificis & Eccleſiæ accedat. Nolunt eam admittere judicem controverſiarum, cauſæ ſuæ diffidentes. Magnâ contentione in Colloquio Ratisbonenſi, anno primo ſeculi hujus currentis habito, clamatum fuit, *Judicem controverſiarum fidei & religionis Chriſtianæ nec eſſe, nec eſſe poſſe Scripturam Sacram.* Nec ceſſant improbis verbis nunc accuſare *imperfectionis*, mox *obſcuritatis & flexibilitatis*, vocare *cereum naſum, regulam Lesbiam, literam mortuam, judicem ſurdum & mutum, folia Sibyllæ, Sphyngis ænigmata*, (ignoſce Deus referenti) *Evangelium nigrum, Theologiam atramentariam*, nosq; Bibliſtas; Quos autem interpretes putabis Pontifices, quorum neſcio an unicus, nec ſcio an hodiernus, Hebrææ linguæ cognitionem habuerit. Hujus rei fidem facere poſſemus facile exemplorum numero, quoad falſam & abſurdam interpretationem & applicationem Romani Pontificis, ſi locus eſſet. Legantur Epiſtolæ Decretales Pontificum in Tomis Conciliorum, & videbitur, quàm ineptè & impertinenter ſcripturas ſubinde explicent & applicent. Plures eorum *adeò illiterati fuere, ut Grammaticam penitus ignorarint*, teſte ipſo Alfonſo à Caſtro. Quot, qui latinum ſermonem ignorarunt, ut de Græco taceam! Græcam prorſus ignorabat linguam Pius II. ut ex Epiſtolis propriâ confeſſione habemus. Qualem ergo acceptam ferre debemus interpretationem, qualem ſperare! Scripturam cùm *obſcuram, ambiguam, periculoſam*, aliisque epithetis ſceleſtis deſcribitis, cur non eam facitis miſſam? Aditote potius illuminatiſſimos veſtros Thomam, Scotum, Lombardum, Holkot, Bricott, Meff-

ret. Hebrææ linguæ tanta præſtantia, dignitas, amplitudo, neceſſitas, utilitas, ut hodiernus Papa, etiam eloquentiâ ſummâ præditus, pro dignitate laudes ejus oratione elaborare, ac verborum luminibus pronunciare non queat. Ea enim eſt, quâ Deus olim uſus eſt, per eam ſcripta & monumenta V. T. reliquit, poſteritati commendavit. Græcæ linguæ non minor amplitudo & utilitas. Ea enim eſt, quâ Evangeliſtæ & Apoſtoli locuti ſunt nobis magnalia Dei, & ſcripta reliquerunt, quibus adhuc fruimur. Sine utriuſque linguæ cognitione ad penetralia & myſteria ſacra penetrare nemo poteſt, etiamſi ſit Paparum Papaciſſimus. Succurrit nunc illud Auguſtini, qui ob veritatem Eccleſiæ ſuæ ab Antagoniſtis impetitus, eam defendit clypeo Scripturæ Sacræ: *Inter* nos & Donatiſtas *quæſtio eſt*, ubinam ſit Eccleſia? *Quid ergò facturi ſumus? In verbis Donati eam quæſituri, an in verbis capitis ſui Domini Ieſu Chriſti? Puto, quod in illius verbis eam quærere debeamus, qui veritas eſt, & optimè novit corpus ſuum, novit enim, qui ſint ejus.* Idem nobis certamen cum Papiſtis, qui *ſuam Eccleſiam*, vt ex Iure Canonico loquar, *ſine labe, & ſine macula & rugâ, & quidem ſolam ſanctam atque Catholicam eſſe* propugnant, noſtram autem hæreſeos & apoſtaſiæ inſimulant. Deducamus ergo & eos cum Auguſtino ad SS. Scripturam, atque *ibi quæramus Eccleſiam, ibi cauſam noſtram diſcutiamus. Ecce ubi novimus Chriſtum, ibi novimus Eccleſiam.* Ex illa apparebit, quouſque Romana Eccleſia ſit vera Eccleſia, quouſque item, & quam rectè ab illa nos ſeparaverimus. Annon ipſa potius à ſinceritate fidei & cultûs divini, à caritate reliquis Eccleſiis debitâ, ac politia Chriſti, enormiter defecerit? Diligenter in hac apoſtaſia demonſtranda laboravit D. Nicolaus Hunnius, emiſſo libro, cui titulus: *Apoſtaſia Eccleſiæ Romanæ ab antiqua, Apoſtolicâ vereq́ Chriſtianâ puritate ſalutaris doctrinæ, fidei, cultus & religionis, ex propria ipſius confeſſione, unicè, luculenter tamen, demonſtrata*; Quo aureo libro demonſtrat, Eccleſiam Romanô Catholicam eſſe Novitatem, per imitationem Iudaiſmi, Gentiliſmi & Hæreſeon. Occaſionem præbuit huic libro fœda apoſtaſia Fratris *Helfrici Vlrici Hunnii*, Cancellarii quondam in Haſſia Academici, quem egregium librum cùm propria manu ad Fratrem apoſtatam inſcriptum ſervem adhuc mecum, non puto alienum ex autographo compellationem verè fraternam & Chriſtianam hic apponere: *Dno D. Helfrico Vlrico Hunnio, ICto, fratri chariſſimo, hunc libellum offert, cum fraternâ, ſeriâ tamen, admonitione, videat, unde exciderit, & quàm miſerè à Chriſtianiſmo abductus erret, ac ſepoſitis, quæ mundus oſtentat, priora opera faciat, ſubjuncto denique voto, det ipſi Deus pro immensâ ſuâ miſericordiâ Spiritum ſapientiæ & revelationis in ſui agnitionem, illuminatos oculos cordis, ut ſciat, quæ ſit ſpes vocationis Dei, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis &c.* Ita precabatur ardente voto pius Hunnius. Scripſerat autem apoſtaticus Hunnius rationes ſuæ apoſtaſiæ, quas indiſſolubiles vocat, quas examinarunt probè D. Haberkornius & D. Himmelius. Sed nec Frater apud Fratrem, ut iterum in ſuas partes traheret, nec illi Doctores Eccleſiæ noſtræ, ut

ut acciperent responsum, facere quiverunt. Ipse interim Hunnius Coloniæ demum privatim latitans in magno mœrore, nescio quid egerit, ut se suamque famem solaretur. Discessit ex nostris Ecclesiis bonus Hunnius, & finxit rationes XII. hujus discessionis, dissimulans decimam tertiam, quæ erat *Æs alienum*. Discedunt è nostris Ecclesiis subinde nonnulli, colorem antiquitatis prætexentes apostasiæ contra conscientiam, & astutè quærentes σκιαγραφίας δικαίς, ut cum Platone nominem. Odio paupertatis multi derelinquunt focum suum, putantes, ignem lucidiorem apud alios fore. Clamant tunc, se veteris Ecclesiæ vindices esse velle, cum sciant, multa nova idola à Pontificiis defendi, prorsus ignota veteri Ecclesiæ. Quàm multi autem ob nostram Dalmanutham transeunt ad Magdalam! Quàm adhuc desiderant transire & accedere ob externam fælicitatem, ob titulos cum vitulo! sed multi horum transeuntium, dum bovem asportare se inauratum sperant, spe devorant, pòst ne vitulum quidem accipiunt. Qui nostros cœtus relinquunt, pleriq; φίλαυτοι ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι τετυφωμένοι, quos surrecturos in novissimis diebus Paulus prædixit. Ejusmodi erat *Jo. Pistorius*, Medicinæ Doctor, qui relicto studio suo in Papatu nil aliud quærebat, quàm ingentes titulos, nil aliud scribebat, quàm volumina convitiatricia, nil aliud captabat, quàm fumum seculi. Sesquipedali titulo audiebat *Theologiæ Doctor*, *Protonotarius Apostolicus*, *Comes Palatinus*, *Cæs. Majest. Consiliarius*, *Sedis sanctæ Romanæ Prælatus domesticus*, *Canonicus Breslariensis & Constantiensis*, *Archiducis Austriaci & Elect. Bavarici Consiliarius*, *Præpositus Surburgensis*, *&c.* Simonides verè Lucianicus, qui, cùm *Simon* prius diceretur, postea ditior & honoratior factus, non amplius *Simon*, sed *Simonides* dici voluit. In hoc religionis negotio multorum debilitantur animi pompâ religionis adversæ, & illa specie fervoris deliniti, remissius agunt. Si infortunatiori conditione res agitur, mutantur animi metu, & qui in acie putantur stare Heroes, post principia stant. Cùm Cæsar Carolus V. vicisset Electorem Saxoniæ, Saxonia tota contremuit, & cùm se hostis maximè declarat, quid sibi vellet, fortes Thrasidili militiam deserunt, artem abjiciunt, subitâ metamorphosi & metempsychosi transmutati. Multi, qui metu non mutantur, mutantur Potentum gratiâ, muneribus excœcantur, Papæ magnificentiâ occœcantur. Papa interim sui similis permanet, reformationem proponentibus non obtemperat, non cedit, quicquid dicas scribasve. Non itaque est, ut de conciliationibus scribamus, cùm ad æquitatem non se patiatur flecti ferrea mens Papæ. Tantum ut cedamus, ut nos accedamus. Qui de his rebus susceperunt consilia suaseruntq;, cursum Evangelii impedierunt. Phaleratis dictis & scriptis multi olim tēpore *Interim* circūventi sunt. Una vox, unus consensus omnium Smalcadiæ congregatorum fuerat, de formâ Politiæ Ecclesiasticæ tum demum deliberandum fore, cùm Adversarii voluerint renunciare falsitati doctrinæ, & recipere veritatem, ac tantisper dum doctrinam oppugnant, & impias ceremonias retinent, non posse cum illis conveniri. Lutheri eximius labor fuit

fuit in convellendo Papatu; hodie iste,sive ardor,sive labor,in plerisque ferè reſedit. Ille nullo inani contentionis ſtudio, ſed vero ardentique zelo,pro ſalute & gloriâ domûs Dei accenſus,*regnum Papæ odio habendum* cenſuit,idque *ex toto corde*. Hodie de odio illo remittitur multùm,dum multi ſtatuunt,è re publicâ eſſe, remittere de fervore,conciliationes moliri. Si regnum Papæ remitteret de odio,de novitatibus, res deplorata non eſſet. Plauſibiliter olim perorabant Interimiſtæ, Adiaphoriſtæ,ſed fucum detegebant conſpicui doctrinâ & pietate Viri, inter quos eminuit Flacius. Lutherus noſter aſſidua lectione Sacrarum literarum, & adverſariorum futili contradictione erectus,miſerenteDeo ſubinde magis in agnitione lucis cœleſtis profecit, majori animo Papæ poteſtatem & Monarchiam, Miſſæ ſacrificium,Purgatorium,Sanctorum & Mariæ invocationem,alia, impugnavit, fœdamque dogmatum confuſionem monſtravit. Lutherus dum poſcitur ad diverſa Colloquia,nec ſubmiſsè,& quaſi intra os loquitur,ſed magno zelo ac ſucceſſu Evangelii doctrinam profitetur,fortiterq; prædicat,ut tandem flamma veritatis longiſſimè à nobis remotos Gallos,Britannos,Danos,Svecos,Bohemos,Polonos, Livonos, Vngaros irradiârit. Vt Chriſtus, Eccleſiæ petra & columna, propitius Eccleſiæ ſuæ ſit,hoc agamus,ne à Scriptura abducamur. Si hoc agimus ſedulò, nec à Chriſto,unico ſcopo noſtro, abducemur, nec in ſcopulos hæreſeon & ſchiſmatum inducemur. In ſacris literis ſi perſiſtemus, facile diſceptationes quaſcunque ſuperfluas, vanaſq; quæſtiones & commenta ventoſa,ſive Papiſtarum ſint,ſive aliorum , defugiemus. Objectat Gregorius de Valentia Iac. Heerbrando in Eccleſiâ noſtrâ,quam *antrum* vocat,eſſe *novos,indoctos, paucos, opinionibus diſſidentes*, eſſe *nullum ordinem Antiſtitum*,quibus Deus ſuam Eccleſiam regi voluerit. Sed, quos quæſo,olim Apoſtoli Domini recenſere poterant, cùm Synagogam deſererent,Pontifices,Epiſcopos,Sacerdotes,Scribas,Phariſæos,Legiſperitos? Forſitan Caipham aut Annam, ſimilesque nominare debuiſſent, objicientes,ut majores ipſorum: *Templum Domini,Templum Domini*. Objectum ipſis Apoſtolis; Vnde tam *Novi*,tam *Pauci*,tam I*ndocti*? Novitatis accuſatio ut frequentiſſima, ita notiſſima eſt. Dillingenſes in *Compoſitione pacis*, quam vocant, nil frequentius in calamo habent,quàm *Novitatis* & *Novatorum* titulum. Gloriatur de antiquioribus literis,von den ältern Briefen/Forerus.De Novitatibus Papiſmi diximus,& in ipſos hoc recidere crimen oſtendimus. Novum Evangelium prædicare nos clamant. Novumne eſt, per gratiam & miſericordiam Dei,perque fidem in Dei Filium,Dn. noſtrum Ieſum Chriſtum,expetendam eſſe juſtitiam atque ſalutem? Novane κατήχησις puerorum ex veris fontibus Bibliorum, ex Symbolis antiquiſſimis? Abominamur nova,nec quicquam apud nos novi, niſi quod apud nos ſit nova antiquitas,& antiqua novitas; apud vos verò curioſa vetuſtas. Non nova aut alia Biblia,non novæ Catechiſmi partes, non novus aut alius Chriſtus, Deus, Sacramenta,fides; ſed eadem, quæ ſemper habuit Eccleſia hinc à Chriſto & Apoſtolo-

rum

rum temporibus, fideliter amplectimur, retinemus, immorimur. Ecclesia nostra, quam dicitis *novam*, proprias suas notas duobus adverbiis *rectè & ritè* exhibet, dicens habere eam Ecclesiam, in qua rectè doceatur verbum Dei juxta Canonem S. Scripturæ, & ritè juxta Christi institutionem Sacramenta administrantur. Quid antiquitatis genuinæ investigandæ studio conducat, à nostris observatur sedulo, nihilque ejus gratia prætermittitur. Interim illis Pseudantiquariis nil magis est in ore, quàm nos esse *Novatores*. In omnibus Commentariis *Novatores* compellamur. Novatores dici non debent, inquit venerandus Mallinckret, Decanus Monasteriensis, qui veritatem, quantumvis illa dici latuerit, & oppressa fuerit, in lucem revocare, & dignitati debitæ restituere curant. Sit *Novator* Lutherus, quia renovator. Novè dixit Lutherus in novissimis temporibus, non nova dixit. Paulo tribuitur *nova doctrina*, cùm esset Athenis, imo & ipsi Christo, qui etiam doctrinam suam confert novo panno & utri, respectivè nimirum, si ad Pharisaismum conferatur. Nova sæpe videntur, quæ sunt vetustissima; nam quæ sunt antiquissima, possunt fieri, ut aliquandiu incognita lateant; & tandem cùm in lucem proferantur rursus, videantur esse nova. In religionis negotio id accidere prima initia Christianismi nos docent; nam audimus dici de eâ, *novam* esse, gentilesque religionem Christianam habebunt per novâ quâdam superstitione, cùm esset vetustissima non superstitio, sed divina veritas. Simus hoc sensu *Novatores*, maneantq; illi *Veterani* cum suis Cimmeriis, Antiquitas illa est superstitionis. Purpurissa sunt, quibus colorant errores. Antiquitas nostra ex archivis divinis, Mosis, Prophetarum, Christi. De rebus fidei non nisi ex literis fidei disputamus. Traditiones nescimus. Stamus arbitratu inspiratæ à Deo Scripturæ, & dogmata divinis oraculis consona in Confessione nostra, Augustæ Carolo Imperatori exhibita, tradimus. Ad Scripturam sacram provocamus. Ad Scripturæ amussim nostra dogmata exploramus. Conciliis & Patribus debitum honorem concedimus. Sacra Scriptura nobis pro archivo est, quæ nostræ religionis proma conda, cujus exemplaria nocturna versamus manu, versamus diurna. Attendimns juxta Cyprianum, non quicquid hic aut ille ante nos dixerit, sed quod Christus, qui ante omnes est, pronunciarit. Id verius, quod prius, id prius, quod ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis, qui in Schola Spiritus S. instituti de vera & prima antiquitate nos infallibiliter informarunt. Hos audimus, & si quis aliud nobis Evangelium de Purgatorio, de Missa, de Indulgentiis, prædicat, illud novum censemus, & longè gentium remotum ab illo Apostolorum Evangelio. Credimus & amplectimur, quæcunque Ecclesia illa *primitiva* in quatuor universalibus Conciliis dogmata probavit; & Iudicem eundem cum ea recipimus controversiarum Ecclesiasticarum, scripta Prophetica & Apostolica, quæ Constantinus Magnus in medium posuit. Proavi nostri antiqui Germani non aliter crediderunt, quàm nos credimus. Ecclesiæ primitivæ φωςῆρ Irenæus de Ecclesiis *in Germaniis sitis* deprædicat, *aliter non crede-*

 re.

re. Id ſatis,& fortaſſe pluſquam ſatis,arbitramur,ſi quo & unde venerint dogmata Eccleſiarum Germanicarum vetuſtiſſimarum hinc deducamus.Digito autem indice hîc ſufficit intendere, cùm non ſit tractandi diffuſius occaſio. Ex illo autem veteri Eccleſiarum Germanicarum ſtatu peculiari Diſſertatione D. VVilhelmus Lyſerus,Baronio hac in parte Antiquitatis doctior,Auguſtanæ noſtræ Confeſſionis Antiquitatem germanam deducit,clarèque docet, proavos noſtros antiquos Germanos fidem eandem,quam Noſtrates Auguſtæ Vindelicorum,profeſſos.Religionem Saxonum Veterum ſub VVittekindo & Carolo M. in pleriſque non convenire cum Pontificia,oſtendit in Saxonia Evangelica Henricus Höpfnerus. Si antiquitatem urgetis,facile concedemus eam, qualem tribuit Phariſæis Chriſtus, diſputans contra ſententiam jam antiquitus pro explicatione legis Moſaicæ receptam,& graves errores notans,& reprehendens in antiquis interpretibus. Religio veſtra ſimilis ſeni,qui ut Lacedæmoniis ſe vegetum probaret, denigravit canos. Religio noſtra ſi non ſplendet externè, ſplendet internè. Quid verò vetat, quò minus dicamus, Eccleſiam Romano Papiſticam in omnium oculis fuiſſe & eſſe adhuc conſpicuam tiaretis Pontificibus, coruſcaſſe galeratis Cardinalibus, ſplenduiſſe mitratis Epiſcopis,radiaſſe bicornibus Abbatibus.Omnia τηλαυγῆ,nec in Thracia,Phrygia,Vmbria,Iapygia τηλαυγέστερα. Non opus eſt enumerare ſplendorem,eò quòd neminem, qui vel aliquem ſaltem religionis œcumenicæ guſtum habet, vel paucos Eccleſiæ Scriptores evolverit,latere poſſit. Diligenter adhuc Protarchus laborat,ut de illuſtri genere glorietur, nosque terræ filios obſuræque Eccleſiæ cives traducat. Contrà nos nitimur, ut dum coram mundo non habemus aſpectabilem Eccleſiam,omnis gloria ſit ab intus. Prærogativam, quam habent,nõ invidemus,modò nobis nõ invideant noſtram gloriam, quæ eſt in crucifixo Ieſu ſub cruce & afflictione. Dominio illi potiantur ſeculari, nos Domino, cujus nomine ſi nos profligabunt ex Europa,dabit nobis Dominus ſedem in Africa. Si ex Germania,dabit angulum in Livonia,aut quà mari aditus eſt. *Indoctos* cùm vocant & traducunt, cur doctrinæ opinione inflati utres indoctos non vincunt? Lovanienſes cum apud Margaretham Auſtriæ Archiduciſſam & Belgarum Rectricem,de Reip.Chriſtianæ per Lutheri ſcripta labefactatione cõquererentur,quærebat Illa,*quem Lutherum dicerent*,iis reſpondentibus, indoctum eſſe Monachum, hoc reſponſum viciſſim accipiunt: *Scribite multi contra indoctum unum, & procul dubio plus orbis crediturus eſt doctis multis,quàm indocto uni.* Objectant nobis *diſſidia*,quaſi ipſi non diſſiderent. Lyncei ſunt in noſtris diſſidiis Adverſarii, in ſuis ἀμβλυώττουσι. Non ſatis admirari poſſumus late patentem diſcordiam Papatus, & laudare veterum in ea deſcribenda diligentia & parrheſiam,quorum beneficio facti ſumus συῤῥάξεων δεινῶν magno numero certiores, nam hodiernos quod attinet, ii cautiores facti,tot Generalibus,Generaliſſimis, tot Provincialibus, Regentibus, Cenſoribus,Inquiſitoribus, complent orbem, prohibituri ſevera cenſura plaga-

rum,

rum, carceris, excommunicationis, busti, equulei, ne quis aliquid in Sanctissimum Vrbis, vel in Purpuratos ejusdem, vel Emissarios scribat. Sed cùm cavent maximè, & cùm cavisse rati sunt, vel Pasquinus aliquis proloqui solet, vel alius veritatis testis prodire ipsis admodum invitis. Inite, obsecro, Concilium aut Conventum; & ubi pax inter vos de antiquitate coierit, certiores nos facite. In Pontifices dissidentes Ianus Lascaris:

In se divisum *regnum quodcunque peribit.*

In se dividitur *Pontificum, ut pereat.*

Roma olim dicta *Orbis Epitome*; nunc dicatur *Novitatum Epitome*. Athenis monstrata fuit *Ara ignoti Dei*; nunc illa Romæ videtur. Roma olim erat *Mundi caput*; nunc Roma ista nova *Caput opinionum*. Opinio est, quod Papa Princeps urbis, creditur *Religionis principium*. A ῥώμη *Romæ* nomen. Roma ἐῤῥωμενεστάτη in opinionibus nomen tuetur. Athenienses vidit δεισιδαιμονεστάτους Paulus; nunc Romanos accede, & vide. Romanos ἐῤῥῶσθαι jubet Paulus; nunc illud ἔῤῥωσο apprecandum. Qui hoc faciunt, quod facimus, illi ῥωμαΐζουσι. Renovavit Lutherus religionem, nihil novavit. Religio ab eo restituta, non noviter instituta, reducta, non recenter introducta. Non mirari debemus, quæ in reformatione Lutheri nova facta sint pleraque, cum novum hoc ipsum fuerit, quod Papæ solium evertit, ipse autem neque doctrina eversa fuerit. Quia novitates rejecit, *Schismaticus* & *Sectarius* vocatur. Sed sit eo sensu, quo Cornelius Agrippa, Pontificius, accepit, cum scriberet ad Melanchthonem: *Salutabis mihi invictum illum hæreticum Martinum Lutherum, qui, ut in Actibus ait Paulus,* servit Deo secundum sectam, *quam* hæresin *vocant*. Dicunt Lutherum scidisse, unitatem Ecclesiæ, quæ tamen inter eos nunquam fuit. Dicunt schismaticum esse & unà omnes, qui ante eum scripserint, dixerintque contra eos. Felix schisma, ubi, qui dicit, se segregat à mendacio. Qui contra Papam scribunt, statim *Schismatici* Papistis. Petrus de Vineis *Schismaticus Capito* Gretsero. Magnô nomine *Sectarii* sumus, quia Christum sequimur. Secta sic malum verbum si esset, ubi essemus! Sectarios vos dici sic non renuetis scimus. Nulli sectæ mancipati sumus, ubi Christo injuria fit. Aristotelicæ sectæ simus, modò non adversemur pietati. Christi sectæ nos adjicimur, qui nos liberavit redemptor, cui omnia debemus Liberatori. Pro Christo liberrimè disputamus, etiam ingratiis mundi. Non si nunc à vobis, nescio quibus Sectariis, mala persecutionis sustinemus, & olim sic erit. Premamur, modò non opprimamur. Premente Deo, fert Deus idem opem. Papam non habemus, non habemus Romam, non Viennam, non Pragam, non Mediolanum, non Coloniam, non Madritum. Simplices sumus, anilia non credimus, credimus Apostolica. Meliora in cœlo speramus, quia in terrâ non habemus. Hæc illa nostra secta, quam tantopere abominamini. Si dubitamus de vestra secta, nefas putatis. Schisma putatis dubitare. Felix schisma, quod Luthero præeunte evenit. Difficile admodum opini-

onem multis jam ſeculis inveteratam animis hominum evellere. Id Luthero tamen ceſſit feliciter, qui Scripturæ præſidio, & Spiritus S. aſſiſtentiâ Eccleſiam ex illis diuturnis, tetris, denſis, horrendis tenebris pontificiis repurgavit, lucemque attulit. Quid tunc Summus Pontifex? Id Marcellus Palingenius, Romanæ Eccleſiæ addictus, reliquit ſcriptum.

Nunc ſummus parat arma Sacerdos
Clemens, *Martinum cupiens abolere Lutherum,*
N*on diſceptando, aut ſubtilibus argumentis*
Vincere, ſed ferro mavult ſua jura tueri.
Pontifices nunc bella juvant, ſunt cætera nugæ,
Iactant ſe Dominos rerum, & ſibi cuncta licere,
Cui vis eſt, jus non metuit. Jus obruitur vi.

Maluerunt Prælati Eccleſiæ, Papam in ſua majeſtate manere, quàm admittere Reformationem vel vici unius. Rogus potius incendendus, & funeſtæ faces injiciendæ Lutheraniſmo, quàm tot ſacrorum ordinum Collegia reformarentur. Sic enim opinio eorum fuit, ut proſcriberetur emergens è tenebris religio, quæ ipſis videbatur jejuna & ſtrigoſa, retineretur autem omnibus apicibus ſuis pingvis & dapſilis ſuperſtitio ſua, largiſſima non Sanctorum modò plurimorum cultrix, ſed immenſæ etiam multitudinis otioſæ magnifica opſonatrix. Vt religioni noſtræ fiat ægrè, Lutherus deſcribendus, tanquam aliquod monſtrum hominis. Ex horreſco, quoties cogito, quantis mendaciis Lutherum onerent Piſtorii & Gretſeri; quàm diris & miris modis ad extirpandos nos ferro, igne, & omni perſecutionum genere, graſſati fuerint Albani & Nigrini. Sunt penes me literæ Eraſmi, nondum cum ejus Epiſtolis editæ, ad Danielem Mauchium, Vlmanum, cui nuntiat *rem lætam*, his verbis: *Lutherus (quod felix fauſtumq́; ſit) depoſito Philoſophi pallio, duxit uxorem ex clarâ familiâ Bornæ, puellam eleganti formâ, natam annos XXVI. ſed indotatam, & quæ pridem deſierat eſſe Veſtalis; atque ut ſcias auſpicatas fuiſſe nuptias, pauculis diebus poſt decantatum hymenæum nova nupta peperit. Jocatur ille in criſin ſanguinis.* Calumniam hanc puto me exactè retudiſſe, omni circumſtantiâ temporis data, in eis, quas dedi quondam ad Lutheri Epiſtolam quandam Notas. Quā invehuntur in Lutherum, quod Monialem duxerit, horrendo, ut vocant, ſacrilegio! Quod in Luthero damnant, Barthol. Garranza in Summa Conciliorum & Pontificum Pariſiis edita, probat in Cæleſtino Papa, de quo ita ſcribit: *Cæleſtinus III. Papa 181. Hic Conſtantiam Monacham rege Rogerio natam occultè è monaſterio Panormitano eduxit, & Henrico VI. diſpenſatione Apoſtolicâ in matrimonium collocavit,* nominat autem ibidem *Virum ſanctiſſimum.* Inceſtum Luthero objicit Gretſerus, quod Monialem ſibi copularit. In Papa nil vident, diſpenſante de inceſtuoſis & inceſtantibus. Defunctæ uxoris ſororem ducere, quamvis ſit interdictum literis ſacris, licet diſpenſante Papali ſanctitate. Quibuſdam quis neſcit hoc

fuiſſe

fuisse concessum? Luthero exprobrant,&contumeliosè interpretantur tentationes Diaboli,de quibus subinde conquestus fuit. In Lojolæ sanctitatis opinionem easdem tentationes explicant. Pulchra quadam specie,quæ visa fuit nonnullam formam serpentis præ se ferre,apparuit ei Dæmon,referente Ribadeneira; & quidem non semel,sed sæpius; quem baculo facile submovit. Dormientem Lojolam idem Diabolus strangulare voluit, quem post magnum luctum ad invocationem & pronunciationem nominis Iesu repulit. In Luthero reprehendunt,quod in milite illo Hispano laudant & extollunt. Ignatius ille Vicentiæ,Venetiis,aliis in urbibus,& in via ad Romam mirabiles illustrationes habuit,cujus miracula, stupenda facta, extollit magnâ libertate loquendi singulari libro Petrus Ribadeneira. Iniqua & perversa judicia, quibus Lutheri nomen & religionem onerant,nullam nobis indignationem movent. Veritatis amor pluris nobis fit,quàm præposteris judiciis ut moveamur. Audax erat facinus fastigium throni Papalis, quod in dies augmentum sumebat,impetere; imo ridiculum,adversus Papam dixisse, unde & sanna audita inter claustrales: *Misere Lutherule,abi in claustrum tuum, & dic, miserere mei Deus.* Verùm Dei operum talia sunt plerunque auspicia, ut stulta & impossibilia appareant. Quid impossibilius visum,aut stolidius,quàm unicum Monachulum velle tantum adoriri imperium,tot Reges,tot Principes, tot Satrapas, tot Ordines? Scripto certè aliâs acerbissimus Florimundus Ræmundus, eloquens dicendi artifex contra hæreticos,ingenuè scribit,licet Luthero infensissimus: *Fateamur liberè (enim verò velimus nolimus fatendum est) non sine causâ vitia eorum, qui curam animarum agere debebant,à Luthero fuisse reprehensa. Multi enim non oves,sed lanam,non gregem,sed adipem gregis quærebant. Paucis cura erat reficiendæ caulæ,& contra luporum insidias & impetus obstruendæ. Ventris curam plerique agebant,& popelli simplicitate abutentes in vendendis Indulgentii & carnis in diebus vetitis comedendæ licentia quæstum magis,quàm animarum purgationem spectabant.* Nolimus velimus fatendum est,Dei digitum esse,& adhuc esse,qui, quod bene orsus opus fuit per Lutherum,adhuc conservat, & ad finem mundi quoque perducet. Qui Catholicô Romanus est,ponat sibi ante oculos primitivam Ecclesiam. Proponat CCCXVIII. illos Episcopos, qui Concilio interfuerunt Nicæno; CL. illos Episcopos in Concilio Constantinopolitano; CC. in Ephesino,DCXXX. in Chalcedonico. Illorum doctrinam,mansuetudinem,charitatem,considerent, violentum Christianismum emolliant,Cainicam invidiam ponant; contra Arrianos, Photinianos,Iudæos,Saracenos,nobiscum pugnent. Desistant,cùm res argumentis transigi nequit,prosilire ad arma,ad sicas,ad insidias. Desistant clamare: *Ad ignem,ad ignem.* Cremare,torrere,necare,ustulare, corpora possunt, profligare non possunt. Qui verò *Lutheranus* est,sit quod sit,nempe purus doctrinâ,illibatus moribus,sanctimoniâ vitæ. Is se perpetuò *Lutheranum* præstet, ac nunquam sic sibi placeat,ut desertis antiquis legibus & moribus nova vel sibi vel aliis indu-

cat. Nunquam tam ſit ambitioſus & rerum novarum cupidus, ut vel in minima Eccleſiæ bene conſtitutæ atque tranquillæ parte quicquam audeat ab antiquo ſtatu dimovere. Sed longius me rapuit ſeries rerum, quàm putaſſem, quam ſi perſequi vellem, exiret prologus, quàm ipſe Liber major. Quanta nunc Dei bonitas, quod in ſenectâ mundi Evangelii lucem miniſterio D. Martini Lutheri reddidit. Quanta miſericordia, quod tanti Viri opera LIVONIAM, labyrinthis Sophiſtarum implicatam, & mole ſuperſtitionum depravatam, in lucem aſſeruit. Tanta hactenus à prima reformatione celſitudo animi in Livoniæ Ordinibus, tanta conſtantia in Doctoribus Eccleſiæ fuit, ut nec ſpe victi, nec terrore fracti inoffenſo curſu adhuc decurrant in ſtadio Iehovæ. Publicum dant teſtimonium pietatis Livoniæ veſtræ in Evangeliorum à ſe illuſtratorum præfationibus Haſſiæ quondam lumina, imò Evangelii creſcentis, Antonius Corvinus & Iohannes Draconites, quorum hic anno 1544. Hermanno à Bruggenay, Ordinis Teutonici Magiſtro in Livonia, Commentariorum Evangeliorum partem ſecundam cum pio admodum elogio conſecravit. Hoc præconium etiam nuper declaravit publico ſcripto Dn. D. Haberkornius. Liceat & mihi de ea gratulari conſtanti pietate; & quædam repetere altius. Cum circa annum CIↃ CLXX. Livonia à Germanis mercatoribus frequentari cæpiſſet, navigavit eò MEINARDUS Epiſcopus Bremenſis, atque gentem tum barbaram ad Chriſti fidem convertit, & pro Bremenſi Rigenſis factus eſt Metropolitanus, cùm ei Eccleſiæ poſtmodum ſubeſſent Habſelenſis, Oſelenſis, Torpatenſis ac Rivalienſis; Cathedrales Eccleſiæ, protegeretque regionem Magiſter Ordinis Teutonici cum ſuis Commendatoribus. Cæpit autem Livonia veſtra ſub Henrico VI. Imp. Rom. cognoſcere, & amplecti fidem Chriſtianam ex doctrina & prædicatione Monachi iſtius Segeburgii. Condidit is primùm Eccleſiam extructa munitione contra Barbaros in ripa Rubonis, quam *Dunam* hodie vocant, permiſſu VVoldemari Regis Poloſcovienſis, cui tunc Livoni tributarii erant. Quomodo ulterius propagata fuerit religio, jamdudum Peucerus, Chronicorum Carionis continuator, ſcriptum reliquit, & poſt eum Chytræus. Cùm tandem Evangelicum religionis negotium *à Luthero* ingenti animo pertractaretur, non potuit majus levamen labotibus ſuis accedere, quàm progreſſus Evangelii repentinus nunc in Germania, nunc in Livonia, de qua Lutherus ſpem ſibi fecerat minimè dubiam, fore, ut pietas, & doctrina, & virtus aſylum in ea acciperent. Quàm non eum fefellerit ſpes, orbis novit Chriſtianus. Prædicavit Lutherus laudabile inſtitutum Livonorum, quo Monaſteria & Clauſtra ignava converterunt in docta Gymnaſia, omnibus Cœnobiis longiſſimè anteferenda. Conqueritur ad Eos perſcripta Epiſtola, quantum ex ærario & reditibus depræ natur in Canonicos & Monachos, perparum verò in Magiſtros Scholarum impendatur. Dignos arbitratur Præceptores uberioribus præmiis, ſi ſuo fungantur officio. In id pro virili laboravit Lutherus, ut Scholæ, quæ ante ſe, ſuperſtitione

Papi-

Papiſtica invaleſcente,collapſæ fuerant magno cum malo religionis,inſtaurarentur. Ea cauſa ad Senatores omnium Vrbium Germaniæ ſcripſit,eosque ad Scholarum fundationem & conſervationem hortatus fuit. Ea cauſa cum Livonis gratularetur de cœleſtis Evangelii tuba ſonante ad Scholarum erectionem liberales eſſe voluit. Incredibile dictu, quanta tunc celeritate,quantaque animorum contentione atque fervore Scholæ,totâ Germaniâ,totâ Livoniâ applaudente,fuerint exſtructæ,excultæ,exaſciatæ. Livonia nobilis veſtra Scholas adhuc patrocinio ſuo tueri non deſinit,ubi exercitia vera pietatis & literarum maximè vigent. Non apud vos circumit Chriſtus eſuriens & ſitiens, nec petit, Eccleſiæ ſua ſtudia conſervari. Non negliguntur pauperes Studioſi, qui advenientes liberaliter habentur. Id teſtari etiam poſſunt qui ex variis Orbis Chriſtiani partibus,maximè in Germaniæ tricennali bello,apud vos hoſpitati ſunt. Studium illud erga puriorem religionem & humanitatem in literatos commendavit D. Georgius Mylius, Academiæ Ienenſis Profeſſor,Comentario ſuo in Auguſtanam Confeſſionem. Egregio quoque teſtimonio Rigenſium Rempublicam proſequitur Chriſtophorus Pelargus, cùm exhibet Hiſtoriam ſacram Actuum Apoſtolicorum. *Ornamenta eſtis*,ſcribit,*in Arctoo orbe illuſtria Eccleſiæ ejus, quam Lucas deſcribit, Apoſtolicæ nimirum & Catholicæ,infractoq; animo,quam ſemel agnoviſtis, Chriſti fidem profitemini atque tuemini,quod Apoſtolos ſive fidos Eccleſiæ Doctores,non hoſpitio ſolùm excipitis,ſed multiplici inſuper beneficio ad laudem uſque ſempiternam afficitis, literis ſacris,& illis,quibus humana firmatur ſocietas, Gymnaſia aperte conſtitutis, liberalitate veſtrâ docentium diſcentiumq; animos cupidè excitatis,ad Academias politiſſimi ingenii cives veſtros magno numero,majore ſumtu,maximo Vrbis patriæ emolumento emittitis.* Idem nunc animus promptè videtur,& in dies fit excitatior pius ille zelus, quod præter famam publicam teſtantur tot exempla, tot libri,tot veſtri Ordinis ac ſtatûs Iuvenes generoſi. Qui ædificationem Eccleſiæ purioris in Livonia memorant,primam faciunt Rigam,quæ ſub Andrea Cnopo audiverit Evangelii prædicationem ſinceriorem. Primus is Doctor Rigenſium ſincerioris Theologiæ Epiſtolam ad Romanos apud Vos Rigæ interpretatus fuit, *ubi nondum aliquid ſimile tentatum fuerat*,quod D. Io. Bugenhagius in Præfatione editionis Argentinenſis,quam caram mecum ſervo,teſtatur. Inter alia conqueritur, cùm ſcribit in caput duodecimum, *miniſterium degeneraſſe in hypocriſin, res Eccleſiæ otioſum & ignavum ſacrificulorum & monachorum vulgum abſumere,qui inde ventri ſervirent laſciviréntq;*,& quæ ſunt alia. Nihil non egit Knopkenius,nihil non tulit, ut Evangelii lucem tueretur,ut doctrinam religionis purioris propagaret, corruptelas tolleret. Senſit aliquoties duras perſecutiones Livonica Eccleſia. Centum jam anni ſunt,quo Sigiſmundo Regi Poloniæ ſe ſubjecit Livonia, Moſcovvitis afflicta: Piis precibus Livonia effecit, ut Potentiſſimus Rex Poloniæ ſub ſubjectionem ſumſerit omnes verè Auguſtanæ Confeſſioni addictos. In literis ad Sigiſ-

nun-

mundum Augustum, Poloniæ Regem, cordatè scribitur: *Primùm & ante omnia Sacræ & Serenißimæ Majestati vestræ nostro totius Nobilitatis Livoniæ nomine supplicamus, ut sacrosancta & inviolabilis maneat Religio, quam juxta Evangelica Apostolicaque scripta purioris Ecclesiæ, Nicenæ Synodi, Augustanamq; Censessionem hactenus servavimus, neve unquam ullis sive Ecclesiasticorum sive Secularium præscriptis, censuris & adinventionibus gravemur, turbemurq; quovis modo. Quod si præter spem acciderit, nos tamen juxta Sacrosanctæ Scripturæ normam, quâ præcipitur, plus Deo quàm hominibus obtemperandum esse: nostram retineamus religionem consuetasque ceremonias, neque nos in ullâ ratione ab hâc avelli sinemus. Si verò errores, quorum malus ille Dæmon autor est, in illa suboriri contingent, ut hisce dirimendis tollendisque Evangelici Apostolicique Doctores purioris Ecclesiæ Augustanæ Confessionis adhibeantur.* In Privilegiis, quibus pro religione cautum est, spopondit, juravit & promisit Sigismundus Augustus, Rex: *Dedimus fidem, sicut & præsentibus literis sanctè damus, recipimus ac promittimus, nos tam Principi ipsi, quàm Civitatibus aliis, vel subditis suis, cujuscunque Ordinis vel Statûs fuerint, liberum usum religionis, cultusq; divini, & receptorum rituum secundum Augustanam Confessionem, in suis Ecclesiis totiusque rei Ecclesiasticæ integram administrationem, sicut eum habuerunt, liberè permisimus, nec in eâ ullam mutationem facturos, neque ut ab aliis fiat permissuros esse.* Consilium quidem Iesuita Stanga aliquando dedit Polonis, Concionatorem Castrensem agens, ut victoriâ de hoste partâ Livonos omnes, qui tum stipendia inter illos merebant, trucidarent ob religionem; sed nihil effecit pessimus Præco. Memoriæ sempiternæ commendanda Livonia vestra, quod Svecorum nunc benignitate doctrina purior propagatur gnaviter. Ipsimet adhuc operam dant, ut juventus rectè jam inde à prima ætate pietate Christiana atque optimis imbuatur disciplinis, & recto cursu, ad ministerium Evangelii prædicandi, & Reipublicæ melius servandæ officium, linguis perdiscendis præparetur. Qua in re, hodie maximè omnium ob novas causas necessaria, haud scio, an ulli uspiam orbi cedat Orbis Svecicus, vel hoc nomine verissimis laudibus efferendus, quod *Dorpati* Academiam maximis sumtibus instituit, ut juventus moribus atque disciplinis, homine libero dignis, ad humanitatem pietatemque informetur, sic ut nihil nunc desit rerum necessatiarum in illo vestro Orbe, neque ad victum, neque ad vestitum cultumque corporis, nec ad artium studia & doctrinam liberalem. Iam anni sunt centum, quod *Derbatum*, sive, ut nunc scribunt, *Dorpatum*, Livoniæ vestræ oppidum, in Moscorum barbaras manus incidit, cujus incolas partim navibus avexit Tyrannus, partim terra pecudum instar abegit, tanta cum consternatione, & ejulatu ac clamore tanto miserorum hominum, ut multi ex desperatione in mare sese abjecerint, multi senes & infantes itinerum labore fracti conciderint atque defecerint. Sed domesticas vestras calamitates melius me novistis. Deus præsidio suo hactenus vobis adfuit, & media contra tantam vim suppeditavit benignè. Sonant

nant

nant adhuc Vrbes incorruptam Evangelii vocem sine dissidiis, Deum rectè invocant in agnitione & fiduciâ Filii Dei, disciplinam & artes honestè per Scholarum doctos Moderatores regunt. Hinc florent, neque enim satis est urbes ornari ædificiis, instrui rebus necessariis ad victum, muniri armis & præsidiis, regi à magnis Regibus. *Nisi Dominus ædificaverit civitatem, frustra sunt, qui laborant*; neque sine prægnanti ratione factum, ut Lutherus illa verba Psaltæ καὶ τὰ ἐχόμενα Livonicæ urbi Rigæ peculiari libro consecraverit atque commendarit. Gratulatura. Livoniæ, & in ea urbi Rigæ, hoc ingens bonum, quod Evangelii lucem sine corruptelis susceperit; scribens *ad Electos Dei & Dilectos in Christo Amicos & Fratres,* (sic inscriptio habet literarum) *Rigæ, Revellæ & Tarbtæ* in Livoniâ agentibus: *Significatum est mihi per literas & coràm, Fratres in Christo Carissimi, ut Pater Domini & Servatoris nostri Iesu Christi, etiam apud Vos suo mirabili incepto opere corda vestra gratioso veritatis suæ lumine cælitus demisso illustraverit, & eâ vos benedictione consecraverit, quâ adducti ex animo promtè & alacriter prædicatum vobis Evangelium suscepistis, ceu vivum & veracissimum Dei Verbum, pro quo haberi & æstimari debet ab omnibus. Quamobrem divinæ misericordiæ gratias agentes, tempus Visitationis vestræ cognoscite, ne gratiam Dei in vanum receperitis.* Et post varia de sorte Ecclesiæ monita concludit: *Vos constantes estote, hoc reputantes animo vobiscum, non meliùs debere agi, aut suaviùs victuros Vos aut molliùs, quàm Christus, Episcopus vester, vixerit, de quo, hujus doctrinæ gratia, ubi Pharisæorum simulatam justitiam & fictam sanctitatem reprehendisset, acrius supplicium sumptum est. Ejus Crucis sarcina multum vobis erit necessaria, nec parum fructus & utilitatis allatura, qua præcipuè in spem firmam erecti, hanc præsentem vitam fastidientes, futuræ immortalitatis cupidi reddimini. Quo per hoc in his tribus,* fide, spe & charitate *parati sitis & perfecti. Porrò quid de* Sacramentis & rebus externis *dicendum sit, abundè vos Concionatores vestri docebunt. Vbi enim fidei, spei & charitatis rectus est usus, ibi Christianæ charitatis abusum esse incredibile non est. Dominus verò noster Iesus Christus dignetur vos præparare, fortificare & confirmare idoneos regno suo cœlesti in omni sapientiæ & cognitionis suæ plenitudine, cui sit honor & gloria, Amen.*

Idem LUTHERUS *ad Spalatinũ A. 1523. scripsit: MAGISTER LIVONIÆ ex me petiit per* Nuncium *& per* Cancellarium, *eruditum Virum, ut libellum ad suos populos scriberem de re Christianâ, aluntque ibi verbi Prædicatorem, & gaudent se Evangelium habere. Sic à Judæis transit Christus ad gentes, & de lapidibus fiunt filii Abrahæ, quem sui nepotes persequuntur.* Porrò ad eundem Spalatinum Anno 1524. die 1. Februarij: *Quotidie magis ac magis Evangelium oritur & procedit in Livonia; præsertim apud* Rigenses *feliciter, quorum literas ac Legatum nuper suscepi. Sic mirabilis est Christus.*

Quàm verò laudabiliter, quod ultra centum annos Ecclesia Livonica piam conjunctionem cum cæteris Ecclesiis harum regionum tueri studet, & Orbis noster

Christianus, maxime Svecia gratulatur sibi, quod in studiis pietatis sinceris vestra natio delectationem habet & zelum. In hoc tam egregio proposito, magni semper Nationem vestram feci, tum quia religionem sanctè habet, tum quod artes studiaque ad bonum publicum amat referre. Livonia tum maturè tenebras Papatûs relinquens, ex face VVittebergensi lampades suas accendit, & adhuc dum servat lucentes. Lumen hoc Deo ignem præbente accendit Lutherus, qui in Epistolis visus semper benignior, & gratior, & seipso præcellentior. Mihi certè Livonia in oculis & corde talis est, qualis, ut omnibus esset, is, qui primus & Evangelii lucem monstravit, & gratulatus est, piis precibus & bonis fausti ominis verbis optavit. Pius affectus ille, quo & in Lutherum ejusque Epistolas plerophoriâ & consolatione plenas feror, & in Livonos, tanquam strenuos Confessores, rapior, in causa est, ut exhibere anteloquio hoc & sub nomine vestro celebrare audeam Catalogum Testium Veritatis Matthiæ Flacii cum Auctario hoc, alio tempore auctius edendo, præsertim quum & gloriam Christi vel aliquâ parte promoveri, & posteris nostris egregium dari hinc exemplum pro fide non sit, quod diffidam. Duobus his, *Doctrinæ* nimirum & *Vitæ veritate pietateq́;* Ecccleſia constat & conservatur. Tolle ab Ecclesiâ hæc duo, & sceleton habebis Ecclesiæ. Prima Ecclesiæ fundamenta primis aliquot seculis his inclaruerunt characteribus, sed Pontifice postea Romano, Romæ sibi regnū stabiliente, ab antiquâ illâ virtute secessum fuit, ut nec doctrinæ veritas tandem, nec vitæ conspecta fuerit sanctitas. Apparebit hoc ex hoc insigni Catalogo, quem augendum cum Autoris meliori famâ, nonnemo vir pius fidei meæ credidit. Feci, quod potui per temporis angustias, de hoc non laborans, quid Zoilus dicat scriptitetque. Curarum vacuus sum, cùm præponderet secura in fide intemeratâ fama. Etiam in aliorum injuriis existimationem salvam puto. Macte vos, qui veritatem agnitam magno & constanti animo à primis professionis annis hactenus observastis; qui novistis prudenter dignoscere technas, coloratos prætextus animadvertere, fallacias cavere, vim declinare. Non vobis nocuêre insidiæ Petri Schargæ, Psychotyranni. Non Mosci vos movit furor ab amore Divini verbi. Non Sarmatarum ira vos flexit, sed vos flexistis iratorum animos. Nec mirum ex auxilio Dei, qui cùm in sua habeat manu ignem, aërem totumque orbem regere, multò facilius flectere potest animos hominum. Pressi sæpe fuistis, sed fortius surrexistis. Dejecti nunquam fuistis. Novit Dominus suos conservare mirabiliter. Bello Smalkaldico, etsi Principes capti, Evangelium tamen triumphavit. In vestra Livoniâ etsi Poloni & Moscovvitæ Evangelii cursum tardare conati sunt, conatus tamen hactenus fuit irritus. De Evangelio exscindendo, sive blandâ arte, sive vi, quot συμβȣλια fuêre? Herodianicis modò blanditiis, modò Tiberianâ dissimulatione, modò Neronianâ sævitia, res tentata, sed Iehova irritum fecit consilium gentium. Livonia vestra in concussionibus sæpe horrendissimis præsidium & excubias Dei habuit, quas impetrarunt preces arden-

tiores hominum piorum. Periculorum magnitudines undique ingruerant vel à Polonis, vel à Moscovvitis, & vastitates effecissent ac πανωλεθρίαν Ecclesiis, Rebuspub. & Scholis vestris, nisi discussa fuissent atque depulsa divinitus. Non jam historias repeto, quæ nemini non notæ. Riga vestra rigidum Martem non semel sustinuit, nuperque Moscovviticam obsidionem masculâ & heroicâ vi sustinuit. Hanc periculorum magnitudinem cùm considero, expendo mecum pietatem incolarum vestrorum, & cum pietate magnanimitatem contra pericula. In pietate satis fuit contra tantam vim præsidii. Si vos considero, erit & in vobis aliquando patriæ vestræ spes magna. Pietas vestra, quam heîc lucere in ætate adhuc ea, quæ solet alias facilè abripi in sequiora, videmus, magna promittit patriæ vestræ præsidia. Pia Livoniæ vestræ generositas, ab aliis decantata, in vobis mihi conspecta, cum in me affectum peperit, ut satisfacere mihi ipsi non potuerim, quin hoc Catalogo T. V. dudum desiderato, ejusque Auctario significarem, admirari me Virtutes vestras, suspicere Doctrinam, extollere pietatem. Prædicavit Lutherus ardens per Livoniam studium pietatis, confessionem inter ipsa pericula constantem constantiorem consolatione sua effecit. Prædicare tentavi & Ego, qui vestigia majorum vel è longinquo suspicio; prædicabit posteritas, si quæ futura est in his terris. Sit Livoniæ vestræ Deus *Mezudah*, neque enim aliud tutius propugnaculum. Sit *Sether*, in quo tanquam in tuto asylo latitetis. Sit *Succah* & *Chuppah*, tabernaculum & tegmen vestrum. Deus vobis benedicat, vestram terram ab omni tyrannide tutam præstet, atque ad nominis sui gloriam, quam hactenus propagavit gloriosè, diu salvam & incolumem conservet. Ego verò Deum precor, cujus gloriæ illustrandæ & conservandæ atque propagandæ Evangelicæ veritati piè inservitis, ut animos Magnatum vestrorum magis magisque excitet ad Ecclesias Christi defendendas, ad Scholas clementer fovendas, ad ingenia liberaliter fovenda, ut totis regnis & provinciis plurimum Deo benedicente prodesse valeant. Gratulor autē Ecclesiæ nostræ de vobis, vestro zelo fidei atque amore, quo nescio quid optabilius accidere possit. Mittat Livonia vestra in messem Ecclesiæ & Scholam Operarios copiosos, veræ virtutis & doctrinæ amantes. Gauderem etiam, si quid à me proficisci posse intelligerem, vestræ Livoniæ vestrisque virtutibus condignum; ut & hunc, quem jam vobis è Typographeo nostro Catalogum T. V. depromo, gratum redderem vobis, aditumque mihi patefacerem ad eos, quorum oculi & animi ad vestram Rempublicam in pietate & conservandam & augendam directi sunt. Conatus meus, benè de vestra Republica vestrisq; Ecclesiis merendi non inanis si fuerit, sat mihi factum abunde erit. Egregiè verò factum, beneque meritum fuit à Flacio de Ecclesiis nostris orthodoxis egregio hoc labore, quem impetiit titulotenus tantum Gulielmus Eysengrein Spirensis, opposito libro, cui titulum itidem fecit: *Catalogus Testium veritatis locupletissimus, omnium Orthodoxæ Matris Ecclesiæ Doctorum*, quem tumultuario opere

collegit ex Hieronymo,Iohanne Tritenhemio aliisque Autoribus, interq; Testium veritatis numerum conjicit Philonem Iudæum, Senecam, Iosephum, Aquilam Iudæum, Abenezram Iudæum, egregios sane Testes veritatis; deque Flacii Catalogo hoc,nec aliud judicium,de cætero omni abstinens censurâ, Moguntinæ sedis Archiprætuli Danieli,tanquam Gorgonis caput,objicit: *Cum Catalogus Testium Veritatis,qui ante nostram ætatem Pontifici Romano,ejusque Erroribus reclamârunt,authore Matthia Flacio Illyrico in lucem prodierit,qui passim apud doctos pariter atque indoctos,& proh dolor,inter manus omnium,vel ipsius Vulgi versatur,nec Ego oscitanter ipsum evolverim,intellexi à veritatis scopo Illyricum penitus deflectere & evagari,& inter scribendum non solùm privatis affectibus seu simultate quâdam laborasse,quin etiam imponere & calumniari.* Nihil negotii nobis facere potest ille Catalogus,quamvis à Possevvino & Philippo Labbe commendetur. Qui in Papatu olim Paparum & Episcoporum negligentiam,labem & scandala ostenderunt, qui vetera simul & recentia contenderunt,non vulgaris vel conditionis,vel ingenii homines fuisse,sed diligentes Papalis impuritatis Ecclesiæque collapsæ speculatores, judicare possumus ex vario numero, quem Catalogus exhibet præsens. Quantum negotii diversis Galliæ & Angliæ Regibus fuerit cum Pontificibus Romanis, quamque sese defenderint masculè Reges,id Flacius in hoc Catalogo diversis monstravit exemplis, iisque egregiis. Indubiæ veritatis est in Bibliothecâ Vaticana, aliisque Bibliothecis Italiæ,Hispaniæ, Galliæ,Germaniæ,sive publicis sive monasterialibus clam servari multos libros superiorum seculorum,qui de corruptâ Ecclesiæ doctrina,& fraudibus Pontificum, deque abusibus Ecclesiæ Romanæ, & contrà de conservatione veræ doctrinæ etiam sub mediis tenebris Papatûs agunt. Iudicium ejus sumimus ex Catalogo Autorum ab Abbate Io. Trithemio evulgato,ex Catalogo Bibliothecæ Oxoniensis, quorum librorum ne centesima quidem pars extat. Si extarent,expectatissima seges nobis esset parata. Simus interim contenti *Catalogo Testium veritatis,* quem magno bono Ecclesiæ nostræ & propudio Romanæ collegit Vir prodigiosæ cujusdam industriæ & Bibliothecarum abliguritor Matthias Flacius. Omnibus in Europæ nationibus & ordinibus erant, qui Religionis reformationem exoptarent, & abhorrerent à tyrannide Papali. Commovebantur quandoque tota Regna,qualia fuere potissimũ Germaniæ,Galliæ & Angliæ,quæ prætextu religionis diversi Pontifices concusserunt,& inclementiis Indulgentiarum,Annatarum,Taxarum aliorumque aucupiorum emunxerunt. Electores, Principes & Status Evangelici Smalcaldiæ Anno 1537. congregati,Oratori & Vice Cancellario Cæsareo Matthiæ Heldio inter alia responderunt,multos pios & eruditos viros jam inde à temporibus antiquis de abominationibus & abusibus Pontificiis fuisse conquestos, sicut in illo scripto,quod extat apud Hortlederum, legi potest. Idem postea affirmârunt Electores & Principes A. C. in causis recusati Concilii Mantuani, extare vetera

scri-

ſcripta de falsâ doctrinâ, abuſibus & ceremoniis ſuperſtitioſis Papiſticæ religionis. Idem etiam repetunt Theologi A. C. in Confeſſione Doctrinæ Saxonicarum Eccleſiarũ Synodo Tridentinæ oblata Anno 1551. multos doctos & pios Viros ante ſua tempora & deploraſſe, & taxaviſſe errores & abuſus, qui in Eccleſiam irrepſerint. Operæ itaque pretium fecit Matthias Flacius Illyricus, cùm ſub titulo, *Catalogus Teſtium Veritatis*, teſtimonia collegit eorum, qui ante tempora Lutheri fuere falſi, doctrinam Rom. Eccleſiæ fuiſſe unà cum moribus corruptam, & Eccleſiam indigere reformatione. Quæ teſtimonia, poſtquam Ioh. VVolfius & Simon Goulartius ſuo modo & more exſcripſerint, interploaverint, vix mentione factâ Flacii, Flacii librum reſuſcitari opus fuit, ne quis ignoret curam operam ſedulam, quam adhibuit quondam laborioſiſſimus Vir. Edidit idem Flacius libellum Germanicum in epitomen è decem Reformationibus congeſtum, in quibus ipſi Papæ, Cardinales & Epiſcopi confitentur multos ac craſſos abuſus & palpabiles errores atque corruptelas in Eccleſiam invectos eſſe, & præter fœdam morum vitæque Eccleſiaſticorum corruptionem multipliciter etiam regimen vitiatum. Multà nobis eſſent teſtimonia, niſi ſuppreſſa fuiſſent varia ſcripta, quæ erant contra Papam corruptosque Eccleſiæ mores. De ſcripto *Scholæ Pariſienſis*, quod erat Anno 1389. confectum *de Periculis Eccleſiæ*, meminit Matthæus Pariſienſis in Præfatione, *ſæpe dictum libellum fuiſſe ſuppreſſum & occultatum.* Exemplum de *Nicolai Ruſtii* ſcriptis ſuppreſſis habet in Catalogo Flacius. Quid verò de iſtis librorum truncatoribus, ſive potius lucifugis, ſit habendum, verbis Laurentii Bochelli, Advocati Pontificii in Parlamento Pariſienſi, referemus, quæ extant in Præfatione Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ, Pariſiis Anno 1599. editorum. *Nil crebrius, ait, doctorum hominum proclamationibus adverſus ejusmodi eviratores, jure meritoq; pœnâ legis Corneliæ ex edicto Domitiani, Hadriani, Conſtantini & Juſtiniani noſtri plectendos. Taceo innumeros authores ſacros, profanos, veteres, recentiores, ab iſtis tam improbi, quàm infelicis ingenii hominibus miſerabiliter decurtatos, vel ipſis Regibus non parcere adſvetis, nedum S. Ludovico, cujus pragmaticæ, ut vocant, Sanctionis articulos nonnullos, maximè ad rei Gallicæ ſtatum pertinentes, abs Bibliothecâ illâ SS. Patrum, Conſtitutionibus Regiis, & Statutis Epiſcoporum quorundam Synodalibus Reginæ Vrbium Lutetiæ nuper impreſſis expunxerunt. Væ, iterum væ, ut cum Vidente exclamem, nebulonibus, qui tales Muſarum caſtitati & integritati venerandæ non ſolùm inſidias ſtruunt, ſed & Muſas ipſas impudenter & nequiter, ſubdolo religionis zelo, nullius frontis homines devirginant, fucumq; iſtum pietatis nomen ementitum, inter pias fraudes numerant.* Nobis itaque longè plura eſſent teſtimonia ex antiquis libris, niſi Scriptores, qui ejusmodi res tractant, ſummoverentur, & interciperentur Teſtes. Eo fine ab Hiſpanis & Italis excogitatus modus, ut veritatis teſtificatio per *Indices Expurgatorios*, quos vocãt, removeretur, ne videlicet, quod Benbellona ſcribit Defenſ. Autonom. *adverſus prava Pontificis Romanenſis dogmata, turpemq; ru-*

brę

bræ & ſangvinariæ Cohortis Cardinalium, Pſeudoepiſcoporum & cæterorum Papæ aſſeclarum vitam, ullum uspiam documentum aut teſtimonij veſtigium *ad poſteritatem, cui turpiſſimè absq; omni fronte imponere conantur, in Orbe Chriſtiano ſuperſit. Teſtamentarios eſſe aut falſarios dicas, qui bonorum tabulas, etiam poſt illud tempus, quo in manibus verſantur omnium, corrumpant intolerandâ planè impudentiâ, & pœnis condignis vindicanda.* Non tamen nobis deerunt Teſtes veritatis, etiamſi totus Orbis Inquiſitores & Carnifices librorum emittat; nec deſunt etiam hujus ævi, qui illam Romæ pompam cum omni ſua φαντασία ſpernant. Non ita pridem Papæ Iurisdictionem & poteſtatem, quam ſibi ſumit, in Principes & populos totius Orbis, egregio libro evertit Guil. Barclajus, quem fecit *de Poteſtate Papæ in Principes Chriſtianos,* qui liber eò fructuoſius legi poteſt, quò Autor fuit addictior Pontifici Romano, ſed non paraſitico Bozii aut Bzovii more. *Omni,* inquit initio libri, *ego reverentia & benevolentia Sedem illam proſequor, nec id aut hic aut alibi ago, ut debitæ poteſtatis & dignitatis aliquid decedat Vicario Chriſti, & ſucceſſori S. Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum patricinio adjutum me quotidie pie planeque mihi perſvadeo; ſed eo tantum animo eſſe, ut, quæ illa poteſtas ſit & quanta, quam in Pontifice Rom. Chriſtiani omnes agnoſcere debeant, ſine fuco & fallaciis, ſine ſtudio & odio perquiram, & ut earum affectionum vacuus, quæ in alterutram partem mentes hominū inclinant, Deum ſolum præ oculis habeam.* Recentiora alia exempla prætereo, & finem facio.

Salvete verò nunc & valete, PATRONI OPTIMI, meamque Dedicationem juſtò prolixiorem humanitate veſtra eximia in bonam partem accipite, meq; Veſtri Nominis atque Honoris Studioſiſſimum favore Chriſtiano complectimini. Dabam è Muſéo die 22. Decembris Anno 1666. quem exprimunt, neſcimus qua ſorte, *Papa* & *Lutherus,* Eteoſticho convenientes, MartInVs LVtherVs DoCtor; ALeXanDer, EpIsCopVs RoMæ.

CATA-

CATALOGUS TESTIUM VERITATIS,

Qui Papatui in caufis fidei atque morum, doctrinæ atque difciplinæ, obftiterunt, quà voce, quà fcriptis; in quo magis Teftimoniorum inter fe cognationem, quoad Regna & Ecclefias, quàm Temporum rationem fequimur.

CLASSIS PRIMA.

S. Petri, Patrum, Conciliorum, Epifcoporum, Et aliorum Veterum.

I. S. PETRUS.

Controvertitur acriter, *an B. Petrus Apoftolus Romæ fuerit, & an ibidem Papalem fedem erexerit, eandemque per 25. annos rexerit?* De utroque ait Ioach. Petronius in libro de rebus geftis vitisq; Apoftolorum pag. 20. *Romam Petrus venit Claudio Imperatore, ibique Pontificatum quinque & viginti annis geffit, ut omnes probati autores ac veteres commemorāt. Quod fi quinq; & viginti Pontificatum adminiftravit, id eft, usq; ad quartum decimum Neronis annum, qui idem ultimus fuit, certè tertio vel fecundo, ut Hieronymo placet, Claudii annoprimùm Romam venerit neceffe eft.* De utroque Theodorus Petrejus in Chronologia Romanorum Pontificum, pag. 2. *Subit ingens animum admiratio, cur noftri ævi Novatorum pleriq; audeant negare, B. Petrum Romæ unquam fuiffe, nedum Pontificiam cathedram inibi fundaffe. Quinimo Judocus Cocius in Thefauro fuo verè Catholico partim Græcorum partim Latinorum Patrum plusquam centum teftimoniis ad oculum demonftrat, Petrum & Romæ fuiffe, & Ecclefiam ibi fundaffe, & gubernaffe, tandemq; etiam fangvine fuo confecraffe.* Ex antiquitatis itidem confenfu Romanum illum Petri Epifcopatum probare vult Bellarminus, 2. de Pont. Rom. 1. §. 2. fcribens: *Supra mille quingentos annos conftantiffimè à toto terrarum orbe creditum eft, Petrum Epifcopum Romanum fuiffe, ac Romæ per crucis martyrium fpiritum* Do-

mino

mino reddidisse. Sed sui qausi oblitus statim subjungit §. 3. *Primus, quod sciam, qui docuit, B. Petrum neque Episcopum fuisse Romæ, neq; Romam ipsam unquam vidisse, fuit Guilielmus quidam, Johannis Wiclefi Præceptor, ut Thomas Waldensis refert.* Addere debuisset Marsilium Patavinum, Michaelem Cesenatem & alios, quos recensset Iohannes *W*olfius Lect. memorab. Tom. 1. pag. 23.

Hæc secum perpendens non nemo Scriptor, Part. Theol. Disp. 3c. th. 121. indignabundus in hæc scribit verba: *Non possumus satis mirari aut stupiditatem Pontificiorum dogmatistarum, ut futilitatem hujus sui nugamenti non agnoscant, pro concesso & rato assumentes id, quod prorsus ad concludendum est invalidum & adhuc controversum, aut effrenem & projectam impudentiam, qui toties pridem confusi eandem tamen cramben recoctam itendidem sine omni rubore, pudore ac fronte in conspectum Ecclesiæ Christi reponunt, ac respondent:* Petrus olim gessit Pontificatum Romanum, & fuit caput Ecclesiæ. Ergo & Papa erit caput Ecclesiæ. *Antecedens eget probatione, & consequens est falsissimum. Duæ enim in Enthymemate illo involvuntur hypotheses, quæ nullo modo concedendæ sunt. Primum negamus,* Petrum unquam Romæ fuisse, *vel si ibi fuerit,* Pontificalem Primatum usurpasse, *nedum pro capite Ecclesiæ sese gessisse. Deinde negamus sequi,* Petrus fuit Episcopus, & magis excelluit Privilegiis, iisdem igitur & Papa. *Negamus inquam, quia scopæ dissolutæ sunt, cùm infinitis parasangis dissideant ambo, sive* doctrinam *sive* officium *spectes in utroque.* Id quod ut probet, ex Sibrando Lubberto, de Papa Rom. c. 3. p. 269. 270. 275. 276. 277. quamvis suppresso autore, pro ba, t Petrum nunquam Romæ fuisse, neque Episcopum fuisse ibidem, esse dogma de fide, neque ad fidem pertinere, multò minus fidei dogma fuisse asserit. Sciendum est, Petrum Romæ fuisse, ibique Episcopum summum egisse, & Episcopatum jure quodam hæreditario ad sibi in ordine succedentes Papas transmisisse, obtrudi Ecclesiæ pro *Christiano dogmate quæstione fidei,* mordicusque teneri à Bellarmino Præfat. lib. de summ. Pont. de *summâ rei Christianæ* agi, quum de Petri & Romanorum Pontificum primatu agatur. Necessariò igitur credendum, & statuendum infallibiliter, Petrum Romæ fuisse, ibidemque fundatorem cathedræ papalis fuisse. Sed quomodo id ipsum probatur? Neque apodicticè, neque probabiliter putamus. Non dubium est, quin Christiana dogmata debeant ex iis principiis probari, quæ sunt extra controversiam posita, & quibus quis tutò posset niti. Crepat consensum de Episcopatu Petri Bellarminus, & ut probet eandem Episcopalem sedem, sic disserit: *Jus successionis Pontificum Romanorum in eo fundatur, quod Petrus Romæ sedem suam jubente Domino collocaverit, atque ibidem ad mortem usque sederit.* Idem ut probet, iterum hoc disserit modo, c. 4. §. 1. *Svadere videtur ipsa summa dignitas Romanæ Ecclesiæ; semper enim omniũ consensu habita est prima & præcipua omnium aliarũ. Non potest autẽ ulla ratio reddi hujus excellentiæ, nisi quia Princeps Apostolorum illius Ecclesiæ proprius Pastor & Ecclesiæ fuit.* In prima acie collocat argumentum, quod probabile est tantùm

tùm,non apodicticum. At quando de summâ rei Christianæ agitur,non debent afferri argumenta ſvadentia,ſed cogentia; non debet allegari principium, quod principium non eſt; non debet incertum probari per æquè incertum. Quum Bellarmino objiceretur,Barnabam eſſe primum,qui Romæ prædicârit, idque per autoritatem Dorothei Tyrenſis in Synopſi,repudiat eam autoritatem, quod iſta ſynopſis ſit plena narrationibus confictis & mendaciis. Hoc ſanè modo ipſe multas diſputationes inducit unâ quaſi liturâ,cùm ex ſuppoſititiis Paparum & Patrum libris,& aliis,etiã ſcriptis genuinis,quæ errores in ſe continẽt & multa falſa, argumentatur. Cùm ergo de tanto conſenſu ſcribit, cum & nos conſenſum ex hoc ſuo conceſſo impugnabimus.Probet ergo ex ſacrâ ſcripturâ Petri ſedẽ,& credem⁹ ei. Probet argumentis certis in re adeo neceſſariâ ad credendum, & fidem adhibebemus. Incertum eſt,Petrum fuiſſe Romæ; longè incertius,tot annos fuiſſe, & ſucceſſores Linum, Cletum aliosque reliquiſſe. Incertitudo ſucceſſorum Petri apparet ex diſſonantiâ Autorum. Secundum Epiphanium,Platinam, Sabellicum, Nauclerum Petro ordine ſucceſſerunt, *Linus, Cletus, Clemens, Anacletus.* Secundum Irenæum, Hieronymum, Euſebium; *Linus, Anacletus, Clemens.* Secundum Damaſum, Marianum Scotum, Caranzam, *Clemens* & *Anacletus.* Secundum Onufrium *Linus,Clemens,Cletus, Anacletus.* Vt hanc inconſtantiam ex parte tollant,& ſolvant contradictionem,dicunt Clementem, â Petro ſucceſſorem conſtitutum ,ultrò Pontificatum conceſiſſe Lino,deinde Cleto. Inde Sanderus 7. de viſib. Monarch. Eccl. p. 233. *Clemens à D. Petro Pontifex Romæ ordinatus,ab adminiſtratione Pontificatus abſtinuit usq; ad mortem Lini & Cleti,quod iis,& prædicationi & orationi vacans,curam ſummi Pontificatûs,dum viveret,demandaſſet.* Ergonè Petrus fuit tam oblitus & immemor,ut tres ſimul ſucceſſores conſtitueret,Eccleſiam tribus capitibus aut Monarchis ornaret,imò loco Monarchiæ Ariſtocratiam Eccleſiaſticam introduceret? Ergone Clemens tam inclemens fuit,ut ſusque deque haberet Petri voluntatem & ordinationem,ut Eccleſiam Catholicam,ſibi demandatam,aliis regendam relinqueret? Sed hæc diſquiſitio alium locum deſiderat; occaſione autem,quia Flacius primo ſtatim loco de Petri perſonâ & nævis diſſerit, de Petro, cujus ſe ſucceſſores venditant Pontifices Romani, aliquid præmittere voluimus,ipſeque Flacius peculiari docuit Diſſertatione, quam Auctario ſubjungi curavimus. Petrum non habuiſſe Primatum in Eccleſiâ; nec fuiſſe Eccleſiæ univerſalis Epiſcopum; maléque ſe fundare in hoc primatu Papas; cui jungi poteſt docta itidem Diſſertatio Nicolai Henelij,quæ extat de Primatu Petri & Pontificis Romani in Otio Vratislavienſi c. 54. à. p. 462. usque ad p. 541. Audiant autem S. Petrum,qui ſe Petri ſucceſſores ſcribunt,ſcribentem: *Paſcite eum, qui in vobis eſt,gregem Dei,non ut dominantes in Clero,ſed forma facti gregi ex animo.* Brevis textus ſententia,ſed magno ſenſu. Quem ſcripturæ locum Bernhardus Eugenio Papæ ob oculos ponit,ſcribens: *Ergo & Tu,& Tibi uſurpare aude,aut Domi-*

nans Apostolatum, *aut* Apostolicus *dominatũ. Planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque simul habere velis, perdes utrumq;. Forma Apostolica hæc est*, dominatio *interdicitur*, *indicitur* ministratio, *quæ commendatur exẽplo Legislatoris.* Hæc ille 2. ad Eug. 6. col. 1132. Adjungimus D. Pauli testimonium: *Attendite Vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quam doctrinam itidem Bernardus lib 3. Cons. ad. Eugen. c. 4. col. 1147. mirum in modum illustrat, *Erras, inquit, si, ut summam, ita &* solam *institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo, qui ait*: Non est potestas, nisi à Deo, *proinde quod sequitur*: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, *etsi principaliter pro Te facit, non tamen singulariter. Deniq; idem ait*: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, *non ait*, sublimiori, *tanquam in uno*, *sed* sublimioribus, *tanquam in multis. Non ergo tua sola potestas à Domino. Sunt & mediocres*; *sunt & inferiores.* Hæc & alia contra omnipotentiam Papalem Eugenijque ambitionem, quæ tanta fuit, ut eam reprehendere coactus fuerit D. Bernhardus, Pontificum aliâs defensor; imò *alter sui temporis Elias*, uti Baronio 12. A. E. ad A. 1143. p. 297. commendatur, ex quo seorsim nonnulla suo loco sumus prolaturi.

II. CANONES APOSTOLORVM.

Ad num. 3. p. 7.

PRoba merx facile à gnaro mercatore deprehendi potest, & probus liber non minus ex pia & credita δοκιμασία facile agnosci potest. Circũferuntur *Canones Apostolorum*, qui si ad canonem & amussim exiguntur, nil canonici neque filo neque stylo exprimunt. Rem indignam Apostolis facit, qui eos ut *Apostolicos* venditat, & pro *Apostolicis* Ecclesiæ Christi obtrudit. Nothi sunt, subdititii & suppostitii, quos ipse Papa Gelasius *distinct. 15. c. 3. sancta Romana* comemorat inter libros, qui ab hæreticis sive schismaticis conscripti fuerunt, quosque *nullatenus recipiat Catholica & Apostolica Ecclesia Romana.* Et de iis Isidorus, Episcopus Hispalensis: *Canones, qui dicuntur* Apostolorum, *seu quia eosdem nec Sedes Apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo, quæ ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate Canonicâ atq; Apostolicâ eorum gestu constat esse remota, atq; apocrypha deputata.* Verba hæc allegantur in Iure Canonico dist. 16. c. 1. Canones. Si judicium priscæ Ecclesiæ requiris, nil hinc tibi erit præsidii, nam Canones illi neque à Iustino, nec ab Irenæo, Clemente, Origine, Eusebio, Hieronymo, Ambrosio, Athanasio & & Augustino inter authentica Apostolorum scripta sunt relati. Habent illi Canones ejusmodi res, quæ ab illo seculo, in quo Apostoli vixerũt, sunt alienæ, & quæ, fatente Sixto Senensi 2. Biblioth. sanct. p. 52. *cum præsentibus Ecclesiæ Romanæ dogmatibus non conveniunt.* Aliquos etiam Bellarminus, Baronius, Lindanus, Binnius, rejiciunt. Interim tanti æstimati ab Alfonso à Castro lib. 1. adv. hæres. c. 2. *ut primũ post scriptu-*

scripturas locum assignet; à Francisco Turriano, ut peculiari scripto eosdem propugnârit, scripseritque, *ab Apostolis Hierosolymis conscriptos esse, & Silæ Judæq; proficiscentibus Antiochiam commendatos,* cujus Zelum Possevvinus *Appar. sacr. in v. Clemens* quidem miratur, sed non adeo magni facit. Antiquioris disciplinæ documenta pervetusta existimat Bilsonus de perpet. Eccl. gubern. c. 7. f. 115. sed unde probabit, inter vetusta esse pervetusta, & quidē sine mangonio. Antiquos esse non dubitamus, sed conpilatos esse ex pluribus vetustis Canonibus apparet, partim jam in vulgus scripto editis, partim solâ observatione & usu firmata diuturno probatis, censente Salmasio de Primatu Papæ cap. 3. pag 31. Excusi habentur Tomo primo Conciliorum Coloniæ 1530. editorum secundum veterem ex græco translationem, & quidem quinquaginta tantum Canonibus. In editione verò Petri Crabb 1551. & Laur. Surii 1567. & Sev. Binnii 1606. habentur locupletiores, ut excreverint usque ad numerū LXXXIV. Græcè & Latinè exhibentur in Clementinis operâ Lamb. Gruteri editis Coloniæ 1569. p. 157. seqq. Illos Canones, prout hodie numerantur octoginta quatuor, D. Meisnerus inseruit libro de Legibus l. 4. sect. 2. quæst. 5. p. 469. singulisque brevem quandam ἐπίκρισιν addidit ex Lucæ Osiandri Epitome Ecclesiasticæ historicæ cent. 1. l. 3. c. 4. p. 81. Sed, inquies, quid hoc facit ad Catalogum Veritatis? Faciet, quia Adversarij veritatis eos Canones *sanctos* habent, & *pro sanctis* recipiunt; sed ubi tamen legent, quæ contra Novitates suas facient. Proprio igitur testimonio, quia recipitur, convincendi.

III. EGESIPPUS.

Scriptor Ecclesiasticus Historiam Ecclesiæ ab initio Apostolorum usque ad A. Chr. 170. contexuit. Irenæo aliquantò senior Romam sub Aniceto proficiscens, cum primo Corinthiorum Episcopo alijsque compluribus fertur contulisse, & eandem apud omnes doctrinam invenisse, apud Eusebium 4. Histor. 21. Ἐν ἑκάστῃ διαδοχῇ inquit, καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει, ὡς ὁ Νόμος κηρύττει, καὶ οἱ προφῆται, καὶ ὁ κύριος. Ecclesiā Corinthiorū *in rectâ doctrinâ* permansisse usque ad primū Corinthiorum Episcopum. Enarrans itidem, quo pacto Ecclesia Hierosolymitana hæresibus divexari cæperit, ait: *Postquam Jacobus Justus* (Apostolus, & primus Hierosolymorum Episcopus) *eâdē ratione, quâ & Dominus ipse Martyrium pertulit, Avunculus ejus Simon Cleopa constitutus est Episcopus, quem omnes ob id prætulerunt, quod alter esset Domini consobrinus, & ob eam causam Ecclesiam illam Virginem vocabant, nondum enim vanis fuerat corrupta doctrinis. Thebulis verò, quia Episcopus constitutus non erat, corrumpere illam cæpit.* Sic ambitio, quâ imprægnatus fuerat Thebulis, Ecclesiam Hierosolymitanam, & quæ hactenus Virgo in doctrinæ puritate vitæque sinceritate permanserat, primùm corrupit. Similis locutionis exemplum pertulit Flacius ex Eusebio de Ecclesiâ, quæ usque ad mortem Iohannis *Virgo* permanserit. Vivente adhuc B. Iohanne multas Episcoporum successiones, *Ad num. 7 pag. 10.*

comemorat Eusebius in Chronico suo, quod interpretatus est Hieronymus; namque Antiochiæ Ignatius Evodio successit; Alexandriæ, Abilius Ariano; Romæ Clemens Anacleto & Lino; Hierosolymis Simeon Iacobo. Quinimò Iohannes ipse Polycarpum Smyrnæ Episcopum ordinat, sicuti, cùm de Originibus Ecclesiarum agit Tertullianus in libro de Præscriptionibus, ait, Polycarpum ab Iohanne in Smyrneorum Ecclesiâ collocatum.

IV. TERTULLIANUS.

Ad num. 35. pag. 24. Omisit hîc Flacius describere Tertullianum, Presbyterum Carthaginensem *uxoratum*, qui ipse *ad Uxorem suam* duos libros scripsit, quorum priore scribit c. 1. *Dignum duxi*, dilectissima mihi in Domino conserva, *quid tibi sectandum sit post discessum à seculo meum, si prior fuero vocatus, jam hinc providere.* Svaserat verò, ut, si superstes esset, nuptias non repeteret. *Præcipio tibi*, ait, *quantâ continentiâ potes, post excessum nostrum renuncies nuptiis, nihil mihi isto nomine collatura, nisi quod Tibi proderis.* In Presbyterio itaque suo constitutus uxorem suam retinuit, nec fidei conjugali nuntium misit. Posteriori etiam libro *ad secunda consilia, respectu humanæ infirmitatis conversus* hortatur, si à repetendis nuptiis abstinere omninò nolit, saltem à matrimonio gentilis abstineat; *nam, quantò grandis est*, inquit, *continentia carnis, quæ viduitatem ministrat; tantò si non sustineatur, ignoscibilis videri potest, difficilium enim facilis venia est. Quanto autem nubere in Domino perpetrabile est, uti nostræ potestatis, tanto culpabilius est, non observare, quòd possis.* Conjugium itaque Sacerdotum non damnavit Tertullianus, nisi postea cùm Montanista fieret, notante D. Chemnitio Exam. C. T. part. 3. p. 122. Conferatur D. Calixtus de Conjugio Clericorum p. 149. 150. 151. 152.

V. METHODIUS.

Ad num. 18. pag. 21. Circum fertur sub nomine S. Methodii *liber Revelationum*, ex quo integrum caput habet Iohannes, Chiemensis Episcopus, in libro Oneris Ecclesiæ *de novis Prophetis & modernis Revelationibus*, in quo attendendum est ad ea, quæ §. 3. f. 7. scribuntur. *Dedit Deus* Apocalypsin, *id est*, Revelationem Secretorum *palam facere servis suis, quæ oportet fieri citò, & significavit, mittens per Angelum suum Johanni, & aliis suis servis. Quorum Dei Servorum Thelosphorus Heremita in suo tractatu meminit, nominatim Joachimi Abbatis, Merlini, Cyrilli, Dandali, Rabani, Raynerij, Vincentii, Francisci, & aliorum, inter quos* Methodius Martyr *magnæ est autoritatis, qui in carcere tentus à Deo per Angelum revelationem futuri temporis usque ad finem hujus mundi percepit. Cujus non spernendam mentionem facit Hieronymus in libro illustrium Ecclesiæ Scriptorum. Picus à.* (Mirandula 12. Astrol. *1.*) *hunc Parcharensem fuisse asserit, & omninò alium eo, cujus Hieronymus meminit.* Approbavit itaque ille Episcopus autoritate suâ Methodii Revelationes de novissimis temporibus; illique libro locum dat inter scripta Methodij, Tyrij Episcopi, Iohannes

Triten-

Tritenhemius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis fol.16. edit. Paris. anno 1512. & claruisse ait Anno Domini 255. Methodii librum cum additionibus *Wolffgangi* Aytingeri, Clerici Augustani, & Sebastiani Brantii, ICti Argentinensis, juxta editionem Anni 1498. unà cum imaginibus & figuris intulit Centenario tertio Lectionum memor. I. *Wolfius* à pag. 43. usque ad pag. 51. protulitque Flacius quædam ex *Wolfg.* Aitingeri Commentariis num. 397. p. 826.

VI. CONSTANTINI M. DONATIO.

Haud scimus, an quicquam in historiis queat reperiri, quod majore vehementia defensum, majori efficacitate reprobatum fuerit, quàm Donatio Constantini Magni. Longè profectò melius versati sunt in his inquirendis, & ad trutinam veritatis examinandis jam olim Laurentius Valla, Nicolaus Cusa, alij. Quæ in contrarium ducuntur argumenta, lunaria sunt, splendentia quidẽ, sed non calefacientia. Quàm à veritatis linea devii ferantur Donationis Patroni, docet Balth. Gvaltherus *Diatribe elenchticâ de Imp. Const. M. Baptismo & Donatione, Jenæ 1618.* evulgata. Fertur autem Constantinus Sylvestro, Episcopo Romano, ejusque in Episcopatu successoribus, Romanam urbem cum toto occidente, imperiale sceptrum, coronam, adeoque omnem Iurisdictionem & potestatem in secularibus donasse. Istius *Donationis instrumentum* è græco sermone in latinum se transtulisse asserit *Bartholomæus Pincernus de Monte arduo*, mendacii pincerna arduus, quem *Liternum* vocat in Epitome Bibliothecæ Gesner⁹. 25. Ait a. se *græcè* reperisse in Bibliothecâ Pontificiâ, cujus sunt verba in Præfatione ad Iulium II. *Quum inter legendum in hâc tuâ celeberrimâ Bibliothecâ occurrisset mihi* libellus quidam Græcus, qui donationem Constantini *continebat, æquum mihi visum est, illũ* è Græco in Latinum *convertere, & eum Tibi, sanctissime Pater, inscribere debere.* Eum libellum quũ Ortuinus Gratinus, Presbyter & Professor artium Coloniæ, in Fasciculo suo exhibet fol. 62. integrum, promisit ad Lectorem: *Doctissimi ac veteres illam à Constantino factam Donationem constanter pernegant, idque verò verius ac luce lucidius probant. Viderit hic ergo sibi* Bartholomæus iste Pincernus de monte arduo, *ne arduam aggressus eam probare non possit. Insignis hic Pincernus Vallam insigniter taxat. Egregius adulator & rudis disputator.* Ex antigrapho vetusti libri se apographum excerpsisse Volateranus profitetur, 23. Anthropol. f. 243. illud autem ex dictâ Bibliothecâ accepisse, ita tamen, ut subdubitet. *De dono, inquit, ejus aut concessione apud nullos extat autores, præterquam in libro Decretorum, idq; in antiquis voluminibus minimè contineri, autor est Antoninus.* Id habet Antoninus, qui fuit Archi-Episcopus Florentinus *part.1.Chron. t. 8.c.2.§.8.f.255.* Idemque annotatum Historicis Magdeburgensibus *Cent.t. hist.Eccl.c.7.col.567.* refertque Gualtherus pag. 32. testimonium Coleri, qui viderit exemplar Decreti Ms. sub annum 1125. in quo isti duo Canones incipientes, *Constantinus Imp.* non exstiterint. Vnde & *pa-*

Ad n. 280. p. 720.

lea illud caput dictum fuit, quia ejus contenta *palea* seu *stramini* æquiparari indicentur; sed licet sit *palea*, & pro *palea* inseratur, *multum tamen grani Ecclesiæ interim intulit*, dicente Ioh. de Imola apud Camerarium, qui de hisgerris consulend⁹ *part.1.succis.horar.c.61.p.276.* ubi et Venetorum responsum festivum notavit. Vide Catalogum eorum, qui impugnarunt publicis scriptis hoc commentum, apud Meibomium *in Notis ad Sleidanum de 4.imp.p.208.seq.* Vindicare nuper annisus est Iosephus Maria Suaresius, Cardinalis Barberini Bibliothecarius, proferens chartam Donationis anno à nato Christo CDXXI. subscriptæ. Romæ prodiit in 4to 1630. Sed in contrarium videantur Alciatus *7. Parerg. Jur.civ.c.19.* Balduin. *de lege Constant.lib.1.* Molinæus *in Comm.ad edict. Henrici Regis n.133.* Hottomannus *in Bruto fulmine*, sub titulo: *Falsi Crimen.* Bodinus *1.de Rep.9,n.141.* Meisnerus *part. 3.Philos.sobr.sect.2.quæst.pol.p,790.* Laurentius Banck *de Tyrannide Papæ cap.12. à pag.331.ad p.364.* Limnæus *Tom.1.lib.1.c.9.p.142.143,144.145.* Euseb. Bohemus *Hist.Eccles.p.537.seqq.* Matthias Hoe *3. Comm. in Apoc. 9.scrup.6.p.188.* Casp. Birschius *Disputatione peculiari quæ extat in part. 2. Jubilæi Argentinensis, lit. O.* Nic. Henelius *Otio Vratislav. cap. 22. p. 165. usque ad pag. 183.* qui evincunt illam Donationem fictitiam esse ac falsam. Ducuntur autem argumenta, à figmentis & absurdis, quæ in sese capitulum, *Constantinus*, continent; à testimoniorũ ac instrumentorum diversitate rerumque donatarum discrepantia; à nova donatione Ludovici Imperatoris; à divisione imperii inter Filios tres; à styli discrepantia & in falsitate; à veterum Historicorum silentio. Quod attinet *Instrumentorum diversitatem*, de formula originaria non lis est simplex; quibusdam *Græcè primum* conscriptum asserentibus, quibusdam *Latinè*, & ex Latino factas fuisse translationes Græcas. Græcè primùm fuisse exaratas literas Edicti, Henricus Agylæus sentit, scribens in Epistolâ nuncupatoria ad Nomocanonem Photii; Si qui fortasse Latinè primum scriptam *esse excipient, næ illi Sylvestrum, ejusq; Successores, non dicam socordiæ, sed summæ stultitiæ, redarguent, qui illam non quam diligentissimè asservarint; cùm quæ de eâ re in hominum manibus* Latina *sunt*, de malis Græcis malè conversa *esse, meridiana luce clarius sit.* In contraria sententia est Marquardus Freherus, qui ex stylo deprehendit, non primitus è Græco in Latinum, sed è Latino in Græcum sermonem fuisse factam translationem, idque ille probat in Commentario ad Constantini Donationem pag.31.32. qui quoq; Græcum Edicti textum è regione Latini Instrumenti collocandum curavit, eumque duplicem, alterum desumptum ex Theodori Balsamonis Commentariis ad Nomo Canonem Photii; alterũ excerptum ex Henrici Blastaris, Iuris consulti Græci, Synopsi Iuris Canonici. Non una tantum aut altera, imò non novem tantùm, quot recensuit Boetius Epo, 2.quæst. heroic.3. sed duodecim ejus Instrumenti Editiones, eæque inter se diversæ, magno falsi argumento, habentur, teste Frehero. De Græcis quoque exemplaribus pluribus, atque etiã diversis, in Vaticana Bibliotheca repertis, attestatus est

Barth.

Barth. Pincernus. In utroque ſive velis Latinũ, ſive Græcũ textũ perquirere, Conſtantiniani ævi elegantia & dignitas non invenietur. *Reviviſce paulisper*, ait Valla, *Firmiane Lactanti reſiſteq́; paulisper huic aſino, tã vaſtè immaniterq́; rudenti. Huncné in modũ iſto ævo, loquebantur Cæſarũ ſcribæ, ne dicam agaſones?* Lactantiũ producit, Ciceronem Chriſtianorũ, ævi iſtius Conſtantinis ſcriptorẽ, & Culpi[l], Conſtantini Filii, Præceptorẽ. In Græco multa vocabula Latina delenda obſervare licet, qualia ſunt, δηφένσωρ καῖςωρ, ὀφφίκιον, κυβουκλάριος, πορτάριος κόνσουλς & alia. Neſcimus verò, quid contigerit Tritenhemio, quod nullas rationes inierit, ac ſtramineã illam ac illaudatam Conſtantini donationem, etiam mediâ in Româ rejectam, crediderit, & nomine illudens Vallæ, & non ſine deteſtatione ſcribens, alieno tamen ſtylo, de S. E. f. 159. *Quid autem de Conſtantini donatione, qua dotavit Eccleſiam Romanam ſenſerit, liber ejus peſtifer indicat, quem utinam Vir tantus nunquam edidiſſet.* Cur hîc tam credulus, cùm etiam ſuperſtitioſiſſimi id in fidem non admittant? Qui Pontificiorum dogmatum ſectatores & adſertores ſtrenui ſunt, eam donationem falſitatis arguunt, ut eorum teſtimoniis adſeruit Nicolaus Henelius in Otio Vratislavienſi cap. 22. in duodecimo argumento contra ridiculam donationem p. 178. 179. quam etiam riſu excipiens Iohannes Igneus, Ictus Pontificius, bellè & argutè ibidem ait, eâ in donatione *cæcos aliquid vidiſſe, ſurdos audiviſſe, & mutos locutos* eſſe. Iocatus in eam fuit Iohannes de Imola, dicens, illam paleam, iſtasque quisquilias *multum grani* attuliſſe Eccleſiæ: Iocabantur in eam Baldus & Bartolus, quorum Ille ſcripſit Commentario feudali dicere, *non eſſe factam Conſt. donationem* eſſet *percutere caput ad montem Murellum.* Iſte in Proœmio Digeſtorum de hâc diſputans, tandem concludit: *Videte, quod nos ſumus in terris Eccleſiæ* (ſive Regno Papæ,) *& idcirco dico, quod iſta donatio valeat.* Iocatur Æneas Sylvius, poſtea Papa Pius, dum callide proviſum fuiſſe à Pontificibus ait, ut acris eſſet utrinque controverſia, *valeretne illa donatio de jure, annon valeret*, quo ſic ſemper donatio talis facta poſſet præſumi; at tamen ridiculos interim eſſe Legiſtas, qui quæ nunquam fuiſſet facta, *ea valeret nec ne*, tantopere diſceptarent. Ioco inde utebatur Hieronymus Donatus, cùm enim Alexander Papa eum interrogaret, quo jure haberent Veneti dominium Maris Hadriatici, & in quibus hoc extaret tabulis, *mirari ſe*, reſpondit, *Papam non vidiſſe eas Tabulas; in poſtica enim parte* Donationis Conſtantini Magni *eas extare.* Sic traducitur ſalſeque ridenda exponitur ab ipſis Paparum aſſeclis Donatio, ut mirandum meritò ſit, cui Tritenhemius, in hiſtoricis monumentis verſatiſſimus, & in ſcribendo ſatis aliâs cautus, eas admiſerit fabulas.

VII. CONCILIVM ANCYRANVM.

Concilii illius, quod in Galatiæ metropoli Ancyra habitum fuit, verba ſunt: Διάκονοι, ὅσοι καθίςανται, παρ' αὐτὴν τὴν κατάςασιν εἰ ἐμαρτύραντο, καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμῆσαι, μὴ δυνάμενοι οὕτως μένειν. οὗτοι μετὰ ταῦτα γαμήσαντες, ἔςωσαν ἐν τῇ ὑπηρε- Ad n. 3[illegible] p. 34.

σίᾳ

σίᾳ, διὰ τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου. Τοῦτο δὲ εἴ τινες σιωπήσαντες καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως, μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς διακονίας. Latinè vertit Dionyſius Exiguus: *Diaconi quicunque ordinantur, ſi in ipſa Ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſſunt, hi, ſi poſtmodùm Uxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicunque ſanè tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem profeſſi Continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, à miniſterio ceſſare debebunt.* Videatur D. Calixtus de Conjugio Clericorum pag. 167. 168.

VIII. CONCILIUM GANGRENSE.

Ad n. 40. p. 39. CAnon Gangrenſis Concilii de Conjugio Sacerdotũ conſtitutus fuit contra Euſtathium, Epiſcopum Sebaſtiæ in Armenia, qui nuptias in Sacerdotibus execrabatur, conjugatosque æſtimabat indignos, qui ſacra paragerent. Euſtathius autem ejusque aſſeclæ à Patribus Concilii Gangrenſis anathematizabantur; & ſimul damnabantur, qui à benedictione & oblatione Sacerdotis Conjugati abhorrebant. Primus Canon ſic ſe habet: Εἴ τις τὸν γάμον μέμφοιτο, καὶ τὴν καθεύδουσαν μετὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς, οὖσαν πιστὴν καὶ εὐλαβῆ βδελύσσοιτο ἢ μέμφοιτο, ὡς ἂν μὴ δυναμένην εἰς βασιλείαν εἰσελθεῖν, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis nuptias vituperat, & dormientem cum ſuo viro fidelem ac religioſam deteſtatur, anathema eſto.* Canonis quarti verba ſunt: Εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis ſegregat ſe à Presbytero conjugato, quaſi non oporteat eo miniſtrante de oblatione percipere, anathema eſto.* In Iure Canonico ex iſto Concilio affertur iſta Canonis ſententia, c. ſi quis. diſtinct. 18. *Si quis diſcernit Presbyterum conjugatum tanquam occaſione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejusque oblatione ideo abſtinet, anathema ſit.* Si itaque ſine conſcientiæ ſcrupulo, ſine contaminatione miniſterij, ſacram liturgiam Presbyter uxoratus poteſt perficere, ut manifeſtum ex illis Synodi verbis: Cœlibatus Sacro Ordini neceſſariò non eſt adſtringendus. De his ſacris Synodi Canonibus agunt, Chytræus Onomaſt. Theol. p. 1001. 1002. Marcus Antonius de Dominis 2. de Republ. Eccleſ. 10. num. 57. 58. p. 312. 313; Gerhardus Tom. 6. L. C. p. 558. 559; Calixtus de Conjugio Clericorum pag. 203. 204. 205. 206. 207. 208.

IX. CONCILIUM MILEVITANUM.

CAnonem Concilii Milevitani fecit quidem ſuum Iuris Canonici Syntagma, ſed ſuprematum Pontificis inde non effecit. Verba ita ſe habent, c. Placuit

Ad n. 44. p. 43. 3. cauſ. 2. q. 6. *Placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in cauſis quas habuerint, ſi de iudiciis Epiſcoporum queſti fuerint ſuorum, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos, quicquid eſt, finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum. Quod ſi ab eis provocandum putaverint,* non provocent, niſi ad Africana Con-

cilia

cilia, *vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad* transmarina *autem qui putaverint appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiantur.* Additur quidem à Iuris Canonici compilatore: *Nisi fortè Romanam sedem apellaverint*; Sed illud Conciliũ in universum appellationem *ad transmarina* vetuit, Episcopisq; Africanis placuit, ut nullo modo ad Romanæ sedis Episcopum appellatio interveniat; quo ipso ostendunt, se non subjacere jurisdictioni Pontificis Romani, nec se potestate inferiores esse Romanis. Quod eo sancitum fuerat Capitulo, dudum antea etiam censuerat B. Cyprianus, cùm Fortunatus & Felicissimus, Africani Episcopi, in Africâ damnati Romam confugissent; sic enim scribitur Epist. 55. ad Cornelium: *Cùm statutum sit vobis omnibus, & æquum sit pariter ac justum, ut* unius cujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, *& singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possunt, nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur esse autoritas Episcoporum in Africâ constitutorum, qui jam de illis judicaverunt.* Vindicat hunc B. Martyris locum contra Bellarminum & Pamelium Chamierius Tom. 2. lib. 14. c. 2. §. 5. seqq. p. 289.

X. CARTHAGINENSIS SYNODUS SEXTA.

Concilij Carthaginensis sexti Patres ita scribunt ad Cælestinum Episcopum: *Præfato debitæ salutationis officio impendiò deprecamur, ut deinceps ad vestras aures* hinc venientes *non faciliùs admittatis, nec* à nobis excommunicatos in communionem ultrà velitis excipere, *quia hoc etiam* Nicæno Concilio *definitum facilè advertet Venerabilitas tua*; *nam etsi de* inferiorib⁹ Clericis *vel* Laicis *videtur ibi præcaveri, quantò magis hoc* de Episcopis *voluit observari*; *ne in suâ Provinciâ communione suspensi, à tua Sanctitate vel festinatè vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui.* Presbyterorũ *quoque & sequentiũ* Clericorũ improba refugia, *sicut Te dignum est, repellat Sanctitas tua, quia & nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna sive inferioris gradûs Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt*; *prudentissimè namque justissimeque providerunt* quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda; *nec unicuique Provinciæ gratiam Spiritus S. defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constanter teneatur. Maximè, quia unicuique concessum est, si judiciis offensus fuerit cognitorum,* ad Cõcilia suæ Provinciæ, *vel etiam* universale *provocare. Nisi fortè quisquam est, qui credat,* uni cuilibet *posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum* transmarinum judicium *ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt*; *nam ut aliqui, tanquam à tuæ sanctitatis latere, mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo constitutum. Quia illud,*

Ad n. 48. pag. 16.

 quod

quod pridem per eundem Coëpiscopum nostrum Faustinum,*tanquam ex parte Nicæn. Concilij exinde transmisistis, in Cociliis verioribus,quæ accipiuntur Nicæna*, à S. Cyrillo, *Coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili* Attico, *Constantinopolitano Episcopo, ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad Nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ* Bonifacio Episcopo, Prædecessori vestro, *à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid nõ potuimus reperire. Executores etiam* Clericos vestros *quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Hæc Canone 105. Tom. 1. Concil. Videatur Dissertatio Flacii peculiaris, quæ Auctario huic adjungitur.

XI. SIBYLLÆ.

Ad n. 121. p. 191.

ESt non nemo, qui de Sibyllis aliquot Orationibus agens, multum tribuit iis vaticiniis, ut inde etiam elicere voluerit Reformationem illam, quæ Luthero præeunte contigit; nam, ubi libro octavo Sibyllinorum Carminum Romæ interitus propter scelera prædicitur post quindecim Βασιλῆς χλιδανὰς, *Reges luxuriosos*, doctus ille Interpres Pontifices Romanos, qui Romam politico etiam & Regio axiomate sibi arrogent, intellexit. Versus autem Sibyllini sunt d. lib. v. 52.

Ἔσσετ' Ἄναξ πολλίκρανος, ἔχων πέλας οὔνομα πόντου,
Κόσμον ἐποπτεύων μιαρῷ ποδὶ, δῶρα πορίζων.
Χρυσὸν μὲν πάμπλειστον ἔχων, καὶ ἄργυρον ἐχθρὸν,
Πλείονα συλλέξας, καὶ γυμνώσας ἀναλύσει,
Καὶ μαγικῶν ἀδύτων μυστήρια πάντα μεθέξει,
Παῖδα Θεὸν δείκνυσιν, ἅπαντα σεβάσματα λύσει,
Κἀξ ἀρχῆς τὰ πλάνης μυστήρια πᾶσιν ἀνοίξει.
Αἴλινος ἔκτοτε καιρὸς, ὅτι λίνος αὐτὸν ὀλεῖται.

Quos versus interpretatus metricè fuit Sebastianus Castalio p. 227. edit. Basil. 1555.

Rex erit albenti galeâ, qui nomen habebit
Vicini Ponti, mundum pede viset iniquo,
Munera conquiret, magnum auri pondus habebit;
Nec non invisi argenti plus congeret, atque
Detectum solvet; mysteria cuncta tenebit
Arcani magici; puerum monstrabit & ipsum
Esse Deum; tollet, sanctè quæcunque coluntur.
A capite erroris cunctis arcana recludet.
Ex illo tempus flendum, quia reste peribit.

Iam audiatur, quid inde Autor Orationum de librorum Sibyllinorum autoritate colligat. *Quid censes clarius potuisse aut posse de Papis proximorum seculorum dici?*

ci? Dicit poſt quindecim Papas χλιδανὺς libidinoſos & luxurioſos, per quos præcipuè Paulũ II. & Alexandrum VI. intelligit, venturumque undã Papam, qui nomen habiturus ſit à mari Italiæ vicino. Initium numerationis horum quindecim Paparum à nobili priodo temporũ B. Johannis Huſſi, qui, quâ fide ob fidem Chriſti damnatus & combuſtus fuerit, notum eſt, faciendum eſſe eventus nos docet, ab Alexandro V. quo ſedente, Johannes Huſſus Antichriſtianiſmum vehementer impugnavit, & à quo tempore Mundo tyrannis Pontificia rectè demum innoteſcere cœpit. Inde ergo ſi numeremus quindecim Papas, videlicet Alexandrum V. Johannem XXIII. Martinum V. Eugenium IV. Felicem V. Nicolaum V. Calixtum III. Pium II. Paulum II. Sixtum IV. Innocentium VIII. Alexandrum VI. illud ulcus mundi, Pium III. Julium II. & Leonem X. habebimus ita decimum qnintum Papam Leonem X. quo ſedente, completo ſeculo poſt martyrium Huſſi Divus Lutherus noſter ἐλευθεροπρασίας Papales magno & divino zelo impugnavit; cui Leoni X. ſucceſſit Adrianus VI. utique nomen vicini maris Adriæ geſtans, quod nomẽ ille pro more aliorum Pontificũ, Deo ſic rem gubernante, nõmutavit, ſed Adrianus, ut antea, appellari voluit. Adeò nimirum rata eſt Sibyllæ noſtræ vaticinatio, ut inſcius eam, & hoc ne minimum quidem cogitans, adimplere neceſſe habuerit Adrianus. Hunc vocat incanum; evectus enim hic Adrianus ad dignitatem Papalem, fuit jam Senior, utpote qui Caroli V. qui tum quartum jam annum Imperator ſalutabatur, olim in juventute Præceptor fuerat. Hoc ſedente τὰ ἐξ ἀρχῆς πλάνης μυςήρια πᾶσιν ἀνεῴχθησαν, & initium factum fuit, Lino, id eſt, Scripturâ ex libris chartaceis, perdendi Antichriſtum; hoc enim 1522. anno & ſequente Lutherus Verſionem Germanicam Bibliorum exorſus eſt, & ex Lino πανωλεθρίαν Antichriſto divino auſpicio paravit, quod Sibylla olim prædixit. Cætera, quæ eo loco vaticinatur Sibylla, non de hoc Adriano tantùm ſunt accipienda, ſed mores & ὕβριν Pontificum Romanorum in genere deſcribunt; illi enim ſunt, qui ortũ & occaſũ, hoc eſt, totũ Orbẽ Chriſtianũ tyrannide invaſerunt, mundumque pede iniquo inviſerunt, emiſſis ſc. Indulgentiarum Nundinatoribus, inſtitutis Inquiſitionibus hæreticæ, ſi Diis placet, pravitatis, & modis ſimilibus aliis. Illi aurum argentumque congeſſerunt, imò corraſerunt, innumerabile. Iidem rurſus theſauros ſuos nudârunt & dilapidârunt, divitiis ſuis vel in bella, vel in luxuriam inſumtis; vel ſpuriis ſuis (quod Alexander VI. comprobat) divexatum & diſtractum relictis. De μαγικῶν ἀδύτων μυςηρίοις non opus eſt dicere, qvum notum ſit, quàm egregiè aliqui Pontifices Magiam calluerint; imò & Diabolo ſe manciparint, modò ad Papatum eveherentur. Exemplum habemus in Sylveſtro II. anno 999. Porrò quod ſe Deum oſtentet, & cuncta σεβάσματα tollat Antichriſtus Romanus, cum vaticinio Divi Pauli 2. Theſſ. 2. 4. conſentit, & jamdudum comprobatum eſt. Tandem autem Antichriſtus ſeipsũ prodet, inquit Sibylla, & ἐξ ἀρχῆς τὰ πλάνης μυςήρια πᾶσιν ἀνοίξει, antiqua, id eſt ab initio Papatus exercita ſecreta impoſturarum omnibus hominibus aperiet, non quidem ſponte, ſed præter intentionem. Id quod evenit tempore Lutheri, qui occaſionem ſumſit primùm Indulgentias tantùm Papales impugnandi, licet

ultrà quid tentare ſibi non propoſuiſſet. Sed tempus illud fatale jam aderat, quo τὰ ἐξ ἀρχῆς πλάνης μυστήρια *toti mundo erant revelanda; ideo non potuit Lutherus in ſolis Indulgentiis acquieſcere, ſed totum denique Antichriſtum revelavit.* Lino *Antichriſtum periturum Sibylla prædixit,* λίνῳ αὐτὸν ὀλεῖται, *inquit. Quod omnino ſedente Adriano VI. B. Lutherus præſtitit, qui* Scripturis ſacris, *chartâ ex lineâ materia facta comprehenſis, Antichriſtum peſſundedit.* ô beatum linum, *quo Deus ad tam illuſtre opus in Eccleſia uſus eſt! ô beatos nos, ſi deinceps* eodem lino *eundem porrò urgeamus, premamus, peſſundemus.* Verùm in his Oraculis nos Academici ſumus. Sub nomine Theoleſphori de Cuſentiâ, Presbyteri & Eremitæ in Provinciâ Calabriæ, extat *Prophetia de magnis tribulationibus in proximo futuris*, collecta ex Vaticiniis B. Cyrilli, Abbatis Ioachimi, Dandali & Merlini, Sibyllarum, quæ à Ioh. *Wolfio* unà cum figuris exhibetur Centur. 14. Lect. memor. p. 662. usque ad p. 669. De Sibyllinis vaticiniis coacervavit plura Ioh. *Wolfius* Centen. tertio p. 51. usque ad pag. 82. ubi inſeritur Onuphrii Panvinii liber de Sibyllis usque ad pag. 89.

XII. JVS CIVILE

Ad n. 115. p. 180. QVæ in allegatione Novellarum 124. & 126. habentur, ea ſine dubio ſunt mendoſa, non à Flacio, ſed à Typographiâ profecta; nam & Græcæ & Latinæ editiones ſub illis numeris nihil quicquam tale habent. Suſpicamur autem deſignari Novellam 137. quæ eſt de Ordinatione Epiſcoporum ac Clericorum, cujus Cap. 6. incipit: *Ad hoc*, ubi ſanè Imperator Iuſtinianus ipſum Apoſtoli locum, quem noſtri pro orthodoxiâ urgent, allegat. Adhiberi poteſt Novella 7. cap. XI. ubi ipſe Cujacius Liturgiæ veram rationem ex antiquitate probat. Cæterùm, quia ſub titulo Iuris Civilis Catalogum Teſtium Veritatis augere placuit Flacio, adjungi poſſe putamus Reſcriptum Valentiniani & Valentis in Monachos, qui deferveſcente animi pietate, ſolitudine abuti cæperant, & ſe à publicis functionibus ſubducere. Eſt autem L. Quidam ignaviæ C. de Decurion. & fil. eorum, cujus ſic ſonant verba: *Quidam* Ignaviæ ſectatores *deſertis, Civitatum muneribus ſolitudines captant & ſecreta, & ſub ſpecie religionis cum cœtibus Monazontum* (μοναζόντων) *congregantur. Hoc itaque & in hujusmodi deprehenſos erui latebris conſulta præceptione mãdamus, atque ad municipia patriarum ſubeunda revocari, & pro tenore noſtræ ſanctionis familiarium rerum carere illecebris, quas per eos cenſuimus vendicandas, qui publicorum ſubituri eſſent munerum functiones.* Hæc eorum temporum fuit æſtimatio de Monachis, qui immane quantum, prout nunc ſunt, à primâ origine defecerunt, de quâ apoſtaſiâ non hîc, ſed alibi agendum. Extat Epiſtola Gregorij ad Baſilium de Vitâ in ſolitudine agendâ, in qua, quis fuerit priſcorum Monachorum ſtatus, quæ vitæ conditio, apparet.

XIII. GLOSSA DECRETI.

Ad n. 243. p. 627. Illa Gloſſa Iuris Canonici hoc loco ex *cauſ. 26. q. §. cap. Epiſcopi* Mortuorum inter vivos apparitionem affirmat eſſe ludribrium, & mera phantaſmata. Gloſſa ad firmi-

firmiter extra de S. T. V. credimus fatetur, fidem esse exordium reparationis nostræ. Operæ verò pretium fecisset Flacius, si non tam ex Glossatore, quàm ex ipso Iure Canonico ea attulisset, quæ contra Synagogam Pontificiam testimonia obvia sunt, quod postmodum præstitit *D.* Dorscheus, munere hoc functus egregiè in Dissertatione de septuaginti-formi Romani Papatus fide, in quâ eruit è Iure Canonico latitantia Veritatis documenta, quæ de Romani Pontificis primatu, potestate Papæ in temporalibus; inprimis de S. Scripturâ, de Ecclesiâ, de Conciliis, de Traditionibus; de S. Trinitate, de Personâ & Officio Christi; de Sacramentis, Imaginib⁹, Cælibatu, Monachis, Ministerio Ecclesiastico, Transsubstantiatione, Peccato & Gratia, haberi possunt. Ea autem recitavit publicè Argentinæ anno 1637. Valentinus Petrus Saccius, post discessum suum ex Augustinianorum Eremitarum claustris. Iuris Canonici vanitates varias Henr. Cornelius Agrippa cap. 91. *de Scientiarum vanitate* voluit describere: *Jus Canonicum sive* Pontificium, *quod plerisq; sacrosanctissimum videri posset, tam ingeniosæ avaritiæ præcepta ac rapiendi formulas specie pietatis adumbrat, cùm tamen paucissima in eo statuuntur ad pietatem, religionem ac Dei cultum, Sacramentorumq; ritus spectantia. Taceo, quod nonnulla Dei verbo contraria aut repugnantia. Cætera omnia non nisi jurgia, lites, fastus, pompæ, tum quæstus ac lucri negotia, Pontificũq; Romanorum placita, quibus neque satis sunt, qui olim à Sanctis Patribus conditi sunt Canones, nisi his continuò accumulent nova Decreta, paleas extravagantes, declaratorias, Cancellariæ regulas, ut nullus sit condendorum Canonum finis, neque mensura, quæ una omnium Romanorum Pontificum ambitio atque libido est, condendorũ sc. Canonum novorum, quorum eousque excrevit arrogantia, ut Angelis eorum præciperent, & ex inferno sublata præda rapinam facere præsumerent, & in mortuorum manes manum mitterent, etiam in divinam legem, interpretando, declarando, disputando, nonnunquam Tyrannidem exercerent, ne quid plenitudini potestatis suæ posset deesse aut derogari.* Plura alia possent adduci, quæstum & avaritiam indicantia, sed est liber in promtu, & cuivis obvius.

XIV. NICETAS PECTORATUS.

Monachus & Presbyter fuit in Monasterio Studii, quod Constantinopoli erat celeberrimum. Scripsit libellum de Azymo, Jejunio Sabbati & Conjugio Sacerdotum, qui extat versus apud Baronium Tom. XI. Annal. p. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. cum Responsione sive Contradictione Humberti, Episcopi Sylvæ candidæ, de quo judicium lege D. Calixti Tr. de Conjugio Clericorum p. 395. 396. 397. Eum Humbertum à Leone IX. propter scientiam literarum fuisse Romam adductum, & Episcopum Cardinalem ordinatum, testatur Tritenhemius de Script. Eccl. fol. 75. Missum quoque Constantinopolim *ad confutandas hæreses Græcorum*, ibidemque Nicetam Pectoratum in præsentia Imp. Constantini & Michaelis Patriarchæ confutatum fuisse. Extat Tomo VI. Antiquarum Lectio- *Ad n. 141. p. 233.*

num Henrici Canisii statim post Barlaami scripta Humberti adversus Mich. Constantinopolitanum & Leonem Achridanum, Episcopos, liber unus; & ejusdem Liber alius contra Nicetam Pectoratum.

XV. GUILIELMUS, TYRIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

VIxit seculo duodecimo, maximâ tūc inter eos autoritate, qui in bello sacro cōtra Saracenos fidem suam dederant, unde & Tyri Archiepiscopus consecratus fuit. In eo libro, quo Bellum illud sacrum descripsit, gravem querelam habet lib. 1. c. 8. p. 634. de rerum ejus seculi corruptissimo statu: *In Occidente*, inquit, *& in omni penè orbe terrarum, maximè inter eos, qui* fideles *dicebantur, fides defecerat, & Domini timor erat de medio sublatus. Perierat de rebus justitia, & æquitate subacta, violentia dominabatur in populis. Fraus, dolus & circumventio latè involverant universa. Virtus omnis locum dederat, & cesserat, quasi inutilis, malitiâ subintrante. Videbatur sanè mundus declinasse ad vesperam, & Filii hominis adventus secundus forte vicinior; nam multorum refrixerat charitas, & fidus non inveniebatur super terram. Confusis ordinibus cuncta ferebantur, & in chaos pristinum mundus videbatur redire velle. Fornicationum genus quodlibet, quasi res licita, passim & sine rubore, exercebatur impunè. Sed nec inter affines aut propinquos tuta erant matrimoniorum fœdera. Amica cœlestibus & Deo placens, quasi res vilis, jussa migrare erat continentia. Nec parsimoniæ aut sobrietati locus erat, ubi luxus, & ebrietas, & pernox alea præoccupaverant aditus, atque atria possidebant. Nec* Clerus *à populo vitâ nobiliore differebat, sed sicut in Propheta legitur, sicut populus, ita & Sacerdos; nam* Episcopi, *negligentes erant facti; canes muti, non valentes latrare; personarum acceptores, oleo peccatoris impingvantes capita sua, commissa ovilia lupis venientibus, mercenariorum more, deserebant; & illius verbi immemores Dominici, quo dicitur:* Accepistis gratis, gratis date, *Simoniacā non declinabant hæresin, Giezi sordibus & maculâ fœdati. Quid plura? Ut in summa dicatur. Omne in præcipiti vitium stetit, &* omnis caro corruperat viam suam. *Nec pronos ad malum revocare poterant Domini comminantis in cœlo sursum ostenta, nec signa in terrâ deorsum,* & quæ sunt ibidem alia. Extat hæc Gvidermi Historia inter Scriptores Orientalium Expeditionum veteres, Francofurti à Iacobo Bongarsio editos, ubi in Prolegomenis Vita Archiepiscopi legi potest.

XVI. AMMIANUS MARCELLINUS.

Adv. 49. p. 48. TEmporibus Constantii & Iuliani, Valentiniani & Valentis Cæsarum floruit, & testimoniū reliquit de factione Paparū eorumq; superbia, quod acceptavit Cardinalis Baronius pro cōmendandâ pompâ Romani Pontificis, verè Ethnica, idq; lucnlentū veritatis Testimoniū à Cardinali prolatum hîc addi potest. *Sed quæ erant Privilegia, quibus* Templorum Sacerdotes *à Majoribus traditis fruerentur? Inter eos eminebat* Rex Sacrorum, *qui in conviviis super omnes excubare solebat. Erat &*

Ponti-

Pontifex maximus,*arbiter humanarum atque divinarum rerum omnium*; *quod breviter narratum habes ex Festo. Quanta autem potestas esset in* Augure, *qui Comitia irrita reddere,& abdicare etiam Consules Magistratu valeret, quæ paulò antè recitavimus ex Cicerone,declarant. Vetitum eis erat,ait Plutarchus* , equo vehi,*sed* uti carpento *pro amplissima dignitate soliti erant. Sacerdotum peculiaris mos erat, quod affirmat Tacitus, carpento Capitolium ingredi. Sic & videas* Romanos Pontifices, *quod tradit* Ammianus,*per urbem carrucis vehi.* Procedunt,*inquit*, vehiculis insidentes,circumspectè vestiti. *Sed & magna illa dignitas esse videbatur, quòd, ut idem ait,nunquam* pileum,*insigne Flaminum,deponebant, ut idem testatur Plutarchus,cæteri solerent occurrentibus caput detegere. Observat hoc ipsum* in hanc diem *Romanus Pontifex. Refert idem etiam* Dialis Flaminis immunitatem, *ut jurare ei minus liceat,quod non conveniat de rebus parvis fidem eidem non haberi,cui res sacræ& maximæ concreditæ sint.* Hæc Baronius ad A.324. §.79. p. 252. T. 3. A. Cæde mutuâ,cùm factio esset inter Damasum & Vrsinum,non fuerat temperatum, quod Ammianus detestatur in Christianis, qui ab animi integritate scelerisque puritate laudem habere solebant. Tantus autem tunc fuerat tumultus, ut cum necesse habuerit Prætextatus,Præfectus Vrbis,isque gentilis,sedare,cùm ab Exquæsitore Palatii Viventio non componi posset. Is est ille Prætextatus, qui solebat ludens Papæ Damaso dicere: *Facite me Romæ* Vrbis Episcopum, *& ero protinus Christianus*, sicut id retulit Hieronymus,Epistolâ ad Pammachium de erroribus Iohannis Hierosolymitani. Certatum tunc fuerat Romæ non suffragiis tantùm, sed vi quoq; & armis; & abhinc *ea fœda Pontificum contentio in hodiernum usq; diem hoc latius proserpsit,quò honorum ambitio in dies magis magisq; Sacerdotes invaserat,*ut sunt verba Polydori Vergilii 8. Invent. Rerum 4. p. 630.

CLASSIS SECVNDA.

VRBIS ROMÆ aliorumque *Italiæ* Testimoniorum.

I. GREGORIVS I. EPISCOPVS ROMANVS.

MAgnificis Papa à Papistis,de quo Ioannes de Tritenhem de Scriptor. Ecclesiast.fol.53. *Vir in divinis Scripturis eruditissimus,& in secularibus literis utique doctissimus; Theologorum Princeps; splendor Philosophorum,& Rhetorum lumen; vitâ & conversatione integer atque sanctissimus,cui divinas Scripturas explananti Spiritus S. aliquotiens visibili specie apparuit, eique arcana mysteriorum earundem invisibili Magisterio reseravit.* Et Wilhelmus Eysengrein Catal. Testium Veritatis fol. 55. *Gubernacula Reipublicæ Christianæ suscipiens ita vixit,ut usque ad tempora nostra neminem ex successoribus parem habuerit,nedum superiorem,vel sanctitate vitæ,vel diligentia in rebus agendis,vel doctrina & scriptis.* *Ad n. 65 p. 65.*

ſcriptis. Tempore hujus Papæ Iohannes, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, volebat appellari & eſſe *univerſalis & œcumenicus Epiſcopus*, id eſt, Epiſcopus, qui haberet jus ſuper omnes Epiſcopos per orbem terrarum. In ea re adjuvabatur favore Imperatoris. Reſtitit ei Pelagius, præceſſor Gregorii, reſtitit & ipſe Gregorius. Extant aliquot Epiſtolæ Gregorij de eo negotio, quarum etiam meminit Flacius; duæ ad Mauritium, una ad Conſtantiam Imperatricem; una ad ipſum Iohannem; una ad Epiſcopos Alexandrinum & Antiochenum; item ad alios quosdam, in quibus vehementer reprehendit factum Ioannis. Negat quemquam debere eſſe univerſalem Epiſcopum præter Chriſtum; nec ſuos Præceſſores, neque ullum alium Epiſcopum id nomen unquam uſurpaſſe. Dicit eum titulum eſſe novum, ſtultum, ſuperbum, perverſum, ſceleſtum & prophanum, in quod conſentire idem eſſe ait, quod fidem abnegare. Dicit, hoc factum, ſi quis ſe ſupra cæteros efferre velit, conſimillimũ eſſe facto Diaboli, qui non fuerit contentus, ſe cæteris Angelis æqualem eſſe; eámque collationem prolixè in pluribus Epiſtolis tractat. Sæpius repetit, id pugnare cum Evangelio & omnibus Canonibus. Quin etiam in Epiſtola ad Conſtantiam Imperatricem inquit lib. 4. Ep. 34. p. 382. *In hac ejus ſuperbia quid aliud niſi propinqua jam eſſe* Antichriſti tempora *deſignatur?* Item libro ſexto Epiſt. 30. ad Mauritium Auguſtum ſic ſcribit: *Ego autem fidenter dico, quod quisque ſe* univerſalem Sacerdotem *vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua* Antichriſtum *præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit.* Quibus dictis beatus Pater tantum non digito monſtrat *Antichriſtum*, & Spirituales eſſe ejus exercitum; nam ſtatim poſt ejus obitum Epiſcopi Romani hoc ſibi nomen, concedente impio Tyranno Phoca, arripuerunt, ut ex ipſius Gregorii judicio illi quidem primi Papæ poſt Gregorium fuerint Antichriſti præcurſores; reliqui verò, qui impietates & Tyrannidem ſupra Eccleſiam auxerunt, ipſum expreſſerint Antichriſtum. Is Gregorius ad teſtandam humilitatem, & refellendam Conſtantinopolitani Epiſcopi ambitionem, nominabat ſe *Servum Servorum*, cujus tituli rationem redidit Polydorus Virgilius, & ſcribit: *Eſt Sacerdoti inprimis nihil ferè convenientius* humanitate, *nil aptius* comitate, *nihil* ſummiſſione *decentius, dicente Servatore*: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. *Et alibi*: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. *Contrà alienius nihil* ipſa ſuperbia, *quâ multi ſæpe inflati, ac ſimul arrogantia doctrinavé, aut generis claritate elati, tum ſe Sacerdotes, tum* Pontifices *præbere, tum Ordinis decus ritè ſervare ſibi perſvadent, cùm præ ſe cunctos mortales deſpiciant, aſſerentes ſic dignitatem quam obtinent poſcere, ac nequaquam audientes ipſum Dominum, tantæ inſolentiæ exitum ita prædicentem:* Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur; & qui ſe humiliaverit, exaltabitur. *Hujus Servatoris vaticinationis præceptique ſimul* D. Gregorius *bene memor, ut cunctis manſvetudinis exemplum ederet, cùm literas dictaret, ſic ſemper incipiebat:* Gregorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei; *qui & facto æquè idem præſtitit; ſexcentas enim à Longobardis paſſus eſt injurias, con-*

tra quos tamen non arma movit, aut aliunde quæsivit, sed solâ patientiâ & humanitate dimicavit. Hoc certè pauci illorum, qui successère, sunt æmulati; illud verò cuncti insigniter usurpârunt, quamvis in eâ eminentiâ constituti fortè essent, qui non facilè ab aliis se Servos *appellari paterentur*, 8. de Invent. rerum 2. p. 615. 616. De Gregorii Papæ humilitate, nolentis ut vocaretur *Papa universalis*, ex ejusdem scriptis agit Alvarus Pelagius 2. *de planctu Eccles.* 13. *fol.* 43. *b.*

II. NICOLAUS I. PAPA.

JUdicium hujus Papæ notetur contra πολυπραγμοσύνην & μοναρχίαν Papalem, quâ ipsis Imperatoribus imperare volunt, atque sublimissimam eorundem cōvellere potestatem crudelibus consiliis & factis. Scribit autem ad Imperatorem Michaelem, ut habetur distinct. 96. cap. 6: *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typicè* Reges & Sacerdotes *simul existerent. Quod sanctum Melchisedech fuisse sancta prodit historia, quodq; in membris suis Diabolus imitatus, (utpote qui semper, quæ divino cultui conveniunt, sibimet tyrannico Spiritu vindicare contendit)* ut pagani Imperatores *iidem & maximi* Pontifices *dicerentur. Sed cùm ad verum ventum est, ultra sibi nec* Imperator jura Pontificalia *arripuit*, nec Pontifex nomen Imperatorium *usurpavit, quoniam idem Mediator Dei & Hominum, Homo Christus Jesus, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis*, officia potestatis utriusque *discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humanâ superbiâ rursus in infernum demergi, ut & Christiani Imperatores pro æternâ vitâ Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus, & ideò militans Deo minimè se negotiis secularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus.* Quæ Christus distincta esse & sejuncta voluit, in unum conflari & confundi non debent. Noluit Christus, ut Ecclesiasticæ personæ dominarentur, & principatum sibi arrogarent, Luc. 22, 25. Noluit Apostolus, ut *militans Deo* implicaret se negotiis secularibus 2. Tim. 2. v. 4. Noluit Christus, ut Petrus *gladio* uteretur; cumque Petro ait, *immitte gladium tuum in vaginam*, per ea verba Petro significat Verbi Ministros, atque eos, quibus functio prædicandi Evangelium delegata est, non externis gladiis uti, vel armis rem agere debere, sed omnia sapienter expedire gladio Spiritûs, qui est verbum Dei. Non exercuit Christus regiam potestatem; debuissentque Pontifices & Episcopi, postquam essent oblati à Regibus & Imperatoribus Principatus, imitari exemplum Christi, qui Regnum sibi mundanum delatum non acceptabat, sed declinabat & aversabatur.

III. TAXA APOSTOLICA.

Nihil eſt, quod *absq; argento Romana Curia* det; nam & *ipſæ manus impoſitiones*, & *Spiritus Sancti dona* venduntur; *nec peccatorũ venia, niſi nummatis, impenditur.* Hæc non noſtra, ſed magni illius Æneæ Sylvii verba ſunt in Epiſtolâ 66. ad Johannem Peregallum fol. 32. cui ſuadet, ut ſervet ſibi aurum, ut, cùm opus ſit, Romæ præſtò ſint, quæ expetat. Quàm nihil efficere potuerit manus ære vacua, docebit *Taxa Cancellariæ Apoſtolicæ*, in lucem aliquoties emiſſa, quam *ſcelerum omnium fomitem & horrendiſſimorum criminum præſidem* taxavit Taxæ noviſſimus editor & illuſtrator. Teſtem dabit veritatis ille liber maximum de avaritiâ & Simoniâ Papalis Curiæ, qui ad meliorem rei memoriam Coloniæ A. 1523. Venetiis anno 1584. ut de Witteberg. editione anni 1538. & Franekerenſi 1651. taceamus, editus eſt. In illo Taxarum libro inter cætera notandum eſt, quod ſub Rubrica *de matrimonialibus cauſis* legitur, non eſſe diſpenſandum cum pauperculis, eò quod non habeant, unde ſatisfaciant Taxæ ordinariæ. Nec deſunt exempla caſuum matrimonialium, in quibus ſupra mille coronatos aut ducatos pro diſpenſationibus ſit numeratum. Ex eâdem Cameræ Papalis Taxa adparet, nullum tam immane delictum, tam tetrum ſcelus poſſe cogitari, cujus venia pecuniæ interventa, quam quisque daret, parari non potuerit, aut abſolutio aut diſpenſatio impetrari, modò pecunia ad eam rem pro ratione Taxæ neceſſaria in promptu ſit. *Sparge hîc æra, & ſecurè cœlica ſpera. Ut tibi ſit venia, ſit aperta tibi crumena. Si largè des, in cœlo tibi dabitur ſedes*; prout extat in verſibus leoninis, quos ſummo altari apud S. Stephanum Biturigibus inſcriptos attulit Gölnizius in Itinerario Belgico-Gallico fol. 302. Sic venalia olim ſacra; venalia nunc. Venalia, ut Baptiſta Mantuanus ſcripſit, templa, ſacerdotes, altaria, ſacra, coronæ, ignis, thura, preces. Venale Romæ cœlum Deusq;, & ut Author Brunelli ſcribit:

Si caput *à* capio, *vel dixeris à* capiendo,
Roma caput mundi eſt; omnia namque capit.
Si declinando capio, capis, ad capiendum;
Retia laxavit, retia larga nimis,

Retia varia ſunt, ad capiendum contexta ex arcanis Pontificatus linteaminibus, quale rete textum eſt ad lanam capiendam, è quo confici queat *Pallium* Archiepiſcopis, imměſo pretio coëmendum, quod vile quidem, ſed pretioſiſſimum Pallium non tranſire ſolet in Succeſſorem, ſed cum ſuo Archiepiſcopo ſepelitur. Sedes Moguntina aliquando dedit pro tali palliolo *decem millia florenorum*; cogebaturque Archiepiſcopus Jacobus anno 1504. perſolvere viginti ſeptem millia; & cum Archiepiſcopus Jacobus vix quatuor annos ſediſſet, mox poſt eum electus *Uriel* viginti quinque millia coactus eſt ſolvere, id quod ex Nationis Germanicæ Gravaminibus protulit Joh. Strauchius diſſert. de ſtatu Eccle-

cle-

clesiastico superioris seculi cap. 3. pag. 12. sic carè admodum Pontifex lanam & linum vendere potest, & taxare Pallium, prout lubet; est autem *Pallium*, genus indumenti, candidâ lanâ contextum, humeros constringens, à quo duæ lineæ antè & retrò pendent, cui intextæ sunt quatuor Cruces, duæ purpureæ antè & retrò, à dextris & à sinistris; infixi quoque tres acus: Pallium Episcopale sic confici solet à Pontifice. In die Agnetis Virginis, qui est Januarii dies XXI, in templo Divæ Agnetis Romæ, cum in missâ imploratur agnus Dei, super altare ponuntur agni duo candidi, posteà traduntur Basilicæ D. Petri Subdiaconis. Hi mittunt illos in pascua, suoque tempore tondent, ex eâque lanâ, permixta reliquæ lanæ, cum in filum diducta fuerit, parantur pallia. Latitudine sunt ad tres digitos, ab humeris propendent in pectus atque renes, ad extremum sunt laminæ plumbeæ tenues ejusdem latitudinis. Ad hunc modum contexta deferuntur ad corpora D. Petri atque Pauli, ac certis ibi precibus expeditis, relinquuntur per noctem unam. Alterâ die Subdiaconi recipiunt, & honesto loco asservant, donec qui opus habet Archiepiscopus, aut ejus procurator, sibi dari petit. Traditur autem multis cum ceremoniis, formulaque talis legitur apud Albertum Stadensem in Anno 1179 fol. 195. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & in honore Dei genetricis Mariæ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & S. Ecclesiæ Rom. & Domini Alexandri Papæ tradimus tibi* pallium, *sumtum de beatissimo corpore Petri Apostoli, ut eo utaris in confectione Sacramentorum, & corporis & sanguinis Domini, & consecratione Ecclesiarum, & Chrismatis, & ordinatione Clericorum, & celebratione Synodorum, secundum Ecclesiæ tuæ consuetudinem; Amen.* Formulam illam traditionis ex Vincentio Hispano declarat Anton. Augustinus Not. ad Antiq. collect. Decretal. part. 1. lib. 1. tit. 4. c. 21. Quo jure pallium sit institutum, quàm antiquus ejus fuerit usus in Ecclesiâ, ad quid, & quibus Episcopis quibusque modis datum fuerit, à quo dari debebat, quique abusus fuerit, docet Marcus Antonius de Dominis 3. de Rep. Eccl. 11. num. 1. seqq. p. 493. ad p. 503. Præter querelas impensarum in Pallium etiam fuêre aliæ de *Annatarum persolutionibus*, fisco Apostolico solvendis, de quibus in concordatis Nationis Germanicæ Anno 1447. ita conventum fuerat, ut de fructibus primi anni Ecclesiarum cathedralium & Monasteriorum à die vacationis *summæ pecuniarum in libris Cameræ Apostolicæ* taxatæ solvantur; & si quæ *excessivè taxatæ* sint, quod provideri debeat specialiter, in gravatis regionibus secundùm qualitatem rerum, temporum & regionum, ne nimium prægraventur, apud Goldastum Tom. 1. Constit. fol. 410. & in Statut. & Rescript. fol. 207. In centum Gravaminibus, Papæ à Principibus Germaniæ objectis, & exhibitis Norinbergæ, inter injurias illud quoque objicitur, quod jam longo tempore immensam pecuniam exegerint sub nomine *Annatarum*, affirmando, quod eam velint contra Turcam insumere, quod tamen nequaquam fecerint. *Annatarum* earum inventionem

plerique Johanni XXII. Papæ attribuunt; Platina verò Bonifacio IX. tribuit libr. de vit. Pontif. p.259. quem tulisse primùm refert, ut, qui beneficium consequeretur, dimidium anni proventus fisco Apostolico cederet. Culpam transtulit in principes Germaniæ Michael Cocrinius, quòd non masculè se opposuerint avaritiæ Papali, sic enim scribit: *Si Principes Germani, uti Majores, animi fortitudini & prudentiam & justitiam conjunxissent, & Imperatori ipsorum concorditer adhæsissent, obtemperantesq; fuissent, nunquam Imperatores* Romam & Ecclesiasticorum Investituram *perdidissent, nec tot Imperatorum excommunicationes, depositiones & Imperii subditorum à fidelitatis Juramento relaxationes in totius Imperii excidium & damnum irreparabile passi fuissent. Item nec passi fuissent Germaniam ita passim pecuniis nomine* Annatarum, Indulgentiarum ac Dispensationum *exhauriri*; de Translatione Imperii p. 725. Avaritia Papalis magnas induxit calamitates Germaniæ, cum enim pro dictatura sua imperaret pecuniam, atque sublimissimam potestatem convelleret, omnia fuêre per Germaniam turbata & commota; nec non solùm per Germaniam, sed & per alia Regna, quæ Paparum cupiditas confudit, sicut id deducitur à Ranchino in Revisione Concilii Tridentini lib.2. cap. tertio, per totum; qui etiam de Taxis legatur capite quarto, per totum, & de Annatis, fol.178. seqq. & de exactionibus, impositionibus & tributis fol. 195. seqq. sicuti & de Paparum injustâ Potentiâ disseruit capite decimo, per totum; docuitque initiò ejusdem libri secundi, per totum caput secundum Reformationem *à capite* esse incipiendam. Cardinalium reformationem sæpe petitam fuisse docet cap. 14. per totum. De Papæ dominatione, luxu, potestate in Angelos, in Imperatorem, Reges ac Principes, agit cap. 9. 10. f. 249. seqq. & quomodo absolvere soleat subditos alienos à juramento, c.12. f.284.285.

IV. MEDIOLANENSIS & RAVENNATENSIS ECCLESIA.

Ad num. 20. p. 22. PRimus gradus ambitionis fuit in Rom. Pontifice, in Ecclesia se super omnes Ecclesias cæterosque Collegas extollere; unde variæ rixæ contra Episcopum Constantinopolitanum, Alexandrinum, Carthaginensem, Mediolanensem, Ravennatem; alter gradus, se extollere super Reges & Imperatores. De primatu & principatu Ecclesiæ Romanæ à Mediolanensi oppugnato notamus hîc verba Autoris der Cöllnischen Chronick in Henrico IV. Imp. & Stephano IX. Papa ad An. 1058. Dese Pays brachte die Kyrche van Meylaen dairzo/dat sy bekante und zolyes/ daß die Kyrche van Rome die groiste und die overste were; und hadde sich des geweygert ungeboirlich/ ind niet willen zogeven umtrint 200. Jaire. De magnâ Episcopi Mediolanensis potestate, quâve occasione cæperit apud eos coronandi Regem Romanorum usus, agit Leander Albertus in Ital. descr. lib.

16. p.

16. p. 661. *Existimari potest, temporibus istis turbulentissimis, quum Italia totius orbis gentibus & nationibus ad prædam rapinamq; proposita videbatur, adeò tum labefactatis affectisq; Romanorum Impp. viribus, ut ab ingruentium undiq; barbarorum armis auctoritatem suam vindicare haudquaquam possent, omnibus modis quibus vellent Tyrannos sibi regnum asserere rapereq; conatos; & hâc fortasse ratione* Mediolani Archiepiscopos, *qui tum in Italiâ* primatum tenere videbantur, *utpote* Romano Pontifici nondum subditi, *auctoritatem sibi Regum Italiæ designandorum, quos Mediolanenses exegissent, desumsisse. Sic ego, si modò fides hac in re Chronicis ulla tribuenda est, censeo.* De ferreæ coronæ constitutione deinde agens Chronicorum fidem implorat, è quibus se habuisse ait, Theodoricum, Ostrogothorum Regem, Mediolani ferream corônam sumsisse, primumque fuisse hunc, qui Regibus Italiæ *coronam ex ferro Mediolani ponendam* decreverit. Aliorum v. sententiam statim subdit, qui Carolum M. primum autorem ponant, postquam Desiderium, Longobardorum Regem, devicisset, *ut hâc ratione Longobardiæ populos secum apud se Reges habere solitos devincire lenireq; cogitaverit; utq; Imperatoribus trans Alpes commorantibus aliquam Italiæ prærogativam habere sibi videretur, & ad memoriam Imperii Veteris Italiæ* insigne illud coronæ ferreæ sibi asservaret. De prærogativâ sedis, quæ tempore Clementis II. inter Patriarcham Aquilejensem, Ravennatem Achiepiscopum & Mediolanensem, narrat Rubeus 5. Histor. Ravenn. p. 239, 240. & res à Concilio decisa fuit, ut Ravennati Archiepiscopo locus juxta Pontificem dexter, Cæsare absente, daretur, præsente sinister, uti ex literis signat αὐτόπτης Rubeus pag. 240.

V. SYNODUS RAVENNATENSIS.

CElebratur ea Synodus contra Stephanum VI. Pontificem, qui tam probrosè sese gesserat, ut ejus Acta omnibus spectantibus, Decreto Synodali, sublata è medio fuerint. Id Platina in vitâ Johannis X. p. 127. accidisse putat inter alia ob hanc causam, quòd Pontifices ipsi à vestigiis Petri discesserant. Res tunc Ecclesiæ quàm se habuerint depravatissimo modo nemo alius Platina potuit observare, diligentissimè siquidem incubuit, ut ex longinquæ vetustatis Annalibus erueret, quæ tunc contigerant. In vitâ Formosi I. scribit pag. 125. *Nescio, quo fato accidisse dicam, ut unà cum industriâ Imperatorum, simul etiam* Pontificum, virtus & integritas *defecerit, quæ quidem tempora infelicissima esse arbitror, cùm autoritate Platonis tales soleant esse reliqui cives, quales sunt in Republicâ Principes. Formosi tempora ne omninò infelicissima haberentur, effecit Remigii Altisiodorensis virtus & doctrina.* Noverat Platina unicum Remigium, quem, Pontificibus sine Zelo & doctrinâ existentibus, ævo ostenderet ad tuendam famam doctrinæ, & virtutis. In vitâ Stephani VI. scribit pag. 126. *Stephanus tanto odio persecutus est Formosi nomen, ut statim Decreta ejus abrogaverit, res gestas rescinderit. Arbitror* hoc odium

ex ambitione ortum *fuisse, cùm jam eò devenissent Ecclesiastici, ut non coacti, ut antea, sed sponte & largitionibus* Pontificum munus *obirent. Hinc odium ortum est, quo etiam in mortuum Stephanus sæviebat, quod ei antea impedimento fuisset, quò minus optatâ sede potiretur. Refert Martinus scriptor, Stephanum tantâ rabie desævisse,* ut habito Concilio *corpus Formosi è tumulo tractum, Pontificali habitu spoliatum, indutumq; seculari, sepulturæ laicorum mandaverit, abscissis tamen dextræ ejus duobus digitis, illis potissimum, quibus in consecratione Sacerdotes utuntur, in Tiberimq; projectis. Magna fuit hæc controversia & pessimi exēpli, cùm postea ferè semper servata hæc consuetudo sit, ut Acta priorum Pontificum sequentes aut infringerent, aut omnino tollerent.* Excepit hunc Stephanū Romanus nomine, & patriâ Romanus, non re, si veteris Romæ simplices in religione mores spectemus. *Romanus patria Romanus*, scribit Platina, *ubi Pontificatum iniit, Stephani Pontificis* Decreta & Acta statim improbat abrogatque; *nihil enim aliud hi Pontificuli cogitabant, quàm & nomen & dignitatem Majorum suorum extinguere, quo nihil potest esse pejus & angustioris animi; qui enim his artibus nituntur, nullâ virtute muniti, eo de loco abradere benè merentes conantur, quem ipsi ob ignaviam & malitiam attingere non possunt; neminem siquidem unquam invenies alienæ famæ incidere, nisi qui omnibus probris contaminatus, desperat suum apud posteros celebre nomen aliquando futurum. Hi sunt, qui fraude, malitiâ, dolo, maledicentiâ de humano genere bene meritos mordent, lacerant, accusant, corrodunt, tanquam ignavi canes & inutiles, nec feris se objicientes ob timiditatem, sed vinctas & caveis inclusas mordentes.* Non meliora potuit de successore *Johanne* Platina scribere pag. 127. qui itidem patriâ Romanus, Formosi famam redintegrare voluit, atque ejus causam in integrum restituere, cui tamen magna populi Romani pars refragabatur, ut seditionis speciem habuerit. Quare Johannes *Ravennam profectus, quatuor & septuaginta Episcoporum habito Conventu, & Stephani res gestas improbavit, & Formosi acta restituit, dijudicans perperam à Stephano factum, qui censuit, eos iterum ordinandos esse, quos Formosus ad sacros Ordines adsciverat.* Quodnam verò judicium de illâ ineluctabili Pontificum ἀλληλοφθονία Platinæ? Ubi Pontifices non egissent, id quod sanctè debuissent, ibi Platina, gnarus judicandi, iteratò scribit pag. 127. *Hoc accidisse putaverim Ego, cùm quia Pontifices ipsi* à Petri vestigiis discesserant; *tum vel maximè, quia Respublica Christiana ignavos & desides Principes habebat, quorum maximè intererat, naviculam Petri fluctibus exagitari, ne, si gubernator aliquando resipisceret, Principes ipsos, ut malos nautas, Republicâ dejiceret. Johannes autem Pontificatus sui anno secundo, die XV. moriens, nil de se dignum memoriâ reliquit, nisi quod seditiones quasdam propè extinctas revocavit.* Quid verò dignum memoriâ fecit successor Benedictus IV? *Nil ejus tempore gestum est, quod magnopere collaudari possit*, ait Platina p. 128. *Sanctitate & doctrinâ, quæ non nisi magnis laboribus consummatâq; virtute comparantur*, Pontificium decus sine ullis opibus *primò quidem auctum*

est

est inter tot hostes & obstinatos persecutores Christiani nominis; mox verò ubi cum ipsis opibus lascivire *cœpit Ecclesia Dei, versis ejus cultoribus à severitate ad lasciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo Principe flagitia hominum tum coercente, hæc monstra, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potiùs, quàm possessa.* Quantum illa Ecclesiæ tempora in corruptis moribus passa fuerint in Pontificibus Leone V. Christophoro I. Sergio III. Anastasio III. Lando I. Johanne XI. Leone VI. qui ordine sibi successerunt, cum malo communi nominis Christiani, fari nunc non licet.

VI. PETRUS DAMIANUS, CARDINALIS.

ORdinis Benedictini, Eremita fontis Avellani in Umbriâ, Cardinalis, Episcopus Ostiensis. Sedente Alexandro II. in magnâ eruditionis & sanctitatis existimatione Ecclesiæ Romanæ inservivit. Veritatis ergò malè tractatus fuit; nam qvum libro de *Correctione Episcopi & Papæ* non placuisset Clero, ipse Clericus eminens atque probus, corrigique ipse paratus vestibus sacris exutus, Monasterii & Episcopatûs proventibus spoliatus, & in vincula conjectus fuit, ubi varias tribulationes Romæ est perpessus. Sic reprehendi non sustinet Papa, nec Cardinales patienti animo reprehensiones sufferunt. Tempore *Leonis IX* spurcissimam Clericorum vitam *Gomorrhæo*, quem titulum libro fecit, descripsit Damianus, id quod ex MS. Codice Vaticano nos docet Baronius ad A. 1049. p. 162. 163. Tom. II. ubi affertur integra Leonis Epistola, quâ Petrum, de vitâ spurcissimâ Clericorum *flebiliter, pariterq; rationabiliter* disputantem, vocat *Filium Charissimum*; eâ verò parrhesiâ odium Cleri in se concitavit, ejusque instinctu etiam Pontificis gratiâ excidit, unde Damianus ad Leonem: *Antiquus hostis timens, ne ego possem vobis suggerendo destruere, quod ille in istis partibus non desivit quotidie novis adinventionibus fabricare, malignantium adversum me linguas exacuit; Complices suos ad componenda mendacia quoddam sibi velut organum fecit, per vascula sua crepuit, & malitiæ suæ virus sacris auribus instillavit.* Hæc in Epistolâ apologeticâ, quam integram attulit Baronius p. 163. 164. adnectens, quomodo illum librum Petri Damiani Alexander II. suppresserit. Erat autem causa, quia flagitia Clericorum nonnihil apertiùs detexerat, quare hujusmodi commentationes afferri in lucem è re non erat Ecclesiæ. Quæ *honesto stylo*, judicio Leonis Papæ, erant scripta, ea Alexander, tanquam inhonesto stylo scripta, occultavit, ne tanquam classico quodam vitio Clericorum excitata magis in publicum proferrentur; de quo questus fuit ad duos Cardinales Hildebrandum & Stephanum, ubi inter alia scripsit, quo fuco Papa usus fuerit ad librum manibus excutiendum: *Querelam omnipotenti Deo, & vobis, qui estis mem-*

membra ejus, depono de Domino nostro Papa, qui cor meum tam acerbo mœrore conturbat, & grandævi jam Senis animam ad amaritudinem provocat. Tulit enim librum nostrum, quem videlicet de paupertatulâ inopis ingenioli cum magno labore decerpseram, & velut unicum filium ulnis uterinæ dulcedinis amplectabar. Et hunc qualiter tulerit, operæ precium est, agnoscatis; sciebat enim hoc se à me aliter impetrare non posse. Domino Abbati S. Salvatoris, *me præsente, tradidit, præcipiens, ut transcriberet. Nocte verò, me nesciente, tulit, suisq; scriniis infarcivit. Et reverà est munditiæ sacerdotalis indicium; imò Papalis hoc puritatis est argumentum.* Non torpebat ad hæc Petrus Damiani, sed iratior factus obliquum illud genus agendi in Pontifice reprehendit, grandem dicam impingit, minaturque, se quædam prolaturum intimiora, quæ infamiam Pontifici sint allatura, nec minus deteriora futura, quàm Gomorrhæa; ita ut Alexandrum in judicium & certamen provocaverit his verbis: *Quid fecerim, quidvé pertulerim, examinis vestræ censura discutiat, ne coactus dignâ querelâ compellar effluere, quod adhuc silentio supprimens vix possum ulterius occultare. Hoc enim necdum Roma me referentem vel scribentem cognovit; nec dum aliis per me res ista, quæ* Sanctitatis vestræ famam laceraret, *innotuit. Agat ergò, qui læsit, sicut dignum est, pœnitentiam, ut is, qui læsus est, non compellatur dignam exaggerare querelam.* Quomodo litem inter se diremerint, non constat. Ea verò expostulandi verba præclaræ libertatis significationem de se exhibent, ex quâ parrhesiâ Clerum libidinibus passim vagis indulgentem graviter castigat, & in Epistolâ ad Nicolaum II. inter alia scribit: *Nos contra divina mandata personarum acceptores*, in minoribus *quidem* Sacerdotibus *luxuriæ inquinamenta persequimur*; in Episcopis *autem, quo nimis absurdum est, per silentii tolerantiam veneramur.* Plura ex eodem D. Calixtus habet de Conjugio Cleric. p. 404. 405. 406. 407. Opera omnia tomis tribus evulgavit Constantinus Cajetanus, Romæ 1606. 1608. 1615. edita.

VII. NICOLAUS DE CUSA, CARDINALIS.

Ad num. 367. p. 806.

EPiscopus Brixiensis & Cardinalis tituli S. Petri ad Vincula, Mathematicus Philosophus ac Theologus, quem non veretur *integerrimi Theologi* elogio describere Paulus Langius Chronico Cilicensi pag. 832. De eo Joh. de Trittenhem fol. 171. *Natione Teutonicus ex diœcesi Trevirensi, Vir in divinis Scripturis eruditissimus, & Theologorum suo tempore facile princeps, atq; in secularibus literis egregiè doctus. Philosophus, Rhetor & Mathematicus celeberrimus, ingenii subtilis & eloquio disertus; trium linguarum Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritus vitâ & conversatione integerrimus, & singulariter devotus; animarum salutis amator sincerus & fervidus, qui Legatus in Germaniam missus multa* pro Reformatio-

tione Ecclesiæ, *& præsertim* Ordinis nostri, *utilia fecit & constituit.* *Circa* Cusam, *nativitatis suæ villam ad ripas Mosellæ in opposito Urficastri hospitale celeberrimum in honorem S. Nicolai Episcopi construxit, quod prædiis & reditibus copiose ditavit. Moritur sub Friderico Imp. A. D. 1464. undecima die mensis Augusti, ætatis suæ anno LXIII. Romæ sepultus, cujus cor ad prædictum Hospitale missum ibidem in medio Chori sub marmore sepelitur.* Quàm variâ excelluerit doctrinâ, docet itidem Wilhelmus Eisengrein in Catalogo Testium Veritatis fol. 166; extatque de eo elegans Epistola Joh. Andreæ, Aleriensis Episcopi præmissa Apulejo, quæ eum commendat Virum ab omnifariâ doctrinâ, eloquentiâ singulari, & ingenii perspicaciâ. Cum Decanus esset S. Florini apud Confluentinos, occasione amicitiæ cum Thoma Sarzanensi, Cardinali S. Susannæ, Nuntio Apostolico in Germaniam, postmodum Papa, ad honorem Cardinalatûs sibi gradum fecit, titulo S. Petri ad Vincula. Functus legatione per Germaniam, Zelo & prudentiâ multa in Ecclesiis disposuit atque correxit, usus in Cleri & Religiosorum Reformatione consiliis Dionysii Rickelii, Carthusiani. Extant literæ Nicolai de Cusa in libro Statutorum Provincialium Moguntinorum Anni 1310. & aliorum, quæ sine nomine loci & temporis edita sunt titulo: *Statuta Provincialia vetera & nova.* Ultimo & penultimo folio extat in Epistolâ Nicolai de Cusa initio: *Nicolaus, miseratione divina tituli S. Petri ad vincula, sacrosanctæ Ecclesiæ Presbyter, Cardinalis Apostolicæ sedis, per Germaniam Legatus, in diœcesana Bambergensi Synodo præsidens, universis Christi fidelibus ejusdem diœcesis salutem in Domino sempiternam.* Conqueritur autem post tituli illius præfationem delatum fuisse ad Nicolaum V. *non parvas differentias fuisse exortas inter Plebanos & Mendicantes Oppidi Nurnbergensis*; Seque in ipsa Bambergensi diæcesi *in plerisq; locis similes querelas* audivisse, unde *scandala plura in populo* exorta fuerint. Sub finem prohibet, *ne amplius quisquam ex Fratribus Mendicantibus contra Plebanos aut Plebanum, aut Plebanus contra Fratres prædicare præsumat.* Tempestas hic excitata fuit inter Pontificiæ gentis lumina & decora, unde minus expectabatur, ut necessaria fuerit opera ad visitanda Episcopatuum varia loca Cardinalis Romani, qui hinc inde per Germaniam egit Officium Visitatoris, sicut manu scriptus nobis Codex est de iis, quæ Moguntiæ & alibi negotia expediverit; sicut etiam subscriptio allatæ Epistolæ indicat Bambergæ An. 1451. Synodum diæcesanam in Ecclesia majori celebratam fuisse rerum Ecclesiasticarum gratiâ. Eo tempore vixit Wern. Rolevincius, qui de istis Reformationibus Sext. Ætate f. 89. scribit: *Reformatio magna plurimorum Monasteriorum in diversis mundi partibus fit; & nota, quod hujusmodi Reformationes crebrò leguntur factæ, sed pene nulla remansit, quin solito more per successum temporis ad pristinum relaberetur langvorem.* Reformationes erant palliativæ, & alius erat, quàm lusor, Reformator expectandus. Cum ille Cardinalis multa ex sextæ & octavæ Synodi Basileensis canoni-

nonibus protulisset, admonet Patrum esse constitutionem servandam, & reformandos Metropolitanos, ac Pontificem ipsum Rom., ne secularibus curis ac dispositionibus vacaret. Sententiâ ejusdem Cardinalis Papa ad observandum Concilium restringitur, sic enim scribit libro secundo de Concord. Cathol. *Quis sanæ mentis dubitare potest absq; veræ potestatis & privilegii sedis Romanæ diminutione* Universale Concilium, *tam in abusum quàm in abutentem, potestatem habere pro suiipsius conservatione & totius Ecclesiæ salutari regimine? Tamen dicere, quod universale Concilium etiam super primaria Ecclesiæ Romanæ cognoscere & definire non possit, credo malè dictum esse.* Exemplis deinde quorundam Conciliorum, & Patrum dictis, illustrat. In libro tertio C.C. c.30.f.657. inter Opera Sim. Schardii scribit: *Curia Romana attrahit, quidquid pingue est, & id, quod imperium contulit pro Dei cultu, & bono publico ordinavit sanctissimè, avaritiâ & cupiditate extortâ, palliatis rationibus & novis adinventionibus totaliter pervertitur.* Idem ait Excitationum libro nono p. 651. *Omnis religio Christiana paucis demtis in apparentiam degeneravit, quemadmodum in multis religionibus videmus, ubi apud plures non nisi habitus extrinsecus remansit, & nihil de Spiritu Fundatoris Ordinis.* Conf. Wolfius Tom.I. Memoral. p. 872. 873. Obiit *A.* 1400. d. 11. Augusti Tuderti, ejusque cadaver Romam advectum in Ecclesiâ S. Petri ad vincula humatur, teste Wimphelingo Epit. Rer. Germ. c. 52.f. 56. Patria fuerat Cusa, vicus ad Mosellam amnem modicus, è regione Arcis Berno-Castel situs.

VIII. FRANCISCUS ZABARELLUS, CARDINALIS FLORENTINUS.

De scelerata Canonistarum Juris perversione, ut & de impiâ Papalis potestatis exaltatione conquestus fuit, quod etiam testimonium non prætervidendum. *Quæ* Jura *sunt nefanda, quia malè considerata sunt per multos assentatores, qui voluerunt hoc modo placere suis Pontificibus, per multa retrò tempora, & usq; ad hodierna suaserunt eis,* quod omnia possent, *& sic, quòd facerent, quicquid liberet, etiam illicita, & sint plus quam Deus. Ex hoc enim infiniti secuti sunt errores, quia Papa occupavit omnia Jura inferiorum Ecclesiarum, ita, quòd inferiores Prælati sint pro nihilo; & nisi Deus succurrat statui Ecclesiæ, universalis Ecclesia periclitatur. Sed favente Deo speratur* de Reformatione, *si, ut dicitur, constitutum congregabitur in Ecclesiâ* Concilium; *in quâ congregatione non oportebit solùm schismati præsenti, sed etiam futuris consulere, & ita determinare potestatem Papæ, ut non subvertantur inferiores potestates, & ut Papa deinceps possit, non quod libebit, sed quod licebit; nam etiam ipse* B. Petrus *non sic administravit, ut occuparet aliorum potestatem; imò tanquam unus ex Apostolis accepit partem administratio-*

nis

nus primùm in Ecclesiâ Antiochenâ, deinde in Romanâ, ut habetur in ejus historiâ; & licet fuerit Princeps Apostolorum, tamen non usurpavit aliorum administrationem. Hæc ille circa A. 1418. in libro de Schismate p. 560. 561.

IX. JACOBUS PICCOLOMINEUS, CARDINALIS PAPIENSIS.

INsignis eruditionis & nominis Vir fuit, sub Pio II. clarus, cui vivax hinc, facile & promtum ingenium, mira ad scribendum non sine elegantiâ facilitas, sicuti id testantur Commentarii de rebus gestis sui temporis, ut & Epistolæ elegantes, rerumque reconditarum plenissimæ, quibus raras Naturæ suæ dotes posteritati commendavit. Ex illius lucubrationibus, quæ Romæ primùm, & deinde Francofurti iteratò editæ sunt, quædam dictabimus, quæ insignem dexteritatem Cardinalis testari queant. Apertè de modo perveniendi ad sedem Papalem scripsit Epist. 596. ad Card. Mantuanum p. 846. *Ad Pontificatum per fidem an perfidiam contendatur, apud plerosq; cura non est. Dum paretur modò, impia quæque plena pietatis videntur.* Antea Ep. 567. ad Domin. Lucensem p. 832. *Papatum nullis artibus ambio, quod tu mihi es testis. Vocem cujusquam nec petii unquam, nec appetii, quod ipsi quoq; testari possunt: Minus etiam deinceps petam, neq; appetam.* De malâ electione Papæ Pauli scribit ad Franciscum, Cardinalem Senensem, Ep. 180. p. 600. *Multa sæpe in hâc nostrâ dignitate peccamus, sed nullâ, meo judicio, gravius, quàm cum indignum Principem (Papam) Plebi Catholicæ damus; in nosmet enim ipsos, & in omnem Ecclesiam impietatis opus & perfidiæ exercemus. Pone ante oculos totius facti nostri speciem, & unâ recordatione cuncta rememora. Videbis eò flagitii culpam ascendere, ut meritò nostrimet nobis sit pœnitendum. Exit à Conclavi in omnem partem jam facta electio.* Pag. 601. *Illud certè homines persuasum animis habent, sine charitate nos esse; non amare Ecclesiam, salutem publicam summâ improbitate projicere; fidem ac religionem addictam pretio habere, venalesq; animas possidere. Videntes quoq; nos* Populi Duces, *unde specimen boni reliquis esse oporteret, sic inquinari sordibus, facilè in hâc carnis fragilitate facti nostri fiunt imitatores; quodq; licere nobis vident, Deum tractantibus; sibi quoque in seculari vitâ prohiberi non volunt. Ita miserandum in modum cum illorum salute nostra quoq; ruit auctoritas. Age verò, si non imprudentiæ, non pravi consilii, sed* necessitatis *fuisse* indignam electionem *existiment, quod non sit melior inter Fratres inventus, quod hoc dedecus est ejus Collegii, quod sacrosanctum in Ecclesiâ dicimus, Regibus anteferendum putamus? Annon contemnimur omnes? & indigni habemur ornamentis, quæ contulit dignitas?* Quanta mala in Ecclesiam ex indigni Pontificis electione sequantur, multis deinde eloquii viribus p. 601. 602. 603. exponit; atque majori fiduciâ & parrhesiâ agitur, cùm ad ipsum Pontificem

Paulum Epist. 181. scribit p. 603. *Quid hoc est*, Paule? *Tenebræ enim mihi sunt. Quid agis? Mutata repente sunt omnia. Nihil pristinum video. Pro charitate in nos tua successit duritas; pro blandimentis asperitas, pro læto initio tristis successus. Vovisti Cardinalis, vovisti & Pontifex, servaturum te* Leges, *quæ in* Conclavi *sunt editæ, ad salutem publicam utiles. Voti tui duobus in libellis chirographum extat. Sperabamus respiraturam Ecclesiam, futurum Pontificatum, qualem à Petro non vidimus. Quid nunc dicam? aut quid non potius dicam? Commutasti tu eas in leges inanes, mille effugiis plenas . . . . Talem de Te spem præbes Paule? atq; hoc initio Præsulatum instituis? Quæ exspectatio erit fidelibus bonorum operũ, quando excutere* Te *jugum salutis intelligent?* De eâdem rei indignitate scripsit eodem anno 1464. ad Cardinalem Theanensem p. 604. *Non precibus, non ratione, non obsecrationibus ullis adduci potuit Paulus, ut* servandas *sibi putaret* Leges votas atque juratas. *Tanquam Leo plagas; sic iste sancta vincula abrupit. Scripsit novas à prioribus multùm dissimiles, quarum virginei sunt vultus, fœdissima ventris proluvies. Præferunt speciem boni; intuenti interius patent postica innumera.* Pag. 605. *Non sine ingenti gemitu refero; vexandæ, lacerandæ & scindendæ Ecclesiæ materiam præbitam. Simus posthac, Pater, ad eligendum cautiores. Acriùs expendamus naturam cujusq;. Non credamus fronti, non verbis. Fallunt sæpissimè vani filii hominum, juxta Prophetam*: Mendaces filii hominum, ut decipiant ipsi de vanitate suâ in idipsum. *Si in perquirendâ vitâ Pauli fuissemus hâc curâ, non decepisset nos exterior species. Multa ad melius consulendum se obtulissent; sed & nos parum acres ad videndum; ipse ad celandum semper intentissimus. Artificium quærendi* Pontificatus *ex Cardinalatu est sumtum. Nec Pontifex mutavit mores; sed tectos detexit Cardinalis Avinionensis, festivi* Pater *ingenii, ridens jocansq; cum illo*: Rectè, *ait*, Paule, annos viginti quatuor adhibuisti studium, ut semel nos falleres. *Quæ vox, etsi ridente, approbante tamen* Collegio *est intellecta. Iterum dico: Si erratum est semel, mi Theanensis, non erretur secundò. Majoribus detrimentis nec peccari, nec errari ullibi potest.* Quantæ concertationes fuerint inter Paulum II. & Collegium Cardinalium, docent diversæ Epistolæ Jacobi Cardinalis, num. 538. aliquotque sequentibus p. 814. & seqq.; turpitudinemq; statûs Ecclesiæ describit J. Petrus Arrivabenus Epistolâ ad Papiensem Cardinalem 425. pag. 754. 755. Vanitates studiaque inania Cardinalium longâ Epistolâ describit Jacobus Cardinalis Epist. 374. ad Cardinalem Senensem pag. 716. 717. 718. De Clericis, dissensiones foventibus, & mutuis se odiis prosequentibus, cum ambitionis fœdâ gloriâ. Idem Epist. 481. p. 785. ad Franciscum Tholetanum Theologum: *Nostri seculi mores usq; eò abière per devia, ut mala rerum exempla* à solis penè Clericis *oriantur; dum enim cupiditati, dum ambitioni licentiùs obsequuntur, & crescere quærunt, non tam virtutis quàm potestatis suffragio immemores sui in alienos affectus concedunt, quos aliquando impudentiùs etiam monstrant, quàm adjuvent. Qualis* Mediolanen-

nenſis & Neapolitanus *in Eccleſiam fuerint, Tibi obſcurum non eſt. Mala ab iis illata toti Italiæ patuêre.* De diſſenſionibus in Cardinalium electione, Magnatumque de eâ re ſolicitudine, Eccleſiæ Romanæ quandoque onerosâ, ſcribit Epiſtolâ 511. ad Ferdinandum, Siciliæ Regem. *Pontifici*, ſcribit p. 798. *& nobis* (Cardinalibus) *hæc frequens creatio Cardinalium non poteſt non oneri eſſe. Dignitas noſtra, ut ſcis, prima à Pontificatu eſt in Eccleſia. Augeri ratio per Pontifices ſolet. Numero etiam ſemper ſit vilior. Si poſt recentem aliorum creationem creati nunc* tuâ poſtulatione *alii eſſent, neceſſarium mox erat eodem exemplo* requirente Francorum Rege *rurſum creare. Poſt paulò etiam* ad Cæſaris literas *idem efficere. Ita continuatione quotidiana creandorum Cardinalium dignitas vileſcebat.* Rem expreſſius deſignat Epiſtolâ 515. ad Cardinalem Ravennatem, pag. 801. ſcribens: *Proxima Cardinalium creatione, cùm* Cæſaris Francorum Regi, & Ferdinando noſtro *locus uni creando reſervatus eſſet, quem quisq; ſibi depoſceret, à Cæſare* (Friderico III.) *Brixienſis Epiſcopus peteretur; à Francorum Rege nondum reſponſum eſſet allatum; Ferdinandus autem quotidianis literis & nuntiis* Tifernatem Salernitanumque *requireret, quos dolebat nuper eſſe præteritos, contrariis ſtudiis res eſt impedita.* Salernitanum *apertiſſimè oppugnabat Neapolitanus*; *Senenſis* Tifernatem; *S. Mariæ & Luciæ* Brixienſem. *Gravior nulla contentio, quàm Neapolitani & Senenſis. Ille, ut excluderetur Salernitanus, Tifernatem recipiebat; hic eſt contra Salernitanum, ut præteriretur. Sanior Senatus pars Senenſi favebat; Neapolitano Pontifex, qui propter domeſticum famulatum, in Tifernatem inclinans, numero Cardinalium novorum ſe adjuvabat.* Minæ *utrinq;* multæ, & tumentes animi, *& verba ad ſeditionem ſpectantia. Adjumento tandem Cardinalis S. Xyſti, qui & ipſe Tifernati minus favebat, dilata eſt creatio ad proximum Natalem Domini Salvatoris. Felicem ſæpe te ſuſpiravi, qui Legationis occaſione procul ab his concertationibus eſſes; neque hujus, quàm illius ſtudioſior haberere. Suadeo, ſi potes, ad illum diem non dimittas provinciam. Ego pro mea in te charitate hæc ſignificanda putavi, quæ, cùm minus noſtræ æſtimationis ſint, quæſo præter Te nemo intelligat.* Scripta hæc Romæ XX. Junii M.CCCC. LXXIII. Livorem & ambitionem in Cardinalibus deplorat & deſcribit ad Cardinalem Mantuanum Epiſt. 640. p. 870. 871. 872. cujus verba quædam ſunt alleganda. *Soli eſſe volumus, quos publica vox laudet, & dignos honore judicet, æſtimationem autem omnem Fratris noſtram jacturam eſſe putamus, nec ſtare illam diu incolumem patimur. Peſtis hujus ſi requiritur cauſa, quænam eſt alia, aut quæ cogitari alia poteſt, quàm* dira aſſequendi Pontificatûs cupido? *Nec benevolentiæ interim, nec conjunctioni, nec ullis meritis parcens. In eo autem quærendo, quod unius eſt, unum tantùm capit, adipiſci plures non poſſunt. Fit ſemper tanta contentio, ut veteri ſententiâ difficillimum ſit ſervare ſanctam ſocietatem. Etiam, ſi Deo placet, illud apud nos* (Cardinales) *ex Phœniſſis increbuit, turpe quidem Gentilibus, Chriſtianis infame, Dei verò Sacer-*

dotibus sceleratum : Si jus violandum est, violandum regni causâ. *Quàm malè hoc loco verum attendimus? Quàm contrariam affectibus cæca cupiditate viam tenemus?* Pag. 872. *Omnibus est turpis detractio*, nostræ *verò* sorti *turpissima. In suam dignitatem sævit, qui in Collegæ famam est impius. Non sunt, quæ dicam, inania; magnis ea testibus possum referre. In cubiculis, in cœtibus amicorum, ubicunque eos sors offert, ad omnem mei nominis commemorationem in contumelias meas sic accenduntur, ut ex iis solis stare totas eorum fortunas appareat. Non Cardinalium, non Præsulum, non quod indignius est, infimæ sortis hominum auribus parcunt. Implent eas Confratris & Consacerdotis opprobriis.* De istis Cardinalium moribus nihil occurrit apertiùs, quàm quod callidus Papiensis de calliditate Cardinalium, propriorum morum tenax observator, scripsit ad Cardinalem Mantuanum Epist. 659. p. 888. *Verbum erat sapientis Firmiani, semen nullum fallacius, quàm Cardinalium inveniri. Pro frugibus sæpe meti tribulos, & lappas, & lolium, neque eandem in creatis, quæ in creandis, benignitatem cognosci. Prudens dictum integerrimi Patris ingratæ mentes sæpius comprobârunt.* Ex visceribus loquitur hîc Cardinalis; sed tectiùs ad Joannem Petrum Arrivabenum, Epist. 658. p. 887. *Minor mihi est de Pontifice, quàm de Cardinale creando anxietas. His solicitudinibus quanto dierum plus adimo, tanto animi tranquillitati adjungo. Sed hæc quoque audi & tace. Non fit tandem, ut scis, nisi qui cupit, qui potest. Inanis est adversa contentio. Multa est ejus potestas, ingens nostra cupiditas. Ubi hujus vel illius famelici Cerberi horrere videt jam colla colubri, statim*

Melle soporatam, & medicatis frugibus offam
Objicit, ille fame rabidâ sua guttura pandens
Corripit objectam, atque immania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.

Ita, mi Frater

Occupat Æneas aditum custode sepulto,
Evaditque viam celer irremeabilis undæ.

Ingenuè idem Epist. 192. p. 616. *Dispensanda justiùs sunt, quæ nobis proveniunt* ex altari. *Carni & sanguini non ita profusè indulgendum. In comitatu quoque alendo comparandoque ornatu domestico tam multa non insumenda.* Bona *hæc nostra* Altaribus attributa, *precia peccatorum sunt, quibus redimi animas dantium pia cura oporteat, & instaurari domum orationis, & egenos vagosque in domos nostras induci. Quæ cùm non fiant; irascitur graviter Deus, & sæpe hunc exitum negligentibus dat, quem* in meipso *sum proximè expertus, ut videlicet administrata malè, etiam suo permissu dilabantur deterius.* De luxu avaritiâque Episcoporum, nec non congerie functionum Ecclesiasticarum in unum conqueritur Epistolâ ad Franciscum Gonzagam, Cardinalem Mantuanum, quæ est numero 547. p. 820. atque inter alia scribit: *Quoquò te vertas, indignam ministerio sacerdotali curam inveniás,*

nias, labefactantem animas, atq; ad solam gehennam ædificantem. Recense verò mecum coacervatarum administrationum quanta sint mala, quantisq; nos involvant criminibus. Defraudamus Deum gloria justi obsequii sui; quod enim illi persolvi pluribus administrantibus oporteret, per unum cogimus fieri. Rursus debilitamus corpus Ecclesiæ, & quæ alia sunt plura de injustâ dispensatione, ex qua sequatur animæ minor cura quàm corporis, non sine Papalis sedis, cujus tum insessor erat, Paulus II. infectatione.

X. JACOBUS DE VORAGINE, EPISCOPUS GENUENSIS.

EPiscopus quondam Genuensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Vir, elogio Tritenhemii f.111.in divinis scripturis exercitatus, qui ob earundem crebras allegationes *Vorago* nuncupatus fuit; ingenio promtus, & apertus eloquio; in Sermonibus ad Populum declamandis satis idoneus. Is Episcoporum, Martyrum atque Doctorum Vitas & res præclare gestas magno Volumine, cui *Lombardicæ Historiæ* nomen inditum est, conscripsit; alio etiam titulo *Legenda aurea* sive *Speculum Sanctorum* venit. Is in vitâ Pelagii Papæ consignatum reliquit, quod *Ambrosianum officium*, diu in Ecclesiâ usitatum, remotum, surrogatumq; fuerit *Officium Gregorianum*, à Papa Gregorio I. *Caroli tempore*, scribit, *Officium Ambrosianum maximè dimissum est, &* Gregorianum *maximè divulgatum, Imperiali autoritate ad hoc plurimum adjuvante.* Ambrosius *namq;, ut testatur Augustinus, in libro Confessionum, cùm à Justina, Imperatrice Arianâ perfidiâ depravatâ, persecutionem pateretur, & inter Ecclesias cum plebe Catholica insidiis urgeretur, instituit* Hymnos & Psalmos secundum morem Orientalium *decantari, ne populus mœroris tædio contabesceret. Quod per omnes fuit postmodum Ecclesias derivatum. Verùm Gregorius postmodum superveniens* plura mutavit, addidit & detruncavit; *Sancti enim Patres non statim omnia, ad decorem Officii pertinentia videre potuerunt; sed diversi diversa ordinaverunt; nam & Missæ inceptio tres varietates habuit; ólim enim* à lectione *inchoabant, sicut adhuc in Sabbato sancto fit. Postmodum* Cælestinus Papa *Psalmos ad introitum Missæ cantari instituit*; Gregorius *verò introitum Missæ cum cantu ordinavit; & unum versum de illo Psalmo, qui totus cantabatur, retinuit. Psalmos olim circa aram in modum coronæ circumstantes concorditer concinebant, & inde* Chorus *dicitur; sed Flavianus & Theodorus, ut alternatim cantent, instituerunt, ab Ignatio hoc habentes, qui super hoc divinitus fuit edoctus.* Hieronymus *Psalmos, Epistolas, Evangelia, & ex parte magna Officia, diurna & nocturna, præter Cantum ordinavit.* Ambrosius, Gelasius *&* Gregorius *Orationes & Cantus addiderunt, & cum Lectionibus & Evangeliis coaptaverunt. Gradualia, Tractus & alia,* Ambrosius, Gelasius & Gregorius *instituerunt.* Hilarius *addidit*, Gloria in excelsis, Laudamus te &c. *quæ sequuntur.* Notherus, *Abbas*

bas S. Galli, Sequentias *pro neumis ipsius Alleluja prius composuit*; sed Nicolaus Papa *à Missa eas cantari concessit.* Armannus Contractus, *Teutonicus, fecit*: Rex omnipotens, Sancti Spiritûs assit nobis gratia, *&* Ave Maria, *& Antiphona*: Alma Redemtoris mater, Simon Barjona. *Petrus verò de Compostella Episcopus fecit*: Salve Regina. *Sigibertus tamen dicit, quod Robertus, Rex Francorum, fecit sequentiam: Sancti Spiritus assit nobis gratia.* Missa itaque Romana, quomodo in corpus variè fuerit composta, hinc habemus, puritate illa, vel Ambrosianâ, vel anteriori, omissâ, & quomodo Missa hodierna non ab Apostolis, sed à Papis eorumque sequacibus fuerit orta.

XI. RODERICUS, EPISCOPUS ZAMORENSIS.

Ad num. 361. p. 801. REferendarius Pauli II. Pont. Vir cùm confessionis gloriâ, tum vitâ & conversatione plurimùm insignis, Philosophus clarus, Theologus profundus, multarumque literarum & rerum peritissimus, elogio Wilh. Eysengreinii Catal. Test. verit. fol. 172. Vir liberioris oris, quia

Non metuit Papam, neq; Regem, neq; Populares,
Non Proceres, Monachos, Cardineosq; Patres.
Omnibus his liquidò sua cuiq; pericula dixit,
Ac onus, officium, dedecus atq; decus.

sicuti id præmisit Jac. Wimphelingus *Speculo vitæ humanæ*, quod editum Argentinæ A. 1507. & à Melchiore Goldasto titulo splendidiori Hanoviæ 1613. productum. In libro secundo Speculi c. 18. fol. 74. b. *Visitat Archipresbyter, qui plerunq; visitandus esset; corrigere contendit, qui ad vitia tendit; Ecclesias visitat, ut eas spoliet, non ut ornet; fabricæ curam gerit, sed domus suæ, non murorum templi.* De Canonicis cap. 19. fol. 75. b. *Ad Capitulum* Canonici *accedunt, sed ut litigent, ut, proh dolor, ubi litigia sopiri deberent, ibi nascantur; ibi culpa augeatur, ubi deleri debuit. Ut paucis agam, quoties Canonicus Capitulum ingreditur, totiens domum perjurus redit; prece enim aut precio, odio, favore aut timore longè aliud consulit, quàm aut conscientiæ aut Ecclesiæ utilitas exposcunt.* De Monachis cap. 27. fol. 86. b. *Si studia, si mores, si vitam plurimorum Religiosorum cognoscere vis, considera, quia illis Capitulum hostis est; extrà murmur & invidia. In nocte nullas vigilias habent, nec in die labores laborat Monachus.* Abbas *ventrosus*; Prior *ingrassatur.* Mendicans *blanditur potentibus, terrena diligit. Suspiciosus claustralis*; Bursarius *pecuniosus*; Infirmarius *Concubinarius*; *capitosus* Sacrista. Guardianus *equitat*; Provincialis *proclamat*; Generalis *generat.* Ex Roderico agit Wolfius Cent. 15. pag. 887. 888. 889. 890.

XII.

XII. DOMINICUS VENETUS, EPISCOPUS PRIMUM TORCELLANUS, POSTEA BRIXIENSIS.

SCripsit is Tractatum de Cardinalium legitimâ creatione, & obtulit Calixto III. Papæ, quem ex Mscripto originali primùm edidit Marcus Antonius de Dominis, Archiepiscopus Spalatinus. Eo in libro multa nervosè satis, judicio Marci Antonii, ac ex animo contra absolutam solius Papæ potestatem sive Hieromonarchiam scripsit, arctans Papalem summam potestatem in Cardinalium creatione, & viam aperiens ad Papatici nimium pompatici Consistorii reformationem. Prima Conclusio initio libri est: *Si Papa creare tentet Cardinales contra voluntatem majoris partis Collegii Cardinalium, ipsis reclamantibus, & non acceptantibus eos, quod illi non erunt veri Cardinales, si pronuncientur, nec pro Cardinalibus habendi.* Subjungit deinde duodecim propositiones de Papa ejusque Cardinalibus, & in quintâ scribit: *Non fuit injuria facta Cardinalibus in Concilio Constantiensi, si ad electionem Papæ Concilium universale repræsentans universalem Ecclesiam, adjecit alios quàm Romanæ Ecclesiæ Cardinales in electione Domini Martini V; quia ad universalem Ecclesiam primò pertinet Ecclesia; & ex consequenti deputatio eorum, in quos ipsa vult consentire, ut pro ipsâ eligant.* In septimâ Propositione hæc leguntur: *Multa Concilia errasse leguntur* &c. *Similiter etiam nec Papa solus est illa regula infallibilis, quia aliqui errasse leguntur in fide, ut patet de Liberio & de Anastasio II. qui communicavit Acario Hæretico, ideò percussus est à Deo.* Quæ in contrarium excipi possent, ea itidem attulit; nec est, ut hîc omnia referamus, cùm liber in manibus sit.

XIII. SIMON BEGNIUS, EPISCOPUS MODRUSIENSIS.

ORationem habuit in Concilio Lateranensi, sedente Julio II. in qua hæc leguntur: *Tædet pigetque* fidem, pietatem, religionem, *nostris temporibus ita tepuisse, & penè dixerim, contabuisse videri, ut vix earum ulla vestigia sint reliqua; & in nobis, quo tempore Ecclesia ab hæreticorum persecutionibus vacua, summâ pace & libertate fruitur, tantoperè fidem & fervorem Majorum nostrorum animis insitum refrixisse, ut cum Hieremia verè dicere possimus: Egressus est à filiâ Sion in omnes decor ejus, innocentiæ sc. & castitatis. Principes ejus facti sunt, ut arietes* &c. Hæc ille peroravit Sessione VI; nec minori parrhesiâ usi sunt Antonius Puccius Sessione IX. & Stephanus, Archiepiscopus Patracensis, Sessione X.

XIV. NICOLAUS DE CLEMANGIS, ARCHIDIACONUS BAJOCENSIS.

SIngulare sidus sui seculi fuit Nic. Clemangis, cùm ob judicii maturitatem, *Ad num.* tum ob solidam Statûs Ecclesiastici cognitionem, quam suam scientiam pu- *353. p 798.* blicè exhibuit in gravissimo *de Ecclesiæ corrupto statu* Tactatu, qui liber quàm in-

ſtructus ſit à varia rerum ſcitu neceſſariarum copiâ, vel ex ſummâ capitum hâc ſaltem vice cognoſce. Agit *capite quinto* de exorbitantiis per *ſummos Pontifices* in Eccleſiam introductis; de abolitione electionum & reſervatione beneficiorum; de *Camera Apoſtolica*, quæ electionem abolevit, non ut laudabiles promoveantur, ſed pecuniis abundantes. Differit *capite ſexto* de Expectativis; de qualitate currentium ad Curiam Romanam. Docet *capite ſeptimo* fraudem colligendi nummos ex Vacantiis, ex Decimis & Angariis; *Capite octavo* inſtitutionem Collectarum, & mala per Collectores illata. Inſtituit *capite nono* de litigiis Curiæ humanæ; de Regulis & Conſtitutionibus Cancellariis; de Curiâ Romanâ latronibus plena; *capite decimo* de Cardinalium ſtatu, qui veræ ſint ſuperbiæ ſimulacra; de officio Cardinaliũ eorumque faſtu; *capite undecimo* de multitudine beneficiorum Cardinalium & eorum incompatibilitate; de contractibus Simoniacis, quomodo Cardinales beneficiis abutantur; *capite duodecimo* quod Cardinales ſint omnis nequitiæ autores; de prætermiſſione multiplici vitiorum Eccleſiæ. Deſcribit *capite decimotertio Papam*, quomodo per Principes ſedem ſuam ſtabiliat; & *Præſulatus* quomodo vi obtineantur, dignique arceantur; *capite decimoquarto*, quòd congregatio pecuniæ ſit præcipua cura Prælatorum, & unde illa auri in Prælatis fames; *capite decimoſexto* promotiones Juriſdictionis Epiſcoporum & eorum abuſus; exactiones pro Concubinis tolerandis; collationem Simoniacam ſacrorum Ordinum ac Sacrorum; *capite decimo ſexto* indignorum promotiones, eorumque inſcitiam ac vitam impiam. Agit *capite decimoſeptimo* de perpetuâ abſentiâ Prælatorum à ſuis Eccleſiis; de Prælatis in Principum Curiis reſidentibus, ibidemque paraſiticam vitam agentibus; *capite decimo octavo* de mercenariis Prælatis eorumque otio, quod propter ſolam quietem Prælaturam aucupentur; *capite decimo nono* ſentit, quod utilior ſit talium Prælatorum abſentia à ſuis Eccelſiis, quàm præſentia, eò quod lupi ſint. Exponit *capite viceſimo* Capellanorum & Canonicorum mores; pacem & fraternitatem eorum, & quomodo ſe ab omni diſciplinæ precio exemerint; *capite viceſimo primo* tradit vitam & mores Monachorum, cur iis nunc ea deſint, quibus olim abundaverint; *capite viceſimo ſecundo* Mendicantium inanem jactantiam & gloriã quodq; ſint lupi rapaces; *capite viceſimo tertio* impudicam vitam & converſationem Monialium, quæ faciant ex Monaſteriis Veneris proſtibula, & ex puellâ velatâ ſcortum publicum. Excuſat ſe *capite viceſimo tertio* ſuper generalis deformitatis Eccleſiaſticorum accuſatione; demumq; *capite viceſimo ſeptimo* concludit Eccleſiaſticum Statum propter ſuperbiam tendere ad ruinam. Vixit & ſcripſit ſub Clemente VII. Pontifice, cui *luculentiſſimũ ingenium* tribuit Joh. Trithem. de Scriptor. Eccleſiaſt. fol. 155. edit. Pariſ. 1512. Liber de Corrupto Eccleſiæ Statu à ſitu vindicatus Wittebergæ prodiit Anno 1608. cum Præfatione D. Leonh. Hutteri ad Jacobum Gretſerum & Cunradum Andreæ. *Ex eo Clemangii* libro Wolfius Cent. 15. p. 765. usq; ad p. 779.

XV

XV. THEODOTUS.

SI Prælatos & Monachos examinamus ad primævum ſtatum, ſeceſſerunt ab eo maximè ſtatu, quo promiſerunt humilitatem contemtumq; mundi, & Aularũ atque ſecularium palatiorum amorem abjurârunt. Quoti vero fuêre, qui præter nomen & titulum Religioſi aut Monachi nil Religionis aut ſolitudinis retinuerunt. Ex antiquorum Doctorum ſcriptis Monaſticam, Eremiticam & univerſim omnem Eccleſiaſticam vitam, ſolitudini, humilitati, ſtudiis, caſtitati, dilectioni, ſimplicitati, innocentiæ, paupertati, bonisque temporalibus & Aulis Principum contemnendis deditam fuiſſe comperimus. Non diu verò ſe continuerunt Religioſi intra hanc modeſtiam, frugalitatem & paupertatem. Profitebantur paupertatem, & nullibi major ſpectabatur divitiarum ſplendor; & qui mortui ſeculo dicebantur, in Palatiis Regum & Principum inhiabant luxui & vanitatibus ſeculi. Monachus *ſolitarium* ſonat, qui ſolitudinem & ſecretum cellulæ ſuæ, tanquam portum pacis & quietis, ſectatur; quique affectu & virtute ſtudet præſtare, quod nomine & tonſurâ promittit. Quid ergo, *Monache*, verſaris & moraris in Palatiis Regum & Principum adulator & liguritor? Monaſticæ profeſſionis rigor & delitiæ aulicæ quid inter ſe habent commune? Cur ſub veſtis vilitate Aulicum agis, & ſub ſpecie pietatis & Religionis larvâ larvatum agis Monachum? Infelix tempus, quo humana & divina confundebantur officia, & Epiſcopi atque Prælati, itemque Monachi, contemtis ſuis legibus atque inſtitutis in Aulis Imperatorum, Regum & Principum ſecularia gerebant officia, & quid rerum in Aulis ageretur, ſpectabant. Venire ad Prælaturam ſumma dignitas eſt, non dignè aut perfectè in eâ vivere, ſumma damnatio eſt. Prælati ut plurimi rebus ſe immiſcuerunt ſecularibus, & in habitu religionis politicè & aulicè vixerunt. Severe loquuntur Pariſienſes in ſcripto de periculis Eccleſiæ, à Wiſſenburgio edito c. 12. p. 80. *Hei modò, utinam attenderent Viri religioſi, qui ſe Curiis Principum ingerunt, quod Petrus ſemel Curiam Principis intravit, & ter Chriſtum negavit.* Sunt nobis Theodoti Eclogæ, in quas commentator, neſcio, quis ſcripſit J. 4. b. *Bonus Paſtor debet eſſe prope gregem ſuum, quod eſt* contra Prælatos, *qui dimiſſis ovibus ad ſecularium Principum Curias veniunt lucri, pompæ & honoris cauſa, unde tamen Principes ipſos, non quæ recta ſunt facere, ſed etiam ad nefanda & magna peccata inſtruunt & dirigunt.* Poſtea M. 4. b. *Viros Eccleſiaſticos, proh dolor, modernis temporibus videmus Magnatibus ſecularibus famulari, ut ita, quos liceret animas ſubditorum cæleſti pabulo reficere, iſti in detrimentum animæ & ſubditorum Dominis temporalibus blandiuntur, famulantur & inſerviunt.* Non ignotæ ſunt querelæ de illa in Magnatum Aulis πολυπραγμοσύνῃ, de quâ alibi egimus.

XVI. GVARRICUS, IGNIACENSIS ABBAS.

EDiti ſunt ſub hujus Gvarrici nomine diverſi Sermones, qui viri doctrinam ſatis nobis oſtendunt. De diſcordiâ, contentionibus & diſtractionibus

Ecclesiasticorum, Canonicorum & Monachorum conqueri solet, atque inter alia scribit Sermone III. de Nativitate Domini, circa finem: *Vigila super curam recens nati, memor, quemadmodum æmula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei. Quæ est enim illa, nisi carnalis anima, quæ spiritum extingvit negligentiâ & inertiâ? Hujusmodi homines, cùm religionis amiserint fervorem, ipsius tamen sibi arrogant gloriam & nomen. Inde contentiones carnalium adversus spirituales, etiam in* Capitulis, *ubi verus Salomon invisibiliter Judex præsidet.* Filius meus, *inquiunt* Carnales, vivit, & tuus mortuus est. Ego spiritum Dei habeo, tu non habes. In me vivit amor Dei, in te mortuus est. *Dum æmulantur sibi religionis autoritatē, cujus spirituales habent veritatem, ut subductâ eis auctoritate, consuetudines inducant pro suæ sensûs libidine.* Vir dicitur Tritenhemio de S.E. f. 128. in divinis scripturis non infimè doctus, ingenio facilis, eloquio dulcis & compositus, & ad persuadendum satis idoneus, non minus conversatione & regularis observantiæ amore, quàm scientiâ Scripturarum insignis.

XVII. PEREGRINUS.

Extant sub hoc nomine Sermones diversi, & Quadragesimale. Ex iis quædam, quum neque in Flacio & Goulartio, neq; Wolfio, id factum meminerimus, huc adjiciemus. Dom. III. Adventus lit. J. adducit hos versus:

Quicquid habes meriti, præventrix gratia donat;
Nil Deus in nobis præter sua dona coronat.

Dom. IV. Adv. lit. L. notavit, Monachos, Ordinem intrantes, omnia bona sua offerre Prælato Monasterii. Dominicâ eâdem in fine hæc habet: *Veritas cum Christo volavit in cœlum, nec amplius invenitur in terrâ.* Domin. infra octavam Epiph. lit. Q & lit. R. conqueritur Lupanaria & Tabernas magis frequentari suo tempore, quàm loca sacra. Domin. 3. in quadrag. alph. 4. lit. E. in fine, & in Sermon. de Sanctis Dominic. 3. in Quad. alph. 10. lit. T. festivas nobis nuptias describit Diaboli cum Concupiscentiâ, ex quâ uxore novem Filias sustulerit, novemque generibus hominum maritaverit, *Simoniam Prælatis & Clericis*; hypocrisin *Monachis & falsis religiosis*; rapinam *militibus*; usuram *civibus*; dolum *mercatoribus*; sacrilegium *agricolis, qui decimas sacratas Ecclesiis auferant*; fictum servitium *operariis*; superfluum apparatum *mulieribus*. Nona *Luxuria* fuisse dicitur, quam ait nulli maritasse, sed quasi meretricem omnibus prostituisse. De Monachorum & Religiosorum cupiditatibus Sermone in Cœnâ Domini lit. X. *Dicas, si velis, qualiter* Religiosi *acquirunt & recipiunt res & bona à diversis, propter quod Deum multum offendunt, & proximos multum scandalizant.* De Prælatorum ambitione & cupiditate ibidem: *Heu jam multi ad hoc nituntur, qualiter se aliis præferant, imò qualiter, quod gravius est, alios subjiciant pedibus suis, quod Dominus multum dissvasit Discipulis suis, dicens: Non veni ministrari, sed ministrare.* Pergit de Religiosorum hypocrisi & philautia: *Heu, quanti sunt Religiosi, qui foris*

homi-

hominibus apparent vivi, sed intus coram Deo sunt mortui; Et quare? quia nimis delitiosè se præ cæteris diligunt, &c. Mercenarius dicitur *carnalis pastor* vel *Prælatus, qui amore lucri temporalis recipit in Curiam suam Domini gregem, & non quærit salutē populi sibi commissi, sed tantum occasione nummi,* Dom. I. post octav. Paschat. lit. M. ubi allegat notabile Bernhardi dictum. Præbendarum multitudinem esse *ingens* peccatum, & ideò unam tantùm retinendam, & alteram dimittendam monet in Domin. 2. post octav. Pentec. lit. D. alphab. 7. Episcopos, ut Principes, arma portare in bellis contra præceptum Christi idem notat Dom. 4. post octav. Pent. lit. H. Regnum cœlorum meritis nostris non deberi asserit Dom. 7. post octav. Pentec. in fine. Episcopo negligenti literas misit Diabolus, quarum hunc tenorem refert: *Princeps tenebrarum Episcopo tali salutem. Regratior tibi de tuâ negligentiâ, quia quot tibi sunt commissi, tot mihi sunt transmissi,* Dom. 23. lit. Y. *Monetarii falsarii; proprietarii in religione; Simoniaci; Mercatores falsi; Beneficia plura habentes, ejicientur cum Diabolis in infernum,* Domin. 24. alph. 9. lit. A. Papa Romanus *à populo* eligebatur, ut testatur in serm. de S. Fabiano & Sebastiano alph. 10. lit. A. Gentilium ritus à Christianis assumtos, & *in alios fines mutatos*, notat idem de Candelis Februariis, serm. in Purific. Mariæ alphab. 10. lit. F. Curiam Papalem non omnes exaudire in oratione notat Dom. 2. in Quadrag. lit. R. Sacerdotis mali Missam audire, *esse tantum, sicut stare, ubi Christus crucifigeretur,* scribit Fer. 2. de Resurrect. Dom., asseritq; sacramenta malum Sacerdotem æquè administrare ac bonum, ita tamen, ut dicat, peccare eum, qui noverit, Sacerdotem esse in mortali peccato, & ab eo tamen sumserit Eucharistiam.

XVIII. JOACHIMUS, ABBAS FLORENSIS.

IN Bibliothecâ Augustanâ asservantur Ejus varia scripta, è quibus aliqua excerpsit. Elias Ehingerus, & D. Joh. Himmelio transmisit, cum *D.* Helferici Hunnii scriptum refutaret. De Statu Ecclesiæ & Regimine Ecclesiastico pag. 8. scribit: *Romana Ecclesia, ac si altera Tribus Juda* recessit à Christo, *i. e. ab opere fidei jam professæ.* Pag. 58. *Ecclesiarum Rectores & Præsides, Dei servitium non solùm impediunt, sed etiam* adulterant *Verbum Dei.* Pag. 59. *Major est iniquitas* Latinæ Ecclesiæ, *quàm Græcæ.* Pag. 61. *Pontificalis superbia cadet, & cultus Ecclesiasticus minuetur.* Pag. 80. *Dum* divites *esse voluerunt, sub* Regulâ Paupertatis *facti sunt delicati & teneri; facti sunt invalidi & infirmi. Nec mirum; quis enim unquam inter divitias & delitias potuit tenere inopem vitam & castitatis propositum, ubi sunt multi cibi? Taceo nefandissimum scelus, cujus fœtor & clamor pervenit usq; ad cœlum.* In Commentario ad Apocalypsin pag. 194. scribit: *Hanc* magnam Meretricem *dixerunt Patres Catholici esse* Romam. Et pag. 190. *Civitas Romana est nova* Babylon & Meretrix, *quæ sedet super aquas, id est, populos Romani Imperii.* In Commentario super Jeremiam p. 16. *Domini Cardinales ab officio repellantur.* Pag. 41. *Cardinales rediguntur ad nihilum.* *Ad nu. 228, pag. 602.*

Pag. 55. *Si ad cor redirent Cardinales, & alii schismatis Doctores Christum audirent, mitem & humilem quærerent, &* Antichristo tumido *non adhærerent. Sed si futura est eorum eversio, quid laboro? Induratum est cor Pharaonis*, Pontificum superborum; *infestant populum, depravant consilium, flagellant Ecclesiam, nec sentiunt vulnera.* Pag. 47. *Typicè,* pupillus *est populus Christianus*; Prælati *sunt* Pilati; *non* Patres, *sed* Latrones *&* Lupi vespertini. *Vidua Ecclesia, quia ipsi non Viri, sed* adulteri. *De primo mercenarius est, & qui* non *est* pastor, *cujus non sunt Oves propriæ, videt lupum venientem, & fugit relictis Ovibus. De secundo, facta est* quasi Vidua, *Domina gentium. Nota* quasi, *quia si videtur habere Virum, non tamen habet, quia non est Vir, sed effœminatus.* Pap. 50. *Verè* asini *&* stolidi *sunt* Prælati, *& idcirco patebunt hostibus, dum ostia Ecclesiæ non attendunt, & propter hoc non apponentur ad Patres, sed ad hostes potius Babylonis, eorum Sabbata deridentes; &* Asino *quidem subtrahitur primò post mortem corium; secundò projicitur in Sterquilinium; tertiò bestiis & avibus datur in cibum. Sic* Prælatis, *mortuis in peccatis, tolletur corium temporalium, projicientur in sterquilinium, vilitatis opprobrium; dabuntur bestiis Romani Imperii, & avibus, i.e. Viris Evangelicis, in prædicationis & increpationis usum.* De Regimine Politico Idem ita scribit pag. 14. *Imperium Alemannorum corruet & deficiet.* Pag. 54. *Quia Romanum Imperium contra omnes invaluit, necesse est, ut qui flagellavit alios, flagelletur & Ipse.* Pag. 53. *Summus Pontifex Sedechias repugnat Imperio.* Pag. 51. *Nota quod Nebuchodonosor erexit* Statuam adorandam, quod simile *præstolatur* in posteris tuis, *è proximo, ut vel ad literam id faciat, quod nec Patres tui fecerunt, nec ipse facturus es; vel* Pseudo-Pontificem *statuat* in Christi sede Ecclesiæ, *scilicet, quæ est* Romæ, *ut in illo ostendat se, quasi sit Deus & ipse; puto,* aureus *erit per sapientiam & justitiam;* argenteus *per eloquentiam;* aereus *per famam;* ferreus *per potentiam;* luteus, *per Vitam.* Locum ex Joachimo citant & approbant Magistri Parisienses in libro de Periculis Novissimorum Temporum pag. 54. qvum in Jeremiam scribit omne tempus ab An. 1200. & ultra se æstimare periculosum. Abbatis hujus Commentarius in Esaiam & Jeremiam editus est Venetiis 1517. & ejusdem libri Concordantiæ Novi ac Vet. Testam. ibidem anno 1519. De eo Joachimo fertur, quòd *propheticè effigiaverit mores, & actus, & numerum omnium Virorum Apostolicorum, qui futuri forent in Ecclesiâ*, notante Bromtono Chronic. col. 1052. qui porrò col. 1191. retulit, Regem Angliæ Richardum illius Prophetias, doctrinam & sapientiam libenter audivisse. Priora verba etiam habet Henr. de Knygton. 2. de eventibus Angliæ 9. col. 2394. De Joachimi natalibus, studiis, dictis, scriptis, nullâ hæreseos notâ affectis, agit Blasius Viegas in Apocalyps. c. 3. Comm. 2. sect. 3. p. 182. 183. 184. Vaticinia cum figuris & explicationibus, exhibentur à Wolfio Cent. 12. à p. 444. usque ad p. 502.

XIX. THOMAS DE AQVINO.

MAgni illius Doctoris & Germanorum Varronis Alberti Magni discipulus, eâ cum laude, ut parem non haberet, de quo præclarum est judicium Tritenhemii fol. 104. S.E. quod fuerit *ingenio subtilis & clarus eloquio, vitâ & conversatione insignis*, & qui *inter omnes Doctores sui temporis* facilè obtinuerit principatum, qui *velut alter Augustinus* se studio scripturarum dederit totum, *die ac nocte in illius amore & exercitio* commorans. Mirabilis certè sui seculi Vir fuit Thomas, doctrinâ, judicio, vitâ; isq;, quod minimè prætereundum, multis lucubrationum suarum locis eas affert sententias, quæ consonant veritati, & à quibus discedunt apertè Pontificii, quorum quædam attulit Autor Catalogi, sed parcè, non ita versatus tunc in Thomæ lectione. Conjungendus est labor laboriosissimi & judiciosissimi Theologi D. Joh. Georgii Dorschei, qui hîc operam navavit sedulam, ut ostenderet Veritatis, subinde emicantis in Thomæ Scriptis, stricturas, unde excitatus est ad Thomæ doctrinam saniorem libro peculiari, cui titulum fecit *Thomæ Confessoris*, eruendam, & per certas classes juxta Articulos Theologiæ nostræ disponendam. Felicibus auspiciis is prodiit labor ante annos decem Francofurti, Anno nimirum 1656. Quæ itaque testimonia Veritatis à Flacio, qui omnibus laboribus par non fuit, parcâ manu data sunt, ea ex Dorscheo collecti ope liberali suppleri possunt. Nullus est adhuc Doctor Ecclesiæ celebrior inter Pontificios, quàm Thomas, maximè cùm ipsi Pontifices maximi Urbanus V. & Pius, aliique Doctores Thomæ doctrinam, tanquam *veridicam Catholicam* commendaverint, eumq; *Confessorem Veritatis* ac *fidelissimum propugnatorem Ecclesiæ Catholicæ*, pronunciaverint, de quorum testimoniis Dorscheus in Prooemio. Obiit anno ætatis 50. A. Chr. 1274. die 7. Martii, quo anno etiam obiit S. Bonaventura, ejus amicissimus. Opera ejus jussu Pii V. Tomis septendecim edita sunt. Eum Johannes XXII. Pontifex inter Sanctos retulit, eumq; *Divum* esse jussit.

Ad nu. 232. p. 625.

XX. BERNHARDUS MORLANENSIS, MONACHUS.

MOnachus suæ ætatis non ignavus, ex Cluniacensium ordine, unde Flacio dicitur Cluniacensis. Ejus celebrantur tres *de Contemtu Mundi* libri, artificiosis conscripti rhythmis, in quibus impietatem Ecclesiæ Romanæ ob oculos posuit, primùm quidem generatim exprobrans omnibus Statibus adulteria, ebrietatem, ambitionem, dissimulationem, fraudes, furta, homicidia; deinde speciatim Clero *Ignorantiam, Negligentiam, Sodomiam, Simoniam*, aliaque scelera; Romamque tandem ipsam ingressus fœditatem Romanæ Ecclesiæ clarè depingit. Quædam inde sunt annotanda. In libro secundo v. 204. scribit:

Ad num. 220. p. 598

Praesse

Præest gula plebibus & senioribus, error utrisq;.
Gratia venditur, omneq; curritur in scelus ære.
Cana fides fuit, hâc amor, hâc ruit ordo ruente.
Stante fide stetit ordo, fugam petit hâc fugiente.
Lex Domini ruit, improba non luit improbus ausus.
Ausibus ultio deest, datur unctio, pro cruce plausus.
Vis caret obice, crimina vindice, judice lites.
In mala curritur, & malè vivitur, itur iniquè.
Juris abit status, est scelerum latus undiq; fultum.
℣. 225. *Justitiæ vigor, Ecclesiæ rigor, Ordoq; Patrum*
Nunc ubi præminet, aut ubi præmanet unio Fratrum?
℣. 241. Præsul *ad est, præit, ipse suum vehit, ipse suorum.*
Hinc Zelus, hinc onus, altus ei thronus est grave lorum.
Sceptriger est, fremit; hos levat, hos premit, estq; Tyrannus.
Quodq; magis fleo, mitibus est Leo, furibus agnus.
Presbyter *est, iter utile Presbyter ad bona debet.*
Non iter utile, sed lachrymabile vel sibi præbet.
Clericus *est, legit, haud bene se regit, ima volutat;*
Et facienda scit, & minimè facit, his ea mutat.
Pontificum status *ante fuit ratus, integer ante;*
Ille statum dabat, ordine nunc labat ille labante.
Qui super hoc mare debuerat se dare quasi pontem,
In Sion omnibus est via plebibus in Phlegethontem.
Si nova dicere, vel nova fingere non grave nossem;
Quos scio, sed tego, Pontifices ego dicere possem.
Stat sibi gloria, Pompa, superbia divitiarum.
℣. 281. *Ecclesiæ rigor; Imperii vigor interierunt.*
Est via fraudibus, his ea stantibus occubuerunt
Schismata mutuò, stant gladii duo, nil metuuntur.
Juraq; regia, Pontificalia jura premuntur.
Lex Domini tacet, & gladius jacet imperialis.

Mala secula se non posse satis deplorare concludit, inquiens b. 1053.

Carmen arans fleo, carmine non queo, non queo prosa
Tot mala dicere, probra retexere, ferre probrosa.
Plurima sunt ea, defit eis mea vox referendis:
Non ea vocibus est pudor omnibus his retegendis.
Deficiat scio charta, locutio, tempus & hora.

Libro autem tertio mala describere pergit, incipiens:

Perdita secula moribus æmula prævaluerunt,
Sunt sine nomine, qui sine crimine vivere quærunt,

Aurea

Aurea secula, pacis & oscula deperiêre.
Secula fætida, secula perfida sunt modò verè.
℣.25. Flet sacra regula, venditur Infula, Simon amatur.
Fictio judicat, aureus emicat, arca minatur.
Ad probra curritur, utile perditur, aret honestum.
Stat Schola criminis, occidit Ordinis, ad mala statur.
℣.57. Sermo Dei tacet, Ordo perit, placet alea fati.
Esse pium pudet, omnis homo studet impietati.
℣.173. Parcite credere, quæ pudet edere, sed tamen edam.
Horrida nomine, plus mala crimine crimina quædam.
Heu malè publicus est Sodomiticus ignis & æstus.
Nemo scelus tegit, aut premit, aut fugit esse scelestus.
℣.259. Vela Notus ferit, Ecclesiæ perit unica navis,
Credita Patribus, ad bona segnibus, ad mala gnavis.
Mersa reatibus, orba regentibus, acta procellis.
Obruta fraudibus, obruta litibus, obruta bellis.
℣.293. Quis modò cælica, quis studet Ethica scripta doceri,
Ore quis edere, corde reponere carmina veri?
Qui bene disputat, & citò computat arte scholari,
Non petit actibus, at petit artibus Abba creari.
Garrula Socrate, curva sophismate qui gerit ora,
Jactat acumina, vult sacra culmina se potiora,
Per sua grammata sive sophismata pontificantur.
℣.343. Pontificum vigor aret, abit rigor, arida dextra,
Mens mala cogitat, os scelus incitat, intus & extra.
Cessit Episcopus, estq; Dei domus absq; decore.
Mors furit intima, nempe gravissima mors animarum,
Res lacrymabilis est via Præsulis, ut via plebis.
Secula consule, secula Præsule nuda videbis.
Fugit Episcopus, est mitra, deest opus, hinc ea præstat.
℣. 399. Turba neophyta fert sacra vendita, res mala talis.
Est modò regia, cras sibi gratia Pontificalis.
Ventris Episcopus, Ecclesiæ procus est, neq; sponsus.
Ad sacra culmina deniq; crimina suscipiuntur.
Sobria pectora, canaq; tempora rejiciuntur.
Obtinet atria Pontificalia fœda voluptas.
Quilibet improbus extat Episcopus, Abba creatur,
Ut, precio, prece, dignus homo nece, sceptra lucratur.
Non sine Simone, sed sine Canone, dux animarum.

De Simoniæ vitio agit v. 604. seqq. Romamq; porrò trutinans de ejus decremento & casu scribit v. 746. seqq. quos versus attulit Flacius p. 593. 594. Subdit deinde de suis tempotibus v. 827.

Aurea tempora, castaq; pectora præterierunt;
Tempora pessima, scilicet ultima, jam subierunt.
Stant modò stantia lucra, superbia, pax sine pace;
Fraus, Venus, otia furtaq; conscia noctis opacæ;
Schismata, prælia, vis, homicidia, traditiones;
Ira protervia, livor, inertiæ, seditiones.
Stat simulatio, corruit actio relligionis.
Heu! sua propria deputat omnia Rex Babylonis.

Porrò 842. ait, se non velle omnia loqui impia, partem enim malam vicisse, cuncta jacere, v. 844. ruentibus ordine Patribus Ecclesiarum corruisse & rigorem, & rigidum vigorem v. 851. 852. Libri hi editi sunt à Nathane Chytræo Bremæ A. 1599. & ab Eilhardo Lubino Rostochii 1610. qui in Epistolâ dedicatoriâ scribit: *Seculi sui vanitatem persequitur tanta gravitate, acrimoniâ, libertate, ut lector meritò dubitet, in illo major fuerit Zelus an scientia, major pietas an doctrina, major ingenii virtus an artificii solertia. Inprimis autem observatione dignum, quòd Vir ille sanctus in sui seculi scelera non aliter debacchetur, quàm si illa jam ante quingentos annos ad illud acuminis præcipitium adscenderint, ut nec ulterius adscendi, neq; à posteritate quidquam illis ulteriùs addi potuerit. Atrocissima illa & penitus horrenda sunt, quæ de Papa, de Curiâ & de Clero Romano, & de Simoniâ, Sodomiâ & aliis abominationibus & impuritatibus Romæ plenis passibus grassantibus scribit. Vixit autem hic Bernhardus Anno Christi 1130. aut præterpropter.* Satirica & grallatoria Poesis vocatur Bernhardi à Barthio in Britonem pag. 511.

XXI. BERNHARDUS GEYSTENSIS.

VErsibus ille leoninis descripsit mores mundi adulatorios, sive Curiæ velis, sive Aulæ, quem Autorem primùm edidit Christianus Daumius. Obscurè, prout sequioris seculi Scriptores per rhythmos solebant, omnia tradidit, librosque ejus primo v. 418. legimus:

Presbyter incestè quidam vivit manifestè,
Dives opum, pecorum, frumenti, denariorum.
Præcipe patratum rebus purgare reatum,
Vel citò depone, quod debes ex ratione.
Alter *in usurâ, cui crimen crastina cura,*
Vivit & argento, quem denummare memento.
Filius ut Cleri, sic insidiaberis æri
Ejus, qui servat res & censum coacervat.
Res sequitur Monachos, griseos, albos, & opacos.

XXII. RHYTHMI DE SCHOLASTICORUM MISERIA ET SACERDOTALIS ATQUE EPISCOPALIS INFULÆ DIGNITATE OPULENTA.

INventus eſt in Bibliotheca Prædicatorum Baſileæ vetuſtus Codex, exhibens verſus leoninos de vitâ Pædagogi & Sacerdotis, è quibus Excerpta quædam dabimus, & cætera legenda committemus ex Centenario XV. Wolfii pag. 742. 743. 744.

Cur ultrà ſtudeam probus eſſe, probusq; videri,
Aut inter ſocios famam cum laude mereri?
Cur ultrà dubitem piger ac indoctus haberi,
Et non eſſe velim delirus? In ordine Cleri,
Indoctos *hodie video* pigrosque *beari.*
Artes ſcire bonas fuit olim gloria Cleri,
Gloria magna fuit, famam ſine labe tueri.
Nunc inhoneſta ſequi, nunc ſectari levitatem.
Gens hodierna ſtudet, morumq; fugit probitatem.
Artes ſcire bonas nunc pro nihilo reputatur.
Nummos ſcire bonos modò prævalet, hocq; probatur.
Hoc hodie ſtudium deducitur absque labore,
Quod quicunq; tenet, hic ſublimatur honore.
Huic hodie baculus *donatur* Pontificalis.
Venditur huic ſtudio gradus omnis Simonialis.

Deinde *Æriſmaticam* ut vocat, & *Grammaticam* confert, illiusque eſſe potiores partes ait, ex quâ nummi nummis, libræ libris cumulentur, ac ex uſuris uſuræ multiplicentur; quumque in Templis Miſſifices cantent *Dominus vobiſcum*, ex eo Epiſcopos & Sacerdotes notans pergit.

Dominus vobiſcum, *qui prædictam colit artem,*
Colligit ex hominum variis opibus ſibi partem;
Atq; hic denarios bene comperit omnia poſſe.
Quando canit, vertit gaudens ad denarios ſe;
Hos colit & recolit, his prædicat, hos & honorat;
His ſua feſta canit, magis hos quàm Numen adorat.

Dominus vobiſcum *pingui cùm murmurat ore,*
Jam ſapit intus, quòd regitur fato meliore,
Quàm Vir Grammaticus, *qui multa legendo laborat,*
Quem ſequitur mala ſors, quem pauperies inhonorat.
Syllaba longa brevis, brevis illi longa videtur;
Grammaticusq; bonus cùm ſit, ſibi vilis habetur.

Dominus vobiscum *jus contra dogmata servat;*
Nam pro doctrinâ nummos nummis coacervat.
Pro nihilo ducit dicens aliquando, Dominus
Nec putat errorem, si dicat fortè, cominus.
Fasq; nefasq; canens credit sibi cuncta licere.
Copia nummorum dat ei non posse timere.
Dominus vobiscum *vitando negotia dura,*
Otia sectatur, vitam ducens sine curâ.
Quæ pretiosa foro venduntur, quæ meliora,
Hic emit ad placitum, non curans deteriora.
Huic volucres, pisces, huic fercula quæq; novella;
Huic piper arridet, huic Zingiber atq; Canella.
Dominus vobiscum *cute clarâ, vesteq; mundâ*
Splendidus incedit, calidâ bene lotus ab undâ.
Hunc Domini, Dominæ pascunt, famuli famulæq;
Donaq; dant illi pinguissima nocte dieq;.
Suscipit ille libens, oblataq; munera servat,
Inq; suis loculis massam massæ coacervat.
Dominus vobiscum *cùm regnat, denariusq;*
Pauper Aristoteles mendicat, Grammaticusque;
Fœdere qui tanto conjuncti semper habentur,
Ut nunquam, nisi mors accedat, dissocientur.
Denique quid super est, quin imperet & dominetur,
Qui tam magnificus vel qui tam clarus habetur.
Dominus vobiscum *servat notum sibi morem;*
Nam bene munitam servat cistam interiorem.
Sed cùm vult, reserat signatam clavibus arcam,
Ut gaudens videat cum marcâ ludere marcam.
Crede mihi, Deus est, Deus est suus omnis & illa,
Nec de morte timet, cùm sit cinis atq; favilla.
Dominus vobiscum *quid non facit imperiale?*
Vendicat omne sibi jus & decus Ecclesiale.
Orbem terrarum totum quasi sub pede stravit,
Colla superba sibi Regumq; Ducumq; domavit;
Et ne quis sub eo se possit dicere tutum,
A nascente petit, petit à moriente tributum.
Grammaticus *verò tenuis, laceris quoq; pannis,*
Ah obit in studiis, brevibus consumtus ab annis.

XXIII. VALENTIUS ALUSINUS, PATINENSIS, CANONICUS.

Carmen scribit ad Morandum Avitum anno 1416. ex quo aliquot Disticha sunt notanda.

Monstra velut Libya nova profert crimina Roma,
Hæc è Romano messis habetur agro;
Quam si quis velit in numerum conferre, laborat
Idem sidereas dinumerare faces.
Heu Roma *à Româ quantum mutata vetustâ?*
Nunc caput *est* scelerum, *quæ* caput orbis *erat.*
Urbs est Lernæo similis Romana Chelydro;
Millia ter scelerum pro capite orbis habet.
Oderunt superi Romam, nec terra, nec aer,
Nec valet hanc ignis ferre, nec oceanus.
Odit & hanc Erebus, quod se plus urgeat æquo
Ad scelerum formas usq; parare novas.

Integrum carmen extat in J. Wolfii *M*emorabilibus Cent. 15. p. 779.

XXIV. THEODORICUS URIÆ.

THeologus Ordinis Eremitarum Divi Augustini scripsit libros de *Consolatione Ecclesiæ*, prosâ & metro contextos, quibus miseriam Ecclesiæ deplorat, eamque erigere conatur. Judicium de Curiâ Papali stercoreâ factâ, tale dedit. *Ad nu. 350. p. 792.*

Papa stupor mundi cecidit; secumq; ruêre
Cælica Templa Dei, membra simulq; caput.
Papa dolor, mundiq; pudor, per crebra patescit
Crimina seu scelera famine sonifero.
Heu Simon *regnat! Per munera quæq; reguntur?*
Judiciumq; pium gaza nephanda vetat.
Curia Papalis *fovet omnia scandala mundi;*
Delubra sacra facit perfiditate forum.
Ordo sacer, baptisma sacrum, cum chrismate sancto;
Venduntur turpi conditione fori.
Dives honoratur, pauper contemnitur, atq;
Qui dare plura valet munera, gratus erat.
Aurea *qua quondam fuit, hinc* argentea *Papæ*
Curia *procedit deteriore modo.*
Ferrea *dehinc facta durâ cervice quievit,*
Tempore non modico, sed modò facta lutum.
Postq; lutum quid deterius solet esse? Recordor,
Stercus, *& in tali Curia tota sedes.*

Vixit tempore Sigismundi Imperatoris, cui etiam eos libros dedicatos fuisse tulit Paul. Langius Chronic. Citicensi p. 848. & 851.

XXV. INNOMINATORUM CARMINA, DEPLORANTIA ABUSUM ECCLESIÆ.

EDita sunt Wittebergæ à Flacio Anno M. D. XLVIII. Carmina vetusta, cut titulus habet, *ante trecentos annos* scripta, quæ deplorant *inscitiam E angelii*, & taxant abusus ceremoniarum; præmisitque præfationem Edit Autor fuit Christianus ac verè pius, qui Christo totam salutem tribuit, & depl ravit vehementer *miserrimum ac corruptissimum Ecclesiæ statum*, non tam ex abu Clavium quàm doctrinæ. Queritur, Christi veritatem undiquaque exular maximè autem in Curiâ Romanâ; & sigillatim, quod beneficium Christi per h manas doctrinas & monasticas hypocrises obscuratum sit. Queritur Ecclesia factam esse *Speluncam Vespillonum*, id est, intermissam esse prædicationem Eva gelii, & Templa plena fuisse ceremoniis pro mortuis, quia hæc faciunt πρὸς ἄλφιτα. Omittamus alia, & ad rem eamus. Primum Carmen sic habet:

Deduc Sion ubertimas
Velut torrentem lacrymas;
Namq; pro tuis Patribus,
Nati sunt tibi Filii,
Quorum dedisti manibus
Tui sceptrum Imperii.
Fures & Furum socii,
Turbato rerum ordine,
Abutuntur regimine
Pastoralis officii.
Ad corpus infirmitas
Capitis descendit;
Singulosq; gravitas
Artus apprehendit.
Refrigescit charitas;
Nec jam se extendit
Ad amorem proximi;
Nam videmus, opprimi
Pupillum à potente;
Nec est, qui salvum faciat,
Vel qui justum eripiat,
Ab impio premente.
Vide Deus ultionum.
Vide videns omnia,
Quod spelunca Vespillonum
Facta est Ecclesia;
Quod in Templum Salomonis
Venit Princeps Babylonis,
Et excelsum sibi thronum
Posuit in medio,
Sed erepto gladio,
Scelus hoc ulcíscere.
Veni Judex gentium,
Cathedras vendentium
Columbas evertere.
Dic Christi veritas,
Dic charararitas,
Ubi nunc habitas?

Ejusmodi multa sunt alia de cæcitate Ecclesiæ, de fæce hypocrisiæ (loquimur c Autore), de turpi leprâ Simoniæ, quæ ibidem legi possunt. Extant ejusdem con matis Rhythmi in Codice quodam MSᵗᵒ Bibliothecæ Giessensis, qui varie manu exaratos continet libros, è quibus quintus liber suo titulo est: *Regime & Status Mundi præsens*, è quo quædam sumus excerpturi.

Pro

Procemium in hunc Sermonem.

Viri fortes, servi Dei
Non vos turbent verba mei;
Sed audite propter Deum
Flebilem sermonem meum.
Mundum dolens circuivi,
Fidem undiq; quæsivi.
Ubicunq; fidem quæro,
Vel in plebe vel in Clero;
Vel in claustro vel in foro;
Ubi fides sit, ignoro.
Fides nullibi apparet,
Totus mundus fide caret;
Filius non servat Patri
Fidem, neq; Frater Fratri &c.

Quomodo *Dolus* universaliter dominatur.

Clerus Populusq; totus
Dolo subjacet devotus.
Dolus Papam, Cardinales
Et Episcopos totales
Regit, & ubiq; Reges;
Dolus fert jura & leges;
Dolus omnia pro voto
Disponit in orbe toto.
Qui cum dolo conversantur,
Illi sunt, qui principantur;
Sed qui vere dolum nescit;
Est abjectus & vilescit.

De inordinatâ vitâ Prælatorum.

Prælati Ecclesiarum
Habent dolum valde clarum;
Nam praebendantur,
Et potenter dominantur.
Æstimo pro sensu meo,
Quod Præbendas non pro Deo
Commendant, sed mos est sibi,
Da mihi, tunc dabo tibi.
Sic adinvicem colludunt,
Foras pauperes excludunt,
Qui redonant, illis datur,
De egenis nil curatur.
Heu quam ob rem nō attendunt,
Quod sic bona Christi vendunt.
Quæ præcepit Deus dari
Gratis, & non venundari. &c.
Advertatis vos Prælati
Quanta oportebit pati
Post hanc vitam pro peccatis,
Hinc quæ justa sunt, agatis.

De Presbyteris habentibus curas animarum, quæ sit eorum actio.

Hinc curati Sacerdotes,
Possidentes amplas dotes.
De salute animarum
Subditorum curant parum;
Nihil quærunt quàm habere,
Et hominibus placere:
Non advertunt ad clamores
Pauperum, sed claudunt fores:
Sic non subditis, ut debent,
Formam bonæ vitæ præbent.
Sed per pravos suos mores
Multos ducunt in errores.

De Canonicis.

Canones Regulæ vocantur;
Hinc Canonici gignantur
Scilicet quod regulari
Vitâ debent famulari.
Cum devotione Deo;
Modò curant nil de eo
Sed libentius ad forum
Currunt, quum frequentant chorum.

Vestes

Vestes mundanas ferunt,
Nil quàm mundana quærunt.
Non impertiunt dignis
Suas opes, sed malignis &c.

De Religiosis seu Claustralibus.

Item qui in claustris degunt,
Juxta normam non se regunt,
Quam Patres instituerunt,
Sed quæ sunt vetita, quærunt.
Vestes deferunt claustrales,
Sed in mente non sunt tales.
Quàm sub regulosa
Veste latet mens dolosa!
Rixas, lites & rancores
Habent inter se majores.
Monachi & Moniales
Vivunt uti mundiales.
Qui vult Dæmoni servire,
Claustrum debet introire.

De Religiosis Mendicantibus.

Item Fratres Mendicantes
Verè omnes sunt trufantes;
Patet, quàm sint hi devoti
Cum sint tamen nequam toti
Quodq; prædicant sermone,
Raro id implent actione;
Metunt, ubi nunquam serunt,
Semper plus quàm sua quærunt.
Oves Apostolicas tondunt
Et parochias confundunt.
Dantibus applaudunt carè,
Sed qui nihil possunt dare,
Vel implere ejus manum,
Illos mittunt ad Plebanum.
Valde diligenter notant,
Ubi divites ægrotant.
Sed ad lectum miserorum,
Nullus ire vult eorum.
Puto, quod pro Deo esset,
Si in mundo nullus esset,
Monachus vel Monialis,
Sine secta Beginalis,
Postquam tantum decreverunt,
Lex & Fides perierunt;
Et totius mundi status,
Est in pravum commutatus &c.

Compilator, (ut seipsum vocat tandem concludit, & omnes incit ad emendandum, & falsitates seculi fugiendum.

Liquet, Fratres, quod erramus,
Tempus est, & redeamus.
Tempus est nos convertendi,
Tempus nobis extat flendi.
Tempus est nos redeundi
Ab errore falsi mundi.
Tempus est nos emendandi,
Verè tempus est plorandi.
Scimus quæque tum sit hora,
Redeamus sine morâ.
Vitam nostram emendemus,
Redeamus, non tardemus.

XXVI. FRANCISCUS PETRARCHA, FLORENTINUS.

Ad nu. 302. pag. 745. ARchidiaconus Parmensis, suæ ætatis vir eruditione clarissimus, pangẽdis Hetruscâ linguâ carminibus Poëtarum gravissimus, miserandã Ecclesiæ faciem vimque superstitionis non tam proso quàm ligato sermone egregiè descripsi

D

Ioh. Boccatius Genealog. lib. 14. c. 19. fol. 109. edit. Parisf. 1511. *Petrarcha, cælestis homo profectò, & nostro ævo Poëta clarissimus, nonne spretâ Babylone occidentali* (Româ) *atque Pontificis maximi benevolentiâ, quam omnes ferè Christiani summopere cupiunt & procurant, & pileatorum Orbis cardinum* (Cardinalium) *aliorumq; Principum in Vallam clausam abiit, insignem Galliæ solitudinem, locum, ubi Sorgia fontium Rex oritur, & ibidem omnem ferè floridam juventutem, Villici unius contentus obsequio, meditando atque componendo consumsit.* Postea majori elogio fol. 110. *A juventute sua cœlibem vitam ducens adeò ineptæ Veneris spurcitias horret, ut noscentibus illum sanctissimum sit exemplar honesti. Qui vitiorum omnium execrator est, & venerabile Veritatis sacrarium; Virtutum decus & lætitia, & Catholicæ sanctitatis norma. Pius, mitis atque devotus, & adeò verecundus, ut inde dicatur Parthenias alter. Est & insuper Poeticæ gloria facultatis; Orator suavis atque facundus, cui, cùm omnis pateat Philosophiæ sinus, & illi ingenium præter humanum perspicax; memoria tenax, & rerum omnium, prout homini potest esse, notitia plena, ex quo Opera ejus tam prosaica quàm metrica, quæ plura extant, tanto splendore refulgent, tantâ suavitate redolent, tanto florido ornatu spectabilia sunt, & lepore sonantium verborũ melliflua, & sententiarum succo mirabili sapida, ut cælesti ingenij artificio potius quàm humani fabrefacta credantur. Quid multa dixerim? Profectò hominem superat, & in longum mortalium vires excedit.* Ævi certè sui vir erat doctissimus, & explosor Aulæ Pontificiæ acerrimus, qui & Avenionem, ubi Papæ tum sederant, *Labyrinthi, Rhodani & Babylonis tertiæ* nomine describit, *ubi non carcer horrendus, non tenebrosa domus error, non fatalis urna, humani generis fata permiscens, denique non imperiosus Minos, non Minotaurus vorax, non damnata Veneris monumenta defuerint*; ubi *una salutis spes in* auro *esset*, auro *placaretur Rex ferus*, auro *immane monstrum vinceretur*, auro *salutare lorũ texeretur*, auro *durum limen ostenderetur*, auro *vectes & saxa frangerentur*, auro *tristis janitor molliretur*, auro *cælum panderetur.* Quid multa? *Auro Christus venderetur*; sicut hæc Petrarchæ verba ipse Bzovius ad A.C. 1356. §. 19. p. 1242. attulit. De Romanis ipse Præsulibus Epistola XVII. hunc in modum conqueritur: *Nonnè etiam Christum ipsum, cujus nomen diu ac noctu altissimis laudibus attollunt, quem purpurâ atque auro vestiunt, quem gemmulis onerant, quem salutant & adorant cernui, eundem in terrâ emunt, vendunt, nundinantur eundem? Nundinantur Christum, quasi velatis oculis non visurum, & impiarum opum vepribus coronant, & impurissimi oris sputis inquinant, & vipereis sibilis insectantur, & venenatorum actuum cuspide feriunt, &, quantum in eis est, illusum, nudum, inopem, flagellatum iterum atq; iterum in calvariam trahunt, ac nefandis assensibus cruci rursus affigunt, &, ô pudor, ô dolor, ô indignitas, talium hodie Roma est.* Epistola XVIII. Pontificiæ sedi Prophetiam Apoc. 17. v. 1. 2. applicuit, & subjunxit: *Vera Evangelistæ & Apostoli visio sit oportet, qui si Te in spiritu videns miratus est admiratione magna, quanta nos admiratione perfundimur, qui apertè oculis te videmus, ex omnibus fornicationibus tuis, de quibus biberunt*

m omnes

omnes Gentes & Reges terræ, & ex omnibus abominationibus? Quid expectes, nisi quod Ioannes idem ait: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio Dæmoniorum. Nota sunt, quæ sequuntur. Verè jam talis facta es. Quantò enim homo perditus est desperata nequitia Dæmone melior? Verè habitatio, imò regnum Dæmonum facta es, qui suis artibus, humanâ licet effigie, in te regnant. Alia testimonia dabit Ioh. VVolfius Cent. 14. p. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. & de fœdis Cardinalium amoribus ex eodem Balæus Cent. 5. pag. 408. suntque seorsum excusæ Epistolæ XVI. de Pontificatu & Romana Curia Argentinæ 1555 & Francofurti 1614.

Sunt nobis Petrarchæ Carmina Italica, inque iis parte tertia p. 165. legimus hos versus,

DEl' empia Babilonia; onde è fuggita
Ogni vergogna, ond' ogni bene è fuori;
Albergo di dolor, madre d' errori
Son fuggit' io per allungar la vita.
Qui mi sto solo; e com' ancor m' invita,
Hor rime e versi, hor colgo herbelle e fiori
Seco parlando, e à tempi migliori,
Sempre pensando; e questo sol m' aita.
Ne del volgo mi cal, ne di fortuna,
Ne di me molto, ne di cosa vile,
Ne dentro sento, ne di fuor gran caldo;
Sol due persone chieggio; e vorrei l' una
Col cor ver me pacificato e humile;
L' atro col pie, si come mai fu, saldo.

Addimus Versionem Latinam.

IMpiâ Babyloniâ, unde omnis fugit
Verecundia, omneq; exulat bonum;
Hospitium doloris, errorum mater,
Fugi & ego ad prolongandam vitam.
Hic solus sum, & prout invitat desiderium,
Nunc carmina & Rhythmos, nunc herbas flosculosq; colligo,
Utens soliloquio, temporaq; meliora reputando.
In quo salo versatur meum solatium:
Nec vulgi, nec fortunæ, nec mei rationem habeo,
Neque intus neque extra magno calore afficior:
Duas tantum personas desidero,
Utque altera corde humili & pacifico erga me esset affecta,
Altera, ut pede salvo, pristino gaudere statu queat.

In

In paraphrasi, quæ addita est, extat: *Ostendit Poeta ex Papæ servitute, se & ex aula prorupisse, adque valclusam naturale suum domicilium rediisse, ibiq; à passionibus liberum vivere, ambitione vacuum, ibique duas se personas desiderare, primam M. L. quam vellet rectè erga se affectam, alteram Stephanum Columnium, qui contra Ursinos militabat, ut pristino honoris felicitatisq; statu gauderet.*

Fiamma del Ciel su le tue treccie piova
Malvagia; che dal fiume e de la ghiande
Per l' altrui impoverir sei ricca e grande;
Poiche di mal oprar tanto ti giova:
Nido di tradimenti; in cui si cova,
Quanto mal per lo mondo hoggi si spande;
Divin serva, diletti, e di vivande;
In cui luxuria fa l' ultima prova.
Per le camere tue faciulle e vecchi
Vanno trescando, e Belzebub in mezo
Comantici, e col fuoco, e con gli specchi.
Gia non fostu nutrita in piume al Zelo:
Ma nuda al vento, e scalza fra gli stecchi:
Hor vivi si, ch' a' Dio ne venga' lezo?

Sequitur versio.

Flamma cœlestis supra tuos capillos pluit
Malitiosa, quæ ex flumine & glande,
Ut alium egere facias, dives es & magna;
Cùm tantum te mala juvet operatio.
Nidus proditionum es, in quo excluduntur
Omnia per orbem sparsa mala:
Vini, lecti, & ciborum serva,
Cujus luxuria ultimum est specimen.
Per cameras tuas puellæ & senes
Conversantur, & Belzebub in medio,
Cum flabellis, igne & speculis.
Quasi non in plumis & umbra nata esses,
Sed nuda vento exposita, & excalceata inter palos
Sic vive, ne fœtens fias apud Deum.

Fontana di dolore, albergo d'ira,
Schuola d' errori, e tempio d' heresia.

Gia Roma, hor Babilonia falsa e ria;
Per cui tanto si piagne, e si sospira;
O fucina d'inganni, o prigion d'ira:
Ove'l ben muore, e'l mal si nutre e cria;
Di vivi inferno; un gran miracol fia,
Se Christo teco al fin non d'adira.

Versio.

Fons doloris, hospitium iracundiæ,
Errorum schola, hæreseos templum,
Olim Roma, nunc Babylonia falsa,
Pro qua tot planctus & suspiria.
O fraudum fabrica, iracundiæ carcer!
Ubi bona moriuntur, mala nutriuntur,
Vivorum infernus, magnum erit miraculum,
Si non tandem tibi succenseat Christus.

pag. 76.

------ ------ Assai mi doglio,
Quando un soperchio orgoglio
Molte virtute in bella donna asconde.
Alcun è, che risponde à chi nol chiama:
Altri, chi'l prega, si dilegua e fugge:
Altri al ghiaccio si strugge:
Altri di e notte la sua morte brama.
Proverbio, Ama chi t'ama, è fatto antico.
I so ben quel, chi'o dico. Hor, l'assa andare:
Che convien, ch'altri impare à le sue spese.
Un humil donna brama un dolce amico,
Mal si conosce il fico. A me pur pare
Senno à non communicare tropp' alte imprese:

E per ogni paese è buona stanza.
L'infinita speranza occide altrui.
E anch'io alcune volte fui in danza:
Quel puoco che m'avanza,
Sia, chi nol schiffi; si'l vo dar a lui,
I mi fido in colui che'l mondo regge.

Ecchese

E Che seguaci suoi nel bosco alberga;
Che con pietosa verga
Che meni a pasto homai tra le sue gregge.

Quæ latine sic sonant:

MUltum doleo, quando superflua superbia multas virtutes in pulchra fœmina abscondit.
Sunt qui respondent, non implorati,
Sunt, qui à rogantibus fugiunt & recedunt:
Alius glacie destruitur.
Alius dies noctesque obitum secum desiderat.
Antiquum est proverbium: eum ama, qui te amat.
Scio quid dicam, ast transeant.
Conveniens est, ut quilibet suo discat periculo & expensis.
Humilis mulier dulcem optat amicum.
Malè cognoscitur ficus. Mihi videtur
Sapere, qui non divulgat, quæ altioris momenti sunt.
Ubique bonum est habitare.
Spes infinita alium occidit.
Et ego quondam saltationibus interfui.
Exiguum quod mihi superest,
Erit qui non fugiet, si ipsi daturus sum.
Fiduciam in eo habeo, qui mundum regit,
Quiq; sequacibus suis in sylvis præbet domicilium;
Qui virga misericordiæ me pascit inter suos greges.

XXVII. THOMAS RHEDONIUS, CARMELITA.

CIrca annum 1430. in Ducatu Britanniæ natus, concionatus fuit per Italiam & Galliam, & Paparum execrationes nequaquam timuit. De *Sacerdotum* quoque *conjugio* sensit, si continere non valerent, in salutem esse, ut nuptiis uterentur. De eo exstat Distichon Baptistæ Mantuani lib. de Vita beata, capite ultimo: *Ad num. 365 p. 804.*

Post tormenta pius (sibi dant quæ carcer & ignis)
Martyr ad æthereas convolat ille domos.

De eo Antoninus mentionem fecit part. 3. tit. 22. c. 10. Romæ anno 1436. jussu Eugenii IV. combustus fuit.

XXVIII. FRANCISCANI MONACHI SEU FRATRES MINORES CONTRA IOHANNEM XXII. PAPAM.

EX humilimis initiis Fratres eò mente sunt evecti, ut etiam Papæ Iohanni sese opponerent, scribendi & dicendi libertate tam animosi, ut neque carcerem, ne-

que mortem metuerent. Scripto id historico reliquit Henricus de Knygton, Canonicus Leycestrensis in Anglia, libro quarto de eventibus Angliæ Col. 2609. hæc consignans: *Non prætereunda arbitror, quæ* in Curia Romana *acciderunt. Erant quidam* Fratres de Ordine Minorum *in illis partibus, qui sæpius prædicabant & pronunciabant* Papam Iohannem XXII. Hæreticum & excommunicatum, & omnes successores suos, & *quod nullum jus haberent, nec potestatem S. Petri edere Constitutionem contra Ordinem S. Francisci aut in præjudicium. Deinde capti sunt, & quæsitum est ab eis:* Vtrum Papa posset mutare habitum eorum, & transferre eos ad Ordinem Prædicatorum. *Responderunt, quod non. Item:* Si Papa posset dispensare cum eis habere granaria & cellaria pro stauro (*penu*) reservando. *Respondent, quod non. Item:* Si crederent, quod Papa Iohannes caput esset Ecclesiæ Christi. *Dixerunt, quod non. Item:* Si crederent Decretalem, quam Papa Iohannes edidit, quæ incipit, quorundam &c. Esse bonam & rationabilem, & fidei orthodoxæ convenientem. *Dixerunt, quod non. Et plures tales opiniones prædicabant & asseverabant contra Papalem dignitatem, & manutenebant usque ad mortem; unde adjudicati sunt ignis supplicio, sed ante combustionem unus Eorum palam emisit talem Confessionem:* Ego Iohannes, indignus servus Iesu Christi & S. Francisci, profiteor & assero Papam Iohannem Hæreticum & S. Ecclesiæ inimicum pro hæresibus, quas fecit in quatuor Constitutionibus, & fovebat. Prima incipit, *Ad Conditorem.* Secunda, *Cùm inter nonnullos.* Tertia, *quia quorundam.* Quarta, *quia ubi reprobus.* Quæ sunt apertè contra S. Scripturam & sanctam vitam Apostolorum. Et ego Iohannes confiteor, & assero credere, & tenere cunctis Christianis Benedictum Papam XII. & Clementem VI. & Innocentium VI. successores antedicti Iohannis, qui dictas hæreses foverant & pronunciaverant, vixisse Hæreticos & excommunicatos, & de omni gradu dignitatis privabiles, & dignos pæna omnibus talibus ordinata. Et idem dico de omnibus Prælatis & omnibus aliis, qui ordinati sunt defendere veritatem sanctæ Matris Ecclesiæ, & fidem orthodoxam, & de omnibus aliis cujuscunque status, gradus, dignitatis vel conditionis fuerint. *Et in tali Confessione vitam finierunt per combustionem Ignis, ad laudem & honorem sui Ordinis, ut credebant.* Erat tunc Generalis Ordinis Minorum Michael de Cesena, quem Papa hæreseos damnat, erantque diffidia gravissima inter Monachos & Papas horumq; sequaces, de quo videantur Alvarus Pelagius 2. de Planctu Ecclesiæ à c. 56. usque ad c. 68. fol. 123. ad f. 171. edit. Venet. 1560. Flacius Invect. in Brunum p. 54. Calixtus Digress. de Arte nova p. 383. seqq.

XXIX. VINCENTIVS FERRARIVS ITALVS.

Ad n. 346. p. 790. EX ordine Prædicatorum Theologiæ Doctor scripsit librum *de Fine Mundi,* quo calamitates seculi deplorat, & tam Clerum quàm populum Christianum ad pænitentiam hortatur. Inter alia scribit: *Vt ferrum est durum, asperum & implicabi-*

plicabi-

plicabile,& rigidum per se,& non potest mutari,nisi per ignem & malleorum percussionem; sic est ad præsens Christianitas; nam non est Prælatus, non est Dominus temporalis,non Religiosus,non Sacerdos,nec status maritalis,nec Eremita, nec Mercator; nec status vidualis,nec Civis,nec Mechanicus,nec Status Virginalis,nec laborator agrorum,nec artifex,nec scutifex; nec magister,nec Discipulus,nec Scholaris,nec Doctor,nec Baccalaureus,nec quicunque Legista vel Canonista,nec Artista,qui se emendare velit de sua mala vita,nec per prædicationes,nec per exempla,nec per miracula, nec per prodigia,nec per tormenta,nec per infirmitates,nec per mortalitates, nec per gverras, nec per cariftias. Rediens ad Prælatos,eos sic describit; *Nunc* Prælati *superbi,vani, pomposi,Simoniaci,luxuriosi,avari,qui fidem in mensurâ terrenarum rerum posuerunt; qui tantam fidem habent, quantus est reditus in pondere. Curam Ecclesiæ ipsi curant modicum. Ad istam personam modicum currunt, quæ modicum tribuit; ad aliam plus dantem magis. De iis,qui plus dant,& qui sibi plus promittunt,curam habent; & ita eos sustinent intrusos,quòd veritas,quæ angulos non quærit,lucere non posit. Ipsi sunt sine Charitate,luxuriosi,gulosi,pigri,quia nec celebrant,nec prædicant,sed scandalizant. De* Religiosis *breviter loquendo,non est* in toto mundo, *qui ad literam teneat regulam suam,ut debet; corrupti omnes & scandalosi; animabus facti sunt via perditionis, qui debebant esse via salutis. Sacerdotes piscantur hodie honores, sed minimè mores; nam ipsi sunt ignorantes,præsumtuosi,& deridentes, idiotæ,hypocritæ, sapientibus detrahentes,avari & Simoniaci,deteriores in dies apparentes,luxuriosi, invidi & immundi, totum mundum corrumpentes,velociter post denarium currentes,sed ad virtutum cursum implicabiles, crudeles sine misericordiâ, tenentes multa arma, pauca breviaria; pertinaces & loquaces,sed minimè sunt veraces. Gauderet Christianitas, cùm* de mille unum devotum *inveniret. Ille esset utique diligendus.* De Theologia, à puritate desciscente,& Episcoporum summâ negligentiâ: *Mutatus est color optimus, id est,* Verbum Evangelicum,*quod animas depingit variis coloribus,id est, virtutibus, mutatum est,quia intellectus sacræ paginæ colorem nunc habet Philosophicum aut Poeticum,ita quòd Prædicatores omnes, nisi pauci,non prædicant Evangelium aut Biblia,sed Tullium vel Aristotelem,Matres nostræ* (Ecclesiæ) *quasi viduæ sunt, quia vel carent Rectoribus,vel hi,quos habent, non faciunt debitum circa curam animarum; nam non est* Episcopus,*qui curet de animabus sui Episcopatûs; nec* Rector,*qui curet de animabus suæ Rectoriæ; imò,quod deterius est,ipsi Rectores sunt absentes; nam si qui valentes & scientes reperiuntur in Scripturis,non resident in Ecclesiis,sed* Vicarios ignorantes *instituunt; nec dolent,si lupi rapaces animas suorum capiunt. Administrationem Sacramentorum,per quæ virtus spiritualis & gratia confertur, cum denariis comparare compellimur; quia non est unus de mille ministrator, qui liberè & actu Sacramenta ministrare velit, qui coopertè vel discoopertè non sit Simoniacus, id est, mentaliter & corporaliter. A majori enim usque ad minimum omnes student avaritiæ & Simoniæ; & sic totus* mundus *positus est in negligentiâ & obstinatione,quia nullus vult se emendare,*

dare, sed duriores ferro in peccatis efficiuntur. Omittimus ea, quæ prolixè habet de Antichristo puro & mixto, usque ad libri finem; extat autem liber integer in I. Wolfii Centenario XV. pag. 838. usque ad 848. Claruit anno 1418 & quidem, uti ait Tritenheimus de f. t. f. 162. *personaliter* in Concilio Constantiensi, tanti habitus Calixto III. ut sanctorum Catalogo adscripserit. Virum fuisse ibidem ingenio subtilem & clarum eloquio, moribus & conversatione devotum; Declamatorem sermonum suo tempore omnium celeberrimum. Scripsit Historiam huius Vincentii Petrus Rauzanus, quæ extat Tom. 2. Histor. Sanctorum Laur. Surii pag. 515. seqq commendatq; Bellarminus de script. Eccles. p. 281. Ejusdem *tres Tomos Concionum* & tractatus *de Vitâ Spirituali*. In Catalogo Testium Veritatis Eysengreinii fol. 159. à sanctitate vitæ & eloquentiâ laudatur.

XXX. HELINANDVS, MONACHVS FRIGIDIMONTIS.

VIr quondam Beluacensis territorii religiosus & facundia disertus, qui varios scripsit sermones, nec non Chronicon, unde flores excerpsit Vincentius Beluacensis, eosque retulit in librum XXIX. Speculi Historialis. Ex Fragmentis istis, quæ nobis Vincentius servavit, locus notatu dignissimus est: *Legati Apostolicæ sedis in Provinciis debacchantur, ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Satanas à facie Domini, acceptores personarum, & quasi quidam bonorum mallei. Unde Iuvenalis:* Omne animi vitium tantò conspectius in se crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur. *Episcoporum nomen & officium venerabile esset, si tantâ impleretur solicitudine, quantâ interdum appetitur ambitione, & diligerentur, ut Patres, timerentur, ut Domini, colerentur, ut Sancti; si exactionibus parcerent & projicerent ex animo, quicquid provenit ex calumnia, nec omnem quæstum pietatem putarent. In domibus Prælatorum & Principum omnia hodie venalia sunt. Frustra apud Curiales de testimonio conscientiæ, de venustate morum, de torrente eloquentiæ, nisi pretio interveniente, confidis. Ipse licet venias Musis comitatus Homere, si nihil attuleris, ibis Homere foras. Ego credo me vidisse Ostiarios Cerbero duriores. Apud Inferos Cerberus, ut ajunt, unus est. Sed quot sunt diverticula Curiarum, tot Cerberi.* Egregiè hæc ille Monachus, non ignarus Seculi, cujus scripta desideramus integra. De hoc Helinando addimus elogium Tritenhemii: *Helinandus, Monachus Frigidi Montis, Vir in divinis scripturis longa exercitatione studiosus & eruditus, atque in secularibus literis nobiliter doctus, ingenio acutus, & disertus eloquio, propter doctrinæ excellentiam & vitæ integritatem inter Ecclesiasticos Doctores sui temporis non ultimus apparuit. Scripsit plura opuscula, quibus nomen suum immortalitati donavit, è quibus feruntur subjecta:* Magnum & insigne Volumen Historiarum ab exordio mundi usque ad suam ætatem, lib. XLVIII. De reparatione lapsi; Sermones plures, Epistolarum ad diversos lib. 1. *Et alia plura. Claruit sub Henrico VI. Anno Dom. M.CC.* Eum autorem præcipuè sequuti sunt Vincentius Beluacensis & Antoninus in historia scribendâ.

VBER-

XXXI. VBERTINVS DE CASALI.

E Minoritarum Ordine Vir literatus, mirè pinxit Ecclesiam, varios eju sta hoc seculo cursus numero septenario inclusit, titulumque dedit *de septem Ecclesiæ statibus*, ex quo plurima excerpsit per aliquot capita Autor Oneris Ecclesiæ cap.5.6.7.8. aliisque locis plurimis, unde sine dubio habuit Io. *Wolfius*, qui Centenario decimo quarto pag.600.601.602. testimonia varia adduxit. Inter Scriptores Ecclesiasticos recensitus est à Iohanne Tritenhemio, cujus verba hîc afferimus: *Hubertinus de Casali, Ordinis, Fratrum minorum, Iohannis de Parma Generalis Ministri quondam Auditor, Vir devotus & in scripturis Sanctis sufficienter eruditus. Cum videret* Ordinem suum *à primâ institutione deficere, novas quasdam* sub specie Reformationis *separationes incepit, & eas à summo Pontifice confirmari obtinuit; quæ tamen ad petitiones Custodum & Ministrorum statim per eundem Papam fuerunt revocatæ. Scripsit valde præclarum & insigne volumen, Religiosis & devotis personis utile, quod pronotavit* Arborem Vitæ crucifixæ; Sermones & Epistolas, *& quædam alia.* In illo libro Arboris Vitæ scribit, teste *Wolfio*: *Pristina Prælatorum sanctitas paulatim decrevit, & ruere incepit per ambitiones, sc. per pompas & Simonias, per illegitimas electiones & avaritias, per multiplicationem & superfluitatem temporalium, per carnales suorum promotiones; per negligentiam divinorum cultuum, & per alia opera perversa, propter quæ, tanquam subjecta præambula, & malè disposita, Diabolus adversus præsentem Ecclesiæ statum est solutus, & permissus inducere suppressiones iniquas.* Cautè esse legendum monuit suos Trithemius, cùm de quibusdam Articulis aliter senserit, ac Mater omnium nostrûm Ecclesia, & vixisse ait sub Alberto Imp. Anno M. CCC. Liber de VII. statibus Ecclesiæ editus extat Venetiis Anno 1515.

XXXII. IACOBVS DE PARADISO, CARTHVSIANVS.

VOlumen sub titulo *Antilogiæ Papæ* Basileæ Anno 1555. curante *Wissenburgio*, vel potius Flacio, (nam Flacius sibi attribuit) editum est, in quo elegántia Opuscula, Catalogum Testium Veritatis illustrantia, extant, & inter illa liber de septem statibus Ecclesiæ, in Apocalypsi mysticè descriptis, & de Autoritate Ecclesiæ eiusque Reformatione, Iacobi de Paradiso, quo expresè fatetur p.482. Reformationem generalem Ecclesiæ *extremè necessariam* esse *ob mores corruptos totius orbis*; quumq; observatum fuisset dudum, quàm ipsi Pontifices extremè corrupti manum non admoverint operi pio atque necessario, non diffiteri potest probus Carthusianus, penes Pontificem non istare Reformationem, nec posse fieri per eundem ob deploratissimum Curiæ statum, qui pag.487. sic loquitur: *Palpabiliter cernitur, ipsam Pontificis Curiam maximâ indigere Reformatione, sicut omnia clamaverunt ultimò celebrata generalia Concilia. Quam* suam Curiam *si non* potest, *aut* non velit, reformare, *quam sub alis suis contegit, quomodo credẽdum est, quod tam latè diffusam reformare possit Ecclesiam*; meritòque urget, à capite esse incipiendam refor-

mationem,absq; maioribus,non minoribus,ajens p. 489. *Mihi vix credibile videtur,posse Ecclesiam generalem reformari, nisi* Curia Romana *fuerit* antè reformata; *quod tamen quum difficile sit, cursus temporum præsentium manifestat, cùm nulla gens aut natio fidelium tantam resistentiam faciat Reformationi ullius Ecclesiæ, sicut Natio Italica,& alii eis applaudentes spe promotionis aut lucri,aut temporalis commodi,aut timore amissionis dignitatum ligati.* |Bonum augurem se præstitit Carthusianus,& id cursus temporum adhuc præsentium docet,nullâ proficiendi spe, indurato per longum tempus vulnere. Alia salubria dictæ ad reformationem ex eodem Autore attulit Ioh.*W*olfius Lection. Memorab. Centur. XV.p.854.855.856.857.

XXXVII. HIERONYMVS SAVANOROLA, FERRARIENSIS; DOMINICANVS MONACHVS.

NOn labori,non periculo parcit Savanorola, ut vitiosos mores dogmataque perversa in Italiâ emendaret, sed dum magno molimine rem aggreditur, conclamatur esse Hæreticum,retroque cedere cùm nollet,igni adjudicatur anno 1498. memorabili crudelitate. Edidit pro innocentia Hieronymi libros duos Ioannes Franciscus Picus,Comes Mirandulæ & Concordiæ,quos intulit Lectionum Memorabilium Centenario decimo sexto Ioh. *W*olfius à pag. 37. ad pag. 51. magnæque libertatis in Pico argumentū est, quod indignâ morte peremtum luget inter Papæ & Italorum iras atque excandescentiam, cùm enim austeræ vitæ Monachus in sacris concionibus admirabili parrhesiâ Alexandri VI. Pontificis mores sugillasset, deposcente Pontifice atque consentiente Senatu Vir laudatus comprehend tur, ac in medio foro strangulati corpus crematur. Theologus profundus fuit,eruditoque & subtili ingenio,quod ejusScripta arguunt;sed,prout hominum sunt diversi affectus, non visus fuit dignus Gvilielmo Eysengreinio, qui inter Testes Veritatis Ecclesiæque Doctores referretur. Dolenda profectò Viri Religiosi jactura fuit visa Pico,qui inter alia,quæ de eo scribit, lib. 2.c.2.p.2.46.& hæc potuit,digna,quæ inde repetantur: *Epistola quædam, ex eorum numero,quæ* Brevia vocant,*sub Pontificis nomine Florentiam delata est,cujus erat summa*: Hieronymum ipsum pernitiosam doctrinam in eâ Vrbe seminasse,monitam non cessasse. Cæterùm, præcpto ei sub pæna excommunicationis latæ sententiæ dato,ut Conventum S. Marci Florentiæ situm Congregationi cuidam, quæ vocabatur Romanæ & Thusciæ provinciæ,copularet,non paruisse,Ecclesiasticam Censuram sprevisse,in ea pertinaciter perseverare, ob id mandari Ecclesiarum Ministris sub eadem pæna, Hieronymum excommunicatum declararent, subditosque monerent,ei nullo pacto communicandum, sed tanquam ab Ecclesia præcisum atque suspectum criminis hæresios,evitandum. *Ex sententia hujus Epistolæ tantum aberit,ut* prophetam *spirituali laqueo irretitum credamus, quod etiam inde pro tutandâ*

ipsius

ipsius innocentia validas rationes sumemus. Primò namque malè cognita causa *est* Pontifici,*ob quam proferri anathema Veritatis hostes procuraverunt,cum tamen in eo infligendo requiri ordinem causæq; cognitionem, & ratio convincat,& decretales multæ glossæ,atque ipsa etiam Decretorum glossa adstruat in primum caput 3. quæstionis,undecimæ causæ. Quis enim ambigat, aliunde quàm* malo zelo, *quanquam ignoratione causæ,provenire,ut enuncietur, H. Savanorolam*, qui nil docet,præter Christi verba, *falsam in animarum perniciem doctrinam sevisse? Hoc omnibus notum, qui aut illius vidêre* Scripta,*aut* Sermones ad populum habitos *audivêre. Hoc vel pueri nôrunt, quod &* Hostes veritatis, *quanquam ore dissimulant, pectore tamen non diffitentur. Suggestu Pontifici sunt* à perfidis hominibus *hujusmodi* contra innocentissimum Virum *nugamenta,quæ credita fuêre,ut in comminandâ poena maturior causæ disquisitio non expectaretur; quæ a.falso* nituntur, *corruant necesse est. Huius quippe sinistræ persuasionis gratiâ pravis consiliis auscultatum est, ex re esse Religionis Fratres eos; qui sub Hieronymo degebant,aliis, quos* reformandos *dicebant, copulari; idque in ipsius arbitrio situm,qui,dum de conficiendo negotio tentatus,rei,uti perniciosæ abnuisset, incaluit ardor sæviendi,effecitq; ut pæna pontificio mandato necteretur;quod cùm & ratione duce, & patrocinante jure declinasset,nihil ominus effera luporum rabies,sub ovinâ pelle delitescens,potens adeò fuit,ut* contemtor Ecclesiasticæ majestatis *insimularetur,& extorta è Palatio Epistola,uti* contumax,*anathemate percussus, &* hæreseos suspectus *publicaretur. Vide,quàm parvo è fonte mendacii* ingentia falsitatis flumina *eruperint; & sanè (ut de me fatear) postquam certior essem factus promulgatæ hujusce excommunicationis,quanquam sciebam Hieronymum &* doctrina cumulatissimum, & sanctis moribus clarum,*atque inprimis* obedientissimum, *minimè tamen credebam,è loco tam celebri prodire sententiam, quæ saltem verisimilitudine non fulciretur.* Memorat insuper Hieronymum nihil docuisse *præter Christi verba*; nihil in doctrina,*præter veritatem fidei,puritatem Christiani ritus, rerumq; futurarum prænotiones* tenuisse,prædicasse atque asseverasse. De hac prænotione Nauclerus Generat.50. fol.303.scripsit ab opinione multorum fuisse habitum *Prophetam à Deo inspiratum*, qui prædicaverit Florentiæ *Deum*, quia *Italiæ peccata,*præsertim *in Principibus Ecclesiasticis quàm Secularibus* multiplicari prospiciat,*nec ea diutius ferre valeat, instituisse Italiam flagellis expiare, Florentiâ Româq; eversis, deinde* renovationem Ecclesiæ *facere*, idque se *ex S. scripturâ* habere, dixisse. De eodem testatur Sixtus Senensis, *sanctitatis opinione omnibus admirandum* fuisse; & recensitis ejus libris hoc memorabile adjecit,*inter carceris horrores & imminentis supplicii angustias* scripsisse *Meditationes* in Psalmum XXXI. & L. *vivis verbis, animatis sententiis & spiritus fervore flagrantissimas*,lib.4. Biblioth. pag. 300.301. Quæ ex Meditationibus in Psalmos observatu sint digna cõtra Papatûs doctrinam, ea peopria lectione attulit D.Haberkornius Vindicat. Anti-Forer. Disp.33.p.834.835. Editus est contra Hieronymum Savanorolam liber,titulo: *Contra Fratrem Hieronymum Hæresiarcham*

cham libellus & Processus. In frontispicio libri expressa Imago Hieronymi, legentis & scribentis, cujus collo inhæret imago Diaboli, & pone stant alii duo Dæmones. Prologus testatur autorem esse Iohannem Poggium, Florentinum, liberque absolvitur capitibus tredecim. Epilogus habet aliquot carmina, confecta à Theodorico Vlsenio, Frisio, Medico. Vbi impressus sit, non additum. Pagina sub litera C.I. hæc habet: *Conclusiones rationibus ac signis supernaturalibus probandæ. Ecclesia Dei indiget renovatione. Flagellabitur: Renovabitur. Florentia quoque post flagella renovabitur & prosperabitur. Infideles convertentur ad Christum.* Hæc omnia erunt temporibus nostris. Excommunicatio nuper facta contra venerandum *Patrem nostrum Fratrem Hieronymum nulla est: Non observantes eam non peccant. Ego* Frater Dominicus de Piscia, Ordinis Prædicatorum, *de meâ propriâ manu me subscribo, & obligo, ad sustinendum prædictas conclusiones, non solùm cum rationibus, sed confidendo in adjutorio Dei me expono & obligo ad intrandum cum Prædicatore Fratre Minore, prædicante in præsens in sancta cruce, in ignem in publico, sperando per virtutem Dei Salvatoris ad suam gloriam & confirmationem hujus virtutis, & ad utilitatem aliorum, exire illæsus & salvus per Christum, Dominum nostrum, qui cum Patre & spiritu S. vivit & regnat in secula seculorum, Amen.* Ego Frater Franciscus, Ordinis Minorum, *licet indignus, sum paratus ad instantiam & requisitionem Dominorum Florentinorum facere cum Fratre Hieronymo de prædictis conclusionibus experimentum, quarum quædam probatione supernaturali indigent. Cum Dominico verò, quo cum nulla est diffidentia, alius nostri Ordinis Frater in ignem subire est paratissimus, vocato Iudice non suspecto, ac omnibus Religiosis.* Litera D.4.b. hæc habentur sub confessione Hieronymi: *Ego habui magnam indignationem contra Romanam Curiã, quæ propter reprehensiones me persequebatur, & etiam propter mores eorum animatus eram facere plura opera ad faciendum congregari concilium, & deliberaveram scribi facere quinque literas per diversas personas, qui concitarent quinque Reges ad faciendum Concilium.* Reges, ad quos scriptæ literæ, erant Imperator, Rex Franciæ, Rex Hispaniæ; Rex Anglorum & Rex Vngariæ.

XXXIV. IOHANNES PICVS, COMES MIRANDVLANVS.

Ante exortã disputationem Lutheri quis status in Ecclesiâ, quæque conscientiarum angustiæ fuerint, testabitur Epistola Iohannis Pici, Mirandulani in Italiâ Comitis, qui inter alia scribit: *Concutitur ab externis hostibus Ecclesia, ab internis laceratur, & Iesu Christi sangvine circumseptũ & consecratum Ovile pejus multò perpessum est, patiturq; in dies à lupis, sub ovina magis, quàm sub propriâ pelle grassantibus. Age igitur jam, Cæsar optime, Christo, Regum omnium Regi, oves suas tã ab hostibus, quàm à perfidis Pastoribus jam liberaturo, te fidum Ministrum exhibe.* Quum itaque omnia sic in Ecclesiâ tunc laborarent, eò avidiùs postea, cùm Lutherus Indulgentias oppugnaret, media arripiebantur ut onera conscientiarum excuterentur.

PE-

XXXV. PETRUS RAVENNAS.

SErmonem habuit in Synodo Caminensi, dicens: *Videmus in plurimis Clericis, quòd teneant ita publicè Concubinas, sicut uxores, & publicè, nutriunt Filios. O quod miseri clerici in Italiâ, in Franciâ, in Hispaniâ & cæteris regionibus velocius sagittâ currũt ad Tartareas oras propter incontinentiã! Gratias ingentes ago Deo meo, quia non permisit me Clericalem vitam ducere. Malui potius in matrimonio vivere, cum paucis reditibus, quàm amplissimos beneficiorum reditus possidere, & incontinenter vivere.* Attulit Iodocus Coccius Tom. 2. Thesauri Cath. lib. 8. artic. 6. p. 954. atque approbavit.

XXXVI. PETRUS DE PAPIA, FERRARIENSIS.

GRavis autoritatis Iureconsultus, praxi celeberrimus, edidit *Practicam*, in cujus editione prima, quæ prodiit Anno 1482. Norinbergæ, ita legimus fol. 195. *Licet inter Laicos temporalis communio pariat discordiam; attamen inter Clericos & Religiosos parit concordiam, qui concorditer vadunt ad unam mensam; concorditer incedunt & habitant; & per eandem Domum & Ecclesiam concorditer tractant & student* rapere & ad se trahere Laicorum substantiam, *& eadem ipsis Clericis augere & nullo modo diminuere, & propter hoc fecerunt per se legem, quod non possunt vendere, nec alienare, nec dividere eorum bona; sicq; in brevi, necesse est, quod omnia bona Laicorum subjiciantur dominio Clericorum, nisi bonus Imperator provideat, qui donationem Constantini revocet, & legem faciat, ut omnium Clericorum status ad statum Mendicantium Fratrum penitus reducatur;* & Papa cum Cardinalibus *similiter* ad Vitam Christi & Apostolorum ejus *deveniat; in cujus terrâ est generalis Vicarius, unde servare dicitur gesta ejus, quod omnis Christi actio & Apostolorum ejus debet esse exemplum & regula vivendi ipsi Papæ & Cardinalibus ejus; alioquin non videretur ejus esse perfectus Vicarius, qui deviari velit in statu & vitâ à moribus & exemplis ejus.* De Clericorum polyphagia idem in Forma lib. quo agit de Substitut. fol. 190. *Multiplicata & fundata sunt* Monasteria infinita *per universum Orbem, olim causâ devotionis licet, hodie causa* rapinæ & avaritiæ, *in tantum, quod destruxerunt hodie mundum Laicorum. Possunt ergò dici meritò talia loca facta vel fienda*, Retia *contexta ad capienda Laicorum bona.* Retia hæc exposuit Idem in forma libelli in act. confes. & servit. f. 268. hoc versiculo: *Accipe, sume, cape; sunt verba placentia Papæ*: ut Bursam Papæ laxam & insatiabilem Curiam notaret Idem fol. 8. b. *Tertius est modus acquisitionis, quæ consumsit & quotidie consumit statum Laicorum per ingressum Religiosorum.* fol. 9. a *sunt & alia multa Ecclesiarum Privilegia à stultis Imperatoribus eis* (Monusis) *collata.* &c. fol. 33. a. *Quomodo & quot modis illi Clerici illaqueant Laicos & suam jurisdictionem ampliant. Sed heu miseri Imperatores & Principes*

Ad n. 340. p. 788.

ſeculares, qui hæc & alia ſuſtinetis, & vos ſervos Eccleſiæ facitis, & mundum per eos infinitis modis uſurpare videtis, nec de remedio cogitatis, quia prudentiæ & ſcientiæ non attenditis &c f.34.a. Hoc fuit (excommunic.) *per Papas Inductum, ut ampliaretur eorum poteſtas, tam in foro ſeculari, quàm Eccleſiaſtico quæ magis eſſet reſtringenda quàm amplianda quemadmodum Pſalterium malè ſonat cum cithara.* fol.25. b.a.924.*Moderno tempore, quo ſunt duo Papæ, qui jam durarunt 30 annos ultra, & perſeverabit, nec unquam quieſcet Eccleſia in Italia, donec ipſa Eccleſia poſſederit civitates & caſtra; & donatio eidem facta per Conſtantinum fuerit per aliquem probum & potentem Imperatorem penitus revocata; cum non bene conueniant Pſalterium cum cythara, nec datum ſit à Chriſto, nec à B. Petro quòd poßidere debeant talia, ſed quod eſt Cæſaris, reddatur Cæſari, quod Dei, Deo.*1.fol.61.b. *Curia Romani Pontificis, in qua eſt fundamentum omnis avaritiæ & ambitionis.* Et Paulò poſt. *Privilegiis & Reſcriptis Papalib. Solet apponi*(de ſui plenitudine poteſtatis)*contra Deum & Iuſtitiam, & in animarum ſuarum perpetuum detrimentũ ac infamiam ſempiternam.* fol.52.b.*Hæc eſt practica modernorum Clericorum, qui habent quatuor & plura beneficia ſimul, quod totum operatur extema inſatiabilium Clericorum avaritia, qui deceperunt noſtros antiquos Laicos, à quibus ſub ſpe bene diſpenſandi inter pauperes & ſuſtinendi deſolatos perceperunt & eis collata ſunt tot & tanta immobilia quibus abutuntur paſcendo eorum equos familiares parentes meretrices & filios.* fol.64. Contra judices Eccleſiaſticos juramenta relaxantes. fol.74.b. *Clericorum animus & appetitus eſt anxius præ cæteris in pecuniis cumulandis contra honeſtatem communem & fidem Deo promiſſam non attendentes nec ſtudentes bonis moribus nec ſcripturis tam divinis quàm moralibus.*fol. 92.a.Papa debet tanquam verus vicarius ſequi veſtigia *Ieſu Chriſti, nititur detinere juriſdictionem in terris, civitatibus & villis, quæ ſunt naturaliter & à mundi creatione & Chriſti ordinatione Imperii Romani; juxta illud,*quod eſt Dei, reddatur Deo, & quod eſt Cęſaris, Cæſari.*Imo ipſe Papa in ipſo Imperatore nititur ſuperioritatem habere, quod ridiculum eſt dicere atq; abominabile audire &c.*fol.100.b.*Diſpenſationem in his & ſimilibus multis* (caſib. Matrim.)*reſervavit ſibi Papa, ut impleat burſam & ejus inſatiabilem curiam.*fol.102.b. *Mundus hodie non ſuſtinetur nec regitur, niſi de uſuris, nam caritas mortua eſt & dilectio proximi.*fol.143.a.*Nimia Clericorũ multitudo ſtatum deſtruit Laicorum.* fol.159.a. *videmus perſæpe turbari ſtatum Imperii, Regum, Ducum Marchionum & Comitum, ſtatutumq; mutatum provinciarum Nobilium, mediorum & inferiorum, quarum quidem turbationum materia & cauſa principalis eſt triplex vitium. Superbia,*Invidia & Avaritia,*quæ vitia compeſcere habet conſtans juſtitia, ſi uſus ejus locum haberet in Principum curia ſeu aula, ſed proh dolor exulavit à patria.*

AN-

XXXVII. ANTONIUS DE ROSELLIS.

IUreconsultus Aretinus, Consiliarius Cæsareus & Pontificius, sub Sigismundo Imperatore & Eugenio Papa, ejus nominis IV. scripsit libros quinque de Monarchiâ Papali & Cæsareâ, extantes Tomo primo Scriptorum de Monarchiâ Goldasti à p. 252. usque ad p. 556. & in Tractatûs Tractatuum Volumine decimo. In Gymnasio Patavino multis annis jura docuit, vegetaque senectute obiit Anno Ch. 1467. Ad n. 384. p. 818.

XXXVIII. CYNUS PISTORIENSIS.

SEmper Curia Romana malè audivit propter avaritiam. *Curia Papæ*, ait Cynus, *summopere vellet, quod totus mundus in eam influeret. Tanta est in eâ Argenti & Auri sacra fames*; in L. eos §. ne temere C. de Appellat. Subtiliores esse, omnibus aliis Regnis & Rebuspublicis Romanos in modis decipiendi scribit Antonius Fuscus in Epist. Apologet. p. 27. ubi scitè ait, Aulas Monarcharum Europæorum esse *minores Scholas alphabeticæ deceptionis, dissimulationis, fraudis & proditionis*; Curiam autem Romanam in his omnibus tradere Rhetoricam, Logicam, Metaphysicam. Cyni judicium de Iure Canonico notavit Franc. Duarenus, scribens: Plerisque persuasum est, *Ius Pontificium nihil aliud esse quàm inconditam quandam Decretorum & Constitutionum farraginem, à semidoctis Pontificibus ad quæstum magis quàm ad Reip. Christianæ commodum editarum, cujus nec liberalis cognitio nec admodum necessaria videatur. Nec desunt*, qui totum hoc Ius plenum erroribus *esse non obscurè testentur, è quorum numero* Cynus Pistoriensis *clari nominis Jurisconsultus fuit*. Hæc Duarenus, Præfat. Tract. de benef. & Minist. Eccles. pag. 454. In dicendo perspicuus luculenta Commentaria edidit *in Ius Civile*, Francofurti anno 1578. Cisnero projurante edita; de Iure verò Canonico sensit perfrigidè, dicens ab ambitiosis hominibus, qui secularem jurisdictionē usurpare affectarint, illud censitū esse; unde & ipsos istius Iuris Pontificii Interpretes, tanquam rudiores subsannare solitus fuit, quod ex Abbate Panormitano observant Guido Pancirolus 2. de claris Legum Interpretibus 58. p. 178. Val. Forsterus 3. Iuris Civil. Hist. 26. n. 13. p. 141.

XXXIX. MARSILIUS FICINUS.

PAtria Florentinus, magnas eruditionis suæ laudes consecutus fuit ob commentarios in Platonem, indeque *Platonicæ Theologiæ unicum decus, ornamentum & corona* dicitur Ioh. de Tritenhem Catal. Script. Eccles. fol. 192. Edidit præclarum opusculum, cui titulus est, *Defensor Pacis*, quo statuit, Papam infra Imperatorem esse dejiciendum, & describit graphicè Papæ & Cardinalium avaritiam & Simoniam, unde exosus factus à Papa excommunicatus fuit. De eo opere in Paralipomenis Abbatis Urspergensis f. 376. sic scribitur: *Opus habetur insigne, cui titulum fecit Autor*, Defensorem Pacis, *in quo quæstio illa jam olim controversa* de potestate Papæ & Imperatoris *excussa est. Scriptum Anno Dom. M. CCCXXIV. ad Ludovicum*

Cæsa-

Cæsarem, ex illustrissimâ Bavariæ Ducum familiâ progenitum; *quod opus A. D. 1522. primùm in lucem prodiit titulo Marsilii Patavini. In hoc legis horrenda, ut Imperator inclytus illustrißimi sangvinis Bavarici (unde & Palatinorum Rheni Comitum propagata celsitudo) decus, magnanimitate, clementiâ, religione, cunctis pacis belliq; artibus, omnibus denique Imperatoriis laudibus, nulli temporis sui Principum secundus, adeò arroganter, superbè contumeliosè acceptus sit primùm à Iohanne XXII. deinde à Benedicto XII. & postremò à Clemente VI. Urbis Romæ Episcopis, ob nullum aliud delictum, ut etiam Baptista Egnatius testatur, quàm quod citra Iohannis Pontificis Romani assensum appellationem* Imperatoris *sibi usurpare sustinuerit. Hæc visa est scil. idonea ratio excommunicandi tantum Principem*; Hæreticum *promulgandi passim per concionatores, & concitandæ rebellionis studio eundem omnes juratos ei quoquo modo sacramento absolvendi, bello vexandi*; *præterea duces ad id potissimum legere Cardinales & Abbates.* Clemens *etiam procuravit, ut adversarius ei designaretur ab Electoribus Carolus, Bohemiæ Rex, quò plus cædium & discordiarum inter Principes Christianos exardesceret.* Legi in hanc rem pro justitia causæ meretur Hervvarti Apologia.

XL. LVCIFER AD CLERVM.

Adn. 359. p. 799. EXtat Satanæ vel Luciferi Epistola ad Ecclesiasticum cætū, in qua gratias agit: quod Sacerdotum & Episcoporū culpa tot animæ ad se in infernū descendant: Refert Vincentius Beluacensis spec. histor. lib. 25. c. 89. fol. 356. his verbis: *Literis, quæ tetricis notis inscripta erant, Satanas & omne inferorum satellitium omni Ecclesiastico cœtui gratias de Tartaro emittebant, qui cùm ipsi in nullo suis voluptatibus deessent, tantum numerum subditarum animarum paterentur ad inferna descendere prædicationis incuriâ, quantam nunquam viderant antecta secula.* Hunc locum Flacius pag. 800. indicavit; ediditque idem Magdeburgi Michaelis Loteri typis anno 1549. seorsim Epistolam ex veteri Codice, contra Prælatos Ecclesiæ Scriptam, sub hoc titulo: *Epistola Luciferi ad Spirituales circiter ante annos centum, ut ex Codicis vetustate apparet descripta, Autore Nicolao Oren*; & in Præfatione ad Lectorē acriori, ut solet stilo, Epicureismum & Hypocrisin Religionis Papisticæ, allatis Episcopi & Monachi cujusdam impiis vocibus, nec non luxum atque libidines Spiritualium exagitat. *Eâ de re*, subjicit, *quandam Epistolam* Luciferi ad Spirituales *nuper Magdeburgi in Monasterio Minorum (quam volenti semper ostendemus) circiter ante anno 100. descriptam, & à quodam Nicolao Oren compositam inveni, publicare eam volui, ut etiam hinc omnes pii animadverterent, Antichristi Ministros jam longo tempore ita vixisse & egisse, ut homines αὐτοκατακρίτες, ut Paulus loquitur, decet, id est, ut faciunt ii, qui sciunt se scelerate agere*; *nec dubitant, quin ad æternum exitium destinati sint.* Exordium Epistolæ est: *Lucifer, Princeps tenebrarum, tristitiæ profunda regens, Acherontis Imperator, Dux Erebi, Rex Inferni, Rectorq; Gehennæ, universis sociis Regni sui Filiis superbiæ, qui gloriantur, cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis, præsertim modernæ Ecclesiæ Principibus, Prælatis, Canonicis Senioribusq; & singulis aliis,*

qui

quibus egressa est iniquitas, Salutem, *quâ Ioab salutavit Abner, quam vobis optamus, nostris mandatis parentibus.* In progressu Epistolæ memorat, Christum recusasse regna Mundi; Pontificem verò & Prælatos possidenda ea accepisse. *Jam enim*, inquit pag. 11. 12. *per vos terrena habentur Imperia, quæ Vobis, tanquam nostris Fidelibus, contulimus, & in aliis legitimis negotiis vices nostras in terris vobis committimus & commisimus, donec eas ad nos duxerimus revocandas.* Adversarius noster Christus *detestabilem & inopem vitam gerebat in continis laboribus & ærumnis*; Vos autem non sic; *jam enim* pomposi, incestuosi, avari, luxuriosi, ambitiosi, *jam ipsis primis parentibus non solùm dispares, sed penitùs contrarii tam in moribus, quàm in Vita, ipsosq; in derisum & in similitudinem improperii habentes, super omnes elati, & omnia possidentes, fingentes vos pauperes & mendicantes, effecti a. estis inopes veri census & pecuniæ, sc. gratiæ & vitæ æternæ; nec redditis Cæsari, quæ sunt Cæsaris; nec quæ sunt Dei, Deo; sed tantùm vobis imbursatis; imò secundum nostra decreta utriusque gladii jurisdictionem exercetis, vos mundanis immiscentes.* Postea pag. 15: *Vobis ædificatis Palatia more Babyloniorum, omni amænitate & pulchritudine spectabilia; comeditis delicata, bibitis vina fragrantia, omnium curiosâ ex lascivitate acquisita, ut prodeat quasi ex adipe iniquitas vestra; non sicut Sacerdotes Veteris Legis, qui* vinum & siceram *non bibebant; nec sicut ille*, qui locustas & mel sylvestre *edebat, sed sicut dives ille, qui* epulabatur quotidie splēdidè, *qui quidē sepultus est in inferno, cujus in cōtubernio vos volumus esse principes indubitanter. Thesauros ex usuris, turpelucris, simoniis, falsatiis, ex iniquitate & nequissimè adunatis acquisitos; non sicut ille, qui dixit* Argentum & aurum non est mihi: *Vos aurea secula reparastis; vos viam miseriæ & tenebrarum in stratam publicam & viam regiam reformastis. Circuit latentes*, pergit pag. 18. *vestra sævitia, ut rapiat pauperes, & insidiatur, quasi Leo rugiens in spelunca sua. Omnis abusus, cautela, fraus, dolus, omnis extorsio in foro vestro plus centies exercetur. Vos Episcopi, Archidiaconi, Decani, Priores, Plebani &c. estis, qui permansistis nobiscum in tribulationibus nostris; ideo nos disponemus vobis habitationē vestram ab æterno præordinatā in profundo inferni.* De Missificantibus p. 21. *Si contingat vos* Missas celebrare, *non ex devotione, sed ex exactione vel ex assuefactione ipsas dicitis; vos namq; pejores estis Iuda, qui Christum pro 30. denariis vendidit; vos autem in plateis, in foro, & ubilibet constituti, Christum, tanquam venalem, pro uno denario exhibetis, dicentes in persona Iudæ:* Quid vultis mihi dare, & ego vobis Missam cantabo. *At illi constituerunt ei* unum denarium. *Ecce quomodo Vos Christum vilipenditis, quem in foro Ecclesiæ uno denario offertis. Vos Sacramentorum usum quodammodo in abusum convertistis; Sacramenta enim pro fidelibus sunt instituta, & per Christum data. Vos autem indifferenter usurariis, fornicariis, publicis maleficis, hæreticis datis, & Schismaticis, & quibuscunque advenientibus, si saltem vobis pecuniam, vel aliquid eorum substantiæ vobis impertiverint, ut impleatur, quod dictum est per vos: Date nobis, & orabimus pro vobis.*

De Simonia, prima Luciferi filia, ſpiritualibus data pag. 28. *Volumus ſuperioribus Eccleſiæ Chriſti Papæ, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Archidiaconis, Dec nis, Præpoſitis, Canonicis, cæteriſq́, deſcendendo præcipuè committimus* Simoniam, *qu vos fecit, vos exaltavit, propriiſq́, lactavit uberibus, & nutrivit. Ipſam non vocetis* S moniam, *ſeu* peccatum, *quia omnia veſtra ſunt, & quia eſtis de plenitudine poteſtat poteſtis vendere, quia de veſtro proprio ſumitur & ſolvitur. Neque* Superbiam *exiſ metis ſuperbiam noſtram, quia talem requirit magnificentia ſtatûs veſtri; & qui noſ Conſortii & ſocii eſtis, qui ſemper eminentiam & excellentiam cupivimus, ambitioſit te cõcomitante, meritò vos nobis cõformetis. Nec eſtis* Avari, *quia pro S. Petro eſt, aut al S. Patronis veſtris, quicquid congregatis, legitimam cauſam allegantes, quia pro Eccleſ & patrimonio Chriſti hoc facitis. Nec videmini* Invidi, *quia non vultis bona aliis, ne ſucceſſibus eleventur. Nec dicemini* Acedioſi, *quia ob hoc labori parcitis, ne inde dei diſcretione vos argui contingat. Quis audet vos dicere* Guloſos, *quia corpus ad hoc n tritis, ut fortius Eccleſiæ ſervire poſſitis? Neque* Luxurioſos *vos exiſtimetis, quia tempus vivitis, ſatisfaciendo Veneri & ætati, & poſtea fortiter pænitere intenditis.* Ir cundos *nemo vos dicat, quia mala tolerare non vultis. Sicq́, de ſimilibus excuſatione facietis.* Autoritatem *quoque, ut melius poſſitis ſub virtutum ſpecie vitia palliare, & berius perpetrare, ſvademus, ut pro vobis allegetis & gloſſetis omnia veſtro Statui congr entia, & adducatis ad propoſitum ſemper autoritatem veſtram, & neminem permitta aliquid contra vos dicere; & ſi quis prædicet contra vos & veſtros, aut doceat, vel ſe ponat,* ipſum excommunicantes *violenter opprimite, & à vobis, tanquam* Hæretic *commendetur.*

XLI. BAPTISTA PLATINA.

Ad A. 381. p. 816. EXoſculamur operam & ſollicitudinem hujus Scriptoris, quâ Pontificum Vi & gliſcentia in dies Eccleſiæ Romanæ ſchiſmata, quæ funeſtiſſimis malis volverunt ſtatum Eccleſiaſticum, ſtudiosè deſcripſit. Acerbam exprobration Flacius retulit, quâ ait pietatem & ſanctitatem è Curia Romana in Aulas Cæ reas migraviſſe. Deploratior ſtatus fuit, cùm & Aula & Curia perditorum eſſent m rum. Eum indicat locus in Formoſo p. 125. *Neſcio quo fato accidiſſe dicã, ut unà cũ duſtriâ Imperatorum, ſimul etiam Pontificum virtus & integritas defecerit; quæ qu dem tempora infeliciſſima eſſe arbitror, cùm auctoritate Platonis tales ſoleant eſſe reliq Cives, quales ſunt in Republicâ Principes.* Cenſurâ Cæſareâ, quod Othonum tradu exempla, coercebantur Pontificum malitiæ, quùm verò ipſi Cæſares eſſent igna Pontificum malitia evadebat petulantior, in quam rem memorabiliter ſcribit Benedicto III. pag. 128. *Sanctitate & doctrinâ, quæ non niſi magnis laboribus conſu matáq́, virtute comparantur, Pontificum decus ſine ullis opibus primò quidem auctu*

est inter tot hostes & obstinatos persecutores Christiani nominis; mox verò ubi cum ipsis opibus lascivire cœpit Ecclesia Dei, versis ejus cultoribus à severitate ad lasciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo Principe flagitia hominum tum coercente, *hæc monstra, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potiùs, quàm possessa.* Eandem malitiæ causam tradit in Sergio III. contendensque inter se priscorum & ejus ævi Pontificum mores, scribit p. 129. *Majores, utpote viri sanctissimi, dignitatem ultrò oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Christianæ vacantes. Hi verò largitione & ambitione Pontificatum quærentes, & adepti, posthabito divino cultu, inimicitias non secus ac sævissimi quidam Tyranni inter sese exercebant, suas voluptates posteà securiùs expleturi, cùm nullibi extarent* (Principes) *qui eorum vitia coercerent.* Misera erat facies Ecclesiæ, cum Othones tres regnarent, à quibus opora data, ut Romanorum Pontificum turbæ, quas vivis coloribus describit Niemius, aliquo modo quiescerent; sed post Othones retrò sublapsa omnia, Henrico II. aliisque Cæsaribus lassioribus in emendanda Curia Romana, donec Henricus III. animosior sibi corrigendum sumeret Papam unum atque alterum; ille quippe, narrante Platina in Gregorio VI. p. 143. *in Italiam cum magno exercitu veniens, habitâ Synodo, cum Benedictum IX. Sylvestrum III. Gregorium VI. tanquam* tria teterrima monstra, *abdicare se Magistratu coegisset, Sindegerum, Bambergensem Episcopum, cui Clementi II. appellatio fuit, Pontificem creat.* Superintendentes itaque facti Paparum Imperatores de electione commodius facienda prospexerunt; qua de causa Henricus, recensente Platina in Clemente II. p. 143. *accepta à Clemente Imperii corona, Romanos in verba sua jurare coegit, Pontificum electioni se nequaquam interfuturos, nisi jussu Imperatoris id facere cogerentur; videbat enim Imperator eò licentiæ* factiosum quemque & potentem, *quamvis ignobilem, devenisse, ut* corruptis suffragiis *tantam dignitatem consequeretur, quæ certè nisi sanctitate & doctrina bene meritis, volente Deo, demandari cuipiam non deberet*, eò enim tum *Pontificatus devenerat*, quod antea scripsit in Sylvestro III. p. 142. *ut, qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate vitæ & doctrina valeret, is tantummodò dignitatis gradum, bonis oppressis & rejectis, obtineret.* In hâc confusione Pontifices aliquot ex Germania, quod malè habuit Italos, adducti, de quo Onufrius Panvinius ad Platinæ Clementem II. scribit: *Quatuor sequentes Pontifices, viros quidem sanctissimos, optimos, & de Ecclesia bene meritos, ex Imperatoris Henrici III. auctoritate creatos constat.* Alii de Henrico Papisque surrogatis, aliter sentiunt, de quo nunc non est scribendi locus. In historia Paschalis II. p. 160. memorat Episcopum Florentinum, cujus nomen non addit, Paschalem judicasse *Antichristum*, unde in Concilio Florentiæ habito dogma hoc de Antichristi adventu fuerat discussum. *Reipsa admodum discussa*, ait, *cùm levitate quadam, ut alicujus magnæ rei autor videretur, motum Episcopum Papa cerneret, hominem verbis castigatum dimittit.* In historia Benedicti IV. post

taxatam quorundam Imperatorum *ignaviam ad Pontifices* conversus, inter alia sic inquit fol. 128. *Idem etiam accidisse* Pontificali dignitati *dicere possumus; sanctitate enim & doctrina, quæ non nisi magnis laboribus consummataque virtute comparantur, Pontificium decus sine ullis opibus primo quidem auctum est, inter tot hostes & obstinatos persequutores Christiani nominis; mox verò ubi cum ipsis opibus lascivire cæpit Ecclesia Dei, versis ejus cultoribus à severitate ad lasciviam, peperit nobis tantam licentiam peccandi, nullo Principe flagitia hominum tum coercente hæc monstra & portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potius, quàm obsessa.* Multa Platinæ dicta ex ejus Vitis collegit Wolfius. Cent. 15. Lect. memor. pag. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871.

XLII. POLYDORVS VERGILIVS, ITALVS.

OPus edidit non indignum lectu de Rerum inventoribus, cujus libri tres priores Vrbini 1499. scripti sunt, & dedicati Ludovico Odaxio, Patavino. Libri posteriores quinq; Anno 1517. scripsit Lundini, dedicavitque Iohanni Matthæo Virgilio, Fratri suo, qui Patavii Græcis pariter atque Latinis literis eruditus Philosophiæ studia docuit. Quinque illis libris ait sese omnes religionis ritus eorumque initia *accuratè* exposuisse. Exinde trademus, quæ Pontificia Ecclesia ad se pertraxit ex medio Ethnicismo & Iudaismo; unde origo praxeos in hac doctrina venit observanda. Ethnici castigarunt corpus flagellis ad sangvinis usque effusionem in gratiam & honorem suorum dolorum, ut Deorum gratiam promererentur. Idem faciunt ad peccatorum expiationē Pontificii, scribente Vergilio lib. 7. c. 6. p. 591. *In supplicationibus publicis ordine procedunt ut plurimū sagis linoq; ora contecti, sese flagello converberant, nudum ac lacerum tergū ferentes, velut verè pænitentes decet. Res ista fidem facit,* à Romanis Lupercis *institutum esse acceptum, quod illi* Lupercalia ludicra *celebrantes nudi per urbem incedebant, ac larvati flagellis obvios cædebant, sicut demōstravimus, cùm de origine ludorum apud Latinos suprà* (lib. 2. c. 14. p. 155.) *prodidimus. Quod si longius liceat hujusce verberationis originē quærere, ego* ab Ægyptiis sumtū *dixerim; siquidem illi Dæmoni maximo vaccam multis cæremoniis, teste Herodoto, immolare solebant, quod sacrificium dum ardebat, omnes verberabantur.* Quæ Romana Ecclesia de suo summo Pontifice sentit, id à gentili Roma maximam partem devenit, de qua origine Polydorus lib. 4. c. 14. p. 370. *Pontificem maximum Numa Martium, Marci filium, ex Patribus creavit, cujus potestati omnia sacrorum jura subjecit, ac quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa, sacra fieri oporteret, formulam docuit, constituitq; eum, teste Festo, judicem ac arbitrum rerum æquè divinarum, ut humanarum. Fuit id, credo, certum portentum, quo est significatum,* urbem Romam *postremò perinde* Pontificia majestate ,, *quæ nunc latè patet Gentibus moderaturam,*

atque

atque olim potentia imperasset. Apposite illud caput claudit p. 378. *Atque tale fuit apud Romanos rerum sacrarum initium, quarum* bonam *nos* partem *accepimus.* Recolamus hîc verba, quæ habet lib. 6. c. 14. p. 554. *Duæ semper Religioni pestiferæ voces,* MEUM *&* TUUM, *ita multos transversos agunt, ut Sacerdotium* (maximè summum) *nil aliud nisi* quæstum, *nisi* Hæreditatem *ac* Dominatum *esse putent; & quantò veteres Patres abstinentiam arctius constrinxerant, tantò isti intemperantiæ fræna insolentius laxent. Quod postremum effecit, ut privata commoda longè potiora publicis haberentur; unde malevolentiæ, simultates & odia orta, namque ex communi privatum facere, semper discordiarum causa fuit.* Recolamus hîc Testimonium omni exceptione majus ipsius Pontificis Distinct. 21. Præfatione: *Inter Sacerdotes quædam discretio servata est, ut alii appellentur simpliciter* Sacerdotes, *alii* Presbyteri, *alii* Chorepiscopi, *alii* Episcopi, *alii* Archiepiscopi *seu* Metropolitæ, *alii* Primates, *alii* summi Pontifices. *Horum discretio maximè* à Gentibus *introducta est, qui suos* Flamines, *alios* Archiflamines, *alios* Protoflamines *appellabant.* Mirè infulatus Pontifex coronisque ornatus *pedum oscula* etiam à summis Imperatoribus atque Regibus postulat, de quo more osculandi Polydorus lib. 4. c. 13. pag. 363. *Voluit proculdubio Cornelius Centurio pedes Apostoli Petri osculari, sed pater mansvetudinis plenus, id fieri non est passus, qui elevans eum, sibi ad pedes jacentem, dixit:* Surge, & ego ipse Homo sum. *O vocem memorabilem atque salutarem, si bene multi hodie sese quoque Homines tantùm esse perpenderent, qui propterea, quòd Sacerdotio prædíti sint, planè se reliquorum mortalium longè post hominum memoriam* imperiosissimos Dominos *præbent, non communes Patres, ut fieri deberet. Ita usu venit, ut nos* Pontificum nostrorum pedes *exosculemur, illudq; institutum* à Romanis Pontificibus duxerim, *quo mos ille antiquus osculandi* à Deorũ *etiam* cultoribus *servatus, ad veram pietatem usurparetur. Perinde quandoq; expedit, ad alliciendos hominum animos ad veram religionem, ut, quod apud illos honori antea fuerat, non tollatur penitus, sed sanctiori instituto ad consimilem adhibeatur cultum;* & postquam recitassent Sacerdotes Ethnicos Romanos pedum osculatione honoratos fuisse, Cajum Caligulã sinistrum pedem præbuisse osculandum; Diocletianũ edicto jussisse pedum exosculationem subdit: *Is honos* hodie Romano Pontifici *fit, qui adeuntes se ad sacra pedum oscula admittit; cæteri verò Antistites dexteram manum aversam adeuntibus religiosè osculandam porrigunt, quod vel* ab Ethnicis *sumtum constat.* More Ethnico Papa in publicum processurus humeris Ministrorum gestatur, de quo Vergilius lib. 4. cap. 10. pag. 343. *Romanus Pontifex humeris hominum circumfertur, Stephanique II. exemplo interjecto scribit: Adeò semper veterum honorum ac pomparum magis quàm morum tenax est posteritas. Ego tamen dixerim illud* ab Ethnicis *Pontifices esse mutuatos, quando apud Romanos cumprimis mos fuit, ut prædivites ac primarii viri lecticâ à servis gestatâ veherentur.* De Virorum

& Mulierum religiosis Conventiculis, Fraternitatibus & Sodalitiis Romanorum morem recensens sub in fert lib. 7. cap. 6. pap. 592. *Hinc non dubitanter dixerim*, nostros Pontifices, *qui semper studuêre Romanos inprimis ab hujusmodi vanis, ludicris ac sodalitatibus ad pudicum ritum certamq; vivendi formulam trahere, sanctiore instituto, induxisse homines ad hasce societates coëundas, quæ hodie ubique gentium frequentes vigent optimis vitæ ac religionis institutis.* De Monachorum malis artibus & Mendicantium Ordine agens lib. 7. cap. 7. pag. 593. 594. 595. invicem contendit Deæ Syriæ Sacerdotes & Monachorum Christianorum mendicabula, scribens: *Hodie viget omnis generis fraudulentorum hominum secta, qui simul industriæ, simul laboris fugiētes, quò plus sanctitatis præ se ferunt, hoc intrinsecus dissolutiores ipsos* Deæ Sacerdotes *gnaviter æmulantur, quippe qui* per insidiosam pietatem *tanquam Divorum omnium administratores, dolis apprimè instructi, hic pro templi ædificatione, alter pro vestimentis coëmendis, alius pro alendis pauperibus, alius pro redemtione captivorum; nonnulli pro educandis expositītiis, circumeuntes castella, pagos, villas, ab hoc credulo rustico blandulè poscunt, & cupidissimè accipiunt ovem, lanam, agnum, hædum; ab illo gallinam, & ova; ab alio porcellum vel pernas; ab alio caseum & linum; ab alio superstitiosè attonito tritici sextarium, aut cadum vini, vel olei lecythum. Ad hæc aut Sanctorum reliquias, vel Apostolicas tabellas, seu quorundam Antistitum chirographica vetustate assiduoq; usu passim obliterata pyxide depromunt, illaq; magnâ cum veneratione offerentibus osculanda porrigunt, promittentes pro datis munusculis vitam cunctis cælestem. Sic ejusmodi rusticanis donis onusti prædam vendunt, in argenti laminam conflant, atque mox domum redeunt gaudentes, quod simplicia rusticæ plebis corda, ac pias mulierculularum mentes eluserint, ludificârint, fefellerint gnaviter.* Postea pag. 596. *Veteratores isti ex omni hominum colluvie congregati per hunc modum, totum Christianorum orbem tam impunè, quàm impudenter populantur, inter quos sunt* Antoniani, *ante pectus T. literam pictam habentem, qui* D. Antonii nomine *suo tempore* porcos *recipiunt, qui vicatim ipsi D. Antonio nutriuntur, quod id animal cum bene multis aliis in ejus tutela sit. Atque ita Dii nostri per hominum fraudes etiam nunc edunt, bibunt, amiciuntur.* Monachorum genium & ingenium idem Polydorus in Historiâ Anglicanâ lib. 6. pag. 119. hoc modo describit: *Per idem tempus* (Regis Edgeri circiter Annum Chr. 960.) *Monachi in alia alibi Sacerdotum Collegia venerunt, ac deinde velut jure suo ubique gentium* opes immodicas *sibi comparare cæperunt, quod posteris damno fuit, dum enim Monachi divinis duntaxat rebus vacantes hominum cætum fugiebant, ac solitudines, unde sibi nomen vindicant, quærebant, tum profectò Monasticæ vitæ institutum ritè servabant. Contrà, ubi omissâ solitudine celebritatem colere, ubi* divitias *recipere libuit, incredibile dictu est, quantum à majoribus suis degeneraverint, quippe quos etiam invitos humanarum simul rerum curam suscipere oportuit, quæ bonā hominis partem semper*

occu-

occupat. Quid quod eadem divitiarum pestis sic reliquos pariter Sacerdotes pervasit, ut magna pars à prisca pietate Patrum, *ad tyrannidem exercendam versa sit?* Ad ritus eamus, quibus solennis aliquis cultus per theatricam pompam scennesque processiones instituitur ad veniam à Deo exposcendam, & beneficia impetranda. Solebant Gentiles supplicationes publicas instituere per totam urbem circa omnia delubra, fana & pulvinaria, præeunte Pontifice. *Ex* eâ processione Ethnicâ Pontificiis materiam sumtam cultûs docet Vergilius lib. 6. cap. 11. p. 528. his verbis: *Hodie à Sacerdotibus ob metum impendentium malorum canuntur* Litaniæ, *magnâ Populi sequente caterva simul rogantis. At in re quoque læta sæpe publicè supplicamus, ut, qui metu malorum antea voveramus supplicando, postea optati compotes, & securi gaudentes, sic Deo gratias agamus. Quod vel Ethnici faciebant, dicente Virgilio de Didone, ob inopinatum Trojanorum adventum gaudente:* Simul Æneam in regia ducit tecta; simul Divûm Templis indicit honorem, *id est, ut ait Servius, jussit fieri supplicationes. Ita Romani factitabant, & aliæ pleræque Gentes*; à quibus ad nos *ritus ejusmodi dubio procul manavit.* Postea pag. 532: *Hunc & nos ritum pariter servamus, sed haud scio, an tam rectè, quàm bellè illud fiat. Vereor, inquam, vereor, ne iis in rebus* Diis *potius* Gentium, quàm Christo, *gratum faciamus; num illi suos cultores in suppliciis, ut Salustius perhibet, magnificos esse volunt? hic verè nihil magis, quàm illud horret.* Quare tandem sentit p. 533. *Nostrum igitur* Ethnicorum æmulationem *in supplicationum ritu fas tandem aliquando esset moderari.* Quòd verò Imagines sacræ in processionibus portantur solenni pompâ, idem & Ethnicis in usu fuisse annotavit ex Apulejo p. 532. & addidit, *hinc quoque in pompa sacrificali* Pontificios *Divorum imagines vel reliquias gestitare.* Quod tabellæ suspenduntur in Templis; quodque cerei aut cereæ imagines Sanctis offeruntur, id ab Ethnicis promanasse notavit lib. 5. c. 1. pag. 379. 382. quòd festis diebus Templa aulæis exornentur, frondibusque decorantur, id & ab idolorum cultoribus observatum notat eodem cap. p. 380. De Bacchanalium origine Ethnica idem cap. 2. p. 388. *Alius paris propè lascivia ludus ad nos transiit; nam ut illi* (Ethnici) *in quinquatriis minoribus & Megalensibus personati per Urbem ludendo incedebant; ita* Nostri *morem induendi personas non uno vel altero die, nec sacrorum causa, sed turpi insaniendi studio duos continuos menses ante Quadragesimæ initium stolidè servant, sub quibus inveterata jam delirandi licentia sexcenta flagitia quotidie faciunt, & illud impune, perinde quasi eo modo cuique liceat esse scelerato.* Iejunia quatuor Temporum *à Romanis* accepta fuisse affirmat lib. 6. c. 3. p. 487. Vexilla diebus Paschalibus in templis suspendi more ab Ethnicis sumto scribit cap. 12. p. 536. Ritus sepulchrales sacraque funebria ab Ethnciis proculdubio accepta esse censet cap. 9. p. 515. cap. 10. p. 521. Sacrificiorum pro salute mortuorum oblationem Ethnicæ originis fuisse cap. 9. p. 513. unà notavit; anniversarias quoque mortuorum exequias inde deduxit pag. 517. parisque origi-

originis novendiale sacrum facit cap. 7. pag. 503. itemque novendiale sacrificium cap.10.p.518.519. Quod Parallelismum Iudæo-Papisticum attinet, de eo in genere Polydorus lib. 5. c.1.p.379. *Multa* ab Hebræis, & *non pauca ab Romanis cæterisq; Ethnicis ad nos instituta manaverunt*; & in specie de Aquâ lustrali lib.5.c.8.p.428. de definita ætate Sacerdotali lib.4.c.8.p.333. Sacerdotumque integris membris p. 332. de peculiari vestitu Sacerdotali ex Sacerdotio Aaronico lib.4.c.5.p.311. & cap. 7.p.326.327.328. & lib.6.c.12.p.534. de corona seu raso vertice Clericorum lib. 4. c.8. p.330.331. de solenni consecratione & inauguratione lib.5.cap.8.p.389.390. de Decimarum largitionibus lib.6.c.4. p. 546.547. de Cardinalium ordine eorumque rubro galero lib.4 cap.9.p.335.336.340. de Episcoporum & Sacerdotum unctione lib.5.c.3.pag.389. Vestiumque Sacerdotalium consecratione lib.6.cap.12.pag.534. de instituto Monasticæ Vitæ ab Essæis lib.7. cap.1.pag.558.559. Virginum consecrandarum velatione lib.4.cap.13.p.361. de Encæniorum festis lib. 6. cap. 8. pag.511. de thuris sub Missam accensione, & usu lavandi manus lib.5.cap.11. pag.448 449. de Tintinnabulorum usu lib.5.cap.12.p.535. Templorum dedicatione & consecratione lib.5.cap.7.pag.420 de luminaribus, lampadibus & lychnis pensilibus lib. 5.cap.1.pag.382. de ciborum discriminibus lib 3.cap.5.pag. 214. & lib. 6. cap. 6. pag. 498. de processionibus lib.6.cap.11.pag.526. de asylis templorum lib. 3. cap.12. pag. 249. de celebratione Iubilæi lib. 8. cap.1.pag. 610. de anathematibus & interdictis lib.4.cap.12.pag.357. de suppliciis Hæreticorum lib.8.cap.4.pag.633, 634. de puerperarum Levitico ritu emundatione lib.5.cap.5.pag.409,410. edit Lugdun.1590.

XLIII. NICOLAVS MACHIAVELLVS.

MAlum Italiæ à Pontificibus, quod docet 1.Histor.Florent.p.15.16.35.37. Pontificis quod dicit p.21. *autoritas Romæ & in Italiâ magna erat, prout eã amabant Imperatores & potentissimi quique.* Regno Longobardis ademto per Carolum Magnum, eôdemque per Ottonem I. ablato Berengariis, autoritas Pontificis sumebat incrementa fortiora, quibus tandem ipsis Imperatoribus ægrè faciebant. Pontificibus fuisse Excommunicationem pro sagena ad capienda regna ex Machiavello tradit Franciscus Stancarus, Mantuanus, in Canonibus Reformationis Polonicarum Ecclesiarum pag.12. cujus verba: *Censuram Ecclesiasticam revocandam esse volumus, sed non ad exigenda debita, aut confirmandam externam Cleri immunitatem, & dominationem ac tyrannidem Papisticam; nam, ut alios mittam, Machiavellus in historia sua manifestè testatur, Pontifices suis excommunicationibus subjugasse omnes Reges & Principes Christianorum sua tyrannidi, & in tantum imperium, fastum & superbiam intolerabilem evasisse. At nos revocamus excommunicationem ad coercenda scelera & flagitia, & ad corrigendos malos populi mores.* Videantur Animadversiones D. Conringii in Machiavellum.

CLASSIS III.

HISPANICORUM TESTIUM.

I. CONCILIUM TOLETANUM III.

DIvinus cultus ex recepta Gothorum consvetudine in Hispanicis Ecclesiis publico totius gentis consensu, gubernabatur, & disciplina Ecclesiastica, vitio temporum labefactata, quod erat omnino necesse, astringebatur atque revocabatur. Sancitum ait Flacius, ut omnes sese Ecclesiæ conformarent ad Metropolitanam in cantionibus & actionibus Ecclesiæ. Quam quoq; conformitatem in cantionibus Concilio Toletano XI. idem Flacius pag.77. præceptam docet. Ritus Gothicos à ritibus Romanensium diversos fuisse ibidem Flacius observavit; idemque Hispaniæ celeberrimus Theologus Iohannes Mariana in libris suis Historiarum de rebus Hispaniæ notavit. Ad A.925. scribit lib.7.c.20.pag.314: *Persuasum Romanis ab antiquo erat in ratione precandi Gothicâ multa depravata esse, insolentes sacrorum ritus atque opiniones de religione discrepantes invectas. Ergo Zanellus* (Legatus Pontificis in Hispaniam) *in eam curam incumbendum judicans libros Ecclesiasticos cum curâ conquisitos, diligenter excussit, atque* in ritu, quamvis diverso, *contrà quàm suspicabatur, omni religioni consentire deprehendit, Romamq; rediens Pontifici* (Iohanni) *visa cognitaq; retulit in magno Patrum consessu. Gratias illi pro divino munere agentes, libris comprobatis illud modò sanxêre, in sacratiori secretâq; sacrificii Christiani parte* Romano ritu *precandũ videri; nimirum alia mystica verba, quibus panis vinumq; convertitur, retentâ tamen sententiâ proferebant ad hunc modum:* Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est calix Novi Testamenti in meo sangvine, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. *Quibus verbis ne nostrâ quidem ætate ii utũtur, qui ritu Gothorum sacrificant divina hostia permissu Pontificum. Hunc exitum ea tum controversia habuit, multis deinde seculis repetita, donec Hispanorum sive constantia, sive contumacia victa est, atque Gothica precandi ratio* Romano ritu *mutata.* De eadem controversia idem lib.9.cap.5.pag.368: *Hugo, Pontificis Rom. in Hispaniam Legatus, Barcinone in Episcoporum & Procerum conventu Raymundi, Barcinonensis Comitis voluntate, Gothicas leges, quibus antè utebantur Catalauni, abrogavit, novasq; sanxit, unde jura populis ad nostram ætatem dantur. Hunc esse Hugonem illum Cardinalem puto, cognomento* Candidum, *qui anno hujus seculi sexagesimò quarto* (Anno 1064) *ad Principes Hispaniæ est Româ de rebus magnis legatus. Duo summum Pontificatum gerebant, & uterque legibus creatum se dicebat, Alexander & Honorius. Ab Alexandro, à quo Hugo missus erat, quoniam meliori jure nitebatur, Hispani Reges steterunt. Is Legatus ut* Gothica precandi ratio *abrogaretur, quamvis*

Ad n. 72. p. 76.

magno conatu, obtinere non potuit. Poſtea ad Annum 1067. cap. 7. pag: 371: *Extat Gregorii VII. qui proximo tempore Romanum Pontificatum adeptus eſt, præclarum de Ramiro Rege teſtimonium, quo primum Hiſpanorum Regum ait Toletanæ ſuperſtitionis* (*ſic* Gothicam precandi rationem *vocat*) *per gentes fuſæ, & quæ mentes hominum ſtulta perſvaſione imbuerat, repudiatis erroribus, majeſtatē Romani moris & cultûs lucem in Hiſpaniæ terras invexiſſe.* Demum poſt varias per modos etiam illicitos diſceptationes ſub Papa Vrbano II. Gothica conſvetudo abrogata fuit, quod non aptioribus quàm Marianæ verbis deſcribi poterit: *Toleti communi conſenſu de* Gothica precum ratione antiquanda *actum, quâ Hiſpani vulgò utebantur ab antiquiſſimis temporibus; præterea ex Iſidori, Illefonſi & Iuliani, quos in cœlitum numero habent coluntq́, autoritate. Tentatum id quidem aliquoties erat, neque tamen ſucceſſerat, quod vulgò homines, ſed & primores gentis, antiquis ſtari mallent, nihilq́ tenacius inhæret, quàm quod religionis ſpecie defenditur. Hoc tempore tanta à Primate (Toletano) & Legato contentio adhibita eſt, tum à Reginâ eorum conatibus enixè favente, ut victâ gentis conſtantia tandem pervicerint.* Singulari *tamen* certamine *homines militares, & in armis nutriti, rem tantam dijudicari voluerunt. Die dictâ duo milites ab utrâque parte lecti in arenam deſcenderunt; vicit, qui antiquum Hiſpanorum morē & vetuſtiſſimam precandi rationem retinendam eſſe tutabatur, Ioannes Ruizius ex familiâ Matanciâ, quæ ad Piſoricam fluvium habitabat, & cujus poſteri ad noſtram ætatem ejus certaminis memoriâ illuſtres manent. Verùm adverſæ partis ſtudia cùm nihil eo caſu remitterent, neque victa vincerentur, viſum eſt* controverſiam *Ignis judicio* permittere; *ſic ejus ſeculi mores erant rudes & agreſtes, neque ſatis expenſi ad Chriſtianæ pietatis regulam. Rogo in platea accenſo* liber uterque, Romanus & Gothicus, *in ignē projecti, &* Romanus *quidem continuò ex igne proſiliit, ſed ambuſtus, uti Rodericus ait. Id populus victoriam interpretabatur; nam liber alter ſub igne & flammis diu permanens illæſus inventus eſt. Rege arbitro, Populo nihilominus perſvaſum, utramque precandi rationem ſuperis placere, quando uterque liber ex incendio evaſiſſet incolumis. Quodam tamen temperamento eam controverſiam componere viſum eſt. In antiquis Vrbis templis, quæ* Mozarabum *vulgò dicebantur*, vetus precandi ratio *retinetur, quod hoc etiam tempore, ſtatis anni diebus, iis in templis factitari videmus. Præterea in Templo maximo Sacellum extat, ubi ex* Gothicâ precandi ratione, *Franciſci Ximenii Cardinalis impenſis, ne tantæ rei memoriam vetuſtas obrueret, Sacerdotes conſtituti ſacris dant operam. In reliquis Templis, quæ denuò Toleti ſacrata erant, conſtitutum, ut* ex Romano ritu *rem divinam procurarent, & divinas laudes ſtatis diei temporibus decantarent. Ex eo facto in proverbium vulgare abiit inter Hiſpanos, Leges pro Regum arbitrio verſari. Ea controverſia compoſitâ Toleto ſplendor antiquus, & civium Chriſtianorum frequentia reddita eſt.* Hæc ad Annum 1088. Mariana lib. 9. cap. 18. p. 394.

II. SA-

II. SACERDOTES HISPANICI CONIUGATI:

IN Hispaniâ Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos in conjugio vixisse longâ consvetudine, indicant literæ Paschalis Pontificis, missæ ad Didacum Gelmirium, Compostellanum Episcopum, quarum hoc exemplum est: *Paschalis Episcopus, servus servorum Dei* Venerabili Didaco, Compostellano Episcopo, *salutem & Apostolicam benedictionem.* Ecclesia, *quam regendam, disponente Domino, suscepisti jam diu etiam, cùm Pastorem habere videretur, Pastoris solatiis caret. Idcirco strenuitati tuæ vigilantiùs insistendum est, ut in ea ritè omnia juxta normam Sedis Apostolicæ disponantur.* Cardinales *in Ecclesia tua* Presbyteros *seu* Diaconos *tales constitue, qui dignè valeant commissa sibi Ecclesiastici Regiminis onera sustinere. Porrò quæ Presbyterorum intersunt, Presbyteris; quæ Diaconorum Diaconis committantur, ut in aliena stipendia nullus obrepat. Si qui sanè ante Romanæ legis susceptionem* secundum communem Patriæ consuetudinem Conjugia *contraxerunt*, natos ex eis Filios *neque à seculari, neque à dignitate Ecclesiastica repellimus. Illud omninò incongruum est, quod per regionem vestram* Monachos cum Sanctimonialibus habitare *audimus, ad quod resecandum experientia tuæ immineat, ut & qui in præsentiarum simul sunt, divisis longè habitaculis separentur, prout arbitrio & Religiosorum virorum consilio melius visum fuerit, neque in posterum consvetudo hujusmodi præsumatur. Datum Laterani Incarnationis Dominicæ anno M. C. III; nostri Pontificatûs quarto.* Epistolam hanc attulit Iohannes Mariana, Theologus Hispanus, libro 10. de rebus Hispaniæ cap. 11. pag. 428. Hunc in locum referri meretur prudens vigilantia Emanuelis, Regis Lusitaniæ, qui à Pontifice Romano *Equitibus sacris* facultatem connubiorum impetrabat, ut ita scortationibus, quibus incumbebant in Cælibatu, valedicerent. Rem narrabimus verbis Hieronymi Osorii Silvensis in Algarbiis Episcopi: *Eo tempore, quo* Hispania, *maxima ex parte erat sub Arabum potestate & imperio constituta, cùm esset perpetuum inter illos & Christianos bellum sine ullo firmo & stabili induciarum fœdere concitatum, fuêre quidam Viri nobiles, non magis virtute quàm religione præcellentes, qui vovebant se pro Christi gloria, quamdiu vires suppeterent, summa contentione pugnaturos. Quod ut multo alacrius facerent, & ut commodiùs ad cælum viam munirent,* à nuptiis abstinebant. *Horum vita partim in religionis studio, partim in armorum exercitatione consumebatur; tantusq; erat in illis ardor animorum, ut eos beatissimos judicarent, qui in bellis pro defensione Reip. & Christi sanctissima religione susceptis occumberent. Horum exemplum cùm multi sequerentur, fuerant* varii militarium Religionum Ordines *instituti, à Regibus multis beneficiis ornati, & à Pontificibus Maximis approbati, ex quibus multi Viri prodiêre, quorum virtute Mauri sæpissimè cũ magna Christiani nominis gloria fusi fugatiq; sunt. Erant autem omnes imagine Crucis ex panno partim rubro, partim viridi facta, & vestibus assuta, secundum pectus insigniti. In Portugallia verò, præter reliquos Militum Religiosorum Ordines* alius *à Dionysio Rege constitutus est; quem* à Christi militia *appellarit*

Ad nu. 41. pag. 49.

lavit. Crevit hic Ordo, multisq; bonis auctus & amplificatus est. Emmanuel *autem cùm videret, quod discrimen impenderet tam Militibus hujus Ordinis, quàm reliquo rum omnium (si enim contra fidem Christo obligatam libidinem minimè refrænarent necesse erat, ut scelus nefarium susciperent, & simul, ne illis, qui ex religiosis militib nascerentur, esset illa macula generis inusta, quæ nothis omnibus, quamvis sint nobiliss mis parentibus procreati, subeunda est) postulavit ab* Alexandro, Pontif. Max. *ut solve ret* eâ perpetuæ castitatis religione omnes Equites Lusitanos, *qui deinceps alicuju religiosæ militiæ Sacramento tenerentur. Illi namq;, qui jam erat solennis voti religion obstricti, fieri non poterat, ut salvâ ipsius religionis fide eandem licentiam impetraren Concessit id Regi Pontifex, atque deinceps licuit omnibus, qui in aliquam religiosam m litiam ascriberentur,* uxores ducere, *exceptis solùm Hospitalensis Ordinis Equitib qui in quibuscunque partibus sint, eadem perpetuæ castitatis religione constringuntu Hæc autem Regis providentia, quâ, ut videbatur, sceleribus occurrebat, & suos* magn incontinentiæ periculo *liberabat, à multis laudari solet.* Hæc Osorius lib. 1. de rebu gestis Emmanuelis, Lusitaniæ Regis, fol. 10. 11. qui tamen salutari Regis & Papæ di positioni obstrepere audet. Quàm difficile fuerit, imò impossibile, sublato ver conjugii usu Hispanicum Clerum in continentiæ voto continere, ex diversis Con ciliis Hispanicis tradit D. Calixtus de Conjugio Sacerdotum pag. 312. 313. 314. 315.

III. ALVARVS PELAGIVS.

JOh. Tritenheim de Scripit. Eccles. fol. 124. *Alpharus Ordinis Fratrũ minorũ, natio Hispanus, Vir in divinis scripturis eruditissimus apud Iohannem XXII. in precio ha bitus, edidit ingenii sui quædam præclara volumina, quibus nomen suum ad notitia posteritatis transmisit, è quibus extat Opus magnum & insigne,* defectus Ecclesiastica rum personarum describens, *quod prænotavit* de Planctu Ecclesiæ. *Claruit su Ludovico IV. A.D. CCCXX.* Inter alia scribit: *In nullo peccato hodie Religiosi tantũ credo, quod Deum offendant, quantum* in fictis & hyprocritalibus Confessionibus *Vix enim, aut rarissimè aliquis talium confitetur, nisi per verba generalia, vix unquam aliquod grave specificant. Quod dicunt unâ die, dicunt & in alterâ, ac si in omni die a qualiter offendant. Vix unqam habent intentionem cessandi, nec vitã mutandi. De pec catis quæ confitentur, confitentur quædam venialia, ut sc.* de silentio, de judicando de murmurando, de gula, de subitâ iracundiâ, de verbis otiosis, de verbo omiss vel dictione in officio divino *& similibus; sed rarissimè confitentur* de pecuniâ, d inobedientiâ, de suspectâ familiaritate, de odio ad fratrem, de persecutionibu adinvicem & diffamationibus, de ambitionibus, de hypocrisi specificata maliti declarata, de assiduis mendaciis; de temporis perditione pro magna parte, de su perbia & invidia specificata, de gastrimargia frequentata, de jejuniis Ecclesiæ com mendatis & à regula sine vera necessitate fractis, *de aliis capitulis regulæ, quæ continen præcepta aut prohibitiones. Et si ista crimina & similia declarent & specificent, rariss simè*

sime tamen cum proposito dimittendi, quod est se justificare & in hypocrisim tendere. Unde veraciter, sicut experientiâ *didici* inter Fratres & in Officio Pænitentiariæ Domini Papæ, (Ioh. XXII.) *in quo sum, purius & humilius & veracius incomparabiliter confitentur maximi peccatores seculares & Clerici, quàm* Religiosi *communiter, hypocritaliter confitentes. Quanto autem magis sunt in ordine Literati aliqui Magistri & Lectores & Bacculaurei & Prælati, tanto in Confessionibus sunt magis cæci, & hypocritalibus confitentur. Verè Religiosi in Confessionibus suis communiter decimant mentham & anethum, id est, cõfitentur aliqua venialia, sed graviora legis, id est, mortalia, inprimis specificata & alia indecimata relinquunt, id est, inconfessa, culicem colantes & glutientes camelum.* Hæc Pelagius 2. de planctu Ecclesiæ 78. fol. 212. a. edit. Venet. Anno 1560. Alia ex eo testimonia producit Ioh. Wolfius Centen. XIV. Lect. Memorab. pag. 631. 632.

IV. NICOLAVS TVDESCVS, SICVLVS.

OPus est aggressus magnum Arhiepiscopus ille Panormitanus Iuris Canonici Interpretatione, vigiliarum labore maximo expedita, ut hinc *Lucerna Iuris* diceretur, teste Tritenhemio de S. E. fol. 166. & simul commendetur, quod *sermone apertus* fuerit. Apertus certè fuit in quæstione quadam explicanda *C. cum olim, de Cler. conjugat.* Quam Ipse proponit, Comm. fol. 16. col. 1. edit. Taurin. 1577. *Nunquid hodie Ecclesia possit statuere, ut Clericus posset contrahere Matrimonium, sicut Græci*, & sibi Pontificique Romano meritò respondet: *Credo*, quod sit; *& non solum credo, potestatem inesse Ecclesiæ hoc condendi, sed credo* pro bono & salute animarum, *quod esset* salubre statutum, *ut volentes continere & magis mereri, relinquerentur voluntati eorum; non volentes autem continere*, possint contrahere; *quia experientia decente contrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege cõtinentiæ, quũ hodie nõ vivant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu, cum eorum gravissimo peccato, ubi* cum propria uxore *esset* castitas, *ut dicitur* cap. Nicæna, *unde deberet Ecclesia facere, sicut bonus Medicus, ut si Medicina, experientia docente, potius officit quam prosit, eam tollat. Et utinam idem esset in omnibus Constitutionibus positivis, ut saltem obligarent, quoad pœnam, & non quoad culpam; nam ita creverunt Statuta, ut vix reperiantur aliqui, qui non corruperint viam suam* Coacta illa castitas verè misera est castitas, plus mali inferens religioni, quàm dicere liceat; ut non sine causa judicarit Polydorus Vergilius, ex Ordinis esse usu, *ut tandem aliquando* Ius publici matrimonii *Sacerdotibus restitueretur, quod illi sine infamia sanctè potius colerent, quàm se spurcissimè ejuscemodi naturæ vitio turpificarent*, 5. de Rerum inventione 4. pag. 401. Non est dubium apud Abbatem Parnormitanum in *C. 6. licet, de Elect.* fol. 123. col. 2. Cælibatum Sacerdotum *ex Scripturis* probari non posse; qui ulterius ascẽdit, & de Matrimonio Papæ, ante susceptum Papatum inito, discursum instituit, tunc aut uxorem inducendam esse ad continentiam, aut *si uxor noluerit*, *Ad n. 364. p. 903.*

Papam obſtringi ad reddendum debitum. *Nihilominus*, inquit, *ſtet in Papatu quia non repugnat ſubſtantiæ Papatus ſeu Clericatus; nam & Petrus habebat uxorem cùm promoveretur in Papam; continentia autem proceſſit ex conſtitutione Eccleſiæ.* Idem Abbas C. ſignificaſti de elect. & elect. pot. fol.122. *In concernentibus fidem* Conciliū eſt ſupra Papam; *unde non poteſt Papa diſponere contra diſpoſitū per Concilium. Hinc eſt, quod* Concilium *poteſt condemnare Papam de hæreſi. Ut in cap. Si Papa dicitur, quod Papa poteſt eſſe hæreticus, & de hæreſi judicari; & dicunt Doctores in cap. in fidei favorem de hæret. l. 6. quod Concilium eſt Iudex. Puto tamen, quod ſi Papa moveretur melioribus rationibus & autoritatibus quàm Conciliū, quod ſtandum eſſet ſuæ ſententiæ; nam &* Concilium poteſt errare, *ſicut aliâs erravit ſuper matrimonium contrahendum inter raptorem & raptam, & dictum Hieronymi, rectiùs ſentientis, poſtea fuit prælatum Statuto Concilii; nam in concernentibus fidem etiam dictum unius privati eſſet præferendum dicto Papæ, ſi ille moveretur melioribus rationibus & autoritatibus N. & V. T. quàm Papa.* Hæc ille, ut & alia alio tempore conquirenda, Vir ſane ſui temporis ob ſingularem eruditionem, prudentiam & Iuris utriuſque peritiam magni æſtimatus, ut ob ea dona evocatus Parmâ, ubi Ius profeſſus fuit, Romam conſtitutus fuerit Cauſarum in Rota vel Conſiſtorio Romano auditor; poſtea in Abbatem Monacenſem Ordinis S. Benedicti electus, ex Abbate factus fuit Archiepiſcopus Panormitanus, ac tandem Cardinalitia dignitate cohoneſtatus.

V. PETRVS VXAMENSIS, HISPANVS.

SAlmanticæ circa annum 1478. Theologicis Scholis præfuerat librumque vulgaverat, quem fuiſſe contumelioſum *in Romanæ Eccleſiæ Majeſtatem* notant, cùm inter alia ſcripſerit, *Romana reſponſa* eſſe *errori obnoxia.* Oppoſuit Scriptum Iohannes Prexanus, nobilis ea ætate Theologus, ſed ſtilo rudiori, & argumento Scholaſtico rem tractans. Scripta ſi in manibus eſſent, inde fuſiùs controverſiarum poſſet dari ratio. Audacem Theologum vocat Petrum Mariana 24. Rer. Hiſp. 19. p. 398. qui *ex ingenio pravo vetuſtate fixas de religone opiniones* moverit.

VI. ALPHONSVS, ARRAGONIÆ REX.

SAlsè dixit Alphonſus, Arragonum Rex, *Harpyias* non jam amplius Inſulas, ut Poetæ exiſtimarunt, incolere, ſed ex Inſulis avolaſſe in Curiam Romanam, ibique domicilium ſuum fixiſſe, ut refert Ant. Panormitanus de dictis Alf. lib. 1, c. 8. pag. 10; & Gomeſius in Regula, de Valore beneficiorum, in Pæf. circa finem.

CLASSIS IV.

GALLICORVM TESTIVM.

I. PHILIPPVS AVGVSTVS REX GALLIÆ.

ALexander III. Philippo Augusto per censuram Ecclesiasticam sacris interdixerat, quod Pontificis ambitiosa decreta respueret. Literas igitur ad Pontificem dedit, quibus non obscurè, aut ambiguè, sed apertè declarat, se Pontificis imperio non teneri. Literas has extare in Archivis Francorum, in Capsa, quæ inscripta sit, *Anglia*, testatur Bodinus 1. de Rep. 9. p. 219.

II. CAROLVS VI. GALLIÆ REX.

CLaruit inter Gallos insignis Iureconsultus Ludovicus Servinus, Sacri Consistorii Regii Consiliarius, & in supremo Senatu Parisiensi Advocatus Fisci Regii, qui *Vindicias secundum libertatem Ecclesiæ Gallicanæ & Regii status Gallo-Francorum* scripsit, & anno 1593. edi curavit. Vir pereruditus fuit, multaque in eo libro sunt sapienter dicta; uti & in alio Tractatu de Legatorum Romani Pontificis potestate. Magni fecit Virum Desiderius Heraldus, insignis eruditionis Vir, qui non dubitat de eo scribere in Dedicatione Adversariorum: *Tanta tua est eruditio; tanta acies judicii, ut, quod tibi placet, cæteris displicere non posse existimem. In Te non amplissimam dignitatem, sed meram probitatem, meram doctrinam, meram bonarum literarum cognitionem (hæc enim vera & interna bona sunt) præcipuè miror.* Multis modis spectatam fecit suam eruditionem Servinus in Vindiciis, dumque eas paulò attentius legimus, observamus afferri *Decretum Parlamenti*, quo anno 1406. magnus Rex conquestus fuit de Papæ in Regnum Francorum iniquitate, inprimis contra iniquas exactiones Petri de Luna, qui sese dixerat *Benedictum*; proponiturque officium Regis in sublevandis subditis adversus tyrannica onera, Regno Franciæ & Delphinatui Viennensi imposita; deinde demonstratur, non licere tantùm à Papa, inordinatè ambulante ex Apostoli consilio se subtrahere; imò id expedire, & sequendum aliud Apostolicum: *State, & nolite iterū jugo servitutis contineri.* Porrò ostenditur, à Papa illo agi contra sanctæ Synodi Chalcedonensis & aliarum authoritatem, qua definitum fuerat, nullum Episcopum aurum vel argentum à Parentibus, vel Clericis, vel Monachis, qui sub eo sunt, expetere debere; pecuniasque contra Gregorii, Bernardi & aliorum Sanctorum, imò Evangelicam autoritatem, in Ecclesiæ subversionem extorqueri. Additum etiam, ad Reges omnino pertinere necessitatem defendendarum Ecclesiarum, exemplo Regis Ioæ, qui primò Dei populo præfuerat; ut & multorum Galliæ Regum. Vnde concluditur, necessariam esse Regni Galliæ ab obedientia Pontificis subtractionem; aut impediendam atque inhibendam esse tam Annatarum, quàm aliarum *præstationum* nomine, pecuniarum exactionem.

III. LV-

III. LUDOVICUS XII. REX GALLIÆ.

ECclesiæ Gallicanæ fuit defensor contra Iulium II. cumque pius Rex tituloqu *Christianissimus* Concilium desideraret ad reformandum Clerum, & ut pa in universo orbe Christiano pietatis firmo præsidio posset stabiliri, eo nomine al Italis quibusdam, Iulii II. assentatoribus, *Schismaticus* habitus est; cumque Re pati quædam nollet, statim Iulius excommunicationem in illum feriit, à qua censu ra Pisani Concilii Bullis absolvebatur, quæ inter Senatûs Acta anno M.D.XII perscripta sunt, cum citationibus contra Iulium, authoritate Concilii factis, & sul pensione à Papatu; nique mors Regem prævenisset, fastum & insolentiam Roma nam virtute repressisset, sicuti eum animum prætulit in Nummis Regiis, quibu hanc cudi jusserat inscriptionem PERDAM BABYLONEM; uti Autor Fulminis Bru pag.177. indicat. Numismatis iconem exhibet Ioh. *W*olfius Cent.15. Lect. memo rabil. pag. 927.

IV. PROTESTATIO DUCIS BURGUNDIÆ, COMITUM BRITANNIÆ, ET S. PAULI, ET ALIORUM PROCERUM AC NOBILIUM GALLIÆ CONTRA CLERUM CIRCITER ANNUM 1247.

CUm insolentia Clericorum in caussis Iurisdictionum increſceret, conjuncti animis Dux Burgundiæ, Comites Britanniæ, Comites S. Pauli, aliique Proce res, graviter contra Clericos conquesti sunt, quod illi ex ipsorũ castrorum reliquii quæ à regionis Principibus & nobilibus habuerant fundamentum, jurisdictione secularium sic absorberent, ut filii servorum secundum suas leges liberos judica rent. At illustres illi Principes protestati sunt, *se non passuros, ut quisquam Cleric alium de cætero traheret in caussam coram ordinario Iudice, vel Delegato, nisi super H resi, Nuptiis vel Usuris*; quarum judicium tunc erat in foro Ecclesiastico. Im statuto suo id prohibuerunt, amissione omnium bonorum & unius membri mut latione, transgressoribus imminente, *ut sic*, inquiebant, *Iurisdictio Principum Procerum resuscitata respiraret, & Clerici hactenus ex Laicorum depauperatione d tati* reducerentur ad statum Ecclesiæ primitivæ, *& in Contemplatione viventes n bis, sicut decebat, activam ducentibus ostenderent miracula, quæ dudum à seculo recess runt*. Testimonium hoc producit rerum Galliæ peritissimus Scriptor Ludovicu Servinus in Vindicijs secundum libertatem Ecclesiæ Gallicanæ & Regij Stat Gallo-francorum Anno 1593. editis pag. 252. 253. Idem, quod illorum Principur judicium fuit Frederici II. Imperatoris in Epistola ad universos Orbis Princip ubi inter alia ait *Semper fuit nostræ intentio voluntatis, Clericos cujuscunque relig nis* (ordinis) *ad hæc inducere, & maximè maximos, ut tales Perseverarent in fide, qu les dudum fuerant in Ecclesia primitivâ, Apostolicam Sc. vitam ducentes, humilitate*

dom

dominicam sectantes. Extat Epistola integra in Chronico Henrici Knygthoni lib. 2. cap. 14. col. 2441.

V. SALVIANUS.

EPiscopus ille Massiliensis Gothos & Vandalos laudat ob castitatis studium, Romanos verò detestatur ob incontinentiam atque extremam impuritatem. Gothorum sanè ac Vandalorum laus fuit maxima, quod vel contactum ipsum meretricium horrerent, meretricesque, si quæ essent in Vrbibus à se captis deprehensæ, compellerent ad matrimonia. Salviani verba sunt 7. de Gubernatione Dei circa finem: *Leges illorum nequaquam illis sunt legibus consentaneæ, quæ ita partem improbitatis removent, ut partem obscuritatis admittant, ut* Romana illa decreta, *quæ scortatores quidem ab alienis uxoribus removerunt, ad omnes autem solitarias passim admiserunt, adulteria vetantes,* lupanaria *ædificantes. Timuerunt videlicet, ne nimis casti homines ac puri essent, si ab omni eos penitus impuritate prohiberent. At non* Barbari, *quoniam Romani non sunt. Parum est, quod dicimus. Quæ nobis, rogo, ante Deum aut vitæ esse aut veniæ opes potest, quando* castitatem in Barbaris *cernimus, & nos sic casti sumus? Erubescamus quæso & confundamur. Iam* apud Gothos *impudici non sunt, nisi* Romani; *jam* apud *Wandalos nec Romani. Tantum* apud illos *profecit studium castimoniæ, tantum severitas disciplinæ, non solum quod ipsi casti sint, sed ut rem dicamus novam, rem incredibilem, rem pene etiam inauditam, castos etiam Romanos fecerunt. Si infirmitas id humana pateretur, exclamare super vires meas cuperem, ut toto orbe resonarem.* Pudeat vos Romani ubiq; populi, pudeat Vitæ vestræ. Nullæ penè urbes lustris, nullæ omninò impuritatibus vacant, nisi illæ tantùm, in quibus barbari esse cæperunt. *Et miramur, si miser qui tam impuri sumus; miramur, si ab hoste viribus vincimur, qui honestate superamur. Miramur, si bona nostra possideant, qui mala nostra execrantur. Nec illos naturale robur corporum facit vincere, nec nos naturæ infirmitas vinci. Nemo sibi aliud persvadeat, nemo aliud arbitretur;* sola *nos* morũ nostrorum vitia *vicerant.* Hæc viri suo tempore doctissimi nec non sanctissimi verba meritò in ruborem dare deberent Pontifices Romanos, qui Lupanaria cum scortis & meretricibus publicè Romæ, & in civitatibus aliis Italiæ permiserunt, & adhuc permittunt, *Sanctissimi* interim dicti & habiti. *Adn. 61. p. 58.*

VI. SIDONIUS APOLLINARIS, EPISCOPUS.

ARvernorum ille Episcopus non solùm ipse uxoratus fuit; sed & Biturigibus commendavit Simplicium, Episcopum uxoratum. De primo testis Gregorius Turonensis 2. Hist. Franc. 21. p. 39. & cap. 22. pag. 40: *Eparchio, Episcopo migrante, ex Præfecto Substituitur* Sidonius, *Vir secundum seculi dignitatẽ nobilissimus, & de primis Galliarum Senatoribus, ita ut filiam sibi Aviti Imperatoris in matirmonio sociaret. Tantæ facundiæ erat, ut plerunque ex improviso luculentissimè, quæ voluisset, nul-* *Adn. 83. p. 88.*

là obſiſtente morâ componeret. Quum autem eſſet magnificæ ſanctitatis, *atque,ut diximus,ex Senatoribus primis,plerumque* neſciente Conjuge *vaſa argentea auferebat è domo, & pauperibus erogabat. Quod* illa *cùm cognoſceret, ſcandalizabatur in eum, ſed tamen dato egenis pretio, ſpecies domi reſtituebat.* De altero ipſe Sidonius Epiſtolarum libro ſeptimo: *Benedictus Simplicius, hactenus veſtri, jamq; ab hinc noſtri, modò per vos Deus annuat, habendus ordinis comes,ita utrique parti vel actu, vel profeſſione reſpondet,ut & Reſpublica in eo,quod admiretur,& Eccleſia poſſit invenire,quod diligat. Si natalibus ſervanda reverentia, Parentes ipſius aut cathedris, aut tribunalibus præſederunt. Illuſtris in utraque converſatione proſapia,aut Epiſcopis floruit, aut Præfectis.* Vxor *illi* de Palladiorum ſtirpe *deſcendit,qui aut literarum, aut altarium cathedras cum ſui ordinis laude tenuerunt. Sanè quia* perſona matronæ *verecundam & ſuccinctam ſui exigit mentionem,conſtanter adſtruxerim, reſpondere illam* fæminam Sacerdotis utriuſque familiæ, *vel ubi educata crevit, vel ubi elocata nupſit. Filios ambo bene & prudenter inſtituunt, quibus comparatis Pater inde felicior incipit eſſe,quia vincitur.* Habes hîc fæminam, cujus majores Epiſcopi, & quæ ipſa Epiſcopum habuit in virum.

VII. RADVLPHVS ARDENS.

CVrioſior rerum literariarum deſiderabit ſcire cauſam, cur doctiſſimus ſui ſeculi Vir Radulphus tamdiu in obſcuro latitaverit, quipppe cujus nullam mentionem faciunt Trithemius, Bellarminus, Eyſengreinius, aliique Scriptorum Veterum Tabularii. In hunc ſcriptorem dum incidimus, excitatiores ad lectionem facti ſumus, quia rarior in manibus, ac proinde in promtu erant quædam teſtimonia, quæ ad noſtram Claſſem facient. In Homiliis eruditis ſcribit Homil. in Natali Domini fol. 22. *Quomodo humilitatem & ſubjectionem Chriſti ſequuntur Epiſcopi, Sacerdotes & Monachi; qui contendunt de dominatione; qui non ſolum perſonas, ſed & Eccleſias ſuæ ditioni geſtiunt ſubjugare?* De ſui temporis Prælatis Dom. 2. poſt. Paſcha fol. 134: *Mercenarii ſunt hodie (unde dolendum eſt magis) ferè omnes Prælati Eccleſiarum, non manducantes ut Evangelizent, ſed potius Evangelizantes, ut manducent. Oblationes fidelium & peccata populi comedentes, & tamen eos non corrigentes, nec erudientes. Quæritur Eccleſia, non ubi abundet devotio fidelium, ſed ubi abundet amplitudo redituum.* In Hom. 2. Dom. 18. Trinit. fol. 270. 271. *Heu quantum excrevit hodie ambitio Prælatorum inter nos! Alij ſimulant ſanctitatem; alij Principibus ſerviunt; alij congregant divitias; alij frequentant Curiam, ut quam meritis non aſſequuntur hypocriſi, pretio, violentiâ, prece aſſequantur, cathedræ dignitatem. Nemo præſumat defendere ambitionem ſuam illo Apoſtoli dicto*: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Opus *enim dicit, non honorem*; opus, *non opes*; laborem, *non requiem*; miniſterium, *non dominatum*; ſolicitudinem, *non gloriam*; *alio-*

rum

*rum onera portare,*non portari;*quærere, non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Sed quàm rarus est hodie talis; quin potius ferè omnes ostendunt, cùm ad dignitatem perveniunt, qua intentione eam ambierunt. Malè ascendunt, pejus vivunt. Assumunt sibi numerum Equorum, ut jam non videantur Episcopi, sed Tyranni. Præmittunt in quadrigis & summariis multam & pretiosam supellectilem, quasi castra transportarent. Incedunt trabeatis frenis, & ædificiis deauratis. Non est modus vestibus, non cibariis, non Palatiis, non argenteis scutellis, & scyphis aureis. Prælati in cathedra obliviscuntur se esse mortales; divitum personæ assumuntur, pauperes abjiciuntur, ordines Ecclesiæ & justitiæ venundantur, & quæ carè mercati sunt, carius vendere concupiscunt.* De iisdem Homil. 1. in Dominic. Sexag. f. 64. *Prælati Ecclesiæ si sunt verè Ministri Christi, imitentur Christum, non in divitiis è delitiis, non in pompa & ambitione seculari, quæ Christus semper detestatus est; sed in eis, in quibus eum imitatur Paulus, in passione exteriori, in laboribus, in afflictionibus, in jejuniis, in Ecclesiæ persequutionibus. Sint soliciti pro Ecclesia, non ut eas expolient, sed ut eas instruant & supportent.* Quo intuitu *Baculum Pontificalem* dixit *in* seipsum reflecti, ut sc. quod Pontifex & Episcopus aliis prædicet, in se prius ostendat, Hom. 2. Dom. 18. Trin. f. 269.

VIII. ARNVLFVS, AVRELIANENSIS EPISCOPVS.

ECclesiæ Gallicanæ & Regii Francorum nominis vindex ac defensor acerrimus in Synodo Rhemensi, quæ regnante in Francia Rege Hugone Capeto congregata fuit, veterum judiciorum in Episcopos, Majestatis reos, datorum exempla proferens Ægidium, Rhemorum Archiepiscopum, ob infidelitatis in Regem suum crimen apud Argentoratum depositum, & perpetuo exilio damnatum; ut & Arnulfum Lupi ducis Filium in ejus locum substitutum docuit. *Nec,* inquit, *magnus Gregorius, licet privilegiorum Ecclesiæ Rom. defensor maximus, quidquam pro his vel contra hæc dixisse reperitur.* Arnulphus Remorum Episcopus, fidei suæ & juramenti Hugoni & Roberto Regibus præstiti immemor in Synodo illa repræsentatus & depositus fuit; ubi notandum, quod in illa Synodo, Arnulfus Aurelianensis gravissimè dixit, *non expectandam Romani Pontificis sententiam*, idque multis confirmavit rationibus; & quoniam quidam dixerant ex sententia Gelasij Papæ Romanam Ecclesiam de tota Ecclesia judicare, Papam verò ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam sententia judicari posse, ipse respondit, Africanos Episcopos id impossibile judicasse, *nisi fortè,* inquit, *quisquam est, qui credat uni posse Dominum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.* Tum addidit exemplum Petri, qui licet loco prior, at scientia inferior fuit, & ideò D. Pauli judicium non abnuit, in faciem sibi resistentis. Hæc & alia dicebat Arnulphus, exemplis confirmans Regum Galliæ jus in cognoscendis causis Ecclesiæ; & pro Synodo legitimè congregata verba faciens. Idem Arnulphus in Remensi Synodo publicè dixerat: *Num talibus*

Ad. n. 103. t. 172.

monstris hominum (Papas innuens, censens non homines amplius Papas esse, sed portenta & monstra) *ignominiâ plenis, scientiâ divinarum & humanarum rerum vacuis, innumeros Sacerdotes Dei, scientiâ & vitæ merito conspicuos, subjici decretum est?* De illo, qui tum temporis sedit Papa, Iohanne XV. subjunxit: *Quid hunc* Reverendi Patres, *in sublimi solio residentem, veste purpureâ & aureâ radiantem quid hunc, inquam, esse censetis? Nimirum, si charitate destituitur, solâq; scientiâ inflatur & extollitur,* Antichristus *est, in templo Dei sedens, & se ostendens, tanquam sit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec scientiâ erigitur; in Templo Dei, tanquam* statua, *tanquam* idolum est, *à quo responsa petere, marmora consulere est.* Testis Gerbertus, tum Remorum Archiepiscopus, postea Papa Sylvester II. de Synodo Remensi capite vicesimo octavo.

IX. BERNHARDVS, ABBAS CLARÆVALLENSIS.

Adn. 207. *Ep.* 579. MAgna parrhesia fuit Bernhardi illa, quâ vivebat ætate, periculosa, cùm angustioribus finibus, quàm Pontifices ferre possent, potestatem Papalem circūscriberet in libris ad ipsum Papam Eugenium. Dicit ille quidem initio tertii libri Apostolis successisse Papam, qui fuerint constituti *Principes super omnem terram* sed qualis ille fuerit Principatus explicat, addens Col. 1140. edit. Paris 1586: *Atquatenus hæc portio Te contingit, aut contigerit illos, id sobriâ consideratione pensandum. Non enim per omnem reor modum; sed sanè quadantenus, ut mihi videtur, dispensatio tibi super illum credita est, non data possessio. Si pergis* (eâ voce innuit, Papas multa jura usurpare, quæ ipsis non conveniant) *usurpare & hanc, contradicit tibi qui dicit: Meus est orbis terræ & plenitudo ejus.* Nihil concedit Papis Bernhardus præter curam pastoralem animarum; atque hinc lib. 4. cap. 2. Apostolorum functionem æstimans, quæ se tota ovibus pascendis impenderit col. 1151. subjicit: *Vbi nunc quæso consvetudo hæc? Subiit, dissimilis valdè; longè in aliud mutata sunt studia, & utinam non in pejus!* Minus dicit, quàm cogitaret; cumque regium cultum in Eugenio graviter increpuisset, atque exemplum Petri planè contrarium cap. 3. col. 1153. illi proposuisset, subdit: *Absque his tamen credidit Petrus satis impleri salutare mandatum. Si amas me, pasce oves meas. In his successisti non Petro, sed Constantino.* Addit mox: *Evangelizare, pascere est; fac opus Evangelistæ, & Pastoris opus implesti.* Constanti sententiâ Bernhardi Pontificatus est Ministerium, non Dominium; Administratio, non Possessio; pastoralis Cura, non monarchica Dictaturæ, inde porrò scripsit ad Eugenium lib. 2. cap. 6. col. 1131. *Factum TE superiorem dissimulare nequimus; sed enim ad quid, omnibus modis attendendum; non enim* ad dominium *opinor. Blanditur Cathedra? Specula est, inde denique superintendis, sonans tibi* Episcopi *nomine,* non dominium, *sed officium*; & quæ alia sequuntur, quæ solicitè separant dominium & dominationem à curâ pro Ecclesiâ. *Consideres ante omnia,* inquit lib. 4. cap. 7. col. 1160. TE *non Dominum Episcoporum, sed* unum

ex ipsis *esse*. Magnâ usus libertate loquendi fuit in Rhemensi Concilio coram Innocentio II. ejusque Clero Anno Domini 1131. in quo sermone, qui extat Tom.2. Oper. col.449. inter alia compellat præsentes Episcopos: *Ecclesia Dei vobis commissa est, & dicimini* Pastores, *cùm sitis* Raptores. *Paucos habemus, heu,* Pastores; *multos autem* Excommunicatores, *& utinam sufficeret vobis* Lana & Lac *sititis enim sangvinem.* Sequuntur in eâdem Concione aliâ, quæ totidem ferè verbis in Sermone 33. super Cantica repetita invenimus, inter quæ & ista audiebantur: *Væ generationi huic à fermento Pharisæorum, quod est* hypocrisis, *si tamen* hypocrisis *dici debet, quæ jam latere præ abundantia non valet, & præ impudentiâ non quærit*; & quæ aliæ ibi sequuntur gravissimè dicta. Alio idem sermone 1. in Convers. Pauli de corruptissimo Ecclesiæ statu hanc ad Deum mittit querelam col.126. *Amici tui, Deus, & proximi adversum Te appropinquaverunt & steterunt. Conjurasse videtur contra Te universitas Populi Christiani à minimo usque ad maximum. A plantâ pedis usque ad verticē non est sanitas ulla. Egressa est iniquitas* à senioribus judicibus vicarijs tuis, *qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere,* Vt populus, sic Sacerdos, *quia nec sic populus,* ut *Sacerdos. Heu, heu, Dominus Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua* primi, *qui videntur in Ecclesia tua* primatum diligere, *gerere Principatum. Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, & universam deinceps liberè & potestativè tradunt incendio civitatem.* De eodem insuper Serm. 3. de S.Andrea col.452: *Proh dolor, temporibus nostris* per universum mundum *pestilentialis morbus excrevit, ut præficiantur Ecclesiis, quos* nec scientia, nec vita *commendet; cœci Duces cæcorum, & præcipitati ad præcipitium perducentes.* Religiosorum studia erant, unde ditescere possent, & possessiones ad se trahere, de quo studio Serm.77. in Cant. *Quem dabis mihi de numero Præpositorum, qui non plus invigilet subditorum vacuandis marsupiis, quàm vitiis extirpandis.* Et iterum Epist.237. ad Eugenium: *Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam; non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum.* Ad hæc Serm.6. in Psalmum: *Qui habitat, ipsa Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiêre; nec in his* solus animarum, *sed* luxus *quæritur* divitiarum. *Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant. Pro Episcopatibus & Archidiaconatibus, Abbatiis a'iisq; dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis usus dissipetur.* Felicia Monasteria & Templa putabat Bernhardus, si non affluerent opibus, ædificiisque superbirent; cùm enim ducenta argenti pondo sibi ad impensas construendi Monasterii missa, à grassatoribus intercepta fuisse audisset, gratias Deo egisse dicitur, quod magno se onere levasset. Tam ergò modice tulit argenti amissionem, ut eo se gravari putaret, si non amisisset, teste M.Marulo S Exēpl.3.p.1378. Querelæ Ejus in luxū & gulam Monachorū maximæ leguntur in Apologiâ ad Guilielmū Abbatem col.1287.1288. *Mi-*

ror, inquit *unde* inter Monachos *tanta intemperantia in comessationibus & potationibus, in vestimentis & lectisterniis, & Equitaturis, & construendis ædificiis inolescere potuit! Quatenus, ubi hæc studiosius, voluptuosius atque effusius fiunt, ibi* Ordo melius teneri *dicatur, ibi major putetur religio. Ecce enim* parcitas *putatur avaritia*; sobrietas, *austeritas creditur*; silentium, *tristitia reputatur*; *E contra remissio* discretio *dicitur*; *effusio*, liberalitas; *loquacitas*, affabilitas; *cachinnatio*, jucunditas; *mollities vestimentorum & equorum fastus*, honestas; *lectorum superfluus cultus*, munditia; *cumque hæc alterutrum impendimus*, caritas *appellatur. O quantum distamus ab his, qui in* Antonii diebus *extitere Monachis! Nobis convenientibus* nihil de Scripturis, *nihil* de salute animarum *agitur*; *sed nugæ & risus & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus modum nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus, à quibus abstinetur*, grandia piscium corpora *duplicantur*; *cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi necdum gustasse pisces; tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis prima non impediunt novissima, nec satietas impediat appetitum. Videas uno in prandio* ter vel quater semiplenum calicem *reportari, quatenus diversis vinis magis odoratis, quàm potatis, nec tam haustis quàm attactis sagaci probatione & celeri cognitione unum tandem è pluribus*, quod fortius sit, *eligatur. Quale est autem illud, quòd nonnulla Monasteria, ex more observare dicuntur, in magnis videlicet festis* vina delibuta melle, pigmentorum respersa pulveribus, *in Conventu bibere? Nunquid & hoc fieri dicemus propter infirmitatem stomachi?* Ibidem col. 1291. *Mentiar, si non vidi* Abbatem *sexaginta equos & amplius in suo ducere Comitatu. Dicas, si videas eos transeuntes, non* Patres *esse* Monasteriorum, *sed* Dominos castellorum; *non* Rectores animarum, *sed Principes Provinciarum.* In Sermone XXXIII. super Cantica ita de deformatione sui temporis lamentabiliter loquitur col. 877: *Serpit hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latius, eò desperatius; eòque periculosius, quò interius; nam si insurgeret apertus Hæreticus, mitteretur foràs, & aresceret; si violentus inimicus absconderet se forsàn ab eo. Num verò, quem ejiciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici. Omnes necessarii, & omnes adversarii. Omnes domestici & nulli pacifici. Omnes proximi, & omnes, quæ sua sunt, quærunt. Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt.* Enumeratis inde quibusdam abusibus Ecclesiasticorum subdit: *Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece Martyrum; amarior post in conflictu Hæreticorum; amarissima nunc in* moribus Domesticorum. *Non fugare, non fugere eos potest; ita invaluerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ; & ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à Paganis, pax ab Hæreticis, sed* non *profectò à*

Filiis,

Filiis, *Vox plangentis in tempore isto.* Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me. *Spreverunt & maculaverunt me à turpi vitâ, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris.* Hæc à Bernhardo dicta approbat Petrus de Aliaco, Cardinalis Cameracensis, in Præfatione libri de Reformatione Ecclesiæ, & de suo tempore (vixit a. circa A. 1415.) id magis dici posse affirmat, seculis ad pejora lapsis De Bernhardi testimoniis contra Papam Eugenium scriptis, & ad alios Papas translatis vitiis, Paulus Langius, Monachus, Chronico Citicensi pag. 899. ait: *Divus Bernhardus multò & acerbiora & execrabiliora de Romanis* ad Eugenium, *summum Pontificem, depromsit. Quæ utinam vera non essent, utinam mendaces in hâc parte essemus omnes, ut vitiis eliminatis Romæ sanctitas ipsa & morum integritas, justitia & veritas, ad salutem totius Orbis & fidei robur inveniretur, destineretur q; cui falsum & injuriosum illud vulgatissimum etiam Laicorum dicterium, quo dicunt,* Romæ propiores Christianos *esse* deteriores, & Curiam Romanam *non quærere ovem sine lana.* Excerpsit ex Bernhardo ejusdem argumenti testimonia multa Ioh. Wolfius Lection. memorabil. Cent. XII. pag. 348. 349. 350. 351. 352. 353. D. Haberkornius Vindicat. Anti Forer. Disp. 19. p. 386 usque ad pag. 406; & Disp. 20. p. 407. usque ad pag. 432. ubi Bernhardi testimonia Vindicat à variis vafris detorsionibus; & Disp. 31. p. 766. usque ad p. 775, & pag. 782, 783. 784. Extant quoq; Bernhardi aliquot dicta in Catalogo Flacii num. 253. pag. 670. 671. 672. quæ attulerat Autor de Ætatibus Ecclesiæ:

X. PETRVS VALDVS.

CIvis Lugdunensis, ab oppido Waldis, sito in Galliâ appellatus; unde *Waldenses* dicti, quos hîc describit Flacius; ut & in Cent. 12. Histor. Eccles. cap. 8. col. 1204. Ab urbe Lugdunensi, quæ Gallicè *Lyon*, aut inflexo loquendi genere, *Leon* dicti quoque *Leonistæ*; itemque *Pauperes de Lugduno.* Alio etiam nomine *Albienses*, ab urbe Septimaniæ Albio, vel *Albingenses.* Insolentiori etiam cognomine *Insabbatati*, teste Flacio pag. 633. non quod in Sabbatho colendo Iudaizarent, sed à *Zabata*, quod erat pedis integumentum ex corio confectum, Hispanis *Zapato* appellatum, quia *insotulari*, quod *Zabbati* vulgò dicebatur, signum quoddam gerebant, unde cognoscerentur, quod ex Nicolao Eymerico & Fr. Pegno tradit Ioh. Usserius de Christ. Eccles. successione cap. 8. num 3. pag. 258. Religio autem Waldensium non tum cœpta est cum Petro Valdo, sed à multis retrò seculis, cum Valdus nondum esset, sicut Flacius meminit p. 633. etiam adversarios quosdam Waldensium dicere, inde à *Sylvestro* fuisse similium dogmatum sectatores; alios etiam inde *ab Apostolis* ortum ducere. Historiam latè persequitur Flacius, eorumque Articulos doctrinæ tredecim recenset pag. 633. 634. Ex antiquo Manuscripto libro Centuriatores Magdeburgenses, inter quos eminuit Flacius, sequentes Waldensium propositiones recitant Cent. 12. c. 8. col. 1206. 1207. I. In Articulis Fidei *summa*

Ad n. 267. Pag. 630.

est

est *S. Scripturæ autoritas*, eamque ob causam est norma judicandi, quicquid cum Verbo Dei non congruat, meritò sit repudiandum & fugiendum. II. *Patrum & Conciliorum dogmata* eatenus probanda, quatenus cum Verbo Dei conveniunt. III. Sacrarum Scripturarum lectio & cognitio *omnibus hominibus, tum laicis, tum sacratis Viris*, libera & necessaria est. IV. Duo sunt Ecclesiæ Christi Sacramenta, *Baptismus* & *Cæna Domini*. V. *Utriusque speciei usus pro* Sacerdotibus & Laicis à Christo institutus est. VI. Missæ sunt impiæ, ac furor est pro mortuis missificare. VII. *Purgatorium* est figmentum hominum; *credentes* enim in vitam æternam; *non credentes* autem in damnationem æternam veniunt. VIII. *Sanctorum mortuorum invocationes* & cultus est idololatria. IX. Romana Ecclesia est Meretrix Babylonia. X. Papæ & Episcopis non est obtemperandum, quia sunt lupi Ecclesiæ Christi. XI. Papa non habet *primatum* super omnes Ecclesias Christi; nec habet potestatem utriusque gladii. XII. *Ecclesia Christi est*, quæ sincerum Christi Verbum audit, & Sacramentis ab ipso institutis utitur, ubicunque ea locorum existat. XIII. *Vota* sunt hominum figmenta, Sodomam nutrientia. XIV. Tot *Ordines* sunt characteres Bestiæ. XV. *Monachatus* est cadaver fœtidum. XVI. Templorum tot superstitiosæ *Dedicationes*; *Memoriæ Mortuorum*; *Benedictiones Creaturarum*; *Peregrinationes* tot coacta *Jejunia*; tot *Festa* superflua; perpetui isti hominũ indoctorũ boatus, ac reliquarum ceremoniarum observationes, Verbi doctrinam & institutionem manifestè impedientes sunt inventiones Diabolicæ.] XVII. *Conjugium Sacerdotum est* licitum & necessarium. Scribit idem Flacius pag. 634. se habuisse Consultationem Iurisperitorum Avinionensium; item Archiepiscoporum Narbonensis, Arleatensis & Aquensis; nec non Ordinationem Albanensis Episcopi de extirpandis Waldensibus. Consultatio illa trium Archiepiscoporum *Concilij Narbonensis* 1. circa Aannum Domini 1260. celebrati nomine, aut *Consultationis Gvidonis Fulcodii*, producitur in testimonium à Iohanne Calderino in libro de Formâ procedendi contra Inquisitos de hæresi, qui extat Tom. 11. Tractatus Tractatuum part. 2. sub finem, & notantur inde *culpæ*, ex quibus *credentes hæreticorum* possint judicari. Inter notas autem indubitatæ fidei esse habendas ajunt, *si reverentiam fecerint Hæreticis, ubi* credentes *orationes ipsorum implorantes*, *&* bonos homines *profitentes*, *quasi adorant illos*. *Si consolationi eorum* (*ubi eum*, quem consolantur, *in hæreticorum recipientes consortium, per impositionem manuum se salvare proditionaliter mentiuntur*;) *aut servitio eorundem* (*ubi* majore ipsorum *librum tenente apertum, per ipsum, quasi sub generali confessione remissionem intelligunt fieri peccatorũ aut* Cænæ *Waldensium* (*ubi die Cænæ mensa posita, & pane superposito Valdensis unus benedicens & frangens, dansq; astantibus, credit secundum suam damnabilem sectam conficere corpus Christi*) *non causa vel reprehendendi eos, vel alia commendabili seu excusabili, affuerunt*. Etiam illius Concilii sive Consultationis Narbonensis verba fuêre: *Hæc omnia intelligimus, cùm ii, qui sic culpabiles sunt inventi, sciebant illos, quibus, vel per quos ista fiebant, hæreticos vel Valdenses esse, nec ignorabant*,

bant, quòd sancta Ecclesia tales propter errores proprios, sectasq́; suas damnabiles ab unitate Catholicæ fidei segregatos denunciat, & excommunicat, persequitur atque damnat, nec dicenti, se hoc ignorasse, leviter est credendum. Quis enim est solus ille peregrinus, qui condemnationem hæreticorum Valdensium ignoret, à longis retrò annis justissime factam, tam famosam, tam publicam, tam prædicatam; tot & tantis expensis laboribus & sudoribus fidelium insecutam, & tot mortibus ipsorum infidelium solenniter damnatorum & publicè punitorum tam firmiter sigillatam? In examinatione *Waldensium* & hoc in observationibus Narbonensis Concilii, quod allegatur à Iohanne Calderino nomine Gvidonis Fulcodii, Narbonensis Præsulis, postea Papæ Clementis IV. *Si Valdensibus peccata sua confessi fuerint, ut solet & debet quis Sacerdoti proprio confiteri. Si pacem ab hæreticis, seu Valdensibus, vel panem ab eis benedictum, à quocunque sibi missum vel datum, scienter & damnabiliter receperunt. Si crediderunt, eos in suâ sectâ salvari posse, vel esse bonos, vel sanctos homines, vel Dei amicos, vel nuntios, vel bonæ conversationis, vel vitæ; vel eorum persecutores peccare; vel si eos taliter laudaverunt, vel si alio qualicunque signo seu verbo in eis se fidem & credentiam habuisse in jure, vel alibi sunt professi: Si eos libenter & pluries recepérũt, audiverũt, visitaverunt, victualia seu alia dederunt, seu miserunt eisdẽ, orationes ab eis, vel Epistolas vel Evangelia didicerunt.* Waldensiũ sectatores erant *Albigenses* seu *Albienses*, vulgata veteribus nomina, quos *vitia & corruptelas Præsulum* liberius reprehendisse notat Gvilielmus Paradinus lib.2. Annal. Burgund. pag.247. Canonicos tam Veteris quàm Novi Testamenti libros recipiebant, omnemque rejiciebant doctrinam, quæ in eis fundamentum non haberet. Sedes suas habebant per varios Galliæ & Hispaniæ locos, eorumque numerus creverat in immensum; unde de eis scribit Cæsarius Heisterbacensis S. Histor. memorab. 21. p.382. *In tantum Albiensium error invaluit, ut brevi intervallo temporis infecerit usque ad mille civitates, & si non fuisset gladiis fidelium repressus, puto, quod totam Europam corrupisset. Anno Domini 1210. prædicata est contra Albienses in totâ Alemaniâ & Franciâ crux, & ascenderunt contra eos anno sequenti de Alemania Lupoldus, Dux Austriæ, Adolphus Comes de Monte, Wilhelmus, Comes Iuliacensis, & alii multi diversæ conditionis atque dignitatis. Simile actum est in Francia, Normania atque Pictavia. Horum omnium Prædicator & caput erat Arnoldus, Abbas Cisterciensis, postea Archiepiscopus Narbonensis. Venientes ad civitatem magnam, quæ Biders vocatur, in qua plusquam centum millia hominum fuisse dicebantur, obsederunt illam.* Galliam universam Hispaniæque partem invasisse scribit Mariana 12. Rer. Hispan. 1. pag.497. Vno die septem millia in pago Bituricensi anno 1183. neci datos fuisse notavit Autor Chronici Belgici, quod *Magnum* vocatur, pag.190. Historiam Albigensium, ut & *Waldensium*, egregiâ diligentiâ deduxit Iacobus Vsserius, Archiepiscopus Armachanus, hanc cap.8. à p. 255. usque ad pag. 311. illam cap.10. à. p.352. usque ad pag.456. libri de Christianarum Ecclesiarum ab Apostolorum temporibus ad nostram usque ætatem conti-

nuâ ſucceſſione & ſtatu. Contra Albingenſes & Waldenſes ſcripſit Alanus, qui vixit A.C. 1194. qui libri è Bibliothecâ Papirii Maſſoni Pariſiis anno 1612. prodiêre. De Waldenſium multitudine per Germaniam & alias regiones Eckbertus, Schonaugienſis Monachus, & poſtea Abbas, in libro contra Catharos Tom. 2. Auctar. Biblioth. Patrum col. 831. *Ecce, quidam latibuloſi homines perverſi & perverſores, qui per multa tempora latuerunt, & occultè fidem Chriſtianam in multis ſtultæ ſimplicitatis hominibus corruperunt, ita* per omnes terras multiplicati *ſunt, ut* grande periculum *patiatur* Eccleſia Dei *à veneno peſſimo*, *quod undique adverſus eam effundunt*. Deſcendit is Coloniæ in certamen cum tribus primi nominis Waldenſibus, Arnoldo, Marſilio & Theodorico, quos *hæreſiarchas* Vocat Trithemius Chron. Hirſaug. p. 148. qui cùm *nullis rationibus, nullis autoritatibus nulliſq; admonitionibus* induci poſſent, ut renunciarent ſuis dogmatibus, extra urbē Colonienſem educti a. 1163. nonis Auguſti combuſti ſunt. Erant autem mares octo, fœminæ duæ, eiuſque vivi comburii etiam meminit Cæſarius Heiſterbacenſis 5. Hiſt. memor. 19. pag 378. Inter alia docuerant, teſte Trithemio, *Rectores Eccleſiarum, Prælatos, Sacerdotes & omnem Clerum* eſſe *deceptores animarum & laqueos* Diaboli. Idem Trithemius ad A. 1315. p. 211. 212. recenſet, quantus numerus fuerit in Auſtriæ Ducatu, qui ſe oppoſuerint Papatui, & docuerint, *Miſſas* eſſe *vanitatem*; Romanam Eccleſiam non Chriſti, ſed gentium infidelium eſſe; Iejunium irriſiſſe; Merita & Interceſſiones Sanctorum non præſtare poſſe hominibus apud Deum ſuffragia. *Magnus eorum numerus fuit in Auſtria, Bohemia, & terris vicinis; nam ſicut quidā ex eis Viennæ crematus, nomine* Novūs Magiſter, *confitebatur, fuerunt eorū in Auſtria, Bohemia & in confinibus ejus illo tempore* pluſquam octoginta millia hominum, *omnes in eam ſectam jurati & profeſſi, præter eos, qui in aliis terris erant.* Confer eundem ad A. 1230. pag. 179. In Vrbe Metenſi Waldenſes excreverant in multitudinem, quos nec Epiſcopus loci compeſcere poterat, idque indicat, qui tum vixit, Cæſarius Heiſterbachenſis, cujus ſermo lib. 5. cap. 20. pag. 379. *Paucis annis elapſis* (ſcripſit autem Anno. 1222. ſeipſo teſte lib. 10. cap. 48.) *ſub Epiſcopo Bertramo, viro valdè literato, orta eſt hæreſis VValdoſiana in civitate Metenſi hoc modo. Cùm idem Antiſtes in feſtivitate quadam populo in Eccleſia prædicaſſet, duos homines, miniſtros Diaboli, in turba ſtare conſpiciens ait*: Video inter vos nuntios Diaboli. Ecce illi ſunt, (*digito eos oſtendens*) qui me præſente in Monte Peſſulano propter hæreſes damnati ſunt & ejecti. *Qui Epiſcopo durius reſponderunt, habentes in comitatu ſuo Scholarem, qui more canino contra eum latrabat, injuriis eum laceſſens. Egreſſi verò de Eccleſia multitudinem populi circa ſe congregantes, errores ſuos illis prædicaverunt. Quibus cùm quidam ex Clericis dicerent*: Vos Domini, nonne Apoſtolus dicit: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Volumus ſcire, quis vos miſerit huc prædicare. *Reſponderunt illi:* Spiritus. *Non enim poterat illis Epiſcopus vim inferre propter quoſdam potentes civitatis, qui eos in odium Epiſcopi ferebant, eo quod quendam uſurarium defunctum, ipſo-*

rum

rum cognatum, de atrio Ecclesiæ ejecisset. Reverà missi fuerant à Spiritu erroris, per quorum ora hæreses VValdosianæ (ab uno eorum sic dictæ) in eadem Civitate sunt seminatæ, & necdum prorsus extinctæ. Cum itaque tanto numero insurgerent VValdenses contra Romanam Ecclesiam, nec sufficerent Episcopi, decernente Pontifice Romano Innocentio, missa Epistola ad Metenses, quæ extat in operibus Papæ Coloniæ editis Regest. lib. 2. pag. 468. ut animadverteretur in eos, qui in diœcesi & urbe Metensi translationi Scripturarum Gallicanæ darent operam, secreta frequentarent conventicula, & officiũ prædicationis usurparent. Pullulante itaque secta VValdensium, in urbem Metensem nonnulli Abbates venerunt ad prædicandum, *qui quosdam libros de Latino in Romanum versos combusserunt, & sectam extirpaverunt*, dicente Alberico, monacho trium Fontium apud Monachum Nussiensem in magno Chronico Belgico pag. 199. notans libros sacros, in sermonem Gallicum translatos, quos Vulcano dignos egregii Prædicatores censebant. Describit Valdenses in Alpinis Taurinæ diæceseos vallibus ac faucibus commorantes Claudius Seysellus, illius tractus Episcopus, in Disputatione quadam Anno 1516. scripta, eosque tradit negasse intercessionem cultumque Sanctorum, quorum suffragiis nihil indigere homines putabant, Christo nobis ad omnia sufficiente; reprobasse Crucis & Imaginum adorationem, abrogasse Missam, salutationem ad Mariam Angelicam rejecisse, fol. 54. 55. & 68. Eam hæresin ait fol. 2. supra annos ducentos in extremis suæ Diæceseos inter Alpinas fauces coaluisse. De VValdensibus D. Haberkornius Disput. contra Keddium 10. pag. 356. usque ad pag. 363. & contra Forerum Disp. 24. pag. 843. usque ad pag. 885.

XI. GVILIELMVS, SENONENSIS EPISCOPVS.

EXtat Epistola Guilielmi hujus ad Alexandrum III. Pontificem, quæ inter alia ait: *Audiat*, sanctissime Pater, *Excellentia vestra patienter, quod loquimur, quia in amaritudine moratur anima nostra, & tam devotus Filius vester Christianissimus Rex Francorum, quàm* tota Gallicana Ecclesia *turbatur à scandalis, quæ in diebus Apostolatus vestri manant ab Apostolica sede; siquidem, ut nostrates ajunt, ibi solvitur SATANAS in perniciem totius Eccesiæ, iteratò crucifigitur Christus, & qui manifestus sacrilegus est & homicida, dimittitur*, apud Baronium Annal. Tom. 12. ad Ann. 1270. pag. 609. ubi laudat Papæ *admirandam modestiam*, quod aculeos hos acerbissimarum literarum æquo animo tulerit.

XII. PETRVS COMESTOR, PRESBYTER TRECENSIS.

CEleritate ingenii indefessique studii labore injucundum nomen *Comestoris* Ad. n. 126. accepit, quod appulisset ingenium post Philosophiæ gustatos rivos ad sacras p. 601. literas magna sedulitate, multoque laborum cursu, quasi tota Biblia *devorare*, atque ita in succum & sangvinem convertere voluerit. Suæ eruditionis monumenta protulit varia, ut ferè de eo, quod olim de Terentio Varrone Augustinus, dixerimus

mus, plura eum scripsisse, quàm ut legere quidquam vacaret; ac plura vicissim legisse, quam ut scribendi otia suppeterent. Qui manum admovit scribendis scriptoribus Ecclesiasticis Ioh. Trithemius, de eo sic scribit fol. 86. *Petrus, Presbyter Ecclesiæ Trecensis, cognomento* Comestor *sive* Manducator, *Vir in divinis Scripturis studiosus & eruditus; atque in secularibus literis egregiè doctus, carmine exercitatus & prosa, scripsit utroque stilo quædam præclara opuscula, quorum auctoritas ab Ecclesia longo jam usu comprobatur.* Comestor *autem sive* Manducator *iccirco dictus est, quòd scripturarum auctoritates in suis sermonibus & opusculis crebrius allegando, quasi in* Ventrem memoriæ manducarit. *Scripsit inter cætera ingenii sui Volumina insigne opus ad Guilielmum Senonensem Archiepiscopum, omnes libros Bibliæ historiales, & breviter & utiliter exponendo, quod jam ex usu prænotatur* Historia Scholastica; 2. In laudibus S. Mariæ. 3. Sermones de Tempore; 4. Sermones de Sanctis, *& alia complura. Claruit sub Friderico Imperatore I. Anno Dom. M. C. LX.* De ejus lucubrationibus Iohannes Brompton in Chronico col. 1059. scribit: *Floruit in Francia Magister Petrus Comestor, qui utriusque Testamenti Historiam contexuit, quæ* Scholastica *dicitur. Scripsit etiam* Allegorias *super* utrumque Testamentum; *& etiam* Sermones insignes *reliquit. Allegorias etiam suas in librum metricum redegit, quem* Aurora *intitulavit.* Eadem prorsus verba habet Henricus de Knyghton, Canonicus Leycestrensis, 2. de Eventibus Galliæ 9. col. 2394. Veneratus est eundem Autorem VVilh. Eisengrein, ut eum è numero eorum, qui contra Papatum scripserunt, exemerit, & locum dederit inter eos Doctores, qui *Catalogum Testium Veritatis* exornant, fol. 101. ad magna peragenda in Ecclesiis habiles, utpote qui fuerit *Vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, gravis & ingeniosus poëta, sacrarum literarum scientia nemini secundus*; Sermonumque ejus facit infinitum numerum. Laboranti itaque Ecclesiæ consilio & scriptis suis adfuit, quia tam præalto ingenio enituit. Historia Comestoris Scholastica edita est Basileæ 1486.

XIII. PETRVS CANTOR, PARISIENSIS.

Ad n. 232, pag. 606. CAntorem Parisiensem *Sanctæ memoriæ Virum* vocat Iohannes de Hamburgo, Carthusianus, Epistola ad Henricum Olemanum de corrupta Ecclesiasticorum vita p. 291. De eo Vincentius Beluacensis Specul. Histor. lib. 29. c. 59. f. 418. *Anno 1197.* Petrus Cantor, Parisiensis, *tam vita quàm doctrina conspicuus obiit, amator pietatis atque justitiæ, apud Cænobium Longi pontis in magna devotione sanctâque Confessione.* Et Ioh. Tritenheim de Scriptor. Eccles. fol. 94. *Petrus Cantor, Parisiensis, & postea, ut ferunt, Episcopus, Vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in seculari Philosophia nobiliter doctus, Theologica Scholæ Parisiis multis annis gloriosè præfuit, & discipulos egregios multos erudivit. Scripsit quædam præclara opuscula, de quibus pauca ad manus nostras memini, pervenisse. Volumen prænotatum* Verbum ab-

abbreuiatum; *Distinctionum aliud*; *Grammaticam Theologorum*; *Sermones varios*. *Claruit temporibus Henrici VI. A.D.M.CC.* De hoc Petro judiciũ fert Eisengreinius Catal. Test. Verit. fol. 107. fuisse Virũ disertissimũ, non minus vita quàm eloquentia clarũ, veterum lectione divitem, ingenio subtilẽ, Theologum profundum, Oratorem eloquentem. In Oxoniensi Bibliotheca habentur manu scripti libri in libros Regum & Paralip. Allegoriæ in Vetus Testamentum & Verbum abbreviatum, sicuti id indicat Iamesius in Catal. Biblioth. Bodlej. pag. 106. & in Append. pag. 11. In testem allegatur ab Autore quatuor Novissimorum, quem Coloniæ 1506. editum reconcinnavit Hamelmannus, pag. 105.

XIV. PETRVS CVNERIVS CONTRA BERTRANDVM, HEDVORVM EPISCOPVM.

Disputatio inter hos fuit instituta sub Regis Philippi Valesii temporibus contra morem, quo Clerici id Regno Galliæ præscriptionem 100. annorum acquirebant, qua jurisdictionem non modò in nuptiarum causis exercebant, sed etiam in Laicos nova usurpatione in aliis omnibus sibi quærere studebant. Causam agebat Cleri Episcopus, sed obtinuit Cunerius, cui viro multam debere Galliam ait Lud. Servinus Vindic. secundum libert. Gallic. Eccles. p. 254. Prodiit tunc liber, qui inscriptus est: *Summaria & brevis doctrina felicis expeditionis guerrarum & litium Regni*, ubi hæc notatu digna sunt: *Clerici circa centum annos usurparunt totam Iurisdictionem, quam habent. Quod sciri potest per antiquos, qui vixerunt etiam circa A. D. M. CC. XL. quod tunc erat modicum exercitium Iurisdictionis eorum, quæ modo valent annuatim XX. millia librarum Parisiensium & ultra, deductis expensis. Nec super talibus remedia particularia possunt adhiberi, quia* majores Regni Consiliarii *sunt* Prælati, *qui concorditer gravarent, & repelli procurarent resistentes latenter tam per se, quàm per eorum amicos, ita quòd causa repulsionis percipi non posset, nec probari. Præterea dicunt Prælati, & eorum Officiales Advocatis Regalibus, quando talia impugnant*, quomodo creditis, quod Ecclesia suos inimicos beneficiis & prælationibus honoret? Furiosus esset Prælatus, qui hoc faceret. *Per talia & alia infinita reprimuntur, & tacentes ac dissimulantes fiunt Regales, cùm dantur Clericis eorum Filiis ac Nepotibus & Propinquis* beneficia pingvia, *quæ desiderabant. Quid plura? Ni citò Regno succurratur, & remedium celeriter adhibeatur, complebitur tempus præscriptionis, ita quòd in perpetuum non poterit obviari.* En quò pervenerit Iurisdictionis Spiritualis abusus? De quo conqueritur unà cum pio illo Gallo Lud. Servinus d. l. p. 253. 255.

XV. GVILIELMVS PLESSÆVS, VICENOBII DOMINVS IN GALLIA.

Qvas calamitates turbasque excitaverit Bonifacius VIII. in Gallia contra Philippum

lippum Pulchrum circiter A. C. 1301. compertiſſimum eſt. Oppoſuit ſe tunc illu- ſtris Vir Pleſſæus, egregriè pugnans pro libertate Chriſtiana, Eccleſia Gallicana Regioque ſtatu. Solenne illud fuit certamen, qui III. Id. Iunii anno 1303. coram Rege, & Ludovico Regis Francorum Filio, Eburonum, Guidone S. Pauli, & Ioanne Drocarum Comitibus juramento corporaliter præſtito, tactis ſacroſanctis Evangeliis, pro Regno & Eccleſia Gallica diſſeruit adverſus Bonifacium, quem non modò *Schiſmaticum*, ſed *Hæreticum* atque *divini Numinis contemtorem*, & multis nominibus damnandum docebat, inter cætera horrendum ac deteſtandum illud notans, quòd, cùm in ſacris Miſſarum ſolennibus, qui intererant, Chriſti Corpus adorarent, ipſe Bonifacius, quamvis Pontifex, tergum verterit, quaſi averſaretur & ſperneret. Extat Oratio Pleſſæi in libro de Rebus in Francia & Italia à Guilielmo Nogaretio, Equite Gallo, ſtrenuè geſtis, in qua Eccleſiæ Gallicanæ libertates & jura tutatus eſt contra molimina Bonifacii VIII. unde quædã excerpſit Ludov. Servinus, quæ hîc exhibebimus. Primùm docet, Regnũ Galliæ à ſola Dei lege pendere; tum Francorum Reges Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ protectores ac defenſores eſſe. Eccleſiam Gallicanam ſemper fuiſſe liberam, & ſi Romanum Pontificem agnoviſſet, id in ſpiritualibus tantùm, ordine à Majoribus ſervato, & perpetuò ſervando; ut poſt primorum Iudicum ſententiam, & ſecundum Metropolitanorum in Synodo judicium, tertii ordinis ac poſtremi Iudices, tum à Pontifice delegati intra Franciæ terminos ſententiam ferant; ſic tamen, ne tertiò appelletur, & nil fiat, præterquam cauſa cognita, & in majoribus cauſis Iudices in Regno dentur. Tum leges de rebus Eccleſiaſticis à Regibus fieri, & Laicorum Principum ſtatutis Clericos obſtringi. Præterea Clericorum Synodos Regum autoritate & Prælatorum Regni Francici Concilio congregari. Adjicit Franciam exemtam & liberam à Pontificum Decretis & Conciliis Epiſcoporum, præterquam à Generalibus & Gallicanis, ab iis denique Patrum vel Pontificum ſanctionibus, quæ novo jure contra vel præter veteres Canones ſancita ſunt. Item Vniverſitates & Academias, Regia autoritate fundatas, à Regibus foveri. Addit, Reges Francorum eorumque domeſticos Regni Proceres, & Officiales, quos vocant, Regios, à Romano Pontifice ſacris arceri non poſſe. Poſtremò, non licere Romano Pontifici Regna & Principatus transferre, uti Bonifacius contra jus fecerat, qui Regnum Francorum Alberto Auſtriaco, Gallici nominis adverſario, adjudicaſſe ferebatur, & dixiſſe, Angelum, ſi è cœlo deſcenderet, & contenderet, Albertum illũ, quem Romanorum Regem vocabat, non eſſe Regum omniũ Pontificia autoritate Dominum, illum anathema fore; cùm tamen antea ſæpius & maledixiſſet, & eum Proditorem ac Parricidam vocaſſet.

XVI. ARNOLDVS HOT.

ANno 1207. in Oppido Montis Regalis prope Carcaſſonem in Comitatu Tolo

Tolosano habitum fuit memorabile Colloquium *inter Episcopum Exovensem, Hispanum*, qui à Papa missus fuerat cum S. Dominico & aliis, & *Arnoldum Hot*, quem alii *Arnoltotum* aut *Arnoldum Otthonum* vocant. Is Othonus tria expresse docebat; I. *Romanam Ecclesiam non esse Christi sponsam, nec sanctam Ecclesiam, sed turbulentam Satanæ doctrina institutam, adeoq; Babylonem esse illam, de quâ in Apocalypsi loquitur B. Iohannes, matrem fornicationum & abominationum, sanguine Sanctorum & Martyrum Iesu Christi inebriatam.* II. *Politiam illius non esse bonam neque sanctam, neque à Iesu Christo stabilitam.* III. *Missam eo modo, quo celebratur hodie, non esse vel à Iesu Christo, vel ab Apostolis ejus institutam.* Contrarium suscepit Episcopus ex Novo Testimonio confirmandum, & postquam triduo durasset Disputatio, petiit Episcopus quindecim concedi sibi dies, quibus thesium suarum probationes scripto mandaret, & Arnoldus Hot 8. dies, quibus adversarii scripto responderet. Colloquium illud ex Vignierio, qui Acta Disputationis in Codice membranaceo, antiquis characteribus exarato viderat, describit Vsserius de Christianarum Ecclesiarum succeßione & statu cap. 10. pag. 383.

XVII. IOHANNES DE RVPESCISSA.

DE eo Autor supplementi ad Vincentium Beluacensem lib. 37. pag. 475. *Ioannes de Rupecissa, de Ordine Minorum insignis Theologus, sic in naturalibus doctus, tempestate hac præter ea, quæ* in Sententiarum libros *accuratè docteque scripserat, multa prædixit mox futura, in carcerem trusus, multa de futuris, tanquam prophetica, scribere voluit, videlicet* de duobus Antichristis, & de Ecclesiæ conculcatione & desolatione terrarum, *& alia multa, quæ in januis adesse affirmabat.* Mendacii deinde coarguit, id quod etiam facit Ioann de Tritenheim Catal. Script. Eccles. fol. 132. cùm desolatio Ecclesiæ Catholicæ non insequuta fuerit: De Luthero verò neuter scivit, cùm hæc scriberent. Adn. 201. p. 566. & 309. p. 761.

XVIII. HVMBERTVS DE ROMANIA.

SEcundum Humbertum, tradente Petro de Aliaco, *causa dispositiva Schismatis Græcorum* inter alias una fuit propter gravamina, quæ intulit Romana Ecclesia, in exactionibus, excommunicationibus & Statutis, de quibus tribus in hunc modum commentatus est. *De* primo gravamine, *& contra* multitudinem & magnitudinem exactionum, *providendum esset tripliciter.* 1. per diminutionem pomposorũ statuum & excessivarum expensarum, *ut sic Romana Ecclesia minus esset onerosa subjectis, & ut eis etiam esset exemplũ humilitatis, & forma virtutis.* 2. per diminutionẽ & arctationem hujusmodi exactionum, *sic sc. quod certa summa rationabilis determinaretur & limitaretur pro moderato statu Papæ & Cardinalium, subjectis Ecclesiis imponenda, & per Diœceses proportionabiliter distribuenda, & à Diœcesanis recolligenda, & in certis terminis solvenda Romanæ Curiæ, ultra quam summam nova exactio non* Adn. 273. p. 706.

possèt imponi sine authoritate & consensu generalis Concilii. 3. per diminutionem nu-merrCardinalium, *ita quod non esset tantus, nec tam onerosus numerus ipsorum, sicu hactenus fuit. Item* circa statum Cardinalium & aliorum Ecclesiasticorum *pro videndum esset, quod deinceps non tenerent illam monstruosam & multipliciter scan dalosam* Beneficiorum *multitudinem. De* secundo gravamine, *sc.* multiplication Excommunicationum, *& ex consequenti* Irregularitatum, *necesse est providere; nam gladius Ecclesiæ, videl.* Excommunicatio, *qui in primitiva Ecclesia veneranda raritat erat formidabilis; jam propter abusum contrarium contemtibilis effectus est.* D tertio gravamine *ratione Ecclesiæ, quod imponit aliis* in onerosa multitudine Statu torum, Canonum & Decretalium, *& maximè illorum, quæ videntur ad graves pœ nas, & præcipuè ad morales culpas obligare; & eadem ratione de* similibus Statuti *aut* Constitutionibus Synodalibus Prælatorum *providendum erit de rationabili al leviatione hujusmodi onerum, ne de Prælatis Ecclesiæ verificetur, quod Pharisæis & Sa cerdotibus Synagogæ à Christo improperando dictum est: Imponunt onera gravia &c.* Hæc Petrus de Aliaco, ex ductu Fratris Humberti, quem nominat Magistrum quintum Ordinis Prædicatorum, ejusque tractatum ab utilitate commendat, in Tract. de Reform. Ecclesiæ cap. 2, de reformatione Capitis, hoc est, status Papa lis fol. 204. 205. Ille Humbertus fuit natione Gallus, patria Viennensis, Hugoni Barchinonensis Theologi auditor, suæ ætatis nobilissimus Scripturarum divina rum interpres, *vita Evangelicus, conscientia purus, actione præcipuus, eloquio dulcis* elogio Trithemii fol. 100. quem in Catalogo T. V. etiam laudat Eisengreiniu

XIX. PARISIENSIS FACULTAS THEOLOGICA.

FRater Iohannes Sarrazin, Ordinis Prædicatorum, inter sententias dogmatum varias habuit primam: *Omnes Potestates Iurisdictionis Ecclesiæ,* aliæ à Papali po testate, *sunt ab ipso Papa, quantum ad Institutionem & collationem.* Secundam *Hujusmodi potestates non sunt de Jure divino, nec immediatè institutæ à Deo.* Tertiam *Non invenitur Christum tales Potestates, sc. alias à Papali, expressisse, sed tantum su premam, cui commisit Ecclesiæ fundationem.* Quartam: *Quandocunque in aliqu Concilio aliqua instituuntur, tota anctoritas dans vigorem Statutis, in solo summo reside Pontificio.* Quintam: *Ex textu Evangelii non habetur expresse alicui Apostolorum nisi Petro, auctoitatem Iurisdictionis fuisse collatam.* Sextam: *Dicere inferiorum Prælatorum potestatem Iurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediatè Deo, sicut potestatem Papæ, veritati quodammodo repugnat.* Septimam: *Omnes ali potestates nihil de jure possunt contra summum Sacerdotium.* Congregatione ver solenniter facta Theologicæ Facultatis, Decano tunc Magistro Petro de Dierrey post deliberationem & examinationem concordem Frater Iohannes de Sarra zin, *auditus ad longum,* se submisit Facultati Theologicæ, utque tolleretur omn scandalum, tanquam *filius obedientiæ & pacis, & assertor veritatis* retractavit sua

sen

sententias, inq; earum locum has *ultronea voluntate* reposuit. I. *Omnes potestates Iurisdictionis Ecclesiæ, aliæ à Papali potestate, sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem & collationem primariam; à Papa autem & ab Ecclesia, quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem.* II. *Hujusmodi potestates sunt de Iure divino, & immediatè instituta à Deo.* III. *Invenitur in S. Scriptura, Christum Ecclesiam fundasse, & potestates alias à Papali expressè ordinasse.* IV. *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem Statutis, residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu S. & Ecclesia Catholica.* V. *Ex textu Evangelii & doctrina Apostolorum habetur expressè, Apostolis & Discipulis à Christo missis, auctoritatem Iurisdictionis fuisse collatam.* VI. *Dicere inferiorum Prælatorum potestatē Iurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediatè à Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat veritati.* VII. *Aliqua potestas, sc. potestas Ecclesiæ, de jure potest aliquid, & in certis casibus, contra summū Pontificem.* Acta hæc sunt Parisiis in Capitulo S. Matharini anno M. CCCC. XXIX, & in Instrumentum redacta, Pontifice tum Romano Martino V. idque totum extat in Libro Francofurti typis *W*olfg. Richteri 1612. edito, quo continentur Varia tam Facultatis Theologicæ, quàm Curiæ Parisiensis Opuscula, Decreta & Censuræ de Romani Pontificis potestate. Eadem Facultas Parisiensis sese opposuit Clementis VI. Bullis Indulgentiarum, qui ipsis Angelis in cœlo præceperat, ut peregrinantium in bellum sacrum animas, si in itinere evolarent, statim in paradisum transferrent. *Nonne Clemens Papa in Bulla, quæ adhuc hodie Viennæ Limonis Pictavii in privilegiorum scriniis plumbata servatur,* (scribit Corn. Agrippa de Van. Scient, cap. 92. pag. 213.) *præcipit Angelis de cœlo, quod animam peregrinantis Romam pro Indulgentiis, & decedentis, à purgatorio absolutam ad gaudia perpetua introducant? insuper inquiens,* nolumus, quod pœna inferni sibi aliquatenus infligatur; *concedens insuper* crucem signatis *ad eorum vota* tres aut quatuor animas, *quas vellent*, è purgatorio *posse eripere, quam erroneam intolerabilemq; temeritatem, ne dicam, prope hæresin, tum* Parisiensis Schola *palam detestata est atque corripuit.*

XX. SENATVSCONSVLTVM ACADEMIÆ PARISIENSIS ADVERSVS EXACTIONES BENEDICTI *XIII.*

NObile est Decretum, quod, regnante Carolo *VI.* frequentissimo Theatro, incredibili Gallorum omnium plausu comprobatum est anno 1406. adversus Exactiones Papæ Benedicti *XIII.* qui prius Peter de Luna dictus fuit. Strictim & breviter videantur, quæ ab insigni illa Academia fuere proposita. Liberè demonstrant 1. quodnam sit officium Regis in sublevandis Subditis adversus tyrannica onera, Regno Franciæ & Delphinatui Viennensi à Pontifice imposita. Deinde 2. monuerunt, non licere tantum à Papa inordinatè ambulante ex Apostoli consilio se subtrahere; imò id expedire, & sequendum aliud Apostolicum Præceptum: *State, & nolite iterum jugo servitutis contineri.* Ostenderunt 3. Papam

illum Benedictum contra S. Synodi Chalcedonenſis & aliarum autoritatem,& contra Gregorii,Bernardi & aliorum Sanctorum doctrinam , imò Evangelicam autoritatem,pecunias in Eccleſiæ ſubverſionem emunxiſſe. Adjecerunt 4. neceſſitatem defendendarum Eccleſiarum ad Reges pertinere, in exemplum proferentes,quæ Rex Ioas,qui primo Dei populo præfuit,& multi Reges Francorum ante Carolum *VI.* geſſerunt. Concludunt , neceſſariam eſſe Regis ab obedientia Pontificis ſubtractionem ,aut impediendam & inhibendam eſſe tam Annatarum, quàm aliarum Præſtationum nomine Pecuniarum exactionem.

XXI. PARISIENSIS CVRIA CONTRA PIVM II.

QVis ſtatus Galliæ fuerit ſub Pio *II.* non amplius Ænea liberali, docebit Pariſienſis Curiæ ſeu Parlamenti pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ adverſus Romanam Aulam defenſio,oblata Ludovico *XI.* in cujus Articulo LXX. & ſequentibus quatuor expreſsè poſitum, Pii hujus tempore vacaſſe in eo regno ſupra viginti Archiepiſcopatus & Epiſcopatus,in quorum beneficiorum Annatas & Diplomata depenſa ſint Curiæ Papali coronatorum centum & viginti millia; totidem Aureos ex Abbatiis,quæ eodem tempore ad LX. numero vacârunt,eſſe exactos; tum deinde ex Prioratibus,Decanatibus, Præpoſituris vacantibus non minus quàm aureorum coronatorum centum millia. Quid ex Parochiis & Filialibus,ut vocant,redactum,ibidem additur. Hæ exactiones, Parlamento conquerente Articulo *LXXI.* Regnum opulentiſſimum adeò exhauſerunt auro, ut ærea tantùm & minutior moneta in uſu relinqueretur incolis,auro omni Romam exportato. Editus is Parlamenti Sermo à Duareno Icto Lutetiæ cum privilegio Regis aliquoties. Eſt enim *Defenſio Curiæ Pariſienſis pro libertate Gallicanæ Eccleſiæ.*

XXII. IOHANNES GIGENCVRTIVS, SORBONICVS DOCTOR.

TEmpore Vrbani & Clementis prodiit Lutetiæ in Collegio Sorbonico Theologus Ioh.Gigencurtius,qui ad poſtulata Regis Caroli *VI.*aſſeruit,Eccleſiam Catholicam facilè Papa in perpetuum carituram,multaque huic ſententiæ confirmandæ attulit,ut auctor eſt Monſtr.lib.1.cap.30.43.52. Videatur Froſſardus lib.4. cap.58.91.97.120.& l. 2. cap. 35. l. 3. cap. 46. allegante Benbellona part.2.Edict.ad Diocl.p.153.

XXIII. VVILHELMVS DE S. AMORE.

Ad.n.267. p.691. ORta diſcordia magna inter univerſitatem Pariſienſem & Fratres Prædicatores (de qua vide Matth. Pariſienſem in Henr.*III.*) ex parte Fratrum prodiit

diit Liber, *Evangelij æterni* nomen præ se ferens, cujus auctor communi opinione ferebatur Iohannes de Parma, Monachus Italicus. Ex parte Academiæ evulgabatur liber Magistrorum Parisiensium *de Periculis Novissimorum Temporum*, cujus Autores Guilielmus de Sancto Amore, in oppido Amatoris apud Sequanos natus; Odo de Duaco, Theologiæ Doctor; Nicolaus Decanus de Barro, & Christianus, Canonicus Beluacensis, quos Alexander *IV.* literis ad Regem Francorum *Romanæ Ecclesiæ rebelles* vocat; prout videre est in Firmamento trium Ordinum Franciscanorum part.2.tract.2.fol.60.61.edit.Paris. An. 1512. In illo libello Magistri Parisienses Scribunt: *Jam sunt 55. anni, quod aliqui laborant ad mutandum Evangelium, quod dicunt fore perfectius, & melius & dignius, quod appellant* Evangelium S. Spiritus, *quo adveniente evacuabitur, ut dicunt, Evangelium Christi, ut paratisumus ostendere in illo Evangelio maledicto.* Quæ judicia fuerint de Autore Evangelii æterni, quæ materia sit maledicti, ut vocant Parisienses, Evangelii, & quid eo tempore porrò actum sit, id tradit Iac. Vsserius Quæst. de Ecclesiarum continua successione & statu cap.9. num. 20. seqq. à p. 337. usque ad p. 351. Scriptum illud Parisiensium Doctorum inter illos libros, qui feruntur à VVissenburgio (cùm Flacius pag. 469. sibi tribuat editionem) editi Basileæ 1555. primum omnium extat, deque eo *Præfatio generalis ad omnes libros* hæc retulit. *Scholæ Parisiensis scriptum (quod nonnulli Gvilielmo de S. Amore inscripserunt, sed errorem Matthias Parisiensis sua Præfatione detexit) ante annos ferè CCC. editum, & Codicis vetustas, unde desumtum est, & ipsius argumenti ratio ostendit.* Quomodo id ostendat, ibi legi potest. Præfatio autem Mat. Parisiensis sic incipit: *Sequitur hic* Tr*actatus, quē Vniversitas gloriosa Magistrorū Parisiensiū in sacra pagina compilavit, & ipsum librum* de periculis novissimorum temporum *intitulavit*, & quæ sequuntur. Cap. *XIII.* scripti ejusdem triginta novem ponunt signa, quibus Apostoli à Pseudapostolis distinguantur. Ea autem sic sunt concepta, ut contra Monachos dicta deprehendantur. Tertium decimum signum ponit pag. *III.* quod veri Apostoli non circumveniant homines, ut dent eis bona temporalia. In eo Scripto Doctores Scholæ Parisiensis scribunt cap.12.p.80. *Hei modò, utinam attenderent Viri religiosi, qui se Curiis Principum ingerunt, quod Petrus semel Curiam intravit, & ter Christum negavit.* Quæ contra Mendicantes scripsit VVilhelmus, ea Iohanni VVyclifo ejusque doctrinæ applicat Henricus de Knyghton, Canonicus Leycestrensis, lib.5. de Eventibus Angliæ col.2644. 2645. 2646. ubi VVilhelmi afferuntur de adventu Antichristi & consummatione seculi Prophetiæ. Videatur de illa Controversia Mendicantium Monachorum cum Vniversitate Parisiensi Lud. Servinus Vindic. Gall. Eccles. pag. 187. 188. & quæ ex eodem libro Scholæ Parisiensis multa dicta protulit Ioh. VVolfius Centen. 14. pag. 691. 692. 693, 694.

XXIV. JOHANNES GERSON, CANCELLARIUS PARISIENSIS.

Adn. 331. p. 779.

DE Iohanne Gersone præmittimus, quod Autor Prologi in Tomum quartum anno 1501. ex Eremitorio D. Guilhelmi in suburbano Argentinensi scripsit: *Johannis Gersonis, consolatorii Christianissimiq; Doct. lucubratiunculas, puras, solidas, veraces, devotas & animi penetrativas esse, nemo inficiabitur, qui observatè & sincere absque cæco ac effeminato alterius viæ aut disciplinæ affectu illas lectitaverit; invenit etenim pientissimum Dominum Johannem ea, quæ ad charitatem Dei & proximi, ad Ecclesiasticam reformationem, & ad animarum salutem attinent, ferventi affectu salubriter collegisse. Nihil est prorsus in Operibus ejus, quod non vel Christianam pietatem, vel sanctissima priscorum Patrum & ipsius Ecclesiæ columnarum vestigia redolere videatur.* In Præfatione ad Lectorem dicitur à Gersone, *Ecclesiæ reformandæ modum* à se demonstrari, quem modum, quamvis nondum sciverit omnem, amore adhuc captus Ecclesiæ Pontificis Romani, dabimus quædam tamen, quæ utilia ad Clerum & populum dicenda, censuerit. De Conciliorum autoritate supra Papam Gerson libro de Potestate Ecclesiastica Consider. 4. fol. 1. lit. R. docet, Concilium generale repræsentare Ecclesiam, Clavesque datas quidem Petro ejusque successori, sed principalius Ecclesiæ; & de hac scribit, posse condere *leges obligantes & regulantes etiam ipsum Papam, tam quoad personam, quàm respectu usus potestatis*; nec è contra posse Papam judicare *totam Ecclesiam, aut usum Ecclesiæ potestatis limitare: Imo,* addit, *si Papa condat Leges & Canones, videtur observandum illud, quod sententialiter dicit Augustinus*: Leges instituuntur, cùm promulgantur; firmantur autem, cùm moribus utentium approbantur. *Hoc enim dicitur ad reprimendum præsumtionem quorundam summorum Pontificum, vel eis adulantium, qui videntur voluisse deberes servari pro regula immutabili de Papa, respectu cujuslibet Provinciæ vel totius Ecclesiæ*, quod placuit Principi Legis, habet vigorem; *quasi nullum superesset examem supremum.* Examinatores supremos ponit Gerson Papis Concilii Generalis Doctores, sicuti in ejusdem libris reperiuntur sententiæ, quod generale Concilium *universam Ecclesiæ vim* habeat; quod Concilium *cogere* possit *Papam*, ut à proposito suo abstineat; quod unumquodque generale Concilium *etiam inconsulto Pontifice* convocari queat; quodque in Conciliorum Constitutionibus non Papa, verum *ipsum Concilium* sit, quod *sententiam ferat.* Non licere Papæ, ait, facere *tot & tales* Nonobstantias *eorum, quæ in Conciliis generalibus Statuta, & à Patribus universalis Ecclesiæ approbata sunt, tollendorum gratia.* In Gallia cùm magnas turbas darent Pontifices, Gerson de *Auferibilitate Papæ ab Ecclesia* librum scripsit, quo ipso sensit, Ecclesiam etiam regi posse sine Papa; tantum abest, ut jus illud seculare Pontificum contra Reges statueret. Quinimo Sorbonistæ fuerunt, sententes, posse Ecclesiam Gallicanam sibi Patriarcham constituere, & à Romana sede deficere,

deficere,si P.R.non velit desistere ab Eccl.Gall.turbanda,quod docet Molinæus de Monarch. cap.15.p.221.Scripserat Consid.XI. *Ne sequatur scandalum pusillorum, qui æstimant,*Papam *esse* unum Deum,*qui habet potestatem in cœlo & in terrâ.*Replicat Bellarminus: *Teneant pusilli & simplices,*Papam Deum quendam esse, *& potestatem omnem habere in cœlo & in terris. Exiguum quid est*, Papam pro Deo *in terris haberi,cùm de omnibus Principibus in Psalmo dicatur: Ego dixi, Dii estis*, in Responsione ad tractat. & resolutionem circa valorem Excommunicationis Io.Gersonis p.468. Age,ostendat Cardinalis, ubi aliquid majus de Papa dicatur, quod præ ipsius Majestate non sit exiguum, quam dignitatem & potestatem bene est,ut exaggeret,quum *pauci,*quod ibidem ait, *ejus sublimitatem & splendorem* capiant & assequantur. Cùm Petrus de Alliaco consuleret Gersonem, quid sentiret de victu & pompa Prælatorum,ibi respondet:*Si in Prælatis omnia concordarent Statui illi Paupertatis Christi & suorum Apostolorum,perfectior esset eorum imitatio & utilior,quàm sit magnificus ille status præsentium*, Tom. 4. oper. Gers.in Epist.ad Petrum,Episc.Cameracensem.E.3.b. Idem Gerson Tr.de Schismate H. 2.a.T.4.confert Statum Ecclesiæ Christi prioré cum posteriori, & ex plurium sententia concludit: *Aliquibus videtur fore expediens universali Ecclesiæ,*redire omnia ad pristinum Statum Ecclesiæ, *seu illius,quæ fuit tempore Apostolorum,quantum congruè fieri posset, abjectis talibus jurisdictionibus* (politicis & civilibus) *pro magna parte,quæ reddiderunt Ecclesiam totam* brutalem, *& nihil ferè sapientem de his,quæ Dei sunt,erga salutem animarum.* Quod hîc habet *de brutalitate,*eodem termino utitur de corrupto Ecclesiæ Statu in Concione habita apud Tarasconam coram Papa in Festo Circumcisionis Consid. 1. conquerens, *Statum Ecclesiæ* factum esse *totum quasi brutalem & monstruosum*; Clerumque fornicatum esse cum adultera meretricula sapientia terrena,animali & diabolica,lit. N.3.a. Tom.1.edit. Argentin.1494. Scripsit Gerson anno 1427. tractatum de Indulgentiis,in quo disputat,Indulgentias *non* pertinere *ad potestatem Ordinis*, sed *Jurisdictionis*, atque ideo non se extendere simpliciter & directè ad remissionem culpæ, quæ fiat in absolutione Sacramentali,nec ad diminutionem alterius pænæ,nisi illius,quàm Papa,aut qui confert Indulgentias,inflixit aut infligere potuit; concluditq;,*potestatem Ordinis* seu *Claves Sacramentales* in absolutione esse eminĕtiores,utiliores& eligibiliores in collatione Indulgentiarum,quàm *potestatem Jurisdictionis*; unde addit hæc Corollaria: *Solus Papa supremus Christus cum Patre & Spiritu S. potest dare plenaria auctoritate Indulgentiam omnimodam à pæna & culpa, quam dum confert, dat dies Indulgentiarum innumerabiles & infinitos extensivè & durativè.* Solus Papa Christus *gratis & absque merito alio,quàm suo,facit commutationem pænæ perpetuæ in pænam temporalem, vel in plenam absolutionem.* Solus Papa Christus *potest illam tot dierum & annorum mille millium Indulgentias concedere,qualis posita reperitur in diversis concessionibus summorum Pontificum.* Improbat meritò audaces illas & enor-

mes conceſſiones in aliquot ſecula,cùm conſtet, quod nec homo in hâc vitâ poſſit aut debeat ad tot annos obligari ad pænitentiam agendam, cùm non ſit victurus per milleſimam partem tot annorum. Conciliorum & Papæ autoritatem tanquam purè humanam æſtimat Gerſon, nam, cùm diſputaſſet,quemvis in S. Scriptura bene exercitatum poſſe doctrinam aliquam fidei examinare,duas inde ſubnectit ſubſecutiones. I. *Staret, quod aliquis ſimplex,non autoriſatus,eſſet tam excellenter in ſacris literis eruditus* (ſc. quod de controverſis fidei capitibus ex S. Scriptura judicare poſſet), *quod plus eſſet credendum in caſu doctrinali ſuæ aſſertioni,quàm* Papæ declarationi; *Conſtat enim plus eſſe credendum Evangelio, quàm Papæ. Si doceat igitur talis eruditus veritatem aliquam in Evangelio contineri, ubi & Papa neſciret,vel ultrò erraret,patet,cujus præferendum eſt judicium.* II. *Talis eruditus deberet in caſu,ſi & dum celebratur aliquod* Concilium generale, *cui & ipſe præſens eſſet,illi ſe opponere, ſi ſentiret majorẽ partem ad oppoſitum Evangelii malitia vel ignorantia declinare. Exemplum beatiſſimus dedit Hilarius. Vnde quamvis ab initio militantis Eccleſiæ,quæ componebatur ex Apoſtolis & immediatis Succeſſoribus noviter & certitudinaliter à Chriſto doctis de multis, quæ non ſunt ſcripta,plus eſſet credendum autoritati talis Eccleſiæ, quàm Evangelio cuicunque, priusquam eſſet ab eâ receptum, vel authoriſatum; nihilominus poſt approbationem & autoriſationem quatuor Evangeliorum per talem Eccleſiam plus eſſet credendum Evangelio, quàm alteri cuicunque humanæ autoritati.* Vt Seculi decimi quarti finis peſſimè ſe habuit; ſic initium Seculi XV. fœdiſſimè inter ſchiſmata & varia crimina cæpit,ac erroribus & inimicitiis de die in diẽ pullulantibus,progreſſum fecit. Vixit tunc, & altè ingemuit fidelis Galliæ Doctor Gerſon,ſcribens Epiſtolam A. 1400. Brugis, quæ ſic incipit: *Reverende Pater,Domine præcipue, dum mentis aciem ad* Statum quemlibet *&* Ordinem (*ſi ordo quiſpiam ſit in hâc noſtra tempeſtate*) *circumflecto; dum* generalem *præterea* Eccleſiæ cladem *cum miſeranda ejus numero & merito diminutione, pia affectione pertracto,libet magis flere, & juxta Conſiliũ Ezechielis gemere ſuper cunctis abominationibus,quæ fiunt,quam de adjutorio remediove ſperando cogitare. Ita à planta pedis uſq; ad verticem occupavit totum corpus Chriſtianitatis ebulliens peccatorum ſanies.* Nominat deinde *procelloſiſſimam tempeſtatem & voraginem*,ubi *impudentiſſima diſſolutione* ab Eccleſiaſticis talia fiant, qualia vel ſcribere horror ſit,vel etiam cogitare. Accuſat *Prælatorum priorum negligentiam & ignaviam*, eam *expeditiſſimam* vocat, quæ tunc *in auctoritatem nephandiſſimi flagitioſiſſimiq; ſceleris* aſſumta fuerit. Conqueritur demum *Verbum Dei* deſertum eſſe,quaſi negotium quoddam ſupervacuum,cujus negligentiæ culpam *in caput Prælatorum* confert.

XXV. NICOLAVS GALLICVS.

Ad n. 297. p. 738. IGnorare ſe ait Flacius,cujus ordinis homo fuerit. Cùm verò Flacius legerit Ioh. Trithemii Scriptores Eccleſiaſticos, neſcimus,an fugerit ejus memoriam,quæ à Tri-

Trithemio sunt scripta fol.112. *Nicolaus Gallicus, Ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli, septimus* Prior *Generalis, Vir doctus & sanctus, qui posteaquam Ordinem suum viginti fermè annis strenuè, prout valuit, rexerat, Christi amore officio cedens, ad eremi quietem reversus est, ubi usque ad mortem in sancta conversatione perseveravit. Scripsit inter alia Opus lugubre,* Statum sui Ordinis *deplorans, cùm è terra sancta Fratres fuissent expulsi, quod prænotavit* Igneam Sagittam. *Claruit temporibus Rodulphi Imperatoris A. D. M. CC. LXX.* Eadem cum Trithemio retulit VVilh. Eisengreyn Catal. Test. Verit. pag. 115. ubi eum non minus vita quàm eloquentia spectatum fuisse ait. Ex illo itaque libro, cujus uterque meminit titulo *Igneæ sagittæ*, Flacius nonnulla nobis retulit. Compilator Flacii perpetuus Ioh. *W*olfius Nicolaum hunc omisit, quantum quidem constat. Fuit & alius *Nicolaus Gallicus*, in Basileensi Concilio celebratus, qui dicitur Æneæ Sylvio 1. de gestis Basil. Concil. fol. 10. *Vir* & *ingenio & solicitudine ad modum præstans*, quem pusillo quidem corpore fuisse ait, sed majorem in exiguo corpore regnasse virtutem.

XXVI. THOMAS DE VALAS.

THeologiæ Magister, Ordinis Prædicatorii, exponit se periculo, prædicans Avenione publicè contra Papam Iohannem propter errorem ejus *de cæcitate animarum separatarum, omnibus* Prælatis *Ecclesiasticis dissimulantibus, & diu tacentibus*, scribente Paulo Langio Chronico Citicensi pag. 834. ubi notat, ob id ab Inquisitore hæreticæ pravitatis incarceratum fuisse.

XXVII. PETRUS DE ALLIACO CARDINALIS.

ECclesiæ Romanæ Cardinalis, & Episcopus Cameracensis, Parisiensis Gymnasii quoq; Cancellarius, Vir in divinis scripturis eruditissimus, ingenio excellens & clarus eloquio, declamator quoq; sermonum egregius, judicio Trithemii de Scriptor. Eccles. f. 154. Elogio Eisengreinii in Catalogo Test. verit. f. 156. Vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atque Poëta celebris, Theologus sacrarum legũ consummatissimus. Scripsit is Anno 1415. peculiarem tractatum de modo reformandi Ecclesiam, eumque Concilii Constantiensis Patribus obtulit, sex distinctum considerationibus, quarum 1. de Reformandis circa corpus Ecclesiæ; 2. de Reformandis circa ejus caput, sc. circa Statum Papæ & Romanæ Curiæ; 3. de Reformatione principalium Ecclesiæ partiũ, scilicet Prælatorum; 4. de Reformatione circa Religionem & Religiosos; 5. de Reformatione circa cæteros Ecclesiasticos; 6. de Reformatione Laicorum Christianorum. Liber extat in Fasciculo Rerum expetendarum & fugiendarum Ortuini Gratii fol. 204. usque ad fol. 208. edit. Colon. A. 1535. eundemq; inseruit Tomo primo Lectionum memorabilium Cent. XV. Ioh. *W*olfius à pag. 756. usque ad p. 764. In calce ejus Libri sic scribit Ortuinus Gratius: *Quisquis omnia nostris hisce temporibus ritè atque exactè satis pensitaverit,*

Ad n. 372. p. 809.

quæ

quæ & à Patribus nostris, & à nobis etiam ipsis, per annos aliquot in hunc usque diem & acta sint, & agantur, pro reformandis moribus & delendis Ecclesiæ abusibus, generali opus esse Concilio, nunquam diffitebitur. Quis enim tam cæcus, qui hoc non videat? Quis tam amens, aut tam mentis inops, qui idipsum non decernat? Quis tam perversus Christianæ Reipublicæ hostis & perfrictæ frontis homo, qui illud hoc tempore non desideret, non expetat, non tandem ex animo velit? Nemo hercle nemo. Sunt tamen, qui nescio, qua ducti ratione contrarium sentiant. Sic Professor ille Coloniensis Academiæ fatetur, Ecclesiam legitima indigere reformatione, quod Petrus de Aliaco tam calido expetiverat voto.

XXVIII. PHILOTHEVS ACHILLINVS.

EXtat sub hoc nomine *Somnium Viridarii*, sub dialogo *Militis* & *Clerici*, agens de jurisdictione Papæ & summarum in regimine publico Potestatum, sive de Iurisdictione seculari & Ecclesiastica ad Regem Francorum Carolum V. quem sub finem libri sic alloquitur: *Suscipiat Dominationis* (malè, *damnationis*) *vestra fulgurosa Majestas præsens hoc* Somnium, *ex quo, nisi fallor, luce clarius potestis concipere, quæ & qualis sit* potestas Ecclesiastica, *& etiam* secularis; *& quicquid de hac materia alibi quæritur, hîc plenius invenitur.* Is tractatus, libris constans duobus, relatus est Tomo primo Monarchiæ S.R. Imperii Goldasti à pag. 58. ad pag. 229. Ejus libri mentionem fecit Flacius num. 271. p. 704. 705. indeque produxit testimonium contra Primatum & Tyrannidem Papæ; aliaque etiam plurima addidisset, si liber in manibus fuisset; nunc cùm notior factus sit studio Goldasti, & Prolegomena Goldasti, præmissa Volumini primo p. 26. 27. 28. 29. & totum librum evolvere potes.

XXIX. HIERARCHIA SVBCÆLESTIS.

HOc titulo exiit liber in Gallia, incerto autore, temporibus Carolorum V. & VI. Regum, ex quo Autore Ranchinus lib. Revision. Concil. Tridentini cap. 2. f. 160. refert, conquestum fuisse, quod interitus Ecclesiæ sub Clemente V. cæperit totaliter ingruere. Ab eodem Ranchino fol. 163. allegatur Autor libri, cui titulus *Aureum Speculum* P*apæ, ante annos amplius ducentos scriptum.*

XXX. THOMAS DE CORSELLIS, CANONICVS AMBIANENSIS.

ORationem habuit in Concilio Basileensi, qua probavit, *Concilium esse supra* P*apam*, quam lectu dignissimam commendat Flacius in Teste D. Veseli num 387. pag. 820. Eam Orationem dignam omnino ob doctrinæ varietatem æstimamus, quæ hîc appareat, cùm ne centesimo quidem nota sit. Extat autē in Commentariis Aneæ Sylvii lib. 1. fol. 3. ubi cōmendatur Thomas, quod fuerit Orator excellens & sine ostentatione, Doctor sacrarum literarum insignis, *Vir*, uti loquitur

Sylvius

Sylvius, *juxta doctrinam mirabilis & amabilis*, *sed modesta quadam verecundia semper intuens terram, & velut latenti similis.* Sic igitur ille copiosè & clarè disseruit: *Duo examinatu digna se offerunt; alterum:* Nunquid generale Concilium autoritatem habeat supra Romanum Pontificem? *Alterum:* An id credere Fides Catholica jubeat? *Quæ duo si deduxerim, nihil est, quod postmodum dubitare possimus. Quod autem* Papa Concilio generali subesse *debeat, egregiè ratio per Bargensem Episcopum deducta probat; est enim* Papa *in Ecclesia, tanquam in Regno Rex; Regem autem plus posse, quàm totum Regnum, absurdum est. Ergo nec* Papa *plus posse debet, quàm* Ecclesia. *Sed sicut nonnunquam* Reges *malè administrantes, & tyrannidem exercentes, à toto regno excluduntur, ejiciunturq́; sic etiam* per Ecclesiam, *hoc est,* per generalia Concilia Romanos Pontifices posse deponi, *non est ambigendum. Neque hic Ego illos audio, qui tam latam Regibus attribuunt potestatem, ut eos teneri legibus nullatenus velint; genus enim est adulatorum, qui aliter garriunt, quàm ipsi sentiunt; etenim licet dicatur, in sinu Principis* ἐπιείκειαν *semper fore, id ego intelligo, cùm ratio suadet à verbis legis esse recedendum;* Rex *enim ille dicitur, qui est speculator ac procurator publici commodi, cui est cordi utilitas subditorum, qui quæcunq́; agit, refert ad eorum, quibus præest, commoditatem; quod si secus fecerit, non* Rex, *sed* Tyrannus *dicendus est, cujus est proprium vacare proprio emolumento; hoc enim differt* Rex *à* Tyranno, *quod* alter *eorum, quos regit, commodis invigilat;* alter *suis intentus est. Quod ut manifestius fiat, subjicienda causa est, quæ Reges ab initio introduxit; & quidem, ut Cicero in Officiis ait, certum est, fuisse aliquod tempus, quo* sine Regibus *vivebatur; at postquam jure Gentium possessiones cæperunt dividi, non aliâ de causâ Reges sunt instituti, nisi justitiæ fruendæ; nam cùm premeretur initio multitudo ab his, qui majores opes habebant, ad unum aliquem Virum confugiebant, virtute præstantem, qui prohiberet injuria tenuiores, æquitatem constituendo, summos cum infimis pari jure pertingerent; cumq́; adhuc regnantibus Regibus debiliores nonnunquam opprimerentur,* Leges *constitui placet, quæ ad judicandum non odio aut gratia ducerentur, sed tales inopi, quales potenti præstarent aures. Quò fit, ut* Leges *non solùm* populum, *sed* Regem *quoque obligare sciamus. At si* Regem *contemnere Leges, rapere bona subditorum, violare virgines, stuprare matronas, omniaq́; suæ libidini & temeritati committere videamus, nunquid congregatis Regni Proceribus, illo summoto, alius sublimabitur, qui & bene gubernare juret, & legibus obtemperare? Nempe, ut* ratio *suadet, sic etiam* usus *edocet. Idemq́; fieri in* Ecclesia, *hoc est* in Concilio, *quod in* Regno *consentaneum esse videtur. Sicq́; satis apparet, quod diximus,* Papam subesse Concilio. *Illud tamen negari non debet, quia major est* Papa *quolibet alio Christiano; & sicuti* Regi *quilibet Baro de Regno subjicitur; sic* Romano Pontifici *singuli Ecclesiæ Prælati parere tenentur. Sed his præteritis, cùm Burgensi Episcopo, viro non minus docto quàm eloquenti,* ad divina cloquia *transeamus. Fundamento autem rei, quam petimus, verba sunt Redemtoris nostri Iesu Christi, cum in pluribus locis, tum ibi, cùm Petrum alloquitur, dicens:* Tu es Petrus, et super hanc petram &c. *A quibus verbis*

ideò placuit exordiri, quod aliqui verba hæc ad extollendam Romani Pontificis autoritatem solent adducere, sed, ut statim patebit, alius est verborum Christi sensus, quàm aliqui opinentur; Ait ergo: Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Magna quippe promissio, magna etiam verba Domini. Etenim quid dici grandius potuit, quàm portas inferi adversus Ecclesiam prævalere non posse?* Portæ utique inferi, *ut inquit Hieronymus*, peccata significant. *At si* peccata *expugnare Ecclesiam nequeunt, certè nec maligni Spiritus, qui nullam penitus in humanum genus, nisi per peccata vim habent, aliquid adversus Ecclesiam possunt, eamq; ob causam, cùm apud Iob dicatur*: Nulla potestas super terram est, quæ potestati maligni Spiritus cõparetur, *restat, potestatem Ecclesiæ omnibus potestatibus esse majorem. Possumus etiam ex hoc dicto aliter quoque argumentari; quia, si* portæ inferi, *id est*, peccata, *adversus Ecclesiam nihil queant*, Ecclesia *ipsa* impeccabilis *esse monstratur; quod quidem de* summo Pontifice, qui homo, & mortalis est, nemo dixerit, cùm scriptum sit, *quia septies in die* cadit justus. *At si Ecclesia immaculata est, quia nec peccato potest deturparj, quis est, qui* peccatorem hominem impeccabili Ecclesiæ *præferat? Nec illis præstemus aures, qui verba illa Christi Iesu dicentis*: Oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, *nolunt ad* Ecclesiam *referri, quoniam, sicut Augustinus in expositione Psalmorum inquit, quædam dicuntur, quæ si proprie ad Apostolum Petrum pertinere videantur, non tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad* Ecclesiam, *cujus ipse cognoscitur in figura gestasse personam. Unde alibi in Quæstionibus N. & V. T. de his quoque verbis Rogavi pro te Petre*; quid ambigitur? Nunquid pro Petro rogabat, pro Iacobo & Iohanne non rogabat; ut de cæteris taceam? Manifestum est, in Petro omnes contineri; quia & alio loco apud Iohannem dicit: *Ego pro his rogo, quos mihi dedisti &c. Qui fit, ut* Ecceſiam *frequentissimè per* Petrum *intelligamus. Idq; hoc fieri in loco nõ ambigimus, aliter verò stare veritatis verba non possent, cùm paulò post Petri fides ad tempus Christum negando defecerit. At fides Ecclesiæ, cujus personam Petrus gestabat, semper intemerata permansit.* De Romanis *verò* Pontificibus *liceret exempla ad modum multa referre, si tempus sineret, quoniam aut* Heretici, *aut* aliis imbuti vitiis *sunt reperti. Nec nos fugit*, Marcellinum *jussu Cæsareo idolis thurificasse; alium verò quod majus & horribilius est, diabolicâ fraude Romanum Pontificatum ascendisse. Nobis tamen illud Pauli ad Hebræos sufficit testimonium, qui omnem Pontificem* infirmitate, *id est*, pravitate peccandi *circundatum esse dicit.* Ecclesiam *autem* impeccabilem *permanere etiam alia ipsius Christi testimonia comprobant.* Testimoniis illis allegatis pergit: *Exterrere aliquos verba hæc possent, dum fore* impeccabilem Ecclesiam *astruo; nam cùm in Ecclesia continentur omnes, qui Christiano censentur, quiq; in communi credentia Articulorum Fidei & Sacramentorum participatione conveniunt, vereor, ne, qui me omnes homines impeccabiles dixisse opinentur, quæ sententia tantum à mea abest, ut ejus oppositum verum putem; existimo enim, quia nullus sit in Ecclesia impeccabilis, mortali carne vestitus. Nec ista inter se pugnant; habet enim hoc Ecclesia*

sia;

sia, ut, licet singula membra peccare possint, totum tamen corpus non possit; semper enim in Ecclesia Viri sunt aliqui boni, qui, licet humanæ fragilitati subditi sint, virtutis tamen perfectæ, perfecto fungantur munere, domitisq; carnalibus desideriis hostiam se Deo placentem exhibent. Rationibus deinde ac testimoniis Patrum agens *Ecclesiam non errare*, Pontifices Romanos excludit, subjicitque Ecclesiæ, porrò scribens fol. 5. *Si authoritas quæritur*, inquit cum Hieronymo, *Orbis major est Urbe. Quid tum obsecro, Hieronyme, magnus est Papa, quia Romanæ præest Ecclesiæ? Magna ejus est autoritas, major tamen est universalis Ecclesia, quæ non Urbem unam duntaxat, sed totum complectitur Orbem. Ex hinc si* Mater *omnium fidelium est* Ecclesia, *Romanum etiam Pontificem* in Filium *habet. Alias verò, sicut beatissimus prædicat Augustinus, nunquam habebit Deum Patrem, qui* Ecclesiam *noluerit recognoscere* in Matrem. *Quod Anacletus intelligens, universalem Ecclesiam, ut Canonistæ sciunt*, Matrem suam *appellat. Et Calixtus* sicut Filius, *ait*, venit facere voluntatem Patris; sic & nos implere voluntatem *Matris nostræ*, quæ est Ecclesia. *Unde apparet tanto superiorem esse Ecclesiam Romano Pontifice, quanto est Matre inferior Filius. Suprà etiam diximus*, Ecclesiam Christi Iesu Sponsam fore; *Papam verò Vicarium esse scimus. At nemo sic Vicarium suum instituit, ut ejus Sponsam illi subjiciat. Quin imo plus arbitrii in rebus arduis habere creditur Sponsa, quàm Vicarius, cùm illa unum cum Sponso corpus existat; Vicarius non idem cum Domino. Nec Pauli ad Romanos verba præteribo*: Omnis, *inquit ille*, anima potestatibus sublimioribus subdita sit; *nec excipit animam Papæ. Quare cùm nullus alius mortalium supra Papam sit, necessarium videtur, ut illum Ecclesiæ subiiciamus. Nec ideo se putet exemtum, quod ei dictum à Christo fuerit*: Quodcunque ligaveris, *& reliqua; in eo namq; personam ferebat Ecclesiæ, cui etiam dictum reperimus*: Quæcunque ligaveritis super terram, ligata erunt & in cælis. *Ulterius si omnis potestas à Christo concessa, ut ad Corinthios scribit Apostolus*: Data est in ædificationem Ecclesiæ, & non in destructionem; *Cur non Ecclesia summum* Pontificem, *clavibus abutentem, & omnia destruentem corripere possit?* Addit & alia argumenta, Papam Concilio subesse, & inter alia, ait, Papam non audientem Ecclesiam, habendum esse ut Ethnicum & Publicanum, ubi Glossa marginalis habet: *Bone Deus, vereor, ne multos Romana Ecclesia Papas habuerit Ethnicos.* Aggreditur deinde Canonistas, & magnam Scholasticorum partem, itemque Fratres Mendicantes, qui Pontifici Romano nimium adulantes, qui summum Pontificem, ex jurisdictione sacri Concilii, demere non vereantur, quæ verba attulit Flacius num. 263. pag. 689. ibi: *Sunt enim aliqui &c.* Docet deinde quomodo intelligenda sint verba Evangelicæ *Dic Ecclesiæ* fol. 6. testimonia citans Gregorii I. & Concilii Constantiensis, qui Ecclesiam de generali Concilio exponunt. *Quibus ex verbis, inquit, plus illud habemus, quia non solùm Papa in correptione Fratris ad Concilium remittitur, ubi per se non potest, sed etiam ubi de ipsius* Papæ correptione *agitur, ad Concilium est recurrendum. Unde apparet, verissimam esse interpretationem no-*

 stram,

nostram, quæ nobis Ecclesiam in generali Concilio exponit. Hinc est, quod in Actibus Apostolorum congregationes, quæ tunc fiebant, appellabantur Ecclesiæ: In Concilio *quoque* Niceno, *& in aliis, cùm aliquis excommunicaretur, semper ferè subjungitur:* Hunc excommunicat Catholica & Apostolica Ecclesia. *Atque ex hoc introductus est ille Conciliorum titulus, quo* Sacrum generale Concilium *universalem Ecclesiam repræsentare dicimus. Unde &* Leges Concilii, *ut Canonistæ volunt, & bene volunt,* Leges Ecclesiæ *nuncupantur; nec enim alibi* Ecclesia, *quàm in generali Concilio* Leges *promulgat, nisi &* Leges Ecclesiæ *appellemus* Romanorum Pontificum Constitutiones, *quod minus proprium est, quàm in Concilio, ubi licet non omnes Ecclesiasticæ personæ conveniant, plurimæ tamen interesse solent, & in illis, quæ veniunt, tota residet potestas Ecclesiæ. Unde in Actibus Apostolorum legimus:* Quia placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesiâ: *Etenim licet illic non essent cuncti fideles, quod eorum pars magna tunc Antiochiæ moram trahebat,* tota *tamen* Ecclesia *dicitur, quia tota potestas in Concilio residebat Ecclesiæ. Parique ratione edita per* Nicænum Concilium, *tanquam per Catholicam Ecclesiam ordinata suscipimus, licet non omnes Episcopi Niceæ fuerint.* Concludit deinde, necessariam esse in Romano Pontifice obedientiam erga Concilium, & Pontificis esse, ut non dedignetur aliquam in terris potestatem supra se recognoscere, quam & in rebus prægrandibus consulat, & illius determinationibus acquiescat. Porrò decere pergit, quàm periculosum sit *unius hominis* (Papæ) *libidini* sese exponere, & ait *Nullus omnino locus adversariorum* (& fautorum Rom. Pontificis) *temeritati relinquendus, qui dum* unius hominis libidinem *sustinere conantur, dumque privatum bonum* communi *antevertunt, incredibile est, quantas errorum nebulas excitent. Adversus quos, cum multi alii, tum præcipuè* Zacharias, Chalcedonensis Episcopus, *Vir & re & nomine excellens, armatus venit; qui cùm in Chalcedonensi sanctâ & magna Synodo* Romani Pontificis sententia *sibi objiceretur,* Nicolai Papæ & aliorum Patriarcharum Principem *esse* Canonem *replicavit. Ac* Zosimus Papa *sic de Statutis generalium Conciliorum ait:* Contra Statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest autoritas. *Nec de statutis Patrum, aut in Vrbibus, aut in eremis disgregatorum loquitur; illa enim Papam non ligant, sed de his, quæ in generalibus Conciliis per Patres eduntur. Quod, ut clarius liqueat,* Leonis Papæ, *omnium Romanorum Pontificum eloquentissimi, subjicienda sunt verba, qui* editionem Nicæni Concilii *nulla unquam ex parte solubilem fore ad Anatolium scribit, quasi* se ipsum, *& sic* summum Patriarcham *excludens.* Damasi *verò clarior in hanc sententiam est autoritas, ad Aurelium Archiepiscopum scribentis; sicut in libro Conciliorum narrat Isidorus, cujus dignissima de autoritate Synodali hæc verba leguntur;* Quoniam blasphemare Spiritum S. non incongruè videntur, qui contra eosdem sanctos Canones, non necessitate compulsi, sed libenter (ut præfixum est) aliquid, aut protervè agunt, aut aliquid præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. *Cujus blasphemiæ*

sphemiæ an Gabriel,*qui se dictitat* Evgenium,*sit hodie particeps,illi dijudicent,qui eum audiunt asserentem,tantum à se abesse,ut generalibus Conciliis debeat obedire,ut se tunc maximè dicatur mereri,cùm Concilii decreta contemnit. Sed addit Damasus*: Idcirco norma sanctorum Canonum,qui sunt spiritu Dei & totius mundi reverentia consecrati,fideliter à nobis est scienda,& diligenter tractanda, ne quo modo Sanctorum Patrum Statuta absque inevitabili necessitate,quod absit, transgrediamur. *Hodie tamen passim in omnibus literis Apostolicis* (Papalibus) *non obstantiæ reperiuntur,quas nulla induxit alia necessitas,quàm pecuniæ cumulandæ, sed de his ipsi viderint, qui talia struunt. Nos iterum ad Damasum redeamus.In Epistolis namque Ambrosii, Mediolanensis Episcopi,mentio invenitur cujusdam Epistolæ,quam ipse Damasus scripsisse fertur Iudicibus à Capuana Synodo deputatis, ubi ostendit,*sui officii non esse,in causis manum apponere,in quibus Synodus prævenisset; *quo dicto illos manifestè redarguit,qui summum Pontificem Concilii Principem dicunt; quod si verum esset, potuisset utique Damasus causam Bonosii Episcopi ad se recipere terminandam, quamvis per Concilium prius cæptam. Sed quoniam Synodus major est Papa, prohibitum se Damasus novit. Unde* Hilarius Papa,*sciens Synodum supra se fore,ut Canonistas non fugit,Decreta sua per Concilium voluit approbari. Neq; in hâc sententiâ Doctorum omnium Doctor*, Augustinus *desideratur, qui sic in Epistola,quam ad Glorium, & Eleusium,ac Felicem Grāmaticum scribit,casum enarrat. Accusabatur Cecilianus Episcopus per Donatum,& alios quosdam.* Melchiades Papa *cum quibusdam Episcopis Cecilianum absolvit,& in Episcopatu confirmavit. Illi hâc sententia irritati,scissionem in Africæ partibus induxerunt. Increpat illos Augustinus,qui cùm aliud haberent remedium adversus Papæ sententiam, Schisma potius elegissent; in eosq; per hunc modū invehitur.* Ecce putemus illos Episcopos,qui Romæ judicârunt, non bonos Iudices fuisse;restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universalis judicium, ubi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, ut, si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. *Unde apparet,non solùm* Papæ solius,*sed* Papæ *etiam* cum adjunctis Episcopis *sententiam* per Concilium *posse* rescindi,*plenarium enim universalis Ecclesiæ judicium nusquam alibi, quàm in Concilio reperitur. Nec aliquem moveat,quod Augustinus* de solis Episcopis *mentionem facere videatur; nam si textus Epistolæ perlegatur,Romanus Pontifex cum Episcopis judicasse invenietur. Ex* Conciliis *etiam* Aphricanis *prohibiti sunt Romani Pontifices, ne appellationes illorum audirent,qui à Synodo appellassent,quæ omnia* superioritatē Conciliorum *ostendunt;idq; in* Actibus Apostolorum *liquidius demonstratur, ubi* Petrus *per congregationem Apostolorum* reprehenditur,*quod ad Cornelium gentilem introisset,tanquam non liceret eum magni aliquid facere sine scitu Concilii; & tamen tam sibi quàm aliis dictū fuerat:* Ite & baptizate *& reliqua. Plus tamen illud videtur urgere, quod ad Galatas scribit Gentium Doctor* Paulus,*ubi se ideo restitisse Petro in faciem dicit,quod ad veritatem Evangelii non ambularet; cujus verba si rectè intelliguntur,nil aliud per veritatem Evangelij suscipiunt,*

unt,quàm Canonem Concilii inter Apostolos editum, *quoniam sic Discipuli in unum congregati determinassent*; *unde ostendit Paulus*, *quia oportebat Petrum generali Concilio obedire. Cæterùm,ne ulterius hæc Disputatio nos teneat,subjicienda est* Constantiensis Concilii determinatio, *quod volens ambiguitatem hujusmodi reserare, certamq́ue vivendi legem elargiri,solenni Decreto declaravit*, omnes homines,cujuscunque Status aut conditionis,etiamsi *Papatus* existerent, Statutis & Ordinationibus sacrorum generalium Conciliorum obedire *teneri*, & *quamvis ibi quædam restrictio sit,dum dicitur*,in his,quæ pertinent ad fidem,extirpationem schismatis & reformationem Ecclesiæ in capite & membris, *notanda est tamen ampliativa clausula,quæ subjungitur*, & in pertinentibus ad ea, *quæ adjectio adeo prægnans est, ut omnia, quæ cogitari possunt,in ventre claudat,nec immeritò*; *cum enim ait Apostolis Dominus*:Euntes,docete omnes gentes,*non dixit,in tribus tantū,sed*,docentes eos servare omnia,quæcunque mandavi vobis. *Et alibi,non illud aut istud*, *sed*,quæcunque ligaveritis, *inquit,quæ omnia pro autoritate Ecclesiæ generaliumq́ue Conciliorum deducuntur. Ad quam extollendam illa etiam veniunt*: Qui vos audit,me audit. *Et*: Vobis datum est nosse mysterium Dei. *Et*: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo. *Et*: Quæcunque petieritis. *Et*: Pater sancte,serva illos, quos dedisti mihi. *Et*: Ego vobiscum sum usque ad c.S. *Et ex Paulo*, Dei adjutores sumus. Et: Qui nos fecit idoneos ministros N.T. *Et*: Ipse dedit quosdam,quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas,*& reliqua. In quibus omnibus locis & Christus & Apostolus de autoritate plurium loquuti sunt,quæ omnia ad universalis Ecclesiæ præeminentiam afferuntur. Sed cùm Ipsa nihil sparsim statuere aut ordinare queat, necessario dicendum est,supremam illam Ecclesiæ potestatem in* generalibus Conciliis,*dum tamen illa conveniunt,residere. Ideoq́ue observatum est* in primitiva Ecclesia, *ut ardua negotia,non nisi in generalibus Conciliis sive Congregationibus expedirentur. Idem quoque postea factum reperimus*; *cùm enim divisæ forent Ecclesiæ,& aliter atque aliter de fide Christi sentirent*,Generalia Concilia *habita sunt,& in Nicæno* Arriana; *in Constantinopolitano* Macedonia; *in Ephesino* Nestoriana; *in Chalcedonensi verò* Eutychiana Hæreses *Condemnatæ reperiuntur,quod ad rem tantam* judicium Romani Pontificis *non existimabant sufficere*, *longeque vim habere majorem* Concilij,*quàm* Romani Papæ *sententiam arbitrabantur,quod* istum,*ut hominem*; illud *autem in quo tot simul, homines,Spiritu S. directore,convenirent,errare non posse dijudicarent*; *pulcherrimaq́ue ad propositum* Marciani Cæsaris *verba narrantur in hunc modum*:Verè impius atque sacrilegus est,qui post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid retractandum relinquit; extremæ quippe dementiæ est, in meridie è perspicuo die commentitum lumen quærere; quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit,mendacium quærit. *Constare jam omnibus arbitror*, Romanum Pontificem subesse Concilio; *subdubitare tamen aliqui solent*,an etiam deponi per Concilium possit,*quia etsi probatum est*,Papam subesse Concilio,*non tamen fateri volunt*

idcirco

idcirco posse deponi. De hâc secundâ quæstione pari diligentiâ egit Thomas de Corsellis, aut potius Æneas Sylvius ipse, quæ cùm sit dissertatio prolixa, ne tædium lectori relinquamus, potest & ea Oratio legi in Sylvii Commentariis de Gestis Concilii Basileensis fo. 7. 8. 9. 10. edit. Coloniensis Anno 1535. de Concilio Basileensi ex duobus libris Æneæ Sylvii per compendium egit Autor Paralipom. Abbatis Urspergensis, pag. 410. 411.

XXXI. IOHANNES RAULINUS, ORDINIS CLUNIACENSIS FRATER.

MEsse per Flacium factâ Spicilegium facere ex Raulino, Doctore Parisiensi non indocto sed bene ultra seculi indolem diserto, indecorum non erit. Optimus Frater, magno sine dubio cùm Fratrum fructu & honore Ordinis sui conscripsit publicumque in theatrum produxit Orationem *de Reformatione Cleri beneque vivendi instituto*, publicum sui temporis malum deplorans, è quâ, cùm jam extet, claustralis negotii res per partes quasdam recensebimus. Sermonem faciens ad Fratres primadia Status Monachici commendat, cumque suo tempore degeneres Nepotes videret, in hæc verba soluit Calamum pag. 138. *O secula aurea, super aurum & lapidem pretiosum desiderabilia, quando de claustri latibulo, juxta Maronis oraculum, surgebat gens aurea mundo! O felix nimium prior illa ætas, tot fidelibus, tot divinis contenta Viris, tot heroicis redimita Patribus, tot strenuis beata Proceribus! Filii, qui nascentur & exurgent, proh pudor, enarrabunt Filiis suis, quomodo Patres in Filiis benedicebantur, benedictionibus uberis & ventris, benedictionibus collium æternorum; benedictionibus abyssi terræ jactatis deorsum, & Patrem sequebatur sua proles. O me beatum, & me faustum & felicem! si me invenissent felicia illa tempora, quando cœlum in terris, & terra versabatur in cœlis, & videbatur cæleste firmamentum in terra in summis montium. Nunc verò* primitivæ Religionis præclarissima hæc insignia modernæ conferendo, *Sol mihi vertitur in tenebras, Luna in sangvinem, Stellarum omnis splendor abscessit. Ego gemens & in oculos meos deducens aquam, videns cum moribus mœnia ruere, vitium pro virtute, odium pro dilectione, otium pro labore, pro austeritate gastrimargiam & ventris ingluviem militare. Heu, heu misero mihi, ut quid natus sum, videre contritionem populi mei! Facti sunt Filii ejus perditi, dispersi quasi lapides Sanctuarii in capite omnium platearum. Nunc Palatia Regum, nunc Curias Principum, nunc Forensium greges circumeundo, si forte quippiam in ore eorum ceciderit (flens dico) inimicis Crucis Christi, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione; quærentes, quæ sua sunt, non quæ Christi Iesu. Egressus est à filia Sion omnis decor ejus, & surrexerunt pro eis homines elati, cupidi, ambitiosi, seipsos amantes,* nihil Patrum priorum *præter habitum & tonsuram imi-*

imitati, qui legitima eorum paulatim derelinquentes, conversi sunt in arcum pravum & debilem, ad emittendas disciplinæ & correctionis sagittas. Edentuli, exungves & excornes, & ad sagittandas cælestes phalanges suspiriorum, desideriorum atque lacrymarum jaculis omnino expertes, sacri Ordinis *politiam, & legitima ejus nescio quibusdam cerimoniis & traditionibus aliis, & adinventionibus suis immutantes, ut nostra credatur religio, quasi trutannorum vestis, tot particulis, tot suturis repeciata & reparata, ut nihil panni prioris appareat. Ait noster Aristoteles, cum Legibus Politiam immutari; sic itaque Ordine priore destituto* novus *successit* Ordo, *quem, proh dolor nunc aspicimus, cujus ordo est, nullum ordinem; cujus regula est, nullam regulam; cujus mandatum est, nullum mandatum observare. Quomodo* Ordo, *ubi temporalia super spiritualia, terra super cœlum, caduca super æterna, sensus super rationem, caro super spiritum, pecunia super* Dei *Regnum?* Monasteria deformia *plus arbitror esse* Prædonum latibula, *quàm* Virtutum Tabernacula; *plus* speluncas latronum, *quàm* domos orationum; *plus* serpentis, cancri & abominandæ lepræ contagium, *quàm* Virtutis domicilium. *Tantæ quippe in eis tenebræ sunt, (ejulans dico) ut limpidius videat Asina Balaam divinæ super se justitiæ gladium, quàm Balaam ipse; Secularis, quàm Monachus; Laicus quàm Religiosus. Quod si quis, velut alter Phineas, zelo zelando propter domum meam, ut eos avertat à via sua, pessima eorum peccata detexerit, certè furor illis secundum similitudinem Serpentis; sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas. Nec mirum, quia difficile est nondum exutos veterem, novum induere hominem, & in veteri pectore nova cudere, & patellam veterem resarcire, & vix incenditur & vertitur grossus & antiquus stipes, & in utre vetere quin more suo oleat, vinum novum inducere difficile est. Sed quid his immoror multis? Mirandum satis videtur, quod nec Grammaticus sine regula loquitur; nec Logicus sine regula disputat; nec Musicus sine regula melodisat; nec Geometra aut Latomus sine regula & perpendiculo parietes erigit aut planat; & Monachus sine regula domum sibi in cœlis ædificat... Nonne palam videmus, ut mundi amatores, hominet inutiles, quos, juxta S. Iob querimonia, dedignarer ponere cum canibus gregis mei, nunc ad altissima religionis fastigia anhelant, quasi non sit ab Alpibus aut à Pyreneis jugis velox descensus, beneficia item super beneficia cumulant, ut carduus in Sponsam jam quærat filiã Cedri, & jã nitatur attingere misera ramnus, ubi nec sufficere valet cedrus alta Libani. Quid dicam? Religionis unitatem nunc scindit proprietas, & capita à membris dividit, ut citò intereant. Iam inter se diviserunt terram* Conventus & Prior, *ut alius quidem esuriat, alius ebrius sit; superest dividere cœlum. Iam in opprobrium tuum partita sunt vestimenta tua, Domine Iesu, & super vestem tuam inconsutilem miserunt sortem, quis, quid tolleret?* Hæc & multa alia Raulinus in Oratione eleganti ad Capitulum generale, quæ impressa est Basileæ opera Iohannis Bergman de Olpe Anno Christi 1498. XVI. Iulii cum encomio Iureconsulti Sebastiani Brandtii, Syndici Argentinensis.

XXXII.

XXXII PETRUS BERTRANDUS.

CElebris fuit Galliæ Iureconſultus, cujus extat in Volumine primo Tractatuum liber de Origine Iuriſdictionum fol.25. Habes in eo libello, quem Flacius p. 701. commendat, Articulos multos Gravaminum Regis & Regni Galliæ contra Prælatos & Epiſcopos, à Petro de Cugneriis, Milite & Conſiliario Regio, in præſentia Regis & Cleri prolatos, quibus temporalia illis auferenda, & tantùm ſpiritualibus ſecundum legem & præceptum Chriſti frui licere retulit; ſed uſitato excommunicationis fulmine, & promiſſione vitæ æternæ, obtinuerunt facilè veterem errorem, notante Wolfio Cent.14. fol.619. *Adn. 27? p.701.*

XXXIII. IACOBUS FABER.

BEatus Rhenanus Epiſtola ad Ioannem Reuchlinum, quæ in Volum. Epiſtolarum ad Reuchlinum Hagenoæ A.1519. editarum extat pag.65. *Iacobus Faber, Stapulenſis, Vir ex omni ævo incomparabilis, omniumq; diſciplinarum uberrimus fons, Philoſophiam nimio ſitu ſqvalentem & ſuo viduatam ſplendore ita illuſtravit, ut Hermolao Barbaro & Argyropylo Byzantino huic longè plus nitoris attulerit.* Libros Fabri *in omni terrarum orbis ſpatio radiare* ſcribit Ioannes Reuchlin in eodem Epiſtolarum volumine pag.152. *faberrimum Fabrum* vocans. De eodem Autor Additionum ad Tritenheimium fol.215.216. perhonorificè ſentit, eumque laudat, non tam quod omnes Philoſophiæ partes à caliginoſa quorundam Sophiſtarum barbarie vindicaverit, ſed & rebus divinis religioſiſſimo animo intenderit, implicita explicaverit; obſcura elucidaverit; innodata enodaverit; trunca & mutilata paſſim loca reſtituerit. Dialogum edidit in Iacobi Stapulenſis laudem Guielmus Caſtellus, in Theologia Doctor, & Turoni Archidiaconus, prout in Caſtelli elogio fol.217. commemoratur. *De Iodoco Clichtoveo, Neoportuenſi*, fol.217.218. ſcribitur, quod fuerit *Theologus conſummatiſſimus*, Philoſophus nitidiſſimas, Oratorque adeò inſignis, ut ferinos hominum mores, & omne mortale genus *divina potius quàm mortali facundia* compoſuerit. Inter doctrinæ eximia monumenta extat Sermo, habitus in Capitulo generalis Ordinis Cluniacenſis, ubi inter alia ait: *Ubi, quæſo, nunc ſtupra, adulteria & fornicationes vehementius graſſantur, quàm inter deformatos Monachos? qui patrimonium pauperum, ſangvine Ieſu Chriſti comparatum, in crapulam, ludos inconceſſos, otium & nefandam libidinem, gula & otio enutritam, profundunt, diſſipant, diſtrahunt.* Inter dicta ejus hoc omnino laudari meretur: *Primitiva Eccleſia nullam regulam* præter Evangelium *novit, quæ nullum denique ſcopum* præter Chriſtum *habuit, & nulli cultum, præterquam* uni trinoque Deo *impendit.* *Adn. 405. p.329.*

Quid in seculo nostro ad primigeniæ illius Ecclesiæ effigiem regigni optaremus? Optimè sic profatus fuit in Evangelio.

XXXIV. CAROLVS BOVILLVS.

QVo animo fuerit in Theologiam puriorem,&quantum indulserit ætatis malæ ætati,patebit ex elogio Bovilli, Theologi Parisiensis præclari Mathematici ingeniosi,acris Philosophi,quod quidem Additionator (ita loqui liceat) Trithemii,quem nescimus,attulit, sed majus erit ipsius Trithemii, scribentis Bovillo ipsi: *Erunt perpetuum apud nos memoriale nominis tui, & mutuæ testimonium dilectionis.* Quæstiones illæ S. Scripturæ profundissimæ,*quarum capita dudum in Spanheim cōsignavimus. Valde nos delectant omnia, quæ in literis explicaveris,quoniā veterum more Doctorum solidus es, & veritatis enucleator lucidus, neque verborum multiplicatione superfluus,neque deficientia in his, quæ fuerint necessaria, recisus. Ea quæ de* intellectu *scripsisti, & mihi complacuerunt, & multis; continent enim* veram Christianorum Theologiam, puram & absolutam, *quæ menti cognitionem & affectui confert summi boni desiderium,consistens in se pura,integra & candida, sine cicatricibus exterarum traditionum. Nunquam mihi placuit quorundam curiositas, qui humana commiscent divinis, &* Sacram Scripturam, *quæ &* pura *&* sibi sufficiens *est* & nobis,*gentilium loquacitate commaculant; contra quos B. Hieronymus in Epistola loquitur ad Damasum Papam. De* Scripturis *disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est rivulus,nec aures Quintiliani flosculis & Scholari Declamatione mulcendæ,sed pedestris & quotidianæ similitudinis & nullâ lucubratione reddens oratio necessaria est, quæ rem explicet,sensum edisserat, & obscura manifestet; Scriptura enim Dei manifesta est,testimonium Dei lucidum est sapientiam præstans parvulis. Non egent literæ divinæ plicis,non involucris,non replicis,quia hæc non sapientiam præstant parvulis, sed eorum animos in confuso relinquunt, & per omnem vitam mentes hominum oberrare compellunt. Non qui plicant,non qui replicant, sed qui explicant & elucidant me (S. Scriptura inquit) vitam æternam habebunt.* Hæc optimus Trithemius scribebat D. 22.Mensis Augusti Anno 1505.

XXXV. CAROLVS MOLINÆVS, PARISIENSIS IVRECONSVLTVS.

IN Catalogi T.V. serie non semel utitur testimonio Molinæi Flacius,cumque toties in proscenium veniat,quia multa in commune contra Paparum vim consuluerat, acriterq; defenderat Galliæ jura,idque non sine periculo,commodè reddemus hîc rationem,cur testis fuerit adductus. Ipsius audiantur verba ex Commen-

mentario in Consuet.Parisienses Tit.3. §.95.*part*.2.p.174.ed.Paris.1596.*Sinisterrimo quodam afflante genio* Bellum interRegiamMajestatem & Iulium III.*Pontificem Romanum,exarsit, quo fervente magno quodam suasu Zelo Regiæ Majestatis & Ecclesiæ Gallicanæ vindicandæ calamum arripui,* in abusus Curiæ Romanæ & Pontificum *scripsi,non ut* StatumEcclesiæ everterem,*sed* sanarem,*& Catholicæ emendationis causam darem,Principem interim meum pro virili meâ defendendo.* Deus *ipse mihi* testis *est,& in supremo judicio coram omnibus Angelis & Sanctis erit, quanto Catholicæ fidei & disciplinæ Ecclesiasticæ studio id oneris & periculi susceperim, quàm* Ego *Hæreticorum & Fanaticorum & seditiosorum affectibus minimè inserviero, nihil citans,nisi ex veris & autoribus probatis , antiquos Episcopos , ipsam quoque Ecclesiam magnis laudibus efferens; quorundam tantùm à paucis seculis manifestos abusus à sanis Canonibus & Conciliis & omnibus doctis damnatos vellicans,& in exemplum proponens non solùm primitivæ Ecclesiæ Statum,sed etiã posterioris,quæ sub sanctis Doctoribus & Conciliis generalibus floruit. Quin etiam* Statum,*qui erat* tempore Caroli Magni,*Christianissimi & pientissimi Principis,Francorum Regis,& Romanorum Imperatoris , & Filiorum ejus Regum & Imperatorum.* Commentarius toties laudatur ad Edictum Henrici II.contra parvas Datas&abususCuriæRomanæ,anno 1552.seorsim editus. Tractatus ejusdem de excellentia Regni Francorum,& Coronæ Franciæ, adjunctus est Comm.in Consuetudines Parisienses,Francof.1597. Curia Papalis quibus artibus autoritatem sibi tantam parârit,& ut eam detexerit Philippus Pulcher, legendus est liber Molinæi,Advocati tum Parisiensis in suprema Parlamenti Curia contra parvas Datas.Mendicantium Ordines perstringuntur & damnantur à Carolo Molinæo in Oratione de S. Theol. & Legg. Imperial. dignit. num. 18.& seqq. & num. 39. Thomæ Aquinatis errores deteguntur ibidem num. 23.24. Gabrielis Biel errores & levitates demonstrantur ibidem num. 25. Sorbonistarum studia Antichristiana describuntur per totam Orationem maximè num.28.& sequentibus. De Adriani decreto pro jure Caroli eiusque posteriori in approbatione Pontificis videatur Molinæus contra Abus. Papar. num. 41. 42.p.245. Quæ Ioh. *W*olfius ex C. Molinæi scriptis excerpserit, ea videri possunt Centen. XVI.p.606.ad pag.633.

CLASSIS V.

ANGLICANORVM TESTIVM.

I. ANGLICANA ECCLESIA.

QVæ ex Balæo afferuntur , satius est, ut ipsis Galfridi Monumetensis verbis recenseantur ; sunt autem prout ea retulit *Wolfius* : *In patria Britonum adhuc vigebat* Christianitas , *quæ* ab Apostolorum tempore *Ad.n. 22. p.22 & ad n.67.p.71.*

u 2 *nun-*

nunquam inter eos defecerat. Postquam autem venit Augustinus, Monachus Romanus, *invenit in eorum provincia septem Episcopatus, & Archiepiscopatum unum, religiosissimis Præsulibus munitos, & Abbatias complures, suarum manuum labore viventes, in quibus grex Domini rectum ordinem tenebat. Intrabat Augustinus* non cum Evangelio pacis Christianæ, *sed cum* Apostolatus sui vexillo, *cruce argentea, litania, processione, iconibus, simulacris, depictis, reliquiis, canticis ac ritualibus libris. Cùm verò ad suum Colloquium in Occidentali Anglorum patria Britannorum Episcopos & Doctores anno Domini 602. Regis autoritate convocaret, ut* Romanis ritibus *communicantes seipsos sibi subjicerent, illi ad Synodum ituri, solitarium quendam ac prudentem Virum prius consuluerunt, an ejus* (Augustini) *mandata sequi, suasque à Patribus sumtas traditiones deserere liceret?* Si homo Dei est, *inquit*, sequimini illum. *Et unde id probabimus, interrogant:* Scitis, *ait*, Dominum præcepisse: Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Si talis ergò sit Augustinus ille, credibile est, quòd Christi jugum & ipse portet, ac Vobis portandum offerat. Si autem superbus & immitis fuerit, constat, quia non est à Deo, neque vobis est ejus sermo curandus. *Et unde id sciemus, inquiunt*: Permittite, *ait*, uti ipse prior cum suis ad Synodi locum veniat; & si adventantibus assurrexerit, scitote, quia Christi servus est, & obtemperate illi; at si vos spreverit, aut parvi æstimaverit, & nullum benignitatis signum ostenderit in vultu, cùm numero plures sitis, spernatur à vobis & Ipse. *Cùm ergo venissent, & Augustinum in sellâ ambitiosè sedentem, nec eis amicitiæ signum aliquod præbentem vidissent, in iram mox conversi, eumque superbiæ notantes, cunctis, quæ illis proposuit, contradicebant; improperabat enim eis, quòd* universalis Ecclesiæ consuetudini contraria *in multis gererent, præsertim in Paschalis Festi celebratione, in ministerio Baptismi, & in prædicationis officio, & quòd hominum traditiones non curarent. Mandabatque, ut in his atque aliis* Romanæ Ecclesiæ mores & ritus *observarent. At illi nihil horum se facturos, neque illum pro Archiepiscopo habituros esse respondebant. Quibus ipse futura bella promisit, ac mortis ultionem, quæ & mox sequebatur, ferociter minitabatur.* Hæc Galfridus 8. de Britannorum gestis 4. cui Iohannes Bromton Chronic. col. 735. consentit. Vnde discimus, Angliæ tum Archiepiscopum atque Episcopos priora & puriora Ecclesiæ tempora, quæ à Christi & Apostolorum ætate, & à primitiva Ecclesia numerari solent, Romano Legato obtendisse, inter quam priorem Ecclesiam & inter Romanam esse ingentem dissimilitudinem affirmabant; atque ita, uti Mantuanus in Fastis scribit.

Cau-

Causabantur, eos stultè, imprudenter & æquò
Durius ad ritum Romæ voluisse Britannos
Cogere, & antiquum tam præcipitanter amorem
Tam stolido temerasse ausu. Concedere Roma
Debuit, *ajebant*, potius quàm rumpere pacem,
Humani quæ juris erant, modò salva maneret
Lex divina, fides, Christi doctrina, Senatus
Quam primus tulit ore suo, quia tradita ab ipso
Christo erat, humanæ Doctore & lumine Vitæ.

Quos versus afferunt David Povelus Annotat. ad Silvestri Giraldi Itinerarium Cambriæ pag. 859. Balæus 2. de Romanorum Pontificum Actis pag. 67. Iohannes Iosselinus Histor. Archiep. Cantuar. cap. 17. pag. 46. cùm Augustini in Anglia Reformationem describunt. Quæ de Dinotho, Cœnobiarcha Banchorensi habet Flacius num. 67. pag. 71. de iis consule Iosselinum. pag. 9.

II. EDGARUS REX AD ANGLICANOS EPISCOPOS.

ORationem is Rex habuit contra Clericorum luxum perditum profanosque mores, quam ex Alredi, Rhievallensis Abbatis Genealogia Regum Anglicorum inedita protulit Rogerius Tleysdenus primum. Inquiebat ille Rex col. 360. *Dicam, dicam, quod boni lugent, mali rident. Dicam dolens, si tamen dici potest, quomodo diffluant in comessationibus & ebrietatibus, in cubitibus & impudicitiis; ut jam* domus Clericorum *putentur* prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. *Ibi alea; ibi saltus & cantus; ibi usque ad medium noctis protractæ cum clamore & horrore Vigiliæ. Sic, sic, patrimonia Regum, eleemosynæ Principum, imò, quod magis est, illius pretiosi sangvinis pretium profligatur? Ad hoc igitur exhauserunt* Patres nostri *thesauros nostros? Ad hoc* fiscus Regius *detractis reditibus multis detumuit? Ad hoc Ecclesiis Christi agros & possessiones* Regalis munificentia *contulit, ut delitiis Clericorum* meretrices *ornentur, luxuriosa convivia præparentur*, canes & aves, ac talia ludicra *comparentur?* col. 361. *Æmulamini, ô Sacerdotes, æmulamini vias Domini & justitias Dei nostri? Ego* Constantini, *vos* Petri gladium *habetis in manibus. Iungamus dextras, gladium gladio copulemus, ut ejiciantur extra castra leprosi, ut purgetur Sanctuarium Domini, & ministrent in templo filii* Levi, *qui dixit Patri & matri*: Nescio vos; *& Fratribus suis*: Ignoro illos. *Agite quæso solliciti, ne pæniteat Nos (Reges & Principes) fecisse; quod fecimus, dedisse, quod dedimus, si viderimus illud non in Dei obsequio, sed in*

 pessimo-

pessimorum luxuria, impunita libertate, consumi. Negligentiam eorum temporum taxavit Aelfricus, de Sacerdotibus & Episcopis, non attendentibus ad divinam Scripturam, conquestus, sed quorum sit studium ad honores seculares & avaritiam, cujus verba ex Mss. sermone affert Vsserius de Christ. Eccles. succ. cap. 2. pag. 67.

III. S. EDVARDVS, ANGLIÆ REX.

EPiscoporum Anglicorum vitam & mores veteres, à fastu & avaritia alienos, observare licet cum Iohanne Bromtono, Abbate Iornalensi, cujus in Chronico col. 789. verba: *Tres Episcopi Scotorum*, Aidanus, Finianus & Colmannus, *miræ sanctitatis & parsimoniæ extiterunt; nec enim potentes seculi suscipiebant, nisi qui ad eos causa orandi solummodò veniebant. Tempore autem illo Sacerdotes adeò erant ab avaritia immunes, ut* nec territoria nisi coacti *reciperent.* Discipulus Aidani *Cedda*, mores secutus sui Præceptoris, cùm Eboracensi Ecclesiæ Antistes daretur, *non equo ad evangelizandum, sed more Apostolorum per oppida, rura, casas, vicos & castella, pedibus incedendo venit*; sicuti de eodem Cedda refert Gervasius in Actibus Pontificum Cantuariensium col. 1636. *non equitando, sed pedibus ambulando Verbum Dei instantissime* prædicasse; cumque VVilfridi, Episcopi Angliæ, curam in Episcopatu fidelem in annunciatione Verbi divini commendasset, subdit: *Tota fuit tunc sollicitudo Doctoribus illis Deo servire, non seculo. Tota cura cordis excolendi, non ventris. Vnde & in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus; ita, ut ubicunque Clericus aliquis aut Monachus adveniret, gaudenter ab omnibus, tanquam Dei famulus, exciperetur. Etiam, si in itinere pergens inveniretur, accurrebant, & flexa cervice vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant. Verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant; & si quis Sacerdotum in vicum forte deveniret, mox congregati in unum Vicani Verbum vitæ ab illo expetere curabant; nam nulla causa fuit Sacerdotibus Vicos adeundi, nisi ut prædicarent, vel baptizarent, vel animas curarent. Qui etiam in tantum erant ab omni avaritiæ peste castigati, ut nemo territoria vel possessiones ad construenda Monasteria à potestate seculi,* nisi coactus, *acciperet.* Successu temporis posterioris ævi Episcopi & Sacerdotes Anglicani fecesserunt à moribus primævorum, sicuti idipsum conquerendo affert Henricus de Knygthon, Canonicus Leycestrensis, scribens 1. de Event. Angliæ 10. col. 2332. *Stigandus, dimisso Schireburnensi Præsulatu Wyntoniensem sedem invasit, Vir quidem ex rebus Ecclesiasticis publicas nundinas exercens; Vir utique, sicut* pæne cæteri tunc temporis in Anglia Episcopi *illiteratus existens, sed pecuniis & blanditiis multùm potens; quamobrem Pallium à Roma nunquam promeruit, quamvis venalitas ibi multum operetur. Palam*

tunc

tunc in triviis cantabatur, non esse idoneum Episcopatui, qui nesciret abuti pompis seculi, exercitiis nemorum, irritamentis gularum, vestium apparatu, equitum commeatu, sed de lucris animarum parum cogitaret. Cumque eis objiceretur, Episcopum debere pensari ex religione & literis, non ex ambitione & nummis, *respondebant illud metricum:*

Nunc aliud tempus, alii pro tempore mores.

Eò referimus Visionem Eduardi Regis, quem *Sanctum* & *Confessorem* vocant, quâ Episcoporum Clericorumque comprehenduntur mali actus, & repræsentatur ea in Chronico Johannis Bromtoni col. 955. hisce verbis: *Cùm biduo elinguis jacuisset Eduardus, die tertio post soporem graviter & profunde suspirans, ait:* Deus omnipotens, si non est fantastica illusio, sed vera visio, quam vidi, da mihi facultatem, eam astantibus exponendi, aut è converso. *Ita mox expedita loquela,* Duos, *inquit*, Monachos vidi mihi assistere, quos adolescens olim in Normannia videram religiosissimè vixisse, & Christianissimè obiisse. Hi se *Dei nuntios* dicentes, talia verba protulerunt: *Quoniam excellentiores Angliæ Duces, Episcopi & Abbates* non sunt Ministri Dei, sed Diaboli, *tradidit Deus hoc Regnum post obitum tuum anno uno & die uno in manu inimici, totamque hanc terram Dæmones pervagabunt. Cumque* Ego *hæc me ostensurum populo dicerem, illumque pænitentia facta liberandum præmisso exemplo Ninivitarum promitterem,* Neutrum *ajunt*, erit, quia nec ipsi pænitebunt, nec miserebitur eorum Deus. *Et quando,* inquit, *tantarum calamitatum remissio sperari poterit? Tunc*, inquiunt, *quando si arbor viridis in medio succidatur, & pars abscissa spatio trium jugerum à stipite deportetur, cùm sine aliquo advehiculo iterum suo connexa trunco ex pristino valescentis sui amore floribus pubescere, & fructus producere inceperit, tunc demum poterit sperari talium malorum remissio. Et quamvis tunc* Stigandus Archiepiscopus *cæteris timentibus risum excepisset, dicens*, vetulum accedente morbo nugas delirare; *hujus tamen vaticinii veritatem Angli experiuntur, quod scilicet Anglia facta est exterorum habitatio, & alienigenarum dominatio; nam postea tempore non modico nullus Dux, vel Pontifex, vel Abbas Anglicus ferè erat, sed advenæ ipsorum divitias & prædia possidebant.* Ille Stigandus erat Archiepiscopus Cantuariensis, cujus nequitiam & avaritiam solent Historici notare; Visionem autem eam, quam vidisse scribunt in extremis de miserrimo Angliæ Statu post mortem, pluribus descripsit Ailredus, Abbas Rievallensis, lib. de Vita & Miraculis Eduardi Confessoris col. 399. 400. 401. Obiit Stigandus, ab officio depositus, in carcere VVintoniensi, quod refert in Actibus Pontificum Cantuariensium Gervasius col. 1652. Obiit piissimus Eduardus, quem miraculis clarum fuisse scribunt, Anno Christi. 1066. Regni sui anno XXIV. postque ejus

obitum

obitum ingruisse undique adversa, cunctis terrarum regnis commotis, scribunt: Simeon Dunelmensis Histor. de Dunelmensi Ecclesia cap. 14. col. 38. & Ailredus de Eduardi vita col. 396. Quam igitur facies varia fuerit Ecclesiæ Anglicanæ in Episcopatibus & Monachismus, in opū & rerum seculi primum contemptu, postea luxu & divitiis, istis ex historiis patebit; idipsumque etiam exemplo Episcoporum Britannorū trium, qui in Ariminensi Concilio *inopia proprii*, teste Sulpitio, publico usi fuerant; ut & Columbani, qui divitias spernebat, & Gv. Cambdenus in Britannia sua, tit. de Hibernia, pag. 648. docuit. De Dunstano autem, qui blanditiis Monachos intulit versutiores, & divitiis eos maximis ditavit, videatur idem pag. 163.

IV. GUILELMUS RUFUS, ANGLIÆ REX.

Regia sua potestate utebatur ad Jura Ecclesiastica tuenda, spretis Pontificum & Episcoporum prætextibus. Archiepiscopatum Cantuariensem *in manu sua tenuisse* scribit Simeon Dunelmensis Histor. de Reg. Angl. col 218. atque Anselmo Beccensi Abbati dedisse. Eâdem locutionis forma idem Historicus annotavit col. 225. *in manu sua tenuisse* Dorubernensem Archiepiscopatum; VVintoniensem ac Saresbiriensem Præsulatus. De eâ Regis agendi libertate scribit Johannes Bromton in Chronico col. 995. *Anno Domini* 1100. *& Regni Regis Wilhelmi XIII. idem Rex Venerabilem* Anselmum, Cantuariensem Archiepiscopum, *quia* de Investituris Ecclesiarum, *& in multimodis earum oppressionibus, Eidem consentire noluit, ipsum Archiepiscopum, rebus omnibus fere spoliatum, tanquam Regno contrarium, ab Anglia proscribendo expulit, omnibus Episcopis, excepto Roffensi, cum Rege tenentibus; unde Anselmus multis injuriis & damnis sæpius afflictus, ab Anglia exulatus recessit, &* Romam adiit, *Pontifici conquesturus.* Postea col. 996. *Archiepiscopatum Cantuariensem, Anselmo Archiepiscopo relegato, & Episcopatus* W*intoniensem, & Saresbiriensem, & novem Abbatias ad firmam traditas, in proprio possidebat.* Eodem modo Henricus de Knygton, Canonicus Leycestrensis, lib. 2. de Eventibus Angliæ cap. 7. col. 2373. *Die obitus sui tres Episcopatus, sc. Cantuariensem,* W*yntoniensem, Salesburiensem, & XII. Monasteria in manu sua tenuit, aut ad firmam tradidit; hæres omnium esse cupiebat. Propter dissidium quod tunc in Romana Ecclesia erat, inter Urbanum Papam &* W*ibertum Antipapam,* Romanum tributum *denegabat.* Expresse Rex profitebatur, *quod nullus Archiepiscopus vel Episcopus Regni sui Curiæ Romanæ vel Papæ subesset,* referente Matthæo Parisiensi in Hist. A. 1094. cumque se Anselmus opponeret, læsæ majestatis postulabatur, eidemque Romani Pontificis auxilium imploranti tale responsum dabatur, *si cæptis desisteret, si propositis Evangeliis promitteret, se nec* Apo-
stolo-

ſtolorum limina viſitaturum; *nec pro quovis negotio* Romanæ ſedis audientiam *appellaturum, tunc & ſuis & rebus ſuorum cum omni tranquillitate poſſe uti & frui, & Regni Majoribus in omni donatione præeſſe, ſin ſecus ei viſum eſſet, trajicere quidem liberum eſſe, ſed inconſultè id facturum; ſiquidem* nullam revertendi ſpem *impoſterum ei futuram.* De hâc verò ipsâ cum Rege contentione, ipſe Anſelmus ſcribit ad Paſchalem Papam, paulò ante Regis mortem, ſe petiiſſe licentiam à Rege, *ſedem adeundi Apoſtolicam*, reſpondiſſe verò Regem, Anſelmum *in ſe peccaſſe pro ſolâ poſtulatione hujus licentiæ*, & propoſuiſſe, ut ſatisfaceret de culpa hac, & ſecurum Regem redderet. Verba ex Anſelmi Operibus VSſerius de Chriſt. Eccleſ. ſucceſſ. cap. 7. num. 14. pag. 227. attulit. Romanum Pontificem agnoſcere non vult Rex Angliæ, de qua diſſenſione in Vita Anſelmi, Archiepiſcopi Cantuarienſis, Osbertus Monachus apud Surium Tom. 2. pag. 700. *Regem de transmarinis locis regreſſum Anſelmus adiit, & ut ſibi Romam* ad Papam Vrbanum *pro ſtola ſui Archiepiſcopatus*, eundi licentiam *daret, humiliter petiit. At ille* ad nomen Vrbani *turbatus dixit, ſe illum pro Papa non tenere, nec ſuæ conſvetudinis eſſe, ut* abſque electione *alicui liceret in Regno ſuo Papam nominare. Hinc igitur orta quædam* diſſenſio gravis eſt. *Iubetur, ut totius* Angliæ Epiſcopi, Abbates & Principes, *ad diſcuſſionem diſſidii hujus apud Caſtrum, quod* Rothingeham *dicitur, veniant. Factum eſt, & tertia ſeptimana Quadrageſimæ juxta Edictum convenerunt. Cauſa in medium ducitur, & Anſelmus diverſis querelis hinc inde concutitur; ſiquidem multi, & maximè Epiſcopi, Regiæ voluntati favere volentes, ſpreto æquitatis judicio, id probare nitebantur, quod* Anſelmus, ſalva fide, *quam Regi debebat,* nullatenus poſſet in Regno Vrbanum, *ſedis Apoſtolicæ Præſulem*, pro Papa *tenere.*

V. HENRICVS I. REX ANGLIÆ.

VAlidum eâ ætate fuit certamen *de Iure Inveſtituræ,* inter Papas & Reges Angliæ, feroceſque ſucceſſu Pontifices animos Regum fecere nutabundos. Concurritur quidem magno utrinque impetu, ſed non pari animorum conſtantia. Quid VVilhelmo, Regi Angliæ, acciderit cum Pontifice Romano, modò tetigimus. Fratrem in hoc bellum ſactum ſecutus eſt Henricus, qui in Regno ſucceſſit, & quaſi hæreditariò accepit ſignum ſive vexillum ſaciæ pugnæ, Rex quidem ſtrenuus, ſed tandem ceſſans. Bellum hoc repetamus ex antiquis Scriptoribus Anglicis, parvis ſæpe momentis conſiderantibus, quid admiſerit jus & æquum. Virtutes, quibus Regem commendant, prius audiamus, clarum enim faciunt, quod ſubditis libertatem, legibus vigorem reſtituerit, juſtitiam amaverit, temperantiæ ſtuduerit, adeò ut ſcribant unà *Adn. 188. p. 520.*

 cum

cum eo justitiam & pacem occubuisse. Tria ei dona tribuit Iohannes Brom-ton in Chronico col. 9983. inquiens : *Dominus ei præcisè tria dederat, videlicet* Sapientiam *&* Divitias, *quibus bene prosperatus omnes Antecessores suos præcessit.* Quæ repetit col. 1003. Die consecrationis suæ Anglicanam Ecclesiam liberam ab omni servitute statuisse, notavit idem Bromton Chron. col. 997. idque literis Regis, quas integras attulit, probavit col. 1021. 1022. quarum literarum sub *Chartæ* nomine mentionem injecit Henricus Knygton 2. de Eventibus Angliæ 9. col. 2384. Triginta quinque annis mensibusque quatuor regnavit, suique desiderium reliquit maximum, nam supremum ei elogium fecit Ioannes Prior Hagustaldensis, in Historia continuata Simeonis Dunelmensis, col. 258 scribens : *Regnavit gloriosè annis XXXV. & mensibus IV. post quem Princeps non surrexit alius, qui sic injustas Regni exactiones interdiceret; subjectos in pace & modestia sapientiæ disponeret; personas Ecclesiasticas reverenter excoleret; pauperes & religiosos sumtuosis eleemosynis foveret. Quo mortuo, continuò emerserunt homines scelesti & peccatores, cuncta Iura justitiæ & pacis dissipantes, & ad direptiones, & cædes, incendia & alia flagitia hostiliter proruentes.* Vnde Ricardus, Hagustaldensis Prior, initio Historiæ de Gestis Regis Angliæ scripsit, statim cum eo *Iustitiam* & *Pacem*, quæ cum eo diu regnaverint, occubuisse. Magnum verò decus est Regis, quod tantam æternæ memoriæ laudem post sua fata reliquerit, nec hic præteriri debet posthuma laus, in literas relata ab Innocentio Pontifice, quarum exemplar exhibet idem Prior Hagustaldensis col. 313. ubi dicitur *Religiosorum Virorum amator, Pacis & Iustitiæ cultor; Viduarum & Orphanorum propitius consolator, & eorum, qui impotentia defendere se non poterant, pius defensor.* Non verò sine turbis fuit initium imperii, cumque id ex Simeone Dunelmensi Flacius testatum fecerit, ipsa nunc verba, postquam editus est à Rogero Tvvysdeno Historicus, ex col. 228 proferemus : *Anno M. C III. magna discordia facta est inter Regem Henricum & Anselmum Archiepiscopum, eò quod Archiepiscopus nollet consentire, ut Rex daret* Investituras Ecclesiarum, *neque consecrare, neque communicare iis, quibus jam Rex dederat Ecclesias, quia Apostolicus* (Papa scilicet Romanus) *sibi & omnibus hoc interdixerat. Unde Rex præcepit Gerardo, Archiepiscopo Eboracensi, quatenus consecraret Episcopos, quibus ipse Rex dederat Investituras, scilicet Willielmum Giffardum & Rogerum, qui fuit Capellanus eius, cui jam dederat Searesberiensem Ecclesiam. Gerardus præceptum Regis suscepit; sed Willielmus (cui Rex Episcopatum Wintoniensem dederat) causa justitiæ illud & benedictionem Archiepiscopi sprevit. Quare Regis judicio suis omnibus expoliatus eliminatur à Regno; cæteri verò inconsecrati remanserunt.* Idem retulit Iohannes Bromton in Chronico col. 999. Acrior Anselmus quàm ut flecti posset, majorem autoritatem tribuebat Pontifici Ro-

mano

mano quàm Regi in Ecclesias, Romamque proficiscebatur, *ut decretum Domini Papæ Paschalis II. in his & in aliis haberetur*; (Bromtoni verba sunt col. 1000.) *cumque Archiepiscopus Anselmus de Curia Romana reversus Regem induceret, ut ab inceptis injuriis cessaret, vix demum & cum difficultate maxima adquievit.* Metus & solicitudo omnia augebant in majus, ut tandem *post multas controversias*, quod ait Knygton 2. 8. col. 2375. *inter ipsum* (Regem) *& Anselmum ventilatas*, In vestituras Prælatorum, *per secularem manum faciendas Deo & B.Petro* resignaret; celebrato quippe Concilio Londini sub Anselmo, pergit Knygton col. 2377. *annuente Rege* statutum est, *ut nunquam deinceps*, Rex, *aut* aliqua Laica persona, *Investituram faceret cum annulo & baculo*; aut, ut Simeon Dunelmensis loquitur col. 230. *præsente Anselmo, astante multitudine, annuit Rex, & statuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per dationem baculi pastoralis vel annuli quisquam de Episcopatu aut Abbatia per Regem, quamlibet Laicam manum, in Anglia investiretur.* Dum itaque Iuri investiendi renunciat Rex, & cuncta opinione feliciora eveniunt, Regem felicem, pium, probum collaudat Clerus, aliaque honorum nomina cumulat. Habentur hujus Regis Henrici literæ ad Paschalem Papam in eodem Chronico Bromtoni col. 9991. quarum est conclusio: *Notum habeat Sanctitas vestra, quod me vivente, Deo auxiliante, dignitates & usus Regni Angliæ non minuentur; & si Ego, quod absit, in tanta me adjectione ponerem*, Optimates mei, imò totius Angliæ populus *id* nullo modo pateretur. *Habita igitur, Charissime Pater, utiliori deliberatione, ita se erga nos moderetur benignitas vestra, ne, quod invitus faciam, à vestra me cogatis recedere obedientia.* Paschalis Papæ literas ad Henricum ex Manuscripto Bibliothecæ Cottonianæ habet Vsserius de success. C. E. cap. 7. pag. 227. Ecclesiasticum hoc negotium, quo initio cæperit, quoque eventu fuerit, id Polydorus Vergilius abunde tradidit, & apposite videbimus facere, si ejus verbis recensionem instituamus. *Henricus tantum sibi sumere cœpit, ut* sua duntaxat autoritate & Episcopos faceret, *& factis* Episcopatuum possessionem *daret. Circiter hæc tempora Principes ubique gentium cœperunt illud sibi* Ius declarandorum Episcoporum vindicare, *quod & hodie mordicus tenent, quemadmodum nos in nostro de Inventoribus rerum opere, libro quarto, capite decimo, demonstravimus. Hos* Anselmus, Cantuariensis Antistes, *ut abortivos religionis filios, quos vocant, consecrare recusabat; imo quidquid de eorum electione actum foret, pro nihilo habens Principem summè admonebat, ne sanctos ritus, neve religionis jura & ceremonias verteret pollueretque. Veruntamen tantum abfuit, ut Rex iis moveretur monitis, ut etiam in sententia obstinatius permaneret; quippe paulò ante* Thomas, Eboracensis Archiepiscopus, *è vita migraverat, & in ejus locum surrogatus fuerat* Girardus, *homo sagacis ingenii,*

sed honoris & gloriæ, ultra quàm par erat, cupidus. Hunc igitur Henricus *rogavit, ut Episcopos ab se renunciatos non repudiaret, qui protinus ei morem gerens, quamvis illud contra esset, atque liceret, omnes ejusmodi Episcopos consecravit, præter* Guillielmum Gyffordium, Vintonienſem Epiſcopum *electum, qui id consecrationis munus ab eo accipere abnuit, propter quod facultatibus privatus in exilium ablegatur. Affectus est etiam multis contumeliis* Anſelmus, *acerrimus causæ defensor, qui cum videret eam labem in dies magis magisque multis locis fieri (nam cæteri etiam privati homines exemplo Regis suo arbitratu* Presbyteros Sacerdotiis *præficiebant), & brevi omne Ordinis robur esse evulsuram, nisi remedium adhiberetur, statuit potius vitæ periculum adire, quàm Reipublicæ unquam deesse, secundum illud Evangelicum:* Paſtor bonus a. ſ. d. p. o. ſ. *Itaque nunc orando, nunc urgendo, nunc minitando, Deum non esse talem impietatem laturum, eò* Regem *perpulit, ut sponte dixerit,* ſe rem omnem controverſam ad Paſchalem, Rom. Pont. relaturum, ejuſque decreto *staturum, ac adid maturè agendum missurum cum literis Legatos, qui primum, ut mos est, pollicerentur, ipsum fore ipsius Rom. Pontificis dicto semper convenienter audientem, deinde causam hanc agerent. Similiter quò pro se quisque, qui Sacerdotia & dignitates ejusmodi consecutus esset, res suas impigrè tueretur, omnibus, qui ire vellent, potestatem Romanam pergendi se facturum promisit, quod & protinus fecit. Regii* Oratores *profecti sunt* Herbertus Nordovicenſis, & Robertus Lichefeldenſis Epiſcopi, *quos Henricus in consilio habebat. Inde secutus est* Anſelmus, Girardus Eboracenſis, *ac* Guilielmus *designatus* Vintonienſis. *Accepit eos* Paſchalis, P. R. *perbenignè, atque animo libenti audivit; sed inprimis summum habet honorem Anselmo, quippe cujus probitatem, modestiam, gravitatem jam pridem noverat. Legati functi primo legationis officio, proponunt causam ortæ controversiæ inter Regem & Anselmum, eamque acriter defendunt; contra Anselmus & cæteri æquis rationibus, ut iniquam, confutant. Quare* Pontifex, *cùm illud quoque Pontificio jure constitutum sit, ratum non esse adepti Sacerdotii possessionem, quam Episcopus non dedisset, mandavit, ut in posterum tempus neque Rex, neque quisquam alius ejusmodi jus sibi esse contenderet, sed Episcopos antea factos confirmavit, ne illud seminarum foret discordiarum, si repudiasset. Ita re peracta, Legatos Regios dimisit, &* Anſelmum *magnis muneribus,* Girardum *verò* Archiepiſcopum Eboracenſem pallio donavit, *qui paulò post in Angliam reversi, Pontificis decretum Regi renunciarunt. Ille, qui à malis Sacerdotibus subornatus, judicaverat Sacerdotalem Ordinem esse debilitandum, nec libenter id audivit, nec prius manum abstinuit, quàm multis Anselmi cùm precibus, tum rationibus victus, ad extremum* gravatiſſimè *Apostolicum rescriptum admiserit.* Fundum Pontificis aravit Polyd. Vergilius, Quæſtor Pontificius, inſignis

d·efen

defenſor Pontificii per Angliam vectigalis, lib.II. Hiſtor. pag. 181. 182. immemor ſui proverbii: *Canis caninam non eſt*, quod habet lib. 16. pag. 289. Egregius & feſtivus Iudex cauſæ ſuæ fuit (quis neget?) Pontifex Paſchalis, quam Iudicis ſedem ſi reſpicimus, videmus, quod vidit in judiciis Oliverius Malardus, Minorita Pariſienſis, & ſcripſit Serm. Quadrageſ. fer. 6. poſt Ciner. fol. 7. *Nunc Domini Iuſtitiarii* (quorum omnium ſupremus tunc erat Paſchalis) *ſunt, ſicut* catus, *qui ponitur ad cuſtodiendum Caſeum, ne mures illum rodant; ſed ſi Catus ſemel apponat dentes, plus nocebit uno morſu, quàm mures in viginti.* Ille Oliverius tanti habetur ab Eiſengreinio, ut ab eo inter Teſtes Veritatis fol 188. referatur, laudatus ab eruditione, moribus, pietate, religione atque dignitate. Ceſſit quidem Henricus, ſed, ut ait Polydorus, *gravatiſſime*, ſcenæ ſcilicet pro re nata inſerviens; nam defuncto Anſelmo Rodulphum *per annulum & baculum paſtoralem* inveſtivit.

VI. STEPHANVS, REX ANGLIÆ.

ERat ſub eo Rege Archiepiſcopus Cantuarienſis Theobaldus, rigidi vir ingenii, cui non ſolum cum Rege ſed etiam cum Monachis graves controverſiæ interceſſerunt, nam Regi Euſtachium Filium coronari reſtitit; cumque Rege invito Remenſe Concilium ab Eugenio Papa indictum, adiret, à Rege proſcribitur, omnibuſque bonis exuitur. De poſteriori ſunt verba Radulfi de Diceto Abbreviat. Chronicorum ad Annum 1146. col. 509. *Theobaldus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, venit ad Concilium ſine licentia* Regis, *quare bonis ſuis omnibus ſpoliatus eſt. Suffraganei ſui ſuſpenſi ſunt à Domino* Papa, *quia,* Rege *prohibente non venerant. Hilarius, Ciſtrenſis Epiſcopus, Stephanum* Regem *excuſans audivit à Domino Papa: Putabamus te filium creaſſe* Romanæ *Eccleſiæ; ſed creavimus in te ſagittam & gladium.* Gervaſius itidem Dorobornenſis Monachus, col. 1329. ſcribit: *Eugenius in Franciam veniens Concilium* Remis *celebravit; ad quod, quia Theobaldus Archiepiſcopus abſque* Regis *licentia, quam impetrare non potuit, Miniſtris* Regis *ne tranſiret mare obſervantibus, naufragium perpeſſus ire præſumſit, à Domino* Papa *tanto gaudio ſuſceptus eſt, ut diceret, eum ob reverentiam* Petri *& ſuam natando magis quàm navigando veniſſe* Peracto *Concilio, cùm Cantuariam veniſſet, juſſu* Regis *ab Anglia expulſus eſt,*

reditus sui confiscati, & homines sui rebus propriis spoliati sunt. Unde Archiepiscopus iratus, zelo ductus justitiæ totam terram Regis *suspendit, nec à sententia destitit, donec pacato* Rege *ad suam in pace rediret Ecclesiam.* Sententiam interdicti non ex potestate jurisdictionis ordinariæ, quam habuit instar Archiepiscopi, sed *auctoritate Legatariæ potestatis* processisse scribit Wilhelmus Thorne in Chronicis suis col. 1807. ubi etiam annotat, quas turbas dederit illa proscriptio; erat autem Theobaldus Legatus Pontificis; qua potestate etiam in aliis rebus abusum fuisse notat Gervasius in actibus Pontificum Cantuariensium col. 1665. cum enim esset controversia gravissima sub hoc Rege inter Theobaldum & Henricum, Episcopum VVintoniensem, Regis Fratrem, de jure & commodo *Legationis à latere*, in Anglia continuo, nomine Pontificis Romani, ea re Romæ acerrimè agitata *oriuntur hinc inde*, quod Gervasius scribit, *discordiæ graves, lites & appellationes antea inauditæ. Tunc Leges*, (quod notatu dignum est) *& Causidici in Angliam primò vocati sunt, quorum primus erat Magister Vacarius, Hic in Oxenofordia Legem docuit.* Observanda hic est & miranda Pontificum calliditas & astutia, qui non nisi eos in Regnis diversis creare solebant Legatos, ex quorum sciverant autoritate sibi majorem potestatem accreturam; indeque etiam elucet clarius dominium, quod universale in Ecclesias & Regna affectabant, & quo medio potuerint negotia sua hinc inde facilius atque felicius expedire. Ea ratione in Anglia *Cantuariensem* & *Eboracensem*, item *Wintoniensem*; in Scotia Archiepiscopum S. Andreæ; in Germanía Archiepiscopum Salisburgensem; in Gallia Rhemensem; in Italia Pisanum; in Hungaria Strigoniensem Archiepiscopum, *Legatos suos* dixere & constituere, observante Josselino Antiquitat. Britannicarum Ecclesiasticarum pag. 25. Oborta hinc fuit bis ob munus Legationis in Anglia, nam erat *in diebus illis*, quod scribit Gervasius, *Apostolicæ sedis Legatus Henricus, Wintoniensis Episcopus, qui erat frater* Regis. *Hic cùm de jure Legati, licet privilegium suum, plusquam deceret, extenderet in immensum, suumque Archiepiscopum & Episcopos Angliæ ut sibi occurrerent, quolibet evocaret, indigna-*

dignatus Theobaldus & Thomæ (Becketi) Clerici Lundoniensis, industria fretus, egit apud Cælestinum Papam, qui *Innocentio successit, ut amoto Henrico* Theobaldus *in Anglia legatione fungeretur.* Orta hinc fuit *Causidicina* in Anglia, cæptumque *Ius civile* tradi publicè Oxonii Anno 1149. qui incidit in Stephani Regis annum decimum quartum Iuri tunc civili operam dederat Bononiæ Thomas Becketus, Clericus Londinensis, qui postea Oxonii Legum Doctor creatus, atque Henrici II. Regis Cancellarius Angliæ constitutus fuit, de cujus per Angliam potentia & in Regem incontinenti autoritate, egit Flacius, cùm Henrici II. fata exponit. Increbuit tunc sub Henrico II. & III. Iuris studium, ut etiam Clerici & Monachi plus invigilarent Iuris quàm Theologiæ studio, quia inde majora præmia atque honores sperarent maxime, cùm vidissent Becketum factum & Regni Cancellarium, & Archiepiscopum Cantuariensem. Querelas hoc de nimio Legum studio, cum contemtu Theologiæ & Philosophiæ, Giraldi Oxoniensis, Danielis Morlæi, Rogerii Baconi, Stephani Langtoni, Roberti Holcotti, Hugonis de S. Victore annotavit Arthurus Duckius libro secundo de autoritate Iuris civilis Romanorum in dominiis Principum Christianorum part. 2. num. 31. 32. 33. pag. 363. 364. 365. 366.

VII. HENRICVS II. REX ANGLIÆ.

ILle Rex avitas Regni consuetudines ivit defensum, Episcoposque in Clarendonensi Conventu ad eas firmandas adigit, indignante Papa & obnitente Thoma Becketo, Cantuariensi Archiepiscopo; utque, quæ Flacius ex Menchana retulit, melius capiantur, Articulos Clero propositos ad observandum ex Gervasii Dorobornensis sive Cantuariensis Monachi, Chronico col. 13. 86. 1387. dabimus. *I. Si controversia emerserit inter Laicos, vel Laicos & Clericos, in Curia Domini Regis tractetur & terminetur. II. Ecclesiæ de feudo Domini Regis non possunt in perpetuum dari absque assensu & concessione ipsius. III. Clerici rectati & accusati de quacunque re, summoniti à justitia Regis venient in Curiam ipsius, responsuri ibidem de hoc, unde videbitur Curiæ Regis, quod sit ibi respondendum, & in Curia Ecclesiastica, unde videbitur, quod sit ibi* Ad n. 189. pag. 521.

respon-

respondendum, ita quod Iustitia Regis mittet in Curiam sanctæ Ecclesiæ ad videndum, qua ratione res ibi tractabitur; & si Clericus convictus vel confessus fuerit, non debet de cætero Ecclesia eum tueri. IV. Archiepiscopis, Episcopis & personis Regni non licet exire de Regno absque licentiâ Domini Regis; & si exierint, si Domino Regi placuerit, assecurabunt, quod nec in eundo, nec in morum faciendo, nec in redeundo perquirent malum, vel damnum Domino Regi, vel Regno. V. Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præstare juramentum, sed tantum vadium & plegium (*pignus & vadimonium*) *standi judicio Ecclesiæ, ut absolvantur. VI. Laici non debent accusari, nisi per certos & legales accusatores & testes, in præsentiâ Episcopi, ita quod Archidiaconus non perdat jus suum, nec quicquam, quod inde habere debeat, & si tales fuerint, qui culpantur, quod non velit, vel non audeat aliquis eos accusare, Vice comes requisitus ab Episcopo faciet jurare XII. legales homines de visneto* (vicineto sive vicinia) *seu de villa coram Episcopo, quod inde veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt. VII. Nullus, qui de Rege teneat in capite, nec aliquis dominicorum Ministrorum ejus*, excommunicetur, *nec terræ alicujus illorum sub interdicto ponantur, nisi prius Dominus Rex, si in terra fuerit, conveniatur; vel Iustitia ejus, si extra Regnum fuerit, ut rectum de ipso faciat, & ita, ut, quod pertinebit ad Curiam Regiam, ibidem terminetur; & de eo, quod spectabit ad Ecclesiasticam Curiam, ad eandem mittatur, ut ibidem tractetur. VIII. De* Appellationibus *si emerserint, ab Archidiacono debent procedere ad Episcopum; ab Episcopo ad Archiepiscopum; & si Archiepiscopus defuerit in justitia exhibenda, ad Dominum Regem est perveniendum postremò, ut præcepto ipsius in Curia Archiepiscopi controversia terminetur, ita quod non debet ulterius procedere absque assensu Domini Regis. IX. Si* calumnia *emerserit inter Clericum & Laicum, vel inter Laicum & Clericum de ullo tenemento,* (possessione quacunque) *quod Clericus velit ad eleemosynam attrahere; Laicus verò ad Laicum feudum, recognitione XII. legalium hominum per capitalis Iustitiæ Regis consuetudinem terminabitur, utrum* tenementum *sit pertinens ad eleemosynam, sive ad feudum Laicum, coram ipsa Iustitia Regis, & si recognitum fuerit ad eleemosynam pertinere,* Placitum *erit in Curia Ecclesiasticâ; si verò ad Laicum feudum, nisi ambo de eodem Episcopo vel Barone advocaverint, erit* Placitum *in Curia Regia. Sed si uterque advocaverit de Feudo illo eundem Episcopum vel Baronem, erit* Placitum *in Curiâ ipsius, ita quod propter factam recognitionem saisinam non amittat, qui prius saisiatus fuerat. X. Qui de Civitate, vel Castello, vel Burgo, vel dominico manerio* (mansione & tractu) *Domini* Regis *fuerit, si ab Archidiacono vel Episcopo de aliquo delicto citatus fuerit, unde debeat eis respondere, & ad citationes eorum noluerit satisfacere, bene licet eum sub interdicto ponere, sed non debet*

excom-

excommunicari, priusquam capitalis minister Regis villæ illius conveniatur, ut justitiet eum ad satisfactionem venire; & si Minister inde defecerit, ipse erit in misericordia Domini Regis, & exinde poterit Episcopus ipsum accusatum Ecclesiastica justitia coercere. XI. Archiepiscopi & Episcopi & universæ personæ Regni, qui de Rege tenent in capite, habent possessiones suas de Domino Rege, sicut Baroniam, & inde respondent justitiis & ministris Regis; & sequuntur, & faciunt omnes rectitudines & consuetudines Regias, & sicut Barones cæteri debent interesse Iudiciis Curiæ Regis cum Baronibus, usque perveniatur in judicio ad diminutionem membrorum vel ad mortem. XII. Cùm vacaverit Archiepiscopatus, vel Episcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de Dominio Regis, debet esse in manu ejus, & exinde percipiet omnes reditus & exitus, sicut Dominicos; & cum ventum fuerit ad consulendum Ecclesiæ, debet Dominus Rex mandare propter potentiores personas Ecclesiæ, & in capella ejus debet fieri electio assensu Domini Regis, & consilio personarum Regni, *quas ad hoc faciendum vocaverit, & ibi faciet electus homagium, & fidelitatem Domino* Regi, *sicut legio Domino de vita & membris & de honore suo terreno, salvo ordine suo, priusquam sit consecratus. XIII. Si quisquam de Proceribus* Regni *defortiaverit Archiepiscopo, vel Episcopo, vel Archidiacono de se, vel de suis justitiam exhibere, Dominus* Rex *debet justitiare; & si forte aliquis disfortiaret Domino* Regi *rectitudinem suam, Archiepiscopi, Episcopi & Archidiaconi debent eum justitiare, ut Domino* Regi *satisfaciat. XIV. Catalla eorum, qui sunt in foris facto* Regis *non detineat Ecclesia, vel cimiterium, contra justitiam* Regis, *quia ipsius* Regis *sunt, sive in Ecclesiis, sive extra fuerint inventa. XV. Placita de debitis, quæ fide interposita debentur, vel absque interpositione fidei, sint in justitia Domini* Regis. *XVI. Filii* Rusticorum *non debent ordinari absque assensu Domini, de cujus terra nati esse dignoscuntur.* Omnes & singulos eos articulos recensere placuit non tam ob raritatem, quàm quia de rebus utriusque fori, nec non de Iurisdictione Ecclesiastico Regis, nos informare possunt. Ad eas autem consuetudines avitas observandas *coactos*, aut potius *inflexos*, fuisse Episcopos, notat ad Annum 1164. Radulfus de Diceto Imag. Histor. col. 512. & 536. Thomam verò Archiepiscopum anno 1166. excommunicasse observatores consuetudinum istarum solenniter, ibidem notatum. Leges itaque sancitæ ab Henrico Rege fuere; ut ab Archiepiscopi sententia ad Regem, neque ulterius nisi Regis consensu, appellaretur; ut evocatus à Papa Archiepiscopus Regno sine licentia Regis non exeat; ut Archiepiscopus neminem ex domesticis Regis Ministris excommunicet, nisi Rege antea consulto; ut Episcopi neminem ob perjurium vel læsam fidem, coerceant; ut in causis civilibus & de decimis ac prædiis Ecclesiarum Clerici coram Rege & Iudicibus politicis respondeant. Assentiri his

articulis cùm nollet Archiepiſcopus, in exilium pulſus fuit. Cùm nollet reſtituere Archiepiſcopum Rex, iratior Alexander ſcribit Regi Anno 1169. *Duritiam tuam, ſicut hactenus contra juſtitiam & ſalutem noſtram non duximus ulterius ſupportandam, nec Archiepiſcopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin officii ſui debitum liberè conſequatur, & ſuam & Eccleſiæ ſuæ ſibi commiſſæ injuriam Eccleſiaſticæ ſeveritatis gladio ulciſcatur.* Integræ literæ extant in Radulphi de Diceto Imaginibus Hiſtoriarum col.549. Severè verò mandavit Rex, ne quis literas à Papa Romano, vel à Cantuarienſi in Angliam ferret, ne quis eos appellaret; neve quis abſque licentia mare tranſiret; id quod ex ipſa formula audiri poteſt, prout extat in Chronicis Gervaſii col. 1409: *Si quis à feſtivitate S. Dionyſii inventus fuerit in Angliam* ferens literas Domini Papæ, *vel* Thomæ, Archiepiſcopi Cantuarienſis, *vel aliquod mandatum ex parte eorum de interdicto, capiatur, & ſtatim fiat de eo juſtitia, ſicut de traditore Domini Regis & Regni ſui. Si Epiſcopi vel Abbates cujuſcunque Ordinis ſint, vel quicunque Clerici, vel Laici* ſententiam interdicti *tenuerint, ſtatim ejiciantur à terra, & tota cognatio eorum, & tali modò, ut nil ferant de catallis ſuis ſecum, ſed omnia catalla eorum & omnes poſſeſſiones ſuæ in manu Domini Regis ſeiſiantur. Nulla fiat* appellatio ad Dominum Papam, *neque* ad Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, *nec aliquod Placitum eorum mandato teneatur*; *& ſi quis à feſto ſancti Dionyſii inventus fuerit hoc faciens, capiatur & retineatur, & omnia catalla ejus & poſſeſſiones capiantur in manu Domini Regis, ſive Epiſcopus fuerit, ſive Abbas* vel *Monachus, aut Canonicus, aut Clericus, vel cujuſcunque Ordinis fuerit. Si quis Laicus venerit de ultra mare, ubicunque applicuerit, intentè exquiratur*, utrum portet aliquid, *quod ſit contra honorem Domini Regis; & ſi quid tale ſuper eum inventum fuerit, capiatur & incarceretur; Et ſimiliter fiat de Laicis, qui veniunt ad mare transfretare.* Coegerat etiam Anglos Alexandrum III. *à ſene decrepito uſque ad puerum* abjurare. Cùm *furta, rapina & homicidia* ſæpe à Clericis committerentur, *acri motu Rex turbatus contra Clericos malefactores leges ſuas poſuit*, dicente Iohanne Bromtono Chron. col. 1058. Conſvetudinum & libertatum Anglicanarum veterum facta fuit recognitio, anno 1164. in Comitiis Clarendonenſibus, quam Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Clerici cum Comitibus & Baronibus ac Proceribus cunctis juraverunt, & firmiter *in verbo veritatis promiſerunt viva voce tenendas & obſervandas* Domino *Regi Henrico ejuſque Hæredibus, bona fide & abſque malo ingenio in perpetuum*; id quod ex Vita Thomæ Cantuarienſis, Matthæo Pariſienſi, Seldeno, Baronio & Goldaſto notat Vſſerius de Chriſt. Eccleſ. ſucceſſ. & Statu cap. 7. num. 16. pag, 229. Seriem cauſæ inter Regem & Thomam Archiepiſcopum breviter deſignavit Radul-

Radulfus de Diceto col. 711. suntque hæc rerum capitula. 1. Thomas creatus Archiepiscopus Regis resignavit sigillum. 2. Archiepiscopus ad postulationem Regis distulit Archidiaconum Cantuariensem transferre. 3. Clarenbaldus sine professione quærebat benedictionem accipere, Regem habens fautorem. 4. Comes de Clara Rogerus homagium facere noluit Archiepiscopo, Rege consentiente. 5. VVilhelmus de Ros Regem, non Archiepiscopum, agnovit, ut Dominum. 6. VVilhelmus, Einesfordiæ Dominus, Laurentium expulit ab Ecclesia, quem excommunicavit Archiepiscopus, Rege non certiorato. 7. Nuncii Regis *Consvetudines*, quas *avitas* appellant, à Domino Papa roborari non impetraverunt. 8. Ab Archiepiscopis & Episcopis confirmatæ sunt Regni consuetudines. Iniquo tulit animo Rex fori Romani insolentiam, mandatque Provinciarum Vicecomitibus per literas, teste Matthæo Paris: *Si aliquis Clericus vel Laicus in Ballivis suis Romanam Curiam appellaverit, eum capiant, & firmiter teneant, donec voluntatem suam Rex præcipiat; & omnes reditus Clericorum Archiepiscopi, & possessiones saisiant in manum regiam, & omnium Clericorum, qui cum Archiepiscopo sunt, Patres, Matres, & Sorores, Nepotes & Neptes ponant per salvos plegios, & Catalla eorum, donec voluntatem suam Rex præcipiat.* Plegius est fidejussor, qui pro alio spondet, à Gallico *plege*, vel *pleige*, hinc *plegiatio*, fidejussio, vadimonium. *Catalla* sunt bona mobilia, itemque immobilia. Quando alas suas primùm extenderit ultrà mare Britannicum Pontifex Romanus, ut Reges sibi subjiceret, id subjiciemus verbis Thomæ Cragii, scribentis 1. Feudor. 3. pag. 12. *Pontifex Romanus cùm Romam, Imperii sedem, occupasset, relegato in Thraciam Cæsare, paulatim etiam suum Imperium ibi stabilire cæpit; erat enim in fatis, ut Satanæ post mille annos exactos, liberæ habenæ laxarentur, & Filius iniquitatis ex Ecclesia & in Ecclesia Dei Regnum suum erigeret, satellitesque suos, quos* Clerum, *id est*, Domini sortem & patrimonium, *interpretabatur, toti Orbi imponeret, Reges omnes suo poculo inebriaret, & sibi subjiceret, ut supra omne, quod* Deus *dicitur (nam Reges* Dii *à Domino dicuntur) & supra omne, quod colitur, tandem elevaretur, tanta tamen caligo animos hebetaverat, ut per eam Antichristum non licuit intueri; & quoniam, ut ait Satyricus,* nemo repente fuit turpissimus, *paulatim & sensim meditatus est, ut sub specie religionis toti Orbi imponeret; nam primùm* Ecclesiasticas personas, *& omnes clericali nota insignitos,* à Regum & Dominorum suorum potestate & jurisdictione eximi *curavit, indignum clamitans, ut, qui in sacro sancto patrimonio Domini erant,* Laicorum, *id est,* profanorum *hominum manibus & potestati subjicerentur; nam antea non minus de Clero, quàm de aliis suis hominibus Reges cognoscebant. Quo autem tempore in aliis Regnis* à judicio seculari, *ut vocant,* exempti *sunt, describere ejus esset, qui*

otio abundaret. *In* nostra *verò* Britannia *non nisi* ab Henrico II. Angliæ Rege, *potuit Pontifex illud obtinere*; *nam totius controversiæ, quæ* inter Henricum *&* *seditiosissimum illum* Thomam Becketum, Archiepiscopum Cantuariesem, *intercesserat, maximum & præcipuum hoc erat caput, quòd, cùm Rex vellet* Presbyteros, Diaconos & alios Ecclesiæ Rectores (Si *comprehensi fuissent in aliquo gravi delicto) ducere ad sua & secularia examina, & de crimine cognoscere, sicut de Laicis & aliis subditis, fieri solebat, restitit Archiepiscopus, asserens*, nullum in sacris Ordinibus constitutum, nisi per Viros Ecclesiasticos, & in Curia Ecclesiastica judicari & puniri debere; *& hæc prima illius contentionis causa erat; nam cùm Rex jurisdictionem suam minui nollet, & recordatio sive memoria facta esset omnium libertatum Regiarum, & Consvetudinum in Ecclesia Anglicana, Thomas Cantuariensis acerrimè restitit, & omnes ejus observatores excommunicavit; sed cùm Rex nullum in regno pateretur eximi, & Pontificii acriter obsisterent, factum est, ut tandem Cantuariensis exularet; cujus cùm patrocinium Pontifex suscepisset, usque adeò exarsit Henricus in Pontificem Romanum, ut omnes à puero duodecim annorum ad senem in Anglia ejurare coegerit. Inde Henrico Rege excommunicato* Regnum Angliæ interdicto subjectum; *itaque coactus Henricus, cùm ab omnibus execrabilis & odiosus haberetur, Thomam ab exilio revocavit, & sedi suæ restituit; sed cùm is in veteri pertinacia obstinatus persisteret, nec Regis jurisdictionem vellet agnoscere, à Regiis satellitibus interfectus; à Pontifice verò in Divorum numerum relatus, cùm Martyrii gloria, quod Pontificium Ordinem tam strenuè & acriter contra Regis potentiam defendisset, & sangvine suo etiam signasset; nec potuit unquam Henricus, rursus excommunicatus, absolutionem à Pontifice impetrare, donec & se de crimine jurejurando purgasset, &* Ecclesiastico Ordini executionem à Iudiciis secularibus *sive* Laicis *concessisset. Acta hæc erant inter annum Domini 1164. & annum Domini 1172. At* Richardus, ejus Filius, *cùm* regalia Majorum suorum privilegia *retinere vellet, & tamen Pontificis fulmen metueret, edicto statuit, ne Clerici ullatenus à secularibus & laicis potestatibus caperentur, sicut consveverunt, nisi pro homicidio, furto, incendio & ejusmodi gravioribus delictis, coactus tamen & ipse est, Ius suum in his etiam remittere. Sic in Britannia super Ecclesiasticis personis intercepta est Regalis autoritas & Iurisdictio.* Ille Becketus à Pontifice in numerum quidem divorum relatus fuit; sed quadragesimo octavo post mortem die disputatum fuit Parisiis inter Magistros, *an damnatus vel salvatus esset*, referente Cæsario 8 Rerum memorabilium cap. 69. pag. 186. Videatur de toto actu Iohannes Seldenus in Iano Anglorum lib. 2. pag. 236. 237. 238. 239. 240. 241.

VIII. RICARDUS I. REX ANGLIÆ.

QUantum degeneraverint à bonis moribus Clerici, conquestus fuit Rex Ricardus, *lacrimantibusque* oculis dixit, *se miserum esse, non Regem; & si Regem*, solo nomine *se regiam obtinere dignitatem, non potestate*, infortuniumque regni transcribit rapacitati Cleri, de qua sermonem hunc fecit, notante Gervasio in Chronicis col. 1595. *Regnum Angliæ, quondam gloriosum & opulentum, in tot particulas nunc est divisum, ut mihi modica portio relinquatur immunis. Hæc enim & illa possident* albi Monachi & nigri, & Ordinis diversi Canonici. *Plures etiam ex transmarinis partibus magnas habent in Anglia portiones. Hi quoque omnes tales sibi Fratres associant, pellipários scilicet sutores, quorum nec unus deberet instante necessitate in Episcopatum vel Abbatem salva conscientia nostra promoveri.* Clerici *quoque* seculares, *qui meas vel vestras possident Ecclesias, generositatem suam & literaturam convertunt in pravitatem, ut de gratia sibi data contra* Deum *erecto collo, sicut equus & mulus, armari videantur. Eleemosynas Populi distrahunt, & expendunt in usus pravos, dum magis cogitant de suarum pannis meretricum, quàm de suarum vestimentis vel libris Ecclesiarum.* Comessationes *diligunt &* ebrietates, *& quò magis sordescant in Venere, vino vel quolibet poculo ebriantur. Tolerabile malum videretur, si singuli* suas mulierculas *observarent, & saltem thorum non invaderent alienum, nec aliis filios generarent. Cùm ex talibus aliquem ob generis sui favorem in Episcopum vel Archidiaconum promovemus, populo Dei non* Prædicatorem Verbi Dei, *sed* Placitatorem, *ne dicam* Lætatorem, *præesse conspicimus. Quid ergò miseri in judicio Dei dicemus ad hæc? Præterea* Romani *propter debilitatem vestram adeò nobis infesti sunt, ut nobis solummodò videantur imperare, literulas suas nobis vendunt, nec justitiam quærunt, sed litigia fovent, multiplicant appellationes, redimunt placitantes, & cùm solam pecuniam appetunt, veritatem confundunt, pacemque subvertunt. Quid ergò dicemus ad hæc? Quid in tremendo respondebimus judicio? Inite consilium, & date operam, ut tot & tantæ enormitates corrigantur.* Hæc Rex gravi admodum sermone interque lacrymas ad Episcopos Angliæ, sicuti consignavit Monachus Dorbornensis Gervasius in Chronicis ex Manuscripto Codice primum emissis à Rogerio Twysden. Cùm Waltherus, Rothomagensis Archiepiscopus, ultimum colloquium haberet cum Rege hoc Richardo, monuit eum, ut pænitentiam ageret, morte in januis jam expectante, & cogitaret *de filiabus maritandis*, quas haberet tres, primogenitam *Superbiam*, secundam *Avaritiam*, & tertiam *Luxuriam*. Cui Rex festivè respondit: *Istas habui, & eas sic volo continuo maritare. Primogenitam meam concedo Templariis, qui fastu tumen, & præ cæteris sunt*

elati. Secundam *scilicet* Avaritiam Monachis griscis, *qui omnibus vicinis suis per avaritiam nocent, ut Diaboli effrenati.* Vltimam *scilicet* Luxuriam *assigno* Monachis nigris, *qui assata & frixa comedunt nunquam satiati.* Ita retulit Iohannes Bromton, Abbas Iornalensis, in Chronico, quod primus edidit Tvvysdenius, col. 1279. sed ex Engelhusio protulit Flacius num. 190. pag. 523. & iisdem verbis Goulartius Tom. 2. Catal. Test. Ver. pag. 619.

IX. EDVARDVS I. REX ANGLIÆ.

Pontifices cùm variè turbarent res Angliæ, & detonarent in Reges, ex iis Eduardus I. sese aliquoties opposuit. Pontifex tribus Bullis demandaverat Abbati de VValtham & Decano Ecclesiæ S. Pauli, ut colligerent decimas bonorum cujusque in Hierosolymitani belli sumtus. Interdixit hoc fieri Rex & Decanus, Abbate mortuo, Regi promisit, nihil ultra, nisi jussu nutuve Regis eo in negotio acturum. Idem ille Eduardus diem Decano Sacelli de VVolverhampton dici jussit, quod contra Regni privilegia ex Sacelli sui Præbendis unam ad Pontificis mandatum cuidam detulisset. Decanus comparuit, culpamque Confessus, sese Regiæ clementiæ permisit. Idem Rex Dunelmensem Episcopum prærogativis ac privilegiis spoliavit, quod prohibitorio cuidam Edicto minimè paruisset. Hæc & alia exempla ex Archivis Regni protulit Iacobus, Rex Angliæ, in Epistola monitoria ad Rudolph. II. Cæsar. aliosque Principes Apol. pro Iuram. Fidelit. præmissa pag. 197. subjunctisque exemplis Eduardi II. & III. Regum, qui Pontificibus in eorum temporalem jurisdictionem grassantibus animose restiterunt, addidit: *Ex quibus exemplis* (trium Eduardorum) *liquet, ne florentissimis quidem Pontificiis rebus Majores meos ullius ex Subditis contumaciam inultam tulisse, qui mandato Pontificio Regium imperium posthaberet, etiam in eis rebus, quæ ad Ecclesiam pertinere videbantur; tantum aberat, ut se, vel Pontificiæ potestati in temporalibus mancipatos; vel Clericos à sua Iurisdictione emancipatos judicarent. Et hæc quidem tot Regum exempla obsignabo* publicorum Ordinum sub Richardo II. Decreto, *quo cavetur, ne quis beneficium à Pontifice Romano impetraret; qui secus faxit, extra Regis fidem & tutelam censeretur. Ita quod quatuor illi Reges continua serie factitarunt, id* Lege publica *confirmatum videmus.* Cùm Essent inter Regem Scotiæ & Regem Angliæ Eduardum I. gravia bella, intercedebat Bonifacius, vel potius autoritatem interponebat, grandia locutus de jure Pontificis in Regnum Scotiæ, & de terra Scotiæ intra suos cancellos redigenda. In Annalibus veteribus Henrici de Knyghton 3. de Event. Angl. 13. col. 2529. ita legimus: *Eo tempore Bonifacius per suggestionem Scotorum misit Regi Angliæ, quòd* jus dominii

minii Regni Scotiæ *pertineret* ad Ecclesiam Romanam; *& quòd Rex Angliæ contra rationem & contra jura subegerat illud sibi, & assignavit diversas rationes.* Rationibus subjunctis Bulla Papalis dicam scribit Regi, *quod post mortem Regis Alerandri Rex Angliæ Eduardus miserat & attraxerat regnum Scotiæ in suam subjectionem, præ defectu gubernaculi, contra justitiam & libertatem Romanæ Ecclesiæ; & quòd Rex Eduardus suppresserat Prælatos Scotiæ, & tenuerat in sua subjectione, contra statum Ecclesiæ, & libertatem Romanæ Ecclesiæ.* Nil importunius scribi poterat, utque Rex suam libertatem defenderet, convocato Senatu Regni Lincolniæ deliberatum fuit de Pontificis *articulis*, quos vocat, sive argumentis, rescriptumque fuit in hunc modum: *Quoad illum articulum, quod Papa mandavit Regi, ut mitteret Nuncios & Procuratores ad curiam suam Romanam, & habere deberet justitiam & rationem de clamio Regni Scotiæ, Rex noluit respondere ad illum articulum, sed tota Baronia Angliæ rescripsit Papæ, quòd Rex nullo modo hoc faceret; nam non mitteret jus suum tam clarum & tam apertum in dubio & alieno arbitrio.* Extat cap. 4. col. 2483. 2484. 2485. 2486. 2487. 2488. 2489. Epistola Regis Eduardi ad Bonifacium pro declaratione Iuris sui in Scotiæ Regnum, cujus clausula est: *Prælati, Comites & Barones & Communitates Regni Scotiæ, quos ad pacem nostram Regiam recepimus, subsequenter homagia & fidelitates nobis, tanquam immediato & proprio Domino fecerunt; reditus etiam ejusdem Regni nobis præstiterunt. In Civitatibus, Castris, Villis, in Munitionibus ac cæteris locis omnibus, Ministros officiales nostros ad regimen ejusdem Regni, præfecimus jure nostro speciali.* Eam rem exponens Polydorus Vergilius clare præ se fert, sibi Pontificis postulata non satisfacere, disertis enim verbis sic retulit: *Bonifacius Pontifex à Scotis precibus fatigatus, & subiratus, quòd Eduardo Baliolo, Filio Iohannis, non essent restitutæ possessiones, quas ille in Anglia habebat, interdixit Edvardo Regi, ne amplius posthac Scotos bello vexaret, quòd id Regnum antea* in Romani Pontificis fidem & potestatem *à Scotis ipsis permissum fuisset, & ideò asseverabat, sibi soli integrum esse, cuicunque liberet, dare, auferreve. Edvardus accepto Pontificis præscripto, habuit primo quoque tempore Principum Concilium, de eaque re maturè consuluit; postea tamen per literas, quàm per Nuntios Pontificem docuit,* jus proprietatis terræ Scotiæ ad se pertinere, *secumque facere, & propterea non passurum, se eo perperam privari. His cognitis Bonifacius statim* refrixit, *ut scilicet, si pertinacius contenderet, ne inhonestè causâ caderet*; Histor. Anglic. lib. 17. fol. 342. Cùm undique occupati essent Clerici in rebus suis augendis atque ditandis, non sine incommodo Regnorum aut privatarum possessionum, eaque habendi & acquirendi libido Angliam etiam occupasset, Rex tunc Eduardus Ann. 1293. in abusum illum animadvertit, utens autoritate & potestate

testate Regia in personas Ecclesiasticas ac bona Ecclesiastica, & providens consilio etiam Procerum suorum de bonis immobilibus,&possessionibus latifundiorum non emendis & vendendis, nisi permissu Regis, *quod nullus Religiosus,* uti sunt verba VVilhelmi ad Annum 1293. col. 1961. *aliqua tenementa emere vel vendere, vel ex dono alicujus aliquid percipere, aut alio qualicunque modo, arte vel ingenio quicquam adquirere debeat; & si secus à quoquam Religioso fuerit attemptatum, liceret Domino Regi, illud sic acquisitum, emptum vel datum per Escaetorem suum ingredi, & in perpetuum tenere in feudo & hæreditate.* Quid verò ad hoc interdictum & novum Statutum Regis, ait Thorne? *Heu, heu,* exclamat! *Proh dolor,* ingeminat! *Quomodo non solum periit tunc liberalitas illa Deo grata, qua devoti Reges, Proceres, reliquique Fideles pro magno desiderio habuerant religiosos fundare, prædia & possessiones in honorem Dei liberalissimè conferre, & ipsos tueri. Verum extunc opere hujus caritatis palam tabescente, & unoquoque manum suam à talibus beneficiis retrahente, non solùm possunt Religiosi quicquam novum adquirere; quin etiam nec antiquis suis possessionibus propter oppressionem Laicorum, ne dicam Magnatum, prosperè ut Laici gaudere; sed his novissimis temporibus, sapientes hujus seculi horum prosperitati invidentes, suæque fraudi consulentes, universos Religiosos ne sic oblata acceptarent, & quod nequius est, sibi quicquam appropriarent, per decretum & Seniorum judicium coarctarunt, & sic de eis veraciter posset dici, quod egressa fuit iniquitas à senioribus Iudicibus, qui filiam Israel, puta Ecclesiam, nequiter condemnaverunt.* Plus religionis mansisset in Ecclesia, si Religiosi plus religionis, quàm regionis retinuissent. Regiones depascebant sub religionis mantelo, & religio tandem mutata fuit in dominationem & tyrannidem. Reformatione certè opus erat, quod etiam sensit Petrus de Aliaco libro de Reformatione Ecclesiæ, eò quod *Religiosi* & *Monachi* plus essent *Officiales fisci*, quàm *Christi*; *in Curiis Principum & cathedris Iudiciorum, in Cameris Computorum & aliis rebus secularibus.* Statum Religiosorum desiderabat Rex Eduardus humiliorem; sicuti id etiam svaserat Petrus de Papia, Iureconsultus, qui in Practica sua fol. 195. edit. Norinb. anno 1482. de Clericis queritur, quod studeant *rapere & adse trahere Laicorum substantiam*, ut inde necesse sit accidere, *quod omnia bona Laicorum subjiciantur dominio Clericorum*, nisi lex fiat, *ut omnium Clericorum status ad statum mendicantium Fratrum penitus reducatur, & Papa cum Cardinalibus similiter ad vitam Christi & Apostolorum ejus* deveniat. Quæ negotia cum Papa Romano Eduardo fuerint, Thomas VValsingham in Hist. Anglic. pag. 78. his notavit verbis: *Anno 1301.* Scoti *cognoscentes* Romæ omnia venalia, *donis Dominum Papam uberrimis ditaverunt, petentes ab eo consilium pariter ac auxilium contra Dominum suum, Regem Angliæ. Quibus* Papa *promisit in brevi remedium*

dium contemplatione donariorum, jubens, ut celeriter ſine tumultu repatriarent. Igitur Papa promiſſionis ſuæ non immemor, illicò direxit quendam Lumbardum ad Archiepiſcopum Cantuariæ, jubens, ut ſuæ legationis vices ageret in hàc parte, & Regem adiret cum literis imbullatis, eique mandata papalia demonſtraret. Archiepiſcopus verò poſt trium hebdomadarum ſpatium pervenit ad Regem cum prædicto Lumbardo, quem invenit contra Scotos dimicantem. Oſtendit ei igitur Papale mandatum, *cujus tenor fuit, ut Rex deſiſteret Scotos inquietare de cætero, quorum regio & perſonæ exemtæ ſpecialiter ſuæ capellæ, ut aſſeruit, pertinebant; neque, prout dicebat, eſſe poterat, quin civitas Ieruſalem ſuos cives protegeret, & confidentes in Domino, ſicut mons Sion confoveret.* Rex *autem intellectis his apicibus, mox allata voce ſic reſpondit.* Per ſangvinem, *inquit*, Dei propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, dum Spiritus fuerit in naribus meis; quin jus meum, toti mundo cognitum, toto poſſe defendam. *Poſt aliquot dies* Scoti, *freti papali favore, ſuperciliosè mandaverunt Regi Angliæ, ut permitteret eos tranquillè vivere, donec pares ſuos & Regem Franciæ conſuluiſſent, comminantes, niſi faceret, quod Papa pro illis interponeret ſuas partes. Ad hæc* Rex *indignando ſubriſit, dicens*: Ex quo vos omnes & ſinguli mihi, (tanquam præcipuo Domino Regni Scotiæ) feciſtis homagia, putatis me terrendum per ampulloſa mendacia, ut, tanquam carens viribus, jus, quod in vos habeo, prætermittam? Cavete, ne de cætero coram me cum tali mandato compareatis, quod ſi feceritis, Dominum teſtor, à mari uſque ad mare totam Scotiam devaſtabo. *E contra Scoti ſatis audacter aſſerunt, ſe in hàc causâ ſangvinem ſuum fuſuros pro defenſione juſtitiæ & patriæ libertate.* Sic contradictorem fortem habuit Papa in Rege Anglico.

Decretum ſub Eduardo factum fuiſſe, ne cuipiam mortalium liceret prædia dare Collegiis Monaſteriorum, annotavit Polydorus Vergilius Hiſtoricus lib. 17. pag. 327. cujus verba: *Placuit Regi ſimiliter atque Principibus cavere in jure, quò perpetuaretur id, quod ſancitum jam pridem fuerat in Magnâ Chartâ cap. XXXVI. ut nemini homini liceret dare prædia Collegiis Monachorum, nam additum eſt*, ut non liceret etiam Monachis, aut aliis Sacerdotibus emere poſſeſſiones, quò ne poſſeſſiones ejuſmodi Cœnobiorum aliorumvè Sacerdotiorum dotes fierent. *Et legem hanc ad* Manumortuam *vocarunt, quod res ſemel datæ Collegiis Sacerdotum, non utique rurſus venderentur, velut* mortuæ, *hoc eſt, uſui aliorum mortalium in perpetuum ademptæ eſſent. Lex diligenter ſervatur, ſic, ut nihil poſſeſſionum Ordini Sacerdotali à quoquam detur, niſi Regis permiſſu.* Quæ prædia veniunt in manus Cœnobitarum, ea transferuntur quaſi in manum mortuam, &, uti etiam loqui ſolent, amortizantur; res enim talibus Viris datæ, tanquam apud mortuos hærent, nec redeunt. Producit

Chartam Eduardi VVilhelmus Thorne, Monachus S. Augustini Cantuar quæ sic habet: *Edvvardus, Dei gratia* &c. *Licet de communi concilio Regni nostri providerimus, quod non liceat Viris religiosis seu aliis ingredi feudum alicujus, ita quod* ad mortuam manum *deveniat, sine licentia nostra & capitalis Domini, de quo res illa immediatè tenetur, volentes tamen tenentibus Dilectorum nobis in Christo Abbatis & Conventus S. Augustini gratiam facere specialem dedimus eis licentiam*; in Chronico ad Annum 1288. col.1949. De hâc manu mortuâ Henricus de Knyghton 3. de Eventibus Angliæ 1. col. 2462: *Rex Eduardus I. cum Proceribus suis edidit* Statutum contra mortuam manum, *anno Gratiæ 1278. ita ut nullus deinceps terras, tenementa, reditus daret, venderet, legaret, aut permutaret, seu quovis titulo Viris Religiosis assignaret sine licentia Regis.* Et Polyd. Vergilius: *Erat Eduardus I. animo magno, qui eum in rebus adversis nunquam defecit, ingenio præclaro, prudentia summa, religionis studiosissimus*, insolentiæ Sacerdotum inimicus acerrimus, *quam ex opibus cum primis proficisci putabat; quam ob rem* legem ad Manumortuam *perpetuasse fertur ut ita eorum luxuries coerceretur*; Histor.lib.17.fol.346.

X. EDVARDVS. III.

Erecti animi Rex direptiones Papæ sub religionis velo ferre nequit, dumque consilia agitantur de pecunia, mercimonia illa Papalia nimis frequentia erant toti Angliæ tædiosa, cùm undique gravaretur terra. Quæ autem contigerint, verbis Henrici de Knyghton, Canonici Leycestrensis, sunt proponenda. Is lib. quarto de Eventibus Angliæ col. 2617: *Ad festum S. Michaelis, iterum Cardinales habuerunt IV. d. ad marcam de Clero, tam de Spiritualibus, quàm temporalibus; & non eò minus Papa misit per Bullam, quod quilibet Episcopus faceret visitare Episcopatum suum autoritate Papæ, & solverent* procurationes *Cardinalibus, & dictum est, quòd hæc summa data est per Papam ad sustentationem Regis Franciæ. Et papa eodem tempore petiit de regno Angliæ mille marcas per annum, per Regem Iohannem, Curiæ Romanæ concessas, & ab ejus tempore debitas jam plenariè solvendas, & hæc omnia facta sunt, ut per talem terrorem Regis Edvvardi animum ad eorum hi voluntatem magis inclinarent; & Rex providus providè & breviter respondit, se nullum tributum velle cuidam dare, quia Regnum suum tenuit, & libere tenere voluit absque subjectione cujuscunque.* Multi erant modi ditescendi pecuniamque colligendi. Pecunia, quæ à Sacerdote quotannis Episcopo, vel Archidiacono Ecclesiam visitanti solvitur, sub nomine *Procurationum* venit; unde Titulus ille Iuris Canonici de Censibus & Procurationibus. Quàm Regi cordi fuerit Regnum

gnum, ne proventus Ecclesiarum in Anglia ad Papæ beneficiarios, transportentur, peculiari constitutione id cavit, Papa contrarium jubente. Idem ex Knyghtono tradendū erit. *Anno Gratia. M. CCC. XLII. Papa institit habere de provincia Cantuariensi mille marcas pro sustentatione unius Cardinalis, & similem summam de provincia Eboracensi, in grave præjudicium & oppressionem totius Regni. Unde de communi consilio Regni missum est Papæ, gentem Anglicanam deinceps nolle* talia onera *quoquo modo*, de Curia Romana *subire*; *& si quis aliquod beneficium Ecclesiasticum auctoritate Curiæ Romanæ possideret in Regno Angliæ, ad beneficium suum repedaret, & super eo viveret, cujuscunque conditionis esset vel gradus, nec thesauros Regni extra mare asportaret in depauperationem, sed ubi bona Ecclesiæ perciperet, ibidem eadem expenderet; super quo Rex misit in singulos Comitatus Regni, ne quis ab eo tempore & deinceps admitteretur per Bullam ad aliquod beneficium, nec reciperetur* sine licentia speciali Regis. *Insuper* Magnates & Proceres Regni Angliæ *oblocuti sunt & minati, quod si Papa conferret beneficia Ecclesiæ talibus provisoribus, sive indigenis, sive alienigenis, quæ quidem beneficia antecessores sui contulerant Viris religiosis & ecclesiasticis in eleemosynam, ut pro ipsis & animabus suis orarent; ipsi ea beneficia in manus proprias repeterent, sicuti Antecessores habuerant, & de eis ad placitum disponerent; unde* Papa cum Curia *multum sibi timuit de tali responsione; & quædam alia grandia, quæ in Regno Angliæ attentare proposuerat, absque detentione prætermisit.* Postea col. 2584. *Anno Gratiæ M. CCC. XLIV. Papa misit Regi Angliæ duos Episcopos, præcipiens ei dimittere arma Franciæ, & sustineret alienigenas, vid. religiosos viros præbendarios & provisores promotos à Curia Romana pacificè gaudere suis beneficiis, nec eos quoquo modo perturbaret, qui promoti fuerant per sedem Apostolicam & Magnates Regni Angliæ; & petiit à Rege mirabilem summam pecuniæ de Regno Angliæ, ut dicebat, Curiæ Romanæ ab antiquo debita. Quibus sub brevitate responsum est, & redierunt ad propria.* Hæc Knygthon 4. de Event. Angliæ col. 2583. 2584. 2585. Extat Ejus Regis Epistola in Chronicis VVilhelmi Thornii cap. 38. pag. 2083. qua Ius suum contra Clementem VI. in Abbatia defendit, ac contra Abbatem à Pontifice missum, suum canonicè juxta Statuta Regni electum Abbatem tuetur, cum literis antea humiliter ad Papam scriptis, nihil impetrare posset, licet *ad pedum beatorum oscula* se submisisset. Negotium itaque aliter gestum fuit juxta jussum nutumve Regis, id quod magis innotescere potest ex Epistola, quæ sic habet ad Conventum Abbatiæ: *Eduardus, Dei gratia &c. dilectis sibi in Christo* Priori & Conventui Ecclesiæ S. Augustini. Cantuar. *salutem. Cum progenitores nostri quondam Reges Angliæ Ecclesiam vestram prædictam, quæ libera Capella nostra existit de possessionibus, quæ de corona nostra Angliæ per Baroniam tenentur, & aliis largifluè*

runt; & ipsam ad certas eleemosynas faciendas perpetuò onerarunt, & sub regimine Abbatis perpetuò gubernandam, devotè fundarunt, ita quod cedente vel discedente Abbate, loci prædicti Prior & Conventus ejusdem personam idoneam ad ipsam regendam, & devotè ac salubriter gubernandam de licentia nostra & ipsorum Progenitorum nostrorum *eligerent, & ipsum in Abbatem suum haberent, & sub ipsius obedientia, & Ordinis sui Regula viverent, & Deo devotè studerent deservire, absque eo, quod aliquis in Abbatem loci prædicti ullo tempore hucusque per sedem Apostolicam extitit præfectus. Ac jam intelleximus, quod licet Vos, decedente ultimo Abbate vestro Ecclesiæ prædictæ*, idoneam personam de licentia nostra in Abbatem vestrum *elegeritis, & sub ipsius obedientia, & dicti Ordinis vestri regula devotè vixisse intendebatis*, Dominus *tamen* summus Pontifex *quendam Monachum extraneum in Abbatem vestrum ad Curiam Romanam jam præfecit; qui quidem Monachus sic præfectus versus ipsam Ecclesiam se trahere, & de terris & tenementis, bonis & catallis ejusdem disponere proponit*, in nostri præjudicium, & Coronæ nostræ læsionem, & exhæredationis periculum, & exemtionum & libertatum dictæ Capellæ nostræ Regiæ enervationem manifestam. *Nos hujusmodi exhæredationi & præjudicio eo lentes remedio obviare opportuno, & libetertates exemtiones prædictas illæsas observare Vobis* sub foris factura omnium, *quæ nobis forisfacere poteritis, prohibemus, firmiter injungentes, ne ipsum Præfectum, quantum in vobis est, administrationem seu dispositionem aliquam de terris, tenementis, bonis seu catallis prædictis absque licentia nostra seu mandato nostro speciali aliqualiter habere permittatis.* Contigit hoc interdictum Anno 1346. in octavis Assumtionis S. Mariæ, & statim Prior atque Conventus Iohannem Devenesche, quem Papa in Abbatem elegerat, *secundum exigentiam prohibitionis prælibatæ a administratione temporalium excluserant, ingressum Monasterii istius in capite denegando; unde apud Natyngdon traxit suam moram Iohannes, de spiritualibus tantummodo & vix se intromittendo*, quæ verba sunt VVilhelmi Thomii, Monachi S. Augustini Cantuariensis, Chron. de rebus gestis Abbatum S. Augustini Cantuariæ. Cùm Reges Angliæ eligendorum Episcoporum potestatem Clero darent, certis eam conditionibus astringebant, eligendi licentiam à Rege peterent, utque consensus ad confirmandam electionem peteretur. Id statuto sub Eduardo dato indicatur, cujus sententiam habe: *Supremus Dominus noster Rex & hæredes sui habebunt, & pro illo tempore fruentur collationibus ad Archiepiscopatus, & alias dignitates electivas, quæ de ejus sunt Advocatione, quas Progenitores ejus habuerant, antequam libera electio esset concessa; quandoquidem electiones primum concessæ sunt Clericis, per Progenitores Regis sub certâ quadam forma & conditione, videlicet*

licet ut eligendi licentiam à Rege *peterent*, *& post factam electionem Regium consensum obtinerent, & non alio modo. Quibus conditionibus non observatis æquum est, rem reverti ad pristinam naturam.* Reges qui primum Ecclesias fundaverunt, & in Ecclesiarum Anglicanarum commodum prædia & possessiones concesserunt, *habuerunt, & habere debuerunt custodiam eorundem* (Episcopatuum) *tempore vacationis, & præsentationes, & collationes earundem spiritualium Præfecturarum*, velut *Domini & Patroni* omnium agrorum & possessionum, sive quæ ad Cathedrales Ecclesias, sive quæ ad Episcopos pertinent, uti ex veteribus Schedis Regni protulit Thom. Bilionus de perpet. Eccles. Christi gubernat. cap. 15. pag. 437.438.

XI. HENRICVS IV.

QVi religionem constituere, atque unionem Ecclesiæ conservare debebant Pontifices, ii cæci in furoribus sæpe concutiebant per schismata Ecclesias, miseranda rerum caligine & virulentia maxima, ut necesse habuerint ipsi Reges consulere paci Ecclesiæ, Pontificesque ad unionem adhortari. *Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ!* Quam lucem ostenderent ii Cæsaribus ac Regibus, qui ipsi sine lumine cæcutierunt, & in tenebris palparunt. Sermones erunt in circulis, & in conviviis confabulationes erant de Pontificum nequam artibus, insomniis & scandalis. Quis fuerit rerum Status in Ecclesia, cùm arietarent inter se Gregorius & Benedictus, docebit Epistola Regis Angliæ Henrici IV. quæ sic ad Gregorium Papam habet: *Beatissime Pater, si sedis Apostolicæ dignaretur attendere providentia, quanta quasi per universum orbem pericula prætextu schismatis emersere, & potissimè de strage populi Christiani, quæ ultra ducenta millia personarum, ut asseritur, ex guerrarum fremitibus, in diversis mundi partibus exortarum, & jam pridem ad numerum 30. millium, ratione dissensionis habitæ super Episcopatu Leodiensi inter duos, unum scilicet autoritate Domini veri Pontificis, & alium autoritate Antipapæ titulo contendentium, in bello campestri, quod dolenter referimus, fuerant interfecti, pro facto jam dicto anxiaretur in Spiritu, & in isto dolore torqueretur in mente, dictanteque bona conscientia, potius Apostolicæ sedis honorem relinqueret, quàm hujusmodi detestanda convicia de cætero sub dissimulationis chlamyde toleraret, exemplum sumens de vera matre, quæ coram Rege Salomone contendens, cessionem potius elegerat, quàm filii sectionem. Et quamvis ex illa nova creatione novem Cardinalium, contra juramentum vestrum, ut aliorum verbis utamur, ultimò per Vos facta, de qua vehemens admirationis clausula consurgit, possit aliquatenus, præsertim prout verisimile est*

censendum, intentionem vestram ad finem schismatis non intendere. Absit tamen à seculo semper, quod sedes vestra circumspecta de tanta mentis inconstantia notaretur ab aliquo, unde novissimus error priore deterior haberetur. Idem Rex in Epistola ad Cardinales animum pacis religiosæ cupidum ostendit, scribens: *Cupientes ostendere, quem zelum habuimus, & habemus, ut pax detur Ecclesiæ de consensu Statuum Regni nostri, Domino summo Pontifici literas nostras transmisimus, juxta seriem copiæ præsentibus interclusæ; effectualiter consequendas. Vestrum itaque venerabilem cœtum affectuosè precamur, quatenus si contingat eundem Gregorium, (interessendo generali Consilio apud Pisas, & cedendo Papatui, juxta votum & juramentum per ipsum vicibus iteratis emissum) acquiescere votis vestris & nostris (prout cupimus & tenemus ipsum facturum) pro statu suo ordinare velitis, ut præcipuè Deus exinde placetur, & tum ipse Gregorius, quàm Nos, qui non immeritò suum honorem & commodum ex affectu diligimus, vobis & singulis vestrum merito teneamur ad gratiarum uberes actiones.* Ea descripsit ex Epistola ipsius Regis Thomas VValsingham, ad S.Albani Monasterium Benedictinus Monachus, in Historia Anglicana pag.378.

XII. PROCERES ANGLIÆ CONTRA INNOCENTIVM III. PONTIFICEM.

REx Angliæ Iohannes Richardi Frater, passus se fuerat subigi ab Innocentio III. reclamantibus Angliæ totius Magnatibus, fremente verò Papa, qui eos, quos prius excommunicaverat in genere, iteratò excommunicavit nominatim & in specie, teste Matthæo Westmonasteriensi ad Annum 1216. cujus pag. 275. verba sunt: *Barones in arcto constituti, postquam cognoverunt, quod Dominum Papam pro subjectione* Regni *& Vasallagio* Regis *inclinati validum haberent persecutorem, quem prius habuerant defensorem, Ludovicum primogenitum Philippi* Regis *Francorum sibi electum diatim expectarunt, cui obsides cum chartis & aliis obligationum generibus de fidelitate & ligantia transmissis solennibus Legationibus destinarunt, qui parandis præparatis adventum maturavit. Interim applicuit* Gvalo, Legatus *missus à Domino* Papa *Innocentio III. ad tuitionem* Regis *Iohannis, qui transiens per* Regnum, *Francorum* Philippum *ex parte Domini* Papæ *omnibus modis dissuaserat, ne filium suum in succursum excommunicatorum transmitteret, ne Ecclesia* Romana *patri-*

patrimonio suo privaretur. Quod cum intellexisset Rex *Philippus, respondit*, Regnum Angliæ Patrimonium Petri, vel Ecclesiæ nunquam fuisse, nec esse, nec fore; etenim *Iohanne*, qui id fassus fuerat, nunquam verum Regem fuisse; & si fuerat aliquando, foris fecisse Regnum per necem Arthuri; nullum verò Regem vel Principem posse dare Regnum suum sine assensu Baronum suorum, qui Regnum tenentur defendere; & si Papa hunc errorem tueri allectus novæ dominationis libidine, contumaciter decreverat, exemplum omnibus Regibus perniciosum daturum. *Ad quod verbum omnes circumstantes* Franciæ Magnates, *quasi uno ore, clamare cœperant, quod pro isto articulo starent usque ad mortem, ne videlicet* Rex *vel* Princeps *per impetum propriæ voluntatis posset* Regnum *dare, vel tributarium facere, unde* Nobiles Regni *efficerentur servi*. Hæc acta apud Lugdunum ab Historico Anglo recitantur, ex quibus videre est, quid tunc Angli & Galli de excommunicatione vana & frivola Romani Pontificis senserint, cum per eam Regnorum & Regum jura imminui viderent. Impius Rex fuerat Iohannes, sicut id ex Annalibus constat, cumque tandem à Clero & populo destitueretur, se & successores Papæ beneficiarios fecit; videns enim *undecunque sibi periculum imminere*, verba sunt Knygthoni Chron. col. 2418. *tum per* Regem *Franciæ, tum per* Proceres *suos, qui per scripta sua* Regi *Franciæ se devinxerant, totum* Regnum *suum Angliæ & Hiberniam pro se & hæredibus suis* Papæ *Innocentio, ejusque Catholicis successoribus in perpetuum obligavit; ita quidem, quod ipse & hæredes sui deinceps forent* feudarii Ecclesiæ Romanæ, *reddendo annuatim pro Anglia D. CCC. Marcas, & pro Hibernia CCC. Marcas; ita quod si ipse, vel aliquis hæredum suorum ab hac conditione vel solutione deficiat, à jure regni cadat*. Scriptum, quo se obligavit Papæ, attulit idem lib. 2. de Eventibus Angliæ cap. 15. col. 2419. quo se de libero fecit servum Regem, Angliamque liberam fecit tributariam, &, ut loquitur, ancillam pedissequam.

XIII

XIII. GRAVAMINA ANGIÆ CONTRA PAPAM INNOCENTIVM IV.

REgni Angliæ & Anglicanarum Ecclesiarum ingens perturbator fuit Innocentius, verè nocens, unde pullularunt variæ & graves quærelæ, quas in Scriptoribus legimus diversis. In Matthæi VVestmonasteriensis Floribus Historiarum legimus pag. 327. *Papa indignatione, quam concepit contra Regem* (Henricum III.) *& omnes Regni Nobiles manum suam ad gravamina quotidiana, diversis excogitatis argumentis ad emungendam pecuniam extendit, & quotidie aggravavit. Intumuit enim & excanduit ira Papalis contra miseros Anglos, eò quod ausi erant de oppressionibus & injuriis sibi illatis conqueri in Concilio. Multiplicabantur autem sine intermissione in regno injuriæ, & in conspectu ejus, videlicet in Curia sua, vi luerunt Angli plusquam alii etiam ultimarum Nationum. Unde fertur dixisse*: Expedit, ut componamus cum Principe, (cum Friderico) ut conteramus illum Regulum Angliæ, Vasallum nostrum, jam recalcitrantem. *Præterea, quia Dominus Rex obtinuit privilegium, ut non veniat Legatus in Regnum, nisi rogatus, misit quosdam Sophisticos Legatos & transformatos, habentes potestatem magnam* in extorquendis reditibus & pecunia, *& in omnibus legatis proterviores, licet insignia Legatorum non haberent, nunc* Clericos, *nunc* Fratres Prædicatores; *nunc* Minores, *de quibus Papa fecit suos Bedellos & thelonarios, in læsionem & detrimentum Ordinis & Professionis eorum, qui spontaneam paupertatem & humilitatem Deo vovendo promiserunt; unde quamplures eorum sanas habentes conscientias præcordialiter suspirantes doluerunt, dicentes*: Heu, quam citò, invidente Diabolo, noster Ordo desipit. Per mille annos Ordo S. Benedicti tantum non suscepit detrimentum. *Misit etiam Dominus Papa manum ad ulteriora, ut scilicet* Bona sine testamento decedentium, *non sine Principum injuria & jactura, in gremio suæ avaritiæ amplecteretur, etiamsi infirmus propter imbecillitatem non potens vel nolens loqui, pro se relinqueret Testatorem, quæ injuria & leges dicitur contraire. Præterea, quod est inauditum*, Davidis, *Nepotis ac Vasalli Domini Regis Angliæ, terram sibi injuriosè usurpavit, sub gravi tributo possidendam*; *&* citari fecit Dominum Regem, *ut eidem Davidi satisfacturus super quibusdam, ut dicebat, injuriis sibi ab eodem Rege illatis respondere, in multorum sannam, & sibilum & derisiones.* Post Davidis mortem præcepto Regis *convenerunt Magnates Angliæ universaliter, ut de prædictis efficax consilium haberent & festinum, prout necessitas non levi-*

ne

nec mediocris postulavit. Medio verò Quadragesimæ edicto Regio convocata convenit ad Parliamentum generalissimum totius Regni Nobilitas, ut de statu Regni jam vacillantis, *prout exigebat urgens necessitas, contrectarent; angebat enim omnes, tam Nobiles quã Prælatos* gravamen Curiâ Romanâ incessanter illatum, *quod non poterant sine nota desidiæ & imminente ruinâ diutius tolerare; qui eò anxiùs mentibus sauciabantur, quod Papa promissionis suæ immemor, & potius transgressor, quam Anglis fecit in Concilio, gravius quàm ante Regnum* bonis suis spoliavit. *In primis igitur aggressus est* Dominus Rex *ore proprio Episcopos per se, postea Comites & Barones, deinde Abbates & Priores, videlicet super his, pro quibus miserat Nuntios suos solennes ad Concilium Lugdunense & quasdam Indulgentias & literas Papales, quibus dicti Nuntii reportarunt super moderamine suarum oppressionum, ostendit eis, & qualiter Papa dictis Nuntiis pro Rege & Regno multa bona promisit. Sed quia Dominus Rex* post indulgentias memoratas & promissa *magis sentit* Papam, *prout communiter audivit, & verè postea didicit*, manum aggravare, *& quasi per contemtum & irritationem plus solito in Regem protervire, Ecclesiam opprimendo, proposuit & ostendit eis manifestè* Articulos super gravaminibus & oppressionibus Ecclesiæ & Regni *in scriptis bullatis (quæ diligens inquisitor poterit reperire in Regio Thesauro) & conquestus est graviter toti universitati congregatæ de manifesta Papæ transgressione. Gaudebant autem universi, sperantes* Regis constantiam *totum Regnum, nec non Ecclesiam, à Papalibus oppressionibus & injuriis potenter liberasse. Placuit tandem singulis & universis, ob reverentiam sedis Apostolicæ, scribere Domino Papæ*, & per solennes Nuncios supplicare, *ut* intolerabilia Gravamina sua, *jam consueta, & jugum subtraheret importabile.* Satis de Prędone & spoliatore Angliæ Papa. Roma verè avara, in qua regnabant cum Innocentiis Albini & Rufini, juxta versus, qui leguntur apud Bertholdum, Abbatem Quisaltensem, de origine & fundatione sui Monasterii.

Martyris Albani, *nec non & membra* Rufini
Si quis habet, Romæ quæq; valet facere.

Albinus est argentum. Rufinus aurum; aliiq; versus in Anglia fuère divulgati:

Roma capit marcas, bursas exhaurit & arcas,
Ut tibi tu parcas, fuge Papas & Patriarchas;

notante Joh. Josselino in Histor. Archiepisc. Cantuar. p. 222.

XIV. ANSELMUS, ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS.

ALacri Spiritu Ecclesię pręfuit, nulli concedens, quumq; pro Investitura à partibus Papæ esset, duobus Regibus Guilielmo II. & Henrico, invisus fuit, quã rem nunc nõ investigamus. Sacrarum literarũ studia magno studio complexus fuit, sicuti commentationes variæ indicant, diversis Tomis comprehensæ.

Magnis laudibus eum prosequitur Johannes de Trittenheim, de Scriptoribus Ecclesiasticis agens, & de hoc Abbate & Episcopo scribens fol.79. *Vir in divinis Scripturis eruditissimus, & secularium literarum peritia nulli suo tempore secundus. Vita & conversatione integer atque sanctissimus; mente devotus; ore facundus; operatione strenuus; vultu Angelicus; incessu maturus, progressu exemplaris; studio scripturarum continuus, & omni virtute ornatus & insignis fuit.* Effervescit etiam in laudem Gervasius, Monachus Dorobornensis, scribens in *Actibus*, ut vocat, *Pontificum Cantuariensium*, quos è Mscr. Codice primum edidit Rogerius Tvvysden, col.1656. *Vigebat in eo Legis Dei jugis meditatio, executio cauta, fida relatio, & oratio devota. Pius erat, ut omnibus paternum impenderet affectum. Veræ scientiæ sic scrutabatur vias, ut fidelia scripta perlegeret, & corruptiones librorum emendaret; fortitudinem verò animi à cultu veræ justitiæ non deflexit. Vigebat in eo Spiritus Consilii, ut ad ipsum turmatim fluerent undique desolati. Illuxerat ei tanta claritate facies veritatis, ut intelligeret prudenter ænigmata Scripturarum; nodos quæstionum potenter dissolveret, manifesta frequenter haberet occulta cordium, & quadam prophetandi gratia plerunque prædiceret arcana futurorum. Præsidebat in eo sapientia Spiritus, ut nihil in eo saperet, nisi Deus; profitebatur cum Apostolo corde puro, conscientia bona & fide non ficta. Operibus charitatis & misericordiæ semper insistens fructum plurimum Domino adquirebat, & utilitati Fratrum omnino studuit inservire.* Quem Domino fructum adquisiverit, & utilitati inservierit hominum, pia morte ad Deum tendentium, id indicat illud consolationis genus, quo in admirationem unici Servatoris JESU CHRISTI traxit ad certæ salutis opem morientes, in quam rem quæstiones conscripsit, quæ nucleum Theologiæ & Christianismi nostri continent, & gratiæ divinæ lumen, in Christi Redemptione, afflictis conscientiis monstrant; & hoc sese modo habent: *Primò quæratur sic*: Frater, lætaris, quod *in fide Christi* moriaris? *Respondeat*, Etiam. *Frater pœnitet te, non tam bene vixisse, sicut debuisses? Respondeat*, Etiam. *Frater habes emendandi animum, si spatium vivendi haberes? Respondeat*; Etiam. *Frater, credis te non posse* nisi per mortem Christi *salvari? Respondeat*, Etiam. *Agis ei gratias ex toto corde de hoc? Respondeat*, Etiam. *Age ergo, dum in te est anima tua, Ei semper gratias; & in hac ejus morte te totum contege, huic Morti te involve.* In hac Sola morte *fiduciam tuam constitue*; in nulla alia re *fiduciam habe*; *huic Morti te* totum *committe*; *totum immisce te in hac morte*; *totum confige*; *& si Dominus Deus te voluerit judicare, dic*: Domine, Mortem Domini mei Jesu Christi objicio inter te & me, & judicium tuum; aliter tecum non contendo. *Si dixerit, quod mereris condemnationem, dic.* Mortem Domini mei Jesu Christi objicio inter te & me mala merita mea, ipsumque dignissimæ Passionis meritum offero, pro merito, quod ego habere debuissem, & heu non habeo. *Dicatur iterum*: Domine mortem Domini mei JESU CHRISTI pono

inter

inter me & iram tuam. *Deinde dixit ter* : *In manus tuas*, *Domine*, *commendo Spiritum meum.* Egregio certe cum fidei incremento proposita morientibus fuere, dum divinæ salutis fons miseris mortalibus fuit ostensus, qui non in uno aliquo Angliæ angulo scaturiit, sed in omnes orbis Christiani plagas diffusus fuit, novaque in dies Sanctitatis ac pietatis germina produxit, sicuti scribit ipse Caspar Ulenbergius, Pontificius, in Motivis Causarum, causa 14. pag. 462. edit. Coloniens. 1589. quod istis quæstionibus *per universum Christianum Orbem simpliciores ad agnoscendum Christum & salutem consequendam Majores nostri* manuduxerint; insuperque addit, *totam humanæ salutis rationem*, *adeoque* nucleum Christianismi, *quasi brevi pugillo*, iis comprehendi.

Hanc ad rem *Ecclesiarum Polonicarum* mentio est facienda, in quibus excitabatur eodem modo moriturus ad unicum salvificum Christi meritum, quem religionis nucleum exhibent *Agenda* sive *Obsequiale*, secundum rubricam Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, anno 1503. edita, ubi adultis morientibus inculcantur monita de Christi morte salutaria, ad vitam æternam consequendam, hac serie: *Credis, non aliter te posse salvari, nec vitam æternam ingredi, nisi per meritum Passionis Domini nostri Iesu Christi?* Etiam. *Pone ergo totam spem & fiduciam tuam in eadem acerbissima Passione & Morte Christi; huic morti te totum committe*, *nihil dubitans aut desperans de Misericordia Dei*; *in nulla alia re fiduciam habe*; *hac Sola Christi morte te totum contege*; *totum immisce te in hac morte*, *totum confige*; *in hac morte totum involve*; *& si Dominus Deus voluerit te* judicare, *die* : Domine, *Mortem Domini nostri Iesu Christi objicio*, *inter me & tuum judicium*; *aliter tecum non contendo*; *ipsius* Meritum *offero pro merito*, *quod ego debuissem habere*, *nec habeo.* Sic nobis retulit Adrianus Regenvulscius in Histor. Eccles. Ecclesiarum Sclavonicarum per Poloniam, Bohemiam, Lithuaniam, Russiam, Prussiam, Moraviam, lib. 1. cap. 12. pag. 72. Hoc ipsum salutis negotium, quo portus salutis in unico Christi merito statuitur, pari curâ proponit Manuale Curatorum Basileæ Anno millesimo quingentesimo secundo editum, ubi Infirmus, ne de salute sua periclitetur, hoc modo ad precationem informatur: *Dulcissime Iesu*, *ob honorem & virtutem tuæ benedictissimæ Passionis jube me recipi in numerum Electorum tuorum.* *Salvator & Redemptor meus*, *redde me totum tibi*, *non me renuas*, *ad Te venio*, *non me repelles.* *Domine*, *Paradisum tuum postulo*, non ob valorem meorum meritorum, *sed* in virtute & in efficacia tuæ benedictissimæ Passionis, *per quam me miserum redimere voluisti*, *& mihi Paradisum pretio tui sanguinis emere dignatus es.* Digna est hæc precatio

aa 2 pecca-

peccatore humili, ut portam sibi patefaciat per sanguinis Christi meritum, sine suo merito, ad vitam æternam; sanguis enim Christi clavis est, quæ nobis reserat Paradisum cœlestem; unde piè Ludolphus Carthusiensis in Meditationibus Vitæ Christi scripsit: *Caveat prudenter fidelis peccator, ut nunquam, in quocunq; statu fuerit, confidentiam in suis meritis habeat, sed tanquam mendicus pauperculus, omnino nudissimus, ad eleemosynam Dominicam mendicandam semper vacuus accedat*; *hæc autem faciat, non quasi ex humilitate fictâ merita sua abscondens, sed certissimè sciens, quod non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens*; in Prologo col.3. Commoverunt hæ considerationes Moguntinensis sacræ sedis Archiepiscopum, ut inter credenda & agenda per *Agendam Moguntinam*, anno 1513. editam, formulas præscriberet, quomodo Morituri sint examinandi & erigendi; nempe interrogatio hoc modo concipienda erat: *Credis, te meritis passionis Redemtoris nostri*, & non propriis *ad gloriam pervenire*? Ad quod infirmus respondere debebat: *Credo*. Posteà verò Agendæ Moguntinæ Anno 1551. & 1599. excusæ, non solùm quæstiones illas & responsiones planè omiserunt, sed & earum loco alia verba posuerunt, quæ videnda & legenda proponit D. Haberkornius Vindicati Anti-Foreri Disput. 17. pag. 344. Ars moriendi nulla tutior est, quàm quæ fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponit, neglectâ propriæ alicujus justitiæ opinione. Ea doctrina traditur in *Nicolai de Lyra Præceptorio*, Coloniæ 1499. excuso apud Hermannum Bungart; sic enim ibi legitur: *Interrogationes faciendæ infirmo morienti: Primo interrogari debet*, si credit omnia, quæ sunt fidei Christianæ? *Et respondeat*, Credo. *Secundò*, si gaudet se mori in fide Christiana? *respondeat*: Recognosco. *Quartò*, si dolet de omni offensa? *respondeat*: Doleo. *Quintò*, si proponit de cætero ab omni offensa peccati mortalis abstinere? *& respondeat*: Divino auxilio mediante propono. *Sextò*, si credit, si meritis passionis Christi, & *non propriis* ad gloriam pervenire? *& respondeat tunc*: Credo. *Ultimo debet sibi dici*: si occurrerit tibi inimicus Diabolus, semper ei opponas merita passionis Christi. *Amen.*

XV. JOHANNES SARESBURIENSIS.

Ad n. 210. pag. 58. JOhannes Sarisberiensis quomodo electus Episcopus fuerit Carnotensis, quâq; gratulatione exceptus fuerit, exhibet Radolf de Diceto, in Historiarum Imaginibus col. 592, 593, ubi integræ extant literæ Ludovici, Regis Gallorum, & Capituli Carnotensis ad Joannem à Saresberia. Fuerat is Sarisberiensis à juventute sua Cantuariensis Ecclesiæ Clericus, notante Gervasio, Dorobornensi Monacho, in Chronicis col. 1434. De eo Joh. Tritenheim de script. Eccles. fol. 89. *Johannes, Carnotensis Episcopus, patriâ Sarisberiensis, B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi quondam Clericus atque discipulus, Vir in divinis Scripturis eruditus & in secularibus literis nobiliter doctus, ingenio subtilis, eloquio disertus & pulchrâ venustate compositus, carmine*

mine excellens & prosâ; nec minus religione quàm scientiâ venerabilis. Scripsit multa præclara volumina, quibus nomen suum posteris notificarit. Legi opus insigne de Nugis Curialium & Philosophorum, *quod prænotare voluit* Polycraticon. *Claruit sub Frederico Imperatore, primo, Anno Dom. M. C. XL.* Memoratu dignum est colloquium, quod Joan. Saresburiensis instituit cum Papa Adriano IV. & recitavit ipse libro de Nugis Curialium 6. c. 24. de Curiæ S. Romanæ & Cleri vitiis. *Memini*, inquit, *me causâ visitandi* Dominum Adrianum Pontificem quartum, *qui me in ulteriorem familiaritatem admiserat profectum in Apuliam, mansique cum eo Beneventi fermè tres menses. Cùm itaque, ut fieri solet inter amicos, sæpe plurimis conferremus, &* Ipse, *quid* de se & Ecclesiâ Romanâ *sentirent homines, à me familiariùs & diligentiùs quæreret*, Ego *apud eum usus spiritus libertate*, mala, *quæ in diversis provinciis audieram, patenter exposui. Sicut enim dicebatur à multis*, Romana Ecclesia, quæ *Mater omnium Ecclesiarum* est, se non tam Matrem exhibet aliis quam *Novercam*. Sedent in eâ Scribæ & Pharisæi, ponentes onera importabilia in humeris hominũ, quæ digito non contingunt. Dominantur in Clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam, pretiosam suppellectilem congerunt, auro & argento onerant mensas, sibi etiam ab avaritia nimis parci; nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus, quàm vana gloria introducit. Concutiunt Ecclesias, lites excitant, collidunt Clerum & Populum, laboribus & miseriis afflictorum nequaquam compatiuntur; Ecclesiarum lætantur spoliis, & quæstum omnem reputant pietatem. *Iustitiam* non tam veritati quàm *pretio* reddunt; omnia namq; cum pretio hodie, sed nec cras aliquid sine pretio obtinebis. Nocent sæpiùs, & in eo Dæmones imitantur, quod tunc prodesse putantur, cùm nocere desistunt, exceptis paucis, qui nomen & officium Pastoris implent. Sed & *ipse Romanus Pontifex* omnibus gravis & ferè intolerabilis est. Præterea omnes arguuntur, quod ruentibus & collabentibus Ecclesiis, quas Patrum construxit devotio, Altaribus quoque incultis, Palatia extruit, & ipse non modò *Purpuratus*, sed *deauratus* incedit. Palatia splendent Sacerdotum, & in manibus Eorum Christi sordidatur Ecclesia. Provinciarum deripiunt spolia, ac si thesauros Crœsi studeant reparare. Sed rectè cum eis agit Altissimus, quoniam & Ipsi aliis, & sæpe vilissimis hominibus dati sunt in direptionem; &, ut opinor, dum sic in invio erraverint, nunquam deerit eis flagellum Dei; os siquidem Domini locutum est, quia, quo judicio judicaverint, judicabuntur, & suâ mensurâ remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non novit. *Hæc, inquam*, Pater, *loquitur* populus, *quandoquidem vis, ut illius tibi sententias proferam.* Et Tu, *inquit*, quid sentis? Angustiæ, *inquam*, sunt undique, vereor enim, ne *mendacii* vel *adulationis* contraham notam, si solus Populo contradixero. Sin autem, reatum vereor Majestatis, ne tanquam, qui os meum in cælum posuerim, crucem videar meruisse. *Veruntamen, quia Guido Clemens, S. Potentianæ Presbyter Cardinalis, Populo testimonium per-*

habet, ei usquequaque contradicere non præsumo; asserit enim in Romana Ecclesia quandam duplicitatis *esse* radicem, *&* fomentum avaritiæ, *quæ caput & radix est omnium malorum; neque id quidem in angulo, sed considentibus Fratribus, S. Eugenio præsidente, quando adversus innocentiam meam Ferentini graviter excanduerant, hoc publicè protestatus est.* O si seculo nostro Saresburienses sive Carnutenses Episcopi essent, qui ardenti zelo coram Alexandro VII. deplorarent Ecclesiæ Statum, & apostema Curiæ Vaticanæ penitius tangerent!

XVI. RICHARDUS, CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS

MAgni ingenii Vir, & Juris divini atque humani scientissimus de Jurisdictione seculari, ab Ecclesiasticis usurpata sic conqueritur & invehitur in Epistola Richardo Vintoniensi, Gaufrido Heliensi & Johanni Norvicensi, Episcopis scripta, quæ inter Epistolas Petri Blesensis extat numero LXXV. *Clerici vel Episcopi successores Romam mittuntur, euntesque in delitiis cum plenitudine Apostolicæ gratiæ, & majore delinquendi audacia revertuntur. Talium vindictam excessuum Dominus Rex sibi vendicat; sed nos eam nobis damnabiliter reservamus, atque liberam præbentes impunitatis materiam in fauces nostras Laicorum gladios provocamus. Ignominiosum est, quod pro capra vel ovicula gravior, pro Sacerdote occiso pœna remissior irrogatur. Sed his & durioribus digni sumus, qui* jurisdictionem alienam, *&* nobis omnino indebitam *ambitione temeraria usurpamus; nam & in Corpore Decretorum, & in Epistola ad Romanos, hæc verba legisse meminimus. Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per* mundi Judices, *quam* per Rectores & Judices Ecclesiarum *vindicantur; sicut est, cum quis interfecit Pontificem, Apostolicum, Presbyterum sive Diaconum. Hujus criminis reos* Reges & Principes mundi *damnant. Omnis equidem justitia ideo exercetur, ut debita quiete gaudeat innocentia, & malignantium temeritas refrænetur; veruntamen in hac jurisdictione maledicta, quam ambitiose & superbe præsumimus, Deum offendimus, & Dominum Regem, viamq; in Clericos malignandi tutissimam aperimus.* Hæc Richardus, qui sic Epistolam suam concludit: *Reddentes igitur Deo, quæ sunt Dei, & Cæsari quæ sunt Cæsaris, juxta petitionem Domini Regis, ei tantorum vindictam excessuum relinquamus; reis autem in mortis articulo constitutis, quia sententiam lati Canonis incurrerunt, si absolutionem postulaverint, & in hoc, & in aliis, quantum possumus, sine scandalo & periculo Ecclesiæ humanitatis consilium misericorditer impendamus.* Richardus ille anno 1173. electus in Archiepiscopum Cantuariensem, & anno 1174. à Papa Alexandro III. consecratus Romæ fuit, delectatus conversatione quotidiana Petri Blesensis & Gerardi de Pucella, notante Wilhelmo Thorne Chronic. col. 1821. ubi simul retulit controversiam, quæ intercessit inter eum & Rogerum S. Augustini Abbatem; & quamvis Alexander III. mandaret, ut sine obedientiæ exa-

exactione Rogero benedictionem impenderet, Papæ tamen mandatis refragabatur, qua de re quinque Epistolæ Alexandri recensentur col.1822.seqq.Moritur Anno 1184.14.Kal.Martii, secundum Chronicon Gervasii col.1465.

XVII. LUPUS, EPISCOPUS BRITANNIÆ.

EXtat de omnium Ordinum coruptissimo statu Oratio manuscripta in Bibliotheca Cottoniana, eaque Anglo-Saxonico idiomate, Lupum Episcopum faciens Autorem, cujus summam refert Joh.Jossclinus in libro de Antiquitate Ecclesiæ Britannicæ, & nominatim de Privilegiis Ecclesiæ Cantuariensis, pag.89 90. aitque sanctitatem è vita esse sublatam, & peccatum exuberare, finemque instare Universitatis; Clericos amussi regulaque sua arctiori contempta, & Laicos communi humana lege spreta vivere; mala ubique esse diffusa; furtum, egestatem, pestem, latrocinia & rapinas esse gentis propria & intestina mala; in Ordine Clericali esse Apostatas, deficientes atque renunciantes fidei; & Laicos permultos summo odio Clerum prosequi. Vixit circa anni millesimi initia.

XVIII. ROBERTUS GROSSETESTO, EPISCOPUS LINCOLNIENSIS.

TYrannidi & avaritiæ Innocentii IV. sese opposuit, eique misit Epistolam *satis tonantem*, uti loquitur Henr.de Knygthon 2.de Eventibus Angliæ 14.col.2436. *Ad n.291. pag.523.*
exprobrans inter alia indebitas insolitasque exactiones, quas imposuerat Ecclesiis Anglicanis, quodque male etiam provideret Ecclesiis, obtruso Canonico Ecclesiæ Lincolniensi, qui adhuc puer esset, quem Robertus Episcopus noluit admittere, scribens Papæ, *se nec velle, nec debere tales ad curas animarum admittere, qui se nescirent, nec possent regere.* Tactus hac libertate loquendi Pontifex, fulgurat & fulminat, & læte exultantem in veritate judicii sui Episcopum excommunicat. Excommunicatus appellat à Curia Innocentii ad Tribunal Christi; unde contigit, ut post biennium mortis Roberti (sequuntur verba Knygthoni) *apparuit Papæ de nocte quiescenti quidam Episcopus Pontificalibus indutus, sic inquiens*: Surge miser, veni ad judicium. *Et statim cum baculo pastorali pupugit Papam in latere sinistro usque ad cor; unde & lectisternium Papæ inventum est mane sanguinolentum, & ipse defunctus. Hac de causa, quamvis Robertus perspicuis effulgeret miraculis, non est permissus à Curia canonizari.* Obiit anno 1253. VII. Idus Octobris.

Ille Robertus illa ipsa, qua obierat nocte conquestus fuerat apud circumstantes Presbyteros ac Monachos de infelicissimo Ecclesiæ statu, Papam *omnium malorum causam* affirmans, eumq; propterea *Hæreticũ*, & eatenus *Antichristum* appellans, im-

mor-

mortuusq; his verbis: *Non liberabitur Ecclesia ab Ægyptiaca servitute, nisi in ore gladii cruentandi.* Nôrat sanctissimus Præsul, non solere eos, qui sive jura sive injurias Pontificum defendunt, quicquam remittere, aut querimoniis cujusquam, licet æquissimis, vel tantillum moveri; itaq; multò antè futurum in Anglia divinavit, quod tandem aliquando factum vidimus, ut Reges Angliæ cum universo Clero, & cunctis Laicis, durâ ac longâ captivitate, atq;, ut Episcopus locutus fuit, *è servitute Ægyptiacâ*, vi & armis sese in libertatem assererent, explicante vocem vatidicam Deiq; plenam Casaubono Epistolâ ad Frontonem Ducæum, seorsim excusâ, pag. 42.

XIX. WLSTANUS, PRÆSUL WIGORNENSIS.

DE hoc scribit Henric. de Knygthon, Canonicus Leycestrensis, 2. de Eventibus Angliæ 6. col. 2367. *Wlstanus Episcopus factus cibi & potûs abstinens fuit, quamvis in Aula ejus pro more Anglorum totis post prandium horis biberetur, cum quibus & Ipse assidens Psalmos ruminabat, ordine tamen suo se bibere simulabat. Bibentes ad hilaritatem incitabat, magis in hoc consuetudini Patriæ, quàm animi judicio satisfaciens. Nec etiam* pompam Normannorum *omittebat, quin* stipatus militibus *incederet cotidie* ad Missam. Indifferenter vilioribus induebatur pellibus, magis *autem* agninis, *quàm cæteri generis pellibus. Si quando ei suggereretur, ut catinis pellibus amiciretur, jocosâ comitate respondebat:* Crede mihi, nunquam audiri in Ecclesia Dei *Catus Dei*, sed *Agnus Dei*; idcirco volo magis agno calefieri quàm cato. *Dum semel Monachi sui migrarent ad majorem Ecclesiam, quam ipse construxerat, lacrimas fudit; super quo modestè redargutus, quod potius gaudere deberet, quod se superstite tantus honor Ecclesiæ suæ accessisset, quod etiam multiplicatis Monachis ædificia augerentur, respondit:* Ego longè aliter sentio, quod nos miseri opera Sanctorum destruimus, ut nobis laudem comparemus. Non noverat illa ætas (antiquior) pompatica construere, sed sub qualicunque tecto se ipsos Deo immolare, subjectosq; suos ad exemplum attrahere. Nos autem è contrà utimur, ut animarum negligentes cumulamus lapides? *Hic dum semel sermonem* de Pace *ad Populum faceret, multi ad pacem redierunt.* Luget ille Præsul, magnificè extrui Templa & Monasteria, & pietatem interim negligi, nec morem antiquũ observari; eandemq; cum Knygthonio recensuit querelam, Johannes Bromton, Abbas Jornalensis, in Chronico col. 953.

XX. RICHARDUS ARMACANUS EPISCOPUS.

Ad n. 323. p. 773. MOnachorum institutio quæ primùm simplex fuit ingenuorumq; morum in Hybernia & Scotiâ, ab ea Simplicitate descivit, & intraverunt variæ sectæ Monachorum, præsertim Mendicantium, quorum longè alia fuit acies, qàum

quàm priorum in primâ infantiâ, sæpe legimus Mendicantium Ordinem impugnatum fuisse, quo præclaro ausu Richardus, Episcopus Hyberniæ, novum illud Mendicabulorum genus rejecit, personatamque mendicitatem profligavit. Testimonium damus Henrici de Knyghton, Canonici Leycestrensis, qui 4. Chron. col. 2625. scribit: Anno Domini *M. CCC. LXI. obiit Magister Ricardus Futur Rauf, Episcopus Armacanus, qui causam manu tenuerat contra Fratres Mendicantes in Curiâ Romanâ apud Avinoniam.* Liberali manu asseruerat (id enim est manu tenere) causam justam contra iniquum otium Mendicantium, qui sub specie pietatis mendicabant, atque prædas faciebant ex aliorum sudoribus. Richardus ille dictus Armacanus à metropoli Hiberniæ Armach, ubi adhuc sedes Archiepiscopalis habetur; unde & *Primâs Hyberniæ* dicitur Tritenheimio, cujus elogio audit *Vir in divinis Scripturis eruditus & secularis Philosophiæ Juris q; Canonici non ignarus, ingenio clarus, sermone Scholasticus, in declamandis sermonibus ad populum excellentis industria.* Controversiam, quam habuit cum Monachis, hoc modo retulit: *Hic cùm aliquando* de materiâ mendicitatis *prædicaret populo*, novem conclusiones *protulit, quibus offensi* Fratres Mendicantium, *ad sedem Apostolicam coram plebe appellaverunt. Comparentibus ergò tam Archiepiscopo quàm Fratribus in Avinione coram Papa Innocentio VI. & Cardinalibus Anno Domini M. CCC. LVII. octava mensis Novembris Richardus Archiepiscopus publicè protulit, legit & pronunciavit earundem propositionum suarum librum primum*; de Scriptor. Ecclesiast. fol. 140, de eventu nil addens. Inter eos, qui acerrimè Ordines Mendicantium oppugnarunt refertur Richardus apud Bellarminum lib. de Monachis cap. 45. §. 1.

XXI. DINOTHUS, ABBAS ANGLICANUS.

Gregorii Papæ Legatus Augustinus, in Concilio Wigorniensi coram Clero, disserebat de Romanæ sedis vetustate & authoritate, de Petri successione, de Pontificis in reliquas Christianas Ecclesias principatu, monebatque, ut Romano more baptizarent, prædicarent ac Pascha celebrarent. Surgebat tunc Dionothus, Bãchorensis Cœnobiarcha, Vir doctrinâ & eloquio celebris, & graviter nec non doctè, *de non approbandâ apud eos Romanorum authoritate* disputabat, *fortiterq; tuebatur* Menevensis Episcopi *in illâ Provinciâ* ratam Jurisdictionem, *librosq; perdoctos scripsit, unum* de conservandis eorum ritibus; *alterum* Defensoriũ Sedis *Menevensis, asserens, non esse tutum aut commodum Britannis ab usitatis in religione ceremoniis recedere, vel Romanorum fastum sustinere, eoq; magis, quod nondum Cambri AngloSaxonibus parebant; in quo omne Augustini institutum & Concilium versabatur, ut Anglis Britannos, & Romanæ Ecclesiæ Anglicanam, suæq; jurisdictioni Menevensem Provinciam subjiceret. Itaque, quæ in cantu, processione, suffragiis, adorationibus, Missis, Templis, Sanctorum nominibus appellandis, & hujusmodi Romanis superstitiosis ceremoniis in eâ Synodo decernere voluit Augustinus, à Britannis, qui in Menevensi Provinciâ, à Saxonibus, & se & religionem tuebantur, rejecta fuerunt,* Ad. num. 67. p. 71.

 sicuti

ſicuti his verbis deſcripſit Johann. Joſſelinus libro de Antiquitate Britannicæ Ec-
cleſiæ, & nominatim de privilegiis Eccleſiæ Cantuarienſis pag. 9. & fuſius in Au-
guſtini vitâ de eo egit pag. 41, 42. ubi ait, valde dolendum eſſe, Anglorum con-
verſionem in illa tempora incidiſſe, in quibus, collapſa Eccleſiæ doctrina atque
diſciplina, multùm ab antiquâ veterique puritate ad ſuperſtitionum errores de-
generaverit.

XXII. RADULFUS DE BORNE, ABBAS S. AU-GUSTINI CANTUARIÆ.

DIſciplinam laxiorem Monachorum aliter ordinare cœperat, dumque nego-
tium agitat, & intra regulas ſeveriores coarctat Monaſterii ſui incolas, op-
pedere quidem auſi non ſunt vivo Abbati Fratres, ſed dum mortalitatem exuiſ-
ſet, exuunt ſtatim obedientiam Monachi, & flammis tradunt leges, quibus ob-
ſtringebantur. De hâc re ita loquitur Wilhelmus Thorne in Chronico cap. 35.
col. 2054. *Anno Domini M. CCC. XXXII. fuerunt quædam Conſtitutiones editæ* ſu-
per reformatione ſtatus Monaſterii *per Dominum Radulphum Abbatem, anno ſui re-
giminis XXII. & inſertæ in Martyrologio, ut ab omnibus legerentur; ſed mortuo Abbate
ſcilicet anno ſecundo ſequenti, priusquam corpus ejus ſepulturæ traderetur, per quorun-
dam & præſidentis Capituli præceptum avulſæ fuerunt de Martyrologio & igni combu-
ſtæ propter illarum indebitas arctationes.* Inſignis hic fuit fervor animi, qui Mona-
chorum manſuetudinem decuerat. Si leges fuiſſent ab Abbate latæ contra
bonos mores, habuiſſent, quæ conquererentur coram Epiſcopis; ſed dum ſub-
mittunt ſe, non facilè eſt dicere, quia hiſtoricus tacet, quo titulo & obtentu ſeſe
exuerint legibus poſt mortem Abbatis.

XXIII. RADULFUS DE DICETO, DECANUS LONDINENSIS.

DUm uxoratos Sacerdotes Gregorius VII. ab officio removet, Laicosque
prohibet Miſſas conjugatorum audire, confuſio magna contigit in Eccleſiâ,
de quâ Radulfus Diceti notanda verba: *Gregorius Papa celebratâ Synodo uxora-
tos Sacerdotes à divino removit officio, & Laicis Miſſam eorum audire interdixit; no-
vo exemplo, &, ut multis viſum eſt, inconſiderato præjudicio contra Sanctorum Patrum
ſententiam. Ex quâ re* tam grave *oritur* ſcandalum, *ut nullius hæreſis tempore ſan-
cta Eccleſia graviori ſchiſmate diſciſſa ſit, his pro juſtitiâ, illis contra juſtitiam agenti-
bus. Porrò* continentiam *paucis tenentibus, aliquibus eam modo cauſâ quæſtûs ac ja-
ctantiæ ſimulantibus; multis incontinentiam perjurio, aut multipliciori adulterio cu-
mulantibus; ad hæc, hâc opportunitate Laicis inſurgentibus contra ſacros Ordines, & ſe
ab omni Eccleſiaſtica ſubjectione excutientibus.* Laici *ſacra myſteria temerant, & de
his diſputant, infantes baptizant, ſordido humore aurium pro ſacro oleo & chriſmate u-
tente*

tentes, in extremo vitæ viaticum Dominicum & usitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ à Presbyteris conjugatis accipere parvi pendunt, decimas Presbyteris deputatas igni cremant, &, ut in uno cætera perpendas, Laici corpus Domini à Presbyteris conjugatis consecratum sæpe pedibus conculcaverunt, & sanguinem Domini voluntariè effuderunt, Hæc ille in Abbreviationibus Chronicorum à Tvvysdeno editis ad Annum 1074. col. 486.

XXIV. PETRVS BLESENSIS, ARCHIDIACONVS.

Bathoniæ sub Henrico II. fuit Archidiaconus, de quo est elogium Joh. Tritenheimii libro de Script. Eccles. fol. 90. *Petrus Blesensis, Archidiaconus Bathonensis, Vir in divinis Scripturis studiosus & eruditus, atque in secularibus literis egregiè doctus, ingenio acutus & vehemens, qui* vitia Principum & Prælatorum non palpare, sed arguere *noverat, propter eruditionem & vitæ honestatem apud Reges, Principes & Episcopos in precio habitus. Claruit sub Friderico I. Anno Dom. M.C.LX.* Vocat Petrum hunc Blesensem Wilh. Thorne Chron. col. 1821. *veritatis & justæ justitiæ æmulum.* Extat Blesensis istius Epistola de Instructione Presbyterorum manu scripta in Codice S. Marci Bibliothecæ Butisbacinæ, è quo hæc producimus: *Video hodie, quod & flens dico, innumeros illiteratos, aut potius idiotas, & nihilominus carnaliter conversantes, usurpare tanti officii gradum, ita quod Sacramenti dignitas ex indignâ numerositate vilescit, & evenit, quod Oseas Propheta conquerendo deplorat & dicit:* Multiplicavit populus Altaria ad peccandum; factæ sunt eis Aræ in delictum. *Qui debuerant esse Vicarii Apostolorum & Filii Petri, facti sunt socii Judæ & præambuli Antichristi. Joseph corpus Domini piis manibus bajulavit. Iste* (Sacerdos) *verò pollutis manibus, & quibus paulò antè Scorti pudenda tractavit, salutem hominum tangit, & recipit ore, quo paulò antè basia meretrici fœda impresserat. In ore adhuc potu hesterno fœtente & interiora Ventris, adhuc præcedente crapulâ æstuante, demergit eum, quem Angeli prospicere concupiscunt, quem prospiciendo delectationes æternas accipiunt.* De hac etiam Sacerdotum spurcâ tractatione Sacrorum conqueritur Trithemius in Institutione Vitæ Sacerdotalis cap. 2. A. 7. a. De Officialibus Episcoporum eorumque rapinis, corruptelis & concussionibus ex Blesensi agit Dorscheus Dissert. de Autor. Eccles. consid. 6. p. 53. 54. *Ad num. 212. p. 582.*

XXV. THOMAS BRADWARDINVS.

Anglorum sui seculi doctissimus Volumen inscripsit de Peccato Originis & Libero Arbitrio, acerrimè in eo accusans plerosque omnes Sententiarios Pelagianismi, & contrà eos Gratiam asserit. Ex Vossii Historiâ Pelagianâ lib. 1. c. 26. pag. 72. hîc subjicimus Excerptum *Hujus* (Bradvvardini) *Opus* (de quo Georgii Cassandri verba antea recitaverat:) *insigne vidi Romæ in Bibliothecâ Vati-* *Ad nu. 199. p. 551.*

cana

ciana, cui titulus erat, Summa Doctoris Profundi Thomæ Bradvvardini, de causis Dei contra Pelagianos, & de Virtute Dei, causâ causarum. *Quod tamen opus in Galliis exstare non dubium est, cum Gerson Parisiensis Cancellarius, nonnullis in locis ad Summam Bradvvardini tanquam ad notum & publicum authorem remittat. Eundem non uno in loco testem adhibet Gregorius Ariminensis.* Editus nunc extat Liber, sub titulo de causâ Dei contra Pelagium, Londini A. 1618. Utitur testimonio hujus Bradvvardini Johan. Gerson Epistolâ ad quendam Episcopum, quæ extat Tom. IV. Operum N. 7. b. & de eo scribit Henricus de Knyghthon: *Magister Thomas de Bradvvardyn erat famosus præ cæteris Clericis totius Christianitatis, in Theologiâ præcipuè, similiter & in scientiis liberalibus*; 4. de Event. Angl. col. 2600. Vitam Th. Bradvvardini describit Josselinus in Historiâ Archiepisc. Cantuar. c. 54. p. 242, 243. ubi ei tribuit disertissimam ac sanctissimam facundiam, & in fine ait, *unum magnum opus* scripsisse *de causa Dei contra Pelagium*, librumque adhuc extare.

XXVI. WALO BRITANNVS.

CArmen satyricum in Monachos scripsit, quod adjecit Christianus Daumius Bernardi Geystensis Rhythmis. Id verò & hic damus,

Sacrilegis Monachis, emptoribus Ecclesiarum,
Composui Satyram, carmen per secula clarum;
Quam quia vir magnus corroborat Hugo Diensis,
Noster amicus eam legat Otto Suessionensis.
Ordo Monasticus Ecclesiasticus esse solebat,
Pura cibaria dum per agrestia rura colebat,
Nulla pecunia, nulla negotia præpediebant;
Sobria copia, parva colonia sufficiebant.
Pro venialibus & capitalibus invigilabant,
Tam venialia, quàm capitalia nostra piabant;
Sed miserabilis & lachrymabilis est sibi factus,
Post venialia, sub capitalia damna redactus,
Ordo Monasticus Ecclesiasticus *est violenter,*
Ecclesiastica comparat omnia dona patenter,
Ordo monasticus Ecclesiasticus *est sine sensu.*
Æstimat omnia Spiritualia divite censu.
Ordo Monasticus Ecclesiasticus est sine causa,
Clamat ad ostia Spiritualia jam sibi clausa.
Ordo Monasticus Ecclesiasticus *est sine fructu,*
Intrat ovilia, desuper ostia non sine luctu.
Ordo Monasticus Ecclesiasticus *unde vocatur,*
Quando rapacibus atq; tenacibus assimulatur?
Terra, pecunia, templa, palatia magna parantur.

Und

Unde superbia, quid per inania ludificantur.
Lucifer extulit, & Deus expulit; & cruciatur.
Sed duo crimina *per sua nomina nolo notare,*
Quæ sapientia vel reverentia nescit amare;
Dicere planius est inhonestius, ultro patebit,
Ultrò quis audiet, ultrò subaudiet, ultrò docebit,
Sed Dominus meus omnipotens, Deus omnicreator
Insipientibus & sapientibus auxiliator,
Hæc prius auferat, & bona conferat, ut mereantur
Spiritualia quærere pascua, ne moriantur.

Satyricos istos versus Flacius anno 1557. cum aliis ejusdem generis Poetis, qui corruptum Ecclesiæ Statum descripserunt, edi curavit, nuncque primus nomen addidit, cùm Flacius nesciret Autorem, Daumius à Baleo edoctus, qui quendam *Gvalonem* sive *Walonem* recensuit scriptorem, è Cambriâ natum annoque 1170. clarum, qui in Monachos avaros scripserit. Eum Gualonem laudat Joannes Saresburiensis in Polycratico.

XXVII. THOMAS WALLEIS SIVE GVALENSIS.

THomas ille Anglicus vir suæ ætatis doctissimus fuit, qui etiam autor est illorum librorum, quos hactenus falsò attribuerunt Thomæ Angelico. Is tanti fuit animi, ut in quæstione quâdam controversâ *de Animabus separatis*, non tam Pontifici Johanni XXII. quàm omnibus Cardinalibus contradiceret. Id verbis Wilhelmi Thorne, Monachi Cantuariensis, explicandum est. *Temporibus, quibus* Thomas Poncy *stetit in Curiâ Romanâ, erat quædam quæstio ibi agitata* inter Papam Johannem XXII. & quendam Fratrem de Ordine Prædicatorum, *nomine* Thomam Waleis, & *est quæstio*: Utrum Animæ beatorum videbunt Deum facie ad faciem ante diem judicii. *Dominus Papa & omnes curiæ Cardinales, uno duntaxat excepto, qui successit ei sine medio in Episcopatum Romanorum, tenebat partem negativam quæstionis. Frater autem* Thomas waleis, *& pauci cum eo, partem ejus affirmativam, & pro hujusmodi quæstionis decisione, tota Curia diutius erat fatigata & perturbata, quia multi Doctores eximii Papalem offensam metuentes, & negotia rerum suarum promovere celeriter affectantes, conscientia sua læsa intentum Papæ approbabant, & illud tam legendo, quam scribendo consenserunt. Et contigit, ut in ista turbata fluctuatione* Thomas Poncy, *Doctor Theologicus & profundus, ad eandem Curiam causa suæ electionis* (ad Abbatiam) *prosequendæ accederet; & statim in isto negotio cum cæteris jussus est conferre, & intentum suum in hujusmodi quæstionis solutione in Consistorio palam divulgare. Illo verò se excusante, tum quia non habuit copiam librorum, tum quia venerat non ad quæstiones terminandas, quia habebat unum aliud expediendum, quod erat sibi magis necessarium, & quia in tam remotis partibus*

bus positus non potuit sine magnarum expensarum incommodis longam ibidem facere moram; tamen, istis rationibus non obstantibus, negabatur sibi recessus de Curiâ, antequam suam conscientiam in illo proposito liberaret; & ex abundanti de libraria Domini Papæ fuerunt sibi Codicelli exhibiti sufficienter & ministrati. At ille habitâ aliquali deliberatione malens ad tempus indignationem summi Pontificis sustinere, & expeditionem suam parumper sinistrare, quam contra fidem Catholicam & suam conscientiam scienter publicè proferre, opinionem dicti Thomæ fratris fore tenendam opinavit, & eam tam legendo, quàm etiam scribendo approbavit. Tandem eodem Papa in extremis laborante misit in omnes fines terræ Nuntios, suam erroneam opinionem revocando, Quæ revocatio *Thomæ Abbati prænotato ad magnam cessit laudem & honorem.* Hæc Monachus Thorne in Chronicis col.2067. De eo Gualensi scribit Eisengreyn in catalogo Testium Veritatis p.154. fuisse sacræ paginæ Doctorem Oxoniensem, doctrinâ & eloquentiâ virum clarum, maximè verò doctum & eruditum in sacrarum literarum studiis. *Vir in divinis scripturis eruditus & multùm studiosus, atque in secularibus literis, maximè in Philosophia Scholastica nobiliter doctus, ingenio subtilis & clarus eloquio; sermonum quoque declamator egregius, & in scholasticis lectionibus disputator acutus*; Scribente Trithemio de Script. Ecclesiasticis fol.148.

XXVIII. ALEXANDER CARPENTARIUS, ANGLUS.

SCripsit *Destructorium Vitiorum* contra errores & vitia Cleri, suique ævi Monachos, in quo inter alia scribit: *Ecclesiam pessimi regunt, Non sic Deus fecit, cùm proprio Filio Ecclesiam suam commisit; nam bonum Patremfamiliâs præficere canẽ vigilantem Ovibus suis constat. Cur igitur in* temporalibus *tantum studii adhibemus, & curam Ecclesiæ Christi, & animarũ parvi facimus? Cur flagitiosis & nepotulis aliquot millia animarum concedimus, quibus viginti pyra tutò committere non possumus? Magnis insident equis, & tales pro nihilo videntur pedes habere. Cur non capiunt exemplum Christi, qui nunquam legitur equitasse, sed semel tantùm asinasse, & tunc ivisse ad mortem suam; in signum, quod multi equitando tendunt ad mortem æternam.* Invehit porrò in Cleros, tanquam Antichristos execrabiles, iniquos operarios, seductores, fures, mendaces, raptores, oppressores & tyrannos maledictos. Liber editus est A.D.1496. ab Antonio Coburgero Norinbergæ. Ut Carpentarius struxit, tanquam Faber, *Destructorium Vitiorum*; sic Franciscus de Reza, qui primus in Universitate Viennensi insignia magistralia Theologicæ Facultatis accepit, *Comestorium Vitiorum* comportavit, prout notatum reliquit Frater Felix Fabri 1. Histor. Suevic. 15 p.169.

XXIX. MATTHÆUS PARISIENSIS, MONACHUS ALBANENSIS.

Ad num. 316. p 766 EMinet inter Scriptores Anglicanos veteres Matthæus Paris, seu, ut alii vocant,

cant, Parisiensis, Monachus Westmonasteriensis, sive S. Albani, qui pro captu illius temporis scripsit eruditè, & magnâ cum libertate. Qualis fuerit Ecclesiæ Gallicanæ Status, & quemadmodum illa à Curiâ Romanâ fuerit vexata, ingenuè edisserit, facitque operæ pretium Flacius, quod tam diligenter ea conquisivit testimonia. Cardinalis Bellarminus in eleganti suo libello de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 249, illum Matthiam Parisiensem commendat, & non dubitat profiteri ex uno illo peti posse historiam Concilii Lugdunensis, quod seculo XIII. contra Fridericum II. Imperatorem fuerat celebratum. In rerum Ecclesiasticarum contemplatione curiosus multa nobis revelavit, quæ alibi frustra requiras. Ex Matthiæ Paris Historiâ Anglicâ copiosus est Wolfius Cent. 14. pag. 649. usque ad p. 719.

XXX. SYLVESTER GIRALDUS, CAMBRENSIS.

VIXit sub Henrico, Angliæ Rege, à quo unà cum Filio Johanne missus fuerat in Hyberniam, cujus regionis situm, naturam, mores gentis, statum religionis peculiari libro descripsit, tribus partibus constanti, & vulgò vocatur *Topographia Hyberniæ*, sive *de mirabilibus Hyberniæ*, quem docta præfatione ornavit. Inter negotia & multos labores, quibus constitit ea Descriptio, non præteriit annotare Cleri mores, quà laudabiles, quà reprehensibiles. In Episcopis verò & Prælatis hoc præcipuè reprehensione dignum invenit, *quod in populi tam enormiter delinquentis correctione desides nimis sint & negligentes* part. 3. c. 28. p. 745. Sed incipiamus ab iis quæ cap. 27. de luxu Cleri, postquam jejunio diem compleverant, scribit: *Utinam post longa jejunia tam sobrii fuerint, quàm seri; tam veri, quàm severi; tam puri, quàm duri, tam existentes, quàm apparentes. Inter tot millia vix unum invenies, qui post jugem tam jejuniorum, quàm orationum instantiam, vino variisq; potionibus diurnos labores enormius quàm deceret, noctu non redimat. Diem itaq; naturalem, tanquam ex æquo dividentes, lucidaq; Spiritui tempora, nocturna quoq; carni dedicantes, sicut de luce lucis operibus indulgent, sic & in tenebris ad tenebrarum opera convertuntur.* De Prælatorum negligentiâ scribit cap. 28. *Quod nec prædicant, nec corripiunt, hinc ipsos prædico corripiendos; quod non arguant, hinc arguo; quod reprehendere negligunt, hinc reprehendo. Si* Prælati *à tempore Patritii per tot annorum curricula prædicationi & instructioni; item increpationi & correptioni pro officii debito viriliter institissent, & prænotatas gentis enormitates aliquatenus extirpassent, aliquam proculdubio in eis formam honestatis & religionis impressissent; sed non fuit in ipsis, qui, tanquam tubam, exaltaret vocem; non fuit, qui ex adverso ascenderet, & murum pro domo Israel se opponeret; non fuit, qui usq; ad exilium, nedum usq; ad sanguinem pro Ecclesiâ Christi dimicaret, quam ipse sibi suo precioso sanguine acquisivit. Sunt* Pastores,

qui

qui non pascere quærunt, sed pasci; *sunt* Prælati, *qui non prodesse cupiunt, sed præesse.* *Sunt* Episcopi, *qui non omen, sed nomen; non onus, sed honorem amplectuntur.* Capite XXIX. pag. 746. *Quæ* Clerici *vel* Prælati *sunt, ferè prætermittunt universa; sui enim tantùm curam agentes, & tanquam sibi solliciti. Pro grege sibi commisso sollicituri negligenter omittunt, vel postponunt.* Inter maxima elogia Henrici II. illud inprimis laudandum, quod Ecclesiæ Christi *tranquillitatem & pacem* egregiè comparaverit cap. 47. pag. 751. beneficioque hujus Regis *multimoda malorum genera*, quæ à multis retrò temporibus in Hyberniâ emerserant, *ipsius potentiâ & munere* in desuetudinem abiêre, teste eodem lib. 1. de Hiberniâ expugnatâ cap. 34. p. 777.

XXXI. GUILELMUS OCCAM.

Ad nu. 279. p. 719. GUilelmus Occam, Anglus, Imperatorem Ludovicum contra Tyrannidem Papæ defendit, scripsitque Dialogos contra Johannem XXII. Papam; sed præmium reportavit, quod Romanenses Veritatis assertoribus rependere solet, ut à Pontifice excommunicaretur. De Guilelmo hoc Aventinus diversa retulit libro septimo, cujus verba quædam recensebimus. *VVilhelmum Occomensem* scribit p. 609. *Franciscanum Theologum præstantissimum, atq; Dialecticum suæ tempestatis acutissimum, duos Collegas ejus*, Bonam Gratiam Bergomensem, & Michaelem Cœsonatem, *Franciscanorum primarium, sacrarum literarum, utriusque Juris Professores, cum sacris Antonii Patavini Monachium ad Ludovicum* (Imp.) *venisse reperio. VVilhelmus is, Angliâ ortus, sectam recentiorum Peripateticorum, ab omnibus Academiis ferè explosam instauravit. Ad Ludovicum dixisse ferunt: Tu nos pugnis, ense, ferro, armis à servitute asserc; nos te linguâ, calamo, literis, stylo, libris, verbis vindicabimus.* Diversorum sub Ludovico IV. clarissimorum virorum nomina recensens, quorum nemo Papæ Johannis vitia voluit excusare, eorum libertatem loquendi his commendavit verbis: *Illi omnes certatim diserti in Rom. Pontific. invecti sunt; ratiocinationes, captiones ejusdem confutant, argumenta diluunt, testimonio divini humaniq; juris probant, Joannem libidine dominandi insanire, in Christi plebem grassari; Pontificem Rom ut infimum Christianorum, siquidem id, quod cupit, esse vult; quemadmodum Christus, Petrus atque Paulus fuêre, Imperatori subjiciunt; tantum absfuit, ut ejus Bullas Actaq; tuerentur.* Qui servus servorum *est*, inquiunt, *nemini dominari debet, recumbentibus ministret, amet, pascat, cœlo habitet, spretis honore, divinis, potentiâ Christum, cujus se Vicarium mentitur, æmuletur; vestigia Pauli sequatur.* In paginâ 623. Wilhelmum Occomensem nominat Franciscanorum primarium Sacerdotem, acerrimum Dialecticum, Philosophum Theologumque acutiorem, quàm ea ætas tulerit. De Clementis VI. irâ in Wilhelmum, & mandatis ad Ludovicum IV. perlatis p. 627. *Mandatorum hæc summa fuit, Cæsar* Wilhelmum Oc-

co

comensem *Hæresiarcham*, *ejus Collegas & socios Pontifici max. dederet*; *Decreta adversus* Vicesimum secundum, *Vicarium Christi*, *retractaret*, *acta rescinderet*, *opprobria recantaret*, *edicto perpetuo publice sanciret*, Imperium *beneficium esse primarii Sacerdotis*, *nec ante Cæsarem esse*, *aut vocari*, *quàm ille author fieret*. Hæc ubi ad Imperatorem delata essent, Francofurti fit Decretum, *hujusmodi postulata* esse *prava*, *inepta*, *antiquata*, *argutiora deniq; quàm simplicitati Christianæ atq; Majestati Reipublicæ conveniret*. Irritatior etiam hinc factus Occam Clementem *hæreseos notâ* inurit, ipsum *AntiChristum*, *paupertatis Christianæ osorem*, *hostem Reipublicæ conjuratum Celticorum Tyrannorum*, *Germanorum gentis Christianissimæ inimicum*, *sectatorem Clementis V. Joannis vicesimi secundi*, *falsorum Pontificum & sævissimorum luporum* appellat pag. 628. Libellum quoque edidisse notat, in quo *Papam* atque *Imperatorem Romanum* diversis functionibus distare probaverit; hunc *terræ dominari*; illum *dispensare spiritualia*; illius munia, *amare oves*, *pascere gregem*, *crucem egeni & mendici Christi ferre*; hujus *imperare*, *strictum ensem gustare*, *belligerari* asseruerat. Docuerat Imperium nequaquam *Sacerdotis*, sed *Dei opt. max. beneficium* esse. Cæsarem continuò esse & vocari, posteaquam à Septemviris electus sit. Ad Cæsarem *Regna*, *Imperia*, *Divitias*, *Bella*, *hujus seculi potentiam* spectare. Sacerdotem Romanum nihil horum contingere ac procurare debere, nisi *AntiChristus* esse velit. *Alium* quoque librum Occam edidit, cui *Vindex Pacis Christianæ* titulus. *Ibi*, quod ait *Aventinus* p. 629, *sacræ historiæ testimoniis arguunt* Rom. Pontificem, *nisi Antichristi* fastum, *quam* Christi & ejus comitum paupertatem *æmulari malit*, *infimi cujusque Christiani*, *nedum supremæ potestatu servum esse*; *tantum abesse*, *ut cum maximâ Reip. Christianæ jacturâ dominari*, *quicquid lubitum fuerit*, *factitare*; *Deus non solùm dici*, *sed credi postulet*. *Autor* omninò nullus æquè in ore hominum versabatur tempore Ludovici IV. atque Ockhamus, à quo copiosè actum est de Jurisdictione & potestate *Ecclesi*asticâ; dumque in Disputatione compendiosâ *de Potestate*, *Prælatis Ecclesiæ atque Principibus terrarum commissa* agit, Petrum, ait, fuisse constitutum *Vicarium Christi pro statu humilitatis* non pro *statu gloriæ & majestatis*; factum enim fuisse Vicarium *ad ea imitanda*, *quæ Christus egerit humilis in terrâ*, *quia illa nobis sint necessaria*; Christum autem in statu humilitatis jurisdictionem aut potestatem apud homines coactivam aut judiciariam sibi non solùm non tribuisse ullam, sed & omnigenam rejecisse, prout extat in eo libro, integrè edito à Goldasto, Tom. I. Monarchiæ S. R. Imperii p. 13. 14. Quæ eadem docuit Philotheus *Achillinus* in Somnio Viridarii lib. 1. c. 12. p. 63. 64. apud eundem Goldastum.

tant his verbis apud Knygthonū de Eventibus *Angliæ* col.2648.& 2707. I. *Quod Papa modernus Urbanus VI, non gerit vices B. Petri in terris, sed est* filius *Antichristi, nec erat verus Papa à tempore S. Sylvestri.* 2. *Quod post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub propriis legibus.* 3. *Quod Papa non potest concedere aliquas* Indulgentias, *nec Episcopi quicunque, & quod omnes confidentes in hujusmodi Indulgentiis sunt maledicti.* 4. *Quod Papa non potest condere* Canones Decretales *seu* Constitutiones, *& si quos condiderit, nullus tenetur eos observare.* 5. *Quod non tenet, neque ligat* excommunicatio Papæ *vel Episcopi.* Propositiones seu Conclusiones *XIX*, quas VViclefus publicè per *Angliam* prædicârit atque proposuerit, affert Thomas Walsingham in Histor. *Angl.* p.204. 205. unde concitatus Papa Romanus diversas Bullas ad Regem *Angliæ*, ad Archiepiscopum Cantuariensem & Episcopum Londoniensem, ad Cancellarium & Universitatem Oxoniensem, ne Johanni Wiclefo vel faverent, vel adhærerent, emisit, quas idem Walsingham totas attulit p.201 202.203.204. Eo nomine persecutiones exiliumque passus Wiclefus in Bohemiam usque iverat. Anno post mortem quadragesimo primo in corpus sævitum fuit, quod Senensis Concilii mandato exhumatum & exustum fuit, notante Camdeno Britann. p.399. Qui Wicliffiana dogmata amplectebantur, per contemtum *Lollardi*, dicebantur; non quidem *à lolio*, ut quidam voluerunt, sed à Gualtero quodam Lolhard Lollardos vocat Henr. Knyghton 5. de Eventibus Angliæ col.2646.2662.2663. & de iisdem Thomas Walsingham Hist. Anglic. de Richardo II. pag.339. *Lollardi sequaces Johannis VViclif per idem tempus in errorem suum plurimos seduxerunt, & tantam præsumserunt audaciam, ut eorum Presbyteri more Pontificum novos crearent Presbyteros, asserentes, quemlibet Sacerdotem tantam consecutum potestatem ligandi atque solvendi, & cætera Ecclesiastica ministrandi, quantam ipse Papa dat vel dare potest; & qui taliter ordinati sunt ab hæreticis, sibi cuncta licere putantes, Missas celebrare, divina tractare, & Sacramenta conferre minimè timuerunt.* Lollardorum nomine utitur in Histor. Henrici IV pag.379. Inter sectatores Wiclefi commemorantur *Willielmus de Svvindurby & Willielmus Smyth* ab Henrico de Knygthon 5.de *Event.* Angliæ col.2666. cujus verba: *Secta illa Wyclyf in maximo honore illis diebus habebatur, & in tantum multiplicata fuit, quod vix duos videres in via, quin alter eorum discipulus Wyclyffi fuerit. VVillielmus de Svvindurby direxit sermonem contra libertates Ecclesiæ, & contra Ecclesiasticas personas, & innitebatur, quantum potuit, vel imaginare potuit, viros Ecclesiæ & eorum famam denigrare, asserens eos impudicè vivere, &* bona *Ecclesiæ* malè sumere, & pejus expendere; *& frequenter prædicabat, sicut & cæteri de secta sua faciebant, quod Parochiani non tenentur dare Decimas suas & oblationes suis Curatis, si castè non viverent cum aliis moribus compositis, sicut decet Dei Sacerdotes,*

ac

ac etiam, si in Parochia moram non trahant, & ibi bona Ecclesiæ expendant, ubi ea assumunt. Similiter si insufficientes essent in scientiâ, vel lingua impeditiores, quod prædicarent, vel Parochianos competenter docere non possent, sed possent Parochiani decimas & oblationes retinere, & quibuscunque ad libitum dare. Docebant enim cæteri discipuli VVyclyf, quòd decimæ sunt meræ eleemosynæ, & ideo possent dare eleemosynam, cuicunque vellent; & si non subtraxerint decimas ab hujusmodi malè viventibus, etiam fautores criminis essent, & consentientes eorum malis operibus. Damnum haud mediocre inferebant VViclefitæ Sacerdotio Papali, habebatque ad eos refugium plebs, impatiens jugi Pontificii; *isti enim VVyclyviani*, quod scribit idem col. 2665. *sectam suam maximè commendabilē publicant, & omnem populum ubilibet, tam virorum quàm mulierum, adhortabantur ad eam, doctrinasque & prædicationes cæterorum omniū ut respuerent, incitabant, nec prædicationibus* Fratrum Mēdicantium, *quos* falsos prædicatores *nominabant, quoquo modo interessent, tam publicè quàm occultè ferventi studio indesinenter edocebant, semper eis insidiantes,* falsos fratres *vocantes, seipsos* veros Prædicatores & Evangelicos, *eò quòd* Evangelium in Anglicam linguam *habebant* translatum, *vociferabant. Et sic per publicam detractionem & invidiosam reprehensionem seipsos commendabant hominibus, licet non Deo, &* Fratrum Mēdicantium statum *in multis maximè denigrabant; nam* Fratres *per istorum doctrinam & exhortationem illis diebus exosi multis habebantur, &* Wyclyviani *ex eo audaciores inde effecti innitebantur avertere magis animos populorum ab eis, & ipsos impedire, ne prædicarent, & ne mendicarent, asserentes tam dantes quam accipientes esse excommunicatos; sed eos debere manuum labore, more Apostoli Pauli victum & vestitum adquirere.* Plebs *ista inepta & reproba adeò callida erat & perniciosa, adeò perfida & ærumnosa, adeò retrograda & spurcitiosa, quod si ejus conditiones describi deberent, vel fortè posset scribere adesse mens, tamen satisfacere voluntati, nec excogitare ad plenum sufficeret.* Quomodo plebi gratum se fecerit Wilhelmus Svvyndurby, per hæc verba notat col. 2667. *Quam plura erronea prædicans & hæretica affabilitatem Vulgi captavit, & eorum familiaritatem sibi adquisivit in tantum, ut dicerent, nunquam vidisse aut audisse talem, qui veritatem eis exponeret, & sic colebatur ab eis, ut alter Deus.* Ob populum frequentem Johannes Bukkyngsam in potestatem suam redigere non poterat Willielmum, qui prohibitus, ne concionaretur, dixerat, *se posse & velle in strata regia invitis dentibus Episcopi prædicare, dum tamen benevolentiam populi obtineret.* Vires autem populi non infringi poterant; *tunc enim populorum turbæ ex omni parte, tam de villâ, quàm de patriâ, copiosius solitò, quasi in duplo, ad ejus prædicationem ruere post talem inhibitionem & sententiæ excommunicationis fulminationem, quàm ante solebant.* Quis exitus fuerit, & quomodo ad palinodiam coactus fuerit, legi ibidem poterit. In Bibliothecâ Bodlejanâ, cuius Catalogum edidit Th. Jamesius,

J. VViclefi ſcripta extant,typis inedita, Expoſitio in Epiſtolas & Evangelia; De veritate Scripturæ; De decem mandatis; De ſeptem peccatis, infeſtis Ecclesiæ Chriſti; De ruinis Eccleſiæ; de Eccleſia & membris ejus; De Vitâ Sacerdotum; Confeſſio de Sacramento Altaris; De Regula Franciſci, Contra Fratres Minores. Comment. in Pſalmos & Cantica, Determinatio de Dominio contra unum Monachum; De Schiſmate.

XXXIII. NICOLAUS DE HEREFORDE, ANGLUS.

Ad num. 281. p. 726

INter Diſcipulos J. VViclefi recenſetur Nic. Herforde, cujus vitam, fortunam & opiniones recenſuit Henr. de Knygthon, lib. 5. de Eventibus Angliæ col. 2657. Prædicavit & frequenter aſſeruit, *quod populus fuerit deceptus iſtis ducentis annis, poſtquā iſtæ novæ ſectæ intraverunt per falſos prædicatores adulatores, Antichriſti diſcipulos*, Frequenter dixit in ſuis prædicationibus, quod Prædicatores nitantur falſificare S. Scripturam. Prædicavit contra Monachos mendicantes, quum nunquam Chriſtus mandaverit mendicare, nec expreſſerit in S. Scripturâ, ut homo relinqueret omnia ſua temporalia, nihil ſibi retinendo. Prædicabat Denarium Confeſſionum eſſe maledictum, & tam conferentem quàm recipientem excommunicatum. Alia ibidem conſulenda, quemadmodum etiam, quid *Johannes de Aſton* & Johannes Purneye, quorum etiam meminit Flacius, publicè propoſuerint, Col. 2659. 2660. 2661.

CLASSIS

CLASSIS VI. POLONICORUM TESTIUM.

I. CASIMIRUS III. REX POLONIÆ.

NOn Regnum fuit, non Imperium, ubi non Pontifices Romani crassæ suæ affectatæque potestatis uncos injecerint, resque, Regum ope & inspectione indigentes, sibi non asscripserint. Architectari volebat Pontifex omnipotentiæ suæ Papalis ædes in Poloniâ, sed restitit anno 1460. Casimirus III. Rex Poloniæ, cùm enim Papa vellet pro arbitrio Episcopatus distribuere, & per Legatum Hieronymum, Cretensem Archiepiscopum, eo nomine ageret, Rex in colloquio exasperatus dicebat: *Malle se Regno excidere, quàm aliquem pati se invito fieri Episcopum.* Legatus contrà asperior vociferari cæpit, præstare, ut *tria Regna* pereant, quàm ut *jus & autoritas Pontificis perturbetur, aut* imminuatur. Testis est Cromerus lib. 25. Chronic. Polon. p. 566. & suffragatur Sarnicus in Annal. Pol. lib. 7. p. 366. conqueriturque multa lamentabundus Cromerus de Polonorum Regibus, qui nuncupandorum Episcoporum jus sacris Collegiis ereptum sibi vindicabant, culpâ simul in summum Pontificem rejectâ pag. 568. 569. *Magna*, inquit, *ne dicam præcipua hujus rei culpa est penes Pontifices maximos, meâ quidem sententia, qui nisi electiones Collegiorum primi labefactare aggressi essent, nunquàm eò audaciæ Reges profecti essent.* Electione liberâ sublatâ Episcoporum dignitatem imminutam & autoritatem, vitamque in pejus prolapsam affirmat.

II. NOBILITAS POLONIÆ MAJORIS.

CUm de salute suâ viderent se periclitari Proceres Poloniæ majoris ob subtractionem Calicis Domini in S. Cænâ, cùm in eo sit firmissimum salutis nostræ præsidium, pro omnibus excubias agentes, Clericis tùm altè indormientibus, vindicare à corruptelis S. Cœnam laudabili Zelo instituerunt, atque Posnaniæ 1500. congregati juxta Parochiale Templum vehementer urserunt *restitutionem Calicis in Cœnâ Domini* à Sacerdotibus, ut omnibus

mnibus ſub utrâque ſpecie Euchariſtia præberetur. Graviſſimæ impulerunt eos cauſæ ad hanc flagitandam partem neceſſariam SS. Cænæ, nam cum bene rem apud ſe examinaſſent, proceſſerunt in medium, allegantes *Inſtitutionem Chriſti*, *morem primitivæ Ecleſiæ*, *exemplum Bohemorum*; Sed Epiſcopus Poſnanienſis, in ſpeciem propoſitum eorum laudans, ſpem dedit ſe id à Pontifice facilè impetraturum, ſed operam non comprobavit, prout id ex Simeonis Theophili Turnovii Speculo Religionis Chriſtianæ retulit *Adr.* Regenvolſcius I. Hiſtor. Eccleſ. Sclavon. 13. p. 73. Si redimus in anteriora tempora, perſecutionibus exponebantur Sacerdotes, qui adminiſtrabant Cœnam Domini ſub utrâque ſpecie; teſtaturque *Andreas* Fricius Adamum, quendam Presbyterum, exuſtum fuiſſe, quod ſpeciem utramque Sacramenti Laicis dederit, lib. de Republica emendandâ pag. 599. Anno 1448. Legato Pontificis Eugenii, Cracoviam ingredienti, *A*cademia nullum exhibebat honorem, adhærens Concilio Baſileenſi, quod decreverat, Concilium eſſe ſupra Papam, non Papam ſupra Concilium; teſte Sarnico Annal. Polon. lib. 7. p. 356.

CLASSIS VII.
SVECICORVM TESTIUM.

I. S. BRIGITTA VEL BIRGITTA.

Ad nu 324. p. 773. DE Prophetiis Novi Teſtamenti agens Johannes, Epiſcopus Chiemenſis, Onere Eccleſiæ cap. 2. fol 7. ſcribit: *Fœminæ ſanctæ de tempeſtatibus hoc tempore imminentibus prophetarunt*; *notanter* Catharina de Senis; *copioſiùs* Brigitta de Suecia, *Ante eas circa A. D.* 1170. *claruit* Hildegardis, *Sanctimonialis Monaſterii S. Rudberti Ordinis Ciſtertienſis, quod ſitum eſt apud Pingiam in Brabantiâ, quæ multa, Deo inſpirante, de futuris Eccleſiæ plagis revelavit; cujus ſcripta in Treverenſi Concilio per Papam Eugenium approbata ſunt.* Deinde cap. 3. fol. 8. *Brigittæ Revelationes divinorum eloquiorum, ſimilitudinem & imitationem ſacrarum Scripturarum præ ſe ferunt, humanæque rationi & prudentiæ conveniunt; Suadent enim pœnitentiam & vitæ emendationem, ac futura docent præcavere pericula, quæ eidem revelata ſunt gratia utilitatis Chriſtianæ Reipublicæ; Ipſius namque Revelationes mores hominum & divinum cultum potiſſimè*

tissimè concernunt. Non refert, quod sint insulsæ & minus elegantes, *rudique stylo prolatæ, ex conditione sc. illiteratæ & vetulæ fœminæ; hoc easdem revelationes potius confirmat qvàm infirmat; meliores enim sunt sermones veri quàm diserti; nam si Revelationes falsæ, aut fictæ, aut aliàs ex Dæmone essent, proculdubiò tersis verbis venustiorique elegantiâ editæ fuissent, quemadmodum mendacia & figmenta poetico stilo & superbâ disertatione proferri consueverunt, qvò avidius legantur, atque faciliùs credantur; Dæmones enim, qui mala suadent, & vitia docent, per mundanam eloquentiam lucem veritatis obumbrare satagunt.* Postea cum §. 3. Paparum Bonifacii IX. Martinique V. autoritate, quâ Brigitta in Sanctorum Catalogum venit, usus fuisset, tandem §. ult. 10, f. 9. concludit: *A sapientissimo itaque Deo multa inprimis* Brigittæ *revelata sunt, & per eam nobis nuntiata de quâdam Tribulatione, venturâ super totum mundum, præsertim adversus Christianitatem, cui pleræque aliæ novæ ac veteres Prophetiæ correspondent, asserentes, nostris temporibus magnam appropinquare calamitatem.* Quantum ille Episcopus tribuerit Brigittæ & Catharinæ revelationibus, omnes ferè paginæ istius libri testabuntur; sicuti Catharinæ Senensis verbis finit caput ultimum totius Operis. Eæ Revelationes Brigittæ, vel, ut alii habent, Birgittæ, habuerunt quidem initio suos impugnatores, qui Spiritum Prophetiæ in dubium vocàrunt; ast non tantùm autoritate Papæ, sed & diversorum Ecclesiæ Pontificiæ Doctorum disceptatione determinatæ sunt fideles atque in gremium hinc Ecclesiæ receptæ, quasi à Spiritus S. dictamine immediatè profectæ. Testis est omni exceptione major Bonifacius IX. cujus sunt verba in Bullâ Canonizationis S. Birgittæ: *Hæc generosa Vidua per gratiam Spiritus S. promeruit multis cogitationes, & affectiones intimas, & gesta secretissima propalare, Visiones ac Revelationes varias videre & audire, ac Spiritu Prophetico multa prædicere, quorum nonnulla effectu jam completa fuere, prout hæc & alia in ejus Revelationum Volumine plenissimè describuntur.* Idem habet Martinus V. Pontifex in Confirmatione Bullæ Canonizationis Ejusdem. Cùm post recognitionem Cardinalis Turrecrematæ ope duorum M S S. Codicum Consalvus Durantus à S. Angelo in Vado, Presbyter & S. Theologiæ Professor, easdem ad mille ferè loca emendaret, Notisque illustratas ederet, Paulus Papa V. annulo suo piscatorio 1606. d. 24. Jul. confirmavit; Consalvus verò Præfatione Operis præstantiam & utilitatem extulit. *Vivent*, inquit, *divina hæc divini propè ingenii monumenta, atque ita vivent, ut, quæ ab uberrimo divinæ sapientiæ fonte duxerint ortum, interitum nescitura, ad omnem posteritatem transmittantur celeberrima. Divini Spiritus*

hîc tibi vis, quæ nihil phaleratæ pompam orationis ad speciem, quàm ad rem aptiorem faciat. Revelationes eas esse *authenticas, veritate plenas, & à Dei Spiritu veraciter edoctas* Gregorii XI. & Urbani VI. judicio approbatum fuisse docet Johannes Cardinalis de Turrecremata in Defensorio super Revelationes cœlestes S. Birgittæ cap. I. pag. 9. 10. Conciliorum quoque Constantiensis & Basileensis calculo approbatæ sunt ac commendatæ Revelationes, quasi prophetico Spiritu scriptæ,& à Deo dictatæ; unde & Pontifices permiserunt eas ad Ecclesiæ suæ utilitatem in publicum edi. Editæ autem sunt; & in unum corpus unà cum de Hildegardis & Elisabethæ sanctis Revelationibus redactæ, Coloniæ 1628. Superiorum permissu cum Notis Consalvi Duranti, Bibliothecæ Farnesianæ Præfecti. Seorsim editæ sunt Norinbergæ 1521. & Antuerpiæ 1611. Venerabilis Vir Magister Matthias de Suetiâ Prologum præmisit Birgittæ Revelationibus, cujus initium: *Stupor & mirabilia audita sunt in terra nostrâ; mirabile siquidem erat, quod Zelator Legis Moses igneam legem in ultionem peccatorum de medio ignis Zeli Dei audiret. Sed stupendius est, quod hodie humiles & mansueti Spiritu, vocem Jesu Christi, Dei & Hominis, audiunt,ut olim Helyas in sibilo auræ tenuis audivit.* Præcedunt hæc, & sequuntur statim *Preces & Merita Matris Misericordiæ Virginis Mariæ*, quibus motus Christus *omnes ab æstu peccati ad auram placidissimæ misericordiæ convocavit*; utque Birgittæ Revelationibus divinitus factis major autoritas concilietur, venerandus Matthias Birgittam describit *Sponsam Christi*, quæ in Conjugio cum merito suo sine conjugio vixerit, commentumque his verbis descripsit: *Birgitta, Sponsa Christi, adhuc in Conjugio vivens Maritum suum ad continentiæ perfectionem adduxit, ut multis annis simul sine actione & redditione debiti conjugalis viverent; Jamque adhuc ligata matrimonio sobrietatem vidualem in victu & vestitu præferebat, devotioque cordis ejus & orationum instantia, magnam in eâ futuræ religionis & gratiæ perfectionem præmonstrabant; cumque jam à lege viri soluta esset, bona sua hæredibus & pauperibus distribuens, & à mundi retinaculis se expediens, & Christum pauperem pauper sequens,nihil sibi nisi simplicissimum victum & vestitum contemtibilem retinebat; propter quod & eam,quæ omnem mundi consolationem rejecerat, Christus mirandis consolationibus & gratis visitabat.* De toto Catholicæ Ecclesiæ Statu, deque Ministris ejus B. Birgittam à *tribus sanctissimæ Trinitatis personis*, redditam fuisse certiorem,scribit Consalvus Durantus in Notis ad lib. 4. Revelat. c. 49. pag. 212. Gubernabat autem tunc Catholicæ Ecclesiæ Statum Urbanus V. qui Pontificiam sedem ex Ave-

nione

nione reduxit in Italiam, antiquum thronum, unde ſcribitur in Revelationibus Birgittæ, 4. c. 49. p. 212 *Ecce Vicarius tuus, qui ſedet in ſede tuâ in mundo, reduxit jam ſedem ſuam in antiquum & priorem locum. Tunc ait vox:* Papa *ſimulatur & deſignatur* in poſtibus; in uncinis *verò, qui poſtibus conjunguntur, ſignificantur Cardinales*; ubi in Notis Durantus: *Quemadmodum per januam ingredientibus domum aditus patet; ſic quoque per Romanum Pontificem ad Regnum cœlorum ingreſſus hominibus datur.* Is Urbanus erat ditionis & dignitatis Eccleſiaſticæ per arma ſtrenuus defenſor, & ut religio eſſet devotior, *Apoſtolorum capita*, diu quæſita, tandem invenit Romæ, & locellis argenteis incluſa, ad Altare majus Baſilicæ Lateranenſis, cum maximâ veneratione & celebritate collocavit; hâcque celebritate religionis mota Brigitta, relictâ Sueciâ, Romam contendit votum exolutura, tradente Platina in Vitâ Urbani pag. 230. Romam perveniens ab Urbano fuit *cum religioſo & honeſtiſſimo apparatu, dicente Nauclero Gen. 46. f.* 258, *benigniſſimè ſuſcepta ob ejus ſanctitatem & Prophetiam*, ubi quotidie loca ſacra adibat, obtinuitque à Pontifice Ordinem à ſe inſtitutum probari in Cœnobio, pro Monachis & Monialibus communi, habitationes tamen ita ſejunctæ eſſent, *ut de una ad aliam, niſi urgente neceſſitate, tranſiri non poſſet*; convenirent autem in Baſilicâ, Fratribus in inferiori parte, Sororibus in ſuperiori officium exolventibus, quod ipſum etiam cum Nauclero ſtatuit Polydodorus Vergilius 7. Invent. rerum 4. p. 582. Sedem itaque obtinente Papa Urbano fit vox Chriſti ad Birgittam, prout extat 5. libro Revelat. c. 137. pag. 297. *Vade, & dic Urbano ex parte meâ. Tempus tuum breve eſt, ſurge & attende, quomodo animæ tibi commiſſæ ſalventur. Ego obtuli tibi* Regulam Religionis, *quæ fundari & incipi debet in loco Watzſteno in Suetiâ, quæ de ore meo proceſſit. Nunc autem volo, ut non ſolùm auctoritate tua confirmetur, ſed & benedictione tuâ, qui Vicarius meus es in terris, roboretur. Ego dictavi eam, & dotavi Spirituali dote, ſcilicet concedendo Indulgentias, quæ ſunt in Eccleſiâ S. Petri ad vincula in Roma. Tu ergò approba coram hominibus, quod coram exercitu meo cœleſti eſt ſancitum. Si autem quæris ſignum, quòd ego hæc loquor, hoc jam oſtendi tibi, quia, quando primùm audiſti verba mea, anima tua in adventu nuntii mei ſpiritualiter fuit conſolata. Si autem quæris ulterius ſignum, dabitur tibi, ſed non ſicut Jonæ Prophetæ. Tu autem ſponſa mea* (Brigitta), *cui dictam gratiam feci, ſi non poteris habere literam & gratiam Papæ, & ſigillum ſuper conceſſione dictæ* Indulgentiæ, niſi præcedente pecuniâ, *ſufficit tibi gratia mea*; Ego enim *approbabo & confirmabo verbum meum,*

& omnes Sancti erunt mihi testes. Mater mea *erit tibi sigillum.* Pater meus *confirmator*, & Spiritus meus *advenientium ad Monasterium tuum consolator.* Nunc verò patienter audiatur, quid S. Maria, Mater Christi, cum Brigitta de Urbano V. & aliis rebus locuta fuerit cap. 138. pag. 298. *Ego sum Mater omnium, qui sunt in Purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis suis, in quâlibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur. Audi tu, & attende diligenter, quid ego volo dicere* de duobus Filiis meis, *quos tibi volo nominare.* Primus, *quem dico, est Filius* meus Jesus Christus, *qui natus est de meâ carne virgineâ.* Secundus, *quem reputo pro Filio meo, est ille*, qui residet in Papali Sede, *videlicet Sede Dei in mundo. Modò volo aliquid loqui super isto Papa, qui nominatur* Urbanus. *Sicut Mater ducit Filium suum ad locum, ubi sibi placet, dum ostendit sibi* (illi) *ubera sua. Ita duxi Ego* Urbanum Papam *prece mea, & opere Spiritus S. de Avinione ad Romam, sine quovis suo periculo corporali. Quid fecerat ipse mihi? Jam vertit ad me dorsum, & non faciem, & intendit à me recedere, & ducit eum ad hoc malignus Spiritus sua fraude; nam tædium habet de divino labore, & libitum ad suum commodum corporale. Item trahit eum Diabolus cum delectatione mundiali; nam nimis desiderabilis est sibi terra nationis suæ mundano more. Item trahitur carnalium amicorum consiliis, qui magis attendunt suam dilectionem & voluntatem, quàm Dei honorem & voluntatem, vel animæ suæ profectum & salutem. Si contigerit ipsum redire ad terras, ubi fuit electus Papa, ipse habebit in brevi tempore unam percussionem, sive unam alapam, quòd dentes sui stringentur, seu stridebunt. Visus caligabit, & fuscus erit, & totius corporis sui membra contremiscent.* De duobus *coram Deo reddet rationem. Primò de his, quæ fecerat in Papali Sede. Secundò de his, quæ omiserat ex his, quæ potuisset in honorem fecisse in sua magna majestate.* Si ita se habet judicium S. Mariæ, quid de judicio fiet Platinæ, qui ait Papam fuisse *Virum singularis virtutis, ingentis animi & innocentissimæ Vitæ* p.229. Uti solicitudo Mariæ de Papali sede Urbani; sic ipsius Christi de Papali Clemẽtis VI. refertur solicita cura; hortantis Brigittã, ut scriberet Pontifici de rebus agẽdis cum duobus Regibus, Angliæ & Franciæ; itemq; de peccatis Papæ; de quibus lib. 6. c. 63. pag. 410. sic sermo instituitur: *Quæram à te, quantum in formatione Pacis Regum tepuisti, & quantum in aliam partem declinasti. Insuper non erit in oblivione, qualiter* cupiditas & ambitio in Ecclesiâ *tempore tuo floruit, & aucta est, & quod multa reformare & emendare potuisti; Sed tu amator carnis noluisti. Surge igitur, antequam novissima hora tua appropinquans veniat, & negligentias priorum temporum*

penultim

penultimo tempore zelando extingue. Sancta hæc Suecissa *detestabilem abusionem* vocat in libr. 4. cap. 33. pag. 202. quod Abbates frequentius in castellis suis, aut ubi placeat, commorentur, quàm in Monasteriis. *Paucissimi etiam Monachi*, inquit, *nunc in Choro esse videntur, horarum tempore, & aliquoties nulli. Ubi etiam parum legitur, & quandoq; nihil cantatur, adhuc multis diebus* Missæ *non dicuntur.* Eadem introducit Christum ad Clericos dicentem lib. 5. cap. 134. pag. 296. *Ecce, Sponsa, quid Sacerdotes faciunt mihi. Ipsos præ omnibus Angelis & hominibus elegi, & super omnes honoravi; Ipsi autem præ omnibus Judæis & Gentilibus, & præ omnibus Dæmonibus me magis provocant.* De Pontifice Romano Christus ait 1. Revel. 41. p. 49. *Nunc conqueror super Te caput Ecclesiæ meæ. Ego institui Petrum Pastorem & Servatorem ovium mearum. Tu autem dispersor & lacerator earum. Tu pejor es Lucifero. Ipse enim habebat ad me invidiam, & nullum concupivit occidere, nisi me, ut pro me dominaretur. Tu autem tantò deterior es, quòd non solùm occidis me, removendo me à te per mala opera tua, sed & animas occidis per malum exemplum tuum.* Tu *es* injustior Pilato, *qui nullum judicabat ad mortem, nisi me. Tu autem non solùm judicas me, quasi nullius dominatorem, & nullius boni dignum; immò & animas innocentes condemnas, & nocentes dimittis.* Tu *es* immitior Juda, *qui me solum vendidit; Tu autem non solùm me vendis, sed & animas electorum meorum pro turpi lucro tuo, & vano nomine.* Tu *es* abominabilior Judæis, *Ipsi crucifixerunt corpus meum solum; tu autem crucifigis & punis animas electorum meorum, quibus malitia tua & transgressio amarior est omni gladio; & ideò, quia tu similis es Lucifero, injustior Pilato, immitior Juda, abominabilior Judæis; ideò meritò conqueror super te.* De eodem libro 4. c. 49. pag. 211. *Curia repleta superfluitatibus, & divitiis, & facultatibus, quæ ad nihil aliud custodiuntur, nisi ad superbiam. Nihil apparet humile, quia tota humilitas conversa est ad mundanam pompam. Non mirum, quod Papa inclinatus est ad mundialia. Papa incipiat humilitatem in se ipso; primò, in apparatu suo, in vestibus, in auro & argento, & vasis argenteis, in equis & aliis utensilibus, segregando de eis omnibus sola necessaria sua; alia verò erogando pauperibus, & specialiter his, quos noverit amicos Dei. Deinde moderatè disponet familiam suam, & necessarios habeat famulos.* A Papa devenit ad Cardinales & Episcopos; de his dicens: *Episcoporum & Clericorum secularium cupiditas nullum habet fundum*; de illis: *Cardinales extenti & effusi sunt in quantum valent, ad omnem superbiam, cupiditatem & carnis delectamentum.* In libro quarto cap. 52 pag. 214. refertur Visio

terribilis Sponsæ de quodam homine (Monacho puta), cujus os erat, ut lupi. *Habet*, inquit, *os sicut lupus ferocissimus, qui ventre ac ore suo repleto, ex illis, quæ viderat, adhuc, si aliquid adhuc aure vivum audierit, deglutire illud desiderat. Ita iste* (avarus Monachus) *si omnia possideret, quæ oculis viderat, adhuc concupisceret illa, quæ alios possidere audiret.* Floruit illa Birgitta in Sueciâ, tempore Magni Smech, Regis Sueciæ, quæ Filiam Catharinam primam Monasterii watzstenensis constituit, obiitque circa A. C. 1390. notante Chytræo in Onomastico Theologico pag. 798. Celeberrimum illud Cænobium S. Brigittæ in Ostrogothiâ nunc Nosocomium institutum est pro debilitatis militibus, teste Wexionio II. *Disp.* polit. pag. 355.

CLASSIS VIII.

TESTIVM HVNGARICORUM ET BOHEMICORVM.

I. LUDOVICUS TUBERO, DALMATA, ABBAS.

TRactandis Regni Hungariæ negotiis Commentariorum libros Undecim fideli operâ, temporibus difficillimis & maximè calamitosis, consecravit, immiscuitque Zelo boni publici conciones & censuras de Ecclesiæ suæ vitiis uitâque Cleri, non tam avaritiæ, quàm aliis vitiis dediti, ne mali istius, quod diu incubuerat orbi, otiosus spectator esset, persuasus, remedia malorum publicorum consistere in emendatione capitis Romani ejusque membrorum. In altissimâ arbore ligna putrida, corrosa ejus medullâ, observavit; & damna inde alia atque alia collegit in unum. Recolit memoriâ suâ, fuisse aliquando tempus, quum *paupertas* ac *continentia* Romanum Pontificem, uti & *cæteros ferè Sacerdotes* maximè commendaverit lib. I. Comm. de Temporibus suis pag. 3. Sed dum in tempora memoriæ suæ propiora se confert, conqueritur statim pag. 5. *scelestissimis ad magna quæque*

quæque Sacerdotia per ambitum patere aditum. *A*d obtinenda Sacerdotia nihil quenquam, *præter virtutis & innocentiæ ornamenta* juvare debere omnino rectè dixit lib.1.pag.14.& lib.4.pag.75.Sed quũ id rarissimè observatũ fuerit, haud dissimulanter prodidit. Sacerdotum & *M*onasteriorum domicilia antiquitus instituta fuisse, ut essent *hospitalitatis ac beneficientiæ officinæ* pag. 27. memoravit, sed & id, quàm fuerit immutatum, non semel retulit; exemplum verò addit Homicidii à quodam Monacho perpetrati pag.28. qui apud Alexandrum sextum, Pont. Rom. *homicidiorum notorum* etiam reum, accusatus Maphæorum ope absolvebatur, & tandem Episcopus salutabatur. *Non mirum*, inquit Tubero, *solos enim falsarios hoc corruptissimo tempore* Sedes Apostolica *ultimo supplicio afficit; in cæteris connivere solet; eò quòd* falsi crimen, *quum Pontificum, quorum* omnis duntaxat in comparandis pecuniis cura *fixa est*, *deterat emolumenta, capitale putatur.* *Ad hoc accedit*, *quod hic Sacerdos solenni stipulatu spoponderat, se simulatq; in patriam reversus esset, ducentos aureos mulctæ nomine soluturum, nisi quosdam veteres Auctores*, *qui temporum inj*.*riâ non extant, ipsis Maphæis, seu, quibus illi jussissent, librariis imprimendos dedisset*, *quos sanè ille in Circumistranis regionibus abs se inventos eo consilio ementitus erat*, *ut Maphæos librorum cupidissimos sibi conciliaret, judiciumque eorum patrocinio eluderet, atque ita, cum causa non posset, fraude ac mendacio sese tutatus est.* *Hoc a. haud insectandi gratia retulimus, utpote, quod non, ut hominem infamia mulctarem, quem ne nominarim quidem*, *sed rerum serie atque facinoris atrocitate coactus narravi, magnoque Sacerdotum*, quum & ipse sim Sacerdos, *dedecore scelus ipsum duntaxat commemorando execratus sum.* De Sacerdotum cupiditate ditescendi maleque agendi judicium tulit, lib.2. p. 36. *plerosque sui seculi Sacerdotes paupertatis*, quæ *maximum religionis vinculum* obtendi soleat, *oblitos non modò auro capi, sed etiam in omnes malas artes impelli.* *D*ivitias Cleri sequi vitia sua prudenti oratione disseruit coram Ungariæ Rege Uladislao Janus, Varadinensium Præsul, & quomodo *A*ntistitum salus in magno discrimine versetur. *Veniâ nostri Ordinis dixerim*, ait, *quotus est ætatis nostræ Pontifex, qui mores suos fortunæ bonis non tradiderit? qui divitiis & ista mortalium non abutatur beatitudine?* apud Tuberonem lib.2.p.41. De Sigismundo Chanzare: Quinqueecclesiarum (Fünffirchen hodie in Turcarum dominio) Præsule recenset censibus fuisse onustissimum, & in bonis suis reliquisse ducenta millia nummûm aureorum. Quid verò ad hæc Tubero? *Nostræ ætatis Sacerdotes*, inquit lib.4.p.81. *congerendæ pecuniæ supra omnes mortales student, eamque ut plurimum aut repositam in nullum usum*, *quod dementium hominum est*, *condunt; aut suo ipsorum vel consanguineorum arbitratu magis quam legum præscripto, tam viventes absumunt, quàm morientes legant.* Magni illi Dei ministri, quos *Pontifices* aut *Episcopos* vocant, in contemplando & operando tam intenti

tenti

tenti erant, ut nec noctu, nec interdiu quietem caperent, quod pecuniæ invigilare possent; quam illis operam excitaverunt Reges atque Principes, cùm non cum judicio ponderarent liberalitatem suam, quâ prædia atque opes Clero cumulabant in detrimentum religionis; id, quod ipsum considerans Tubero Abbas in exemplo Regis Hungariæ Stephani porrò scribit pag. 82. *Pontifices sane Vngariæ partim adæquant opibus Nobilitatem, partim longè superant, atq; æq; ac cæteri Principum in suos vitæ necisq; obtinēt potestatem; quam profectò veteres religiosissimi Reges indulgenter quidem, cæterum non satis providè, Sacerdotibus permisere; hi enim simul potestate sua, simul opibus abusi, jam pridem ab Apostolica mansuetudine ac humanitate, nedum à paupertate, quam Christus hominum Servator maximè commendavit, degenerârunt. Quanquam haud incongruum mihi videtur esse, ut* summi Dei Sacerdotes *hominum etiam sint moderatores, modò humana mens intra juris sui præscriptum sese contineret, nec Regno nec immodicis imperiis elata, modestiæ oblivisceretur. Quotus est enim ætatis nostræ Pontifex, qui officii sui memor contemtis his terræ oblectamentis cœlum, ut ita dixerim, aspiciat, atq; animi, non corporis utatur imperio? Sed quid loquor de Pontificibus, qui fortunæ obsequiis deliniti interdum cupiditatibus suis nequeunt imperare, quum pleriq; infimi* Ordinis Sacerdotes, *accersitâ illâ egestate, & simulato rerum contemtu insignes, tristem vultum, plenam honestate orationem, sordidum habitum, maximis vitiis prætendant, atq; alienam simplicitatem, veluti occasionem sui lucri accipientes, virtutum instrumentis, quibus pessimè utuntur, imponunt; æquè ac optima Patrum instituta non ad vitæ integritatem ac religionem conservandam, sed ad homines in fraudem inducendos essent excogitata.* Quàm intenti sint ad rem Pontifices Romani & Sacerdotes, repetit lib.6.p.136. dicens ad Innocentii VIII. Pontificis quoddam factum, *auro, cujus Sacerdotes hâc tempestate maximè avidi sint*, intrasse; deque Alexandro VI. hæc retulit ibidem & pag. 137. verba: *Ferunt hunc Pontificem adeò deplorata vita atq; ad extremum perditum fuisse, ut omnia sacra precio venderet. Quosdam insuper Cardinales divitiis notos veneno sustulisse dicitur, quò eorum pecuniis liberorum suorum ex adulterio susceptorum fortunam augeret. Quare ejus ætate per totum ferè Christianum orbem hi versiculi passim decantabantur:* Vendit Alexander Claves, Altaria, Christum; Emerat ista prius, vendere jure potest. *Unde omnibus persuasum est ipsum* Pontificem, *qui verius* Carnificis *nomen obtinere debuit, Venetis quoque non solùm conscius, sed etiam internuntiis, propter simultatem, quam cum* Rege Carolo *habebant, ingentis pecuniæ pactione ad hoc scelus à Bazethe esse inductum.* Scelus ibi legatur & addatur alterum ex lib.7.p.186. quomodo Alexander filiam suam ex quadam adultera susceptā, atque cum Principe Pisauriensium matrimonio conjunctam, è viri thalamo adversus leges Pontificias abripuerit, atque alii in matrimonium sola fortunatioris cōjugii spe dederit. De scelesto ejus Pontificatu, ejusq; Filii nothi Cæsaris Valentini nequissimis factis videatur idem lib.8.p.220.& seqq.

Variis

Variis modis aurum emungere Pontificem Romanum dum traditur, inter ea media ponitur lib.7.pag.181.quod Regnum Neapolitanum, ut etiam bona pars Italiæ, sit tributarium Pontifici, quod esse *luxus & insolentiæ Sacerdotalis maximum fomentum*, ait, Pontificiam Majestatem *magis opibus ac Christianorum Regum stultitia, quam religione & vitæ sanctitate stare* affirmat lib. 9. pag. 246. atque sub finem capitis pag.282. memorat, Iulium Pontificem morti vicinum fuisse hortatum Cardinales, ut *Patrimonium Ecclesiasticum* curæ cordique haberent, hâc addita epicrisi: *De corruptissimis Sacerdotum moribus emendandis nullam prorsus fecit mentionem; quasi magis opibus, quàm Sacerdotum sanctimonia res Christiana staret; nec satis constaret, Sacerdotum nomen, quum ob multa alia scelera, tum maximè ob inexplebilem avaritiam adeò invisum esse, præsertim apud Bohemos, ut eos* omnium gentium latrones *appellent, asserentes, sive quis Christianorum Romam rei suæ expediendæ causa petierit, exhaustum pecuniis domum inde reverti; (pontifex enim Romam etiam minimi sacerdotii tam collationem, quàm confirmationem, studio pecuniæ congerendæ sibi vendicavit); sive Legatus à Sede Apostolica in aliquam regionem missus fuerit, onustum auro, per omne nefas quæsito, Romam regredi.* De dignitate eorum, ut sint aptiores ad Pontificatum, scribit lib. 10. pag. 288. *Eò mores Romanæ Ecclesiæ devenere, ut, qui Cardinalium opibus instructior est, is ad Pontificium munus obeundum magis idoneus existimetur. Quod quidem argumento est, Romæ integritati ac doctrinæ nullum ferè locum esse.* Hæc & alia in Pontifice Romano ejusq; Ministris Status, qua erat solertia Tubero, exactè perpendit, atque ex lege historiæ, quæ veritas est, persecutus fuit; nihil magis autem Pontifici curandum esse lib.11. pag. 352. monuit, quàm ut infamiam fugiat, & ita Vicarium Christi ac Principem Ecclesiæ agat, ut vitæ sanctitate documento omnibus sit, se sacerdotali dignitate Pontificatum gerere.

II. IOHANNES HVSSVS.

VIr eruditione & pietate insignis, Iohannes Hussus hoc agens in Bohemia, ut Articulos quosdam fidei à Pontificum liberaret corruptelis, comprehensus, contra datam fidem Constantiæ in carcerem conjectus, & tandem combustus fuit. Non defugiebat locum confessionis, non aufugiebat; hoc petebat, ut audiretur, & ex Sacra Scriptura & veteris Ecclesiæ Doctoribus ex Articulis, quos confitebatur de vero usu Sacramentorum, de Ecclesia Christi genuina, & aliis accuratè examinaretur; sed cruentis consiliis obrutus ignis elemento examinabatur, quod examen imaginem nobis exhibet Conciliorum Papisticorum, crudelitatem exercentiũ, sicut eo in genere nescio, quis Michael cæterique Doctores & Episcopi Carnifices verius quàm Doctores & Episcopos se exhibuerunt. Injusta autem illa crudelitas cruentaque illa facta debent confirmare Ecclesiam contra Adversarios suos, siquidem Ecclesia, Christi exemplo patitur ejusmodi persecutio-

nes,& Papatus,Synagogæ & Iudæ exemplo,Ecclesiam persequitur & crucifigit. De hoc Martyre Bohemico acturi summa capita ipsius doctrinæ Hussi, quam *hæresin* vocabant,ex ipsorum Pontificiorum Actis Concilii Synodici prius annotare placet. *1. Ecclesia est cœtus Electorum Dei,in Christo ad vitam æternam prædestinatorum. 2. Caput ejus non est Papa, sed Christus & solus noster Mediator. 3. Norma & Iudex Ecclesiæ est Verbum Dei. 4. Cœna Domini sub utraque celebranda. 5. Transsubstantiatio nulla in Cœna credenda. 6. Papæ & omnibus Clericis non competunt Dominia temporalia,sed illis auferenda. 7. Excommunicatio ad solam spiritualem castigationem extenditur. 8. Canon. & Decreta sunt Apocrypha. 9. Papa, quia contraria Verbo Dei docet,est Antichristus. 10. Purgatorium omnium fidelium fit per Christum in his terris. 11. Qui vendunt & emunt sacra, omnes sunt Simoniaci & Heretici.* Post combustum Hussum hæc eadem doctrina fuit repetita,& promulgata in publicis Regni Comitiis Pragæ anno 1417. & 1421. in montibus Gutnis 1485. Pragæ anno 1524. Confessio Bohemica secundum hanc doctrinam scripta anno 1575. Cæsarique Maximiliano oblata,& demum Imp. Rudolpho Anno 1603. & anno 1609. exhibita. Quæ dogmata Hussi, Papatui adversa fuerint; accuratè ex ejus Operibus collegit D. Petrus Haberkornius in Vindicato Anti-Forero Disp.32. pag. 810. seqq.816.Ob ea capita,quæ *nova* videbantur, Hussus Romam citabatur à Ioanne Papa XXIII. qui noluit eò ire,quum propter insidias sine periculo Romam proficisci non auderet,de quo videatur Historia Hussi, Tomo primo Operum Hussi Norimb.editorum,fol.83.in qua sic loquitur : *Citatus non comparui in Curia Romana,tum,quia insidiæ mihi undique positæ sunt in itinere; tum,quia fecerunt me aliena pericula cautum.* Hussi Apologetes habet in Narratione de Actis Hussi in Romana curia Tom.eod.f.86. *Hussum per se comparere non potuisse ob capitales inimicitias & injustam accusationem per æmulos,quod non posset pertransire & venire ad Romanam Curiam propter inimicitias capitales, quæ in viis sibi erant præparatæ.* Missi verò fuerant nomine Hussi Procuratores Romam, & Iohannes Iessenitz, ejus Advocatus,conqueritur Husso nimis breve tempus fuisse assignatum pro comparitione, ut querela hæc extat in Repetitione pro defens. Hussi Tomo laudato. *W*enceslaus etiam,Romanorum & Bohemiæ Rex,& Nobilitas Bohemiæ, Vrbs quoque & Vniversitas Pragensis, Legatis Romam missis postulant, ut Papa hoc judicio Hussum liberaret. *Quis color,* scribit Hussus lib.de Eccles.cap.21.f.244. *vel quæ ratio obedientiæ,ut persona citata per CCC.milliaria, Papæ incognita,ab inimicis delata,tam anxiè vadat per inimicos,& veniat ad inimicos judices,& testes. Cõsumat bona pauperum sumptuosè, vel,non habens sumtus, vadat miserè & in siti & esurie; & quis fructus comparitionis? Certè laboris à Deo injuncti negligentia, quoad propriam salutem,& aliorum. Et nec ibi docebitur benè credere, sed litigare, quod non licet servo Dei. Ibi spoliabitur in Consistorio,in moribus sanctis refrigescet,* ad impatientiam per *oppressionem incitabitur, & si non habuerit dare,condemnabitur, etiam habens*

bens justitiam, & quod gravius est, compelletur, Papam, ut Deum, flexis genibus adorare. Alia deinde via tentata, & remedium excogitatum, ut in Concilio universali, quod Constantiæ ad lacum Podamicum, dogmata Hussi examinarentur, eòque Hussus vocaretur; meminitq; ipse Epist. 54. fol. 75. ad Regis voluntatem se Constantiam venisse sub promissione, ut salvus ad Bohemiam rediret. Munitus itaque atq; instructus Cæsaris literis, & duobus Comitibus, *Wenceslao* de Duba & Ioh. de Chlum aliisque quam pluribus Bohemis Nobilibus deducitur. Commendat Ioh. Hussus Iohannem Lepka, quod eum duxerit & protexerit *realiter, sicut miles, & ubique declararit suam innocentiam* hominibus, Epist. 5. fol. 58. Ad Iohannem de Chlum scripsit amicissimas literas, quæ inter ejus extant Literas. Ductus Constantiæ Hussus ad Cardinales, contra datam ab Imperatore & Papa fidem custodiæ traditur, primum in Cantoris ædibus, postea verò ad Rhenum in Monasterio Prædicatorum; ubi in febrem incidit propter fætorem cloacæ. Inde delatus ad Cœnobium Franciscanorum petit sibi dari Advocatum, sed negarunt Cardinales per Ius Canonicum licere hæreseos nomine suspecto Advocatum Concedere. Ex hoc cænobio in arcem Gotliben, dimidia ab urbe hora distantem, ducitur, & rursus inde in Cænobium. In carcere, scripsit quædam Opuscula; nec non Epistolas ad Bohemos consolatorias. Conabantur variis tunc artibus Hussum tentare, ut persvaderent ad sententiā mutandā obstringendumq; nova fide Pontifici, vel quibusvis conditionibus, quas exposuit Epist. 31. fol. 67. scribens: *Svadent multis verbis, quòd debeam & possim licitè abjurare, subjiciendo voluntatem meam sanctæ Ecclesiæ, quam sacrum Concilium repræsentat.* Quidam *dixerunt, quod abjuratio hoc non importat, sed tantum renunciationem hæresis, sive tentatam, sive non tentatā.* Alii, *quod abjurare dicit negationem attestatorum, sive sint vera, sive falsa.* Quidam *dicunt, quod supponendo, si in Ecclesia daretur homo verè innocens, is si confiteretur se reum ex humilitate, mereretur.* Quidam *Anglicus dixit: Ego per conscientiam meam, si essem in casu vestro, vellem abjurare.* Quidam Doctor svaserat, uti Epistola 32. f. 68. habetur, ut se submitteret Concilio; & si Concilium diceret, *quod unum tantum haberet oculum, quamvis duos habeat,* id *pro vero* habendum esse; sed Hussus, ait, se respondisse: *Etiamsi totus mundus mihi diceret hoc, ego habens rationem, quâ nunc utor, non possem sine repugnantia conscientiæ hoc dicere.* Solicitationes itaq; mirabili dolo & honesta etiam specie fucatæ nullo modo Hussi animum semel firmatum à proposito deducere potuerunt; unde scribit fine Epistolæ 31. *Semper Iesus Christus tenet me per suam gratiam in proposito priori.* Et fine Epistolæ 32: *Dominus est mecum, tanquam bellator fortis. Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Cum itaque machinationes variè admotæ nil efficerent, occasiones rimabantur, ut aliud ex alio solebat incidere Michaeli de causis & Stephano Palezo suique similibus, quibus eum in Cæsaris totiusque Christiani populi odium & invidiam vocarent & quibuscunque men-

mendaciis, calumniis & accusationis capitibus, eum obruerent; eò autem magis victrici veritati locus datus fuit. Eas vexationes recenset Epistola XLVIII. inter alia scribens fol.72: *Michael stabat, & tenebat chartam, & instigabat Patriarcham, ut responderem super interrogatis; & interim venerant quidam Episcopi. Iterum Michael braxavit aliquid novi. Deus permisit ipsum & Palez propter peccata mea consurgere; nam* Michael *& literas & alia explorat; &* Paletz *illa antiqua; quæ loquuti sumus ante multos annos articulat. Unus Archiepiscopus dixit mihi in audientia*: Tu habes 70. millia florenorum. *Michael dixit coram omnibus*: Ha, ha, quò devenit Ioppa plena florenis? *Pro certo habui illo die gravem vexationem. Unus Episcopus dixit*: Tu constituisti novam Legem. *Alius Episcopus dixit*: Tu prædicasti omnes illos Articulos. *Et ego etiam respondi eis Deo auxiliante satis durè, dicens: Quare facitis mihi injuriam.* Epistola statim sequenti XLIX. commemoratur, in quibus rebus facta fuerit injuria à Concilio & Deputatis. Idem Epist. 6. scribit f.58. *Multi adversarii & fortes insurgunt contra me, quos præsertim concitat venditor Indulgentiarum Pataviensis Decanus, jam Præpositus, & Michael de causis, qui semper annectit processus contra me. Sed nihil horum timeo, nec vereor, sperans, quòd post magnam pugnam magna sit victoria, & post victoriam majus pretium, & major confusio persequentium. Christus Iesus est mecum, tanquam bellator fortis.* Ordinem procedendi ipse Hussus scripto peculiari exhibuit, quod extat Tom. 1. Oper. f.86.87.88. quoque processu examinatus & exagitatus fuerit, ipsum in Epistolis suis conquerentem audiamus. Epistola quinta fol.58: *Michael de Causis applicuit processus in Ecclesia contra me, & supra scriptionem posuit cum magno textu, quod isti processus sunt contra excommunicatum & pertinacem Iohannem Huss, & suspectum de heresi, & multa alia. Ego tamen cum adjutorio Dei illud non adverto, sciens, quod Deus misit illum contra me, ut mihi malediceret propter peccata mea, ad probandum me, nunquid possim aut velim aliquid pati pro ejus nomine.* Epistola sexta fol.58.b. *Michael de Causis semper annectit processus contra me; sed nihil horum timeo, vel vereor, sperans quod post magnam pugnam magna sit victoria.* De nequitia Michaelis conqueritur etiam Epist.48. pag. 72. Epistola XII. fol. 60. *Concilium C. vitio superbiæ, avaritiæ & omnis abominationis plenum libros meos Bohemicè scriptos, tanquam hereticos, damnavit, quos nunquam neque vidit, neque legi audivit; tum si maximè audivisset, tamen eos non intellexisset; nam in Concilio erant Itali, Galli, Britanni, Hispani, Germani, & alia aliarum linguarum nationes.* Et postea fol. 61. *Scripturis sacris nolebant mecum agere*; (cujus testes vocat Proceres Bohemiæ, & alios tum præsentes) *& cùm dicerem, cupio doceri, sicuti erraverim, supremus Cardinalis respondit*: Quandoquidem postulas informari, necesse est, ut prius tuam doctrinam secundum præscriptum quinquaginta in S. scriptura Magistrorum revoces. *ô elegantem instructionem.* Idem hoc exposuit integrâ Epistolâ 15. f. 62. Epistola vicesima f.64. conqueritur, sibi multos impositos errores, *per testes falsos, &appositis*

falsi-

falsitatibus. Non ei concessum respondere *in penna & papyro*, Epist. 27. fol. 65. Non ei concessum respondere coram Rege, quamvis expetierit; non concessus Procurator & Advocatus; quare provocavit ad Christum, ut ipse procuret, & advocet, & judicet causam, Epist. 39. fol. 70. & Epist. 49. fol. 73. Pro Husso intercedunt Bohemiæ & Moraviæ Barones apud Sigismundum, Regem, ut in Synodo liberè loqui & defendere veritatem queat, quæ extant Epistolæ Tom. I. fol. 72. 77. Intercesserant pro Husso Rex *Wenceslaus* cum Baronibus Bohemiæ, quibus gratias agit, scribens Epist. 20. fol. 64. *Regratior omnibus Bohemiæ Baronibus, Militibus & Clientibus, & præsertim* Regi VVenceslao, *& Dominæ Reginæ, meæ gratiosæ Dominæ, quod me dilexerunt, piè tractaverunt, & diligentiam pro mei liberatione apposuerunt. Regratior etiam* Regi Sigismundo *de omni bono, quod mihi exhibuit. Regratior omnibus Dominis Bohemis & Dominis Polonis, qui constanter & firmiter se pro veritate, & pro mea liberatione habuerunt. Scriptum in carcere, in vinculis, feria sexta ante festum S. Iohannis Baptistæ.* Ioannes Hus, *in spe servus Iesu Christi, à cujus spe nunquam potuit me Diabolus separare, nec separabit, præstante Patre & Filio & Spiritu S. in seculorum secula benedicto, AMEN.* Opposuerunt se Concilio Constantiensi pro liberatione Hussi Bohemi, Moravi & Poloni, omnibus viribus contendentes, quorum προθυμίαν grato animo agnoscit & laudat Ioh. Hussus Epist. 11. fol. 60. Bohemi perscriptis bonis literis illustre Husso testimonium perhibent, vocando ipsum speculum sanctitatis, fulgorem pietatis emicantem, doctorem præclarissimum, lacrymis auditores permoventem. Epistolæ extant apud Stumpfium Chron. fol. 135. Pro liberaliori tractatione & liberatione Hussi diversæ Epistolæ à Bohemis & Moravis sunt missæ ad Sigismundum, Romanorum & Hungariæ Regem, quarum tres extant Tom. I. Oper. Hussi fol. 75. 76. 77. *Rogamus tuam Majestatem*, scribunt A. 1414. Pragæ, *ut tantum beneficii dare Iohanni Hus velit, ut beneficio tuæ Majestatis liceat ei de carcere in generalem Synodum prodire, libereque loqui & defendere veritatem, ne tanto tempore, eo inscio, falsis conviciis tam miserè eum lacerent. Post Deum in sola tua Majestate Regia spes omnis nostra sita est.* Eandem repetunt petitionem Anno 1415. his verbis: *Accepit Hus à Regia vestra Majestate literas, quæ* fidem publicam *continebant. Hæ per totam Bohemiam & Moraviam divulgatæ sunt. Verum cum Iohannes Hus, confisus Regiæ tuæ Majestatis literis ad Constantiam profectus esset, quemadmodum ex constanti fama accepimus*, captus est *cum his literis publicæ fidei. Neque hoc tantum, sed* in carcerem conjectus, *neque auditus, neque convictus, contra Leges & T. R. M. literas. Quod factum & apud nos & alibi eo modo innotuit, ut & Principes & Barones, pauperes & divites, mirati sint, sanctissimum illum Patrem tam turpiter contra Legum authoritatem, constitutionem, veritatem, & contra liberas Reg. T. M. peccare potuisse, præsertim, cùm hominem justum & innocentem sine causa conjecit in carcerem. Quare dignetur Tua Majestas diligenter hæc expendere, tanquam Rex justitiæ, & Dominus*

Bohemiæ, ut Mag. Iohannes Huß iterum liberetur atque manumittatur. Dignetur dicimus, obsecramus propter Deum, tantum ei beneficii dare, ut ei liceat per tuam Majestatem exire de carcere, & stare in publica audientia Concilii, ibique libere loqui, & defendere veritatem, quam à Deo accepit. Atque si tum in aliqua re aliena à fide Christi, aut falsa doctrina justè deprehensus fuerit, fiat ei, sicut eis videbitur. Noli efficere Rex serenissime, ut T. M. literæ contemnantur; magnum enim non solum T. Maj. sed universæ Bohemiæ malum oriretur, si homini justo, quem literis T. M. defensum oportuit, aliquid acciderit mali. Salvum conductum dederat Sigismundus, sed Papa ab æquitate & justitia alienus, Sigismundum itidem alieniorem reddiderat à fide quam præstiterat; ut verò color iniquitati aliquis daretur, scribunt, Imperatorem Husso prohibuisse fugam sub pœnâ capitis; Hussum autem aufugisse, & ex fuga retractum carceri datum jureque damnatum fuisse, quod de fuga commentum Cochlæus una cum aliis mendaciis arripuit, & Historiæ Hussitarum libris duodecim, Moguntiæ 1549 editis, inseruit lib. 2. p. 73. nescio quem secutus scurram Constantiensem, quem Vlricum Reichental vocat. Si res ita se habuisset, amplam habuissent hîc materiam respondendi Bohemis per Epistolas, in quibus tamen ne gry quidem apparet. Fici folia sunt ad tegendam Concilii perfidiam & crudelitatem, de quo legatur D. Paræus Orat. Inaugurali in Promot. Doct. Abr. Sculteti habita Heidelbergæ 1618. Animum promtū ad pericula ac mortem pro fidei fideli confessione testantur varia ejus dicta, quorum quædā recensebimus. Epistola decima ad Communitatem Pragensem data ex carcere Constantiensi, fol. 59. *Charissimi, oro vos, sedens in carcere & ego, quem non pudet aliquid propter Deum perferre, ut rogetis Deum per me, quatenus dignetur mecum esse, in quo solo spem habebo maximam; & in precatione vestra, & suppeditare spiritum suum,* ut possim in confessione nominis sui usq; ad mortem perdurare; *non abjiciens neq; veritatē, neq; misericordiā ejus. Si hoc tempore dignabitur me ad se recipere, fiat voluntas ejus, quæ est sancta; Sin voluerit me vobis superstitem reddere, manebit eadem voluntas ejus sancta.* Epistola sexta fol. 58. *Certè Christus Iesus est mecum, tanquam bellator fortis. Ideo non timeo, quid faciat mihi inimicus.* Epistola septima fol. 59: *In toto itinere apertè & manifestè, ut Dei servum decet, nomen meum professus sum, nullibi occultus egi. Bona me spes habet, fore, ut per misericordiam Servatoris nostri, & vestras orationes in irrefragabili Dei veritate usque ad extremum spiritum fortiter perdurem.* Epistola undecima fol. 60. *Expecto Concilii sententiam* de morte mea, *habens plenam fiduciam in Deo, quod non deseret me, neque sinet veritatem suam abnegare, & errores, quos contra me falsi testes malitiosè commenti sunt, revocare. Quàm clementer Dominus Deus mecum agat, mecumque sit in mirabilibus tentationibus, cognoscetis, cùm in gaudio futuri seculi auxilio Christi unà conveniemus.* Epistola duodecima fol. 61. *Me conabantur à constantia in veritate Christi deterrere, sed virtutem in me Dei non poterant superare.* Epistola duodecima f. 61. *Misericors Deus, cujus jura magnificavi, erat mecum, & est, & confido futurum,*

rum, meque servaturum in sua gratia usque ad mortem. Epist.30. fol. 67. *Da, Deus, spiritum promtum, cor impavidum, fidem rectam, spem firmam charitatemque perfectam, ut pro te exponamus patientissimè & cum gaudio vitam nostram. Amen.* Excommunicatus Hussus nihil timet, gaudens se extra communionem haberi. In libro contra Steph. Palez fol.256.T.1. *Hus gaudet, quod nominatur & excommunicatur; sperans, quod illa excommunicatio est passiva ejus benedictio.* In libro de Ecclesia c.22. f.248. ait, neminem posse excommunicari, nisi prius excommunicetur à Deo. *Nunquam*, ait, *aliquis Iudex potest aliquem sic excommunicare, nisi ipse per crimen prius excommunicet seipsum.* Et explicatis effectibus majoris excommunicationis fol.249. subjunxit: *Ista excommunicatione me nunc in processibus & in denunciationibus notant, ab omni humana participatione secludentes; sed benedictus sit* Deus, *qui non dedit tantam vim illi excommunicationi, quod posset homini justo virtutem vel justitiam auferre, dum humiliter patitur; nec peccatum potest sibi inferre.* Quumque dicto de Ecclesia libro cap.20. f.244. dixisset, *non obstante excommunicatione prætensa, minata, vel jam lata, debet Christianus exequi Christi mandata*; interdictum autem esset, ne vel Hussus, vel eidem addictus post hæc verba ad populum faceret, *in capellis* seu *sacellis*, Hussus cohortatur variis Epistolis, ne absterrerentur, *Deo* enim *magis quàm hominibus obedientiam præstandam, censuras istas esse injustas, impias, pabulum divini verbi Dominico gregi nequaquam debere subtrahi*, in quam sententiam prostant Epistolæ 3.4.5.6.7.9.10. Tom. primo. Illud prædicatione judicamus dignum, quod, cùm abesse potuisset, tamen maluerit Concilium adire, non nesciens sibi pericula imminere mortis, quò sua præsentia testaretur animi sui fortitudinem, alios animaret, confirmaret jam ante erectos, veritatem divinam, cujus erat studiosissimus, si non sartam tectamq; conservaret, tamen pro eâ ad sangvinem usque pugnaret. Vnus itaque contra mille pugnans mortem gloriosam oppetiit, ignem restinguens sangvine suo, rogumque illustriorem faciens martyrio fidei, & vaticinio de futura Religionis Papisticæ Reformatione; nam paulò ante mortem dixerat: *Hodie* Anserem *uritis* (Huss autem anserem lingua Bohemica indicat), *sed post centum annos ex meis cineribus nascetur cygnus quem non poteritis assare.* Heut (ut nostra solet exprimi lingua) bratet ihr ein Ganß/aber über hundert Jahrn werdet ihr einẽ Schwã singen hören/den sollet Ihr ungebraten lassen. Eò faciunt vatidica verba Epist. 48. fol.72. *Est edita Bulla à Commissariis, quæ lecta fuit coram me, in qua vocor Hæresiarcha & Seductor populi. Sed spero, quod, quæ dixi sub tecto, prædicabuntur super tecta.* Item Epist.11. fol.60. ad Pragenses: *Obsecro vos Pragenses, ut Templum Bethlehemiticum ametis, detisque operam, quamdiu Deus concesserit, ut in eo Verbum Dei concionetur; propter illum enim locum Satanas iratus est, & contra illum Parochos & Canonicos concitavit, animadvertens, quòd in eo regnum suum infirmaretur. Spero in Deum, quod illam ædem suorum servabit, quamdiu volet, facietque in eâ profectum Verbi sui majorem* per alios, *quàm* per Me *imbecillem.* Epistola decima quarta f.61. *ô quam*

gratum

gratum esset, si per tempus liceret mihi improbitates nunc cognitas (Papæ & Papatus, nam de Iohannis Papæ Simonia Clericq; vitiis locutus fuerat) *patefacere, ut fideles servi Dei possent eas cavere. Sed spero in Deum, quod mittet* post me *magis strenuos, & nunc sunt, qui melius patefacient malitiam Antichristi, & exponent animas suas ad mortem, propter veritatem Domini nostri Iesu Christi, qui & vobis, & mihi daturus est gaudium vitæ æternæ.* Epistola XXX. f. 67. *Spero, quod abbreviabitur potentia Antichristi, & amplius denudabitur iniquitas ejus in fideli populo.* Ad rogum ductus Hussus coronam papyraceam, in qua Cacodæmones erunt picti, gestabat, cui inscriptum erat: *Iste est Hæresiarcha.* Locus supplicii erat in prato inter urbem & arcem Gotlieb, ubi conspecta lignorum strue, in genua procidit, oculisque in cælum levatis, aliquos Psalmos recitavit, iteravitque illa verba: *ô Domine, in manus tuas commendo Spiritum meum, quem redemisti.* Cùm rogus jam esset incendendus, ab Electoris Palatini Ludovici Præfecto monitus, ut errores suos revocaret, respondit: *Ecquosnam revocabo errores? Ego veritatem Evangelii Iesu Christi annuntiavi, concionumque mearum præcipuus scopus, pænitentia & remissio, peccatorum fuit. Atque hanc doctrinam morte meâ alacer atque lætus, adjutore Iesu Christo sum obsignaturus.* Ita mirabili Dei consilio factum est, ut suffocatus & combustus Hussus ignis flamma non fuerit, sed ille rogi fumus in majorem flammam eruperit, & latè se extenderit, ut humanis Sigismundi viribus extingui non potuerit. Cineres Ioh. Hussi & Hieronymi Constantiæ Sparsi & conculcati, hoc effecerunt, ut doctrinæ Hussiticæ semen cum ipsorum cineribus longè lateque spargeretur, uberrimumque fructum adferret. Eteographicen hoc ejus combustionis factum:

VItaM ConstantI ConstantIa Vt abstVLIt HVsso
ReLLIqVIIs VstI RhenVs VbIqVe VIget.

Eodem anno Patres Concilii datis ad Boemos atque Moravos literis, iisque publico Synodi sigillo communitis, indicant Iohannem Viglefum, Anglum, & Ioh. Hussum, natione Bohemum, illius discipulum, justè jureque ab illo conventu fuisse condemnatos. Bohemi autem, cumq; ipsis & Moravi, innocentiam Hussi, & voce & scripto, armis quoque propugnantes, acriter simul & animosè Patribus ad 2. Septembris diem respondent, quæ Epistola in Operibus Hussi extat Tom. 1. fol. 78. 79. Concilii verò Epistolæ ad Boh. & Mor. extant inter Epistolas. num. LXIII. & LXIV. fol. 79. 80. 81. Audita iniqua & crudeli condemnatione Hussi, Barones atque Nobiles Bohemiæ plerique atroces atque minaces scribebant literas ad Concilium, initoque inter se fœdere conjurabant ad defendendã doctrinam usq; ad sanguinem. Literæ datæ Sternbergæ A. 1415. quas concludunt: *Legem Domini nostri Iesu Christi, ipsiusq; devotos, humiles & constantes prædicatores, usque ad effusionem sanguinis, omni timore, statutis humanis in contrarium editis postergatis defendere volumus & tueri,* Tom. 1. Oper. Hussi f. 78. Quantum bellum inde ortum fuerit, alibi expositurí sumus. ô corda sine pietate! Vbi quæso est officium integerrimorum

Patrum

Patrum! Vos Hussicidæ, quomodo mundas facietis manus à sangvine justi hujus. Vbi tunc vestra pietas, ubi prisca fides! ubi tunc Ecclesiæ in Ecclesia tricipiti Rectores, cælum verbo claudentes, & cæli seras verbo reserantes! Qui tunc Pontificii gradus Antistites, sacras Christi Domini vices titulis gerentes! Hoccine est gradus sui autoritatem tueri!

III. HIERONYMVS PRAGENSIS.

ECcui non illud Martyrii nobile genus literis monumentisque ad sempiternam memoriam consecrandum videretur, quod per Epistolam Poggius Florentinus licet adversarius, honestatis tamen studiosissimus, celebrius fecit? Omnes bonos ac candidos movebit illa Epistola ad commiseratione͂, quæ legi potest Tom. 2. operum Hussi f. 358. Sic eleganti stylo Poggius Florentinus in Papali curia Paparum *octo quinquaginta annos versatus*, ut ipse de se in Invectiva II. contra vallam fol. 86. gloriatur, *continuo in honore & dignitate* descripsit extremum diem Hieronymi Pragensis, & *miris laudibus ejus doctrinā* (quæ ipsa verba sunt Eremitæ Iacobi Philippi Bergomensis in supplem. f. 370. b.) & *ingenium atque insignem eloquentiam* effert. Extat eā etiam Epistola ad Leonh. Aretinum inter Æneæ Sylvii Epistolas n. 426. ex qua disces, nihil esse, aut parum in Pontificum religione priscæ doctrinæ aut moris. Tanta tamen in doctrina depravata & corruptis moribus vis est, ut, ubi possint, flam̄a & ferro, carcere & nervo, persequantur eos, qui in simplicitate prisci ævi ponunt gloriā religionis. Si quis vel leviter aut parū dextrè de Rom. Pontificis autoritate senserat, vel perpetuis carceribus mancipabatur, vel publico interimebatur supplicio, vel alia infamiæ nota traducebatur. Eo modo à cæde & suppliciis non fuit abstentum, etiam contra fidem gentium sacrosanctam, à Concilii Constantiensis Patribus, Hussum & Hieronymum è medio sustollentibus, quos *Christi Martyres gloriosissimos* vocat Franciscus Lābertus Comm. in Cantic. c. 5. f. 82. Fidus parastates Hussi fuit Hieronymus Pragensis, facundia & eruditione præstans; imò eloquentia & doctrina superior; de quo Hussus Epistola undecima ad Pragenses f. 60, *De M. Hieronymo, dilecto meo socio, non aliud audio, quàm quod in vinculis duris detineatur, expectans mortem, quemadmodum & Ego, idq; propter fidem, quam graviter Bohemis ostendebat.* Idem Epistola decima quarta f. 62. *Quod* ad mortem *attinet, Deus novit, cur differat &* meam, *&* mei charissimi Fratris Magistri Hieronymi, *quem spero sanctè & sine culpa moriturum; scioq; nunc etiam magis strenuè eum agere & pati, quàm me miserum peccatorem.* Epistola XXVII. f. 66. *Orate, ut det Deus unà cum Fratre meo, in Christo dilecto Mag. Hieron. constantiam quia æstimo, quod mortem etiam patietur, ut concepi à Deputatis.* Patres Constantiensis Concilii Anno 1415. publicatis literis patentibus citant M. Hieronymum, ut ipse d. 15. Aprilis Constantiæ præsens compareret, quo tamen non multo ante ultrò se contulit; cujus citationis exemplum extat in Operibus M. Ioh. Hussi sub titulo, Narratio de *M. Hieronymo Pragensi, pro Christi nomine Canstantiæ exusto*, fol. 349. usque ad f. 358. Tom. 2.

Vacillabat quidem initiò Hieronymus, terrore sine dubio necis, sed resipiscens fortiùs surrexit, & palinodiam retractavit, de quo agit Cochlæus lib. 3. Hist. Hussit. p. 126.127.128.129.130.131. tradens nullis, Patrum & Doctorum persvasionibus induci potuisse, ut revocationem prius factam comprobaret denuo, ac ratam haberet. *Eventus rei testatur*, inquit, *ipsum non sincera mente in revocatione loquutum fuisse, sed metu pœnæ verbis damnasse, foris, quod animo cõprobabat intus.* In laudẽ verò est Hieronymi, quod eum vocat *Virum elatum & acrẽ, non abjecti aut servilis animi; Spiritu ferocem, scientiaq; & eloquentiæ dono superbum, honoris & gloriæ avidum* pag. 131. *Virum disertum & eruditum; Virum inquietum & vehementis ingenii* pag. 123. *Virum excellenti præditum ingenio, præclara eloquentia, multifaria eruditione, vivaci memoria, & id genus oratoriæ laudis ornamentis* p. 140, Testimonio Vniversitatis Pragensis, quod datum fuit 1416. Hieronymus dicitur *egregius Philosophus, Vir eloquentissimus, omnium artium liberalium profundus scrutator*, & quæ alia sunt elogia, legenda Tom. 1. Oper. Hussi f. 81. Lata demum sententia, *cremandum esse*, it alacer ad rogum, interque novissima verba referuntur in Narratione, quæ extat Tom. 2. Hussi. f. 357. *Vobis certum est, me inique & malignè condemnare, nulla noxa etiamnum inventa. Ego verò post fata mea vestris conscientiis stimulum infigo & morsum, ac appello ad celsissimum simul & æquissimum Iudicem Deum omnipotentem, ut coram eo centum annis revolutis respondeatis mihi.* Inde Bohemos, desiderio Hussi & Hieronymi, numismata cudisse inscriptione horum verborum *Post centum annos respondebitis Deo & mihi*, notavit Scultetus Annal. Eccles. Dec. 1. p. 6. Ipsius Æneæ Sylvii Hist. Bohem. c. 36. p. 74. testimonio *pertulerunt ambo*, Hussus & Hieronymus, *constanti animo necem, & quasi ad epulas invitati, ad incendiũ properarunt nullã emittentes vocem, qui miseri animi facere posset indicium. Vbi ardere cœperunt*, hymnum cecinerunt, *quem vix flamma ac fragor ignis intercipere potuit.* Profectò si nihil eruditioni & doctrinæ Hussi & Pragensis Concilium condonandum duxit, hoc saltem publico juri, quod ait Vadianus de Euchar. p. 163. & æquitati erat tribuendũ, ut quoniã fide gentium sacrosancta evocati essent, à cæde & suppliciis fuisset abstentum; & si scripturis victi cedere noluissent, aliis mediis fuisset consultum. Quantum enim refert, servetne an perdat Concilium, perperam sentientes, qui scripturis possint ad sanam fidem revocari?

IV. IACOBVS MISENSIS.

Adn. 288. p. 732. INter Hussitas ob professionem magni habitus fuit M. Iacobus, vulgò Iacobellus, Bohemus natione, de Stibro urbe Bohemica, quæ Latinis dicitur *Misa*, ad Misam fluvium sita; neque enim ortu Germanus, natione Misnensis fuit, uti Flacius hîc existimavit, id quod ex Bohemicis Scriptoribus ostendit Adrianus Regenvolscius 1. Histor. Ecclesiast. Slavonic. Provinc. 6. p. 18. Erat verò inter Consistoriales Pragenses numeratus una cum M. Iohanne Przibramo, M. Procopio Pilzeno, & Ioh. Zelivæo sub Archiepiscopo Pragensi Conrado Westphalico, qui anno 1421.

Hussi-

Hussitarum religioni se addixit, atque Consistorium illud, quod sub Vtraque dicebatur, instituit, Sigismundo Imp. id concedente atque stabiliente, id quod tradit Stranski Rep. Bohem. c. 6. p. 284. Nimis ingenuum animum Iacobelli collaudat Hussus Epist. 43. fol. 71. *Doleo de Magistro Iacobello, qui maximè prædicat, ut caveant sibi homines ab hypocritis, & solus maximè decipitur per hypocritas, & credit hypocritis.* Idem ejus memor Iacobi Constantiæ scripsit ad quendam Pastorem Pragensem Epist. 16. fol. 62. b. *Noli resistere Sacramento Calicis Domini, quem Christus per se & per suum Apostolum instituit; quia nulla Scriptura est in oppositum, sed* sola consvetudo, *quæ ut æstimo, ex negligentia inolevit. Jam non debemus consuetudinem sequi, sed Christi exemplum & veritatem. Modò Concilium allegans consuetudinem damnavit Communionem Calicis, quoad Laicos, ut errorem, & qui practisaverit, nisi resipiscat, tanquam hæreticus, puniatur. Ecce malitia Christi institutionem jam, ut errorem, damnat. Rogo propter Deum, ne oppugnes* Magistrum Iacobellum, *ne fiat scissio inter fideles, de qua gaudet Diabolus. Etiam charissime, præpara te ad passionem in manducatione & communione Calicis, & sta fortiter in charitate Christi, timore illicito postposito, confortans Fratres alios in Evangelio Domini Iesu Christi. Motiva pro communione Calicis æstimo, quod dabunt tibi, quæ scripsi in Constantia, salutabis Christi fideles. Scriptum in Vigilia decem millium militum, in Vinculis.* Referemus, quæ Ioh. Cochlæus, lib. 1. Histor. Hussitarum pag. 41. de Iacobello, autore Schismatis de utraque specie consignavit: *Grandis profectò erat ubique in Bohemiæ regno discordia, maximè in civitate Pragensi, ubi nova prædicabant* Hus, Hieronymus & Iacobellus; *nam ultra Wiclephi articulos novum superaddidit articulum,* de communicandis sub utraque specie panis & vini in sacramento Eucharistiæ Laicis, *quidam* Petrus ex Dresda Misniæ *oriundus; de quo maximè exultabant omnes, quod reperissent jam articulum in Evangelica Lege fundatum. Petrus ille cum cæteris Theutonicis Scholaribus à Praga paulo ante discesserat. Quum autem* Iacobellus (*qui Theutonicè* parvus Iacobus *dicebatur*) *Pragæ tum in Ecclesia S. Michaelis celebris haberetur Concionator, essetque & Ipse natione Theutonicus, patria Misnensis,* Petrus, *tanquam conterraneus ejusdem patriæ & linguæ, familiariter illi notus, suggessit ei articulum istum* de Laica Communione, *velut gravem Rom. Ecclesiæ errorem.* Nec prætermittenda, quæ Æneas Sylvius de eodem retulit cap. 35. Histor. Bohem. pag. 69. *Nondum error de* Sacramento Altaris *irrepserat; sed attulit novam pestem* Petrus Dresensis, *qui cum aliis Teutonibus paulò ante Bohemiam reliquerat. Apud Ecclesiam S. Michaelis, per id temporis populum prædicando instruebat* Iacobellus Misnensis, *literarum doctrina & morum præstantia juxtà clarus.* Petrus *hunc aggressus, mirari se ait, doctum & sanctum Virum, qui divina eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animadvertisse Communionis Eucharistiæ, qui jam pridem Ecclesiam pessundasset; in qua* sub una tantum *specie Dominicum corpus populo ministrat, cùm apud Iohannem, Evangelistam & Apostolum Christo dilectissimum, sub duplici specie panis viniq;*

ff 2 *sumi*

sumi jubeatur, dicente apud eum Salvatore: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sangvinem, non habetis vitam in vobis. *Commotus his* Iacobellus, *cum perquisitis vetustis sanctorum Doctorum Codicibus*, Dionysii *præsertim* & Cypriani, *communionem Calicis laudatam invenisset, prohibitus apud Sacellum Archangeli Michaelis prædicare, in Templo majore S. Martini cathedram sortitus, publicè commovere populum cæpit, ne deinceps* communionem calicis, *sine qua salvari nemo posset, quoquo pacto negligerent. Huic omnes hæretici consenserunt, haud modica gestientes lætitia, quod articulum invenissent Evangelica fide fundatum, per quem Romanæ sedis vel ignorantia, vel nequitia argui posset.* Tetrum sacrilegium est, mutare actionem sacram à Deo institutam & mutilare sacratissimum Sacramentum, contra manifestam Christi institutionem, & contra omnia jura divina & humana, alteram Cænæ Dominicæ partem, sangvinem scilicet Domini, crudeliter Laicis subtrahere; hoc autem furtum non tantùm consuetudinis nomine, sed legis etiam titulo venditare, uti est in Decreto Concilii Constantiensis, sessione 13. Grande hoc sacrilegium, ut etiam Gelasius Papa vocavit de consecr. dist. 3. c. comperimus, simpliciter violat institutionem Christi & majestatem doctrinæ Evangelii, & nullam vel in minimo admittit sui excusationem apud pias mentes, nisi quis exiguum esse putet, contradicere testamento & voluntati Iesu Christi, cùm tamen piaculum sit, testamentum hominis confirmatū, κεκυρωμένον sive *comprobatum*, spernere, abrogare, ei aliquid addere aut detrahere; nedum Dei Testamentum mutare velle. Haberi possunt excusati ii, qui ante Reformationis tempora seducti fuerunt à Pontificibus & Episcopis, & *eos etiam in suo errore, cum fundamentum retinuerunt, quod est fides in Christum, participes factos esse totius Christi & meritorū ejus, minimè* (scribente Selneccero de Sacr. N. T. th. 6.) *dubitamus*; *nunc autem in tanta Evangelii luce excusare se nemo potest, multo minus vel inveteratā consuetudinem & exemplum, quod etiam myriadibus seculorum appobatum, adversus expressum Dei Verbum & præcepta divina, nulla ratione valere potest, nec si vel omnes totius mundi homines ea consuetudine & exemplo uterentur.* De Iacobello agens Flacius, interserit Pasquillum, cujus meminit etiam Ioh. Hussus in Responsione ad Scripta M. Stephani Paletz, Theologiæ Doctoris, fol. 255. Tom. 1. Operum, & *compilationem blasphemam* vocat.

V. PETRUS PAYNE, ANGLUS.

Adn 289. pag. 733.

QVantæ inter Bohemos, quamvis peregrinus, autoritatis fuerit, arguit, quod unà cum aliis ab Ordinibus Regni ad Concilium Basileense 6. Dec. 1432. mitteretur; nam è Theologis eò ablegati Iohannes Rochesanus, Pragensium ad Lætam Curiam sive in Templo Vrbis cathedrati D. Mariæ Prædicator; M. Petrus Payne; Vdalricus Baccalaureus, & M. Nicolaus Peldizymovius; dictus etiam Biskempecius, Sacerdos Taborensium. Eorum mentionem facit irato calamo Æneas Sylvius Hist. Bohem. c. 49. pag. 109. his verbis: *Scripsit Basileensis Synodus Bohemis*

ut

ut Legatos mitterent, qui fidei suæ rationem ostenderent, securitatem itineris, & dicendi, quæ vellent, libertatem promittens. Legatio CCC. Equitum Basileam missa; cujus Principes fuere Guilielmus Costa, *non tā Equestri dignitate, quàm Ecclesiarum direptione insignis*; Procopius *cognomento* Rasus, *item magnus, multis victoriis magnisque sceleribus nobilitatus*; Iohannes Rochezana, *Pseudopragensium Apostolus*; Nicolaus Galecus, *Taboritarum Sacerdos*; & Petrus Anglicus, *patria profugus, ac solis elenchis in disputatione confidens.* Veniunt cum comitatu suo CCC. Equitum Basileam 4. Iani 1433. ibique obtulerunt quatuor Articulos, quos sibi permitti rogant; *1. Ut in Cæna Domini Calicis usus Plebi restituatur. 2. Ut Clerici non seculariter regent. 3. Ut Verbum Dei libere doceatur. 4. In peccata publica publicè animadvertatur.* Hoc quatuor Articulos cōpactata appellarunt. De his quatuor capitibus fit disceptatio in Colloquio inter quatuor Bohemicos Theologos modò memoratos, & quatuor Cōcilii Commissarios, Iohannem de Ragusio; Ægidium Carlerium, Decanum Cameracensem; Henricum Frigidoferrum & Ioh. Polomarium; cujus Disputationis Acta inter Rerum Bohemicarum Scriptores, à Frehero 1602. evulgatos, continentur. Distractio opinionum facta inter ipsos Hussitas, inter quos nata sunt hinc diversa nomina *Compactata Calixtinorum & Taboritarum*; quorum *illi* contenti solo Calicis, undè & *Calixtini* dicti, in sacra Synaxi usu cæteros ritus Romanos amplectebantur; hi à studio purioris doctrinæ sese *Zelotas* vocabant, & de cæteris opinionibus nihil remittebant. Sejungebant se hi à Calixtinis, Tabori Societatem & Collegium instituebant, Confessionem peculiarem conscribebant (cujus mentio apud Flacium titul. Valdens. p. 640.) interque eos emincbat Petrus Payne, Anglus. Dogmata Taborensium Æneas Sylvius prolixa Epist. 130. ad Ioh. de Carvial, Cardinalem, exponit sub forma Dialogi, sacram Communionem sub unâ specie propugnans, edit. Norinb. 1496. *Picturas*, inquit initio Epistolæ, *omnes abominantur. Romanam Ecclesiam nolunt habere Primatum; aut proprii Clerum habere quicquam. Imagines Christi Sanctorumque delent. Ignem purgatorium inficiantur. Nihil Sanctorum preces cum Christo regnantium prodesse mortalibus asseverant. Festum diem præter Dominicam & Paschalem non agunt. Iejunia spernunt. Horas Canonicas abjiciunt. Eucharistiam sub specie panis & vini, & Parvulis & dementibus præbent. Conficientes nihil præter Orationem Dominicam & verba Consecrationis dicunt; neque vestimenta mutant, neque ornatus assumunt aliquos. Quidam verò eousque desipiunt, ut non verum Christi corpus in Sacramento altaris, sed repræsentationem quandam esse contendant, errantis Berengarii, non conversi, sequaces. Ex sacris Ecclesiæ Baptismum, Eucharistiam, Matrimonium Ordinemque recipiunt. De Pænitentia parum sentiunt. De confirmatione & extrema unctione nihil. Monachorum Religionibus infestissimi sunt, inventionesque Diabolicas esse asserunt. Baptisma simplicis undæ esse volunt. Nullam aquam benedicunt. Cæmiteria non habent consecrata. Cadavera mortuorum in campis, & ut digna sunt, cum bestiis sepeliuntur; vanumque censent orare pro mortuis.*

Ecclesiarum consecrationes derident, & in omnibus locis passim conficiunt Sacramentum. Nulla major his cura est, quàm sermonis audiendi; si quis negligens est, domiq; torpet, aut negotio ludove vacat, dum sermo est, virgis cæditur, & intrare, ut Verbum Dei audiat, compellitur. Est illis domus quædam lignea, similis horreo ruris; hanc Templum appellant. Hic populo prædicant; hic Legem per omnes dies exponunt; hic Altare unicum habent, neque consecratum, neque consecrandum, ex quo Sacramentum Plebibus exhibent. Sacerdotes neque coronas ferunt, neque barbas tondent. His Thaboritæ *frumento, cerevisia, lardo, leguminibus, lignis & omni supellectili necessaria publicè domum complent, & addunt in singula capita singulis mensibus sexagenam; ex quo pisces, carnes recentes, &, si velint, vinum emant. In Altari nihil offerunt. Decimas omnes damnant primitarum, neque nomen, neque rem tenent. Non tamen concordes sunt in una fide.* De hac discordia, quam hîc objicit, egit idem Sylvius Histor. Bohem. cap. 47. pag. 100. 101. De iis, quæ priori loco sunt dicta, agunt per compendia Zach. Theobaldus, Bell. Hussit. c. 79. p. 151. 152. 153; Regenvolscius 1. Hist. Slav. Eccl. 6. p. 19. 20. 21. Compactatis facta transactio in religione Anno 1433. divisis tunc Hussitis in Calixtinos & Taboritas. E Calixtinis erant Iohannes Rokitsan, Pragensium in Templo D. Mariæ Prædicator; Martinus Lupacius, Procopius Pilsenus. E Taboritis erat Procopius Holy, Petrus Payne, & alii, quos notat Regenvolscius 3. Hist. Ecclesiast. Slavon. Provinc. 7. p. 309. Ex Illis *Petrus Payne* vocatur Cochlæo lib. 6. p. 229. 231 sectator VViclephi obstinatissimus, & defensor pertinacissimus: Magister Oxoniensis doctus & acutus ille M. Petrus Anglicus allegatur defensor VViclephi à Iohanne de Przibra, lib. de Professione Fidei antiquæ, quem unà cum Historia Hussitarũ edidit Ioh. Cochlæus. p. 512. 521. Magnis Religionis negotiis ille Petrus Payne adhibebatur. Cùm in Polonia spes bona esset reformationis, eò mittebantur Anno 1431. Procopius Holy, Petrus Payne, Bedricus Straznicius, VVilhelmus Kostka; qui Cracoviæ præsente Rege Vladislao Iagellone, de Religione cum Doctoribus Academiæ Cracoviensis disputabant, id quod tradunt Cromerus Hist. Polon. lib. 20: p. 468. Bielscius 3. Hist. Polon. p. 337. Cùm Anno 1434. in Bohemia esset dissensio inter Thaboritas & alios Hussitas, ab utraque parte electus fuit arbiter Petrus Payne, docente Ioh. Cochlæo 8. Hist. Hussit. p. 279. 280. 281. 282. Articulos quosdam hujus Magistri Petri de Anglia refert & reprobat Ioh. de Przibra, lib. de Professione fidei Catholicæ, quem cum Hist. Hussit. edi curavit Cochlæus, p. 543. 544.

VI. MATTHIAS IANOVIUS CANONICUS PRAGENSIS.

Adn. 316. pag. 766.

EUm describit Flacius sub nomine *Matthiæ Parisiensis*, sed *Pragensis* fuit; vulgò *Parisiensis* dictus. Is Veritatis testis, in exilium conjectus fuerat, eoque pulso Adversarii non solum in Arcis templo, sed ubique Pragæ, & per totum Regnum *Communionem sub utraque* inhibuerunt, ut non nisi in privatis domibus, quandoque in abditis Sylvarum Confessores rem divinam facerent; quos redeuntes armis excipie-

excipiebant; ſpoliabant, abducebant, mulctabant, excarnificabant, in flumina mergebant, gladio vel igne perdebant, in metallifodinas Cutnenſes præcipitabant, ita ut ab anno 1380. per totos ferè viginti annos ea perſecutio duraverit, quod notant Stranski in Republ. Bohem. c. 6. p. 259. Regenvolſcius 1. Hiſtor. Eccleſ. Slavonic. Provinc. 8. p. 25. 26. & lib. 2. c. 4. p. 158. 159. Extat hujus Matthiæ liber *de Abominatione* ſive *de Antichriſto* (quem Flacius in teſtimonium adducit) Tom. 1. Hiſt. & Monum. Huſſi, Huſſi nomine editus, fol. 333. ſeqq. cenſente Chytræo Orat. de Statu Eccleſ. fol. 19. Editus eſt Magiſtri Iohannis de Przibram liber de Profeſſione Fidei, unà cum Cochlæi Hiſtoria Huſſitarum, Moguntiæ 1549. in quo p. 528. 529. profertur teſtimonium ex Magiſtri Matthiæ libro de Abominatione, & quidem ex capite LXXXIII. *Divitiæ & bona temporalia Sacerdotum ſunt omnia per mortem crudelem & effuſionem copioſi ſanguinis Sanctorum & Martyrum, & laborem ipſorum, per mundum univerſum acquiſita, & quàm variè & quàm diutinè elaborata & expugnata, ita, quod, quidquid pro nunc nos Sacerdotes habemus quietis; quicquid abundantiæ rerum omnium; quid quoque ſplendoris, gloriæ & honoris, omnia ſunt patrimonium & merces ſangvinis Ieſu, & copioſa effuſio ſangvinis ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum, qui plantaverunt Eccleſias ſangvine ſuo, in quibus* nos inebriamur & laſcivimus; *vel etiam, ut communiter dicitur in vulgo,* Bona Clericorum, *beneficia & præbendæ, & ſimilia, ſunt* bona pauperum, *ex quibus pauperes debent nutriri.* Hoc allato teſtimonio Przibramus addit, melius eſſe, ſi Sacerdotes poſſeſſionibus hujuſmodi carerent, & vel laboribus manuum, vel de nudis oblationibus eleemoſynarum, adinſtar Chriſti & Apoſtolorum, viverent & degerent. Scripſit etiam Matthias librum de Vitiis, ex quo quædam allegavit Cochlæus 6. Hiſt. Huſſit. p. 227. de peſſimo Regni Bohemici Statu. Mortuus eſt Matthias ille Bohemus Pragæ Anno. 1394.

VII. CONFESSIO THABORITARVM.

MOrtuo Iohanne de Trotznova, qui *Ziska* dictus fuit, Duce Huſſitarum in Bohemia anno 1424. 11. Octob. *Taboritæ* (ſic dicti à Tabor civitate, quam Huſſitæ anno 1420. condiderant,) diſtracti fuere in duas partes, quarum una vetus *Taboritarum* nomen retinuit; altera novum *Orphanorum* vocabulum uſurpavit, quaſi ſignificarent, jam ſe patre orbos Communem cauſam Religionis, licet diſſentirent in dogmatibus, tutabantur. Dogmata ſua Taboritæ Confeſſione peculiari exhibuerunt, quam anno 1431. ſcriptam fuiſſe meminit Flacius p. 640. ejuſq; editionem promiſit. Promiſſis ſtetit, eamque Confeſſionem Fidei in capita digeſſit, tituloque *Valdenſium* Baſileæ edidit Anno 1568. Eam Confeſſionem recognovit, & argumentis capitum, Prolegomenis, notiſque illuſtravit Balthaſar Lydius, Eccleſiaſtes Dordrechtanus, in libro, cui titulus, *Valdenſia*, edito Roterodami Anno 1616. qui etiam Hiſtoriam *Waldenſem* Iohannis Pauli Perrini è Gallico tranſtulit. Confeſſionem Bohemorum conſtanté, & quid deſiderarit in Papiſtica religione, habeto ex

Ad n. 167. pag. 640.

verbis

Verbis Æn.Sylvii Hist. Bohem. c.36.p.73. *stetere in proposito pertinaces Bohemorum animi, neque victi rationibus (at quibus) vinci voluere. Se veraces, se S. Evangelii æmulatores, se Christi discipulos esse. Romanam Ecclesiam, cæterasque per orbem dispersas, longè à traditionibus Apostolorum abiisse, quæ opes ac delitias sectarentur, dominatum in populos, & primos in conviviis accubitus exquirerent, canes, equos alerent, Ecclesiarũ bona, quæ Christi pauperibus deberentur, per lasciviam luxumque consumerent. Aut nescire prorsus divina mandata, aut scientes contemnere.* Bohemos multis Epistolis revocare Conatur Nicolaus à Cusa ad ritum Romanæ Ecclesiæ, quæ extant inter Opera ejus Basileæ edita à p. 829. ad p. 861. Ejusdem Cardinalis Epistola ad Bohemos, Ratisbonæ data, affertur à Ioh. Cochlæo lib. 11. Histor. Hussit. p. 384. 385. 386.

VIII. EPISTOLA CONSTANTINOPOLITANI PATRIARCHÆ AD BOHEMICAS ECCLESIAS.

Ad n. 282. p 728. EXorta per Bohemiam Religionis mutatione Hussitæ expetebant Ecclesiæ Græcæ scire dogmata; cùm enim Florentinæ Synodi Decretum *Bohemos*, ceu Hæreticos, Ecclesiæ communione arceret, in Ordinum Comitiis Pragæ Anno 1450 tractatum fuit de hâc Bohemorum exclusione, communique consensu provocatio facta est ad Græcam Ecclesiam, eoque nomine missi Legati cum literis ad Patriarcham Constantinopolitanum. Re ibi deliberata, Græci *Capita doctrinæ* sibi oblata cum gaudio excipiunt, & consensum suum testantur scripta ad Bohemos Epistola qua eos in fide confirmabant, addita promissione de ordinandis pro Ecclesia Bohemica Ministris. Erant literæ scriptæ in membrana cyanei coloris, cera obsignatæ cũ subscriptionibus Patriarchæ, & præcipuorũ ejus Episcoporũ, datæ 18. Ianuarii Anno 1451. Postmodum Pragæ in lucem eæ prodiere literæ ex Bibliotheca Collegii Caroli IV. studio D. Casparis à Nidbruck, Maximiliani Consiliarii, & typis exscripta VVittebergæ Anno 1564. Eadem Epistola Græco-latina Davidis Chytræi Orationi, quæ est de Statu Ecclesiæ in Asia, Græcia &c. adjuncta est, Francofurtiensi editionis Anni 1583. In illa Oratione de Ecclesiis Bohemicis αὐτήκοος καὶ αὐτόπτης testis, sic scribit f. 17. *In Bohemia, quã bis peragravi, Ecclesiæ duabus hoc tempore (scripsit hoc anno 1569) appellationibus præcipuis notari solent*; aliæ *enim, Pontificia omnia sine ulla exceptione retinentes* sub una; *aliæ* Iohannis Hussi doctrinam *secutæ, & Basileensis Synodi tempore Pontificiis rursum conjunctæ, & permissu Pontificis in Cœna sacra Populo quoque calicem distribuentes, verum in doctrina & ritibus cæteris fere omnibus Pontificiis conformes,* sub utaque *nominantur.* Ab utrisque sejuncti, *& veluti catharmata & peripsemata excommunicati olim fuerant* Fratres, *quos W*aldenses *& P*icardos *&* Boleslavienses *vulgò appellant, qui se* veros *&* constantes *ac* germanos Ioh. Hussi discipulos, *& doctrinæ ab ipso acceptæ fidos custodes esse profitentur. Extant autem* Confessio Fidei, *&* Apologia doctrinæ Fratrum *publicè edita, & cum duobus Ecclesiæ eorum Præpositis Viennæ, mandantibus Dominis meis Procerum Austriæ delectis, Ego & Collega meus de singulis Christianæ Religionis partibus ordine collocuti su-*

mu-

mus; ac tum ex scriptis editis, tum viva eorum voce comperimus, eos de omnibus ferè articulis eandem sententiam cum fundamento Prophetarum & Apostolorum congruentem, quam & nostra Ecclesia una voce & uno spiritu cum Catholica Ecclesia Christi profitentur, piè amplecti & confiteri, & à fanaticis opinionibus, cum Verbi divini norma pugnantibus, & judicio veræ Ecclesiæ damnatis plerisque, abhorrere. Conjugio *nemini interdicũt, sed tamẽ ministerio fungi Cœlibes castos volunt, ut cõmodiùs & expeditiùs Ecclesiæ servire queant, ac ut Auditores, qui eleemosynis suis Præpositos alunt, minus merentur. De* Eucharistia *sententiam suam in Apologia D. Georgio, Marchioni Brandenburgensi, exhibita, satis commodè exponunt, ac in publicis etiam Scriptis & Cantilenis, Panem & Vinum Cœnæ Domini Verum Christi corpus & sangvinem esse, apertè profitentur; tametsi disputationem de generali omnipræsentia ab hoc loco removendam esse censent.* Disciplinã *honestissimè & severissimè regunt. In sacris suis nulla alia quàm* populo nota lingua *utuntur.* Pontificios ritus, *vel per se impios, vel alioquin ad ædificationem veræ pietatis & disciplinam inutiles planè exploserunt, & ad primæ ac Apostolicæ Ecclesiæ simplicitatem & gravitatem totum ordinem Concionum, lectionum, precum, cantilenarum (quas sanctissimis sententiis, selectissimis Verbis & elegantissimis numeris compositas nuper Cæsareæ Majestati publicè dedicarunt) & cæteras ceremonias omnes revocarunt. Etsi autem* Fratres isti *per probrum & ignominiam se* Waldenses & Picardos *ab aliquibus vocari ostendunt; & nominis* Picardorum *originem, à* Ioh. *quodam ex Picardia Galliæ orto, qui Platonicam communionẽ facultatum & uxorum in Boemia inchoarit, eaq; de causa cum suo agmine per Ziscam deletus sit, extitisse, unus ex Fratrum Doctoribus mihi sciscitanti respondit, tamen collatis historiis, & ex aliorum eruditorum, cum quibus Pragæ de Hussi negotio contuli, sermonibus didici, longè ante Hussi tempora* Communionem utriusque speciei *in Boemia aliquibus in locis usurpatam, & Pontificia dogmata, & abusus multos esse improbatos.* Conf. Regenvolscium de Statu Eccles. Hussit. in Bohemia usque ad ultimam persecutionem, qua Pontificii excluserunt Hussitas & alios sibi adversos.

CLASSIS IX.

TESTIVM GERMANIÆ.

I. CAROLVS MAGNVS

EXtat liber Caroli M. titulo juxta Editionem à Ioh. Tilio, postea à Goldasto datam: *Caroli M. Regis Francorum & Longobardorum, & Patritii Romanorum, Filii & Defensoris sanctæ Dei Ecclesiæ* Capitulare de non adorandis Imaginibus *contra Constantini VII. Imperatoris Constantinopolitani & Hirenæ Matris Decretum, & Synodum Nicænam II. pseudoseptimam œcumenicam sive universalem, compositum & publicatum in Concilio Francofordiensi, & Hadriano Papæ missum A. Domini 794. editum ex Bibliotheca Ioh. Tilii, Meldensis Episcopi.* Interior titulus habet: Opus Illustrissimi Caroli Magni, nutu Dei Regis Francorum, Gallias, *Germaniam Italiamq;, sive harum finitimas Provincias, Domino opitulante, regentis,* contra Synodum, *quæ in partibus Græciæ* pro adorandis Imaginibus *stolide sive arroganter ge-* *Adn. 89. p. 101.*

sta est. Item: *Paulini Aquilegensis Episcopi adversus Felicem Vrgelitanum & Eliphandum Toletanum Episcopos libellus. Quæ nunc primùm in lucem restituuntur, Anno salutis M.D.XLIX.* Id scriptum recensitum edi curavit Francofurti 1608. Melchior Haiminsfeldius Goldastus, sub titulo *Decretorum Imperialium de Cultu Imaginum* generali; & in specie sub titulo *Capitularis de non adorandis Imaginibus* p. 61. & sequentibus; cujus, quantum summam potuimus capere, perioche est desumenda ex libro tertio c. 16. p. 384. *Nos nihil in Imaginibus spernimus* præter adorationem, *quippe qui in Basilicis Sanctorum Imagines non ad adorandum, sed ad memoriam rerum gestarum & venustatem parietum habere permittimus.* Consentire in Imaginum abolitionem nolebat Carolus M. nec etiam in earundem venerationem, sed volebat, ut ornatus essent gratia, prout legi potest 2. de Imag. 31. p. 308. Legenda sunt hîc & audienda verba ipsius magni Cæsaris: *Non nos*, ait 2. 9. p. 239. *effigies ob memoriam rerum gestarum & venustatem conditas Basilicarum quodammodo abdicamus, cum per Moysem & Salomonem, quanquam in typicis figuris, eas factas fuisse sciamus; sed earum* insolentissimam, *vel potius* superstitiosissimam adorationem *cohibemus, quam neque per Patriarchas, neque per Prophetas, neque per Apostolos, neque per Apostolicos Viros usquiam institutam esse reperimus.* Eodem pergit tramite c. 12. p. 244. & *Imaginum adorationem spernere* se dicit; & porrò sunt verba c. 13. p. 245. *Sæpe in hoc nostro speciali de Imaginibus opere fateri cogimur, quòd* illæ *non haberi, sed* adorari *à Nobis inhibeantur; nec illarum in ornamentis Basilicarum & memoriam rerum gestarum constitutarum fugienda sit visio, sed insolentissima, vel potius superstitiosissimarum execranda sit adoratio.* Eam qui adorationem admittunt, eos ait 3. 12. p. 356. dissentire *ab Apostolicis doctrinis,* & *ab antiquarum Synodorum institutionibus,* nec *Ecclesiæ cæterarum Mundi partium statutis* paritionem fieri. Improbat etiam *Luminaria* & *Thymiamata accendi* in Templo pro Imaginibus p. 468. 469. Non hîc præteribimus recensionem Chemnitianam, quam in Examine Concilii T. quarta sc. Parte, tradidit p. 90. 91. *Iustæ,* inquit, *ac prolixæ refutationes extant in libris Caroli M. nos verò hoc loco præcipua tantum capita refutationum annotabimus.* Primò *rectè dicunt, quòd illa testimonia, quæ ex scriptura & Patribus verè & rectè citat Pseudosynodus, nihil aliud probent, quàm Imagines posse haberi, vel ad usum historicum, vel ornatus gratia; nullo verò modo inde probari, Imagines esse colendas & adorandas; & tamen illum ipsum historicum usum accuratis limitationibus intra certas metas circumscribunt.* Verbis Synodi appensis pergit: *Ostendunt* secundò, *Pseudosynodum ad probandam adorationem Imaginum quædam dicta Scripturæ falsò allegare, ut, quod dicunt, Iacobum adorasse Virgam seu Sceptrum Iacobi. Item: Patres in V.T. adorasse Arcam, Cherubim, Montem sanctum,* &c. *cùm textus scripturæ hoc non dicat; solum enim Deum adorarunt.* Tertiò *demonstrant, multa peregrina Scripturæ dicta violenter ad adorationem Imaginum detorta.* Quartò *indicant, multa Apocrypha, supposititia & falsa sub nomine & titulo Patrum allegari, ut* Epistolam ad Abgarum *& alia multa.* Quintò *ostendunt, ad adorationem Imaginum falsò detorqueri* quædam Patrum dicta, *quæ vel de historico Imaginum usu; vel de politicis Imperatorum Imaginibus; vel de Christo, qui est imago Patris,*

loquantur. Sextò *decretum faciunt his verbis*: Si quis cum Pſeudoſynodo dicat de pictura, *Hoc eſt Chriſtus*, is proculdubio mentitur, peccat, & inſaniens ſceleſtè agit. Septimò, *rejiciunt & illud, quod Pſeudoſynodus prætendit, per Imaginem* fortitudinem Dei *adorari*. Cætera Capita, à Chemnitio breviter annotata, legi poſſunt p. 921. melius verò ipſo in Caroli Capitulari, de quo, ut dicamus; mirum videri queat, in illa temporum caligine tam præclara documenta eruditionis Patres, à Carolo M. conſcriptos, ad refutationem erroris de Imaginum cultu & adoratione conferre potuiſſe; arguit enim illud Scriptum, quod ſub titulo *Capitularis de non adorandis Imaginibus* aliquoties editum eſt, habuiſſe doctum & facundum Scriptorem, qui non tam valuerit doctrina profanarum & ſacrarum literarum, quàm facundia illo ſeculo inconſueta; ſtylus enim exſurgit interdũ ornamentis Rhetoricis, teſtaturque abinde is, qui ſcripſit, quàm in Rhetorica verſatus fuerit, ipſa dum etiam obſervat præcepta, indeque quædam promulgat. Scripti autẽ iſtius Carolini de Imaginibus fertur Alcuinus autor, quod ex Matthæo Weſtmonaſterienſi & Caſſandro attulit Höpfnerus ſect. 3. Saxon. Evang. part. 1. c. 3. p. 387. 388. iſtiusque Alcuini inſignia de Iuſtificatione & gratia; non tam ex hoc libro, quam ex aliis ſcriptis attulit Vſſerius de Chriſt. Eccleſ. ſucceſſ. c. 1. n 24. p. 55. 56. cui adde Voetiũ Diſput. ſelect. part. 3. p. 719. Prolixè de Synodo Francofordienſi, ejuſque libro Synodali, quem *Capitulare* vocarunt, agit Höpſnerus de Saxonia Evangelica Sect. 3. parte 1. c. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. à p. 386. uſque ad p. 465. & c. 14. p. 522. uſque ad p. 544. ex profeſſo autem de Synodo F. agit ſingulari Diſquiſitione D. Dorſcheus, maximè, quæ Felicis & Eliphandi controverſiam attinent. |

II. OTHO I.

ROſvvitha, Monialis Gandershemenſis, zelum rectum tribuit Othoni ob Papæ correctionem, Carmine de Othonibus cap. 25. v. 12.

Qualiter & recti compunctus acumine Zeli
Summum Pontificem, quædam perverſa patrantem,
Ejus nec monitis dignantem cedere crebris
Sedis Apoſtolicæ fraudari fecit honore,
Conſtituens alium Rectoris nomine dignum.

Magnum Othonẽ commendat Theodoricus Niemius 3. de Schiſmatero. p. 158. ob ſolicitudinem ad Schiſmata Papalia tollenda, ſcribens: *Quid inducit aliud hæc* pompa tantorum temporalium dominiorum, *de quibus nunc gloriatur Eccleſia Romana, quàm negligentiam in Spiritualibus, & erectionem Tyrannorum in eiſdem dominiis,* & diviſiones *ſeu* ſchiſma *in eadẽ Eccleſia, & alia mala plurima? Hic Otho Magnus* duo ſchiſmata *ſucceſſivè* orta *in Romana Eccleſia, dum ageret in Gallia & Alemania, cum ingenti exercitu ad Vrbem Romanam rediens, manu potenti ſuſtulit*; & unum *in Capitolio tunc fortiſſimo*; & alium *in Caſtro novo S. Angeli, quod tunc* Carcer Theoderici *vocabatur, loco firmiſſimo, contendentes, tunc de Papatu primâ facie cum machinis, & aliis rebus bellicis, expugnando cepit, & multorum Nobilium ac Potentum Romanorum Eos foventium, Palatia in Vrbe deſtruxit, & multos*

eorum jugulavit, seu gladio interemit, sicq; ipsas Ecclesias ad Unionem, Deo ordinante, perduxit. Et post longa tempora, orto alio Schismate in ipsa Ecclesia, *iterum rediit ad Vrbem ipsam, & causa cognita utriusq; contendentis, &* Clero per Concilium *subitò* convocato, *& uno declarato Papa alterum sc.* Benedictum II. *in Saxoniam in exilium deportavit.* Quibus addenda ea, quæ c.11. de criminibus Curiæ Romanæ & criminosis Pontificibus egregiè scripsit, media in Curia agens, criminaque Pontificum Vrbani VI. Clementis, eoruq; successorum animadvertens, ut suo infra loco edocebitur. *Ecce,* scribit p.158. *quantus & qualis fuit ille Augustus, qui tot laboribus & expensis pro Reformatione unionis in ipsa Ecclesia ultrò se submisit, & feliciter operatus est, nam mali inquietem aliis præparantes cogendi sunt ad pacem & ad bonũ. Regiæ potestatis interest præcipuè, ut per eam mali coerceantur à malo, ut boni quietè inter malos vivant, ut sacri Canones docent, sed non intelligitur de alia potestate, quàm Imperiali, quæ omnes dignitates temporales excellit. Quis tunc disputasset cum magno augusto Othone de ipsius judicio super contendentes super Papatu seu perverso unico Papa, scilicet, quod non* nisi à Deo *possent judicari? Utinam talis Imperator surgeret temporibus nostris! Optimè fecit ille Augustus, ut Dei minister, sicq; faciendo non peccavit vel excessit, qui fuit adeò gloriosus & constantis animi, Deificus mundusq; Imperator, ut ejus magnificentia & memoria digna gesta testantur, sicut unquam fuit aliquis Romanus Patritius, Rex vel Augustus. Nec tenetur fortè, communi utilitate suadente, Imperator vel Rex Romanorum, fidelitatis juramentum præstitum tali perverso Papæ, vel alteri Ecclesiastico Prælato, notorio peccatori, vel incorrigibili, observare, quia ibi virtus deficit potestatis, ubi successit abusus; &* juramentum, *iniquitatis vinculum esse non debet; alias enim sequeretur, quod arctante illo juramento tales perversos & malos nemo impedire, atq;, ut ad viam redirent, admonere posset, quod Iuri communi & rectæ rationi repugnat, & cederet in Reipublicæ detrimentum; quia non perturbando perversos, cum possis, est ipsos in eorum malitiis confovere, &* error, *cui non resistitur, approbari videtur; cùm oporteat esse Episcopum sine crimine, quasi dispensatorem Dei, sed multò magis Papam, qui omnibus præest. Nec credo illud obstare, quod* Canonistæ *dicunt, quod* Papa, *nisi à fide sit devius*, dejici non possit, *&* quod nemo judicat primam sedem; *quodq; nullus potest auferre anthoritatem, quam conferre non potest. Ex his & similibus volunt inferre*, quod nemo, nisi solus Deus, Papam potest, *seu* licet judicare; *quia Papatus omnes dignitates excellit; quia* Papa *est* Dei Vicarius, & ipse omnes judicat. *Quæ licet ista teneantur, tamen in putativo & contendente de Papatu in Schismate variantur, nec subsistunt; nec etiam intelliguntur rationabiliter in* uno & indubitato Papa, malefico & Ecclesiam scandalizante, *quia ille reverà propriè dici non potest* Christi Vicarius, *quia Christi opera & mandata non sequitur, nec observat, in detrimentum maximum omnium Christianorum; & sic non* Papa, *sed* Bestia *magis propriè appellatur, qui enim à ratione deviat, non* Homo, *sed* Animal irrationabile *jure censetur. Et talis existens Papa videtur etiam esse* Tyrannus *potius, quàm* Dei Minister, *& ideò propter ejus demerita sit omnibus despectior, & ut indignus à tanto regimine sanctissimo removetur, quia* malus Sacerdos, *non dicitur* Sacerdos; *&* malus Episcopus *non est Episcopus.*

De hoc malo Episcopo & Bestia potius, quàm Papa idem Niemius in Epistola ad Ioh. de Monte Gargano, scripta A. 1408. & extat in Labyrintho Nemoris Vnionis Tract. 6. c. 33. p. 479. *Quãta fecit* Carolus M. *pro Republica*; & primus Otho Magnus Augustus, *qui non fuerunt Itali, sed Ultramontani, unus* Franco, *alter* Saxo, *ac uterq; in Alemannia natus, educatus, mortuus & sepultus? Qualiter autẽ more feliciũ Augustorũ Rempublicã adauxerunt, & quàm in celebri Statu* spiritualia & temporalia *direxerũt, vix posset quis calamo exarare. Quid autem ille* primus Otho Magnus Augustus *inter cætera miranda innumera fecit*? *Ecce dum* Papa Ioh. **XII.** *malè viveret, ac Piscatoris cathedram sordidaret, Cardinalesq; hoc ægrè ferentes, & ipsum bono modo & pio zelo admonentes, ut à talibus resipiscere aliquando, nec ut bene ageret, intelligere vellet; imò sacrilegas manus in quosdam ipsorum Cardinales irreverenter injiceret, etiã cũ* Venatoribus & Adulteris *partem suam inverecundia ponendo, hoc justissimus Imperator ipse Otho percipiens, subitò ad Italiam properat, inde ad Romam proficiscitur, ac* convocatis Episcopis ac Clero Synodum *jubet celebrari, in qua ipse* summus Sacerdos, *tanquam* indignus tali honore *deponitur. Cùm iterum* (p. 480) novum Schisma *in Papatu suo tempore ortum foret factione quorundam potentum Romanorum, & unus in Capitolio tunc firmissimo; & alter in Castro S. Angeli (quod tunc* Carcer Theodorici *vulgariter dicebatur, propter Theodoricum, Regem Gothorum, qui quondam illud in præsidium pro se tenebat in Urbe, dum Imperium occidentale tempore Justiniani Principis gubernaret) contendentes de Papatu, se incluserant invicem in Urbe cum suis potentibus & consangvineis, pugnarentq; assiduè, ac multa facinora perpetrarent, iterũ Otho Magnus Augustus hæc in dolore sentiens de Germania iter capit versus Vrbem memoratam, quam intrando more Cæsareo expugnat subitò* Arcem Capitolii *machinis & aliis bellicis instrumentis, & illa collisa seu ad terram prostrata vi capit, etiam illos, qui in eadem erant; & subsequenter expugnat etiam* Castrum *prædictum, & illo similiter capto violenter, & ad manum suam deductis illis, qui erant in eodem, multa etiam magna Palatia Romanorum, quæ ipsos certantes de Papatu in eorum pertinacia defendebant, demolitus est, ut adhuc veteres ruinæ testantur, iterum* convocatis Episcopis & Clero *in Urbe præfata, & in* generali Synodo *ibidem* celebrata, *& discusso*, quis illorum verus esset Papa, *illum, pro quo declaratum fuit, in Sede Apostolica honorificè collocavit, reliquum catenis onustum secum ad Saxoniam, quasi in exilium deportando, cujus corpus in Hamborg fuit traditum Ecclesiasticæ sepulturæ.* De duobus his schismatibus vitiisque stupendis Ioh. ex Luitprando, Trithemio & aliis agit I. C. Dieterich. Dissert. de Othone M. n. 10. p. 106. seqq. & in Breviario Pontificum Romanorum p. 184. 185.

III. CAROLVS IV. IMP.

ENarrabimus atque referemus ea, quæ ad Reformationẽ Cleri in animo habuit, & facilè colligi possunt ex Epistola Innocentii Papæ soliciti & ægre ferentis, *Ad n. 275 pag. 710.* quod Cæsar Clerum voluit corrigere vi jurisdictionis suæ, in qua de re dissidebant perpetuò Cæsares & Papæ, Papis quaquaversus permetientibus terras, ut commoditatibus suis inhient; cum enim Carolus, mitis alias Princeps & remissionis ani-

mi ergaPaparũ inſolentiã,ignaviamClericorũ,abuſumq; bonorũ ſpiritualiũ reprehenderet,eoſq; in ordinem vellet redigere pro ea,qua decebat, poteſtate Cæſarea, ibi fremere & indignari Innocentius, quod patet ex his Papæ verbis *Habet fide dignainſinuatio, facta nobis, quod tua Serenitas, attendens quoſdam Clericos & Eccleſiaſticas perſonas, tam ſeculares, quàm regulares, in partibus Alemanniæ conſtitutas*, effrenata quadam vivendi licentia, *contra Eccleſiaſticæ religionis decentiam , & Clericalis habitus honeſtatem, ſecularibus ſeſe actibus immiſcentes ad coercendos illorum errores & transgreſſiones temerarias refrenandas, Imperialis ſolicitudinis operam adhibere fervore devotionis intendit; jamq; ſuper his nonnullis Prælatis earundẽ partiũ literas certas deſtinavit*, cominationes ſequeſtrationis Eccleſiaſticorũ proventuũ faciendæ *per ſeculares Principes, continentes, ne Clerici ipſi , qui tanquam Dei miniſtri eſſe debent, cæteris modeſtiæ & gravitatis exemplar, in ſuam & aliorum perniciem incorrecti ulteriùs per vitiorum lubricum ingrediantur*. Propoſitum hoc Caroli piiſſimum reprehendit acerbè Innocentius, tandemq; concludit: *Nos enim, ad quorum ſpectat officium, ex injuncto nobis deſuper onere Miniſterii Paſtoralis, Prælatos prædictos per alias noſtras literas ſollicitos reddemus & vigiles, ut ſuper hujuſmodi prædictorum Clericorum & Eccleſiaſticarum perſonarum exceſſibus limam correctionis intendant; aliàs tam contra Prælatos eoſdem, ſi circa præmiſſa negligentes extiterint, quàm eorum ſubditos, cùm de eorum defectibus ſufficienter informati fuerimus, Apoſtolicæ proviſionis remedium tam ſollicitè, quàm efficaciter curabimus adhibere*. Id Bzovius Tom.14. Annal.ad A.1359. n.2.col.1266.recenſuit.

IV. SIGISMVNDVS, IMPERATOR.

INclytus Imperator inter varia ardua Imperii negotia, antiquiſſimo Imperii more, Conſtitutiones etiam neceſſarias erexit pro Cleri, tabeſcentis in doctrina & moribus, correctione, cùm ex illo vivendi genere pernicioſo varia etiam Imperio incomoda exoriri animadverteret. Eum in finem edidit *Reformationem univerſi Status Eccleſiaſtici*, quam juſſu Cæſaris conſcripſit Fridericus à Landſcroon, Conſiliarius Cæſaris; typis autem vulgavit A. 1476. Aug. Vindelicorum Ioh. Bemlerus, & annotamentis illuſtravit Goldaſtus Tom.1. Conſtit. Imper. p.170. & in Rationali p.107. vigore cujus emendantur Aulæ Papæ & Cardinalium; determinatur ſatellitiũ aulicorum, tollitur Simonia, profligantur libidines, compeſcitur tyrannis capp. 5.6.7.8. circumſcribitur ſtatus & officium Epiſcoporum c.9. & 13. officium & famulitium Suffraganeorum c.11. & 14. Archiepiſcoporum c.12. Paſtorum c.16.17.18. Canonicorum cap.19. Iohannitarum & Teutonicorum c.20. Benedictinorum & Bernhardinorum c.21. Monachorum capp.22.23.24.25.26. in ſpecie Præmonſtratenſium c.27. Mendicantiũ capp.28.29. Monialium c.30.31. Beguinarum capp.32. 33. Adimit quoque Epiſcopis & Abbatibus omnes Arces munitasque Vrbes, & edicit, ut illæ Imperio adjudicatæ Principibus & Nobilibus viris in feudũ à Cæſare tradantur c.37. Contradictum fuit huic Imperatorio Conſilio, quod verbis Tritenhemii trademus: *Sigiſmundus Rex in Concilio generali apud Conſtantiam perſonaliter exiſtens ſummis conatibus laborabat*, ut novam Cleri *quandã introduceret* Re-

formationem. *Sunt, qui scribunt, eum non satis in hac Reformatione sinceram pro Sacerdotibus mentionem habuisse ad finem, quod ex eo patet libello, quem Fridericus quidam ejus Minister, Hussita potius quàm Christianus, Cleri hostis & adversarius, in lingva Teutonica nomine ipsius Sigismundi Regis composuit, & Clerum omnem potius quàm reformandi commendavit. Verum Patres & Domini Cardinales, Episcopi & cæteri Fidelium Rectores, qui aderant, considerantes, quod propositus reformandi modus, omni Clero, maximè Prælatis, utramq; jurisdictionem habentibus, esset in omnimodam destructionem, citò & indubitanter futurus, unanimi consilio Regis contradixerunt proposito*; Chronico Hirsaugiensi ad A. 1416.

V. FRIDERICVS III.

SVpersunt in antiquis monumentis haud levia vestigia tyrannidis Papæ in integra Imperia & Regna exercitæ, adeò ut Roma, sedes olim Cæsarū, postea Paparū, verè facta fuerit *Spoliarium Orbis*, immensa pecunia sub titulo Religionis collecta, quam solvere tenebantur pro tributo, quod *Denariatum Petri* vocabant, pro primitiis, annatis, indulgentiis, appellationibus, dispensationibus, gratiis, palliis & id genus aliis; unde Vrbs Roma, tanquā in Telonio Orbis, sedebat instar Architelonæ, assiduè captans nummos, totumq; Orbē exactionibus suis gravans & expilans. Quanta *per Angliam* cauponationum & nundinationū variarum exempla fuerint, id diversis Regum exemplis in Classe sua monstratum fuit, de quibus ærumnis Angliæ creberrimis Casaubonus, ad Frontonem Ducæum Epistola p. 41 scribit: *Referre facillimum est de antiquis Romanæ Curiæ* in Reges Angliæ; Ordinem Ecclesiasticum, *& cum* Proceres, *tum* populum, *injuriis, vexationibus & angariis, alibi locorum nunquam auditis, & modū fidemq; superantibus rapinis; quorū malorum tot hodieq; extant testes locupletissimi, quot rerum Anglicarū ab annis sexcentis supersunt Scriptores; tot testimonia ineluctabilia, quot ferè paginis constant Matthæi Paris historiæ, viri omnium citimæ ætatis historicorum Anglorum eruditissimi, & Romanæ alioquin sedis acerrimi defensoris.* Idem etiā ærumnarum & onerum genus quammaximè per aliquot secula Germanicum Imperium sustinuit, maximè sub Gregorio VII. qui magna cum rabie opposuit se Imperatoribus nostris, nullumq; populū magis afflixit, quàm nos Germanos, videns, se non fore Monarcham, nisi omni autoritate Imperatoria deleta. Quàm tristia tunc fuerint tēpora, Flacius in Catalogo nonnihil exposuit; Curiæq; istius Romanæ Hildebrandinæ alibi delineandæ plenior dabitur occasio, neq; enim ullum fuit tempus, quo Imperium nostrum fuerit turbulentum magis, quàm sub superbissimo Gregorio, hosteq; ferali Cæsarū, adeò ut tantum sangvinis fusum fuerit, unde integri eo fluvii potuerint infici. Quod ad cæteros Imperatos attinet, quilibet passus fuit suos Manes Romanos; nec si Furiarum & Manium naturam consideres, res aliter se potuit habere; ut tandem coacti fuerint ineluctabili necessitate compulsi Imperatores, ambitioni Paparum cedere, atq; *Concordata,* quod sic vocarunt, cum iisdem inire; eoq; nomine Fridericus III. notus est, qui Numen illud Romanum, ex devotiori quadam obedientia nimis videtur in detrimentum Imperii coluisse, quemq; alicubi Flacius *nimis lentum* putat fuisse. Quæ per longas

invaluere moras, ea Fridericus, ad pacem propensissimus, vix corrigere poterat; ideoq; aliam is viam ineundam putavit, pervidens Romani pontificatus admirabile incrementum per terrarum Orbem, & Imperii detestabile decrementum; ut de sacro, imò sacerrimo, quod Pontifex in Vicedeatu suo terrestri instituerat, regno, reliquos mundanos Reges maximè superante, verba Thomæ Campanellæ tunc etiam obtinuerint, de Mon. Hisp. cap. 18. pag. 139. *Quod si omnes Principes & Populi omnia sua auxilia conferant,* ad solvendum Papatum, *nihil tamen efficient. Si expeditio Crucigerorum saltem unica indiceretur, omnes ubiq; Religiosi, quorum multæ sanè milliones, ad arma provolarent, mundo universo lingua gladiisq; restituturi atq; terrorē incussuri; neq; enim Populi contra homines sacros arma inferre essent ausuri; atq; si non omnes, maxima tamen pars illorum succubitura, cæteri vero sic exterriti animum remissuri. Etiamsi* Episcopus *ipse, aut* Papa sceleratus *sit homo, tamen Princeps gladium in illum stringens vincetur, etiam vincens.* Quid verò præstitum fuerit à Pontifice, quibusq; mediis, id liceat proferre verbis Epistolæ primæ Iani Alexandri Ferrarii, Cænobitæ Augustiniani, ad *W*alenburgios: *Tria sunt Numina, quibus Mortalium natura ineluctabili quadam necessitate videtur esse subjecta;* Ambitio *scilicet,* Avaritia, Luxuries. *Hæc nullis Philosophorum præceptionibus, nullis Legislatorum sanctionibus coerceri poterant. Unus inventus est* Homo, *qui altiori longè, quàm qui hominibus conveniat, fastu illa omnia conculcavit, sibiq; soli vindicata in triumphum deduxit, dum primum illud voluntariæ* Obedientiæ; *alterum* Paupertatis; *tertium* Continentiæ, *in voluntariis vinculis constrinxit, atq; ipse, licet* Servorum Servus *Reges omnes pro mancipiis aut Vasallis, licet auro & argento destitutus, universum Terrarum orbem ipsumq; Plutonis Regnum pro patrimonio; & licet* cælebs *omniq; matrimonio solutus, alienos, quos lubuit, thalamos pro suis habuit. Hæc quicunq; paulò attentiùs consideraverit, nunquid necesse est, ut fatentur, Eum, qui talia patrat, verè elatum esse super omnem, qui dicitur, Deum, ac super omne Numen in Dei Templo assidens, tanquam Deus, &, quod sit Deus, sese demonstrans?* Ex illa Romanæ Ecclesiæ Divinitate sceptrum gerens Pontifex Imperatorem Fridericum, vel invitum, ad *Concordata* flexit, quibus adhuc innituntur Ecclesiasticæ hierarchiæ capita quædam, quamvis adhuc non desint Imperii nostri Capita, quæ ab Ecclesiasticis quædam gravamina pati se conquerantur, quod nempe contra Concordata Nationis Germanicæ ab Aula Romana nimis graventur in causis Iustitiæ & Gratiæ; cum enim Natio Germanica jamdudum animadvertisset & cōquesta esset, se sub Annatarū sive Redituū unius anni alicujus demortui Prælati, aliisq; sub schematib⁹ pecunia emungi, cōtra Friderici Imp. A. 1442. cum Nicolao V. Pontifice, Concordata, de moderatione ejusmodi Exactionū aliquoties actum fuit in Conventibus Imperii; cumque hoc fine stare nesciret avaritia Pontificū, Status Imperii denuo conquesti sunt, uti videre licet apud Limnæum in Notis ad Capitulationem Caroli V. Artic. 15. & in Mantissa ad eosdē Articulos num. 3. & seqq. ubi ex Goldasto Concordata ista repræsentat pag. 395. unde cum

redi-

redirent illæ querelæ ante paucos annos, cautum fuit per Capitulationem Leopoldi I. Artic. 19. hoc modo: als über und wieder Concordata Principum, auch auffgerichtete Verträge zwischen der Kirchen / Päbstlicher Heiligkeit / oder dem Stuhl zu Rom / und teutscher Nation / mit unförmlichen Gratien, Rescripten, Annaten der Stifft / so täglich mit Mannigfaltigung und Erhöhung der Officien, am Römischen Hoff / auch Reservation, Dispensation, und sonderlich Resignation, all solcher Præbenden / Prælaturen / Dignitäten / und Officien / die sonsten per obitum ad Curiam Romanam nicht devolvirt werden / sondern jederzeit / ohngeachtet in welchem Monat sie auch ledig oder vacirend worden / denen Ertz- und Bischoffen / auch Capitulen und andern Collatoren zuvergeben heimfallen; wie weniger nicht per Coadjutorias Prælaturarum electivarum & Præbendarum, oder in andere Weg / zu Abbruch der Stifft Geistlichkeit und anders / wieder gegebene Freyheit / darzu zu Nachtheil deß Juris Patronatus, und deß Lehenherrn stetig und ohnunterlässig offentlich gehandelt / derhalben auch ohnleidliche verbottene Gesellschafft und Contracten oder Bündnuß / als wir berichtet / vorgenommen und auffgerichtet worden / das sollen und wollen wir mit der Churfürsten / Fürsten und andern Ständen Raht bey unserm heiligen Vatter dem Bapst und Stuhl zu Rom / unsers besten Vermögens abwenden und vorkommen; auch darob und daran seyn / daß die vorgemelte Concordata Principum und auffgerichtete Verträge / auch Privilegia und Freyheiten gehalten / gehandhabt und demselben festiglich gelebt und nachkommen. Nec seclusæ sunt à Capitulatione Leopoldi querelę *de causis Justitiæ*, cum Pontifices & eorum Nuntii nullis sese Legum vinculis constringi arbitrati, non dubitarent etiam in causis civilibus subditos Imperii ad se, vel planè ad curiam Romanam evocare.

VI. MAXIMILIANUS I. IMP.

AUgusta jam sua, quæ in Brabantia habuit dominii jure in Ecclesiasticos, defendit contra Sixtum IV. qui in limites excedebat, evocans anno 1477. in urbem Romam Theodoricum Thulden, Cœnobii Parcensis in Brabantiâ Abbatem, ut de læsâ autoritate Sedis suæ Romanæ coram eo causam diceret. *Volumus, inquit, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, ut infra terminum duorum mensium à receptione præsentium computandorum nostro conspectui te præsentes, alioquin scito te privationis periculo subjacere.* Austriæ tunc Archidux & Belgii Princeps eâ re cognitâ literis Abbatem monet 23. Nov. 1478. ne Pontificiæ evocationi morem gerat, inquiens: *Vobis districtè præcipimus, & mandamus, ne eam ob causam extra Patrias nostras vos absentetis; imò statim visis præsentibus ad Nos veniatis.* Eâdem die ad Pontificem scribit, civilibusq; verbis citationi intercedit, addens: *Si deniq; vestra Sanctitas causam cognoscere cupit, eam, ut committat alicui in his partibus Prælato, Viro probo, partibus non suspecto. Nec ut secus agatur, facilè ferre potero.* Non hinc mutatus Papa sententiam suâ prosequitur; inde rursus Archidux respondit: *Si Abbas cujuspiam delicti reus, animadversione quâlibet dignus existimetur, non adversabor, quin Apostolicæ sedis honoris ratio*

Ad Num. 415. p. 836.

in hoc habeatur, dummodo Indice in partibus dato idoneo & neutrali, id juris ordine compertum sit. Quod profectò sic æquum sustineo, ut frustra secus aliquid à me exigatur, adjuvante Domino Deo. Animadvertens Sixtus Maximiliani voluntatem pro jure suo etiam armis defendendo stabilem, mitior redditus Pontifex Præposito Ecclesiæ S. Johannis in Urbe Trajectensi ad Rhenum committit causam; cumque is Abbati diem dixisset ad respondendum in Diæcesi suâ contra privilegia Brabantiorũ, qui intra limites suæ Provinciæ erant judicandi, Maximilianus in Epistolâ ad Præpositum scribit 1. *Intelligimus, Vos virtute certæ Commissionis Venerabilem Patrem Theodoricum, Abbatem Monasterii nostri Parcensis, coram vobis in causam traxisse, Procuratori cuidam, Apostolicæ sedis Fiscali, ad hoc, ut dicitur, deputato, super certis Articulis responsurum; unde revera miramur plurimum &c. Verùm quia is modus agendi Nobis & Subditis nostris* gravis admodum *est* & intolerabilis, *ac apertè gnavius publico Statuto & Privilegio; quo Fidelibus nostris, populo & Statibus Ducatûs nostri Brabantiæ jurejurando promisimus, non sine re quemvis ex eis extra Ducatum ipsum ad judicium evocari, quo minus frustratorii, vexetur molestiis & expensis, quam intus non desint, qui expeditam administrent justitiam, vos* seriosè requirimus, *ut eum judici competenti relinquas judicandum; quod si secus fieret, id Nobis ingratissimum esset, & opportuno remedio refelleremus, cooperante Domino Deo.* Hæc pro jure suo Cæsar contra evocationem Pontificis quæ retulerunt Belgici Theologi in scripto 1653. edito contra Innocentii XI. Pontificis Romani, Bullam adversus Cornelii Jansenii Propositiones c.2.p.15.16.17. Quomodo pæna injecta circa annum 1485. & 1495. Appellationibus ad Romanam Curiam aliisq; Censuris, pag. 19. 20. tradunt.

VII. BONIFACIUS, EPISCOPUS GERMANIÆ.

Ad num. 84. p. 88.

Bonifacius, quem Gregorius II. in Germaniam missum & Archiepiscopatui Moguntino præfecit Anno Christi 717. Anglus natione fuit, & doctrinam Evangelii, qualis ea tunc quidem tradebatur, in Bavariâ, Franconiâ, Thuringiâ, Hassiâ & Frisiâ propagavit; Episcopatum Eichstetensem anno 740. triennio pòst Monasterium Fuldense; itemq; post alterum triennium A.C. 746. Episcòpatum Wirtsburgensem instituit; à Frisiis tandem, quod à Christianismo defecerant, interfectus Anno Christi 754. 5. Junii, cujus Epitaphium Fuldæ ostenditur Generatim de Saxonum primis Episcopis testatur Crantzius 2. Sax. 16. pagiu. 40. quo de *verbo Dei strenuè instituerint*; & testantur multæ in Germania regiones quanto labore Bonifacius peragrârit diversas Germaniæ regiones, ut illis Verbum Dei annunciaret. Quanta verò fuerit in Bonifacio rerum divinarum imperitia, Epistolę dabunt, è quibus etiam constabit, Idus de ritibus fuisse solicitos Pontifices & Episcopos, quàm de doctrinæ Christianæ puriori perspicacitate. Quæ, quæso, solicitudo fuit egena Zachariæ Pontificis, quando in Epistolâ ad Bonifacium Constitutionem fecit de Volatilibus, *Graculis* sc. & *Corniculis* & *Ciconiis*, ne edantur; etiam esum vetans leporum & equorum sylvaticorum? Eâ solicitudine providit, Bonifacium monet, ut *lardum* non edatur, nisi

nisi prius super fumo ficcetur,aut igne coquatur.Extat ea Epistola Tom.2.Conciliorum pag.452.ejus mentionem fecit Flacius p.90. de Reformatione in Germaniâ per primos Doctores, & posteâ per Bonifacium,facta, & præcipuè quoad Conjugium Sacerdotum,recitabimus verba D. Chem ex parte 3.Examinis C.T.p.143. *Evangelium Christi ab Apostolorum statim tempore in superioribus Germaniæ partibus susceptum, non injecit Sacerdotibus Germanicis* laqueum cœlibatus *seu* prohibitionem Conjugii; *ab initio enim suscepti Evangelii per annos ferè mille* Conjugium Sacerdotum,*non tantùm usitatum.sed honorificè habitum & defensum fuit in Germanicis Ecclesiis.*Posteapag. 145. *Inter capita Reformationis Ecclesiarum in Germaniâ per Bonifacium non postremum erat* Lex cœlibatus *seu prohibitio Conjugii Sacerdotum*; *sed quia Bonifacius animadverterat Germanos à vagis libidinibus adhorrere,amantes verò, reverentes & tenaces esse legitimi fœderis conjugalis, sicut ipse Bonifacius apud Nauclerum Tomo secundo paginâ primâ scribit:* In antiquâ Saxoniâ si Virgo in paternâ domo stuprata vel Matrona fuerit adulterata strangulatam cremant, & super fossam sepulturæ corruptorem suspendunt, aut cingulo tenus vestibus succisis flagellant, castaque Matronæ pungunt de villâ in villam donec interimant. *Pontifex igitur non ausus fuit Sacerdotibus Germanis primo aditu legitimum connubium prohibere;sed Gregor.II. hoc tantum mandavit Bonifacio Epistolâ tertiâ, ne bigamos in Sacerdotum ordinem cooptaret. Mandat Gregorius II. Bonifacio,ut tantùm bigamos, & eos,qui viduam ducerent,à sanis prohiberet Ordinibus in Epistolâ ad universum Clerum & plebem Thuringiæ,ubi scribit: Dedimus Illi in mandatis, ne unquam Ordinationes præsumat illicitas, (sc) ne bigamum,aut qui virginem non est sortitus uxorem, ad sacros Ordines permittat accedere. Quàm corruptus Sacerdotum status paulò ante Bonifacii adventum fuerit, quantamq́ operam insumferit Bonifacius ad corrigendos mores & impietatem tollendam falsis verbis Aventinus describit lib.*3. *Annal.p.*211.212.213.214.215.*Impietatem laxosq́ mores Sacerdotum audi. Nihil salacius,nihil superbius Sacerdotibus erat.*Canes & scorta *alebant, luxu atque avaritiâ perditi.* Decimas *& hujusmodi donaria intercipiebant contra instituta Majorum,nil egenis elargiebantur.*Ecclesiasticas opes,*bona pauperum soli abliguriebant. In concionibus non rem Dei opt.max.sed negotium suum agere solebant. Quotidie liberis operam dabant,nihilo secius sacrificabant. Sacrosanctam victimam impuris manibus,pollutissimâ conscientiâ contaminabant. Ipsi temperantiæ,omnibus virtutibus,maximè* castitati, *bellum indixerant.* Ipse Papa Zacharias monetur à Bonifacio, velit ritus quosdam Ethnicos Romæ usitatos tollere,nec indulgere Episcopis & presbyteris fornicatoribus locum in Ecclesiâ: Epistola extat ad Zachariam Tom.3.concil.Venet.p.428.

VIII. LUITPOLDUS, ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINUS

IN Ecclesiasticis negotiis suæ sedis authoritatem masculè stabilivit contra Leonem IX.Papam,Romanumque Pontificem,cùm vellet suum primatum exercere in Ec- Ad Num. 140 p.232.

 clesia

clesiâ Wormatiensi Moguntinæ diœcesis repulit quàm tunc in propriâ Ecclesia suam potestatem, spretâ Papæ prohibitione, ostenderit Pontifex Moguntinus, id verbis Abbatis Urspergensis recensebimus: *Apostolico & Imperatore Henrico III. Natalem Domini cum divino & regio cultu* Vormatiæ *agentibus, Missarum celebratione in sanctâ die peractâ, ut oportuit ab Apostolico, in sequenti die* Luitpoldum Moguntinæ sedis Archiepiscopum, *in suâ diœcesi præcipuum, huic subrogavit officio. Qui peractâ processione, & ubi ad hoc ventum est dictâ oratione, postquam se in suâ sede locavit, quidam ex Diaconis suis,* Hunibertꝯ *nomine, (sicut multi ob illius festi venerationem solent) lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis Papæ assistentibus vituperantes, & contra Papam,* quia Romano more non ageretur, *objurgantes persuaserunt ei, ut ad eundem Diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod cùm ille juvenum more contemneret, iterum mittendo Papa interdixit. Qui mox eâdem vocis sonoritate, quâ prius, cantavit; legendo decenter lectionem usq; ad finem perduxit. Quâ finitâ Papa illum ad se vocavit, & quasi pro inobedientiæ contumaciâ degradavit;* Archiepiscopus *verò misit ad illum ut suum sibi redderet Ministrum. Quod ubi Papa abnuit, Pontifex, ut erat antiquæ disciplinæ, licet ægrè, patienter interim tacendo sustinuit. Perlecto autem Evangelio & decantato Offertorio, ubi sancti sacrificii tempus advenit, Pontifex* (Mogunt.) *in sede suâ resedit, verè contestans, nec se, nec alium quempiam completurum illud officium, nisi reciperet processionis suæ ministrum. Quod ubi Apostolicus intellexit, Pontifici cessit, reindutumq; Ministrum continuò remisit. Quo recepto, debito se Præsul injunxit officio. Quâ in re & Pontificiis* (Mog.) *autoritas, & Apostolici* (Papæ) *consideranda est humilitas, dum &* Ille *officii sui dignitatem defendere contendebat; &* Iste, *licèt majoris dignitatis,* Metropolitano *tandem in suâ Diœcesi cedendum perpendebat.* Hæc Urspergensis in Chronic. pag. 230. quæ Baronius, omnipotentiæ Papalis assertor, concoquere non potest, & ad convitia more suo se convertit, Abbatem schismatis insimulans, & nescio quem fœtorem tribuens Tom. II. Ann. ad A. 1052. n. 14. Si quis veritatem scribit, & de Romanâ Ecclesiâ, libertatis quodam Spiritu actus, non Baroniano more scribit, is statim fœtet, & audit schismaticus. Quę autem Flacius retulit sub titulo Leonis IX. commodiori sede sub Luidolpho videntur locari posse.

IX. DIETHERUS, ARCHIEPISCOP. MOGUNTINUS.

DE autoritate Romani Imperii egregiè & sensit & scripsit Æneas Sylvius, dum fuit Friderici III. Secretarius; sed factus Pius II. sive Pepa Romanus, prorsus alius fuit factus, nimiumq; arrogans fuit ejus postulatum, quo voluit, (ut taceamus expilationes Germaniæ) ne Elector Moguntinus Dietherus de Isenburg, inconsulto aut inscio Pontifice Romano, Septemviros ad eligendum novum Imperatorem, aut de aliis rebus in Imperio constituendis, convocaret; cum a. Elector non tam expilationib. Pontificis, quibus Germaniam premebat, adversaretur; neq; etiã se vellet obstringere ad postulata nova; sed Collegii Electoralis autoritatẽ adversus technas Pontificis heroico animo tueretur, Papa fulmine excommunicationis evibrato movet Archiepisc. & substituit Adolph. Nassoviensem. Grave hinc & periculosum exarsit

bellum

bellum, in quo Diethericum defendit Fridericus Palatinus, Rheni Septemvir, prope Heidelbergam commiſſo prælio anno 1462. Carolum, Marchionem Badenſem; Ulricum Comitem Wirtembergicum, Georgium, Epiſcopum Metenſem cum XL. Comitibus & Nobilibus cepit, datoq; convivio panem non appoſuit, eò quod antè ſegetes exuſſiſſent, de quo prælio facti tūc rhythmi: Da ſing ein ſtarcker Pfältzer; ein Bader/Jäger und Sältzer. De his ita ſcribit Autor Paralipomenorum Urſpergenſis Abbatis pag. 440. *Papa pius ob has cauſas potiſſimum adverſabatur Diethero, propter quas etiam privavit*; 1. *quia non conſentiret Dietherus in impoſitione Decimæ vigeſimæ aut Triceſimæ*; 2. *quia Dietherus noluit ſe aſtringere Pontifici Romano; petente, ne Dietherus unquam principes Electores convocaret absq; ejus (Rom. Pont.) licentiâ*; 3. *quia Dietherus noluit Legatis Pontificiis permittere, ut eorum libito convocaret Clerum. In Comitiis Viennæ, & poſthac Bambergæ Oratores Dietheri graviter in Legatos Pontificios invehunt. Excommunicatur Dietherus per Auditorem Cameræ, Coloniæq; publicatur. Hinc Moguntinus exarſit in irâ, & de vindictâ ſuſcipiendâ cogitavit. Gregorium Heimburg Doctorem accerſivit in Conſiliarium ad Comitia Norimbergenſia. Scribit Dietherus ad Principes Germaniæ contra Papam & Sedem Apoſtolicam, ſatagens, ut exoneretur Natio Germanica ab oneribus Curiæ Romanæ contra decreta Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis. Solutio Annatarum propter exceſſivam Taxam Articulorum unus erat. Inſtituitur Appellatio à Papa ad generale Concilium. Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ; & Fridericus, Marchio Brandenburgenſis, & alii Principes adhærent appellationi. Summa, quæ danda fuerat per Dietherum, erat XX. millia, ſexingenti & quatuor floreni. Scribuntur duæ Epiſtolæ à duobus Electoribus, Palatino & Brandenburgenſi, ad Papam, acres & pungentes, complectentes hos ſex Articulos*; 1. de tollenda Decima; 2. de revocandâ Conſtitutione Mantuana; 3. de auferendis Annatis ſecundum Decreta Concilii Baſileenſis; 4. de congregando Concilio; 5. de gravamine illato ſingulariter electo Moguntino, & adhærendo Appellationi ſuæ; 6. de accipiendo in his remedio, dato, quod Papa non vellet hæc facere, ut incepta ſunt, *Reſpondetur à Pontificiis Oratoribus ad omnia, afferuntur argumenta, ne ad futurum Concilium appelletur; defenduntur Annatæ; excuſatur Simonia; Pragmatica Sanctio convellitur; Habent Oratores Pontificii colloquium ſecretum cum Diethero, proponitur, Moguntinum non poſſe inferre bellum Papæ Romæ, ſed viciſſim. Capita Appellationis faciunt libellum famoſum. Minantur Oratores de alio profiniendo, Moguntinam Eccleſiam archicathedralem facere ſuffraganealem. Duci vult Papa, non cogi. Cardinalis de Cuſa ſcribit ad Fratrem Moguntini Johannem de Iſenberg, hortans, ut moneret Fratrem ſuum, ut humiliaret ſe, & peteret veniam à Papa. Has literas Dietherus à Fratre in Hoeſt accipit. Interea & Papa pius duobus Electoribus, Palatino & Brandenburgenſi ſcribit, ſe excuſans, quod Taxam non auxerit. Scribit dilectis Filiis*, Decano & Capitulo Moguntinenſi, *conqueritur de Diethero, qui vellet ſedem Apoſtolicam humiliare, & Imperialem evehere; & quod vera etiam in Papam dicere eſſet contra juramentum Epiſcoporum*, Conqueritur viciſſim Dietherus contra Papam

literis in publicum emissis & datis Hœstæ anno 1462. Dom. Lætare, quas in formâ patenti, ut loquuntur, habemus, prout eo ipso editæ sunt anno in quibus exprobratur Papæ, daß er unermahnt/ unersucht/ unerfordert/ unerklagt/ unverhört und unverantwort/ darzu unerlangt/ und unerwonnen aller Gericht und Recht/ sondern alles Gerichts und Rechts-Ordnung/ Fürstlichen Ehren/ Würde und deß Stiffts entsetzt worden. Quum verò Papa Vasallos Moguntinos liberasset à fide & obedientiâ ergaDietherū, eam insolentiā in Papalio his verbis taxant literæ apologeticæ: Und ob sie in Verdeckung und beschönung solches jres Mißhandels vorhalten und zuerkennen geben wolten/ dz unser H. Vatter der Bapst sie von solchen Gelübden und Eyden absolvirt und entbunden hette/ mag ein jeder vermercken/ nachdē in diesen teutschen Landen erlösunge und Entbindunge übergethan geschworē und gegeben Gelübde/ Eyde/ Brieffe und Sigel/ darauff dann aller Glaube und Vertrauen dieser Lande bißher gesetzt von allen Erben Stadehohe Veracht und nie gebraucht worden ist. Wo nun solches von Fürsten und Herren geübet und fürgenommen werden solte/ was Bedrängenes und Ubels allem Geistlichem und Weltlichem Stande Teutscher Lande davon entstehen würde; dann durch solches alle verbrieffte und versiegelte Schuld/ Privilegia, Freyheit und löblich Verschreibung einem jeden entzogen und verrichtet werden möchte. Daß als wir getrewen niemand gefallen/ sondern von einem jeden vernünfftigen Menschen übel und nicht recht gethan geachtet werden solle. Orationem Diether ad Papam his repræsentat verbis Ioannes Gobelinus lib. 6. Comm. Pii Secundi p. 143. *Quibus me modis persecutus fuerit superioribus diebus Rom. Pontifex, nullum vestrum arbitor, viri fortes, ignorare; repetam tamen breviter, si quis ignoret, quæ norunt omnes. Inprimis cùm essem ad Ecclesiam Moguntinam electus, misissemque Procuratores pro veteri consuetudine, ad impetrandam confirmationem usque Mantuam ubi tum erat Rom. Curia, diù preces meas suspendit contemsitque, Procuratores vacuos remisit, cum nollent indignis petitionibus assentire. Petebatur magna vis auri Confirmationis causâ, juramentum insolitum exigebatur, illudqud inter cætera prorsus indignum requirebatur, ut Conventus nationis suæ injussu non cogerem. Præterea alia multa* Nationi Germanicæ *gravissima* de Decimis atque Indulgentiis, *ad quas præstan jubebar assensum; substitui, quoad potui non acerbo animo dilationem. Remisi Procuratores, novas adjeci preces, pecunias obtuli, quas consuessent mei prædecessores Apostolico ærario pro confirmatione inferre. Diu protracta res est. Postrema cùm alio modo confirmationem obtinere nequirem, juravi præter consuetudinem, antequam annus elaberetur ad præsentiam me Pontificis conferre, negotiatores rogati à meis Procuratoribus in se onus faciendæ solutionis, & me sibi in formula, quam vocant Cameræ, obligatum assumserunt. Præteriit tempus, non potui in præfixo termino satisfacere, excommunicatus sum & publicè denunciatus. Hæc de mea causa. Cæterùm quantum ad vos attinet, quid si velle vel* Decimas, *quas petunt, vel* Indulgentias, *quas afferunt, arbitramini?* Bellum contra Turcas gerendum *ajunt*, pecunia opus esse. *Insidiæ sunt, quod si me audiveritis*
m

non prævalebunt fraudes. Ego ad futurum Concilium *appellavi, non tam quod injustè sum excommunicatus, quàm me Provinciales mei Decimarum onere afficiantur. Unicum hoc nobis remedium adversus Apostolicæ sedis imperium relictum est. Vos si sapientis exemplo meo, & vobis ipsis, & subditis vestris peropportunè consuletis.* Quid in contrarium afferatur ibi legi potest.

X. UDALRICUS, EPISC. AUGUSTANUS.

DE Epistolæ argumento Wolfgangus Ulissenburgius Præfat. ad Antilogiam Papæ pag.18. *S. Huldericus Nicolaum I. piè hortatur, ut à diris execrationibus, quibus Clericos connubio junctos insectabatur, desisteret, cùm obscurum non esset ad continentiæ donum non omnes esse vocatos à Domino; nam, ut Gratianus habet, in sua Decretorum compilatione* dist. 32. c. De illo. *Idem, Nicolaus cùm esset superstitiosè religiosus, durius suis Antecessoribus conjugalem castitatem Clericorum persequebatur. Magna itaque gravitate illum Huldericus ab eo furore revocat, ne nova tyrannide perditionis causa multarum animarum existeret.* Huldericus Nicolai I. fuit σύγχρονος, sicut Onuphrius ad A.858. immediatè conjungit utriusque historias. Alter etiam Uldaricus fuit itidem Augustæ Episcopus, qui demum anno 978. mortuus & in numerum Sanctorum relatus fuit, teste Autore Compilationis Chronologicæ ad eum Annum. Epistolæ illius argumenta, ut & adversarias exceptiones, proponit Chemnitius Part.3. Concil. Trident. p.147. ubi initio ait: *Digna est Epistola illa Hulderici, quæ extet & legatur in Ecclesia; meliùs enim quàm omnes illorum temporum Historia ostendit, quibus argumentis res utrinque acta sit & pro Conjugio & contra Conjugium Sacerdotum.* Postea pag. 149. *Totam historiam de Conjugio Sacerdotum in Germania* Huldarici Epistola *clarius illustrat, quàm multorum Historicorum de istis temporibus prolixæ scriptiones; tantum autem Ulricus gravi, solida, mascula & verè germana sua responsione effecit, quod ex illo tempore libertas Conjugii Sacerdotum in Germania intemerata mansit per annos fermè ducentos usque ad Hildebrandum.* Ad num. 78. p.79. Scriptum hoc Ulrici sudes est in oculis Pontificiorum, unde Hispanici Censores in Indice Expurgatorio Card. Quirogæ, edito Madriti anno 1584. jubent, ut deleatur tota illa Epistola. Sic timent testificationem veritatis; eamque ut expungeret Retserus Præfatione in Vitam S. Udalrici, circa finem non sine felle evomuit ab impuro nebulone confictam fuisse ait, his præcipuè argumentis, quod ad Nicolaum Papam scripta fingatur, qui tum temporis nullus in rerum natura fuerit, quum Nicolaus obierit ipsis viginti annis ante natum Udalricum; Nicolaus autem secundus vixerit octoginta annis post eum mortuum. Deinde quod Æneæ Sylvii testimonium, cujus meminit Flacius p.80. Romana editio non agnoscat. Quasi verò ignorari possit Index Expurgatorius, & quomodo truncari soleant à Papistis libri. Edi sensim eam Epistolam curavit Flacius Magdeburgi, Michaelis Lotheri typis anno 1550. cum

hoc

hoc titulo: *Epiſtola S. Hulrici, Epiſcopi Auguſtani, circiter ante ſexcentos & 50. annos, ad Pontificem Nicolaum I. pro defenſione Conjugii Sacerdotum ſcripta, ex qua apparet, quàm impudenter Papiſtæ S. Patres jactent, cùm & vita & doctrina cum S. Patribus planè ex diametro pugnent.* Præmiſit Præfationem Flacius, & ad Chriſtianum lectorem docet exemplis, quàm non poſſint dogmata ſua ex Sacris literis & Patribus tueri Pontificios, quos etiam in Epiſtolam S. Udalrici deducit, ut inibi videant, quòd neque in Sacris literis, neque Patribus, ſubſidium habeant; ex ea verò doctrina de prohibitione Conjugii damnum Eccleſiæ datum fuiſſe, Sacerdotibus impurè viventibus, infinitas honeſtas fæminas corrumpentibus, atque ita orbem terrarum ſcortis & ſcortationibus replentibus; ſuo exemplo alios homines cùm ad turpitudines invitantibus, tum & multipliciter ſcandalizantibus. *Ex qua re*, inquit, *infinitarum animarum exitium, Chriſtianæ doctrinæ corruptio, & totius propemodum Eccleſiæ interitus conſequutus eſt. Hoc efficit veteris Adami ſapientia, qui vult eſſe ſanctior, quàm ſicut Deus eum condidit.* Concludit, ingentia & multiplicia mala ex unico hoc Papiſtico errore conſequuta fuiſſe. Eam Epiſtolam in membranis vetere Scriptura perſcriptam ſe vidiſſe ait Ivellus, Scrisburienſis Epiſcopus, Tom. 2. Oper. contra Hardigum p. 172. Inventam eam fuiſſe Epiſtolam in quadam Bibliotheca oppidi *Veteris Aquæ*, Germanicè Aldwater / in Hollandia notant Paralipomena Abbatis Urſpergenſis pag. 449. Obiit S. Udalricus anno ætatis 83. poſtquam Auguſtanam Eccleſiam annis quinquaginta rexiſſet.

XI. OTHO, CONSTANTIENSIS EPISCOPUS.

Ad num. 163 p. 329. DEcretum de Cœlibatu Clericorum Gregorius VII. Papa, qui & Hildebrandus, paſſim per omnes Occidentales Eccleſias promulgari cœpit, zelo fervido in ea re obtinenda, edictoque ſeverus in Presbyteros conjugatos. Eò ſic deſcribit Lamb. Schafnaburgenſis ad A. 1074. p. 212. *Hildebrandus Papa cum Epiſcopis Italiæ conveniens jam frequentibus Synodis decreverat, ut ſecundum inſtituta antiquorum Canonum* Presbyteri Uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur; *nec quiſquam omnino ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamque cælibem profiteatur. Hoc Decreto* per totam Italiam *promulgato crebras literas* ad Epiſcopos Galliarum *transmittebat, præcipiens, ut ipſi quoque in ſuis Eccleſiis ſimiliter facerent, atque à contubernio Sacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate reſecarent. Adverſus hoc Decretum protinus vehementer infremuerat* tota factio Clericorum, *hominem planè hæreticum & veſani dogmatis clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait:* Non omnes capiunt hoc Verbum; qui poteſt capere, capiat. *Et Apoſtoli:* Qui ſe non continet, nubat; melius eſt enim nubere quàm uri, *cùm violentâ exactione homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei fræna laxaret; quod ſi pergeret ſententiã confirmare, malle ſe* Sacerdotium, *quàm* Conjugium *deſerere, & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, unde gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus Angelos comparaturus eſſet.*

esset. Nihilominus ille *instabat, & assiduis legationibus* Episcopos omnes *socordiæ ac desidiæ arguebat, & nisi ocyus injunctum sibi negotium exequerentur, Apostolicâ se censurâ in eos animadversuram comminabatur.* Conjugiis itaque in perpetuum damnatis dedit literas ad Othonem, Episcopum Constantiensem, præcipiens in sua diæcesi, conjugium prohiberet adhuc inconjugatis, & ut inter conjugatos conjugii vinculum solveret; Otho Episcopus satis iniquè hoc Hildebrandum moliri sciens, nec Sacerdotum conjugia dirimere, nec inconjugatis potestatem ineundi conjugij adimere voluit. Commotior hinc Pontifex scribit ad Constantiensis Diæceseos Prælatos & Clericos, eosque ab obedientia erga Episcopum liberat, diem autem dicit Othoni Romæ in Synodo, sicut extat in Epistola, quam Flacius totam attulit. In eâ Synodo Romana quid promulgatum fuerit per Italiam, quid soluta Synodo ad Galliæ Episcopos scriptum fuerit, & quàm infracto animo Clerus decreto Pontificio obstiterit, ex Lamberto auditum, indignante toto Clero, Pontificem id velle auferre, quod Deus & natura concessit, suggerere malum Spiritum dogma, quod pugnet contra Dei Verbum & contra Pauli sanam doctrinam; aperire fores ad immunditiem & scortationem; sique conjugati Sacerdotes Pontifici sorderent, evocandos esse Angelos è cœlo, qui Ecclesiis præsint. Nil honestis rationibus permotus Pontifex Episcoporum animos accusat ignaviæ & socordiæ; minaturque dira fulmina. Bona pars Episcoporum tyrannide Gregorii territa, omnibus modis dat operam, ut Sacerdotes priventur aut uxoribus, aut sacerdotio. In nostra Germania Archiepiscopus Moguntinus eas difficultates videns suum Clerum admonuit amice, moram deliberandi concedit, monetque diligenter, ut obedirent Romano Pontifici, sibique caverent à pœnis, qua de re præstat audire verba Lambertica: *Archiepiscopus Moguntinus sciens non parvo constare operam hanc, ut tanto tempore inolitam consuetudinem revelleret, atque ad rudimenta nascentis Ecclesiæ senescentem jam mundum reformaret, moderatiùs agebat cum eis, & primò eis in dimidium annum inducias deliberandi copiam dedit, hortans eos, ut, quod necessariò faciendum sit, sponte faciant, & tam sibi quàm Romano Pontifici necessitatem adimant aliquid in eos, quod secus sit, decernendi. Ad ultimum congregatâ* Synodo in Erfordia *mense Octobri pressius jam imminebat, ut relegata omni tergiversatione in præsentiarum* conjugium abjurarent, *aut* sacri altaris ministerii *se abdicarent. Multas è contra illi rationes afferebant, quibus instantis perurgentisque improbitatem eludere, sententiamque cassare niterentur; cumq; adversus Apostolicæ sedis autoritatem, quâ se ille ad hanc exactionem propter voluntatem propriam compulsam obtendebat, nihil argumenta, nihil supplicationes precesque proficerent, egressi tanquam ad consultandum, consilium ineunt, ut in Synodum non redeant, sed injussi omnes in domos suas discedant. Nonnulli etiam confusis vocibus clamitabant, melius sibi videri, ut in Synodum regressi ipsum Episcopum, priusquam execrabilem adversus eos sententiam promulgaret, cathedrâ Episcopali deturbarent, & merita morte mulctato insigne monumentum ad posteros transmitterent, ne quis deinceps successorum*

ii *ejus*

ejus talem sacerdotali nomini calumniam struere tentaret. Cum ad Episcopum relatura esset, hoc eos machinari, commonitus à suis, ut tumultum, qui oriebatur, matura moderatione præverteret, misit ad eos foras, rogavitque, ut sedato pectore in Synodum regrederentur, se, cùm primùm opportunitas arrisisset, Romam missurum, & Dominum Apostolicum, *si quâ posset ratione*, ab hac sententiæ austeritate *deducturum. Postero die admissis in auditorium communiter Laicis & Clericis, veterem illam de reddendis Decimis querelam replicat.* Non disputationi, non precibus locus erat, vel apud Pontificem, vel Archiepiscopum Moguntinum, qui Pontificis jussa volebat exequi, cumq; animadverteret Moguntinus, vim cum periculo conjunctam, pollicetur, operam se daturum, ut Pontificem Romanum, quem *Apostolicum* vocat, ab ea sententia abducat, jubens interim, ut sua officia curent. *Plures Clerici*, scribit Marianus Scotus ad A.1075.p.453. *sub sententia interdicti Apostolici libentius esse voluerunt, quàm fæminis & uxoribus carere; sed ut vel per alios castigarentur, decrevit Papa synodica Legatione etiam hoc anno, ut nullus Christianus audiret Missam conjugati Presbyteri.* Eo anno Moguntinensis Archiepiscopus, jubente Curiensi Episcopo, quem Pontifex cum mandatis ad eum miserat, Synodum Moguntiæ congregat, in qua præcipit Clero sub anathematis pœna, ut vel uxoribus, vel sacris officiis in perpetuum renunciarent. Clerus causam suam dixit imperterrito vultu & animo; cumque defensioni non daretur locus, coorta seditione res tanto impetu agitur, ut Legatus Pontificis cum Archiepiscopo in vitæ discrimen venerit. Synodo soluta Archiepiscopus temperabat sibi ab editi decreti quæstione, ut committebat Rom. Pontifici negotium, ut vellet ac posset, exequendum. Id etiam Flacius docuit in historia de cælibatu Sacerdotibus mandato ex variis historiis, subjuncta Epistolâ S. Hulrici, Episcopi Augustani, Magdeburgi editâ, pro defensione Conjugii Sacerdotum. Quomodo sensim Cælibatus Clericorum à Pontificibus Romanis introductus fuerit; & quibus fundamentis Germani sese opposuerint, tradit Chemnitius part. 3. Concil. Trident. Exam. p. 145. D. Henr. Hopfnerus in Saxonia Evangelica Sect. 3. part. 1. c. 12. p. 499. usque ad pag. 512.

XII. THOMAS DE CANTIPRATO SVFFRAGANEVS CAMERACENSIS.

EX Discipulis, quos Albertus Magnus erudivit, duo Thomæ præcipuè clari habentur, quorum unus erat Brabantinus à Patriâ, *Cantipratinus* dictus; alter *Aquinâs* ex Stirpe Regia Siciliensi ortus, qui Coloniæ, Parisiis atq; in Italiâ sacras fuit professus literas maximâ cum admiratione. De hoc egimus antea; nec prætereundus Cantipratinus, cujus nomen quidem Flacio ignotum fuit, quando è libro, cui titulus *Bonum Universale de Apibus*, num. 233. pag. 608. testimonium attulit. Volumen a. illud scripsit ille Brabantinus Thomas, quod cum elogio meminerunt J. de Tritenheim de S. E. fol. 105.; & Eisengrinius in Catalogo Testium Veritatis fol. 105. *Fertur*, inquit Tritenhemius, *quædam præclara scripsisse Volumina, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis deduxit; è quibus extat opus* de Apibus misti-

cis, *quod prænotavit Bonum universale.* Id opus, duobus absolutum libris, extat manu scriptum apud nos, sed sine mentione Autoris, quod, quamvis non sine fabulis res pertractet varias, obliquè & apertè sub figura Apium multa scribit de officio Prælatorum, et perstrinxit sui seculi mala, cujus hic exemplum dedimus ex Capite L VI. libri secundi, cùm scribit: *Accidit, vt in Synodo quâdam Episcoporum* quidã Sacerdos *iuberetur habere Concionem; sed cùm ille nimiùm anxius esset,* de quânam materiâ coram tam magnis Prælatis verba essent facienda; *dumq; ita solicitus erat, & orabat, apparet ei* Diabolus, *& ait:* Eccquod te maceras tantopere hâc curâ, quidnam his Clericis concioneris? Hæc quæ tibi dico, illis prædica, nec quicquam aliud. Principes Inferorum & tenebrarum Ecclesiæ Romanæ Proceres & Prælatos salutatos volunt hùmaniter. Gratias vobis agimus magnâ cum exultatione, quòd *vos Prælati* non solùm *ipsimet* ad tartara descendere parati sitis, sed etiam vobiscum *Subditos vestros & majorem mundi partem* adducatis negligentia vestrâ, & quia officia vestra, non ut decet, facitis, ipsos vobiscum pariter ad Orcum præcipitatis, Illibenter hæc vobis annuntiavi, sed Deus altissimus me ad hoc coëgit. *Sacerdos ei* (Diabolo) *ad ista respondens ait*: Quandoquidem hæc ipsa eis pro concione annunciem, fidem tamen mihi non habebunt. *Illico Diabolus eius genas attingit & inquit* : Ecce atram inustam maculam habes in signum tibi, quam abstergere non poteris, nisi Concionem hanc finieris, ut injunxi tibi; Deinde *aquam lustralem* adhibe, eâq; ablue hanc maculam, quæ mox disparebit. *Sacerdos Diabolo obsecutus est, & in coronâ Prælatorum Concionem eam habuit cum eo signo, quod Diabolus ei fecerat, super qua Prælati vehementer obstupescebant. Parisiis hæc in conspectu multorum Spiritualium & Laicorum recitata.* Narrat M. Marulus 4. Exempl. 6. pag. 1322. Albertum Magnum, cùm Fratres Dominicani Thomam Aquinatem *Bovem mutum* ob taciturnitatem, quod in Scholis ob Studium audiendi nullum unquam proferret verbum, vocarent, dixisse : *Hic* Bos *tales aliquando mugitus dabit, qui per vniversum terrarum orbem audiantur.* Mugitum Bovis in Thoma mundus totus fuit admiratus, docilemq; taciturnitatem arroganti loquacitati prætulit Præceptor. In Thoma Cantipratino elegantem Vitulum habemus, qui in prato luxuriatur. Opus Cantipratini edi curavit Duaci Anno 1597. Georgius Colvenerius, Theologiæ Licentiatus, sub titulo Miraculorum & Exemplorum memorabilium.

XIII. THEODORICVS NIEM EPISCOPVS VERDENSIS.

Cùm viveret Niemius, natione Germanus, consuetudine Italiensis, Ecclesiæ Romanæ nulla erat pax, Reipublicæ nulla tranquillitas, utriq; magna infelicitas, id quod eius scripta, lectú dignissima, ostendunt, quibus exposuit non tantum res gestas cum in Imperio aliisq; Regnis sub Carolo I V. Wencellao & Sigismundo, tribus Imperatoribus; tum in Ecclesia afflictissima sub perniciosissimo Schismate inter Vrbanum VI. & Clementem, Antipapas eorumq; successores Ad num. 334. pag. 781.

Erat tunc Pontificius Scriba, nihilq; non vidit & exposuit, præsens in Romana Curiâ per triginta annos, in obediētiâ Vrbani VI. ejusq; successorum agens. Confusissimus status Ecclesiæ eum incitavit, ut conscriberet libros tres *de Schismate*, & unum sub titulo *Nemoris Vnionis*, quibus aperuit arcana secretiora Curiæ Romanæ, senio quidem fractus, sed ingenio adhuc vegetus, idq, *non succo seu fuco dictaminis*, uti loquitur in Præfatione, sed ex rei veritate. Diligentia Scriptoris debet esse omnibus commendatissima, utq; materia scripti melius intelligatur, sciendum est, Innocentium VI. Papam, in locum Gregorij XI. surrogatum, initio sui Pontificatus Cardinales nimia severitate animiq; insolentiâ à se alienasse, quo ipso ansa fuit præbita universali Schismati Ecclesiæ Romanæ, in quadragesimum usq; annum continuato usq; ad Concilium Constantiense, de quo Schismate Iohannis Marij recitabimus verba, quæ habet parte 3. de Schismat. cap.13. pag. 645. *Vrbanus omnium Historicorum testimonio homo perversus fuisse censetur, & quod magis discordiis inter Principes Christianos alendis quàm tollendis delectatus fuerit; unde etiam Schisma hoc tanto diutiùs duravit; in eius namq; defuncti locum* Bonifacius IX. *patriâ Neapolitanus, Petrus, cognomento Tomacellus antea vocatus, cùm vix annum tricesimum attigisset, surrogatus est; & hic est ille, qui primus omnium, Reipublicæ administratione Romanis ademtâ, eam ad Papas transtulit. Arcem quoq; S. Angeli contra Romanos muniit, & Annatarum usum beneficiis Ecclesiasticis primus imposuit, hâc conditione, ut, qui beneficium consequeretur, dimidium annui proventus Fisco Apostolico persolveret. Ex alterâ parte in Clementis demortui locum à Cardinalibus Gallicis,* Petrus Luna, Benedictus XIII. *appellatus, Avinione sufficitur, contra quem Concilium Ecclesiæ Gallicanæ fuit coactum; & tunc schisma invaluit, quod duravit usq; ad Concilium Constantiense; neq; enim Benedictus Pontificatum relinquere voluit, sed eum usq; ad finem vitæ usurpavit. Porrò Bonifacio IX. è vivis sublato, Cardinales Italici* Innocentium VII. *patria Sulmonensem,* Cosmatum *antea vocatum, S. Crucis Presbyterum Cardinalem, Romæ Pontificem creârunt; & huic extincto* Gregorius XII. *patria Venetus, antea* Angelus Corarius *dictus, tituli S. Marci Presbyter Cardinalis successit, & sic schisma de die in diem protrahi & aggravescere cœpit. Principes & Cardinales cùm viderent nullam pacem* inter duos istos Papas *fieri posse, ac quod promiserant, se facturos, Papatu cedere nolle, Pisis in Italiâ Concilium celebrârunt anno* 1408, *ad quod utrumq; Papam citârunt, sed neuter comparere dignatus est. Quapropter Principes se irrideri videntes utrumq; Pontificatu removerunt, & in eorum locum* Alexandrum V. Cretensem, Fratrem Ordinis Minorum *substituerunt, qui, cùm Cathedræ Petri vix octo menses præsedisset, Bononiæ mortuus est. Cæterùm Alexandro V. extincto* Iohannes XXIV. *patria Neapolitanus & Nobilis,* Balthazar *cognomento* Costa *antea vocatus, Bononiæ omnium consensu* Pontifex *creatus est. Sic ergò* tres Pontifices *hoc tempore erant; unus Bononiæ; alter Arimini, tertius in Arce Baniscollea in Hispaniis. Vt igitur dissensionibus, quæ tam lon*

go tempore durarant, finis imponeretur, Concilium *congregandum fuit, maximè id urgente Imperatore Sigismundo, Rege Hungariæ & Bohæmiæ, in quo Iohannes XXIV. comparens de XL. Articulis criminaliter est accusatus.* Vrbano VI. recenset Niemius de schismate 5. p.7. *multa insolita & abusiva de die in diem fecisse*, per quæ *penè omnium Cardinalium & Prælatorum contra se iracundiam* concitaverit *increpationesq; intempestivas fomentum schismatis* suppeditavisse; eiq; applicat illud: *Asperius nihil est misero, qui surgit in altum. Corde stat inflato pauper honore dato*, cap.7. pag.9. Eius importunitatis & ambitionis postea pœnituit Vrbanum, postquam Cardinales abs se alienatos vidisset, meminitq; Niemius cap.12. pag.13., se præsente Papam *amare flevisse*, quia *minus cautè* egisset initio sui regiminis. De crudelitate Vrbani agit cap.50.pag.56. cap.51.pag.57. c. 52.p.58.c. 56. p.62; c.57.p.63, 64; c. 60.p.67. c.66.p.71. inq; morte Vrbani finit librum primum cap. 69.p.75. De eodem Vrbano eiusq; Successoribus scribit in Nemore Vnionis, Tract.6.cap.39. p. 514. 515. *Gregorio XI. in Papatu successit Vrbanus Papa VI. ætatis LX. Annorum & ultrà, tempore suæ electionis in Papam, qui diu ante fuit in Romanâ Curia conversatus, totus humilis & devotus communiter reputatus, qui etiam fuit solennis Doctor Decretorum, & habuit manus mundas, quia non erat simoniacus, nec avarus; sed in* Papatu *subito, postquam electus & coronatus fuerat*, mutatus in Virum alium, *incepit* tyrannizare, *ac Dominos Cardinales, qui eum elegerunt, malè tractare, & alia multa inordinata facere inconsultè, qui habuit quendam Nepotem Franciscum Pregnanũ* (de hoc videatur p.1.de Schismate 8.p.10;c.21.p.23.c 33.p.36;c.67.p.72; c.69. p.75.) *nuncupatum, hominem prorsus inutilem, & plus, quàm docet loqui, libidinosum, & non nisi otiis & voluptatibus incubantem. Huic plures Ducatus & Comitatus in Regno Siciliæ dare voluit, ipsumq; de illis intitulavit, & libenter etiam, si potuisset, in Soldanum Babiloniæ evexisset, licet apertissimè idem Franciscus despota seu œconomus aptus unius domunculæ non fuisset; & postremò ipso Vrbano nullus in Papatu repertus est hactenus* truculentior & sævior, *ita etiam, ut multos Episcopos & alios Cardinales faceret immanissimè trucidari, secum super hoc, ut æstimo, Diabolo dispensante. Cui successit in Papatu* Bonifacius Papa IX. *pulchræ staturæ, sed vitiosi subjecti. Nemo enim unquam in sede Apostolica legitur præsedisse, qui adeò publicè & inverecundè* Simoniæ vitium *præsumeret exercere, scandalizando indifferenter propter pecuniæ quæstum valdè multos Archiepiscopos, Episcopos, & aliorum Statuum Ecclesiasticos Prælatos ordinando, nec non Clericos & Sacerdotes, omnia vitiose faciendo, qui etiam* Fratres suos *Marchiones & Duces ac Comites fecit, eos ultra modum ditando ac etiam exaltando; qui fuit ætatis XL. annorum, vel circa, dum eligebatur in Papam. Cui successit* Innocentius Papa VII., *in quo virtutes & vitia militabant; fuit enim magnus simulator, & blesus, & carnali affectione similiter ardens. Suos statim in divitiis temporalibus sublimavit, nec, quam vovit & juravit se facturum Vnionem, in Ecclesiâ generali facere curavit. Qui dum eligeretur in Papam LXV. complevit*

annum, ut audivi. Cui successit præsens Dominus Gregorius Papa XII. *modernus in Papatu, qui septuagesimum annum peregerat, dum assumeretur in Papam; sed qualiter ipse cum suis Consanguineis, & circa eandem Unionem per ipsum faciendum, se hactenus habuit, & habet, satis clarum est. Et* hi quatuor ultimi *eleemosinas non dederunt, quod est signum damnationis, & pessimum in Prælatos, quia nemo sine charitate salvatur.* Scitè idem scribit eod. tract. 6. cap. 37. p. 504. *Camera Apostolica assimilatur* Mari, *in quod intrant omnia flumina, & non exundat; sic enim in istam portantur ex diversis Mundi partibus auri pondo millia, tamen non impletur. In quâ est generatio, quæ pro dentibus gladios commutat, & ut comedat inopes de terrâ, & pauperes ex hominibus, in quâ sunt multi sanguisugæ dicentes:* AFFER AFFER. *A Camerâ siberatus rectè dicere possit:* Cantabit vacuus coram latrone viator. *Omnis abinde pietas, misericordia & clementia longissimè avolârunt.* Comparat postea Cameræ Officiales *Harpyis* insatiabilibus & *Tantalo* semper sitienti; & in eorum posopographiâ ait, eos habere *dura capita* & *saxea pectora*, ex Deucalionis composita lapidibus; & *corda* ad miserandum compatiendumq; omni chalybe duriora. Scriptum Niemij *de Unione* Flacium non vidisse mirum, quum excusum Basileæ fuerit Anno 1566, continens sex tractatus, qui inscribuntur *Via Invia, Semita* seu *Viridariũ, Inaquosa* sive *Latebra, Colles flexi, Chaos seu Labyrinthus.* Recusus est liber Argentinæ *A*nno 1609. in 8. Pretiosum certè opus, & ad discendas fraudes atq; artes Pontificum percommodum. Quid de Pontifice Romano Benedicto XII. senserit Universitas Parisiensis, ex eius Doctorum conclusionibus enarravit in Labyrintho Nemoris Unionis Tract. 6. c. 17. p. 430, 431. *A*lia multa possent afferri, sed hic hac vice simus contenti.

XIV. MATTHÆUS DE CRACOUIA WORMATIENSIS EPISCOPUS.

IS habetur Author libri *de Squaloribus Romanæ Curiæ*, in quo titulos Spõsi, Capitis, vicariatus papæ plenitudinisq; potestatis ita examinat: *Si cõtingit aliquãdo Papã per officiũ suũ honorari vel laudari, dicitur pro laude suâ antonomasticè (sive ex adulatione, sive ex donatione hominum hoc fiat) quod sit* Sponsus, Dominus *&* Caput Ecclesiæ. *Recogitet ergò, quòd hoc non esse potest propriè loquendo verùm; Ecclesia enim non habet duo Capita; nec duos* Sponsos, *sed unicum; & hoc est Christus, & non Vicarius suus (cùm hoc verè sic dici non competit) quem Christus constituit potiùs custodem Sponsæ suæ quàm Sponsum.* Edit. Basil. anno 1551 cum Petro Aliaco p. 102. Sponsum tũ se vocat & extollit ambitiosis verbis Innocentius III. Serm 3. in Consec. Pontif. serm. 3. p. 193. edit. Colon. anno 1606. Extat Matthæi Cracoviensis Tractatus Memmingæ 1491 impressus, de eo, utrum expediat & deceat Sacerdotes Missas continuare, vel Laicos frequenter communicare.

XV. JOHANNES, EPISCOPUS CHIEMENSIS.

PRiscum Religionis statum turbatũ, multisq; traditionibus oneratum descripsit

peculiari

peculiari opere ſub titulo *Oneris Eccleſiæ* Johannes, Epiſcopus Chiemenſis, & Reverendiſſimi Archiepiſcopi Saltzburgenſis à ſuffragiis, ſympathiâ Eccleſiæ calamitatum adductus. In frontiſpicio libri hæc verba ſunt præfixa. *In hoc libro, Lector candidiſſime, admiranda quædam ac planè obſtupenda,* de ſeptem Eccleſiæ Statibus, abuſibus *quoq;* graviſſimis *& futuris ejusdem calamitatibus ex Sanctorum Prophetiis & novarũ Revelationum vaticiniis, ſolidiſſimisq; Scripturis, luce clarius enarrantur. Verte igitur pagellam, & capitulorum perlege argumenta. Quod ſi feceris (invenies enim quorum culpa & quibus de cauſis tota Chriſti pereat Eccleſia) librum te hunc emiſſe nunquam pœnitebit.* Nemini parcit Autor, præſertim verò Eccleſiaſticum ſtatum deformatum, tanquam triſte mundi ſpectaculum exhibet, cúmq; magna ſit rei copia, guſtum inde aliquem dabimus. De corruptione doctrinæ & morum in Eccleſiâ Romanâ cap. 19. fol. 34: *Militanti Eccleſiæ imminet plaga divinæ iræ cùm ob Clericorum, tum etiam ob Laicorum cæcitatem & malitiam.* Incipit à Romanæ Eccleſiæ capite Papa, & quidem juſto ordine, ſicut enim, quod ait Plinius 4. Epiſt. 22. gravis eſt morbus, qui à capite diffunditur, & capite malè diſpoſito neceſſe eſt ægritudinem in corpus derivari, ita & ſe habet in Eccleſiaſtico corpore Romanæ Eccleſiæ; ea non ratio Religionis eſt, ut ſummi Paſtoris ac Principis morbo in omnem Eccleſiam manet contagium, ſicut grex totus in agris unius ſcabie cadit & porrigine porci, uvaq; conſpecta livorem ducit ab una, ut Poeta quidam canit, & Romano Statui accommodat Iacobus, Cardinalis Papienſis, Epiſt. 180. ad Cardinalem Senenſem pag. 601. Id eſt Epiſcopus Chiemenſis vidit indeq; ſcribit § 3. *Eccleſia univerſalis ſimpliciter pendet à Chriſto, qui eſt angularis lapis & fundamentum ipſius Eccleſiæ. Si Chriſtus ſuper alios Apoſtolos Petrum, et fortè ejusdem Petri ſucceſſores ſuper alios Sacerdotes propoſuit, tamen hoc fecit ob Petri præcipuam fidem, humilitatem & charitatem. Ideò ſucceſſoribus Pontificibus, niſi eſſent ejusmodi, talem præminentiam non præſumitur attribuiſſe, neq; ſuper eos ædificaſſe ſuam Eccleſiam univerſalem. Quid pro Papa incedit deauratus, gemmatus, vario ornatũ decoratus milite Stipatus, equo albo vectus, aut à Miniſtris in altum portatus. Hæc ſunt magis Dæmonum quàm ovium paſcua. Vbi non eſt paſtus ovium, ſed faſtus hominum, ibi non Petro, ſed Conſtantino ſucceditur; nam illius quivis eſt vicarius, cujus vicem gerit, & quem in moribus ſequitur.* Deinde §. 5. fol. 35. *Eccleſiaſtica modò ſublimitas multivariam eſt lacerata. Hoc in Apocalypſi oſtenditur* in apertione ſexti ſigilli, *id eſt, moderni noſtri temporis* Et 3. 6. *Sedes Beſtiæ, id eſt, Eccleſia perverſa, eſt* in Curiâ Romanâ, *cujus regnum eſt tenebroſum.* Et §. 8. *Heu, ſicut olim in Romano Imperio; ſic hodie in Romanâ Curiâ eſt vorago divitiarum turpiſſima, crecit avaritia, perijt Lex à Sacerdote ac Viſio de Propheta, & Conſilium à Senioribus. Claves Eccleſiæ ſunt in abuſu & ſervitute* Simoniæ & Ambitionis; *vitia enim fermè Curialium celari, negariq; vix poſſunt. Roma, quaſi gurges flagitiorum.* Teſtimoniis Brigittæ diverſis poſtea allatis porrò & hæc attulit §. 13. & 14. fol. 36. *Ecce Roma nunc eſt vora-*

go

go & Mammon inferni, ubi Diabolus, totius avaritiæ Capitaneus resîdet, vendens patrimonium Christi, quod suâ passione promeruit, qui nobis præcepit, ut gratis demus, quem gratis acceperimus. Id modò versum est in proverbium : Curia Romana non petit ovem sine lanâ. Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit. *Ad Reformandam Ecclesiam & ad reducendum Statum pristinum bonum & sanctum necesse est, ut* Papa *prius* se ipsum, *deinde* Cardinales & Episcopos, *cæterumq; clerum emendet.* De Cardinalibus deinde agit §.17,18. & inter alia scribit ex ore Brigittæ: *Cardinales extensi & effusi sunt ad omnem superbiam, cupiditatem & delectamentum carnis, ut formidandum sit, jam finem adesse.* Et ore Gersonis exclamat: *Quid utilitatis Ecclesiæ confert tam magnifica Principum gloria, tam superflua Cardinalium pompa? Quæ utiq; abominatio, quem unum ducenta, alter trecenta beneficia Ecclesiastica occupat? Cultus inde divinus diminuitur, Ecclesiæ dilabuntur.* Cap. XX. agitur de excessibus Episcoporum, & §.6. initio: *Nunc temporis Episcoporum status & dignitas perpenditur in terrenis opibus in sordidis ac plebeiis curis; in bellorum procellis, in Imperiis mundialibus.* Cap. XXI. agitur de Prælatorum aliorumq; Curatorum vitâ vitiosâ, & cum Vbertino ait fol.39. *Pristina Prælatorum sanctitas paulatim decrevit, & ruere incepit per ambitiones, sc. per pompas & Simonias, per illegitimas electiones & avaritias, per multiplicationem & superfluitatem temporalium, per carnales suorum promotiones, per negligentiam divinorum cultuum, & per alia perversa.* De curatis scribit §.6. fol.40. paucos esse *in Alemaniâ*, qui non *fœnore concubinatus* marcescant. De Ecclesiæ provisoribus cum Brigitta conqueritur §. 8. in carne *vitam meretricalem* habere; esse instar maris insatiabiles *ad cupiditatem pecuniæ*, bona *irrationaliter & prodigaliter* superbia largiri; reditus Ecclesiæ non dignis Dei servitoribus dari, sed Diaboli satellitibus, lenonibus, fornicariis lusoribus, veneratoribus, parasitis & similibus; atq; ita domũ Dei factã fuisse *tributariã & homagiatã* Diab. In cap.38.§.1.f.71. improbat in Principibus, Nobilibus ac Potentibus, qui filios suos in beneficia Ecclesiastica & Monasteria opulenta intrudunt, divitiarum consequendarum, non ministerii causâ. Prædicit idem Autor c.16.fol.28. Ecclesiam in sexto mundi statu reformandam, atque id per despoliationem bonorum Ecclesiæ, quibus Clerici pessimè abutantur. Plura alia non compilamus, quamvis sit seges admodum copiosa ex quâ etiam segetem fecit, Wolfius Cent.16, pag.104, usque ad pag.111.

XVI. ALBERTUS, ABBAS STADIENSIS.

CHronicon edidit, ab Orbe condito usque ad A. C. 1256. deductum, è quo nonnulla capies, quæ mores inveterato non admittunt. Dialogum inservit duorum juvenum literatorum, quorum uni dedit nomen Firri, alteri autem Tyrri, & cùm Tyrri, fol.188. disserit de peregrinationibus religiosis, inter alia dicit : *Vix aliquo vidi, imò nunquam, qui redierint meliores vel de transmarinis partibus, vel de Sancto-rum*

rum liminibus. Ibi Firri: *Unde est hoc propter Deum?* Et Tyrri: *Puto ex eo, quod debita devotione nec exeunt nec redeunt.* Firri exierat, & Firri redierat, unde bene Tyrri ei dixerat: *Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.* Quid Doctores Hallenses prædicaverint contra Papam hæreticum, & Episcopos Simoniacos tradit ad A. 1248. fol. 224.

XVII. VOLQVINUS, ABBAS SEDINBECHENSIS.

SAcerdotes *Baal*, *Dagon* & *Beelphegor* Volquinus, in Homiliâ quam curavit edi Basileæ cum aliis opusculis Wissenburgius, vel potius Flacius Sacerdotibus iis comparat, qui superbiâ, avaritiâ & luxuriâ infamant Sacerdotium. *Sacerdotes*, inquit *vocantur Ministri Dei nostri.* [pag. 742.] *Sed utinam* Domini! *Habet enim* Beelphegor *Sacerdotes suos*; Dagon *suos*; Baal *suos.* Beelphegor serviunt, *h.e.* Deo tentiginis, *qui incurvantes se ad quamcunque luxuriam, scortum nutriunt in domo suâ, etiam plus quàm Laici fœtore libidinis vaporantes. Quidnam majus, quid enormius, quàm in nocte tractare filiam Veneris*, [pag. 744.] *& de die filium Virginis?* Horremus hæc scribere, ut & ea, quæ sequuntur. Audi nunc de Sacerdotibus Dagon [pag. 746.] *Talis utique Sacerdos, qui cupiditati servit & avaritiæ. Tulerunt Philistini arcam Domini, & posuerunt eam juxta Dagon. Hi sunt, qui religionem Dei sui, sacrum corpus Domini venale exponunt, qui sunt socii Judæ, qui mortem Domini sibi lucrativam esse desideratis, vendidit Dominum. Imò magis vilipendentes quàm Judas, qui Dominum non minus, quàm pro 30. denariis dedit; ipsi autem pro tribus denariis.* Dagon, *id est*, piscis, *semper jactatur fluctibus* [pag. 749.] *philargyriæ.* Qui ad majores tendunt honores per ambitionem, eos *Sacerdotibus Baal* comparat. *Baal enim*, quod ait, *superior interpretatur.* Quos tandem Sacerdotes in unum congregatos sic alloquitur: [pag. 749.] *Tribus istis generibus Sacerdotum Diabolus* tres Filias suas, *quas habet, desponsavit*; Superbiam *videlicet*, Avaritiam & Luxuriam. *Superbiam* Sacerdotibus Baal, *id est ambitiosis & dominari volentibus. Avaritiam* Sacerdotibus Dagon, *id est, cupidis & curiosis. Luxuriam* Sacerdotibus Baalphegor, *id est impudicis & libidinosis. O prophana & detestanda connubia. Quid enim ex his nisi monstra generantur. Tales monstruosas nuptias, & enorme genus patitur speciosa sponsa Christi Ecclesia.* Alia vide apud Flacium & Wolfium.

Ad num. 26. pag. 685.

XVIII. CONRADUS à LICHTENAW, ABBAS URSPERGENSIS.

DIscensiones circa Paparum successionem cùm exponit pag. 58. 59. 60. ipse sibi in variis expositionibus consulere nequivit, sic scribens: *De successione Pontificum Romanorum, & ordine atque temporum eorum, jam inde à principio, & deinceps in*

Ad num. 294 pag. 735.

plurimis, diversa sentiuntur à diversis; quorum opiniones hîc summatim scribere, idcir co arbitror non esse ab re, ut & segniores, & negligentiores mei similes, ad veritatem rei at tendendam excitentur, & prudentiores ad hanc subtilius investigandam provocentur. Quidam scribunt, quibus & Ecclesiastica videtur consentire historia, Linum *post passio nem Petri Apostoli Romanæ Sedi XXV. annis præsidentis, hanc regendam suscepisse & post duodecim sui Regiminis annos, secundo Titi anno Pontificatum* Anacleto *reliquis se; & hunc item post XII. annos* Clementi *sedem tradidisse, quod videtur anno Domitia ni XII. contigisse, ipsumq;* Clementem *post novem sui Episcopatûs annos sub Trajan passum.* Evaristum *quarto ejusdem* Trajani *anno successisse; huic* Alexandrum; *il verò* Sixtum *& sic cæteros. Alii verò scribunt* Linum *&* Cletum *sub Petro fuisse, ipsu que Petrum, mox ut Pontificatum accepit,* Linum *pro se in agendis Eccesiasticis, quo ips liberiùs prædicationi vacaret, ordinasse, illoq; post annos duodecim decedēte,* Cletum *hui subrogasse; quo etiam item post annos 12. defuncto, eo anno & tempore, quo Petrus pas sus est, scilicet XIV Neronis anno,* Clementi *sedem commisisse, & ei suisq; Successoribu ligandi solvendique potestatem, sicut ipse à Christo suscepit, demum tradidisse, & hui passo sub Domitiano,* Anacletum *successisse, cui* Evaristum, *& huic* Alexandrum, *sicq; cæteros. Quæ descriptiones cum sibi multùm dissona probentur, quærendum. cui magi credi judicetur. Consideremus ergò eorum inæqualitates. Igitur si* Linus Anacletum *isq;* Clementem *successorem reliquisse accipitur, ut prior descriptio testatur,* Cletus *o mnino de Pontificum Catalogo excluditur, cujus veneratio per omnes Ecclesias sic celebri est, ut non solùm in Martyrologiis attituletur, verùm etiam in Canone Missarum, & i supplicationibus Letaniarum, publicitus inter Linum & Clementem recitetur. Si ve rò post Linum* Cletus, *dein* Clemens, *& post hunc* Evaristus & Alexander *numerentur locus non habetur, ubi* Anacletus *recipiatur, cùm Beda in Martyrologio suo dicat, hun quartum post Petrum sedisse, & sub Domitiano passum fuisse, ut primus sit* Linus, *secun dus* Cletus, *tertius* Clemens, *quartus* Anacletus. *Sed si post Clementem Anacletus pona tur, & secundum Bedam sub Domitiano passus recipiatur, necessariò illud refellitur, quo antecessor ejus* Clemens *sub Trajano passus dicitur, cùm evidenter sub Domitiano pas sus esse probetur, si successor ejus* Anacletus, *ab eodem occisus non negetur. Adhuc au tem argumentatur & illud. Quia si* Linus *&* Anacletus *juxta quosdam, sive* Linus *&* Anacletus *secundum alios, uterq; post passionem Petri, quæ XIV. Neronis anno facta est per annos XII. tenebat Pontificatum, quod spatium XXIV. annos in Domitiani duode cimum protenditur annum,* Clemens *ab Apostolo Petro sede, & ligandi solvendique licentiam nullatenus accepisse probatur, quod à nonnullis firmatur,* & quæ sunt alia ibi prolata, unde se non extricare possunt.

XIX. JOANNES TRITTENHEMIUS, ABBAS SPANHEMENSIS.

SCripsit *de Scriptoribus Ecclesiasticis* utilem librum; cumque in eo Catalogo

Aratorem

Aratorem, Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum commendasset ab eruditione in divinis scripturis necnon secularium disciplinarum literis, Vigilii quoque Papæ sollicitudinem de rebus ad pietatis & eruditionis exercitia pertinentibus, subjicit fol. 52.b. edit.Paris.1512. *Ubi nunc his temporibus tale studium literarum? Ubi amor scientiæ salutaris? Religiosi nostri & Nobiles, Clerici quoque &* Pontifices *non libros sed sensus audiunt; non literas sed avaritiam colunt.* De Johanne Kannemanno, Minorita, scribit fol.174. *contra Potestatem Ecclesiasticam* sensisse, atque eo nomine ad carceris custodiam quæsitum fuisse. Scripsit *Institutionem vitæ Sacerdotalis,* quæ prodiit Anno 1486. è quâ quædam ordine depromemus. A. 4. a. *Multi hodie inter Sacerdotes* hypocritis similes *inveniuntur, qui delinquentibus in levioribus fratribus irascuntur, & sibi nolunt à quoquam indignari.* A. 4. b. *Ad tantam nunc miseriam devenit auctoritas Ecclesiastica, ut* Sacerdotum verba *jubeamur amplecti, non facta.* Ibidem *Indocti, rudes, jam sine discretione meriti ad Sacerdotium veniunt, qui moribus suis pessimis Christi oves infeliciter occidunt. Nulla jam in ordinandis Clericis vitæ sanctitas requiritur, literarum eruditio nulla postulatur, conscientiæ puritas non attenditur.* A. 5. a. *Heu quid dicam de Sacerdotibus nostris* indoctis & vitiosis, *&* avaris, luxuriosis *& pessimis. Pudet me loqui & silere non valeo.* A. 6. a. *O quot hodie Sacerdotes sunt in Dei Ecclesiâ, qui in profundum luxuriæ submersi, longanimitatem Dei contendunt. Nunc sine omni timore Dei quasi licenter ex consuetudine meretricibus commiscentur.* A. 6. b. *Ascende mentis tuæ speculam, & vide* stultorum insaniam Sacerdotum, *qui à* vilibus concubinis *ducuntur captivi, ut non quæcunque volunt, illa faciant, sed quæ sibi à scortis præcipiuntur. Videres interea stolidum Clericum assidere concubinæ suæ, & aperto illam ore intuentem, & si arriserit ei, ridet, si fuerit indignata, blanditur ei, donec reconcilietur in gratiam.* A. 7. a. *Adeò* vitium *hoc* incontinentiæ *in Clero jam prævaluit, ut quasi ceperit esse licitum, quod publicum est. Sedent, proh pudor in villis & urbibus publicè Sacerdotes* concubinarum suarum commixtione *diffamati, quorum tantus hodie invenitur numerus, ut si præsul aliquis in sola sua diœcesi tales voluerit corrigere, sola multitudine victus à proposito terreretur:* Capite tertio. B. 1. b. *Ecce multos hodie* senes Sacerdotes *novimus, quorum esse* vitam incontinentem *scimus. Videmus in eis ætatem senescere, & juventutis vitia minime cessare.* B. 3. b. *Sunt nonnulli & quidem multi Sacerdotes, qui lascivis moribus suis sinceritatem conscientiarum violant, quanquam ad actum libidinis corporaliter non accedant. Sedent* cum fœminis *loquentes turpia, tactus prurientes commiscent & oscula, & inter hæc se* castos *gloriantur. . . . Mentiar, si non vidi* Sacerdotes & majoris dignitatis Prælatos *totum in navibus diem obscœnis consumere tactibus & osculis fœminarum, nullamque dignitatis suæ reverentiam habuisse.* Capite quarto. B.4.a. *Væ nunc temporibus nostris, in quibus est sicut populus sic Sacerdos.* Studium Scripturarum *Sacerdotes nostri abjiciunt, eruditionem negligunt, pro libris Scripturarum aves & canes enutriunt .... Sedent in insidiis cum potatoribus in tabernis, ludis & commessationibus*

tionibus vacant, non est timor Dei ante oculos eorum. Nomine Sacerdotes sunt, conversatione ASINI. *Nihil penitus de scripturis intelligunt, discere contemnunt. Romana lingua scribere vel loqui nesciunt, vix in vulgari exponere Evangelia didicerunt. Quantos errores, fabulas & hæreses in Ecclesia prædicando populis enuncient, quis nisi expertus credere posset? Pro* libris *sibi* liberos *comparant, pro studio* concubinas *amant. O quot pauperes Christiani in rure habitant, qui ob ignorantiam suorum sacerdotum quid Christianum deceat, ignorant?* B.4.b. *Omne malum in Ecclesia ex ignorantia Sacerdotum procedit. Sacerdotes nostri mundanis cupiditatibus effluunt, corrigere vitiosos non præsumunt, quod se deliquisse in majoribus agnoscunt. Pauci etenim sunt, qui moribus sanctis in Ecclesia nunc fulgeant, pauci* scientiam scipturarum *amant, pauci commissum sibi gregem verbo & exemplo debitè informant. Nec mirum, si minores vacent à studio scripturarum, cùm inter prælatos paucos invenias, qui veterum exemplis inhæreant. Eliguntur n. ut plurimum non doctiores, sed ad congregandas divitias perituras avidiores. Codices scripturarum aut nullos habent aut paucos.* B. 5. a. *Hodie* Sacerdotes Ecclesiarumq; Rectores *in magno numero sunt, sed pauci eorum scientiam legis & scripturarum advertunt . . . . Non ergo mirentur sacerdotes, quod eos contemnunt Laici, quoniam ipsi spernunt mandata Christi. Timeo q. vehementer, in brevi contra Clerum graviora futura.* B. 5. a. *Multi ad Sacerdotium in Ecclesiâ Dei vocati sunt, pauci v. electi.* Capite quinto, B. 6. a. *Videmus inter Sacerdotes Dei* cultores idolorum, *qui pecuniis congregandis semper invigilant, qui avaritiæ student, qui de æternâ vita nihil aut carum cogitant. Vivunt, tanquam nati sint ad quæstum, pietatem in pauperes longè abijciunt, nihil aliud quam aurum quærere & invenire concupiscunt . . . Plus dolent de amisso denario, quàm si decem ex sibi commissis animæ perirent.* B. 6. a. *Unum beneficium quantumlibet pingue non sufficit, pro impetrandis etiam aliis* Sacerdos avarus *discurrit, per fas nefasq; nancisci laborat, quod improbe concupiscit. Currit deinde ad sedem Apostolicam, petitionis suæ narrat causam, quæ si cum veritate discutitur, falsa protinus invenitur.* Præbendas *deinde unus homo multas impetrat, curam ovium mercenariis locat, lanam & lac de ovibus recipit, sed gregem pascere contemnit.* B. 6. b. *Cura animarum non appetenda est, ut habeantur alimenta, sed alimenta potius requirenda sunt, ut debita ovibus adhibeatur cura. Sed à multis nunc ordo pervertitur, qui prælaturas & beneficia iddcircò appetunt, ut in arca pecunias habeant, non ut animas pro Dei amore pascant.* Capite sexto C.2.b. *Rabuli garruliq; sacerdotes sine ratione loquentes, populum non ædificant, sed vanis sermonibus ac fabulis Æsopianis in admirationem sui trahere laborant.* Scripsit quæstionum, jussum Maximiliani I. de rebus quibusdam Theologicis, libros octo, Oppenhemii. Anno 1515. editos 51. & ad eundem Imperatorem quæstione III. de Miraculis infidelium fol. 14. *Heu, quot hodie Christiani, quot* Clerici *quot* Sacerdotes (*ut* majoribus *parcam*) *superstitionibus multis & variis utratur, quibus implicitas Dæmonum sequuntur pactiones in*

contumeliam

contumeliam Christianæ fidei & propriam commendationem; & quoniam hæc mala jam nimium sunt inter Christianos multiplicata, retraxit Omnipotens manum, & tradidit eos in ditionem perfidorum, exactores pænarum illos sentiant, quorum imitatione non Deo vivo, sed vanis superstitionibus pertinaciter militabant. Scripsit Librum *de Intelligentiis cælestibus & spiritibus*, in quo de Religionis mutatione, & quidem intra annos 13. aut 17. futurâ, his verbis tradidit Secta Religionis; consurget magna, veterum destructio Religionum; timendum, ne caput unum amittat bestia quarta, testante Bucholcero Indice Chronologico. pagina 468. Scripsit *Epistolas diversas*, quæ inter Opera Frehero edita extant. Scribit Epistolâ ad Jacobum de Masek, Medicum, anno 1505. Coloniæ scriptâ, col. 453. operum: *Maxime videmus* avaritiam *totum penè genus infecisse humanum, eosq;, si dicere fas est, quod ex præeminentiâ dignitatis divitiarum præ ceteris deberent esse contemtores. Unde paucissimi hodie vel* propter Dei amorem *ad Sacerdotium, vel* propter sapientiæ desiderium *ad studia se conferunt literarum. Quin potius, quòd nimium est dolendum, in utroq; commodum temporale à pluribus quæritur, honores mundani & divitiæ, plusquam Dei reverentia cogitantur, ut ad literam Prophetia videatur impleri, quâ dictum est:* Et erit sicut populus, sic Sacerdos. *Hinc Sacerdotii contemtus oritur & sermo Dei totâ die blasphematur, Cujus etiam Sacerdotis vita despicitur, quid mirum, si doctrina ejus ab imperito populo contemnatur?* De genere concionandi per lenocinia verborum & scientiæ humanæ ostentationem scribit ad Joh. Kymolanum 1. Ep. 26. p. 461. *Proh pudor, tam celebris facta est Verbi Dei Præconibus Peripateticorum authoritas, ut in Cathedrâ Christi crebriùs Aristoteles citetur in medium, quàm Paulus aut Petrus, sacratissimi Principes Apostolorum. Quid talium sermones simplici & indocto Dei populo proficiunt, in quibus ad ostentationem totum, ad compunctionem verò nihil inducitur? Ad Scholas Gymnosophistarum istæ meretriculæ gentiliumq; traditiones remittendæ sunt, ut in Scholâ Christi nihil aliud quàm doctrina Christi pura & immaculata prædicetur. Furfures purissimæ farinæ commiscuit, quisquis hunc prædicandi modum primus adinvenit.* Porrò Epistolâ 44. pag. 480. *Stultum est, omissis utilibus & necessariis, vera & inutilia discere, & creatore neglecto circa Creaturas mentem occupare. Pernitiosa & planè damnabilis multorum hominum hujus tempestatis curiositas est, qui saluberrima Christi humilitate contemtâ, ut docti videantur & magni, diligentissimè perscrutantur, quid Plato, quid Aristoteles, quid Anaxagoras, quid Democritus, quid Pithagoras, & cæteri hujusmodi senserint, quos constat à cognitione & doctrinâ summæ veritatis longè fuisse alienos, quasi nobis desint ex nostris Philosophi & Viri doctissimi, per quorum imitationem oportet fieri desides, ut meritò gentilium sapientia, necessarioq; nobis videatur exponenda. Multos habemus gentilium Philosophis meliores, quorum debemus imitari doctrinam; sanctos videlicet Christi Apostolos, Petrum, Paulum & Johan. eorumq; sequaces, Origenem, Athanasium, Hilarium, Irenæum, Chrysostomum, Basilium, Eusebium, Firmianum Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Bedam, Rabanum, Bernardum, & reliquos Catholicæ fidei Doctores.* Alia essent ex Epistolis, quibus *strepitum Curia-*

 lium

lium nugarum, uti vocavit Epist. 51. p. 483. descripsit, sed omnia scribere & describere quis potest? Quàm probus fuerit, & quàm alienus à magnis honoribus & vitulis, erunt in testimonium Epistolæ 71. verba pag. 498. *Tres me Principes magni expectant, sed non placet mihi Curias sequi Principum. Tres quoq;* Ordinis, *quem sum professus* Abbates potentiores, *ut ad eos veniam, rogant*; sed, quod dixit denuo, maluit vivere in paupertate sub institutione Monasticâ, quàm dives in Curiis Principum conversari.

XX. HILDEGARDIS, ABBATISSA.

Ad num. 214. pag. 586.

ABbatissa Cœnobii S. Ruperti, Moguntinæ diœcesis apud Bingam, Virgo ob sanctissimam conversationem quatuor Papis Eugenio III, Anastasio IV, Hadriano IV, & Alexandro III. tantopere commendata, ut scriptis eam *crebrò visitantes*, scribente Trithemio de S. E. f. 91. *se ad Romanam Ecclesiam illius orationibus commendarent*; *sed &* Eugenius III. *in Concilio Treverensi, S. Bernardo præsente, scripta & opuscula ejus, coram omnibus lecta, publicè approbavit*; *omnia autem, quæ scripsit*, ex revelatione divinâ *didicit*; *nec quicquam dixit aut scripsit unquam, quod in dubium possit vocari*; cumq; esset *latini sermonis ignara, tamen* revelante Spiritu Dei *omnia latinè & congruè dictavit, Notariis excipientibus*. Famâ sanctitatis & Revelationum ejus exciti Conradus III. & Fridericus I. itemque Episcopi Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis, Bremensis, Hierosolymitanus, sese ejus orationibus commendasse idem Trithemius notavit, multasque Epistolas sese vidisse ad illam eo nomine scriptas meminit. De Testibus veritatis agens Eisengreinius judicium etiam suum, exposuit Trithemio conforme, fol. 98. 99. iisdem ferè utens verbis, vidisseq; se ait multas Epistolas ad eandem scriptas à diversis Episcopis, quorum quatuor decim ponit, Abbatum & Præpositorum. Ad nos pervenerunt *Revelationes*, quæ divino & prophetico feruntur spiritu prolatæ, unàque excusæ extant cum Brigittæ & Elisabethæ Revelationibus & Visionibus admirandis. Revelationes suas intimavit lectori in Procemio his verbis: *Ecce quadragesimo tertio temporalis cursus mei anno, cùm cœlesti visioni magno timore, tremulâ intentione inhærerem, vidi maximum splendorem, in quo facta est vox de cœlo, ad me dicens:* O homo fragilis, & cinis cineris, & putredo putredinis, dic & scribe, quæ vides & audis; sed quia timida es ad loquendum, & simplex ad exponendum, & indocta ad scribendum ea, dic & scribe ea, non secundum os hominis; nec secundum intellectum humanæ adinventionis, nec secundum voluntatem humanæ compositionis, sed secundum id, quod ea in cœlestibus desuper in mirabilibus Dei vides & audis, ea sic edisserendo proferens, quemadmodum & auditor verba Præceptoris sui percipiens, ea secundum tenorem locutionis illius, ipso volente, ostendente & præcipiente, propalat. *Et iterum audivi vocem de cœlo mihi dicentem: Dic, ergo, mirabilia hæc, & scribe ea.* Scribit autem &

depingit

depingit graphicè mores Mendicantium, allegante Flacio p.587. quem tamen locum nondum potui invenire de Ementium seu *simulatâ* Mendicantiũ specie: De vacillante religione Catholicâ eadem lib.3. Vis.11. num.18. p.155. *Nunc Catholica fides in populis vacillat, & Evangelium in hominibus claudicat. Fortissima etiam volumina, quæ probatissimi Doctores multo studio enucleârunt, turpi tædio diffluunt, & cibus vitæ divinarum Scripturarum jam tepefactus est.* De fœdis libidinibus Clericorum: *Multi jam inter spirituales quàm inter seculares inveniuntur, qui se non solùm fornicatione mulierum polluunt, sed etiam in contrarietate fornicationis se contaminantes gravissimum onus districti judicii sibi imponunt*; lib.2. Vis.6.num.78.p.76.

XXI. MECHTILDIS.

QUæ Prophetiarum sub nomine Mechtildis extantium sit autor, certò affirmari nequit. Eo nomine fuerat Abbatissa in Monasterio Diessensi in Bavariâ ex Comitum Andeccensium prosapiâ, quæ obiit Anno 1154. notante Radero Bavar. sanct. p.128. In Volumine Revelationum sanctarum, quod Coloniæ prodiit, Mechtildis omittitur.

XXII. S. ELISABETHA, SCHONAUGIENSIS ABBATISSA.

EXimias Revelationes S. Brigittæ, & Revelationes S. Hildegardis attulit Flacius num.324.p.773.& num. 325. p.774. Non minor est memoria ob magnificas & memorabiles visiones S. Elisabethæ, Schonaugiensis Sanctimonialis, & Abbatissæ quarum mentionem non intermisit Catalogi T. V. autor num. 218. p.592. De eâ referunt, multa secreta à Domino accepisse per Revelationes; Deo serviisse in jejuniis atque Orationibus assiduis, corpus virgineum duris flagellis exercuisse, decessisse in pace anno 1165. cùm fuisset annorum viginti & unius; sepultam fuisse in Monasterio S. Florini. Mirabiles Latino sermone, cujus tamen linguæ expers erat, Revelationes protulisse scribitur, quæ Coloniæ unà cum Visionibus Brigittæ & Hildegardis anno 1628. junctim editæ sunt operâ & labore Reverendorum PP. Ordinis S. Brigittæ. In Catalogo Testium Veritatis Guil. Eysengreinii Monialis hujus Epistola ad Dòm. Hildengardin, Magistram Monialium Bingensium, integra affertur fol.101.102.103. cum hoc elogio fol.100. *S. Elisabeth Schonaugiensis, Benedictinæ Professionis, Trevirensis Diœcesios in Saxoniâ Abbatissa, soror Eckberti Abbatis, Virgo sanctissimæ conversationis, spiritu quodam imbuta prophetico multa prædixit de futuris, scripsitq; aliquot Catholicæ doctrinæ libros. Cùm religionem magno cultu amplecteretur cœlitus meruit S. Scripturæ Bibliorumq; sensum percipere, divinis informata revelationibus,* Viarum Dei *pulchrum & necessarium opus, in quo plures continentur sermones,* de

de Viâ Contemplativorum, Activorum, Martyrum, Conjugatorum & Continentium absolvit. Aliud rursus de Historiâ origine, inventione & nominibus undecim millium Virginum *volumen, angelicâ visione manifestatum perfecit. Diversarum quoque Revelationum in variis materiis, causis & propositionibus tres libros, capitula* 144. *continentes composuit. Suasorias Orationes ad sui Conventûs sorores, ac simul eruditissimarũ Epistolarum volumen edidit.* Magistra illa Virginum in Schonaugia, extra se rapta, scribit de viâ Rectorum Ecclesiæ: *Vagi facti sunt populi mei; unusquisq; sequitur cor suum, & discurrunt in impetu cordis sui singuli post concupiscentias suas, & non est, vox neq; sensus Pastoribus meis ad increpandum & colligendum dissipatos. Mihi obmutuerunt,* dicit Dominus, *mihi insipientes facti sunt; sibi autem sapientes sunt & diserti. Os eorum patens est, lingua eorum versatilis & acuta ad vindemiandam vineam, in qua non laboraverunt. Velox pes eorum, & discurrunt in tumultu, ut evellant & absorbeant carnalia plebis meæ, cui spiritualia non ministrant,* & quæ alia legi possunt 3. Vision 14. pag. 199.

XXIII. HENRICUS DE HASSIA.

AdNum. 327. p. 776. QValis & quantus in Academiâ Viennensi Theologus fuerit, cape ex verbis Joh. de Tritenhem. libr. de Script. Eccles. fol. 146. *Henricus de* Langenstein / *dictus de Hassia, natione Teutonicus, Vir in divinis Scripturis eruditus, & in seculari Philosophiâ nobiliter doctus, ingenio præstans, abundans & diffusus, quippe qui multis annis in lecturâ Genesis* (cujus Flacius hîc meminit) *consumtis vix ad quartum caput libri pertingens totidem volumina complevit; erat enim ad omnia resolutus, & in dicendo scribendoq; copiosus, adeò ut apud eum majoris difficultatis fuerit sponte memoratum digna occurrentia repellere, quàm nova, quæ dicerentur, invenire. Claruit primùm in Universitate Parisiensi, ubi lauream Doctoratûs promeruit; deinde pro decore novæ plantationis Universitatis Viennensis illò se contulit, & tum docendo, tum scribendo magnam gloriam eruditionis suæ acquisivit.* Diffusæ eruditionis Theologum facit, ut paucos sui similes tunc habuerit, qui tot annis commoratus fuerat in quatuor primis capitibus Geneseos per quatuor Volumina declarandis, unde colligi potest, quæ tunc Theologiæ ad instructionem juventutis facies fuerit lugrida. Æqualem, imo superiorem, habuit Collegam *Thomam Haselbachium*, qui, cùm esset ordinarius Theologiæ Lector Viennæ, *uno & viginti annis in Esaia legens ad finem primi capituli non pervenit,* teste Trithemio fol. 150. quod ibidem retulit Cuspinianus Histor. Cæsarum in Frid. III. p. 150. ubi eum nominat *garrulum Sophistam* & *inverecundum Theologum.* Ejusmodi garrulus. Theologus fuit Viennæ *Matthias Farinator,* Autor Operis, quod *Lumen animæ* inscribitur nobisque ad manus est, sed quo nihil est caliginosius & inverecundius licet *triginta annorum laborem* in eo consumserit, publicisque sumtibus tantum opus promotum fuerit, ubi labore quidem

magno,

magno,ſed *ridiculo & inani* (bene judicante Neandro Coſmog.p.47.) Galeni, Ariſtotelis, Platonis diſputationes medicæ & philoſophicæ, & Dioſcoridis medica materia,Chriſto,Prophetis,Mariæ ac Apoſtolis aptantur,ac ratio applicandi Philoſophorum ſententias, & Medicorũ dicta atque regulas,in Eccleſiâ ad tractationem rerum Theologicarum, ac explicationem rerum ſpiritualium docentibus oſtenditur. Sic tum Theologia ſine Ariſtotele & Platone doceri non potuit,& Mixotheologia, per quæſtiones Scholaſticas atq; profanas, etiam in Academiâ Viennenſi obtinuit; quiq, id poterant, per ambages & labyrinthos efficere, ij ingenio ſubtiles, in ſcripturis divinis ſtudioſi & eruditi, in Philoſophorum diſciplinis egregiè docti, diſputatores inſignes,declamatores egregii habebantur. Cui Theologiæ tunc navata fuerit opera ſub Haſelbachio ejuſq; ſimilibus, quiq; ſtudioſorum Viennenſium mores fuerint, expertiſſimus loquitur Æneas Sylvius Epiſt.165.fol.145. *Schola hic eſt liberalium artium ac Theologiæ, & Juris Pontificij. Magnus Studentium numerus eò confluit ex Hungariâ & Almaniæ partibus ſuperioribus. Duos hic claruiſſe compertum habeo præſtantes Theologos*, Henricum de Haſſia, *qui Pariſiis edoctus huc in principio Vniverſitatis advolavit, primusq; cathedram rexit, ac plurima Volumina notatu digna conſcripſit. Alter fuit* Nicolaus de Dinckelspühel, *Suevus, vitâ bonâ & doctrinâ multâ clarus, cujus ſermones hodie auidè à doctis leguntur. Eſt & ille hodie* Thomas Haſelbach *non incelebratus Theologus, quem ſcribere hiſtoricas non inutiles ajunt, cujus ego doctrinam laudarem, niſi* duos & viginti annos Iſajæ primum capitulum *legiſſet, neq; adhuc ad calcem veniſſet. Maximum autem hujus Gymnaſij vitium eſt, quod nimis diutinam operam* in Dialecticâ, *nimiumq; temporis in re non magni fructus terunt. Qui Magiſterij artium titulo decorantur, hac una in arte maximè examinantur. Cæterum neq;* Muſicæ,*neq;* Rhetoricæ,*neq;* Arithmethicæ *curam gerũt, quãvis metra quædã & Epiſtolas ab aliis editas imperitè magiſtrandũ cõpellant.* Oratoria *&* Poëtica *penitus apud eos incognita, quibus omne ſtudium in elenchis eſt vanisq; cavillationibus. Cæterum* Studentes *ipſi voluptati operam præbent, vini cibiq; avidi. Pauci emergunt docti, neq; ſub cenſura tenentur. Die noctuq; vagantur, magnasq; civibus moleſtias inferunt. Ad hæc mulierum procacitas eorum mentes abalienat.* Ea in Academia tunc excelluit Henricus de Haſſia, quæſtionum Scolaſticalium diſputator ſubtilis & copioſus, diffuſus & prolixus commentator, de quo memorat Flacius, quod in Lectura ad Geneſin improbavit fiduciam in Sanctorum meritis ad impetranda bona corporalia & ſpiritualia, proq; exemplo improbando attulerit S. Barbaræ legendam, de qua memorabatur ad delictorum expiationem in extrema hora mortis omnium cultoribus eſſe maximè neceſſariam Divam. Quæ verò ſint in Legendis Barbaræ elucubrata, ea brevi manipulo tradidit M. Marulus, Spalatenſis, 4. Exemplorum.p.1333. *Barbaram Nicomediæ civem, forma, genere, divitiis floreq;*

ætatis præstantem, fidei tamen ardore talia contemnentem, cùm multis eam petentibus nulli nubere vellet, & se Christianam, Virginitatis votum *suscepisse diceret, furens gentilis* Pater Dioscorus *Stricto gladio illam persequi cœpit, sed quam Pater persequebatur,* saxa *miserata sunt, eam namq;* montis crepido, *ad quam fugiens constiterat,* inclinata *trans vallem in adversa rupe* deposuit, *& rursum se erigens persecutorem impedivit. At neq; miraculo mollitus, omni silice durior Pater, tamdiu deserta latitantem quæsivit, donec invenit. Tunc per capillos tractam* Martiano præsidi *torquendam tradidit, quam Martianus post multos cruciatus &* utramq; avulsam papillam *ignominiæ causâ* nudam *per urbis fora duci jussit. Exhorruit nuditatem virgo, quam non terruerant supplicia; & cùm Dominum orasset extemplo affuit illi* Angelus, papillas restituit *sanatumq; corpus candenti stolâ contexit. Sed quoniam miracula maleficiis, non virtuti imputabantur, jussa est decollari, & ne quid ad immanitatem deesset, prævenit carnificem Pater, filiamq; gladio, quo ante persecutus fuerat, interemit.* Hanc legendam cum ejuscemodi aliis figmentis, sive lugendis insectatum fuisse Theologum Viennensem Flacius commemorat. Quæ Flacius de Henrico de Hassia habet, ea eduxit Baleus 6. de Rom. Pontif. Act. 15, p. 422. 423. 424, eumq; commendat diligentissimum Scriptorem p. 413.

XXIV. HENRICUS OYTA.

Ad nem. 326. pag. 766.

Conjungit Henricum de Hassia & Henricum de Jota Flacius, uterq; enim fuit Professor Viennensis; & uti prior Henricus *Gymnasij Viennensis Plantator* dicitur Flacio; sic alter *complantator* vocatur à J. Tritenhemio, cujus de eo verba fol. 147: *Henricus Euta sive Oyta, natione Teutonicus, Gymnasij Viennensis in Austriâ unicum decus & complantator à principio; Vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in Philosophia Aristotelicâ nobiliter doctus; ingenio subtilis, sermone scholasticus, & declamator sermonum egregius. Scripsit multa præclara Volumina, de quibus ad manus nostras paucissimua huc usq; pervenerunt; legi enim duntaxat* Super Sententias libros IV. de contractibus librum unum; de conceptione S. Mariæ librum unum; & quosdam sermones. *De cœteris nihil vidi. Claruit in Gymnasio Viennensi sub Wenceslao Imp. cum Henrico de Hassia Anno Domini M. CCC. XC.* Inter veritatis testes refertur à Guilielmo Eisengreinio in *præmaturo partu* (sic enim vocat in Epistolâ Dedicatoria) Catalogi Testium veritatis p. 150, ubi eum vocat Gymnasij Viennensis Plantatorem & Theologum consummatissimum.

XXV. SPECULUM SAXONICUM.

Ad num. 96. pag. 10.

Solicitavit Gregorius XI. Pontifex, qui tum Avenione in Gallia hærebat, Carolum IV. aliosq; proceres Ecclesiasticos Germaniæ, ut efficerent quo nihil amplius præsidii in Germania haberet Ius illud Saxonicum, quem Speculi inclausit titulo, id quod tamen impetrari non potuit. *Fide digna*, inquit in suis Literis, *& admodum molesta pluriesq; inculcata Relatio plurimorum ad nostrum perduxit auditum, quod in Saxoniâ, & nonnullis aliis partibus, quædam detestabilia Scripta*, Le-

ge-

ges *seu* Speculum Saxonum *vulgariter nuncupata & inferius annotata, apud nonnullos Nobiles atq; Plebejos reperiuntur, quæ Iudices & Incolæ partium earundem, omissis Canonibus aliisq; Scripturis Sacris contemtis, à longis retroactis temporibus observârunt, & observant etiam de præsenti.* Quatuordecim autem Articuli Eius in Pontificis offensam occurrerunt, in quibus habiti, qui auctoritatem Papæ impetere visi sunt, cùm expresse conqueratur Pontifex, *quam Apostolica denegetur potestas*; inesse etiam, quæ *contra bonos mores* & *legem naturæ sint.* Nominis a. Papalis existimationem præcipiti temeritate speculum videbatur imminuere, quam isti in opinione habeantur Articuli: *Papa non potest, nec aliquis alius, Dominum Imperatorem excommunicare, postquam consecratus est & unitus, nisi solùm in tribus casibus, si dubius sit in fide; si repudiet uxorem suam legitimam; si destruat Ecclesiam.* Item alius: *Excommunicationem debilitat in jure terræ seu feudi, nisi sequatur regularis proscriptio.* Nec non alius valdè præposterus: *Papa non potest aliquo modo jus condere vel statuere, per quod valeat jus nostrum, hoc est, statutum terræ vel feudi Saxonicum deteriorari.* His articulis infensum esse, quia contra Papalem sedem dissidiorum materiam dant, nonne integræ religionis res est? Si *bonos mores legemq; naturæ* evertunt, merito infensum habuere Gregorium; impetusq; agmine magno per Moguntinensem, Coloniensem, Bremensem, Magdeburgensem, Pragensem & Rigensem Archiepiscopos eorumq; suffraganeos Episcopos erat solicitandus, idq; Epistolâ ad Carolum Cæsarem justo dolore & irâ erat expetendum, aut potius contentione percipiendum. Miseram verò temporum labem à profano Speculatore Saxonico Christi Vicario leges præscribi, & Articulos dari, quibus Pontificis autoritas redigatur in ordinem! Grave itaque fuit Pontifici audire, jam olim quoq; in Saxonico territorio immensæ isti superioritati Pontificiæ in multis derogatum fuisse, dum Saxonum Iure expresse caveretur, Papam non posse aliquod jus condere in præjudicium majoris juris, quod in terrâ Saxonica observatur, Lib. 1. Landtrecht Art. 2. §. ult. Gravius erat, quod Saxones Imperatori Papam subjecerunt, quando lib. 1. art. 63. §. penult. Regalem præscriptionem præferunt Excommunicationi Pontificiæ, quæ in Jure terræ Saxonicæ vel Feudi neminem debilitare possit. Speculi Saxonici autor vixit circa confinia seculi XII. & XIII. Friderico fortasse imperante; sentitq; Gryphiander Weichbild. Saxon. c. 48. n. 14. Speculum istud circiter duodecimum à Christo nato sæculum incæptum, & non ante conscriptum.

XXVI. PETRUS DE VINEIS.

CAncellarius fuit Friderici Barbarossæ, qui quod jure sui Imperatoris totiusque Regni Germanici negavit diversis Epistolis jus gladii temporalis competere Papæ, fulmenque anathematis Gregorii & Cælestini Pontificum in Imperatorem vibratum, tanquam brutum & inane fulmen rejecit, cujus diversa dicta contra Pontifi- Ad num. 269 pag. 694.

ciam tyrannidem & injustitiam protulerunt Joh. Wolfius Centen. 13. ad A. 1230. p. 520.521. Sim. Goulartius Cat. T. V. lib, 16. p. 610. usque ad p. 617.

XXVII. LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS.

Ad num. 158 pag. 318.

QUerelas de Monachis à Monacho illo Hersfeldensi notatas, & obiter à Flacio productas, exhibet scriptum illud historicum pag. 184. edit. Francof, 1613. his verbis: *In locum Meginvvardi, Abbatis Augiensis, non per electionis ostium, sed per Simoniacæ hæreseos cuniculum protinus irrupit Rupertus, Abbas Babenbergensis, cognomento* Numularius, *annumeratis in ærarium Regis mille pondo argenti purissimi. Hic sordidissimis quæstibus & usuris, quas etiã privatus adhuc in Monasterio exercuerat, infinitam sibi pecuniam conflaverat, & propterea mortes Episcoporum & Abbatum anxiâ expectatione jamdudum suspiraverat. Is* Pseudomonachus (*dicam expressius*) *vi doloris impulsus; is Angelus Satanæ transfiguratus in Angelum lucis, ita sanctam & Angelicam Monachorum perfectionem infamavit, corrupit, vitiavit, ut Monachi nostris temporibus, atq; in his regionibus, non innocentiâ æstimentur, atq; integritate vitæ, sed quantitate pecuniæ; nec quæratur in Abbatibus eligendis, qui dignus praeesse, sed quis carius Abbatiam posset emere.* Ita *proprio hujus invento, novo atq; infausto hujus aucupio, hæc in Ecclesiam introducta est consuetudo, ut Abbatiæ publicè venales prostituantur in Palatio; nec quisquam tanti venales proponere queat, quin protinus emtorem inveniat, Monachis inter se non de observantia Regulæ Zelo bono, sed de quæstibus & usuris zelo avaro contendentibus. Sed hæc ut dignè d[i]fleri possint pro magnitudine suâ, & proprio volumine, & prolixiore opus habent tragœdiâ.* Eandem querelam ingeminat pag. 186. *Quorundam Pseudomonachorum privata ignominia nomen Monachorum vehementer infamaverat, qui omisso studio divinarum rerum totam operam pecuniis & quæstibus insumebant. Hi pro Abbatiis & Episcopatibus aures Principum importunè obtundebant, & ad honores Ecclesiasticos non viâ virtutum ut majores nostri consueverant, sed per ambitionis præruptam & malè partarum pecuniarum profusionem grassabantur. Deniq; in coemtionem exigui honoris aureos montes quotidie promittebant, secularesq; emtores largitionis suæ immoderantia excludebant, nec venditor tantùm audebat exposcere, quantum emtor paratus erat exsolvere.* Simoniacæ hæreseos, ut vocat, in Ruberto, Augiensi Abbate eventum memorat pag. 189. Postea ad A. 1074 notat, quomodo *tota factio Clericorum* insurrexerit contra Gregorium VII. Sacerdotum conjugia decreto abolentem pag. 212. 213. quæ observatione digna censuit Nauclerus Vol. 2. Generat. 36. fol. 160. Quæ cum Sigebertus ad eundem annum p. 602. retulisset, subjicit, id *novo exemplo* atq; inconsiderato *præjudicio* factum *contra sanctorum Patrum sententiam*, atq; inde multa incommoda fuisse suborta recenset. Conf. quæ ad num. 163. afferuntur.

XXVIII. POTHO PRUMIENSIS.

DE fastu & delitiis, luxuria & ambitione, otio atq; desidia eorum, qui titulum haben[t]

habent Episcoporum aliorumq; Religiosorum, crescente possessione & evanescente Religione, auditæ sunt per diversa secula querelæ per omnia regna Orbis Christiani. Non silentio involvendum est, quòd Potho, qui vixit A.C.1152.scripsit in libro de Domo Dei, T.8.Biblioth. Patrum col.708. *Præsentis temporis felicitas conspicua in auro & argento, in adparatu armorum, in numero militum, in illecebris conviviorum, in frequentia ministrantium, in lautissimis dapibus & pretiosis populis, in equitatus ornatu, in sellis & frænis deauratis, in venationibus, in canibus. Omnia hæc illis famulantur, quibus vel* ficta sanctitas, *vel* generis nobilitas *suffragatur. Propter hæc cupiunt esse* Episcopi & Prælati, *ut his bonis fruantur, ut delitiis affluant, ut Ecclesiæ Dei magis præsint, quàm prosint; ut familiam Ecclesiæ subjectam habeant; ut Domini rerum sint; ut quanto Ecclesiæ sint ditiores, tantò ipsi fiant clariores.* De altari superbiebant Episcopi, ut inde sibi compararent fræna aurea; calcaribus plus quam altaribus fulgentibus, quam ingeminavit etiam querelam S. Bernhardus Serm.33. super Cantica. Multa videt & admiratur adhuc ætas nostra in Episcopis instrumenta voluptatum & cupiditatum, quæ cum tristi oculo intueretur aliquando & admiraretur.

XXIX. ALANUS AB INSULIS MONACHUS CISTERCIENSIS.

CArmina edidit sub titulo Parabolarum, libroq; quinto Parab. VIII. hi versus leguntur pag.141:

Semper hiat Corvus, *semperq; cadavera captat,*
Semper amat mortem; mors quoq; pascit eum.
Quem sua debilitas, & quem premit ipsa senectus,
Lætificant illum dum putat ipse mori.
Non solùm corvi morituris insidiantur,
Maxima pars hominum *jam facit illud idem.*
Filius ante diem mortem Patris optat, ut hæres,
Fiat, & ut multas lege capessat opes.
Proh dolor, in Clerum *transit dolor & scelus illud.*
Hic emit Ecclesiam, *dum tenet alter eam.*

De Clericis illis, qui pietatis & sanctitatis simulatione vitia abscondunt, & arte Simonia se celant, item Alanus lib.3.parab.1.pag.94.

Non teneas Aurum totum, quod splendet, ut aurum;
Nec pulcrum pomum quodlibet esse bonum.
Non est in multis virtus, quibus esse videtur;
Decipiunt factis lumina nostra suis.
Plus fellis quam mellis habent in pectore tales,
Quæ Sanctis *similes simplicitate putas.*

Ex Comitatu Flandriæ oriundus fuit Alanus, cognominatus à patri Vite, quæ olim *Insulæ* vel *Isla*, hodie à Gallis *Lille*, á Flemmingis *Ryssele* vocatur. De eo Tritenhemius

hemius Catal. de Script. Eccles. f. 116. *Alanus de Insulis, natione Teutonicus, Vir, in divinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nulli suo tempore secundus, Theologus, Philosophus & Poeta celeberrimus, qui Ecclesiasticæ Scholæ Parisiis multo tempore gloriosè præfuit, ubi in omni scientiâ, divinâ & humanâ clarus effulgens* universalis *meruit appellari. Scripsit metro & prosa penè infinita opuscula, quibus memoria nominis sui apud posteritatem immortalis facta est.* Claruisse ait sub Alberto Imp. Anno Domini 1300, ast. Otho de S. Blasio in App. ad Othonem Fris. c. 40. collocat eum ad A. D. 1194.

XXX. IACOBVS CARTHVSIENSIS.

Ad num. 383 pag. 817. QVorum Flacius meminit librorum, ea Trithemius in Catalogo nòn recensuit licet, ponantur viginti octo libri abs eo editi. Inter illos autem nostro negotio accommodum sine dubio est, *Speculum Prælatorum & Subditorum.* Ita autem eius elogium habet fol. 197. *Iacobus de Gruytrode, natione Teutonicus, Ordinis Carthusiensium, Prior Domus omnium Apostolorum juxta Leodium,* Vir *in divinis Scripturis Studiosus & eruditus, vita & conversatione devotus, ingenio præstans & dulcis eloquio. Scripsit præclara quædam & devota opuscula, quorum lectio religiosis personis, salutis propriè amatoribus, non inutilis perhibetur.* De eodem Paulus Langius Chronico Citizensi p. 867. *Iacobus de Gruytrode, Prior domus Carthusiensium prope Leodium, vir devotus & eruditus quinq; illa vulgatissima pariter & clarissima,* Prælatorum *videlicet,* Subditorum, Sacerdotum &c. *quæ falsò Dionysio Rickel ascribuntur, composuit* Specula *& complura alia.* Theologum *celebratissimum* vocat p. 875. cujus scripta in Monasterii Bozavviensis Bibliotheca haberi eleganti manu descripta pro utilitate Monachorum affirmat.

XXXI. SIGEBERTVS MONACHVS S. ALBANI.

VOlumen incidit in manus nostras manu scriptum, hactenusq; nondum editum, quod Hermanni Engeleri, Monachi S. Iacobi Moguntiæ, Chronicon Moguntiacum continebat, & simul Sigeberti, Monachi S. Albani Moguntinensis Legendam S. Aurei, Moguntinensis Episcopi, insertam habebat. In prologo invenimus querelam de misero statu Ecclesiæ & Reipublicæ, quæ usui esse potest. *Heu,* inquit, *moderni temporis status degener, à recto tramite exorbitans, inconcinnè de bono & optimo in malum imò pessimum miserabiliter immutatus, Hoc, quod ante virtus fuit, boniq; exercitium, nunc deliramentum reputat, & vitium ordine de ordinato & accidente, substantialia corrumpente, ita ut non sit in hoc tempore, qui virtuti studeat, qui æquitatem diligat, qui scientiam appetat, qui honestum capiat, qui justitiam quærat, qui veritatem dicat, deficit enim nostris, in quos fines seculorum devenerunt, temporibus sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates & virtutes à filiis hominum; in hujusmodi autem defectum,* peccatum *esse videmus, tum* in forma, *tum* in materia. *Formam*

mam verò Prælatos; *materiam autem* Prælatorum ſubditos *poſſumus accipere*; *nam ſecundum aliam ſcientiam, ſicut forma ſuperveniens perficit materiam, & in eſſe completum eam ducit*; *ita &* Prælatus *ad vitæ rectitudinem, & ad ſtatum perfectionis perficere habet ſubditum, exemplo videlicet bonæ converſationis, & forma ſcientiæ operationis*; *unde bene Petrus in Canonicâ ſua Prælatis loquens ait*, non dominantes in Clero, ſed forma facti gregi ex animo, *cujus quidem auctoritatis particula prima cùm ſit negativa & prohibens*, Prælati moderni temporis *affirmativam tenentes*, dominantes *ſcilicet* in Clero; *altera autem cum ſit affirmativa & præcipiens, negativè legunt*, quia non fiunt forma gregi, *ſaltem ad bonum. Quis enim Prælatorum his diebus in via veritatis ſubditum dirigit? Quis eorum contra tentationes Eccleſiæ ingruentes cervicem erigit? Quis Prælatorum jam non magis honorat divitem amentem, quàm divitem mentem? Quis eorum non amplius gaudeat honorari à divitibus in ſeculo, quam ſuccurrere pauperibus oneratis paupertatis ſacculo? Quis potentum jam non magis hinnientem à divite cupiat accipere equum, quam in quendam pauperis facere judicium æquũ? Ex his itaq; apparet*, peccatum in forma, *id eſt*, in Prælatis. *A capite ergò defluens in membra venenum, ea ſecum inficit, quia cùm Prælato perverſo pervertitur & ſubditus, juxta quod ſcriptum eſt*: Erit ſicut Sacerdos, ſic populus; & ſicut Populus, ſic Sacerdos. *Quis enim ſubditorum moderni temporis jam non erecto cervice & collo incedat extento? Quis eorum, qui diſcere cupiat, & jugum Domini portet virtutis exemplo? Quis eorum jam non magis tabernam quærat ad potandum vinum, quàm Eccleſiam ad imponendum officium divinum? Quis eorum non citius ſequatur pro vanitate veſpilionem & locatorem, quam pro doctrinæ nobilitate diligentem lectorem? Da qui coram populo non amplius velit ſciri; quia hodie, heri diſcipulum, pudet diſcere, & mentis arrogantia ſubditum prohibet obedire. Per hæc quoq; & ſimilia patet* peccatum in materia *idem in ſubditis. Sic deniq; propter iniquum utriq; ſtatum vel meritum tam Prælati quàm Subditi, tam Doctores quàm Diſcipuli, fiunt in interitum. Quare? Quia* periit Lex à Sacerdote & verbum à Propheta. *Quid ergò plura, ſecundum quod in Canonica Iohannis dicitur*, Mundus in maligno poſitus eſt, *& iniquo influente ſigno virtus periyt, interiit juſtitia, creverunt vitia, & ad vanitates & tribulos, ad nugas & mendacia, modernorum declinant ſtudia. Nuſquam, ſicut vides, veritas, nil vides. Effugit æquitas, iniquitas intravit. Probitas exulavit, fraus viget, & dolus ſolus regnat. Detractor & ſuſurro aures magnorum imprægnant; hodie enim, quod non ſine gemitu dico, nec jus curatur, nec ſcientia, nec ſua virtuti reſpondent præmia, nec vitium debita lædit pœna, ſed perſequente fidem perfidia virtutes exulant, regnant vitia, bonosq; clam corrodit invidia, palàm detractionis nota; & quia non prece, ſed precio gaudet quis beneficio, & non ex ſcientia, vel merito, ſed ex favore vel trufa fugit promotio; ideo ſcientes doctrinam tepent vacantq; otio, & pro communi curſu ſeculari ſe implicant negotio, illud poeticum attendentes:*

Multa

Multa licet sapias, re sine nullus eris; Viri enim Ecclesiastici his diebus non curant literas. Dicuntur quidem Clerici. *Et quid? Immò nec Clerici perfectè, nec Laici, nec milites sunt, nec Rustici. Quare? Quia Deo non serviunt ut Clerici; nec civilibus parent causis, ut Laici; non pugnant, ut Milites, nec agriculturam exercent, ut Rustici. Cujus ergo Ordinis sunt? Puto nullius. Quid ergo æstimo eos, quia nullius Ordinis sunt. Sine ordine judicandi, ibiq; mittendi, ubi nullus Ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Hæc ille Monachus ad Reverendum Dominum Abbatem Conradum totumq; Collegium Fratrum Ecclesiæ S. Albani in dedicatione Operis de Passione Sanctorum Aurei Moguntini Episcopi, & Iustinæ Virginis, Sororis eius, Martyrum. Abbas autem ille Conradus memoratur ab Hermanno Engelero vixisse Anno 1297, extantq; hæc in manuscripto, quo vtimur, fol.133.134.135.

XXXII. NICOLAUS LYRA ORDINIS FRATRVM MINORVM.

VIr in *Scripturis Sanctis Studiosissimus longaq; exercitatione peritus, nec minus conversatione quàm scientia venerandus*, elogio Trythemij fol.121. *fide Catholicus in lege Dei atq; Sacris Scripturis doctissimus, Hæbreo & Latino instructus eloquio*, elogio Eisengreinij Catal. Test. Ver. fol.130, adeò ut addat, *vix parem* habuisse usq; ad tempora sua, *nedum superiorem*, vel sanctitate vitæ, vel doctrina & scriptis. Is sanctus Vir scribit ad Matth.16.18. *Multi summi Pontifices & alij inferiores inventi sunt* apostatasse à fide, *propter quod Ecclesia subsistit in illis personis, in quibus est notitia vera, & confessio fidei & veritatis.* Nec mittamus locum quamvis sit controversa lectio, Comm.in 2. ad Thessal. ubi editio Norinbergensis A. 1487 habet: *Alij apostasiam legunt de recessu ab obedientia Rom. Ecclesiæ, à qua jamdiu est, quod recessit gratia*, ubi sunt editiones, quæ *Græcia* habent, quam in editionibus Norinb. 1479. & Argentin. A.1492. abbreciatè sit *gra.*

XXXIII. JOHANNES DE HAMBURGO, ORDINIS CARTHUSIENSIS FRATER.

EXtat ejus Epistola ad Henricum Olemannum, Canonicum Northunensem, de corruptissimâ vitâ Ecclesiasticorum, scripta anno 1404. cujus initium: *Non absque dolore & gemitu Charitati vestræ facio manifestum, quòd dilectus Frater Johannes de Dutterstatt, Monachus Ordinis Carthusiensis prope Pragam, Frater vester, meus autem religione & amicitiâ speciali 14. Kl. Augusti, vallatus Fratrum præsentiâ numerosâ, vitæ cursum laudabiliter & feliciter consummavit. Rogavit me Frater vester felicis memoriæ mortuus, dum adhuc viveret, ut aliquam vobis exhortationē vellem scriptitare.* Post gravissima ad pietatem monita in progressu sermonis p. 201. ait: *Proni sunt*

ſunt ſenſus hominis & cogitatio in malum, & ideò facilius trahitur exemplo aliorum ad illud, quod appetit ſenſus ejus carnalis, dum non erubeſcit vitioſus videri, habens ſecum ſocios miſeriæ ſuæ, quorum non ſolùm exemplis, ſed etiam perſuaſionibus & irriſionibus trahitur ad peccatum, & laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. Et hæc jam eſt præcipua cauſa, quare nunc ita multiplicata ſunt mala in Eccleſiâ, in Clero & in Religione, *quorum Studia Spiritualia defecerunt, & ad exteriora ſtudia & negotia plurimi defluxerunt, ſcilicet mala conformitas, dum quilibet vult alios imitari, ſive quia aliud neſcit, quàm quod videt in aliis, ſive non audet aliter vivere, quàm illi, cùm quibus converſatur, & ex malo timore vel pudore timet aliis videri diſſimilis; ſive etiam, quod proprius tepor & carnalis libertas gaudet, ſe habere occaſionem & quandam excuſationem apud homines agendi, quod libet, etiamſi non licet.* Pag. 262. *Mutus factus eſt Clericus à laude Dei, & garrulus ad laudem propriam. Non jam ſtudent Dei gloriam, laudem & honorem quærere, & quomodo ſibi lucrentur animas, ſed quomodo repleant marſupia, & hominibus placeant. Jam pauciſſimi reperiuntur Viri Eccleſiaſtici, qui Zelum habent animarum. Quantos videmus in Spiritualibus defectus? Quot ſunt loca carentia Veritatis prædicatoribus? Quot homines ſeducuntur ab ignaris vel malis Confeſſoribus? Quot ſimplices peſſimis Sacerdotum exemplis corrumpuntur? Quis non videat, quàm multiplex ſit abominabilis Sodoma, quàm communis ſit Uſura & Simoniaca Hæreſis?* Pag. 266. *Cùm reprehenduntur peccatores de ſuâ inordinatâ vitâ, puta de incontinentiâ, laſciviâ, avaritiâ, de choreis, de uſurâ, omnes ſe excuſant per Clericos & Sacerdotes, dicentes:* Tamen iſti taliter & taliter vivunt & faciunt, qui Scripturas non ignorant, & ſpirituales exiſtunt, ideò non eſt tantum peccatum, & non minus eſt nobis licitum ſimilia perpetrare. *Et ſic pereunti populo auctores mortis exiſtunt Clerici, perversè viventes. Proculdubio, quod tanta mala in Eccleſiâ ſiunt, & continuè pullulant & augentur, principaliter Clerici in causâ ſunt, & originaliter* Epiſcopi, *& etiam* Prælati, *quia hodie Nobiles & Potentes, divites & pueri promoventur, quia* nec ſciunt, nec volunt, *imò erubeſcunt alios erudire, perverſos corrigere, ſpiritualibus intendere, quod talia non didicerunt, ad quæ tamen maximè obligantur. Qui verò* ſciunt, *negligunt & non curant; verecundantur enim & dedignantur, vel ſaltem attædiantur Prælati, & ſcientes prædicare, & confeſſiones audire, aut cum ſimplicium indigentiis occupari. Quàm turpiter jam vivant, patet ad oculum per hoc, quod Sacerdotes tam boni fori ſunt, quod vix tam vile eſt officium, vix opus ita abjectum, quin inveniatur Sacerdos, qui illud acceptet, dum unus eſt Procurator coquinarii, alius Raptoris telonarius, alius Camerarius, vel fortè prædeceſſor & vernaculus mulierum. Ille diſcurrit mendicando per tabernas, ille ſeducendo per villas. Ille peragit negotia Principum & Militum, continuè vagando, & ad alias diverſas vilitates ſe*

applicare scandalosè non verentur, qui de patrimonio Crucifixi, de fidelium eleemosynis ditati sunt. In cibis, vestibus, potibus delicatè vivunt, pompaticè cum magnâ familiâ, tanquam milites, incedunt. In mundanis vanitatibus frequenter exultant, omnia solatia, ludos ac deductiones seculares cum puellis & mulieribus, cum conviviis & histrionibus, trufatoribus, tanquam sibi licita & nequaquam prohibita, exercent. Dummodo possint habere lucrum pecuniarum, nihil curant proditionē animarum, quia potius propter avaritiam suam omnia mala permittunt. Cernunt Diabolum populum fidelium per tentationes necare, & nullo Zelo accenduntur, quod solà exteriora commoda, interiora verò gregis damna & pericula negligenter patiuntur, & minimè se opponunt; & quod pejus est, non solùm non resistunt, sed per se suis exemplis pravis ad quaslibet pravitates populum pertrahunt & inducunt. Raro videmus Clericos, carnis immunditia deditos, & avaritiæ peste infectos ad salutis viam per veram pœnitentiam redire, quod à nullo volunt corrigi, nec cujuspiam informationem admittere. Citiùs decem Laici vel viginti ab errore suo revocantur & convertuntur, quàm unus Clericus & Literatus execrabiliter vivens & perversè. Væ autem illis, qui plura habent beneficia per Vicarios distributa, ipsi tollunt lanam, sed de ovibus nihil curant, & ideò verum illud erit, quod dicitur: Qui pluralis est in beneficiis, pluralis erit in tormentis. *Sed dicunt, habeo dispensationem; at nunquam dispensari potest, ut sis avarus, ut res Ecclesiæ malè expendas, ut accipias, & non deservias.* Finis Epistolæ est: *Scripta manibus meis sanguine peccatorum repletis, atq; completa in octava Assumtionis Virginis Mariæ gloriosæ.* Eruditus est sermo, & ultra seculi morem, primùm editus Basileæ Anno 1404. & renovatus Argentinæ 1644.

XXXIII. WERNERUS ROLEVINC, CARTHUSIANUS.

Ad n. 420. p. 839. CArthusiani Ordinis Monachus inclaruit duobus voluminibus, *Fasciculo Temporum*, ex quo quædam docuit Flacius; & altero, quod constat libris tribus, *de Westphalorum* sive *antiquorum Saxonum situ, moribus, virtutibus & laudibus*, Coloniæ Ubiorum 1602. evulgato. Quâ libertate scribendi egit in Fasciculo, eodem usus fuit & altero de Westphalis libro, vitia variorum Statuum recensens. De Concionatoribus scribit lib. 3. c. 1. f. 119. *Circumduc lumina, & cernes* hunc *suggestum conscendere, quasi in exilium & ultra Sauromatas vitia omnia fugaturum; à divitibus luxum, à servis furta; à pauperibus lamenta; à plebe invidiam; à Nobilibus superbiam;* à Curialibus fraudem, *à forensibus voluptatem, ab omnibus avaritiam propulsaturum, &c.* Dominationem Ecclesiæ lib. 3. c. 12. fol. 207. improbat, cùm Ecclesiasticis non conveniat dominari; sed servire; nec Reges fieri, sed Regum subditos. Ecclesiasticos esse prudentiores Laicis in acquirendis rerum dominiis, tradidit lib. 3. c. 11. §. *talis autem locus* fol. 204.

XXXIV. ENGELBERTUS WUSTERWITZ.

CLericus fuit Brandenburgensis, qui Romanæ Curiæ fastum, ambitionem, avaritiam vidit ipse detestatusq; fuit in Chronicis Marchianis, quæ Legit Paulus Langius, Monachus Citicensis, ejusq; testimonio fidem conciliat. Habeamus in pretio particulam, quam nobis servavit Langius Chron. Citicensi pag. 848. *Anno Domini M. CCCC. V. omnes ditiores Curiales summi Pontificis obierunt quasi.* Cardinalis VSerniensis, *reliquit triginta millia Ducatorum. Sed ô quot Ecclesias & Monasteria, & alia beneficia Ecclesiastica, antequam tot millia acquireret, æstimatur gravasse & depauperasse? Item* Dominus Cardinalis Mopolitanus *decedens ultra centum millia Ducatorum auri reliquit. Deinde famosus ille Archisimoniacus* Johannes de Bononia, Secretarius Papæ quondam Bonifacii IX. *Decessit, qui etiam ultra XL. millia florenorum Ducatorum reliquit in ultimis. Reliquit, inquam, in fraudem pauperum, & animæ suæ perniciem, quos suâ pro liberatione in usum egenorum distribuisset salubrius. Post hunc alter Archisimoniacus* Dominus Bartholomæus Francisci, Protonotarius & Rector Cancellariæ Apostolicæ, *defunctus est, qui & ipse thesauros reliquit ingentes. Et certè hæc vanitas est pessima, cùm homo mortalis* in imagine pertransiens, *uti inquit Propheta Regius,* thesaurizat, & nescit, cui congregat. *Eodem anno* Innocentio Papæ VII. *Romani Cives claves Civitatis cum ramis palmarum obtulerunt, & omnes dominium Urbis Romæ etiam temporale illi concesserunt, sed minus justè minusq; liberaliter, quoniam illa temporalium affluentia officiunt haud parum spiritualibus. Nec Petri successor ipse Papa ejusmodi periculosum temporale dominiū sumsisse debuerat. Nusquam equidem legitur, priscis quòd temporibus etiam post donationem Constantini (de quâ cuncti curiosi Canonistæ magnum faciunt festum) quispiam summus Pontifex temporale dominium Urbis Romæ gubernaverit. Ast novis temporibus, nostraq; memoria certi Pontifices, de illo labores & dolores sibimet inde cumulantes, se intromittere ausi fuêre, quandoquidem ab antiquo Roma urbs semper extitit regalis & imperialis.* Extant. Joh. Baptistæ Campofulgosi, Ducis Reip. Genuensis, Historiarum libri novem, lectu cognituvè utiles, qui hanc nobis de Pontifice Innocentio VII. historiam exhibuerunt: *Innocentius VII. cùm nondum ad Pontificatum ascendisset, adhuc solo Cardinalatûs honore insignis, sæpe Urbanum ac Bonifacium Pontifices, qui ante eum Rom. Ecclesiæ præfuerant, reprehendit, quod* de tollendo à Catholicâ Ecclesiâ schismate parvam gerere curam *Viderentur. Cæterùm postea ad Pontificatum evectus, in eosdem ipse quoq; incidit errores; à quibusdam autem Romanis Civibus rogatus, ut* ad tollendum schisma curam adhibere *vellet, cùm eos ad Nepotem remisisset, ipsius nomine responsurum, à Nepote pro responso id tulerunt, quod à fenestris præcipites dejecti fuerunt; illud enim is affirmavit, suum esse responsum. Est autem, cùm in permultis aliis sæpe hoc crimen, ut, quod in aliis reprehendant, illud reprehensores ipsi agant,* tum maximè Sacerdo-

tum Ordini, *velut à naturâ insitum, à Christo Redemtore longè ante enunciatum,* *cùm dixit: A Sacerdotibus gravia aliis onera imponi, quæ ipsi ne digito quidem levare volunt.* Conf. Paulus Langius in Chron. Citic. p. 849.

XXXV. JACOBUS HAN, ARGENTINENSIS.

EXtat Ejus Oratio, habita Spiris in Synodo ad Clerum anno 1439. d. ult. Aprilis, quam hoc loco totam *de Statu Clericali* repræsentabimus. Antequam, *Reverende Spirensis Antistes, caeteriq; Præstantes Domini, & in Christo charissimi Fratres,* optimi cujusdã amici persuasione inductus inchoatum illud orandi munus subire mecum constituerã, quamvis quidem tantus adolescentii mihi objectus honor primâ facie displicere non potuit. Cœpi tamen primùm diligenter inquirere, qui, quales cujusq; conditionis homines paulo ante in hac celeberrimâ concione oravissent, tumq;, ut cùm pusillanimitatẽ, lanuginẽ & ignaviam meam eorum audaciæ, ætati & scientiæ objicerem, an id oneris assumendum esset nec ne, ex tantâ inter nos disparitate altiori trutinâ deliberarem. Tumq; mihi (cui tam grandis labor longè alienus erat) in primis operæ pretium fuit, ut & quale dicendi argumentum huic loco satis accommodatè conveniret, ex iis intelligerẽ, & de eo, quo ipsi ante me proximiores usi fuissent, quoad fieri posset, superfederem, tunc enim Auditoribus Vobis nauseam videbimur auscultandi detraxisse, & loquuturo mihi rectam imitationis viam invenisse, cùm quæ prius hic recensita fuisse didicerimus, nequaquam insulsâ rusticitate & per imperitiam repetemus. Cùmq; priores hujus Sacræ Synodi Concionatores pro virili nostrâ & quantum necesse est, imitaremur. Verùm decrevimus ex unâ parte & forsan commodiore ab eis (cum venia tamen vestrâ) discrepare. Qua vel singuli, vel saltem pars eorum major, totam fere aut magnam sermonis partem honesto, ut ajunt, furto, non ex evangelico, qui Christus est, sed alio quodam Doctore nescio, quo surripiunt, eam sibi vendicant, & tanquam sua inventa sint, palam afferunt & exponunt. Quod licet forsitan non omni quoq; vitio dandum sit, in eo tamen, meâ opinione, tutius agerent, si Evangelicis potissimum inniterentur Scripturis, si, quæ Jesus docuit, & ipsi docerent, si Christi dogmata, quæ satis copiosa sunt, satis plana sunt, satis ardua sunt maximè lectu, auditu, quin & repetitu dignissima sunt, evolverent, masticarent, exponerent. Sic enim latissimum tam plebi, quàm Clero prædicandi campum invenirent. Sic suis inutilibus fabulis, apocryphis inventis, quotidianis, quas solas & sciunt & faciunt, objurgationibus abstinerent. Sic non inter prædicandum reprehensuri, cùm ridiculo Grammaticum istum Alexandrum allegarent. Non sic formentur ter quinq;, sed excipiantur. Ego itaq; huic eorum opinioni & facto non omnimodò consentiens consultius esse putavi, si Sacerdotibus sermonem, licet incultum, facturus ex

summi

ſummi Sacerdotis Chriſti Jeſu & prædicatione commiſſum mihi officium abſolverem. Cum enim futuræ quam ſpero prædicationis meæ nunc ſim apud clariſſimos Viros initium, utinam fauſtum, ſumturus, non videbor aptiorem loquendi Magiſtrum & Directorem delegiſſe, quàm eum, qui non modo Magiſter eſt & Dominus, ſed & ipſa etiam via, veritas & vita, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, de cujus plenitudine & doctrinâ omnes accepimus, cujus deniq; ſermo gladio ancipiti penetrabilior eſt. Hunc in totâ oratione meâ capitalem habebo Dominum Ducem & Auctorem; ejus potiſſimum utar perſuadendi locis & generibus, illius ſatyras huic loco magis conſentaneas afferre placuit. Verum id non eo animo facturum me putate, velut doctiſſimorum ſanctiſſimorumq; Patrum Sacræ Theologiæ aut Canonis Interpretum egregia Scripta parvi fecerim, & tanquam utiliſſima illorum additamenta minimè in lucem eſſe divulganda crediderim, quin potius, ut ex ipſo autore noſtro Chriſto Jeſu, præceptore omnium optimo maximo, major orationi noſtræ habeatur fides & autoritas, ut uberiorem ſortiatur in auditoribus profectum, ut denique ad cordis noſtri viſcera intimius pertineat. Sicut enim Monachus, quæ à ſuæ religionis docto Monacho congeſta ſunt, libentius, familiarius & glorioſius accipit, magnipendit & admiratur; Ita quoque ſecularis Presbyter majori, ut credo, affectione verba ſuſcipiet ſui Chriſti Jeſu. Tuum autem erit, optima concio, ſicut ſolita es benignis auribus, æquo animo & mitiore cenſura adeſſe & favere. Ex Evangelico autem contextu oraturo mihi primùm incidit, qualia hominum genera majori ante alios reprehenſione ſint à Domino noſtro Salvatore notata. Id dum Studioſus perquirere conabar, duo potiſſimè inventa ſunt: *Scribæ & Phariſæi hypocritæ.* Quos licet in pleriſque totius Evangelii paſſibus, acerrimè tamen & magis appropriatè *in capite Matthæi tertio & vigeſimo* graviſſimis quibusdam maledictionibus Chriſtus ipſe notat, perſequitur, reprehendit. Ideoque decrevimus in præfato Matthæi capite omnium fere dicendorum à nobis pedem ac fundamentum collocare. Apparebat enim nullum Chriſti ſermonem magis eſſe correſpondentem, cum in eo hæc duo hominum genera, & quæ frequentant peccata, aptiſſimè tanguntur, in quibus præſens Eccleſiaſticarum perſonarum Status potiſſimum continetur. Primum enim ſub Spiritualium nomine cenſentur hodie Sanctiſſimi Domini Papæ, Cardinalium & ipſorum, qui apud nos ſunt, Epiſcoporum Cancellarii, Protonotarii, Secretarii, Notarii, Subſtituti, quibus cohærent Judices, Advocati, Procuratores, Syndici, Fiſcales. Quos omnes rectè crediderim *Scribas* allegatos, & toto ferè Evangelio ſub Scribarum nomine à Chriſto Jeſu fuiſſe reprehenſos. Qui ſi adhuc in humana, ut olim, naturâ corporaliter & ſeipſo prædicaret,

nemo dubitet, quin eos ipſos Scribas *ſuper innumeris corraſionibus*, quas ſciente Epiſcopo, nec tamen emendante quotidie & quidem injuſtiſſimè faciunt, acerbiſſimè accuſaret, corrigeret & puniendos denuntiaret. Eſt præterea alterum genus hominum, quos ab autore noſtro *Phariſæos hypocritas* nominamus, in quos principaliter, non tamen ſine præfatis Scribis ſeſe accingit oratio noſtra. Phariſæus autem, ſi vocabulorum interpretationi credendum ſit, is convenienter appellabitur, qui eſt habitu & religione à cæteris maximè ſecretus atque diviſus; quales apud nos *omnes in capite raſi, longiori amictu veſtiti Sacerdotes & profeſſione Fratres atq; Monachi.* De quorum omnium tàm ſecularium Presbyterorum, quàm Religioſorum numero, licet pars magna caſtigatione corporis, jejunio, & contemplatione ſibimetipſis, exemplo & prædicatione proximis, utriſque autem oratione & miſſarum ſacrificio vehementer proſint, & multorum ſaluti intendant, cujus occaſione *optimi Phariſæi* juſto honeſtoque vocabulo poſſent appellari. Reliqua tamen, quæ numeroſior eſt portio, adeò in ſe laſciviis gaudet & voluptatibus, adeò ſcandalum proximo infert & occaſionem ruinæ, adeò deteſtabiliſſima ſuâ converſatione, & ibi & proximo parat iter ad infernum, ut quam forinſecus præ ſe fert honeſtatem, peſſimis ſuis moribus & falsâ ſimulatione mentiatur. Unde fit, ut hi, qui noſtra ſunt tempeſtate Sacerdotes & Monachi, dum perversè vivunt, *dum ſua vita neq; habitui, neq; profeſſioni reſpondent*, meritò ſub nomine Phariſæorum hypocritarum venient, & à nobis nominandi, & objurgationibus à Chriſto factis reprehendendi. In eo itaque ſermo noſter totus occupabitur, ut & *proprietates illas* primum & deinde *maledictiones*, quas olim verè & ad literam Phariſæis hypocritis Salvator noſter objecit, hos in ſeculi noſtri Presbyteros Phariſæorum hypocritarum nomine deſignatos, non minus verè, quàm allegoricè retorqueamus. Cui quidem applicationi cum veſtros ſi non ora & voces, at ſaltem animos fecerimus conſentientes, tunc demum credito nobis officio, ſperabimus pro juventa noſtra ſatis poſſe. Deteſtandas itaque Phariſæorum hypocritarum conditiones Salvator perſequuturus principio: *Super cathedram*, inquit, *Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia igitur quæcunq; dixerint vobis, ſervate & facite; dicunt enim & non faciunt.* Reſpicit primâ fronte hæc particula quoslibet ferè divini verbi Concionatores & animarum Curatores, qui licet ſedeant ſuper cathedram Moſis, quod eſt in honore & ſublimitate officii prædicationis & plebanatus, eam quidem, quæ eſt ex traditione Moſis, legem docent & dicunt, ſed, quod hypocritarum eſt, nequaquam faciunt.

ciunt. Palàm enim quid dicant, inter prædicandum percipimus, in Christum debere nos firmiter credere, ſpem omnem in Dominum collocare, Deum ex toto mentis affectu propter ſe, & proximum propter Deum diligere. Rectè id quidem. Sed quid faciant, hi qui familiariter eis cohabitant (o utinam ſoli illi) & vident & audiunt. Nam ex operibus ſuis eorum fidem agnoſcimus, ex immenſo habendi deſiderio ſpem ipſorum intelligimus, ex voluptatibus, laſcivo aſpectu & gradientibus circa focum pueris amorem experimur. Illi ergo dicunt, ſed non faciunt. At multò rigoroſius tangit iſta, quam diximus, clauſula altioris ſtatus homines *Epiſcopos*, *quarumcunq; dignitatum Prælatos & omnium Eccleſiarum Canonicos*, qui cùm ob Pontificatûs, Prælationis aut Canonicatûs ſui honorem ſedent in cathedra Moſi, unde vel ex proprio officio, vel ex Eccleſiâ, quæ incorporatam ſibi curam habet animarum, paſtores ſunt, & paſtorum nomine aut ſaltem fructibus gaudent. Cujus rei gratia deberent ipſi non ſolùm facere, ſed & facere & prædicare, quorum tamen nihil ex iis videmus. Nam ubi ſunt, obſecro, *Pontifices*, qui, quod proprium eſt eorum officium, divinis ipſi inſiſtunt ſermonibus? ubi *Paſtores*, qui ovibus ſuis fidei rudimenta & ſacram ipſi doctrinam interpretantur? Ubi *Eccleſiæ collegiatæ Paſtorias* ſibi ingurgitantes curam habent, quatenus populus bene inſtituatur, pro quo tamen omnes illi non lanam modò, ſed & carnes & oſſa de pecoribus ſuis auferunt, de manu eorum, qui pondus diei & æſtus portant, eripiunt, & in ſolâ vanitate & luxu conſumunt. Quod ſi fortè ad hæc, ut ſolent, reſpondeant, habere ſe *Plebanos*, quorum curæ & ſollicitudini res iſta credita ſit & integrè commiſſa, videant ſi non ſophiſtica ſit illa ſolutio & ſuiipſius accuſatoria. Nam ſi Plebano tuo in ſacris literis, quod perrarum eſt, longè fueris peritior, quare precor, non proprio dogmate arida populi tui prata irrigas, & uberiora ſitienti plebi tuæ pocula ſuggeris? Qui fructus ex eâ copioſiores decerpis. Si verò is, qui in regenda parochiâ vices tuas obtinet, ſicut frequentatiſſimum eſt, multò te doctior fuerit & præeſſendi magis accommodatus, apud teipſum rogo, & in conſcientiæ tuæ ſecreto dijudica, uter veſtrum magis dignè Paſtor eſſe debeat, tuné qui ignarus es, an ipſe optimè eruditus? Profectò ſi rationi rectè (ſicut æquus rerum æſtimator) judicium tribueris, non tibi, ſed illi Paſtoriam adjudicabis. Unde accidit, ut non modò ſis Phariſæus hypocrita, ſicut Prædicatores & Simplices Curati, ſed & multò eis pejor & infelicior, illi enim ſi non faciunt, dicunt tamen.
Tu

Tu verò, quod tamen ex officio tuum eſt, neque dicis, neque ſapis. Sequitur: *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Tales ſunt ætate noſtrâ *Prælati fermè omnes officiati & fiſcales*, qui in ſubjectum ſibi Clerum, ſi quando ex infirmitate, & in parvo quidem, ceciderit, amari ſunt ejus delictorum judices, graviſſimâ eum cenſurâ afficiunt, in eos inſtar tyrannorum ſæviunt, quæſtui & lucro, non emendationi, inhiant. Ipſi verò non huic modo, quod in ſubdito perſequuntur, ſed multò enormioribus ſunt illaqueati ſceleribus. Nec movet eos humana fragilitas, non cogitant, eos, qui peccaverunt, homines eſſe, nulla eſt in eis condolendi patientia. Non revocant in memoriam, quales ipſi in eodem vitio vel hodie ſint, vel paulo ante fuerint, aut forſan futuri ſint. Non præcedit correctionem eorum miſericordia, ſed vel odium, vel habendi deſiderium. Non ſic Judices, non ſic Vicarii, non ſic Fiſcales, Non ſic. Oportet enim bonum Præſidem in his, quæ ſecundum ſeipſum ſunt, gravem eſſe Judicem, in ſubjectis autem manſuetum. Oportet, ut primò cum diligentia, quæ tua ſunt, perpendas, & tunc demum rectè, quæ proximi ſunt, diſcuties; quod niſi fecerint, Dominicam hanc alio in loco deſcriptam contumeliam infallibiliter ſenties: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui.* Alligant etiam onera gravia & importabilia, qui *nimis grave Satisfactionis pondus* ad pœnitentiam venientibus imponunt, quo ſit, ut dum pœna præſens fugitur, neceſſariò futura contemnatur. Sicut enim ſi ſarcinam ſuper humeros adoleſcentis, quàm bajulare non poteſt, poſueris, aut ſarcinam rejiciat, aut pondere confringatur neceſſe eſt. Sic & homini, cùm grave pœnitentiæ pondus imponis, neceſſe eſt, ut aut pœnitentiam rejiciat, aut eam ſuſcipiens, dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus amplius peccet. Quod ſi erraveris, modicam pœnitentiam imponendo, nonne melius eſt, propter miſericordiam reddere rationem, quàm propter crudelitatem. Solet in hac materiâ illud afferri: *Ubi Paterfamiliâs largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax.* Si DEUS benignus eſt, ut quid Sacerdos ejus auſterus? Hypocrita vis apparere ſanctus? Eſto circa vitam tuam auſterus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem & gravia facientem, aliis facile indulgeas, à teipſo duriora exigas. Teipſum onere gravabis, & cæteros ab eo relevabis. Sequitur: *Omnia opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus; dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.* Tametſi generalis iſta hypocritarum periphraſis & deſcriptio religioſos, qui vel obſervantiam profitentur, potius quàm Sacerdotes arguat Seculares, cum *Monachi* plerunque omnem ſuâ ſimulatione corrumpant

Sancti-

Sanctitatem, ad quam inprimis positi sunt ædificandam. Dilatant verba sua de propriis observantiis quasi phylacteria, quod est, conservatoria salutis ea populo assiduè prædicantes. Fimbrias & suas, quin imò fimbriarum cucullos plicarum multitudine tanquam organa magnificant. Presbyteri autem seculares, ut paulò ante meminimus, aut neque dicunt, neque faciunt. Aut si dicant, nulla tamen opera faciunt, ut vel à DEO, vel hominibus videantur. Sunt tamen ex iis, licet forsan pauci, qui licet tanquam Simiarum venatores calceos deferant ex anteriori parte obtusos, licet capita sua multo panno velut examen apum ingressuri circumcingant, licet tanquam fratres conversi capillos habeant, ad aures usque patentes decisos, licet Begittarum Sectæ & monopolio aut ut frater, aut ut Præsidentes intersint, & quæ probitatem pollicentur, mulierculis se associent, hæc tamen omnia faciunt, ut ab hominibus videantur. Non minus tamen *sub castitatis & continentiæ*, quam extrinsecus prætendunt, *simulatione fœdissimos*, quod cum venia vestrâ dixerim, *Beguttarum suarum amplexus, quotidianâ Bacchi Cererisq; gastrimargiâ clanculo prosequuntur.* Sunt igitur ex eâ parte *communi Clero* deteriores, qui, cum reliqui palàm & in rebus mundanis, ipsi secreto in rebus divinis, &, quod scelestissimum est, *sub specie humilitatis constantiam quærunt*, & animabus suis periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei & se, & alios decipiunt. Qui enim immoderato cultu corporis & vestitus, cæterarumque rerum nitore fulget, is facilè convincitur rebus ipsis pomparum seculi esse sectator. Nec quenquam dolosæ Sanctitatis imagine fallit. Qui verò in professione honestatis, ampullosis tunicis, decurtata coma, demisso in terram tristi vultu, & fictis ex corde suspiriis, intentos in se oculos hominum facit, is non modo quodq; superbit, sed quia de humilitate superbit, nequissimus est judicandus, & pœna graviss. dignus, recepit enim, quam desideravit, mercedem suam. Quod autem deinde subjungit in supradicto loco Dominus: *Amant primos concubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro.* Non videbatur multo labore necessarium, ut ab his, quibus ad literam locutus est Dominus, Pharisæis hypocritis nostræ ætatis Clero facili interpretatione accommodaretur. Nam tanta est Dominorum nostrorum incredibilis arrogantia, ut non in cœnis modò, quod tolerabile esset, si quando inter se, aut cum Magnatibus pransuri conveniunt, verum etiam, quod deterius est, in Ecclesia Dei, in Capitulo & ubique, licet doctrinâ & probitate expertes sint & ignari, semper tamen in honore & admiratione cupiunt esse primi. Primas amant salutationes in foro, non solùm in tempore, ut primùm ipsis salutandi deferatur officium, verùm ut & flexis cervicibus in publico eis incurvemur, & magno verborum appa-

ratu salutem eorum excipiamus, &, ut planior sim, quotquot sunt universi, tanquam Pontifices essent reverendi, quin imo & *gratiosi* appellari volunt. Vah quanta statuum deordinatio, quanta hominum iniquitas, quanta in Deum blasphemia, ut quæ solius Dei est, gratiam hominibus facere aut præstare se credant, cujus tamen si vel mare fuissent, ne minimam quidem guttam unquam recepissent. Et ô utinam solas amarent salutationes in foro, si non multi ex eis simul in foro, & in ipsis quoque salutationibus, magno desiderio quærerent jurgia & lites, in quibus ad multa folia lites protendunt, terminos multiplicant, causas iterum atque iterum suspendunt, in finem, ut de ipsarum lucro splendidas sibi domos ædificent, ut plurimâ supellectile glorientur, ut argentea sibi vasa comparent, ut camiseis, quas ipsi tunicas nominant, multis & diversicoloribus abundent, ut denique, quod infallibiliter sequitur, planam sibi ad inferna viam & præparent & inveniant. Hæc, *optimi Patres*, de nostrorum Hypocritarum, qui *Sacerdotes* sunt, conditionibus satis dixisse juvaret, nisi forsitan eam, quæ sola nunc superest, particulam aliquis vestrûm nobis objiceret: seque & magnam sortis suæ partem ab ejus objurgatione contenderet esse prorsus immunem. Cùm enim Salvator post supra dicta dixisset: *Et amant ab hominibus vocari Rabbi.* Nolo, inquiet, (quemadmodum plerique faciunt, qui licet gymnasium universale nunquam sint ingressi, ob vile tamen quoddam officium *Magistros* se appellari patiuntur & gloriantur) Nolo, inquam, Magisterii in partibus, sic enim irridentes loquuntur sterilem mihi titulum vendicare. Sed ô rigidum, mandatorum Christi observatorem! ô facetum consiliorum ejus imitatorem! qui verbis in superficie se obsequi contendit, rem autem & intellectum negligit. Nam Magisterii nomen non prætextu humilitatis à se rejiciunt, & in aliis flocci faciunt, sed, ut sub hujusce defectu nominis & suam quoque possent aliquatenus ignaviam occultare. Christus autem Magistros vocari prohibuit ne quod Deo debetur, nobis præsumamus, neve divinum nobis honorem usurpemus. Porrò, si Hieronymo credimus, aliud est, esse natura Patrem, aliud indulgentia, cùm enim, ut fit in Religionibus, Prælatum *Patrem* vocamus, honorem ætati deferemus, non autorem nostræ ostendimus vitæ. Sic ex veri consortio Magistri & recta docendi imitatione, sic ut Paulum Doctorem gentium, ita reliquos honestissimè *Magistros* appellamus. Nunc verò tandem de proprietatibus satis dixisse me velim. Deinceps autem orationis nostræ postremum succincta brevitate tribus potioribus immorabitur maledictionibus, quas Legifer noster Christus tum ex peccato, quo se dignos præbuerant, tùm ipsius disciplinæ causâ in hypocritas pronuntiavit. *Væ, inquit primò, vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui*

quia clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec sinitis introeuntes intrare. Hic *regnum cælorum* ſcripturas ſacras, quibus ipſum inſitum eſt, accipimus, *Januam*, earum intellectus, *Clavem* verbum ſcientiæ ſcripturarum, per quam aperitur hominibus Janua Veritatis, *Apertionem*, veram ejus apertionem, *Clavicularios* autem Sacerdotes, quibus creditum eſt verbum docendi & interpretandi ſcripturas. Nonne igitur Sacerdotes noſtri ante homines claudunt regnum cælorum? cùm ſacram eis ſcripturam non interpretantur; Sed quomodo interpretabuntur? cùm eas neſciant; & quomodo eas ſcient, dum illis nunquam dederint operam intelligendis. Videmus enim hodie omnium ferè ingenia his ſolum humanis inventionibus vacare, quæ ad nutum hominis labant, mutantur, delentur, violantur, quibus qui ſtudent, id plerunque ſolum cogitant, ut fragilem ſibi quæſtum parent, aſtu cæteros vincant, lites interminabiles reddant, ſcripta quævis ad ſuum ingenium referant & retorqueant, magnos honores aſcendant, unde demum profundius ad inferos demergantur. Præterea: *væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui decimatis mentam, anethum & cyminum, & reliquiſtis, quæ graviora ſunt legis judicium, miſericordiam & fidem.* Quia in lege præceperat Dominus omnium rerum in templo decimas offerri, ut, cùm Sacerdotes populo in ſpiritualibus obſequerentur, viciſſim eis populus temporalia ſubminiſtraret, & id quidem propter alimoniam Sacerdotum & Levitarum, quorum pars erat Dominus. Servare autem in negotiis diſceptandis juſtitiam, facere proximo miſericordiam, & habere in Deum integram fidem, mandavit Deus ad honorem & gloriam ejus. Itaque, ut intellectus myſticos dimittamus, Phariſæi avaritiâ pleni hoc habebant ſtudii, ut, ſi quis decimas alicujus rei vel minimæ non obtuliſſet, graviter eum corriperent, quaſi magnum aliquod crimen commiſiſſet. Si quis autem vel alterum læſiſſet, vel in Deum peccaſſet, nulla erat eis correptionis ſollicitudo. De lucro ſuo fuerunt apprimè ſolliciti, de gloriâ Dei ac hominum negligentes. Fecerunt hæc olim Phariſæi hypocritæ, ſed quid noſtri faciant hypocritæ, non attinet dicere. *In propatulo eſt, quod omnes de honore ſuo ſunt ſtudioſiſſimi, de honore autem Dei nulli, aut certè pauciſſimi.* Portiones ſuas vigilanter defendunt, ſed circa obſequium Eccleſiæ curam impendere non attendunt. Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes. Si peccantem populum viderint, murmurat nemo. *Væ* poſtremò *vobis Scribæ & Phariſæi, & hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum.* Movet, ut arbitor nonnullos, cur, quod omnium judicio laudabile exiſtimatur, hîc à Domino reprehenditur, videtur enim non ſatis rationabiliter comminari adverſus eos, qui Prophetarum ſepulchra ædificare, & juſtorum monumenta ornare nituntur. Sed conſiderandum

 nobis

nobis eſt, quod non eos incuſat, quoniam ſepulchra ædificant, ſed ut illorum, qua ædificabant, intentioni detrahat, cum non ad Prophetarum, qui occiſi fuerunt, honorem, ſed in pompam & diuturnam ſibi ædificaverunt memoriam. Dicebant enim intra ſe, ſi benefecerimus pauperi, non multi vident; non ſuccedet perennis actorum recordatio. Nonne ergo melius ædificia facimus? quæ omnes aſpiciunt, & quæ non ſolum hoc, quo vivimus, tempore noſtro, ſed ad omnem ſunt permanſura poſteritatem? Ecce Phariſæorum hypocritarum juſta reprehenſio. Videamus autem, quid intra ſe dícant hypocritæ noſtri; imò quid palàm & ex ſententiâ faciant. Si quando forte fortuna Eccleſias ſivè Capellas aut novas conſtruunt, aut ruinam minantes erigunt, ſi in templo tapetas appendunt, ſi feneſtras inſtituunt, ſi caſulas aut reliqua divini officii ornamenta contribuunt, ſi altari tabulas affigunt, ſi miſſalia conſcribi aut imprimi faciunt. Nonne, inquam, nomina ſua titulos ſuos & arma ſua curant ſtudiosè incidi, celari, depingi, &, ut dici ſolet, fatuitatem, pompam & arrogantiam ſuam publicè præbent in ſcriptis. Errat profectò, quisquis putat, omnipotenti Deo, intemeratæ Virgini aut cuicunq; afficitur Patrono obſequium ſe præſtare, ſi eis honorem ex his pecuniis afferre molitur, in quibus pauperes plorant. Errat profectò, qui præteritorum voluerit eſſe cultor ſanctorum, præſentium autem contemtor, oppreſſor & perſequutor. Errat profectò, & vehementer errat, qui multis ſumtibus & pretioſiſſimis expenſis, neſcio, ſi dicam aliquando inutilibus, vanis & Deo diſplicitis templum materiale & mortuũ ædificat aut inſtaurat, vivum autem templum & Spiritûs Sancti habitaculum in infinitis, quos ante oculos videt, pauperibus, imò in ſeipſo propter peccatum pauperrimo parvifacit, negligit & aſpernatur. Sed quid inter hæc narrandum apud ſe cogitant noſtri ex hoc peccato hypocritæ, qui, dum adhuc in humanis ſunt, vel paulo poſt mortem per executores in ſacellis in ambitu aut reliquo cœmiterio. Non prophetarum non juſtorum, ſed ſibiipſi ſceleſtiſſimis peccatoribus faciunt ædificare ſepulchra, incidi in lapides armorum ſuorum monumenta, celari in eis aut proſâ aut metro ſplendida, ſed nugis plena Epitaphia depingi & affigi tabulas in quibus ad modum orantis depicta perſonæ ſuæ effigies provolutis in terram genibus & ſupplice manu alicujus Sanctorum imaginem, neſcio, quid & fruſtra quidem obſecrando precatur. O inſipientes, ô vani homines, quid vobis prodeſt poſt mortem iſta memoria, ſi, ubi non eſtis, laudamini, ubi vero eſtis, æterno ſupplicio torquemini. Ne autem credant Paternitates veſtræ piam eorum pro divino cultu voluntatem oratione noſtra penitus vel exterminandam, vel remittendam; ideoque operæ pretium eſt, ut breve illud conſideremus in hâc causâ diſcrimen, nam ſi juxta alia opera bona fecerit homo ædificia ſancta, additamentum eſt bonis; Si vero ad jactantiam aut fin

operi

operibus bonis, passio est gloriæ secularis, in qua quidem & simili destructione hæc hypocritarum *maledicta & proprietates* à me dictas, & Clero nostro applicatas esse credite, bono intellectu suscipite, benignâ interpretatione animis vestris infigite, & cum universali Ecclesiâ hanc singulariter Spirensem, & ejus Antistitem dignissimum unà cum exili personâ meâ commendatum habete. Dixi.

XXXVI. BERNHARDUS DE KRAYBURG.

VIri integritatem & candorem, & in ipsa veritatis momenta proclinantem, nobis exhibet Epistola, hactenus inedita, de perverso sui Seculi statu, quam pro amore boni publici communicavit Cl. Dn. Matthias Wilhelmi, Rector & Bibliothecarius Augustanus, ex instructissimâ Bibliothecâ Augustanâ, è quâ, quantum instituti nostri ratio permittit, quædam afferemus. Initium ejus Epistolæ, quam *Invectivam & declamatoriam* exhibet inscriptio, sic se habet: *Bernhardus de Krayburg, obsequutor humilis Ecclesiæ Saltzburgensis, dulcissimo suo Patri Reverendissimoq; Domino S. Episcopo Chiemensi, Viro maturo & prudenti Salutem & sua novissima memorari. Nudius tertius cepi metum mirabilem super iniquitate hujus seculi, præsertim super eâ malitiâ, quæ per omnem Statum in nostrâ nobiscum volvitur ætate, quantò enim à priorum Patrum vestigiis sanctæ fidei veriq; firmitate totum mundum oberrare video, tantò tremens in me vehementius contremisco. Hæc cogitans vidensq; ferè totum humanarum rerum statum, invalescente nequitiâ in deterius patulò commutatum, decrevi inter me teq; Pontificem in orbe toto mihi confidentissimum mearum curarum, solicitudinum, & angustiarum, quas per noctes occiduas in eâ re ipse mecum exaggeravi, per has facere literas participem; intereaq; primum rogo, ut eas literas tantò fidentiùs à me recipias, quantò ab amariori cordis processerunt compassione. Scribam autem tibi planè simpliciq; verborum decursu non rem novam, sed toti communem seculo, nec in his quicquam exspectes conspicui, quæ Oratorum sunt potiùs, sed lugentem nostræ statum ætatis.* Eo præmisso exordio rem ingreditur, & exponit primùm temporis ipsius mutationem in pejus, in quo se sentire, ait, *omnia plus solito deficere*, & à statu suo labi pristino. Deinde nec in Regnis stabilitatem esse, sed & ibi omnia in pejus converti ait, injustitiâ dominante. Verba ejus sunt: *Omnia plus solito deficere sentio ultraq; pristina tempora, ævo nostro, singula à Statu suæ labi perfectionis video. Primum, quod deficit* Justitia, *primorum Regnorum conservatrix, quæ tam perrara, tamq; perdifficilis & exigua facta est, ut jam pro tuâ parte expertus sis, quod nostro ævo in terris, neq; dives neq; pauper, eam cum hominibus, ut est, consequi possit; & si dives, & si Pontifex hanc assequi ambigit, pauper contemtus apud*

apud eos, qui portas habeat aperire justitiæ, eam quomodo consequetur? Certè ut videtur, ipsa vi fortè compulsa à nostris abscessit ædibus, sedes ejus omnis vacua est, lis autem facta immortalis, taliter, ut secus quàm apud Superos in diffluenti hoc mundo justitia haberi non possit. Qui hodie in terris justi *reliqui sunt, non nisi in prædam & derisum sunt sceleratis. Optime Pater, angulos orbis circumspice, ejus metire habitatores, & videbis, quod nihil aut parum habet nisi id aut* malè defensum, *aut* pejus *sit* quæsitum: *Audacia & vis, non jus, omnia possident. Sed si id tibi commune, & in tuis oculis non magnum videtur, majus isto animadverte, nempe deficit in hominibus* Fides, Pax & Humilitas, *passimq;* Securitas, atque cujuslibet status omne regimen. *Non est bonis requies à seditione ulla.* Postmodum recensens aeris per Augustum, Julium & Septembrem insolitas constitutiones, pergit ad Regnorum considerationes scribitq;: *Non solùm corpora deficiunt elementaria, sed & Civitates, Episcopatus, Ducatus & Regna. Non est Episcopatus, non Regnum aut Ducatum qui jam incremento gaudeat, sed omnes ruunt aut absorbentur defectu.* Inde deflectit ad calamitatem Constantinopolitanam, occupatâ per Turcicum Tyrannum sede Orientalis Regni, describendam, inque eâ finit concluditque Epistolam, Salisburgi anno M. CCCCLIII Cal. Augusti scriptam.

XXXVII. FELIX FABRI, MONACHUS ULMENSIS.

ORdinis Prædicatorum Conventûs Ulmensis, morum simplicitate magis, quàm eruditione clarus; neque elogio Eisengreinii in Catal. T. V. fol. 177. par est, virum fuisse, dum ait, *singularis literaturæ & eloquentiæ, & sacrarum literarum scientiâ nemini secundum*; tum enim infelici seculo natus fuit, ut ipse conqueri necessum habuerit de extremâ in Germaniâ infelicitate rei literariæ, maximè eloquentiæ, cum ipse vix latinè loqui sciverit, palmamque hâc parte concedat Italis, adimat verò Germanis. Ipse audiendus de studiis, quàm tenuia fuerint in Germaniâ, quæq; suo tempore vix cœperint. *Ante ducentos annos* (ait 1. Hist. Suev. 8. p. 67.) *in totâ Germaniâ nulla Universitas fuit, quarum tamen jam sunt plurimæ nostro ævo* (scripsit autem Autor anno 1489.) *institutæ, in quibus nutriuntur Theologi, Juristæ, Legistæ, Artistæ, Rhetores & Oratores; nec est villa, quæ careat Magistro vel Baccalario, & tamen juventutis meæ tempore pro monstro habebatur Magister vel Baccalarius, & inter mille Clericos non reperiebatur unus, qui saltem vidisset Universitatis alicujus locum.* Postea cap. 11. p. 93. *Apud Germanos non est Rethorica* (sic scribit) *& ornata Latina eloquentia. Muti necessariò sumus, quia verba ornata, brevia & facunda exprimere non dico non valemus, sed non scimus, quia non didicimus; nam etiam Universitatibus nostris Oratoria & Poetica penitus incognita est, & omne studium Juvenum in Elenchis est vanisq; cavillationibus. Periit à nobis*

ornat

ornata oratio, & abundat vana & sterilis cavillatio, quâ nihil solidum, nihil delectabile, nihil verum apparet, etiamsi sit verissimum. Disputatorium & spinosum docendi genus sugillat, declamatorium & Rhetoricum in Scholas reduci exoptat. Nugamenta Sophismatum explodit, & Syllogisticationes illas nebulosas, quibus juvenum animi tum deterebantur atque corrumpebantur, supprimi optat. Pravam hanc Scholasticorum & Ludimagistrorum institutionem meritò perstringit Frater Felix Fabri; quam postea Erasmus non tam exagitavit, quàm explosit, cujus tempore lucis literariæ fulgor ex obscuris & umbrosis locis primùm prodiit in Germaniâ; sicut Frater Felix observavit in Italiâ primùm cum Francisco Petrarcha, qui obiit anno 1370. literas emersisse pag. 68. Deplorat verò idem, non fuisse in Germaniâ, qui Italis obstruxerint os ob insectationes Svevorum, causamq; fuisse putat, quod ex ignorantiâ Latinæ linguæ id non ausi fuerint. *Libros repleverunt*, scribit c. 11. p. 92. *reprehensionibus & lacerationibus Svevorum, quos tamen luce clarius patet meliores, devotiores esse ad fidem, ad Sacramenta, ad sedem sanctam Apostolicam, & ad Clerum, quibuscunq; mundi Christicolis, prout testantur de eis sacri Canones, & Leges, & quotidiana facta. Clamant & proclamant Italici Germanos & Svevos, accusant de obedientiâ Ecclesiæ; imò inculpant eos de injustâ persecutione, & ad omnia ista silent, nec reclamant Germani; cujus non esse aliam rationem opinor, nisi quia apud Germanos non est Rhetorica, & ornata Latina Eloquentia.* Eandem repetit querelam cap. 12. p. 121. 122. concludens caput: *ô quam grande volumen comportari posset, si quis colligere velit Italorum gravissima scandala, rebelliones, contemtus, inobedientias, Ecclesiæ impugnationes, contumacias, dolos, perfidiam, & horrenda alia eis quotidiana, & communia, & nephandissima vitia! Si quis, inquam, hæc tantâ diligentiâ & ornatâ eloquentiâ conscriberet, sicut Svevorum Dominorum suorum & Germanarum Gentium conscribi & describi fecerunt excessus, profectò volumen grande fieret, quo Italia, terra nobilis, propter generationem malam & adulteram, & gentem ignobilem, omni vitio vitiosissimam, exosa, odiosa & abominabilis Christiano vero & virtuoso redderetur. Sed sicut sæpe in antehabitis dixi, & nunc flens dico, quod tota causa illius irrisionis, quam patimur ab infestis Italicis, est, quia* Alemania huc usq; caruit eloquentiâ, *nec hactenus erat, qui eos Germanos probos & Christianissimos esse, & eorũ infamatores infidelibus deteriores*, ornatâ eloquentiâ *ostenderet.* Damnum hinc æstimat bonus Monachus, quod Germanus nesciret se defendere, quia bene loqui nesciret; nihilq; præsidii haberet ex illis dialecticis tricis, quibus tunc obruta ingenia ad magna surgere non possent. Desiderat itaq; suo tempore gymnasmata Latinitatis & progymnasmata Rhetorica, quum etiam Veterani, licet doctissimi essent Thomistæ & Scotistæ, tyrones fuerint in acie disputationum de rebus communibus & politicis, ubi nec clypeum tenere, nec hastam vibrare, ac ne pedi-

pedibus quidem firmiter consistere valebant, quem fructum inanium studiorum tot verbis persequitur, quia eo tempore vix essent, qui aliquid altum in rebus publicis suscipere potuerint cum studia tunc projecta fuerint in rem humilem, è quâ nihil solidum expectari poterat. Sic tunc sagaciter odoratus fuit F.F.F., qui fuit illo tempore in Prædicatorum apud Ulmenses Monasterio vir celebris, in rebus suæ professionis gerendis industrius, nec non in vitâ & conversatione humilis; unde, cùm Ulmam, hospitium liberale Monachorum, describit, improbat *religionem tepescentem & secularem pompam in Monachis crescentem*, quæ abalienaverit Ulmenses, quod scitè describit lib. 2. cap. 2. p. 236. & cum Wiblingense Monasterium describit, inhonestas actiones & luxus Monachorum, quibus dies atq; noctes infregerunt, detestatur, scribens cap. 11. p. 287. *Fratres in devotione tepescentes incipiebant passim frequentare, & societatibus se immiscere, præsertim cum sui Ordinis Fratribus Conventus Augiensis, qui delitiis Ulmæ vacabant, eosq; de Wiblingen & Elchingen invitabant, ut essent adjutores eorum in dilapidatione bonorum Owiæ magnæ* (Reichenaw) *quæ Ulmæ habebant, & in tantam inverecundiam Monachi devenerunt, ut spectaculis secularium*, hastiludiis & choreis, ac nuptiis *interessent; stetitq; divini Benedicti sacra Religio ferè ubiq;* sub tali dissolutione *usq; ad illud tempus, quo ab Incarnatione Domini numerabantur anni M. CCCC. XII.* cumq; Abbas Udalricus Hablützel Conventum suum A. 1445 annis 23. post primã Reformationem, reformare vellet, magnas difficultates sustinuit *propter suorum Fratrum contradictionem; nam in tanto vitæ suæ stabat periculo, ut secretè* loricâ *sub tunicâ* indutus *in Choro, Capitulo & Refectorio Conventui impatienti assisteret.* Hæc de improbitate Monachorum Wiblingensium, quam iterum sub censuram vocat, cùm confratrum Augensium, Elchingensium, Blaburensium & Ochsenhusensium luxuriam cap. 15. pag. 309. 310. describit.

XXXVIII. FELIX HEMMERLIN, vel MALLEOLUS.

SAcerdos fuit, Sacerdotumq;, Monachorum & Religiosorum copiam, mundo & Ecclesiæ onerosam, reprehendit, verborum acrimoniâ usus, nam in tractatu de Libertate Ecclesiasticâ scribit: *Ecce, quot per singulas annorum quartas, per omnes Episcopatus, turmæ creantur & ordinantur Sacerdotum; & ut loquar de notiori, videlicet de Constantiensi tantùm diœcesi, ubi, ut æstimatur, per annum nonnunquam ducenti vel circiter promoventur Presbyteri; nec tamen adeò frequentes sunt mortes eorum, sed Ordines sunt notissimi; verùm summi Parentis clementiâ, aut ex jussu & permissu illius, Diabolus Lupos & Sacerdotes taliter dissipat & dispergit, ut multitudinis eorum gravitas mundo nihil noceat;*

noceat; disparent enim & distrahuntur tam mirabiliter, ut nemo hominum sciat, quò ipsos Spiritus abripuerit; quippe si, sicut Agnelli, perpetim fructificarent, & fœtus suos subinde per orbem dilatarent, omnis sanè Rusticorum gens ad alendum Lupos & Sacerdotes non sufficeret, sed omnino periret. Deinde: *Constat, quod ante Christianissimi Constantini Imp. magni tempora Clericis non fuerunt, nec Ecclesiis, aut Ecclesiarum Ministris bona temporalia, præsertim immobilia, liberè concessa, & pro tunc exilis ipsorum erat numerus & rarus, & ideò Deo & hominibus fuit carus; & nunc super arenam maris & stellas cæli videtur multiplicatus,* & multitudo Clericorum & Sacerdotum *facit eos contemtibiles, & præsertim, dum literaturâ, moribus & vitâ sunt vacillantes, multitudo ipsos facit magis viles.* Idem in Tractatu de Doctoratu in stultitiâ: *Abbas simplex, tanquam Pontifex, incedit infulatus, & mulus sterilis, tanquam Equus, comparet testiculatus. Ex Abbatibus Ecclesia nunquam consecratur, & ex Muli testiculis proles non generatur. Insuper continuò patet, quòd ex puris Baccalareis nihil sequatur; & quoniam ego Felix unus ex illis sum, prout novit Bubulcus Bubulcum, igitur cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Ioco hæc ille acerbo in Abbates, quos *Mulis* comparat, ficut idipsum proposuit Johannes de Bado Aureo lib. de Armis p.13. *Leopardi & Muli, & cætera animalia, per adulterium generata, habent instrumentum generandi, non tamen habent actum vel exercitium, sicut* Abbates *habent Mitram, baculos pastorales & cætera instrumenta Episcopalia, non tamen habent exercitium, unde scribitur: Mulus & Abbates sunt in honore pares.* Eadem habet, sed clariùs, Nic. Uptonus, Eccl. Sarisberiensis Canonicus, 4. de Milit. offic. p.148. Idem Frater Felix Fabri Histor. Suevorum lib. 2. c. 2. p. 236. cujus ferimus verba: *Abbates Infulatos nequaquam Ego, sed Joannes (*Andreæ*) in Decretali, ut Apostolicæ, de privil. lib. 6. nominat* Asinos cornutos, *dicens, eos ideo non posse exercere officia pontificalis Ordinis.* Ideo vulgariter dicitur, quòd *Insignia Pontificalia in istis Prælatis tantum operantur, quantum in oculis genitalia, quia, licet habeant, tamen non generent; sic nec isti Infulis coronati fructificant.* Scripsit insuper Malleolus *contra Nolhardos* & *validos Mendicantes*, ut nullæ eis dentur eleemosynæ, qui liber extat in Bibliothecâ Augustanâ; allegavitque Johan. Wolfius Cent. 15. Lect. Memorab. p. 834. ubi & alia. Opuscula & Tractatus ejus varii anno 1532. editi sunt.

XXXIX. IODOCUS GALLICUS, RUBEACENSIS.

CLaruit Spiræ sub Ludovico, Principe Palatino, Ecclesiæ Spirensis Episcopo, cujus jussu in Synodo Spirensi anno 1489. Idus Maij, præsente Ecclesiæ Episcopo, Orationem habuit, quâ instituit collationem inter

Sacerdotem corrigente. Sacerdos dicit: *Gaudeo me sacros Ordines recepisse.* Presbyter respondet: *Vide, quæso, quâ mentis intentione sacrum hoc Christi ministerium & gradus Ecclesiasticos quæsieris, quis te Spiritus in hunc Clericatûs honorem vocaverit. Nunquid beneficium potiùs quàm officium; Nunquid indigentia potiùs quàm scientia; nunquid pecuniarum census quàm animarum salus.* Sacerdos inquit: *Est mihi pingue beneficium.* Ad hæc Presbyter: *Ad collationem ratio habenda est, annon cum Simone emta, annon cum Gezi vendita sit. An tibi adhuc parvulo, nec dum forsitan nato, provida Parentum amicorumve solicitudo, fecerit de beneficio provideri; aut tu ipse muneribus, adulatione, intercessorum favore, obsequio indebito, precibus importunis, amore carnali, dolo aut fraude, licet ineptus, improbus aut ignarus impetravisti. Hoc velim apud te judiciarium examen constituas.* Sacerdos loquitur: *Gaudeo, quia ornata est mihi varii generis supellex.* Presbyter respondet: *Dic planè, quæ sit tibi gratior. An, ut sim augur ego tuus, gratissima est tibi omnium, quam habes domi, famula pulchrior, lasciva, annorum duodeviginti & succi plena.* Sacerdotem hîc habet confitentem, & dicentem: *Væ mihi, rubor ingens obruit ora; & verecundia nocentem me profitetur, velim nolim.* De societate Clericorum differens cum Sacerdote Presbyter, quærit: *Dic mihi, obsecro, quotiens tu apud eos hospes aut conviva receptus audieras inter prandendum lectiones biblicas; quotiens salubrem de institutione Sacerdotalis Statûs doctrinam, quâ reformaretur in melius vita eorum, honestiori induerentur vestitu, parciùs uterentur cibo & potu, abstinerent immunditiis, vitarentur, quæ fiunt in choro, infinitæ confusiones, majori concordiâ, dulciori mensurâ, & non solo naso aut latratu canerent, distinctiùs legerent, intelligibiliùs pronuntiarent. Dic mihi, obsecro, si unquam ex disputationibus illius Societatis evasisti doctior, ut distingueres inter lepram & non lepram; ut esses confessionum discretior auditor; quorum esses casuum absolutor; ut esses evangelizationi aptior; ut esses consiliis dandis resolutior; ut esses in publicorum correctione criminum consideratior. Dic mihi, obsecro, num ex tali potius Conventu erectior factus es, ubi se hæc, ubi se alia* Thaïs prostituta *contineat; ubi habitet, cujus copulæ cohæreat, si vocata, lubens compareat. Num apud eos audisti, quomodo ludibrio habeatur continens; floccipenditur castus, calumniam patitur devotus, detractionem habet Prælatus, Irridetur quisq; doctus, & soli cum eis in pretio sunt, & venerantur, qui vix in superficie muros Scholarum Bononiensium contemplati sunt; aut quibus ad manum est differere de exorbitantiis Cardinalium & Papæ; de gratiis expectativis, de collitigantibus, de signaturis, de regulis Cancellariæ; de Collectis Cameræ Apostolicæ; de Vacantiis, de Commendis; de Reservatis. Agitantur ab eis verba*

levissi-

levissima, scurrilia, vana, luxuriosa, prophana, turpissima, nefanda, hæretica, sodomitica, abominabilia. De iis, qui indigni ad Beneficia & Officia Ecclesiastica admittantur, Presbyter cùm Sacerdote colloquens ait: *Præbendas addicunt, nullâ ætatis maturitate, nullo vitæ merito; nullâ rerum inspectâ aut inventâ cognitione. Sunt item, qui beneficia conferunt* histrionibus, *ut jocum excitent*; Musicis, *ut tibiâ canentes mensæ eorum & choreis præsint*; Spuriis suis, *ut Concubinas, ex quibus eos progenuerunt, enutriant*; mundanis & negotiosis, *ut rem familiarem tueantur & curent. Itaq; accidit, ut si quando clamor est, quod sint in* hâc diœcesi, *& itidem aliis*, plerique rudes & minus bene docti Sacerdotes, *mox à constitutis super Ordinum susceptione temptatoribus adest vulgata hæc responsio*, quia Romæ ad vota sua, nedum beneficium, verùm & sacros Ordines adepti sunt, *utrumq; parati sunt; ignari, ut videmus, ordinati sunt. Quibus addunt nonnunquam permutationis accusationem, quia ex diœcesibus propinquis in hanc nostram plures transferantur, ignari. Quod si forsitan super examine proprio duriùs urgeantur, illicò demonstrativum hunc syllogismum in aures susurrant objicienti*: Quicunque nobilis est; quicunque Ecclesiæ nostræ Canonicus aut Vicarius est, qui sanguine cujusvis horum aut familiaritate junctus est, qui ab eis beneficiatus est, sine temptamine saltem rigorosa ad Ordines admittendus est. *Tales autem, quod dolentes referimus, innumeri sunt. Innumeri ergò Sacerdotes indocti sunt.* Excipit Sacerdos: *Magister est, ergo sine temptamine ordinatus est.* Regerit Presbyter: *Absit; coronantur enim Magisterio, licet non Dialecticæ, physices, grammatice tamen & latinitatis intolerabiliter expertes. Sed ò utinam non essent à districtissimis etiam examinatoribus multò indoctiores, admissiq; fuerit unquam minimus in Heidelbergensi Academia birreto insignitus.* Porrò sub finem conqueritur Orationis, Pecuniam principalem esse finem Visitationis Chori, celebrationis Missarum, tenendorum hebdomadariorum officiorum. Hujus Jodoci Galli Orationi, præmissus fuit Sermo *de officio Episcoporum*, ad Episcopum Argentinensem, sine dubio Johan. Geileri de Keisersberg, qui varios in Episcopis notat defectus, è quô sunt, quæ hîc quoque sunt annumeranda. *Marcescunt sanctorum Patrum observationes, jam ultra mille annos ab avis & atavis nostris Christianissimè cultæ. Marcescunt, ut pompa floreat & avaritia. Urna Christianæ parsimoniæ in abyssum descendit oblivionis, & è regione luxus ascendat & fastus. Episcopi Sacerdotes se sciant esse, non Dominos, & si honorari voluerint, ut Episcopi, honorent & Clericos, quasi Clericos.* Excurrit deinde in Episcoporum luxum & abusum secularium divitiarum, quodq; tractent secularia, cùm spiritualia negotia

 debe-

deberent; unde ait: *multos periisse Episcopos, & nunc apud inferos tremere qui utramq; jurisdictionem secularem & spiritualem administraverunt.* Plura adderem, nisi exemplar me destituisset, quod truncatum cultro fuit manu alicujus, qui parrhesiam illam ferre non potuit. Dicit autem sub finem, se plura necessaria dicta rescidisse de miserandis negligentiis & excessibus in Ecclesiâ cathedrali Argentinensi, in Curiâ Episcopali; de miserabili & inordinato cantu; de excommunicationibus pro vilissimis causis; de venalitate constitutionum Juris; de pessimis corruptelis Civitatis & Statutis Laicorum; de violatione festorum per Mercantias & opera servilia; de superstitiosis & gentilibus oservationibus in Templo; de ingressu virorum in Monasteria Monialium; & Mulierum in Claustra Monachorum, unde abominanda fætuum homicidia perpetrentur. Reformationem itaque expectat ab Episcopo Ecclesiasticam, & Zelum pro Ecclesiasticâ refectione. Oratio fuit habita in Synodo Argentinensi anno 1482 à Johanne Geilero de Keisersberg.

XL. PAULUS LANGIUS, MONACHUS CITICENSIS.

VIr aperti animi & omnis fuci ignarus, magni inter suos Monachos habitus, & familiariter notus Johanni Trithemio, qui ejus operâ fideli usus fuit in conquirendis & congerendis rebus literariis, quibus etiam immortale sibi nomen peperit Trithemius. Conscripsit etiam P. Langius Chronicon, quod *Citicense* vocat, ex quo quædam testimonia, nostro instituto servientia, sumus producturi. In spinosam Theologicam, quam *Scholasticam* dicunt subinde invehitur, cumque Vitam Alberti Magni & Thomæ Aquinatis judicio suo sistit considerandam, de illo scribit pag. 807. *Anno salutis M. CC. LVIII.* Albertus Magnus, *natione* Svevus, *ex oppido Laugingen in ripis Danubii sito oriundus,* Episcopus Ratisbonensis *claruit, ob amplitudinem omnifariæ doctrinæ* Magnus *appellatus; fuit namque in omni Philosophiâ Peripateticâ peritissimus; hinc & à pleisq;* Simia Aristotelis *appellatus est; qui & nimium vino secularis scientiæ ebriatus, primus, ni fallor, fuit, qui sapientiam humanam, ne dicam Philosophiam prophanam, divinis literis copulare ausus est; quiq; Dialecticam contentiosam, spinosam & garrulam sacratissimæ & purissimæ non pertimuit commiscere Theologiæ, novum & Philosophicum modum sacras docendi & explanandi literas suis tradens sequacibus,* Theologistarum sectæ, *quæ ab eo* Albertistarum *dicitur, dux & monarcha excellens. Habuit autem discipulos egregios multos, inter quos* Thomas Aquinas *excelluit.* De hoc scribit pag. 811. *Anno Domini M. CC. LXIII. claruit* Thomas de Aquino, *Ordinis Prædicatorum Doctor, ex insigni prosapiâ Comitum Apuliæ origi-*

originem ducens, qui in pueritiâ à Patre suo Comite Landulpho missus in Monasterio Montis Cassini studuit. In tantum deniq; in divinis Scripturis, nec non Philosophiâ seculari profecit, ut ob magnitudinem ingenii ac vitæ claritudinem, pariterq; multorum Voluminum editionem Angelicus *&* Sanctus *cognominatus sit; qui &* communis *à plerisq; allegatur, & dicitur* Doctor, *quod doctrina ejus communior sit in Scholis & usitatior. Enimverò* Albertum Magnum, *Præceptorem suum sequens, & ipse divinas Scripturas Philosophicis armis defendere & communire cœpit, Sacram Theologiæ libertatem Syllogismorum spinetis intercludens, impugnantibus eam, argumentationum retia tendens. Quo deniq; modo &* Scholasticorum Theologorum, *qui à nomine ejus* Thomistæ *vocitantur, gregem trahens, Dux & Signifer eorum factus est clarissimus.* De Johanne Scoto, unde *Scotistæ* vocantur, hæc apud eundem leguntur pag. 831. *Johannes Scotus, & ipse Ordinis Minorum, qui quidem ob perspicacitatem & claritudinem ingenii sui* Doctoris subtilis *nomen commeruit, inter quatuor principalium sectarum Doctores locum tenens tertium, sectæ, quæ à nomine suo* Scotistarum *appellitatur, Dux & signifer invictissimus. Qui & ipse Philosophia seculari, Peripatetica scilicet, armatus, omnium ante se scribentium Theologistarum opiniones impugnavit, & suas statuens, quantum valuit, dejecit & diruit, Theologus sui temporis argutissimus & Scholasticissimus, ipsam cœlestem & Evangelicam doctrinam,* contra Doctoris gentium B. Pauli Apostoli institutum & formam, *tractando & docendo Philosophicè. Ipse equidem Apostolus, Sidus Apostolicum, & Evangelica Tuba, verum & unicum fidei Sacramenta prædicandi modum, perfectam & sinceram Theologizandi formam Orthodoxis servandam, contradidit Doctoribus suo exemplo & documento, inquiens:* Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei. *Quem saluberrimum & Apostolicum docendi modum ipse cum suis sectatoribus* Scotus *haud imitatur, qui Platonis, Aristotelis, Chrysippi cæterorumq; gentilium magis plusq; dogmata, quàm sacrosancta Jesu Christi & Apostolorum ejus citant allegantq; testimonia.* De discipulo Scoti Guielmo Occam, natione Anglico, factionis Occamistarum Duce, idem pag. 833. scripsit: *Ockam iste Scholastici certaminis agonotheto excellentissimus, agmen peregrini exercitûs, id est, Philosophicum, contra hostes Israel pugnans, in scripturarum campum adducit, sacrisq; Theologorum copiis associat; sacra prophanis, divinis humana, domesticis exotica, orthodoxis ethnica, cæca præsumptione commiscens & copulans; & adeò usq; quidem, ut auxiliares domesticas penè excedant superentq; copias, multò plures videlicet Philosophorum, quàm divinæ paginæ in suis Syntagmatibus auctoritates producendo; quasi arma lucis, utpote scutum fidei, galea salutis & gladius*

Sanct. Spiritûs, nec non utriusq; Instrumenti aurea testimonia ad resistendum Diabolo & Satellitibus ejus hæreticis minimè sufficerent. Verùm quàm faustè & prudenter id fecerit, ipse viderit. Explosis Thomistis, Scotistis & Occamistis non etiam Pontificibus diversis pepercit; sed & stilo suo usus est contra Leonem X. sub quo vixit. *Patrio more*, inquit pag. 896. *auri sitientissimus fuit, nimirum cùm Romanorum avaritiæ Florentinorum accesserit cupiditas, aurìq; sacra fames creverit in immensum, crescitq; usq; modo amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, sciviorq; ignibus Æthnæ ardet amor habendi, quemadmodum & pulcherrimè concordans dictis Naso inquit:* Creverunt & opes, & opum furiosa libido, quo magè sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. *Amore equidem auri & nunc* Romæ cuncta venalia *sunt. Auro mediante* Simonia *toleratur*; Præbendarum pluralitas *in infinitum conceditur*; Beneficia dignitatesq; *cujusvis qualitatis & Cardinalibus & Protonotariis atq; Amicis Papæ reservantur*; Expectativæ Gratiæ *sine numero conceduntur*; Annatæ *sive* medii fructus *absq; ullâ dilatione temporis exiguntur; quin imò & ipsæ Annatæ, in quas tempore Calixti Papæ III. ad quatuor Principes consenserunt annos, non modò adhuc durant sed & indies magis crescunt, duriusq; premunt & opprimunt; & nisi iidem Principes remedium adhibere procurent, omne æs & aurum pedetentim, hoc malo ex Germania corrasum & haustum, Romam velut in sacculum pertusum & inexplebilem voraginem portabitur. Pro palliorum Archiepiscopalium redemtione ingens pecunia in damnum Ecclesiarum contra sanctionem Leonis Papæ, ejus nominis secundi, imò contra sacri Basileensis Concilii decretum* pro usu Pallii aliorumvé Officiorum confirmatione & impetratione *nil persolvendum statuentis, exigitur & extorquetur. Quam quidem exactionem, præter Simoniam, complura alia sequuntur incommoda; nam nostrâ ætate Archipræsules pecuniam, quam* pro Pallio, *seu etiam* confirmatione obtinendâ, *Romam mittere coguntur immediatè, quatenus ipsi indemnes maneant, & thesauros suos non minuant, æquivalentem, imò multò ampliorem sub nomine* subsidii *extorquent pecuniam, quemadmodum nuper in Archiepiscopatu Magdeburgensi contigisse haud absq; querelâ pauperum (proh dolor) audivimus. Per prædicta itaq; & similia, quæ ex Romanâ Curiâ manant gravamina, per orbem Christianum ruinæ, destructiones & ærumnæ oriuntur.* Egregiè contra Monachos Eremitas Augustinianos disputat pag. 808. 809. 810. originem eorum ostendens genuinam, & quod nullo modo sint ab Augustino, Hipponensium Episcopo, instituti; de quâ re etiam peculiari libro egerat Jac. Wimphelingus. Multa de Indulgentiarum abusu excessuque habet, non tam sub Bonifacio Papa anno 1395. quàm Leone X. quibus Indulgentiis Bonifacius *maximas pecuniarum summas à Fidelibus Christi exhausit & extorsit* pag. 845. Leo autem X. *Indulgentias maximas, & antea inauditas, octennio per Germaniam du-*

ratu-

raturas, dedit, & pene triennio in Misnia & Saxoniâ, & circumquaq; infinitam pecuniam congessit, ex quo data fuit ansa felici reformationi Ecclesiæ, & ab his initiis ad pleniorem veritatis agnitionem itum fuit, Altissimo sic mirè disponente omnia, ut Pontifices, qui per nundinationes Indulgentiarum suam ubique terrarum propagare ac stabilire studuerunt autoritatem, eam ipsam per Easdem, vel occasione Illarum, opinione citiùs in Germaniâ aliisque Nationibus amiserint; *Germani* quippe *nostri Romanensium & fraudem, & astutiam, Indulgentiasq; prædicantium abusum & avaritiam intelligentes, manus retrahere cœpêre; potissimum contra easdem Indulgentias, immò declamantium intolerabilem abusum & excessum disputante, prædicante & scribente, Venerando Viro & profundissimo Theologo, Patre* Martino Luthero, *Wittenbergensis Academiæ & Conventus, qui suâ & doctrina & prædicatione mirabili Indulgentiarum omnium valorem annihilavit, & prorsus in dubium vertit, populumq; ab earundem redemtione avertit, eas minimè ad salutem fore necessarias affirmans, non remissionem peccatorum, sed pœnitentiæ neglectum, & aliorum pietatis operum relaxationem, impedimentum, & vitium esse,* & quæ alia sunt à Monacho allata p. 897. 898. Diploma Indulgentiarum, quod J. Tetzelius tunc nomine Leonis Papæ per Saxoniam circumtulit, ex authentico exemplari attulit D. Höpfnerus Sax. Evangel. Sect. 1. part. 2. p. 121. 122. 123.

XLI. JOH. WESSELUS, GRONINGENSIS.

DIctus fuit *Gransfortus* cognomine, sed à patria urbe Groninga, quæ Frisiæ urbi clarissima est, Groningensis. Obiit anno 1489. 4. Octob. ætat. 70. Cùm paulo ante hæc protulisset verba: *Gratias ago Deo meo, quod superare mihi Disputationes istas* (contra Indulgentias & Purgatorium) *licuerit; equidem nihil, ego scio, præter Christum, & eum crucifixum,* quod Ubbo Emmius, Frisius, primusque Academiæ Groninganæ Rector, lib. 29. Frisic. Rer. fol. 456. annotavit. Tumulatus fuit Groningæ, ejusque Scripta collecta Arnhemiæ 1614. edita sunt. Edita quoque Farrago rerum Theologicarum, eo autore, Basileæ 1524. Præmisit Lutherus huic Farragini Præfationem, quam hîc legi non abs re erit: *Helias Thesbites Propheta olim, cùm sermo Domini esset pretiosus, nec abundaret visio, otiosis universis propè Prophetis ab impiissimâ Jessabele arbitrabatur sese relictum esse solum. Ob id vitæ pertæsus optabat animam suam tolli, quod unus impar sibi videretur ferendo oneri intolerabili impiissimi populi, & Principum ejus, nescius adhuc septem millia Domino relicta, & Abdiam*

Ad n. 387. p. 820.

diam cum centum Prophetis latitantibus servatum. Quæ Parabola, si parvis liceat componere magna, hujus mei seculi *esse videtur.* Ego *enim nescio, quâ Dei providentiâ* in publicum raptus, *cum monstris illis Indulgentiarum & Pontificiarum Legum, & falsò nominatæ Theologiæ, sic pugnavi, ut me solum esse putarem. Etsi satis mihi semper fuerit animi, ita ut passim* mordacior & immodestior *accuser, præ nimiâ, quâ ardebam, fiduciâ, semper tamen id optavi, quo tollerer &* Ego *de medio meorum Baalitarum, & civiliter mortuus in angulo mihi viverem, prorsus desperans, me posse quicquam promovere apud æneas istas frontes & cervices ferreas impietatis. Sed ecce & mihi dicitur, esse Domino reliquias suas salvas, etiam in hoc tempore, & Prophetas in abscondito servatos; nec hoc solùm dicitur, sed & cum gaudio ostenditur. Prodiit enim* Wesselus *(quem Basilium* (Johannem) *dicunt, Frisius Groningensis, Vir admirabilis ingenii, rari & magni spiritûs, quem & ipsum apparet esse verè Theodidactum, quales prophetavit fore Christianos Esaias, neq; enim ex hominibus accepisse judicari potest, sicut nec Ego. Hic si mihi antea fuisset lectus, poterat hostibus meis videri Lutherus omnia ex* Wesselo *hausisse; adeò spiritus utriusq; conspirat in unum. Mihi verò & gaudium & robur augescit, jamq; nihil dubito me recta docuisse, quando tam constanti sensu, peneq; eisdem verbis, tamen diverso tempore, alienis cœlo & terrâ, alioq; casu, sic* ille mihi per omnia consentit. *Miror autem, quæ infelicitas obstiterit, quò minus in publico Christianissimus hic autor versetur, nisi in causâ fuerit, quod sine bello & sanguine vixerit, quâ unâ re mihi dissimilis est; aut metus Judæorum nostrum eum oppresserit, qui suis impiis Inquisitionibus in hoc nati videntur, ut optimos quosq; libros faciant hæreticos, qui suos Aristoteles & plusquam hæreticos nobis statuant Christianos, quorum finis, Deo vindice, jam definit in confusionem. Legat itaq; pius Lector, legatq; cum judicio, quo maximè hic præstat, quod & egregiè format, & quos in me offendit* nimia asperitas, *in aliis nimia dictionis elegantia, hîc non habent, quod querantur. Stylus est trivialis, ac pro seculo suo res ipsa tractatur modestè & fideliter; & si in stercoribus Ennii legit aurum Vergilius, poterit & ex* Wesselo *nostro legere, quod opibus eloquentiæ suæ addet Theologus. Dominus Jesus addat ad hunc multos alios Basilios. Vale, Christiane Frater. Witembergæ 3. Calend. Augusti.* Extat hæc Epistola Tom. 2. Epistolarum Lutheri, Eislebii 1565. editarum, pag. 89. 90. 91. Conferantur Paralipomena Abbatis Vrspergensis pag. 452. 453. 454. 455. J. Wolfius Tom. 1. Lect. Memor. Cent. 15. p. 835. 874.; Melchior Adamus in Vitis Theol. p. 93. & Vitis Philos. p. 21. 22. 23. 24.

XLII. IOHANNES VESALIENSIS.

DE Indulgentiis cùm tractat Martinus Chemnitius Exam. Conc. Trid. part. 4. pag. 180. quædam de Ioh. Vesalienſi tradit, quæ Flacius non habet; quædam etiam tradit, quæ non niſi ex Flacio habere potuit, ſicuti in illo Examine multa ex Catalogo Flacii depromſit, nullibi verò, quod ſcimus, Autoris voluit facere mentionem. *Ad n. 576. pag 81. 8.*

XLIII. THOMAS DE KEMPIS.

INnotuit Orbi Chriſtiano in magna Theologorum pietati ſtudentium ſcgnicie, & multa certantium & diſceptantiũ de curioſis quæſtionibus Theologorum copia, libro verè practico *de Imitatione Chriſti*, qui ad praxin pietatis ſigillatim directus eſt, & in quo plus Theologiæ & Sanctimoniæ eſt, quàm in centum Scriptis. Eundem librum amant omnes Theologiæ practicæ periti, & quotquot pietatis & pacis Eccleſiaſticæ cura propiùs tangit. Titulus libri arguit materiæ excellentiam, ex quo judicium optimi Viri de fidei Chriſtianæ palmario argumento depromemus, dignum, quod expendatur à dogmatum fidei aſſertoribus, quos vitæ ſanctitas religionisq; flagrans amor ab omni malevolentiæ ſuſpicione & partiũ ſtudio vindicant. In arduo *de Iuſtification*, articulo ſic verſatur ut primas *Dei gratiæ & miſericordiæ* tribuat, in eaque omnem fiduciam collocet, infeſtus operariis mercenariis; inde ait: *Super quid ſperare poſſum, aut in quo confidere debeo, niſi* in ſola magna miſericordia Dei, *& in ſola ſpe gratiæ cœleſtis?* lib. 2. cap. 9. §. 6. *Eſt vera gloria & exultatio ſancta, gloriari* in TE, & non in SE; *gaudere in nomine Tuo, non in propria virtute, nec in aliqua creatura delectari, niſi propter TE laudetur nomen tuum, non meum; magnificetur opus tuum, non meum; benedicatur nomen ſanctum tuum, nihil mihi autem attribuatur de laudibus hominum. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei, In te gloriabor, & exultabo tota die; pro me autem nihil, niſi in infirmitatibus meis*; lib. 3. cap. 40. *ô quàm maximè eſt mihi neceſſaria*, Domine, *tua gratia, ad inchoandum bonum; ad proficiendum, & ad perficiendum; nam ſine eâ nihil poſſum facere; omnia autem poſſum in TE, Confortante gratia, ſine qua nulla ſunt propria merita; nulla quoque dona naturæ ponderanda. Quid ſum ſine gratia, niſi aridum lignum, & ſtirps inutilis ad ejiciendum? Tua ergò me*, Domine, *gratia ſemper præveniat & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentum, per Ieſum Chrſtum, Filium tuum, Amen*; lib. 4. c. 55. *Dolendum valdè & miſerandum ſuper tepiditate & negligentia noſtra, quod non majori affectione trahimur ad Chriſtum ſumendum, in quo* noſtrum *conſiſtit meritum; ipſe enim eſt ſanctificatio noſtra & redemtio; ipſe conſolatio viatorum & ſanctorum æterna fruitio*; libro quarto cap. 1. §. 11. *Ecce, ſto ante te pauper & nullus, gratiam poſtulans, & miſericordiam implorans. Refice eſurientem mendicum tuum; accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præſentiæ meæ. Tu ſolus mihi ex hoc jam dulceſcas uſque in ſeculum, quia tu ſolus cibus & potus*

meus, amor meus & gaudium meum, dulcedo mea & totum bonum meum; libro eodem cap.16. Meditationes sunt hæ melliflüæ, quæ nullum agnoscunt *meritum condigni*, quod sua natura exigit præmium, tanquam æqualem remunerationem, & legitimam compensationem, secundum rectum obsequii & mercedis æstimationem.

XLIV. TALHEIMIVS.

PRænomen ignoratur, & cognomine Talheimii, Theologiæ Doctoris, extat Epistola, in qua sunt querelæ de vitiis Romanæ Curiæ, quam esse reformandam dicit. Scripta est autem ad Conradum, Episcopum Moguntinum, ex Erfordia anno 1452. Occasionem scribendi dedit *Legatus* Pontificius, qui Indulgentias Anni Iubilæi annunciabat. In calce Epistolæ sunt hæc verba: *Si Dominus Apostolicus & sua Curia se reformaret, vel per Concilium generale fieret Reformatio generalis, facillimè membra Ecclesiæ in suo quæque statu reformarentur.* Testis Ioh. Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri pag.341.

XLV. IOHANNES KALTENMACHER.

SAlzburgensis & Pataviensis Diœcesis Officialis, Theologiæ Doctor ejusdemque Lector in Academia Viennensi, publicè propositiones legit atque defendit Viennæ, *Concilium esse supra Papam*; Item *Papam non posse revocare per Concilium generale conclusum*; Item *Romanum Pontificem non posse dare licentiam Parochianis quibuscunque, ut alteri, quàm proprio Sacerdoti Curato liberè confiteatur*; Item *Papam non posse dare generalem potestatem audiendi Confessiones.* Legerat hæc publicè Viennæ, quumque illa pervenirent ad aures Innocentii VIII. Pontificis, ad Romanam Curiam vocatus, eò adactus fuit, ut palinodiam caneret Romæ & Viennæ, periculis mortis motus. Qua de re scribit Pontifex has literas ad Academiam Viennensem: *Innocentius VIII. dilectis Filiis Decano & Magistris Facultatis Theologicæ Universitatis Wyennensis. Dilecti Filij, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ex his, quæ per vos in confutatione & reprobatione nonnullarum propositionum & conclusionum, partim hæresim sapientium, & partim erronearum, & partim scandalisarum per dilectum Filium Iohannem* Kaltummarckter, *in ipsa Universitate vestra publicè legentem, propositarum laudabiliter egistis pro defensione fidei Catholicæ, & confutatione damnatarum opinionum viriliter decertasse cognovimus, ut veros Theologos decet, in quo vos plurimum in Domino commendamus; ac per vos in hujusmodi damnatione facta approbamus, exhortantes, ut si quando talia semina hæresium, aut speciem hæresis sapientia, pullulare cognoveritis; ad illa extirpanda & penitus eradicanda debitam diligentiam adhibere curetis. Cùm autem dictus Iohannes ad Curiam Romanam, ut vocatus fuerat, accesserit; seque coram Venerabilibus Fratribus nostris Oliverio, S. Sabinæ Neapolitano, & Georgio, Ulixbonensi Cardinalibus Iudicibus Commissariis per nos deputatis præsentaverit, erroresque suos humiliter confessus ve-*

niam

veniam meruerit, injuncta tamen pœnitentia salutari, prout ex forma sententiæ per præfatum Georgium Ulixbonensem Cardinalem dicto Cardinali Neapolitano tunc legitimè impedito, latæ plenariè cognoscere poteritis. Volumus itaque, ac Vobis mandamus, quatenus dictum Iohannem auctoritate Apostolica requiratis, ut Conclusiones prædictas reprobatas juxta continentiam sententiæ contra eum latæ in publico revocet, *& alia omnia sibi injuncta ita & taliter, quod in partibus ipsis* revocatio hujusmodi *omnibus innotescere valeat. Quod si forsan dictus Iohannes sic juridicè per vos requisitus facere recusaverit, quod tamen non credimus, nobis significare curabitis, quatenus eum pœnis debitis punire valeamus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die ultima Iunii Anno M. CCCC. nonagesimo secundo; Pontificatus nostri anno octavo.* Quibus literis perlectis Doctores, Theologicam Facultatem repræsentantes, paratissimos se præbuere ad exequendum *pro Apostolicæ sedis honore & autoritate summi Pontificis, in magna Stuba Collegii Ducalis* eodem anno, atque post revocationem *ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ* receperunt. Quo corde, quove ore ea Revocatio contigerit, facile est videre. Processus reique exitus typis extat, sine mentione loci & typographi, Anno 1493. Pontificatus Alexandri VI. anno primo, ex quo hæc excerpere placuit, cùm in paucorum sit Bibliothecis.

XLVI. PAVLVS OLEARIVS.

CORrupti mores Episcoporum & Sacerdotum variis coarguebantur modis, modò rhythmis variis, nunc satyris, aut aliis modis. Scandalosam consvetudinem, qua Episcopi & Clerici concubinas secum haberent apertè, in jocos etiam abiere illi concubinarii, idque M. Olearius Heidelbergæ libello *de Fide Concubinarum in Sacerdotes* publicè loco disputationis prolato testatur, quem in manibus habuit D. Calixtus, exque eo nonnulla protulit lib. de Conjug. Cleric. pag. 437. 438. Concubinario Sacerdoti, qui à sua Concubina vexatur, Asininæ aures retrò imponuntur, dum *in omnibus rebus & negotiis domi dominari* Concubinam permittit; cumque in Concubinæ definitione dicitur, eam esse *vas omnium vitiorum*, quæ *primam sedem in Ecclesia, primatum in balneo & chorea* appetat, admiscet *historiam*, ut vocat, his conceptam verbis: *quidam* Canonicus Herbipolensis, *cujus* Concubina *balneum intrans audivit cæteras Canonicorum famulas ex cognominibus & familiis Dominorum suorum appellari, verbi gratia, quum exituræ essent balnea, clamabat lotrix pedum:* Langent myner Frawen von Schwartzenberg ein Tuch. *Et iterum* Langet myner Frawen von Finsterloch ein Tuch. *Et rursus*: Langet myner Frawen von Wegringen ein Tuch. *Canonici verò illius, qui de Grunbach erat*, Concubina *nominabatur solo nomine suo* Dorothea, *neque adjectum fuit*, mein Fraw von Grunbach. *Venit domum, flet, lacrymatur, plangit, spretam se dicit, sese à Domino suo nequaquam diligi conqueritur. Is causam investigat. Respondet illa*: Ecce jam in balneo

omnes meæ professionis mulieres à Dominorum suorum cognominibus meruerunt appellari ; his auribus enim audivi ; *sola*, sicut scabellum pedum vestrorum, *Dorothea* vocata sum. *Respondit Canonicus, quia cor matris non habuit*: O bestia. *Interrupit illa è vestigio*: O freylich bin ich die best / wollent ihrs anderst glauben. *Prosequitur Canonicus*: Ecce bona Dorothea, Mater mea adhuc superstes est, quæ vulgò die Granbächin appellatur; Si tu in hoc cognomine cum ea concurreres, fieret confusum chaos; aut enim tu pro Matre, aut *Mater pro Concubina mea* apud ignotos posset adjudicari; verum ne te omninò defraudem, restant adhuc alia duo cognomina. Sum enim *Archidiaconus*, inde vocor ein Landts-Richter. Sum & *Archipresbyter*, inde vocor, ein Ertzpriester. Optionem habeas eligendi, quod vis è duobus, ut aut appelleris à primo, ein Landes-Hur, aut à secundo, ein Ehe-Hur. Liber editus anno 1581. In mentem hîc venit, quum olim Episcopi & Sacerdotes animũ adjicerent, ut suas haberent uxores ex legitimo matrimonio, non probo sibi datas Conjuges, aut jocis sannisque exceptas fuisse ; sicut id ipsum evidenter ex vetustissimis Diplomatibus Hedio ostendit, teste Chemnitio 3. Exam. C. T. pag. 143. quod Paschalis, Episcopus Curiæ Rhætorum, circa Annum 760. in ipso Episcopatu habuerit legitimam uxorem, cujus adeò ipsum non puduerit, ut voluerit nomen ipsius in principio quorundam Diplomatum addi & exprimi, & quidem honesto titulo, quod *Antistita* seu *Episcopa Curiensis* esset. Quod notet Rosenbuschius, qui contra Osiandrum scribens dicit, hoc inauditum esse in Romano Imperio, & aures esse nostras non assvetas huic appellationi: Fraw Ertzbischöffin von Cöln. Si Concubinæ suas appellationes habuerunt à Concubinariis Episcopis & Canonicis, quidni luculentiori encomio à maritatis, Episcopis, qui propria uxore contenti in voraginem fornicationum sese non præcipitant. Sed teneræ admodum & delicatæ sunt aures Rosenbuschiorum, qui magis honorificè de Concubinatu sentiunt, quàm Matrimonii statu, antiquis Episcopis probato. Pudet multa de personato Cælibatu dicere, aut de iis, quæ multos minimè pudet facere.

XLVII. HENRICVS BEBELIVS, IVSTINGENSIS,

EGregium totius Germaniæ decus, Tubingensis Academiæ studiosissimus in humanioribus literis Lector, Poeta laureatus, de quo Matthias Knetz, Landsbergensis:

Bebelius linguam restauravisse latinam
Dicitur, & priscam restituisse phrasin;
Officioq; suo didicit Germania tota
Tersius, & melius verba Latina loqui.

Dum studia literarum politiorum avidè amplexatur, & operam impendit juventuti docendæ, ad virtutem eos duxit, cumque vitia Theologorum aliorumque tenebrionum juventuti incommodare nosset, ea non prætermittere voluit. Edidit carmi-

carminicè *Triumphum Veneris*, & *eleganti scommate* (quæ verba sunt Iohannis Altenstaigi Commentatoris ad Præpositum Pollingensem) *omne mortale genus carpit, quod à virtute descivit, & defecit ad castra Veneris, virtute relicta & spreta, propter quod Deus multa mala hominibus mittit.* In eo libro cuilibet ordini sua vitia & errores monstrat, maxime iis, quos *Lolhardos* vocabant. Imò audet *summos Pontifices* taxare, *osque in cœlum*, ut ipse de se loquitur in Præfatione, *ponere*, putans, non fore aliquem Pontificem tam impium, *qui nollet de se audire veritatem.* De Cupidinis summa potestate agit, qua in triumphum etiam ducat ipsos Pontifices, catenatos malis cupiditatibus atque libidinibus. Ostendit libro tertio Luxuria & Fastus suam potentiam, quam habet per Aulas & Ædes Pontificum, Cardinalium, Canonicorum, Monachorum, Monialium. De Pontifice v. 24:

Jam quoque mutavit veteres *Ecclesia* mores,
Reptavitque modò fastus *sub mœnia Romæ*,
Et pulchræ ambitio *corruptrix integritatis*,
Et populator opum luxus, *virtutis & osor.*
Hic habitat Patrum summus, *quemq; agmine tanto*
Effrenis sonipes, gemmis decoratus & auro,
Conspicuum gestat per mœnia Romulidarum.

Mores priscæ & primævæ Ecclesiæ opponens dicit, veteres Pontifices tanto non incessisse fastu, non alto & conspicuo fuisse usos equo, sed pedibus iter fecisse baculo, & vigiles se præstitisse v. 31. usque ad 41. cùm postea verso ordine Pontifices se *Reges* crediderint,

Dominos quoq; Regum
Arbitrioq; suo moderantes imperiosè
Omnia, calcando discretum Cæsaris ensem.

Pontifex, non ut sui Majores, imitatur Christum & S. Petrum, sed jugere multo distat, & à religione, cultu divino & pietate longissimè recedit; unde pergit v. 47:

Nescio quo fato. qua culpa evenerit, ipsa
Naufragium toties Petri navicula *fecit*,
Atque procellosis nunc denique fluctuat undis,
Christicolûmq; fides angusto in limite terræ
Constitit afflicta, & cujus decor omnis abivit.
Attamen hæc causa est, pulsa virtute voluptas
Et vitium mundi latè moderatur habenas;
Maximus atq; Pater cum Clero & Plebe recessit
Moribus à priscis, *Majorum à relligione;*
Et quæ Pontifices olim sanxere beati
Censuris gravibus, summo moderamine recti,

Hæc modò dissolvit, quæ dispensatio fertur
Ad libitum, quæ, si pravis conceditur, ipsis
Nil erit illicitum.

Pontifice relicto tangit Cardinalium atque Episcoporum mores, qui similiter virtute relicta ad Veneris castra diverterint:

Cardineusq; chorus jungetur, Episcopus illis;
In tua contendunt tentoria Præsule primo.
Hosce rei publicæ statuens Ecclesia mater
Esse Senatores, *svadereq; commoda Matris,*
Fallitur ah miserè, nam sobrietate relicta,
Religione, fide, vitæ integritate, pudore,
Commovet illorum lumbos funesta cupido,
Dira vorago gulæ, *&* resupina superbia, *quicquid*
Svaserit, ex libito patrant, atque urbica pompa
Murex, quos tyrius, lucens quos gemma venustat,
Cum nisoq; fugax tractatur honore Caballus.
Insidiantur itemq; feris silvestribus, atque
Auritos canibus lepores venantur & apros,
Militiæ vestræ nimia dulcedine capti,
Dum modò virtuti deberent psallere laudes.

Porrò tangit conditiones & mores Sacerdotum, Canonicorum, Monachorum, Curtisanorum, Lollardorum, Beguinarum, quæ ibi legenda relinquimus. Sunt autem Bebelii libri Sex, impressi Argentinæ anno 1515. in quos scripsit Commentaria Ioh. Altenstaig, Monasterii tunc Pollingensis Lector, quem in sanis literis eo tempore fuisse versatissimum *Lexicon Theologicum* ostendit, ab eo editum. Elegia Bebelii in Simoniacos extat ad Ioh. Nauclerum, apud *W*olfium Cent. 15. L, M. pag. 861. 862.

XLVIII. ALBERTVS CRANTZIVS, CANONICVS HAMBVRGENSIS.

QVi errores, quique nævi à Pontificibus Romanis commissi fuerint, quid acciderit in constituendis Episcopis, hinc inde notat, quo ipso non gratum Curiæ Romanæ obsequium præstitit, quæ, ut existimationis suæ curam haberet, Scripta Crantzii in censuram vocavit, interque prohibitos libros retulit. Eadem tela in Crantzium direxerunt Inquisitores Librorum Hispanici, eorumque progenies. Peccavit Crantzius, quando anomalias in Episcoporum, Pontificis culpa commissorum, nævos ungvem immittit; non peccavit, quando ad Pontificis favorem & gratiam scripsit locutusque fuit. Eò processerat Paparum licentia, ut neglecta Imperatorum autoritate & Capitulorum Iuribus & Privilegiis ex suo lubitu, quarundam Provisionum & Reservationum obtentu, Ecclesiis da-

ret Præsides. Hæc cum in mentem venirent Crantzio, non potuit non præterire, ob veritatem styli exosus habitus. Vt nihil reliquum faceret, quod ad summam diligentiam & virtutes Historici pertineret, Gratias expectativas, Provisiones & Reservationes papales suis coloribus exhibuit. Dum indagaret Razeburgensis Ecclesiæ jura, retulit 7. Metropol. 45. pag. 194. sese ingessisse Lambertum, Hamburgensem & Bremensem Canonicum, qui Ecclesiam à summo Pontifice *ad se nil pertinentem* contra suffragia Fratrum & canonicam electionem impetraverat, & addit: *Vide, in quantum licentia tum processit post Imperatorum destitutionem* Romana Ecclesia, *ut se inciperet intromittere de Ecclesiis vacantibus. Solebant* Imperatores de Romana *aliquando disponere* Ecclesia; *perventum est eò, ut* de solis Germaniæ Ecclesiis & Abbatiis *disponerent*; *idque extortum est manibus eorum tempore Henrici V. Imperatoris. Tum Ecclesiis provenit* libera Electio. *In* eam *quoque* Papa *manus injicit per hæc tempora, & crevit illa facultas in immensum, ut satis sit per Germaniam res tolerabilis, sed in Francia & Anglia immoderata.* Oppressa Imperatorum & Ecclesiarum Germanicarum libertate Roma advolavit, non explorata prius Ecclesiarum conditione, aliquis Ecclesipeta, qui Bulla Papali munitus apprehendit hospitium, cui sæpe nulla Ecclesiæ fuit notitia; quod quàm crebrum fuerit, verba hæc Crantzii indicant 9. Metr. 23. p. 248: *Iam inoleverat, ut Apostolica provisione darentur Episcopi, post habita Capitulorum legitima electione.* Historia verò ipsa non est celanda, ut sciamus, qua occasione hæc dixerit Crantzius. Verdensem Ecclesiam regebat *Daniel quidam, ordine Carmelita,* homo ignotus, sed *ex Asseclis Curiæ Pontificalis,* tum in Gallia existentis. Sed quo fructu, quoque eventu? Audi Crantzium. *Præfuit variis eventibus*; *magis autem* incubuit *annis novendecim. Erat in Theologia Magister non vulgaris eruditionis,* cum Capitulo & Prælatis malè consensit, *semper suam præferens sententiam, imitatus mores aut* Curiæ, *quam diu secutus vidit*; *aut Monasterii sui, in quo est à puero educatus. Vnde propter dissensionem, quam cum suis habebat, secessit in partes Rheni, & Coloniæ vitam in excommunicatione finivit*; *litem enim instituit cum Ecclesia super Iuribus, incertum quibus. Multa interim damna ejus occasione Ecclesia perpessa est*; *nihil reperit bonorum, quibus memoriam ejus cum dulcedine servet. Cùm gravissimè dissideret à Capitulo suo, intravit in manu forti* Ecclesiæ Rodenburgensis partem australem, *quum nemo quicquam timeret, cepitque armatis militibus Canonicos suos, sed in eâ tumultuatione, quum pro Canonicis Civitas commoveretur, ad eum laborem est perventum, ut integra Vrbis & insignior platea concremaretur tota.* Calida fuere hæc consilia Episcopi, plus in armis, quàm in præceptis salutaribus parati & exercitati. Ita & *Iohannes*, ejus Carmelitæ *Prædecessor,* introiverat, teste ibidem Crantzio. Nemo erat, qui non magnâ ex eâ Paparum praxi caperet molestiam; eoque devenerat istius corruptelæ malum, ut Bremensi Archiepiscopo defuncto nemo esset in Ecclesia Bremensi, qui Episcopatui vellet admoveri, *scientibus cunctis, quod frustra niterentur, cùm* Apostolica

9. Metro. p. 16. p. 245. lica provisione *sedes implenda putaretur*, quod itidem annotavit Crantzius. Ita tum cum rebus Ecclesiarum comparatum fuit, ut omnis origo dissensionis profluxerit ex Pontificum infelicibus conflictationibus cũ Imperatoribus & Capitulis Ecclesiarum; quam etiam avaritia indomita Pontificũ & Cardinalium provocavit, tinniente enim nummis aureis scutatisq; argenteis tinniebat campana Ecclesiæ ad introducendum novum Episcopum, à Papa promotum. Gnarus eorum casuum Crantzius elegantem nobis historiam retulit de Episcopo Lubecensi à Papa constituto, qui tamen, instar corvi hiantis ad bolum cadaveris, delusus fuerat spe sua boli ex temporali dominio Episcopatus Lubecensis accipiendi. Promtus ille & alacris ex Gallia, Avenione relicta Lubecam properabat, sed perturbato statim animo, quum lucro excideret, ignarus loci. Digna memoratu sunt ipsa verba 9. Metr. 10, p. 269. Crantzii: *Lubecensi Ecclesiæ vacanti prospexit Papa in Avinione, præveniens electionem, aut cassans de sua beneplacito voluntatis* legitimam assumtionem, *quam de suo Decano faciebat Ecclesia in* Capitulo Lubecensi, *deditque fratrem* Nicolaum de Misna Priorem & Lectorem in Conventu Lipsiensi, *Mersburgensis ditionis. Quid facerent Patres adversus Pontificis summi* PROVISIONEM *? Concorditer elegerant Dominum Iohannem Cleendenst, Decanum Ecclesiæ suæ, Virum Pontificio dignum, qui sciens frustra se niti adversus Apostolicam provisionem*, acquievit. Nicolaus verò quum cum sua Bulla Lubecam pervenisset, *non sibi tantopere complacuit in eâ Ecclesia, arbitratus Civitatem Lubecensem* temporali ejus dominio *pertinere*; *quod quum secus reperisset, graviter sibi indignatus, quod non antè perquisisset rerum qualitatem, ut non* tanti laboris & sumtuum impendia *fecisset.* Hamus frustra pependerat, quo expiscari voluit, ast Romani Pontifices artem piscandi & expiscandi melius didicerant, de quibus piscatoribus Crantzius, multa artificia Papalia animo volvens atque revolvens scripsit 11. Metrop. 24. pag. 305. *Sic statuerunt Pontifices, ut, quotquot Ecclesiæ majores vel minores apud Sedem vacuentur, Provisio spectare debeat ad summum Pontificem. Bene Petrus* laxavit retia, *bene duxit in altum, & traxit rete plenum magnis piscibus. Ecce magna pars Italiæ tibi tributaria est. Per* universam Germaniam & Hispanias *de Ecclesiis & majoribus Beneficiis disponis. In* Francia *idem facturus, nisi nova adinventio Pragmaticæ sanctionibus obsisteret. Ex* Anglia *&* Polonia *uber tibi proventus est, quia omnia inde capita tibi sunt censualia.* Vngaria *mittit aurum*; *nec detrectat* Illyricum. *Ergo* laxa, *Petre*, retia *angusta interim sunt*; *laxa, ut fiant capaciora. Duc in altum, quia ad littora multi sunt pisces*; *in altitudine maris, in profundo nationum ibi sunt pisces, quos capies.* Porrò post pauca: *Amplificarunt per tempora summi Pontifices magnificè ditionem Ecclesiæ, non per ementitam Constantini donationem, quæ nunquam facta est*; *sed per munificentiam aliorum Principum, sive de Gothis, sive de Longobardis, sive per Magnum Carolum. Amplificarunt in Ecclesiasticis rebus per* Reservationes, Confirmationes *&* Provisiones, *fimbrias suas.* Laxarunt retia, *& omnia in suam traxere potestatem. Mirabitur, quisquis Annales antiquorum tem-*

temporum legerit, temporum mutationes, tum in cæteris, tum maximè in Ecclesiastica potestate. Verbis Christi de hominibus per Petrum capiendis taxat mores Paparum, Regna & commoda seculi ad se per ditissimas piscationes transferentibus, unde mala in Rempublicam & Ecclesiam redundaverint plurima.

XLIX. MICHAEL SCOTUS.

VIxit sub Friderico III. Imperatore, ad quem scripsit librum de Secretis Naturæ. Scripsit etiam librum titulo Mensæ Philosophicæ, ubi lib. 4. cap. 28. exemplum recitat Disciplinæ Sacerdotalis impudicæ. Papam errare posse tradidit capite vicesimo quarto. Pharisæis comparat Prædicatorum Ordinem eodem libro capite 27. Eleganti symbolo docet, Ecclesiam pauperem non debere relinqui, ut ditior assumatur capite tricesimo primo. Beneficiorum pluralitatem rejicit, jocumque Gersonis recitat capite tricesimo secundo, in fine. Monachos, ait, esse malam materiam juxta Abbatis sententiam, quam refert capite tricesimo quarto. Ex Monasteriis extrahi posse liberos à Parentibus, exempla recitat eodem libro quarto, capite tricesimo nono.

L. IOHANNES KEISERSBERGER.

IOh. Geiler Keisersberger, Doctor in Theologia & Concionator Argentinensis, *Adn. 406.* Conciones publicas habuit de variis stultorum generibus, statimque sermone *p. 831.* secundo *Naviculæ* sive *Speculi Fatuorum*, ut vocat [Turba 11. in fine] in eos invehitur, qui latinis dictis & phrasibus in concione uti solebant, in Introductorio sermone, Fer. IV. Cinerum, ajens, hoc facere solos ineptos, & indoctos, & fatuos concionatores. Collegiorum & Monasteriorum magnifica ædificia altaque palatia considerans, ait, Religiosos *erigere* quidem *muros*, sed *negligere mores*; Cellas eorum *instar paradisi cujusdam* esse ornatas, sed *circa interiora* esse negligentes, additque tandem: *Nihil igitur dico, nisi quia omnia Collegia & Monasteria Virorum & Mulierum, Laicorum & Clericorum, Nobilium & Ignobilium, plena sunt nolarum fatuorum* (hangen voll Narren-Schellen) *à planta pedis usque ad verticem capitis.* Pecuniam magis, quàm emendationem vitæ quæri, tradit Turba 23. in princ. ajens: *Væ nostræ tempestati, in qua nemo animas, sed bursas, curat; nemo* der Seelen / aber der Seckel *ferè omnes, & non animæ, nisi in quantum respicit bursam, hoc est, vitia animæ non corriguntur, nisi ut bursa impleatur.* Beneficiorum & Præbendarum pluralitas improbatur Turba 28. per totum, multis rationibus adductis; cumque *Vicariorum* usus esset in Ministeriis seu Beneficiis Ecclesiasticis, de eo sic disserit Turb. d. 28. nol. 2. *Quidam* Vicarios *ponunt. Qualis hæc quæso stultitia, & ridiculum, matrimonium contrahere spe ponendi Vicarium: Uxorem habebis, & alius dormiet cum ea, maledictio est Deuter. 2. Si Vicarium ponere sufficit, eadem ratione Laicus unus, imò etiam Mulier, posset habere decem beneficia Ecclesiastica; posset enim ponere Vicarios.*

rios. Sed quæro de Vicario *illo, quem substituere niteris, qualis sit? An sit* minus bonus, *vel* æquè bonus, *vel* melior, *quàm tu?* Si minus bonus, *tunc naturalis ratio dictat, quia non est recipiendus pro eo; operarius enim in vineam alicujus conductus, non potest Vicarium minus bonum ponere. Sed est, inquis,* æquè bonus, *vel etiam* melior. *Si ita est, quæ ergò causa est, quod tu duo tenes beneficia, ille verò nullum?* Beneficia plura simplicia possidere neque licet, nec expedit, nec decet, uti piè differit Turbâ 28. nol. 3. Beneficiorum pluralitatem censet damnabilem autoritate Guilielmi Parisiensis eadem turb. 28. nol. 6. ubi verba: *Opinio Doctorum solennium & tutior est, quod non sit salus ei, qui duo tenet beneficia, quorum quodlibet sufficeret sibi. Hæc decisio facta est Parisiis tempore* Guilhelmi Parisiensis Episcopi, *cui omnes, exceptis duobus, consenserunt, de quorum utroque legimus in Specul. exemplorum, quod fuerint propter hoc post mortem damnati.* Idem Keiserſperger Nola 7. *Sunt, qui mirum in modum* dispensationis baculo *innituntur, sed arundineo; nil enim valet dispensatio etiam Papæ nisi suffuerit rationabilis ratio & causa. Legitur in Speculo Exemplorum distinct. 1. Ex. 2. quod cum beatissimus Papa Gregorius IX. interrogaretur*, si posset de plenitudine potestatis suæ cum plurimorum beneficiorum detentoribus dispensare? *respondit*, non possum, nisi super vexatione detinentium dispensare. *Item de dispensatione Papæ hac in re tenet Guilhelmus & Byel.* De Iejuniis Iejunantiumque moribus differit Turb. 76. nol. 1. jejunantium multiplicem differentiam expendens, quorum quidam jejunent derisoriè, quidam stultè, quidam indiscrete, quidam falsè: quidam vanè, inter quos esse ait, qui sub specie confortativi Receptum, quod vocant, sibi confici jubeant, hoc modo: *Recipe Amygdalarum decorticatarum, uvarum passarum, Ficuum an. m. l. diapanis albissimi, diapiscis assati 2. iij. Vini albi & rubri quantum sufficit.* Signetur: *Confortativum pro stomacho.* In ordine tertio Iejunantium ponit, qui jejunant *indiscretè*, qualia sint jejunia debilium & infirmorum, cùm tamen illis relaxentur jejunia. *Hi fatui*, inquit, *inde cadunt in gravem capitis infirmitatem, vertiginem & nocivam exinanitionem, putantes, perfectionem stare in talibus exercitiis, nil curantes de cordis puritate.* Iejuniis jungit Orationem sive Precum vanarum vitia eadem Turba 76. serm. in Ier. 5. post Esto mihi, in die Valentini, Nola 2. ubi septem vitia Orationum perstringit, 1. eorum, qui in publica oratione gloriam quærunt, ut Clerici & Monachi in Ecclesia coram populo. 2. qui in loco publico dicunt privatas orationes, ut inde videantur. 3. qui faciunt singulares mores in publica Ecclesia, extendendo brachia, prosternendo se, aut alia insolita, & inconsueta devotis & honestis personis. 4. qui verbis apertis se jactant de suis orationibus multis & devotis à se factis, quid quantumvè quotidie orent, & hoc quidem recitant propter vanam gloriam. 5. qui silendo se jactant, cùm ab eis quæritur, anne hoc vel illud orent, aut quid? tacent aut respondent, Deus scit, ego sum pauper, inutilis & misellus; nam quando de se expresſè negant gloriam, tantò magis ab intra concupiscunt. 6. portantes signa orationum, puta, Oraria seu Pater noster,

noster,&c.7.qui inter orandum se de meritis suis jactant. *Fatui sunt*,inter alia scribit,*qui portant signa orationum,puta* Oraria ex circulis, globulis vel sphærulis, *sicut* Beguttæ *quædam,& quas appellamus* Spiritales,*multa genera Orariorum circumferunt,ut videantur orationi intendere. Si &* viri quidam *Orarium in manu,& Diabolum in ore habentes,sunt impatientissimi aliàs,non compescunt se à verbis maledicis. Taceo* de Episcopis & Abbatibus,*qui hac nostra tempestate habent talia Laicorum in manibus Oraria,jugiter ea tractantes. De his,inquam,taceo,quia, quanquam sint fatui,non tamen hoc monopolio, quia non ideo portant , ut videantur orantes, sed nescio aliàs qua vanitate & fatuitate. Deberet eos saltem cohibere hoc vulgatum proverbium: Cave à Sacerdotibus, qui Oraria deferunt in manibus.* De Monachorum, Beginarum & Nolhardorum hypocrisi hoc scribit modo Turb.102.nol.6.*ô Domine Deus, quàm falsa est modò Vita Monastica,etiam eorum, qui maximè* Spiritales *videntur,* Pfaffen und München / Begynen und Blozbrüder. *Talium opus est,non operari opera Dei,sed operari opera Diaboli. In quibus* sola apparentia,*nulla veritas, nihil aliud quàm* stercus obnivatum, *sive* nive obtectum ; *extra splendor & candor justitiæ,intus conscientia vermibus plena & fœtore peccatorum. Veniet dies, quando Sol justitiæ nivem liquefaciet,& tunc manifesta erunt abscondita cordis vestri. Et utinam stercus peccatorum vestrorum esset saltem tectum nive apparentiæ,ne,sicut Zodoma,prædicaretur peccatum vestrum sine verecundia. Sed non sum Ego,inquis, de talium numero,non sum Begutta,sed aliàs naturæ spiritalis, & tamen plenus falsitate , quamvis multa opera bona facias de genere.* Concludimus Turba 103.nol.2.circa finem, ubi Sacerdotum & Prædicatorum non opera,sed verba attendenda monuit. Vivere ille Scriptor desiit Argentinæ Anno 1510. ejusque obitu & *Eloquentiam* & *Religionem* Argentorati interiisse scribit Beatus Rhenanus , Epistola ad Iodocum Gallum,quæ sub fine libri extat. Vixisse se *ignavissima ætate* scribit Geilerus, Serm: Feria VI. post Esto mihi habito,fol.10.in quam *feces seculorum* devenerint. Non ignavus fuit censor vitiorum Geilerus , contra quæ Nolas varias pulsavit ad eorundem emendationem,extantque etiam Ejusdem Viri egregii Postilla super Evangelia Festorum, Argentinæ A.1522. in folio excusa,unde nonnulla etiam excerpenda sunt concione die Iovis ante Invocavit fol.5.part.1. Leyder / was Andacht wir Geistlichen haben/ syht man wol. Wir eylend und joichen/daß wir nümen bald darvon kummen. Hurr/Hurr / und stond im Chor zu schwätzen / und alle ding uß zurichten/und gond uß und inn / nicht anders weder wie ein Weib uff dem Fischmarckt/und als andächtiglich wir Geistlichen singent und lesent / als andächtiglich hörent ihr Leyen zu/und also fahrent wir miteinander zum Teufel. De Paparum & Cardinalium electione Idem part.3. 4. Postill.fol.27.b. Will einer jetz ein Pabst werden/so muß er die Cardinalen bestechen/ einen domit /den andern domit. Will einer ein Bischoff werden/ ein Probst oder ein Dechan/er muß lugen (zusehen)/daß er die Thumb-Herren besteche und Chor-Herren. De Episcopis,Cardinalibus & Sacer-

cerdotibus, ad negotia mundi agilibus, sed ad sacra tardis, Item part.1. Postill.fol. 30. Die Erbarn dingt man nicht / wann niemand fragt von der Lähr/dann allein/ ist er ein gut Gesell/und ein guter Bosserte? Do werden tann Byschöff uß / und Cardinel, und werdent innen darzu die allerfleisesten Pfrönde. Ey sprechen sie / er kan wol predigen/und die Sacramenten darreichen / was darf es weiters? So doch ein solcher baß kan im Breth spielen/und den Habich bereiten/und birßen/ und beitzen. Diese Pfaffen dingt man. Also geths jetz in der Welt. De jugo traditionum humanarum Idem part.2. Postill.f.36. Christus der Herr hat die Christen beladen mit einer schlechten Bürden der Liebe und Zehen Gebotten/und seine Nachkommen hand sie noch mehr beladen und belestiget mit Gebotten / welcher Last grösser und schwerer ist/weder der Last der Gesatz der Judengesin ist. Wer will erlesen das Decret und Decretal, Sextum, Clementin, und so viel Repetitiones? So viel Statuten, Synodalia, Provincialia, ein gantzen Plunder/ und so viel Glosen / ein Glos über die ander/einer hett all sein Lebtag daran zu lesen. So zeucht es jetzt der deß us hien / der ander dort us hien/ und weiß niemand/wo drumb oder daran. Das seind schwere Läst/von denen sich beklagt hat S. Augustinus bey seinen Zeiten. Deß hat sich ouch beklagt Petrus der Cardinal. Wer S. Augustinus und dießer Cardinal erst jetz hie, so das bey ihren Zeiten gesin ist / was wurdent sie den sprechen? Es ist des Plunders vast viel. De eadem multitudine Papalium Legum conqueritur fol. 65. quibus lex Dei supprimatur Concione Dom. Oculi fol.77. notavit Sacerdotum luxum, inquiens: Das Gratias der Pfaffen etwan ist / daß man dort her bringt zwo Blatten auff einander/und wenn man sie uff thut / so seynd syer Kartenspiel und Würfel darunder. De Papæ Clericorumque avaritia Dom. 2. Trin. fol. 45. b. Der Geitz steckt umb und umb in Geistlichen. Nim waar deren im geistlichen Stadt von oben ab her/vom Pabst / Cardinel darnoch / und Bischoff/und fürbas deren/die noch immerdar abher sind/und seh/ob sie nicht trieb der Geitz / daß sie nich stellend nach viel Pfründen / Probsteyhen / Decheneyen und Capellanyen / allein darumb/daß sie mögen viel Gelt zusammen raspeln/und so ihnen dieselben Pfründ allesamen werden/so ist noch ein Pfrunden/ dieselb ist in der Hölle / die wird ihnen ohn zweiffel zum aller letzten/das föhlet nicht. De Præbendarum venatoribus, quos Pfrunden Jäger vocat, agit cum detestatione Dom V. post Trinit.fol. 56.a. De eadem avaritia Dom. IX. Trinit.fol.65.b. Je geistlicher / je geitziger es seynd Pfaffen oder Münch/das fehlet nicht/und etwan seynd die Closterlüt mit den allergrösesten Platten geitziger weder ander Lüt / und das ist darumb / die Hundsmucken stechen sie/darumb so wolden sie gern die Platten verdecken. De Sacerdotum degeneratione testimonium Keysersbergii laudat Eobanus Hessus in quæst. quodlib. Erfurdiæ anno 1515. determinatis, quando scribit Conclus. 3. corol.1. *Non minus illud verum egregium sanè dictum Keysersbergii, nobilissimi istius Argentinensis Concionatoris*: Vor zeiten waren güldene Priester / und hölzerne Kelch; nun sind die Priester hölzern/und die Kelch gülden. Eò etiam pertinent verba Geileri. Turb.99

fol. 32. lit. C. *Signum magnæ fatuitatis est,eos præficere, qui ſangvine aut nobilitate clari ſunt, contemtis probis & prudentibus viris. Hâc fatuitate omnis Alemania præcipuè plena, in qua* in Epiſcopos, *non qui doctiores aut ſanctiores ſunt,ſed qui nobiliores vel de progeniebus,ut ajunt,ſunt. Stulti,ſtolidi, vitioſi eliguntur. Non ſic apud Veteres.In Chriſtianitate noſtra ab initio eligebantur de communi plebe,& omnium conſenſu,qui ſanctiores inveniebantur. Nunc autem ad regimen Eccleſiæ corporale & ſpiritale eliguntur juvenes, ignorantes, voluptuoſi, indocti, causa ſangvinis, nobilitatis,bonæ ſocietatis.* Contra Indulgentias,quæ arcas nummis locupletabant, non pietate animos,publicè prædicabat. Sparſæ fuerant Indulgentiæ eæ ab Alexandro Papa,ejus nominis VI. cùm Iubilæum celebraretur, cùmque earundem eſſet larga copia,& in copia abuſus,non tam de Indulgentiarum abundantia, quàm de earundem facta per Alexandrum ſuſpenſione, ob majorem ad Vrbem Romam concurſum hominum habendum,diſſerit Ioh. Geilerus Turba 102. fol. 33. lit.A.B.C. & ſcribit: *Ex quo fit mentio* de Indulgentiis,*dic, quod dudum ante hac te nobis dicturum ſpopondiſti; quid tenendum* de earundem ſuſpenſione,*ut fertur. Dicam tibi,quantum mihi notum eſt. Legi ſchedulam papyream impreſſam, copiam cujuſdam Bullæ,in qua continetur* ſuſpenſio *facta* per Papam Alexandrum modernum omnium Indulgentiarum plenariarum,*quibuſcunque locis aut perſonis conceſſarum. Similiter & facultatum & conceſſionum contentarum etiam in literis,Beatiſſime Pater; & mandatur Prælatis, ut hoc publicari faciant.Audivi denique à Suffraganeo Herbipolenſi,quod impetraverit Romæ quibuſdam Perſonis revalidationem Indulgentiarum à Papa. Quantum hoc fidem de his faciat,viderint* Prælati *noſtri. Ego per hæc mea verba nihil addere,neque adimere volo. Neceſſarium tamen mihi videretur, ut fieret proviſio ſuper his,ne populus in ſuſpenſo maneret, etiam ad ſummum Pontificem, ſi proprius Nuncius propterea eſſet mittendus ad inquirendum, ſi intentio ſuæ Sanctitati ſit,quod interim morientes privati eſſe debeant tali gratia ſine eorum culpa,& quomodo eſſet obviandum* ſcandalis *multa de his* loquentium & obloquentium ſummo Pontifici; *inprimis quod fraus eſſet,quia privarentur Indulgentiis, &* pecunia; *quas expoſuerunt,eis non redderentur.* Secundo,*quia dicitur in Suſpenſionis Bulla, quod hoc fiat* pro lucrifaciendis animabus, *cùm tamen hoc potius cedere videatur non in lucrum,ſed* grave damnum animarum illorum, *qui cùm Indulgentiis mox evolarent, cùm alias grave ſint paſſuri Purgatorium.* Tertiò,*quia dicitur in Bulla,quod* propter annum Iubilæum *fiat talis ſuſpenſio,*quatenus frequentetur magis. *Hoc non videtur habere locum in Senibus & aliis,qui nunquam eſſent intraturi; præcipuè de his,qui interim ſint morituri.* Quartò,*quod ſicut Papa non habet facultatem Indulgentias concedendi* ſine cauſa legitima,*quod Deus tales non approbat; ſic videtur,quod ſine legitima cauſa datas revocare aut ſuſpendere non poſſit,&c. Talia abque numero aliàs malè affecti Apoſtolicæ Sedi ſubmurmurare poſſunt,ſicut & de facto faciunt. Ad obviandum ergò talibus, & ad quietandum conſcientias piorum expediret fieri declarationem &*

publicationem. Sed ais, & quid nobis interim faciendum est, ne privaremur Indulgentiis plenariis? Quicquid fieret de declaratione, essetne alia via aliqua, qua evolare possemus sine purgatorio? Sed in has tricas conscientiæque laqueos non est, ut nos descendamus cum Keisersbergio, qui hæc scripsit dixitque Anno 1498. die 15. Martii.

LI. IACOBVS VVIMPHELINGVS SELETSTADIANVS.

CElebre nomen suum aliquibus libris fecit, non tam ob eruditionis tunc exurgentis raritatem, quam veritatis per plurimas partes testificationem. Edidit Epitomen rerum Germanicarum, inque ea laudans Ludovici Pii zelum, quo vanitates vestium luxumque gemmarum, auri atque argenti nimiam pompam, Ecclesiasticis interdixerat, cum querelis & gemitu addit fol. 13. *Utinam nostris temporibus Ludovice viveres!* Cùm quereretur sub *W*enceslao Bohemiam fuisse factam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ contemtricem, querelam querelæ addens, scribit fol. 49. *Ne simile virus in Germanica natione erumpat, caveat Spirensis Ecclesia, caveat & Augustensis, caveant & reliquæ, quæ eliminatis & explosis viris doctis, ingenio & eruditione florentibus, vel eos solos recipiunt, aut recipere laborant, qui generis nobilitate tantùm superbiunt, qui venaticos & aucupatorios canes, cincinnosque suos, Christianæ Reipublicæ præferunt, pro libris, quum initiati sint, clypeos & galeas ostentantes.* Libellum edidit, in quo non trivialibus argumentis probavit, *S. Augustinum* neque *Fratrem*, neque *Monachum cucullo indutum* fuisse. Non invidia caruit ea libertas scribendi, nam, prout extat in Paralipomenis Vrspergensis pag. 496. Romam excitus fuit Monachorum Augustinensium opera, quod scripsisset, Augustinum non fuisse Monachum, aut certè non talem, quales habentur Augustinenses; cùm enim Augustiniani Monachi venditarent Augustinum, Patrem Ecclesiæ pietate & scientia augustissimum, esse sui Ordinis Fundatorem, opposuit se huic Sectæ Eremiticæ *W*imphelingus, SS. Theologiæ tunc Licentiatus, ex cujus Epistolæ initio ad Cæsarem Maximilianum I. (quæ nondum edita, & Argentorati Anno 1505. scripta est pridie Nonas Majas) querelam audiemus: *Consvevi*, sacratissime Cæsar, *à multis annis instituere pueros & adolescentes; jam verò senio fessus cæpi scriptis exhortari ad pudicitiam; ad frugalitatem; & ad obedientiam tibi præstandam, existimans in ea re nequaquam me peccasse; immò mihi licere fretus sum Sacerdotio, Professione, gradu, & aliorum, qui idem factitarunt exemplo; sed hæc faciens contraxi* quorundam Avarorum, & unius ex Mendicantibus Ordinis; *immò &* Helvetiorum *invidiam, iram, simultatem, adeò ut* avari *atrocissimum contra me libellum famosum sub falso nomine Francisci Schatzer dissеminarint;* Mendicantes *verò ad Romam in jus propria in persona, veluti de fide Christiana malè sentientem vocarint. Aliorum autem insidiæ omnibus in locis mihi sint metuendæ; nedum carcer & exilium.* Avaris *suo loco responsurus sum; sed* de Divi Augustini statu, *propter quod in Vrbem citatus sum, nunquam scripsissem, nisi me una sola domus ejusdem Ordinis tua in Civitate permovis-*

movisset, cujus Fratres nullis tuorum precibus, nec literis manu tua subsignatis, quas vidi & legi, poterant emolliri, quò minùs sese à solenni & jucundissima Festi Corporis Christi statione (jure suo salvo) subtraherent, sed proprium magis quàm divinum honorem amantes domi mansere, putantes se cæteris Ordinibus præstantiores, quod tamen ejusdem Ordinis Fratres aliis in Civitatibus minimè facere consvêrunt. Operæ itaque pretium visum est, & Cancellario tuo gratissimum, ostendere ipsos non esse tantæ vetustatis, quantæ noster est Augustinus, *Ambrosio contemporaneus, quem Theodosii, Prædecessoris tui, ætate vixisse constat. Studui igitur hæc de nostro Augustino scribens annuam stationem ampliare, Eucharistiæ decus augere, & Tibi, cui hæc ambitio displicuit, gratificari.* Disserit de hac controversia, qua Augustiniani ab Augustino & Ordinis sui initium, & nigrarum vestium habitum, habere mentiebantur, Paulus Langius, Monachus, in Chronico Citicensi, pag. 808. 809. 810. è quo quædam de insubidis illis & inanibus rixis Monachorum sumus consignaturi, qui suum institutum volebant probare ex Sermonibus illis ad Eremitas, qui falsò Augustini nomen præferunt. *Sanè*, scribit, *neque* Sermones *illi* ad Eremitas *æquè mendosi & confieti, falsòq; ipsi Augustino attributi obstant, cùm sint pleni erroribus, & veris atque probatis Augustini dictis & scriptis contrarii, asserentes, compluribus in locis Augustinum anno XXX. baptizatum, eodemque anno & sequenti Fratres Eremitas instituisse, & cum eis in monte Pisano ac Centum cellis habitasse, cùm tamen in rei veritate prædicto anno ætatis suæ & sequenti XXXI. Augustinus adhuc fuerit paganus, & tricesimo tertio primùm Catechumenus factus, eoque completo baptizatus. Ideoque nullatenus potuit anno XXX. Eremitas instituisse, tum quia gentilis, & adhuc laicus, nec dum insuper catechumenus.* Quòd verò enarratis annis non fuerit baptizatus, sed XXXIII. completo, ex libris Soliloquiorum, ex tertio libro contra Academicos, ex libro primo Retractationũ, demonstravit, porrò scribens: *Nusquam autem aliquo librorum suorum facit mentionem* Sermonum ad Eremitas *vel* Eremi; *sed neque in libris Confessionum. Mansit itaque Augustinus omni tempore, quo fuit in Italia, laicus, & cum amicis laicis, & ipse laicus reversus est in Africam, ut præclarè habetur in Sermone de* Communi vita Clericorum *authentico, qui incipit:* Propter quod volui, *ubi dicit, quod timebat accedere ad loca, ubi non erant Episcopi, quia volebat esse in humili loco, & venit cum vestibus, quibus utebatur laicus &c. Si laicus, ergò non potuit in Italia & monte Pisano centumque Cellis post baptismum præfuisse, &* Regulas *dedisse, &* Sermones *scripsisse, cùm hæc non sint de officio laici, sed Presbyteri aut Episcopi, quod non erat in Italia Augustinus. Cæterum neque Possidius,* (Possidonius) *Discipulus S. Augustini, in Vita ipsius ullam facit mentionem, vel Eremi Augustini, vel Fratrum Eremitarum. Sed neque in Decretalibus eorum fit mentio; sed nec ullus unquam authenticus Doctor illos Sermones allegavit, utpote ab Alexandro de Ales, Thoma de Aquino, maximè in Summa, ubi procedit per auctoritates Doctorum; & quod majus est, nec Ægidius Eremitanus, nec Gregorius de Arimno, Doctores ejusdem Ordinis, ipsos adducunt, tanquam*

Au-

Augustini, unde post eòs probantur confecti. Quapropter minus in libris Decretorum & Sententiarum allegari potuere; & quoniam Vitam D. Augustini *à B. Possidio conscriptam*, Ambrosius de Chora *ad laudem Ordinis sui volens Augustinum facere Eremitanum, non erubuit, nec veritus est, falsificare multa, detruncando, addendo & immutando, ipsosque Eremitas Canonicos Regulares institutos asserendo, sanctumque Franciscum Ordinis sui novitium fuisse affirmando, nimium Sermonibus sæpè dictis & Epistolæ Sigiberti mendacissimæ inhærendo, ita miserè lapsus est, quod ipse cum libris suis, quos super Regulam S. Augustini scripsit, omnino reprobatus fuerit, & hoc per Sixtum IV. qui mandavit libros prædictos comburi, & per ejus successorem Innocentium VIII. qui etiam præfatum Patrem Ambrosium Choriolanum, licet Generalis Ordinis esset, carceribus mancipavit, prout Celsus, Canonicus Regularis Conventus Lateranensis, in libro suo Apologetico, quem adversus prædictos Sermones scripsit ad quosdam Cardinales firmissimè asserit, in quo etiam multis rationibus & corollariis ex authenticis libris B. Augustini probat, ipsum Ordinem Eremitarum nunquam vidisse, nec instituisse. Hoc ipsum fecit* Petrus Heligerius, *Canonicus Regularis Monasterii Kirsgartensis prope Urbem Vangionum, id est, Wormatiam, eleganti & instructo Opere sive Libro contra eosdem Sermones edito, in quo sub octavo errore dictorum Sermonum ita subinfert*: Sed quid enarrando errores longius immoror? Vnius enim expugnatio satis ostendisse poterat, hos Sermones ab Augustino magno non esse conscriptos. Poterat & *stili ruditas* idem indicasse, eloquentissimus enim Rhetoricæ Magister Augustinus nunquam tam barbaro aut inconcinno in veris suis scriptis usus est stilo, quali refertus est ille sermonum liber. Præterea quis omnes errores horum sermonum, quis contradictoria, quis emendicata ab aliis & inferta enumeret? His ita se habentibus rogo omnes, hunc nostrum librum lecturos, non dubia pro certis, non falsa pro veris amplectantur, neque hoc fundamentum Sermonum ad Eremitas debile & casurum suo ædificio supponant; alioquin non sine gravi dispendio damnoque veritatis ruet. Contigit hoc nonnullis, quorum unus est & præcipuus *Venerabilis Pater Ambrosius Choriolani, Generalis Eremitarum*, qui, dum *ad sui Ordinis splendorem* superbum erigere super hoc fundamento nititur ædificium, non sine dispendio à veritate recedens, flebilem passus est ruinam. Dum etiam his Sermonibus, Sigibertique cujusdam Epistolæ, fortius quàm debuerat, inhæret, à veris Augustini & Possidii dictis longè discessit. Si placet, lege *Eusebium Conradi*, & non sine gemitu, quid Ambrosio præfato acciderit, intueberis. *Hæc ille Petrus. Prædictos itaque testes ideò adduxi, ne quis arbitretur, proprio me sensu supra memorata finxisse, sed historicæ veritatis amore longo scrutinio comperta scriptis mandasse.* Origo *autem vera dictorum* Fratrum Eremitarum *fuit Anno Domini M.CC.VI. à quodam Wilhelmo, Parisiensi Scholari, qui cum magno fervore ad eremum profectus est, ubi multos discipulos & eremitas congregavit; & appellabantur hi Eremitæ quondam Wilhelmitæ. De isto Wilhelmo facit mentionem Wernherus in Fasciculo*

sciculo Temporum. In illo Fasciculo hæc fol. 78. scribuntur: *Ordo Wilhelmitarum à sancto Wilhelmo eremita, Duce Aquilejensi, nomen & originem traxit. Ejus discipulus fuit sanctus Albertus, Eremita, qui ordinem istum educavit.* De Iacobo VVimphelingo Paulus Langius Chron. pag. 886. retulit, fuisse *Sacerdotem* & *Theologum, vita & doctrina conspicuum*, sed *in scribendo plurimùm acerbum & spinosum*, qui *passim cæterorum & vitam & scripta cynicè* taxaverit; eum quoque libellum *de Integritate* edidisse, atque *mores Religiosorum* & *ingenia etiam antiquorum Patrum* taxavisse. Is liber si in notitiam nostram pervenisset, uti eo potuissemus sine dubio ad rem nostram; cùm autem eum librum hac vice obtinere nequiremus, ad manus interim nostras inexpectatò devenit Codex Epistolarum Æneæ Sylvii, sub cujus finem à manu Gervasii Sopheri, Brisgoici, subjuncta erat Iac. VVimphelingi Epistola, qua Sacerdoti amico svaserat, ut Concubinam à se removeret. Eam Epistolam, quia nondum edita est, hîc afferre ad augendum peculium nostrum non erit incommodum, cùm testetur, quàm frequenter, quàmque enormiter peccent, qui Constitutionibus divinis sepositis, Iureque divino posthabito ex constitutionibus Pontificum vitam instituunt Sacerdotalem, laqueisque se induunt, quibus prægravant conscientiam, quamvis VVimphelingus hac etiam parte communem erraverit errorem Cælibatus impurissimi Sacerdotum, cui in solidum quid sit tribuendum, ex hac Epistola non difficulter colligi potest, quam visum est recta & simplici via sine ulla diminutione producere. *Conditionem tuam humiliter mihi patefecisti, rogastique, ut, si quid in Te deprehenderem reprehensione dignum, charitati tuæ detegere dignarer. Quid autem reprehensibilius? quid miserabilius accidere potest Viro docto, magna auctoritate & Sacerdotii culmine prædito, quàm dulcissimam libertatem ultrò perdere? In fœdam servitutem sponte se redigere & magnificare* scortum, *cujus, Salomone teste,* precium vix est unius panis? *Quid periculosius, quàm à Deo recedere, Dei præcepta floccifacere, Dei beneficia oblivisci, famam propriam negligere, in eo statu vivere, in quo non audeas tutò mori?* Meretriculam *quisquis amat, mancipium est scorti, ligatus vinculo tartari. Scis tuipse publicam illam Clericorum & mulierum cohabitationem à sacris Canonibus, quos profiteris, interdictam. Scis sacra Concilia vetuisse. Scis hominem per hoc reddi infamem, esse fabulam vulgi, & scandalum parere universis. Nascuntur Filii, qui non semper ad præclaras virtutes aspirant, qui tandem proprios Patres odere, dum ab aliis originis exprobrationem pati coguntur. Impenditur de Christi patrimonio & Matri & Filiis, quod æquius fuit in Christi pauperes dispensasse. Sunt pueruli illi sæpè glutinum perpetui vinculi & individuæ societatis; vix enim absque matre propria dulciter & humaniter posse educari timentur; sicque conjunctio Parentum ob Filiolos extramatrimoniales perdurat usque ad mortem. Præmortuo Patre, & quidem in pænitentia matris (quod periculosissimum dijudico, quoniam non præcessit vera contritio, neque virile propositum omni modo ab illa abstinendi) Mater (quæ indubiè sibi providit) novas delitias quærit, in otio & lascivia vivit. Cui melius erat*

labore & inedia pro peccatis suis pœnam sustinuisse, ut & minus Pater etiam apud inferos torqueretur; cujus pœna tantò magis crescit, quantò illa de Christi sanguine, quo donata est, magis luxuriatur atque lascivit. Horrendum est ita desipere, ut homo gratiam Dei perdat, minus devotè horas persolvat, minus dignè sacrificet, sacrificio peracto, & adhuc Eucharistia in ventre posita, mox domum reversus inueniat, inspiciat, arrideat, alloquatur, assideat, combibat, commanducet ei, quæ scelerum præteritorum radix & incitabulum fuit, & futurorum esse potest; immò indubiè futura est, non enim propter Iesum, neque propter Lazarum domi manet. Quisquis Evangelio credit, Deumque amat, & infernum timet, meritò ab omnibus abstinet, quibus scit Deum offendi, & eò citius, quod tantò minus id poterit, quo diutius in furore cœpto perseverabit. Qui non est hodie, cras minus aptus erit, & quare hoc? Invalescit amor, effæminatur virilis animus, passio profunditur, habitus medullis insidet, roboratur consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas; quod tandem vel interveniente mortis hora, invitis nobis, faciendum est; immò, nolimus velimus, sustinendum est, separationem *dico, id nos prudentia, consilio rationisque ductu anticipare præcipereque debemus, ne, cum homo mulierculam Deo præposuerit, eique tenerius, delicatius & firmius quàm Deo vivens, adhæserit, tandem vita functus in perpetuum à Deo (quem præ meretricula minus dilexit) separetur. Vult & præcipit sese Deus ex toto diligi corde. Totum cor apud Deum non est, cujus magna pars est apud meretricem. Et Ethnici & Christiani doctissimi dicunt, (fateor) hominem etiam sapientem absque amore esse non posse. Quid autem amabit sapiens? Amabit Deum, amabit ejus Matrem, amabit proximum, amabit virtutem, sapientiam, litteras sacras, patriam, parentes, fratres & propinquos. Et hic amor honestus est, mundus est, quietus est, dulcis est, sollicitudine caret, turpi desiderio caret, libidinis æstu non ardet, actus venerei spurcitia non fœtet, molestias, jurgia, querelas muliebres & supercilia humidi cordis, puerorum (ne dicam spuriorum) infamiam annexam non habet. Hoc in amore non sunt suspiria, non ardens cura, non zelotypia, non metus fraudis; vacat enim omni libidine (ut Cicero ait) omnique tumultu & angore animi, quæ maximè vitanda sunt sapientibus. E quorum numero tu & esse & existimari cupis. Tu ipse judex esto, si sapiens is meritò dici possit, qui Deum negligit, contemnit, parvifacit, posthabet, is inquam, quem neque pudor, neque amor Dei ab infamia ista & libidinoso amore publicaque scorti cohabitatione divellit. Deus scit, (nisi ego bona fortuna certior factus, manibus & pedibus prohibuissem) ante, ut credo, biennium ad processum Vicarii bonæ memoriæ foribus summi Templi affixum, in quo* super expellendis Concubinis *minacissima Verba introserta fuêre, quosdam sic subscribere voluisse,* quando ille & ille &c. *(& tu notanter ex officio tuo adjungendus eras)* suas amoverint meretriculas, cæteri quoque suas excludent, & nos nostras excludemus. *Inde cogita, si non de Te & aliis quibusdam, qui rerũ potiuntur, qui Principi defuncto proximi fuêre, per quos Principatus magna ex parte regitur, multi sermones conterantur, te absente, te forsitan nesciente. Cogita, si non sis fabula Cleri, fabula vulgi, lapis offensionis*

sionis aliorum, qui gaudent sub umbra tua sese constanter excusare. Taceo, quod Principi moderno (*quem dicunt publicum illum Concubinatum vehementer detestari*) *labes inuritur; quippe quod te tuique similes, ad latus suum proximos, aut familiarissimos habet, per quos gubernaculi moderamina fiant. Sunt profectò, qui tuo sese exemplo tueantur. Sunt, qui in tuas & aliorum quorundam manus inspiciunt. Hæccine parva est contumelia Principi, ab his, quorum ductu omnia penè reguntur, justum & pium, sanctosque & pudicos mores, minus observari, minus in pretio haberi? ab his denique, qui totius Patriæ, Sacerdotum judices sunt atque censores? Crede mihi, audivisse me ex quodam, cui fidem habeo, Principem vita functum non semel dixisse*: Miror vitam & mores quorundam meorum familiarium & Consulum, & eorum præcipuè, qui docti sunt, qui literas callent, *te etiam nominatim expresso*, si se solitis suis deliciis sperant beari posse. Fateor me, *ait Princeps*, ab ipsa juventa lubricum fuisse, nec eò magis diligo Præceptores meos, qui mihi voluntatis meæ laxarunt habenas; nec tamen unquam aliquam ex meretriculis in domum meam collocavi, cui perpetuo & indissolubili nexu adhærerem, sicuti faciunt *plerique* ex nostris. *En! quomodo non solùm infimis sacrificulis, sed & ipsi Sacerdotum Principi, ansam quasi ad peccandum tu & tui similes præbere potuistis? Quod si forsitan officii tui, cui præfectus es, tandem pertæsus fueris, adeò, ut Ecclesiæ tuæ quàm Aulæ servire malis, quisnam ex omni totius Urbis & terræ Clero* Vicarii munus *te uno laudabilius poterit administrare? Si una sola hæc labes abs Te fuerit efficaciter abstersa. Memor adhuc sum verborum, quibus coram me ferè ante quadriennium in Curia Principis mox prandio peracto, solus cum solo utebaris. Ecce signum, si oblitus es! Supervenerat te allocuturus Petrus Museler, qui sermonem nostrum intercipiebat. Narraveras tuipse, ut virum bonum decet*, plurimos communis Patriæ nostræ in Clero defectus, *adjiciebas* Visitationem in rure summè esse necessariam, *& reliqua. En quantum boni, quantum honoris divini, tu ipse consilio, prudentia & eloquentia tua procurare posses? En quot animæ tuo ductu salvari possent, quos alioquin ad inferos dimergi metuendum est. Profectò, ut ex tui ipsius verbis conjicio, in te viget religio, timor Domini, Zelus animarum. Credo teipsum plus semel compungi, & meditari aliquando, in quàm periculoso infamique statu vivas, in quo utique coram Christo, justo judice, in mortis tuæ hora, tibi incognita, comparere minimè velis. Rumpe ergò moras, solve vincula; abscinde funem, vendica pristinam libertatē, excute jugum servitutis tuæ. Esto speculum pudicitiæ, qui libidinis incitamenta plerisque dare potuisti. Esto è gremio gravium & honestiorum Sacerdotum. Esto vel imitator Fratris tui, Viri proculdubio casti, pudici, virginei, ac per hoc jam jam apud superos, uti spero, beati. Addo postremum, finge, quam amas, cui cohabitas, pusculis aut gallico morbo infectam esse, finge leprosam, finge morbo regio aut hydrope laborantem, finge mortuam esse. Nunquid non vivere & in Domino gaudere velles? Quod tum facere etiam invitus cogereris, jam facito lubens. At dices*, quomodo separabor? quomodo liber ero? Illa, ut vereor, ædes meas non deseret, si invitam

exclusero; clamorem contra me suscitabit; proles, quæ nondum adolevit, quomodo educabitur? *Memor sum, ut hanc querelam tuam exaggerem, quod optabas apud me, nuper in Curia Principis, sub divo, quempiam officialem seu judicem divortii vestri auctorem. Iudex ille sit ratio tua, prudentia tua, circumspectio tua, sit timor Domini, amor crucifixi, memoria beneficiorum Dei. Timor scandali, pudor infamiæ; timor horæ mortis; timor gehennæ; timor difficilioris separationis, quò diutius tardaveris. Exempla accipe ab aliis senibus, canis, silicerniis, qui à scortis vetulis, rugosis, edentulis, grandioculis, nulla persvasione possunt separari, tanquam illorum quisque diceret*: Hanc mihi, nisi mors adimet, nemo. *Ecce vim diutinæ conversationis. Incipe ergo paulatim severiore esse vultu, & gravior maturiorque in universis actibus & moribus domi tuæ, illa etiam præsente. Incipe, & benigniter ei persvadere pericula mutui vestri convictus*, tandem utique ab hoc ludo desistendum esse, nec siciri ad astra, utrumque vestrum fieri infamem, immò tandem, & fortè propediem, in morte alterum ab altero separandum. Satius id esse, & longè honestius, si in vita, dum ratio & incolumitas superest, id fiat. Amici & propinqui ex utraque parte venerandi sint atque colendi. Principis, cui hæc unio displiceat, gratiam amittere, iramque ejus & repulsam te flocci pendere nolle. *Si in ea tum scintilla est honestatis, si veræ religionis vel modica vena ei inhæret, & ipsa quoque tandem compungetur, præponetque sempiternæ salutis suæ contemplatione vestram dissolutionem (etiam cum labore) delitiis, otio & ambitioni. Quod si & tua & sua pericula non animadverterit, si salutis animarum vestrarum rationem non habuerit, si Deum, si mortem, si infernum non expaverit; hæc una levitas, immò infidelitas, meritò sibi eam reddet suspectam, & dignam, quam abs te rejicias. Quamvis vix putem, eam tam levem & obstinatam, ut his omnibus, quæ recensui, & tu longè magis prudentia tua exaggerare potes, ad Domini timorem, & ad resipiscendum, non moveatur; siquidem prostibulares majori impudentia suffusæ nonnunquam ad verè pœnitendum compunguntur, & si locus daretur opportunus, in quo honestè sustentarentur; multæ ex ipsis miserrimam illam vitam desererent, pœnitentiæque rigorem amplecterentur: Nec te credo coram illa dixisse unquam aliquid, aut fecisse, quod tu in dedecus & ignominiam tam timeas ab ipsa prodire in lucem. Quod si etiam more muliebri aut meretricio pungente lingua sua perget, nemo Vir bonus, nemo Vir gravis, ea vera esse sibi persuadebit; constat enim hoc hominum genus, præcipuè quum se spretum senserit, vindictæ appetentissimum esse, levitateque & perturbationibus duci, non ratione, non veritate; immò si te verbis incessere, aut ante fores perstrepere, aut utrumque contra te obblaterare volet, poterit intra Urbem hanc tribus verbis & quatuor nummis impetrari, ut apparitor aut Reipublicæ famulus, pepetuum ei silentium imponat. Prolem cùm apta literis erit, commendatum iri suadeo Viro gravi, ac fideliter pueros instituenti, suo tempore Philosophiæ sacrisque literis applicandam, quò devotior humiliorque evadat Christi Minister.* Sacerdotium *sufficiens, non in tuo quidem Collegio, ei providere poteris; neque enim probo Parentum & Filiorum Sacerdotum*

tum in unis Ecclesiis conjunctionem. Pontifex, *fateor*, contra sacratissimos Canones dispensat, *sed infamiam non aufert, sed neque populi rumorem compescere, neque scandalum è medio tollere potest; sicque Patres Filiis, & Filii Parentibus maculam inurunt, & reliqui Cleri Populique susurros et morsus contra se suscitabunt. Ad studia literarum & Sacerdotii statum suasi, non ad Hymeneum & Nepotes, quoniam ex hoc statu neque tui nominis memoria honestè propagari, neque familia tua, propter lineam transversalem laudabiliter illustrari potest.* Tantæ molis erat vel Sacerdotulo, (ut de Episcopis & Papis silentium sit) unionem Sacerdotis & Concubinæ, sive Meretriculæ, dissolvere, eamque dissuadere tam longinqua Epistola, quam integram, ut difficultas eò melius videatur, & vitii hujus fœdi frequentia ob neglectum conjugii animadvertatur, apponere placuit. Emunctissimæ naris homo fuit VVimphelingus, doctissimusque sui seculi Theologus, quod vel ex unica hac Epistola licet observare, sed hîc coryzam habuisse videtur. Dissuadere Concubinam Sacerdoti, cui Conjux, Dei legibus non vetita, denegatur, est ducere invitum canem venatum. Valentissimum juvenem Monachum aut Sacerdotem uti pleraque est natura, voto Cælibatus astringere, tam facile est, quàm non difficile est Lupum assuefacere, ut ovibus abstineat. Dicto fidem præstabunt ipsi Sacerdotes atque Monachi, etiam injurati, qui omnes fatentur, se rem aggredi ultra vires suas, seque remulco trahi ad vota sua, à quibus levari non possunt, nisi jam sexagenarii sint, ubi demum discunt ad lucernam Pontificis Iulii septuagenarii lucubrare, & in utramque aurem, extincta lucerna, sine quatuor auribus dormire. Si habuit Abbas Abbatisque Monachus Concubinam aut uxorem alterius, habuit, quando habuit, sed non fuit habitus, senex quippe factus habere desiit. Postquam cecidit Petrus junior, fortior constantiorque surrexit Petrus Thomas, senior. Humanum est, peccare juvenem Monachum & Sacerdotem, sed seniorem jam meretriculam reliquisse, divinum est. Non ista scribuntur, ut illudamus, sed ut secundum consuetudines in re tristi ludamus. Quàm ille Cælibatus damnum inferat, non dubitabit, qui norit veteris recentisque seculi querelas, urgente conscientia. Patefecit arcana Cœlibatus cum turpissimis imaginibus, & aliis visu lectuque indignis, præ aliis D. Calixtus egregio Tractatu de Conjugio Clericorum, quem Clericis omnibusque sanctissimi Ordinis cælibis Viris pensiculandum commendamus, in quo facient rem Deo, cujus negotium agitur, gratam, Ordinique suo salutarem. Veremur autem, ne fiat, quod idem VVimphelingus disticho conquestus fuit sequenti:

Crimina detestans huc si bone Christe redires,
Ter cruce te figent Rostra, Cucullà, Nero.

Quod alius pleniori dedit calamo:

Si terram repetens astris, bone Christe, relictis
Humanum indueres sub Deitate typum;

Num te dilacerent cruce terque quaterque prophani
Sangvisugæ ararum, Rostraq; & Monachus.

Id quod Gervasius Sopherus, VVimphelingi coætaneus, in Collectaneis suis MSS. nobis explicando reliquit, putans, Christum si rediret ad seculum, à tribus hominum generibus denuò crucifixum iri, si superbiam, avaritiam, luxuriam reprehenderet, & humilitatem, frugalitatem & castimoniam amplectendam prædicaret, scilicet Episcopis, Causidicis & Monachis, aut Fratribus irreformabilibus, aut avarissimis Præbendarum coacervatoribus, qui nunquam dicunt, SUFFICIT.

LII. GREGORIUS HEIMBURGENSIS.

IUreconsultus suo Cæsari & Principi fidelis, ideoq; à Papa Pio dicto excommunicatus. De temporali dominatu ita disserit Confutat. Primatus Papæ pag. 566. *Primitiva Ecclesia* nullum seculare dominium *sibi vendicans, sanctis moribus & doctrinis Ecclesiam ædificavit, & Imperum Romanum ad fidem Christi & sui Sacerdotii reverentiam induxit; sed postquam effrenata cupiditas ac fastus dominandi Ecclesiam carnalem effecit, miris sophisticationibus reverentiam Imperatoris convertit in debitum privilegium, & immunitatem à devotis Imperatoribus concessam in dominium, & sic paulatim in usum usurpatorium plenitudinis potestatis processit; nam reverà à B. Petro usque ad S. Sylvestrum tempore Const. M. in hac materia temporalis dominii nulla fuit quæstio, trecentis ferè annis; sublimati enim in Papam non ad temporale dominium, sed ad martyrium trahebantur, & Ecclesiæ gloria fuit, non purpura, non divitiæ, non equus albus, non fastus, non dominatus; sed à tempore Sylvestri incepit* Ecclesia mixta; *& ab eo tempore usque ad tempora Othonis I. habuerunt Papæ ab Imperio multam reverentiam & devotionem; & sub Imperatorum privilegiis & dominationibus ita reverenter habiti sunt Papæ, ut etiam quidam Imperatores ex devotione à Papa coronari voluerint. Extunc insolescere incipientes plures ab Imperatoribus depositi sunt; utpote Iohannes XII. quia lubricus & incorrigibilis fuit, ab Othone I. deponitur, & Leo IX. substituitur, communique voto statuitur, quod nullus Papa fieret, nisi de consensu Imperatorum.* Post tertium Othonem cæperunt cogitare Papæ subtiliter, quomodo Imperatores devotos facerent suos subjugales. Conferatur VVolfius Cent. 15. pag. 815. ad p. 821.

LIII. CONRADUS CELTES.

Adn. 431. pag. 847. NAscitur in Franconia Protucii anno 1459. & moritur anno 1508. Viennnæ ætat. 49. cùm ob eruditionem dotesque ingenii singulares dignus fuisset longiori vita. Vixit in amicitia cum Ioh. Trithemio, qui de eo egregium nobis hoc reliquit testimonium lib. de S.E. fol. 201. *Vir undecunque doctissimus, Philosophus clarus, Orator facundus; Astronomus & Cosmographus insignis, & Poeta Laureatus; divinarum quoque Scripturarum non ignarus, utriusque linguæ peritus, ingenio excellens & disertus eloquio. Vivit adhuc, annos ætatis habens quinque & triginta, ac varia scribit*

scribit sub Maximiliano, Romanorum Rege illustrissimo, & summo Pontifice Alexandro VI. anno Domini, quo nos hæc scribimus 1494. Nemo tunc eo felicior in carmine, unde & laureã obtinuit à Friderico III. Imp. Musæq; ejus canoræ fuêre contra Curiam Romanam, pollutam simoniæ luxusque vitio; nã inter carmina ejus legimus:

Quicquid in extremis habuit Germania terris,
Et mediis quicquid continet illa plagis.
Exhaustum est, & totum Latias migravit ad arces,
Expleat ut luxus, impia Roma, *tuos.*

Item: *Vendit Roma Deum, vendit sacra, vendit honores;*
Et pœnam & culpam venialis tessera tollit.

Carmina, & seorsim edita sunt, & comparent etiam in Volumine Variorum Poetarum.

LIV. CRATO VDENHEMIVS.

Gymnasiarcha Schletstadinus in Præfatione libri de Fide Concubinarum & Meretricum, præfixa ad suos Discipulos: *Malo vos perpetuò manere Laicos, quàm Sacerdotes evadere Concubinarios; nam quisquis ex vobis Concubinam est habiturus, (quod absit) is mihi videtur simul Filio Virginis & Filio Veneris placere,* ubi & alia legenda verba, quibus invexit in Concubinarios Sacerdotes.

LV. MONACHI BERNENSES.

Malam colligationem Bernensium Monachorum describit his verbis Paulus Langius, Monachus Citicensis, in Chronico pag. 893. *Anno Domini 1509. pridie Calendas Junii, indictione duodecima, apud Bernam Helvetiorum Ordinis Prædicatorum Conventus ibidem Fratres,* Prior Lector, Supprior & Custos, *capti, per torturam examinati degradatique, & ad ignem condemnati, miserabiliter sunt combusti, propter quasdam dolosas, falsas, impias & diabolicas machinationes, quas in odium immaculatissimæ Virginis Mariæ conceptionis occasionaliter excogitaverunt & exercuerunt. Quorum denique scelestissima & inaudita piacula nostris cùm insonuissent terris, protinus* Prædicatorculi *sive* Maculistæ *nostrates ea supprimere omnimodis moliebantur, falsa fictaq; affirmare contendentes. Quare ad* Sebastianũ Brant, *virum doctissimum, Cæsareæ Majestatis tunc Symmistam, ac Argentinæ Senatus Archicancellarium literas familiares dirigens, efflagitari obnixus; ut me de casu reddere dignaretur certiorem; qui confestim preculis meis obsecundans, literis visis & causa cognita, sua pro humanitate eleganti Epistola missa omne ejus rei dubium à meo mox pectore eliminavit, me prorsus de eodem facto certificando.* Eam Seb. Brantii Epistolam inseruit Chronico pag. 894. 895. in qua quosdam rhythmos retulit à se confectos in Monachum quendam, qui rei gestæ historiam negaverat, & commenti arguerat; sunt autem hi versus pro ea ætate non insubidè concepti: Ad n. 429. pag. 845.

Dn

Du bist auch einer/lieber Bruder/
Der do zeucht an dem Schelmen Ruder/
Da die Münch angezogen hant/
Die man zu Bern jetzt hat verbrant.
Du strichst Mariæ masen an.
G'lust dich/du magst gen Bern auch gahn;
Dir wirt des Gebratens dar getragen/
Doch sint die Bein nicht gut zu nagen.

Subjunxit deinde Epistolæ talia Langius: *Noverit devotus Lector, quòd illi quatuor Fratres Prædicatorii Ordinis Bernæ combusti ibidem in Conventu eorum in odium Fratrum Minorum, de converso quodam Viro simplici unum Franciscum* (de quo scripserunt stigmata gessisse Christi) *fecerunt novum*; stigmata quinque *arte ei imprimentes, & in Ecclesiam eundē assiduè statuentes, divinitus illi eadem stigmata impressa populo dicebant. Ob id Sebastianus ille insignissimus Doctor scribit in præcedentibus, eos posuisse signa. Cui quadrat, quod* imaginem B. Virginis *pinxerunt, supra caput ejus liquore posito, & per oculos stillante, quasi* guttas sangvineas defleret; *item quod* hostiam Sacramenti altaris pinxerunt *quoque* minio, *quasi* in cruorem *ob peccata populi & errorem conceptionis beatissimæ Virginis, ut ipsi palàm declamabant*, conversa mutataque *fuisset, & hoc præfato Converso revelatam per B. Virginem populo prædicabant. Unde & ingens concursus in dies fiebat, & oblatio magna. Conversum tamen eundem pòst, cùm eorum & dolus & scelus notari & publicari cæpit, per eucharistiam intoxicare nitebantur, quemadmodum ipse idem Conversus effugiens ipsis Primoribus Urbis, & cunctis audire gliscentibus enarrare solebat. Ob memorata itaque piacula perfidissimi Fratres tenti, torti degradatique, ac igni traditi fuêre.* Videatur seorsim excusa Historia & Latinè & Germanicè.

LVI. CARMEN FATIDICVM, INVENTVM IN MONASTERIO HIRSCHAV, ORDINIS S. BENEDICTI.

De ruina Regni Pontificii, à spirituali in politicam administrationem redacti, Anno Christi sexcentesimo à quodam sincerioris Spiritus Viro Carmen compositum, repertumque fuisse in Codice antiquo, notat Marcus Frytsche in Catalogo Prodigiorum pag. 107.

Roma diu titubans longis erroribus acta
Decidet, & Mundi desinet esse caput.
Ecclesiæ censura, fides, discessio Romæ,
Regnaque de medio sunt removenda prius.
Qui latet error, erit publicus, connubia fœda
Fiunt, tolletur hinc pudor, inde timor.

Po-

Post homo peccati veniet, quem Spiritus Oris
Christi perdet, erit postque suprema dies.

LVII. EPISTOLA DE MISERIA CURATORUM SIVE PLEBANORUM.

Edita est Epistola, sine mentione Autoris Augustæ per Antonium Sorg A. 1489. de *Curatorum miseria*, exponens varias injurias & calamitates, quibus Plebanus sit expositus, sub nominibus Diabolorum novem. Primus Diabolus est ipse *Collator*, qui Plebanum tractat cum improperiis & tribulationibus. Secundus Diabolus est ipse *Custos Ecclesiæ*, qui, ut, serpens, occulte pungit. Tertius Diabolus est *Cora*, de qua sic sermocinatur: *Per Coram tot tentationum habes stimulos, quot in capite geris capillos. Nunquam fidelis, semper pigra, in cunctis rebellis. Quæ nisi ab omnibus esset despecta Meretrix, nullatenus domus tuæ fuisset facta dispensatrix. Cæterum leccatrix forsitan est. Igitur vult libidinis ardorem in ea à te extingui; quem si non deles, malè habes. Si verò animum ejus capientem exples, te ipsa, non tu illam possides. Dic, quæso, quæ virtuosa, mũda, casta, Curatori unquã famulabitur? Quis fortior, sanctior, sapientior Samsone, David, Salomone? Si fortitudo, sanctitas, sapientia Samsonẽ, David, Salomonẽ à concubitu mulieris præservare non potuit, quis Curatores ab eodem veneno unquã liberabit? Sicut impossibile est, cum pice communicari, & ab ea non coinquinari. Ita non suscipiendum est, cum muliere habitare, & ab ea non maculari. ô quàm rarum est, si Curator, uxorem non habens, semper urens se non coinquinat! Ab hoc tempore, quo Clericos ab uxoribus sanctio Apostolica sequestravit, nullus unquam, quantumcunque sanctus & continens, sine suspicione fuit. Antea per Sacerdotis prolem tota nostra salus profluxit; nunc autem non nisi scandalum venit. Olim unusquisque Sacerdotum in sua legitima contentabatur; nunc verò Sacerdos, qui propriam non habet, fœminis indifferenter utitur. De illis nemo, quod malum est, promebat. De istis, quomodo luxuriantur, etiam puer cantat.* Quartus Diabolus ponitur *Vitricus*, qui dominetur Curato. Quintus Diabolus est *Rusticus*, qui contra Missas longas murmurat. Sextus Diabolus, *Officialis*, qui sine causa *infamat Plebanum, recipit pecuniam, & admittit ignominiam; amat denarium, & tolerat fornicarium; tollit munera, & destruit jura.* Septimus Diabolus est *Episcopus*, qui jam *contributum*, jam postulat *subsidium. Lupus esuriens ovem rapit, & nisi summa urgeat necessitas, non redit. Episcopum autem nulla penuria cogit, & semper ad alterum annum subsidium capit.* Quantum ex injustis Registralibus colligere valeo, neminem ipso Episcopo cupidiorem apprehendo. Si es Episcopus, ubi, quæso, est tuus baculus? Si tenes baculum, cur non prohibes lupum? ô irrecuperabile damnum! Perditus est omnis Clerus, quia amici sunt Pastor & Lupus. Sed timendum est, cùm lupus amplius non habuerit ovem, devorabit & Pastorem, & justo judicio Pastor cum ovibus perit, qui nullam diligentiam circa Oves habere voluit. Frustra & indignè geris, ô Episcope, baculum, te ordines celebrante, quem gerere non vis Lupo Clerum tuum invadente. Diligentem igitur curam de ovibus tuis habeas, quarum & lac ac butyrum contributum cum subsidio de die in diem congregas. Octavus Diabolus est *Capellanus*,

qui in Ecclesia *nec cantat,nec legit*,nisi unde ipse *suum profectum* habere possit. *Fortè ebrius est per totam noctem,in taberna levat cantharos, & manè non pudet immolare sacrificium. Superbus est in ministerio; semper formosum locum appetit habitum, non ut in hoc decoret Christum,sed magis,ut ad se inclinet populum.* Nonus Diabolus est *Prædicator*,qui quantò in doctrina gloriosior,tantò Plebano infestior; acceptum se in populo considerat,& plebanum,quasi cifram,pro nihilo reputat.

LVIII. CLERICORVM STELLA.

AVtor libelli istius,qui vixit circa A.1500.scripsit inter alia: *ô Domine*, Pastores *tui mutati sunt in* tonsores; defensores *in* dissipatores;*qui deberent esse* sobrii, *quotidie sunt* ebrii; *qui* Prælati,Pilati; *qui* casti,incesti;*qui Pastores,Seductores.* Iste liber tempore Hussi extitit,qui ejus meminit Sermone quodam, Pragæ ad populum habito,fol.52.Tomo secundo Operum.

LIX. IOHANNES MARIVS, BELGA.

HIstoricus quondam Ludovici XII. Gallorum Regis, scripsit librum elegantem de Schismatum & Conciliorum Ecclesiæ universalis differentia, quo omnium Schismatum,quibus Romana Ecclesia, tam latè diffusa, Pontificum scelerata ambitione concussa fuit, historiam brevissimè complexus fuit; cumque ea mala accuratius considerat,pro ingenii sui acumine inter alia bene perspexit, piorum Regum ac Imperatorum esse munus, dissensiones atque Schismata suborta tollere,Paparum ferocias compescere, sanctiones turbulentas coercere; adhæc Conjugium Sacerdotibus ademtum multorum in Ecclesia malorum esse causam, cùm hi Cælibes omnique matrimonio soluti alienis thalamis insidientur, iisque pro suis uti; prodigiosam quoq; ambitionem & avaritiam Pontificum infinitorũ malorum esse causam. Capite primo partis primæ scribit p.579.edit.Argent.1609: Ores Ecclesiæ datæ,*maximè à Constantino M. Ludovico Pio, & aliis,& si primò sub specie sanctitatis,probitatis, & castitatis sint partæ, nihilominus tamen postea pessimos fructus produxerunt,nimirum* superbiam,arrogantiam,fastum, hæresin,Principum contemtum,tyrannidem in Subditos,impudentiam, *aliaque ejus generis vitia complura,quæ postea generalium Conciliorum neglectum invexerant; hæc verò omnia simul* Schismata,divisiones,factiones & separationes *in populo Christiano excitârunt, quæ multorum malorum,afflictionum,tribulationum & persecutionum in populo Christiano occasio fuêre.* Capite secundo pag. 580. scribit: *Tria præcipuè Ecclesiæ universali magnum damnum attulêre; nimirum* Ambitio, *avaritiæ mater; omissio seu* neglectus Conciliorum generalium; legitimi matrimonii Sacerdotum in Ecclesia Latina prohibitio; *de quibus singulis amplè fusèque in hoc opere dicetur.*Capite quarto pag.591: *Liberius & Felix contrarii sibi invicem* Papatus competitores *fuêre.* Liberius,*etsi esset* Hæreticus, *tamen favore auxilioque Constantis Imperatoris Pontificatum obtinuit,seditque annos sedecim,menses septem, dies tres præfuit. Numeratus verò* primus inter Papas,*qui* infames, schismatici & fautores Hæreticorum *contra Catholicos fuêre,cum ob Papatus ambitionem, tum ut Imperatori Constantino juniori*

place-

placeret, infecto Arriana hæresi, quæ omnium pessima, sævissima deterrimaque fuit inter has, quæ unquam exortæ fuêre, & ferè Mahometica secta deterior. De Anastasio, Papa hæretico, cap. 6. pag. 594. *Papa Anastasius II. in hæresin prolapsus est, & reputatur pro* secundo Papa infami *post donationem Constantini*; *favit enim* Eutychianis & Nestorianis *quemadmodum Liberius Arianorum partes fovit. Ut verò Hæreticus esset, nihilo minùs primus Paparum Imperatorem Anastasium sibi cognominem anathematis fulmine ferire ausus est, quod alteri cuidam hæretico, Achatio nomine, communicaret.* De Papa Gregorio II. cap. 9. pag. 596. *Gregorius II. post infamem Anastasium Imperatorem Leonem III. anathemate ferire, & vectigalium receptione ei interdicere ausus est, quod* adorationem imaginum *per omnes Ecclesias suas abolere vellet, dicens,* eam idololatriam esse, *Papa acriter renitente*; *unde gravia certamina miraque contentiones postea inter Imperatores & Pontifices renovatæ sæpius fuêre.* De Paparum malitia orbi perniciosa parte tertia cap. 5. pag. 633: *A malitia, ambitione & avaritia sceleratorum Paparum omnia mala in mundo proveniunt.* De schismate sub Urbano VI. cap. 13. pag. 645. *Quadraginta annis, quibus vicesimum secundum schisma Ecclesiam turbavit, complures Antipapæ sibi mutuò æmulantes fuêre, & fuit hæc schismatica divisio adeò dubia atque perplexa, ut etiam peritissimi ac præcipui quique Clerici discernere non possent, quis eorum* verus Petri successor *esset. Unde plurima factiones ac sectæ in Ecclesia extitere, his huic, aliis alteri adhærentibus.* Tractatui finem imponit cum voto, necesse esse statuens, ut totus mundus Deum oret, ut *Ecclesiam* tam *in capite*, quàm *membris* per quoddam *Concilium universale Ecclesiæ Catholicæ* reformet.

LX. IACOBVS HENRICHMANNVS.

EDidit Institutiones Grammaticas Anno 1508. præmisitque Præfationem ad Studiosos, monens, ut barbariem eliminent; deque Monachorum cognominibus, cùm *Minores* & Prædicatores vocitarentur, ita lusit: *Quis unquam ex doctioribus Monachos Ordinis D. Francisci* Minores *vocavit? Quo enim pacto comparativum nomen* Minor, *Monachum significet, haud conjecturare potero*; *nec ad hanc rem quid faciet, si* Fratres Minores *dixeris, quasi* Minimos *inter Monachos*; *nam, ut Laurentius Valla cæterique Grammatici omnes docent, comparativum non ad plura duobus refertur. Eos ipsos autem Monachos, quos barbarè* Minores *vocas,* Monachos anypodetos *penultima producta, hoc est,* Nudipedes *vocare poteris. Ita etiam* Dominicaster, *hoc est,* Dominici imitator, *injusto & iniquo nomine vocatur ab indoctis* Prædicator; *nec item* Prædicator *concionatorem*; *nec* prædicare concionari *significat.* Idem lib. 3. f. 62. notat, Clericos accusari à Rusticis avaritiæ; & libri quarti fine ait, omnem Monachum aut Angelum esse, aut Diabolum.

LXI. STATVÆ ET PICTVRAE IN TEMPLIS.

VItia & turpitudinem Ecclesiæ Artifices statuarii & Pictores tectis figuris, & quasi hieroglyphicis signis indicare voluerunt; Vidi in speciosissimo Templo Argentinensi, ex adverso suggesti, & in ipso suggesto simulacra animaliumque

 figu-

figuras,quæ involvebant rerum ſacrarum ſignificationes non ſine nota ſive cenſura. Conſpiciuntur Sus & Hædus,Vulpem dormientem geſtantes, Cane ſubtus latente; item Vrſus, geſtans Vaſculum cum aſpergillo; Canis, & crucem gerens; inde Lepus cum facibus ſequitur. Adeſt etiam Aſinus, celebrans Miſſam; & alter Aſinus,Lectoris munus præbens,libro capiti ſimiæ ſuperpoſito. Eas imagines attulit Ioh. *W*olfius depictas Centen.13.pag.551.552.553.554. earumque expoſitiones dedit ex libro anonymo,qui anno 1540. editus fuit. Earum quoque Imaginum dedit deſcriptionem Iacobus Heerbrandus in Refutatione Defenſionis Aſſertionum Ieſuiticarum,cujus nunc verbis icones illuſtrabimus. *Anno 1551. Argentinæ cùm eſſem,Vrbiſque antiquitates videre cuperem,deductus ſum in Templum ſummum, in quo mihi in circuitu ſuperiori,è regione Suggeſti,in columna lapidea ingenti, mirabilis monſtrabatur ſculptura,non tã artificiosè quàm ingeniosè in ſaxo exciſa in hunc modũ:* Sus *&* Hircus *geſtant ſive funus,ſive reliquias,* vulpem *ſcilicet* dormientem. *Partes eas, quæ ſub cauda ſunt Suis, attrectat* Canis fœmina. *Præcedit pompam iſtam à fronte* Vrſus, *aquam conſecratam urceo portans,quem ſequitur* Lupus, *crucem ferens; hunc porrò* lepus *proximè antecedens, cereum ardentem. Sequitur bajulos iſtius feretri* Aſinus, *ad altare Miſſam celebrans. Poſt hunc* alius *ſtat* Aſinus *prælongis auriculis, ore intentus in librum,labris tamen carens. Librum porrò iſtum* Cattus *tenet. Hæc figura eſt,quæ omnibus,qui petunt,viſenda monſtratur. Nec nova eſt, aut recens exciſa,verùm una cum ipſo templo fabrefacta. Effigie hac ſapiens Antiquitas, & pii tunc Chriſtiani, qui metu tyrannidis publicè & palàm profiteri ea, quæ ſentiebant,non auſi fuêre (lapides autem locuti ſunt)ſignificare voluerunt*, Papatum, *qui magna ex parte Miſſis & Exequiis defunctorum conſtat,plenum eſſe* vulpinarum aſtutiarum, *quæ tamen non mox aut facile,ut in* Vulpecula dormiente, *animadverti, præſertim à ſimplicioribus, potuerunt. Qui verò fumos aut nugas iſtas venditant,* Sui *&* Hirco *aſſimilantur,idque non temerè.* Canis, *impudens eſt animal. Hi mores ſunt ſcortatorum Sacrificûm,fructuſque Cœlibatus impuriſſimi, publici fornicarii & impudentes homines,qui libidines iſtas vagas & impudicas honeſto & divinitus inſtituto præferunt conjugio. Iidem etiam per* hircos fœdidos *deſignantur, qui permolunt alienas conjuges, & filias honeſtorum ſæpe hominum, Eccleſiamque Dei fœtore ſuo replent ac polluunt.* Expoſitis deinde Vrſis,Lupi,Leporis,Aſinorum,Catti imaginibus demum concludit: *Superioribus ſeculis,in denſiſſimis Papatus tenebris non defuêre cordati homines,pii & ingenioſi,qui Papatus erroribus non conſenſerunt, ſed turpi Eccleſiaſticorum vita vehementer offenſi ingemuerunt,doluerunt que ſuper cunctis abominationibus in Papatu factis; cumque Papa & ſui tum,quemadmodum & nunc, ſua reprehendi ferre noluerint concionibus publicis,illi,cùm tacentibus aliis,* lapides *loqui neceſſe fuerit, errores Papatus,Idolomaniam multiplicem,impoſturas, tyrannidem, inſcitiam,libidines vanas, & vitam Epicuream,quocunque potuerunt modò,reprehenderunt & damnaverunt.* Hæc videnda & legenda iterum dedit *W*olfius Centur.16.pag.909.910. *W*ormatiæ etiam miræ viſuntur Imagines in Templo Cathedrali,quas itidem cum iconibus,ſed ſine

inter

interpretatione speciali, exhibuit oculis legentium *Wolfius* Cent. 16. pag. 869. præfixo tamen hoc lemmate: *Wormatiæ in Templo, quod* Cathedrale *vocant, reperiuntur inter alia magnifica Monumenta etiam hæ quatuor figuræ, quæ admirandis procul dubio mysteriis non carent, incisæ in lapide, quas placuit hic apponere, Majores enim nostri errores & abusus in Papatu plurimos probè animadverterunt; sed cū reprehendere eos apertè non auderent, Ecclesiæ tamen calamitatem maximè dolerent, animi sensa occultis picturis & monumentis exponere voluerunt.* Eas *Wormatienses* Imagines tentavit explicare Gregorius VVicelius in suis Exercitamentis veræ pietatis. In Monasterio Albersbacensi Pictura extat, sine dubio Abbatum & Monachorum notans mores, ubi exhibetur *Ursus ad citharam*, cui superscriptum: *Vagus in ludo.* Inde Lupus stola sacra indutus, cum inscriptione: *Ferus in rapina.* Postea candelabrum cum cereo, cui superscriptum: *Peccasti, quiesce.* Adstat & Agnus, cùm cruce in dextro humero, cum inscriptione: *Agnus innocens.* Sedet in sella Abbas, dextra pedum pastorale, sinistra librum clausum tenens, ad cujus pedes exurgit Arbor frondosa. Iconem exhibet *Wolfius* Centur. 11. pag. 312. cum expositione metrica pag. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. Ejusmodi picturas & sculpturas, quæ in Templis visuntur, objecit Melchiori Braunio, Coloniensi Prædicatori in Templo S. Apostolorum, D. Iacobus Schopperus, in Defensione Libelli supplicis Civium Ang. Confess. Coloniensium fol. 28. ubi etiam illa Argentinensis Templi glyphica attulit. Vidi Arnsteti in Thuringia picturam veterem, ubi concionatorem aviculæ auscultant, Monachi verò dormientes repræsentantur.

LXII. DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS.

MAgnis certè vigiliis laboravit raræ eruditionis Vir Erasmus, ut Rempublicam literariam juvaret, Ecclesiam Romanam reformaret, Ecclesiæque Patrum scripta daret accuratiora, quo nomine præclarissimè meritus est. Ecclesiæ Romanæ *in*signes notavit nævos & errores, ipse fidus Filius, istius societatis; nam seipsum *verum Pontificium* & *membrum Ecclesiæ Romanæ* professus est in libro, quem edidit contra Natalem Bedam sub titulo, Supputationis Errorum, pag. 1. ab ipso etiam Pontifice Romano Leone X. *Dilecti Filii* nomine cohonestatus fuit, prout id videre est Epistola, præmissa N. T. Opus variæ eruditionis edidit sub titulo, *Adagiorum Chiliades*, in quo Commentario, nunquam satis laudato, multa memorabilia felicissimè exposuit, quæ priscam eruditionem sapiunt. *Tuum illud, Erasme immortalis, Adagiorum Opus* (sunt verba Wilkii 2. de Homeri cæcitate pag. *61.*) *quid aliud, quàm Veterum sapientum omnium quasi lautitia quædam, & nobilis illa Æsopi patina, in quam, quicquid cupediarum inveniri usquam potest, intritum est, ad omnium animos humanitate saturandos.* In hac verò patina obtulit nobis quædam, quæ ingrata sunt Pontifici Romano ejusque Ecclesiæ. Gustum ejus dabimus. De Romani Pontificis & Romanensium Clericorum avaritia, rapacitate & sacrorum venditione scribit Chil. 1. Cent. 9. Adag. pag. 296. edit. Basil. 1559: *Vidi, cùm agerem rure Bononiensi*, Iulio *jam ejus Urbis ditione potito, extremæ paupertatis agricolas, quibus universæ facultates in duobus bubus erant (nam horum labore totam familiam sustinebat) pro singulis singulos Ducatos dependere. Sunt, apud quos liberū non est coire legitimum matrimonium, nisi vectigal solverit. Vincit omnem eloquentiam istorum rapacitas. Nihil est rerum, unde non aliquid exprimant emolumenti. Nec modus est, nec finis. Quotidie novas exigendi vias excogitant, & quicquid semel invasit per occasionē temporis, id mordicus retinent. Apud* Sacerdotes, *quibus oportebat omnē pecuniā esse vilissimam, & quorū erat suas dotes gratis acceptas, gratis item cōmunicare, nihil non venale est, nihil immune. Quas non tragœdias movent pro suis illis* Decimis? *Quàm odiosè*

divexant miseram plebeculam? Non datur Baptismus,*hoc est,non licet fieri Christianum, nisi numeres; atque his praeclaris auspiciis fores ingrederis Ecclesiae. Non comprobant* Matrimonium, *nisi numeres. Non audiunt* Pænitentium commissa,*nisi sperent praemium. Sacrificant conducti. Non psallunt gratis; non orant gratis; non imponunt manum gratis. Vix procul mota manu benedicunt, nisi dederis. Non consecrant saxum,aut calicem,nisi data mercede. Quia & illud verè Pontificium munus docendi populum,quaestu vitiatum est. Denique non impertiunt corpus Christi, si numeres. Vt ne dicam iterum,quanta messis colligatur ex litibus; ex dispensationibus; ex condonationibus, quas vulgus appellat Indulgentias; è conferendis Sacerdotiis, confirmandis Episcopis & Abbatibus. Sed quid apud istos gratuitum sit,apud quos emitur &* sepultura, *etiam in alieno solo? si plurimùm numeraris, in templo proximè summum altare licebit putrescere; si parcè dederis,inter plebeios sub dio complueris: Turpe,si precium acciperent oblatum; nunc* Ius suum *vocant; & dictum mirum, quanta exigant improbitate. Alii cantionem illam nobis occinunt,* Dignus est operarius mercede; *perinde quasi nihil intersit inter Episcopum & conductum Militem, aut Fossorem.* Iterum Chil.3 cent. 2. Adag. 89.pag.679. *Apud avaros Sacerdotes ne sepulchrum quidem gratis conceditur.* De Monachis Mendicantibus censura est Chil. 2. cent 8. adag. 65. pag. 579 *Malorum* Mendicantium *ubique maxima turba est. Hi sic sese per omne Reipublicae corpus sparserunt,ut nihil usquam agatur sine illis. Regnant in concionibus,quod peculiare munus Episcoporum. Tyrannidem occuparunt in Scholis,quod huic proximum munus. Per hos ministrantur Ecclesiastica Sacramenta; per hos Sacerdotes sumus. Hi plusquam censoria severitate pronunciant de fidei professione. Hic* Christianus *est; hic* Semichristianus; *hic* Hæreticus; *hic* sesqui hæreticus. *In horum sinus populus effundit occultos vitae actus, & secretissimas animi cogitationes. Nec his contenti sunt; nulla peraguntur Principum foedera, in quibus hi non agant parteis. Sine his nullum contrahitur Matrimonium. In theatricis certaminibus,in publicis sortibus agonothetae agunt; adeò nihil pudet. Denique nec mori licet absque istis. Nulla est* Aula Principum, *in quam non irrepsertnt. Si quod impudens facinus destinarunt Principes, per hos exequuntur. Si quid moliuntur* Romani Pontifices.*quod paulo sit alienius ab apostolica illa & prisca sanctimonia,horum potissimum utuntur ministerius. Veluti si quod bellum,si quis tumultus,si qua exactio, si qua condonatio parum prudens,in hisce fabulis isti primas agunt. Interim simplici popello* specie sanctitatis *imponitur. Sacerdotes ad hos collati,Sacerdotes non sunt. Episcopi horum fiducia in utramvis aurem dormiunt. Plebs destituta pro unicis Pastoribus gemino luporum genere discerpitur, dum & Praesules exercent tyrannidem; nec hi tamen Pastores sunt, sed alia ratione Praedones.* De iisdem Chil.4. Cent.1. Adag.1. pag.858. *Tam multi sunt in Vrbe* Monachorum mendicatò viventium Ordines,*qui se* Columnas Ecclesiæ *videri volunt. Ex tot millibus quotusquisque est,qui pro Religione Christi propaganda vitam suam vilem habeat? Illi rigidi verae Religionis Professores versantur in Vrbibus opulentis ac luxu perditis,ubi citiùs corrumpuntur ipsi,quàm alios reddant emendatiores; & ubi est affatim Pastorũ,qui populum doceant,ac* Sacerdotũ,*qui laudes Deo canant? Versantur in Aulis Principũ,ubi,quid agant,in praesentia non referam. Vtinã ne quid pejus quàm Canis in balneo. Inhiant testamentis,venantur lucrum; subserviunt Principum tyrannidi,&,ne nihil agere videantur, notant Articulos erroneos, suspectos,scandalosos,irreverentiales, haereticos,schismaticos.* In eosdem & alios Chil.3. Cent.3 Adag 1.pag.685.686. *Sunt,quorum si consideres* rasum verticem,*venereris,ut Sacerdotes; si silenum introspicias,plus quam laicos reperies. Fortassis &* Episcopos aliquot *reperias,quorum solennem illam consecrationem si spectes,si novum ornatum inspicias,mitram gemmis & auro nitentem; pedũ item gemmeũ; in summa,totam illã ἐκ ποδ & εἰς κεφαλὴν mysticam πανοπλίαν, videlicet caelestem quempiam,& homine majorem Virum expectes. Inverte Silenum, nihil interdum invenies nisi bellatorẽ,negotiatorẽ,deniq; tyrannũ,jamq; magnifica illa insignia Comoediã fuisse judicabis. Sunt, atque utinam non tam passim obvii sint,quos si quis è* barbæ sylva,pallore,cucullo,*inflexis cervicibus, cingulo,supercilio vultuque truculentia velit aestimare,*Serapiones, *ac* Paulos *esse dicat; si nexplices, meros invenies balatrones,helluones, planos, ganeones; imò praedones ac tyrannos. Vbi nonnihil* de Sacerdotum prædiis ac censu *diminutum fuerit,clamatur undique,*opprimi ChristianamEcclesiam, *Vbi concitatur orbis ad bellum; ubi palàm improba* Sacerdotum *Vita tot animarum millia pertrahuntur*

tur in exitium, nemo deplorat Ecclesiæ vicem, cùm verè jam affligatur Ecclesia. Ornatam & cohonestatam *vocant* Ecclesiam, *non cùm in populo gliscit pietas; cùm vitia decrescunt, boni mores augescunt; cùm sacra doctrina viget; verùm cùm auro gemmisque lucent altaria; imò cùm his neglectis, prædiis, famulitio, luxu, malis, equis, sumtuosis ædium vel magis Palatiorum substructionibus, ac reliquo vitæ strepitu* Satrapas *æquant* Sacerdotes. *Atque hæc adeò videntur recta, ut in ipsis Pontificum diplomatibus inseratur huiusmodi elogium, quoniam* ille Cardinalis *tot equos, tot purpuratos alens domi, vehementer ornat Ecclesiam Dei, concedimus illi quartam Episcopi dignitatem. Et in ornamentum Ecclesiæ jubentur Episcopi, Sacerdotes & Clerici purpura sericisque vestiri. ô miram Ecclesiæ dignitatem! Quid superest, posteaquam etiam* vocabula honesti *perdidimus.* Si revolvimus Erasmi libros, non sunt frequentiores querelæ, quàm de *Theologia Scholastica* & *Aristotelica*, quæ omne malum invexerit. *Huc processum est*, ait Chil. 4. Cent. 1. pag. 853. *ut in mediam Theologiam totus sit receptus Aristoteles, & ita receptus, ut hujus autoritas penè sanctior sit quàm Christi; nam si quid ille dixit, parum accommodum ad vitam nostram, licet interpretamento detorquere; cæterùm exploditur illicò, qui vel leviter ausit Aristotelicis Oraculis refragari.* Antea Chil. 3. cent. 3. adag. 1. pag. 684. invexit in Scotistas, *Aristotele suo turgidos, Magistralium definitionum, conclusionum & propositionum turba differtos*. Magistrales has definitiones, *conclusiones, corollaria & propositiones, explicitas & implicitas* satyrico perstringit sale Encomio Mariæ fol. 176. edit. Basil. 1517. cum notis Gerhardi Listrii, ubi simul quæstionum farraginem exhibet, & de subtilibus Theologorum Scholasticorum nugamentis perorat hoc modus pag. 179. *Sunt innumerabiles λεπτολεσχίαι his quoque multò subtiliores, de* instantibus, *de* formalitatibus, *de* quidditatibus, ecceitatibus, *quas nemo possit oculis assequi, nisi tam lynceus, ut ea quoque per altissimas tenebras videat, quæ nusquam sunt. Has subtilissimas subtilitates subtiliores etiam reddunt* tot Scholasticorum viæ, *ut citius è labyrinthis temet explices, quàm ex involucris* Realium, Nominalium, Thomistarum, Albertistarum, Occamistarum, Scotistarum, *& nondum omnes dixi, sed præcipuas duntaxat; in quibus omnibus tantum est eruditionis, tantum difficultatis, ut existimem ipsis Apostolis alio spiritu opus fore, si cogantur hisce de rebus cum hoc novo Theologorum genere conserere manus.* Exemplis deinde aliquot λεπτολογιῶν καὶ γνωμῶν παραδόξων allatis, *Monachos* describit inscitos & sordidos, parumque Christianos, multùm verò superstitiosos, per multas paginas; nec parcit *Pontificibus*, de quibus scribit pag. 209. 210. *Nunc ferè, si quid* laboris *est, id Petro & Paulo relinquunt, quibus abunde satis otii. Porrò si quid* splendoris *aut* voluptatis, *id sibi sumunt. Atque ita fit mea quidem opera, ut nullum penè hominum genus vivat mollius minusque sollicitum, ut qui abunde Christo satisfactum existiment, si mystico ac penè scenico ornatu, cerimoniis*, beatitudinum, reverentiarum, sanctitatum *titulis & benedictionibus ac maledictionibus Episcopos agant.* Priscum & obsoletum, *nec horum omninò temporum, miracula edere, docere populum*; loboriosum, *sacras interpretari literas*; Scholasticum, *orare*; otiosum, *lachrymas fundere*; miserum ac muliebre, *egere*; sordidum, *vinci*; turpe *parumque dignum eo, qui vix Reges etiam summos ad pedum beatorum admittit oscula; denique mori inamabile, tolli in crucem, infame. Restant sola hæc, arma ac benedictiones dulces, quarum meminit Paulus, atque harum quidem sunt sanè quàm benigni, interdictiones, suspensiones, aggravationes, redaggravationes, anathematizationes, ultrices picturæ, ac fulmen illud terrificum, quo solo nutu mortalium animas vel ultra tartara mittunt. Quod ipsum tamen sanctissimi in Christo Patres in nullos torquent acrius, quàm in eos, qui instigante Diabolo* Patrimonia Petri *minuere atque arrodere conantur; cujus cùm hæc vox sit in Evangelico*, Reliquimus omnia & secuti sumus te, *tamen hujus* patrimonium *appellant agros, oppida, vectigalia, portitoria, ditiones; pro quibus dum Zelo Christi accensi ferro igníque dimicant, non absque plurimo Christiani sanguinis dispendio, tum demum Ecclesiam, Christi Sponsam, sese credunt apostolicè defendere, fortiter profligatis, ut vocant, hostibus. Quasi verò ulli sint hostes Ecclesiæ perniciosiores quàm impii Pontifices, qui & silentio Christum sinunt abolescere, & quæstuariis legibus alligant, & coactis interpretationibus adulterant, & pestilenti vita jugulant.* Deinde in Iulium, Pontificem bellatorem, invehit, sed suppresso nomine, qui maximos tumultus excitavit in orbe; & videbuntur hæc alicui fortassis dicta liberiùs; verùm, judice Listrio pag. 211 *si quis rem penitus nosset, fateretur modestissimè dicta*; neque silet Listrius,

Pon-

Pontificius, qui ipsa in Italia studiorum gratia commoratus fuit, multaque vidit reprehensione dignissima. *Eorum, qui Christiani vocantur,* scribit Listrius pag. 147 *superstitionibus sic sunt infecti, ut nulla pene res sit sacra, cui non admisceant aliquid hujusmodi. Quæ quidem tam multa sunt, ut Livianam superent historiam; tam ridicula, ut satius sit reticere. Novi permultos Theologos,* scribit p. 185 item Listrius, *Doctores, ut vocant, qui ante quinquagesimum annum nondum evolverant omnes Epistolas Pauli, ut per familiaritatē mihi fatebantur. Isti quoties ad interpretandum sacras literas accedunt, Dii boni, quàm frigent, quàm sordent omnia, quàm nihil adferūt Christo dignū. Si malos Pontifices & Cardinales,* scribit p. 210. *suis pingere coloribus voluisset Erasmus, norant hi, qui Romæ vixerunt, quas fabulas potuerit in medium adducere.* Non mirum, Erasmum tam invisum fuisse Pontificiis ob libertatem loquendi; neque enim, quæ vera sunt, ferre possunt, unde & à lectione librorum Erasmi abhorret eorum animus. Hoc nomine verò bene audit apud bonos Erasmus, qui Morionem egit, ut veritatem liberius diceret; nullum enim genus mortalium præteriit Moria; cumque Martinus Dorpius, Theologus, deplorasset, Erasmum ob Moriam malè audire inter Theologos, ad eundem scripsit elegantem Epistolam, & inter alia scribit pag. 253. *Quinam isti tam delicatis auribus, qui* Moriam ipsam *non ferunt in communem hominum vitam, sine ullius nominis inustione ludentem? Nunquam explosa fuisset vetus Comœdia, si ab edendis nominibus illustrium Virorum abstinuisset. At tu quidem, optime Dorpi, ita propemodum scribis, quasi totum Ordinem Theologicum Moriæ libellus à nobis abalienasset.* Magis placebit Moria, si magis fuerit intellecta. Multa possent hoc loco referri ex eo libello ingenioso, sed ad alios nobis eundum est libros, scientia varia, maximè Thologica, refertos. Suspexit verò veneratusque fuit Theologos, ut huic Ordini nomen dederit, ac voluerit unicè adscribi, seipso teste Epistola modò allata p. 257. quæ sub finem libri Moriæ extat edita. De Theologia verò depuranda à Scholasticorum face scribit eadem Epistola pag. 259. 260. *Theologi aliquoties non habent, quod respondeant Consultoribus, cùm perspiciunt,* aliud docuisse Christum, aliud humanis traditiunculis imperari. *Quæso, quid commercii Christo & Aristoteli? quid sophisticis captiunculis cum æternæ sapientiæ mysteriis? Quorsum tot quæstionum labyrinthi? Inter quas quàm multæ sunt ociosæ, quàm multæ pestilentes, vel hoc ipso, quod contentiones & diffidia pariunt? Si quid statuendum est, id velim reverenter, non arroganter, & ex divinis literis, non è commentitiis hominum ratiunculis statui. Breviter, eò redacta res est, ut negotii summa, non tam ex Christi rescripto, quàm* ex Scholasticorum definitionibus, *& Episcoporum qualiumcunque potestate dependeat. Quibus rebus sic involuta sunt omnia, ut ne spes quidem sit, mundum ad verum illum Christianismum revocandi. O si tibi liceret, mi Dorpi, tacitis oculis animi mei cogitationes intueri, nimirum intelligeres, quàm multa prudens hoc reticeam loco. At horum aut nihil attigit Moria, aut certè levissimè attigit, ne quem offenderem.* Divinæ Scripturæ quanto damno fuerint neglectæ, vigente spinosa Scholasticorum Theologia inter varias sectas, de eo multoties conqueritur in Scriptis suis Erasmus. Scribit ad Paulum Volcium, Abbatem, Præfat. ad Militem Christianum: *In tanta rerum caligine, in tanta humanarum opinionū varietate, quò potiùs fugiendum, quàm ad sacram anchoram Evangelicæ doctrinæ? Quis verè pius non videt, ac suspirat hoc seculum longè corruptissimum? Quando unquam tyrannis, quando avaritia regnavit, aut latius, aut impunius? Quando unquam plus tributum ceremoniis?* Quomodo verò Scholastici in curiosis spinosisque quæstionibus sese maceraverint, exponit in Annot. ad N. T. in 1. Timoth. 1. p. 464. quibus *quæstiunculis & inutilium argutiarum labyrinthis* totam hominis ætatem non sufficere scribit in Annot. ad Matth. 11. pag. 43. Idem annotavit in Methodo veræ Theologiæ pag. 191. Theologos quosdam impudenter Scripturam divinam trahere ad sensus alienissimos, exemplique loco dat dictum Habacuci: *Turbabuntur pelles terræ Madian,* quod quidam detorserat ad Bartolomæum excoriatum; quo ipso etiam exemplo usus fuit in Encomio Moriæ p. 227, itemque Præfatione in Hieronymum. Multa ex Erasmo possemus afferre, sed ne Auctarium nimis augeatur, cessamus finimusque librum, & ex iis, quæ non tam in Catalogo Testium veritatis Flacii, quàm in hoc Auctario prolata sunt, jam cogitandum relinquimus Lectori, quàm verè scripserit Erasmus in Epistola ad Georg. Spalatinum, quæ extat apud Scultetum Annal. Eccles. Dec. 1. p. 58. tempore cæptæ per Lutherum reformationis publicam morum corruptelam fuisse tantam in Romana Ecclesia, ut nemo non fassus fuerit, opus fuisse publico remedio.

FINIS.

INDEX I.

Auctorum, in hoc Auctario hinc inde citatorum,

Ubi B. L. notare velit, numerum parenthesi inclusum, pertinere ad Dedicationem Auctarii.

A.

Abbas Panormitanus 79
Philotheus Achillinus 161
Melchior Adami 258
Agenda Ecclesiæ Gnesnensis 147
Agenda Moguntina 148
Henr. Corneli⁹ Agrippa (27) 15.99
Henricus Agylæus 8
Wolffgang Aitinger 6
Albericus 93.121
Leander Albertus 22
Albertus Stadensis 21.218
Alciatus 8
Alcuinus 197
Petrus de Alliaco 89.97.105
Alredus 119
Johannes Altenstaig 263
Ambrosius (5)
Annales Polonici 168
Antoninus (3.4.) 7.55.99
Antonius Augustinus 21
Antonius Panormitanus 80
Rudolphus Ardens 84
Augustinus (22)
Aventinus 162.205
Autor Compilat. Chronolog 209
Autor Paralip. Ursperg. 207.210

B.

Johan de Bado Aureo 251
Balæus 52.119.228.
Balduinus 8
Baldus 9
Theodorus Balsamon 8
Laurentius Banck 8
Dominicus Bannes (20)
Baptista Mantuanus 20. 117
Guilielmus Barclaius (3)
Baronius 4. 11.17.25.93.106
Bartolus 9
Goropius Becanus (11)
Belgici Theologi 204
Bellarminus (5) 1. 2.58.155.161
Vincentius Beluacensis 58
Benbellona 100
Matthias Bernecccerus (15)
Bernhardus 3.4.86.131
Bernhardus Geystensis 44
Bernhardus Morlanensis 41
Bertholdus Abbas Quifalt. 145
Bibliander (3)
Bibliotheca Bodleiana 165
Bibliotheca Cottoniana 125.151
Bibliotheca Patrum 231
Gabriel Biel (11)
Bielscius 192
Christoph Binderus (20)
Thomas Bilsonus 5.143
Casparus Bitschius 8
Otto de S. Blasio 232
Petrus Blesensis 150
Laurentius Bochellus (37)
Bodinus 8.81
Eusebius Bohemus 8
Jacobus Bongarsius 16
Brigittæ Revel. 171
Johan Brompton 94.117.120.
124.132.136.152
Joh. Bugenhagen (31)
Bzovius (6.38) 51.200

C.

Constantinus Cajetanus 26
Joh. Colderinus 90
Georgius Calixtus (17) 6.10.15.
26.56.78 261
Guil. Cambdenus 122
Camerarius 8
Thomas Campanella 202
Joh. Baptista Campofulg. 237
Canones Apostolici 4.5
Capitulatio Leopoldi I. 203
Alexander Carerius (4)
Isaacus Casaubonus 152.201
Georgius Cassander (12) 157.197
Sebastianus Castalio 12
Guil. Castellus 115
Alphonsus à Castro
Centuriæ Magdeb. 7.89
Chamier 11
Mart. Chemnitius 6. 196. 205.
209. 212.259. 262.
Chronicon Citicense 254.273
Chronicon Hirsaug. 201
Chronicon Moguntinum 232
Chroniç. Ursperg. 206.207.219
David Chytræus 10.174.193.194
Nicolaus Clemangis 35
Jodocus Clichtoveus 115
Jodocus Coccius 63
Michael Coccinius 22
Johan Cochlæus 189.192
Georg. Colvenerius 213
Petrus Comestor 94
Tom. 2. & 3. Concil. 205
Antonius Corvinus (30)
Thomas Cragius 133
Albertus Crantzius 204.264
Cromerus 167.192
Joh. Suiccard à Cronenberg (15)
Nicolaus Cusanus 27
Cuspinianus 226
Cyprianus 11
Cyrillus (14)

D.

Christianus Daumius 44.158
Martinus Delrio (19)
Radolphus de Diceto 127.131
132.148.156
Johan Conrad Dieterich 199
Marcus Anton. de Dominis 10.21
Johan Dorschæus 15.41.157.197
Johan Draconites (30)
Franciscus Duarenus 65.100
Arthurus Duckius 129
Simon Dunelmensis 122.124
Consalvus Durantus 170

E.

Eckbertus 92
Ubbo Emmius 257
Boëtius Epo 8
Erasmus (21.28) 287
Guilielmus Eisengrein (35) 17
27.34.58.94.105.160. 212.
225.228.248.
Eusebius 5
Dionysius Exiguus 10

F.
Felix Fabri 160. 248.251
Fasciculus Temporum 275
Alexander Ferrarius 202
Vincentius Ferrarius 56
Marsilius Ficinus 65
Firmamentum 3.Ord. Franc. 101
Valentinus Forsterus 65
Matthias Flacius (6.34.56.37) 7.11.14.56.66.75.89.104. 106.115.116.119.166.209. 219.225.191.193.
Marquardus Freherus 8
Otto Frisingensis 232
Frossardus 100
Marcus Frythshe 282
Autor Fulminis bruti 82
Antonius Fuscus 65
G.
Galfridus Monumetensis 117
Bartholomæus Garrantza (28)
Gelasius Papa (12)
Johan Gerhardus 10
Gervasius 120.121.127.128.132. 135.146.148.
Johan Gerson (17) 102.158
Salomon Gesnerus 7
Guilielmus de Gibieuffe (7)
Sylvester Giraldus 119.161
Johan Gobelinus 208
Goldast 21.34.106.161.196.200. 202
Golnitzius 20
Gomesius 80
Simon Goulartius (6) 136.230
Ortuinus Gratius 7.105
Gregorius Turonensis 83
Gryphiander 229
Gualterus 7
H.
Petrus Haberkornius (22) 30.61. 89.93 148
Jacobus Heerbrand 286
Cæsarius Heisterbach (10.14.) 91.92
Nicolaus Henelius 3.8
Desiderius Heraldus 81
Johan. Himmelius (22)
Vincentius Hispanus 21
Historia Anglicana 137
Matthias Hoë 8
Henricus Höpfnerus (26) 197. 212.257
Hortleder (36)
Hosius (21)
Hottomannus 8
Humbertus 15.16
Nicolaus Hunnius (21)
Johannes Hussus 180.187.189
Leonhardus Hutterus 36
I.
Jacobus Rex Angliæ 156
Jacobus Card. Papiensis 217
Johannes de Hamburgo 94
Thomas Jamesius 95.165
Jesuitæ Bavarici (21)
Joh. Igneus 9
Index Expurgatorius (37)
Joachim Abbas 39
Joh. Josselin' 119.145.151 156.158
Johannes Prior Hagestald. 124
Isidorus 4
Ivellus Sarisburiensis 210.
K.
Casparus Kratzer (17)
Henricus Knygthon 56.85.94. 101.120.122.124.136.140.151. 155.158.162.163.164.166
L.
Lactantius 9
Lambertus Schafnab. 210.230
Franciscus Lamberti (18) 187
Paulus Langius 26.48.49.89. 232.237.254.273.275.281
Johan Limnæus 8
Gerardus Lorichius (9) 12.33
Sibbrandus Lubbertus 2
Eilhardus Lubinus 44
Ludolphus Carthusiensis 148
Luitprandus 199
Mart. Lutherus (10) 24.33.258
Wilhelmus Lyserus (26)
M.
Nicolaus Machiavellus 74
Oliverius Malardus 127
Mallinkrot (25)
Manuale Curatorum 147
Johan Marigna 75.77.80.91
Johan Marius 214
M. Marulus 87.227
Matthæus Cracoviensis 216
Matthæus Parisiensis 122.132. 160.201
Matthæus Westmonasteriensis 144.seq.197
Meibomius 8
Balthasar Meisnerus 5.8
Molinæus 8.103.116
Georg Mylius (31.)
N.
Nauclerus 171.230
Theodorus Niem 197.214
O.
Onuphrius (4) 209.217
Onus Ecclesiæ 6.168
Lucas Osiander 5
Hieronymus Osorius 77
P.
Marcellus Palingenius (28)
Guido Pancirollus 65
Petrus de Papia 63
Guilielmus Paradinus 91
Paralipomena Abb. Ursperg. 258
Bernhardus de Parentinis (11)
Alvarus Pelagius 19.56.78
Peregrinus 38
Franciscus Petrarcha 50
Theodorus Petreius 1
Joachimus Petronius 21
Peucerus (30)
Jacobus Piccolomineus 29
Johan Picus 60
Bartholomæus Pincernus 7.9
Johannes Pistorius (23)
Platina (6) 23.68
Poggius 187
Anton. Possevinus 5
David Povelus 119
R.
Raderus 225
Florimundus Ræmundus (29)
Ranchinus 12.106
Johan Raulinus (8) 113
Petrus Rauzanus 58
Reformatio Statûs Eccles. 200
Adrianus Regenvolscius 147.168 188.192.195

Jaco-

Jacobus Reihing (19)
Beatus Rhenanus 115
Richardus Hagelstad. 124
Wernerus Rolefinck 27. 236
Rubeus 23
Nicolaus Rustius (36)
S.
Salmasius 5
Salmeron (11)
Salvianus 83
Sanderus 3
Sarnicus 168
Lambertus Schafnaburg. 230
Marianus Scothus 212
Scriptor anonymus 2
Scultetus 188
Seldenus 132. 134
Nicolaus Selneccer 190
Sixtus Senensis 4
Ludovicus Servinus 81.82.95.101
Claudius Seysellus 93
Sigebertus 230
Joh. Baptista Signius (4)
Joh. Simlerus 260
Franciscus Stancarus 74
Augustinus Steuch⁹ (16)
Stranski 189 193
Johan Strauchius 20
Henricus Stromez (19)
Johan Guil. Stuckius (16)
Laurentius Surius 58.123
Æneas Sylvius (7) 9.20.105.106 113.188.189.190.191.194.227
T.
Taxa Apostolica 20
Tertullianus 6
Zacharias Theobaldus 192
Wilhelmus Thorne 128.140.141 150.156.159
Johannes Tilius 195
Rogerius Tvvysdenus 119. 124. 136.156.157
Andreas Trebecco (20)
Antonius de Trejo (7)
Johannes Tritenheim 7.9.15.17 26 33.36.38.59.65.78. 79. 92 94.97.98.105.116.146 148.155 157. 160 212.220.224. 226. 228.232.280
Ludovicus Tubero 174
Nicolaus Tudescus 79
Turnebus (16)
Johannes de Turrecremata 170
Horatius Tursellinus (15)
V.
Vadianus 188
Gregorius de Valentia (4) 24
Laurentius Valla 9
Dominicus Venetus 35
Polydorus Vergilius 17.18.70 116.139.171
Blasius Viegas 40
Caspar Ulenbergius 197
Wolffgang Udissenberg 209
Gisbertus Voëtius 197
Volaternus 7
Jacobus de Voragine 33
Vossius 157
Nicolaus Uptonus 251
Jacobus Usserius 89. 91.97.101 120.123.132.197
W.
Lucas Waddingus (8)
Thomas Walsinghā 138.144.164.
Wexionius 174
Georg. Wicelius (14)
Wilckius 287
Jacobus Wimpffeling 28.34
Wissenburgius 37.59. 101 219
Johan Wolfius 2.7.14.28.34.36 40.45.47.52.58.59.60.70.78. 82 89.101.115.117.161.218.219 230.258.264.280.286
Z.
Franciscus Zabarella 29

INDEX II.

Testium veritatis in hoc Auctario contentorum.

A.
Academia Parisiensis 99
Alanus ab Insulis 231
Albertus Crantzius 264
Albertus Stadensis 218
Alexander Carpentarius 160
Alphonsus Rex Arragoniæ 80
Alvarus Pelagius 78
Ammianus Marcellinus 15
Anselmus Archiep. Cantuar. 145
Antonius de Rosellis 65
Arnoldus Hott 96
Arnulphus, Episcopus 85
B.
Baptista Platina 68
Bernhardus Abbas Claræm. 86
Bernhardus de Krayburg 147
Bernhardus Geystensis 44
Bernhardus Morlauensis 41
Bonifacius Episc. Germ. 204
Brigitta 108
C.
Canones Apostolorum 4
Carmen Vatidicum 282
Carolus Magnus 195
Carolus IV. Imper. 199
Carolus VI. R. Galliæ 81
Molinæus 166
Bovillus 166
Casimirus III. R. Polon. 167
Clericorum Stella 284
Concilium Ancyranum 9
Carthag. VI. 11
Gangrense 10
Milevitanum 10
Toletanum 75
Confessio Thaboritarum 193
Conradus Celtes 280
à Lichtenau 219
Constantini M. donatio 7
Constant. Patriarchæ Epist. 194
Crato Udenheim 280
Curia Parisiensis 100
Cynus Pistoriensis 65
D.
Desiderius Erasmus 287
Dietherus Archiep. Mogunt. 206
Dinothus Abbas Angliæ 155
Dominicus Venetus 35
E.
Ecclesia Anglicana 117
Ecclesia Mediolanensis & Ravennat. 22
Edgarus Rex Angliæ 119
Eduardus S. Rex Angl. 120
Eduardus I. R Angl. 136
Eduardus III. Rex Angl. 140
Egesippus 5
Elisab. Abbatissa Schonaug. 225
Engelbertus Wustervvitz 237

Epiſtola de Miſeria Curatorũ 283

F.

Facultas Theol. Pariſienſ. 98
Felix Fabri 248
Felix Hemmerlin 250
Franciſcani 55
Franciſcus Petrarcha 50
Zabarellus 28

G.

Gloſſa decreti 14
Gravamina Angliæ 146
Gregorius I. 17
Heimburgenſis 280
Guarricus 37
Guilielmus Epiſcopus 93
Occam 162
Pleſſæus 95
Rufus Rex Angl. 122

H.

Helinandus 58
Henricus I. Rex Angliæ 125
II. Rex Angliæ 129
IV. R. Angl. 143
Bebelius 261
de Haſſia 226
Oyta 228
Hierarchia ſubcœleſtis 106
Hieronymus Pragenſis 187
Savaranolæ 60
Hildegardis, Abbatiſſa 224
Humbertus de Romania 97

I.

Jacobus Carthuſienſis 232
Jacobus Faber 115
Han 238
Henrichmannus 285
Miſenſis 188
de Paradiſo 59
Piccolomini 29
de Voragine 33
Wimpfeling 172
Innominatorum Carmina 48
Joachimus Abbas 39
Jodocus Gallicus 251
Iohannes Epiſc. Chiemenſis 216
de Hamburgo 234
Gerſon 102
Gigencurtius 100
Huſſus 179
Iohannes Kaltenmacher 160
Keiſersberger 267
Marius 284
Picus 62
Raulinus 113
de Rupeſciſſa 97
Sarisburienſis 148
Trittenheimius 210
Weſſelus 257
Wicleph & Balle 162
Ius Civile & Canonicum 14

L.

Lambertus Schafnaburgenſis 230
Lucifer ad Clerum 66
Ludovicus XII. Rex Galliæ 82
Tubero 174
Luitpoldus, Archiep. Mogũt 205
Lupus, Epiſcopus Britanniæ 158

M.

Marſilius Ficinus 65
Matthæus de Cracovia 216
Pariſienſis 160
Matthias Ianovius 192
Maximilianus I. Imper. 203
Mechtildis 225
Methodius 6
Michael Scotus 267
Monachi Bernenſes 281

N.

Nicetas Pectoratus 15
Nicolaus I. Papa 19
Clemangis 35
de Cuſa 26
Gallicus 104
de Hereforde 166
Lyra 234
Machiavellus 74
Tudeſcus 79
Nobilitas Poloniæ majoris 167

O.

Otto, I. Imper. 197
Epiſcop. Conſtantienſis 210

P.

Paulus Langius 254
Olearius 261
Peregrinus 38
Petrus Apoſtolus 1
de Aliaco 105
Bertrandus 115
Petrus Bleſenſis 157
Cantor 94
Comeſtor 93
Cunerius 95
Damianus 15
de Papia 63
Payne 190
Ravennas 63
Valdus 89
de Vineis 229
Uxamienſis 80
Philippus Auguſtus, Rex Gall. 81
Philotheus Achillinus 106
Picturæ in templis 285
Polydorus Vergilius 70
Potho Prumenſis 231
Proceres Angliæ 144
Proteſtatio Duc. Burgund. &c. 82

R.

Radulphus Ardens 84
de Borne 15
de Diceto 15
Rhythmi 4
Richardus I. Rex Angl. 13
Archiep. Cantuar. 15
Epiſc. Armacanus 15
Robertus Groſſeteſto 15
Rodericus Epiſc. Zam. 3

S.

Salvianus 8
Sidonius Apollinaris 8
Sigebertus Monachus 22
Sigiſmundus Imper. 20
Simon Begnius 3
Speculum Saxon. 22
Statuæ in templis 28
Stephanus Rex Angl. 12
Sybillæ 1
Sylveſter Giraldus 1
Synodus Ravennat.

T.

Talheimius 2
Tertullianus
Theodoricus Niem 2
Uriæ
Theodorus
Thomas de Aquino
Bravvardinus 1
de Contiprato

Th

Thomas de Corsellis 106
de Kempis 259
Rhedonius 55
de Valas 105
Walleis 159

V.

Valentinus Alusinus 47
Ubertinus de Casali 59
Udalricus Episc. Augustan⁹ 209
Vincentius Ferrarius 56
Volquinus, Abbas 219

W.

Walo Britannus 158
Wernerus Rolefinck 236
Wilhelmus de S. amore 100
Wolstanus, Præsul Wigornensis. 152

INDEX III.

RERUM ET VERBORUM,

Ubi,

Numerus parenthesi inclusus præfationem, posterior verò sine parenthesi, ipsas notat Auctarii pagellas.

A.

Abbas Monachos suos reformaturus, in vitæ periculum incidit 250.

Abbates frequentius in castellis, quàm in monasteriis commorantur 173. eorum quidam 60. equites in comitatu secum ducit 88. eis arces munitæque urbes adimi debent. 200. in iis eligendis non pietas, sed pecunia spectatur 230. sunt instar mulorum 251.

Abbatiæ sunt materia litis 87. earum annatæ & fructus vacantiæ in Gallia in immensam excrescunt summam 100.

Abusus Ecclesiæ & Curiæ Rom. taxantur 95. 117. 217. & alibi passim.

Academia Cracoviensis exiguum honorem Legato P. R. exhibet 168.

Academia Parisiensis opponit se Bullæ Indulgentiarum Clementis VI. 99. & exactionibus Benedicti XIII. ibid.

Academici lectionem S. Scripturæ parvi æstimant (19.)

Adamus Presbyter ob datam utramque in S. Synaxi speciem comburitur 168.

Adrianus VI. Caroli V. Præceptor ad dignitatem Papalem evectus 13.

Adulterium olim in Saxonia gravissimè punitum. 205.

Ægidius Rhemorum Archiepiscopus in Synodo Rhemensi exauctoratur, & perpetuo exilio damnatur 85.

Æneas Sylvius queritur de quorundam P. R. impietate (7) ob constantiam laudat Joh. Hussum & Hieronym. Pragensem 188. dogmata Taboritarum recenset 191. adhuc Æneas egregiè sentit & scribit de autoritate Rom. Imperii, sed Pius II. factus miserè vexat expilationibus Germaniam 206. Diethetum Mogunt. excommunicat 207. vult Septemviros inscio P. R. non convocari ad eligendum novum Imper. Rom. 206. ejus jocus de donatione Constantini 9.

Africani Episcopi appellationem ad Transmarinum judicium improbant. 10. 11. uni justitiam examinis à Christo inspiratam esse negant 11. 85.

Agenda Ecclesiæ Gnesnensis ingressum in vitam æternam merito passionis Dominicæ in solidum asscribunt 147.

Agenda Moguntina vitam æternam solius Christi merito tribuunt 148.

Henricus Cornelius Agrippa de juris Canonici vanitatibus citatur 15.

Alberto Austriaco à Bonifacio VIII. confertur regnum Galliæ 96.

Albertus M. ob peritiam Philosophiæ Peripateticæ, Aristotelis Simia appellatus, primus omniũ Philosophiam profanam S. literis copulare ausus est 254.

Albigenses per totam Europam dispersi 91. 92. eorum 2000. uno die in pago quodam Bituricensi trucidantur *ibid.*

Alexander II. librum Damiani, cui nomen fecit Gomorrhæum, tanquam inhonesto stylo scriptũ supprimit, etiam contra judicium Leonis IX. 25.

Alexander Carpentarius scripsit Destructorium contra errores & vitia Cleri 160.

Alexander VI. P. R. notatur 176.

Alexandri P. R. literæ ad Henricum II. Angliæ Regem citantur 132.

Petri de Alliaco Cardinalis elogium 105.

Ἀλληλοφθονία Pont. Rom. 24.

Ambrosianum Officium unde? 33.

Anastasius II. communicavit Acacio Hæretico 35. factus Eutychianus 185.

Angliæ Reges eligendorum Episcoporum potestatem Clero dederunt, eâ cum conditione, ut eligendi licentiam à Rege peterent 141. ejus Proceres excommunicantur ab Innocentio P. R. 144. ejus regnum negatur esse D. Petri Patrimonium 145. ejus Gravamina 146.

Annatæ fisco Apostolico solvendæ 21. earum origo tribuitur Johanni XXII. 22. Galliam ita exhauserant auro, ut æreâ monetâ uti coacta fuerit 100 eas tollendas, atque non magis solvendas edictum promulgant Reges Franciæ 81. exactiones ejusmodi esse interdicendas 100. de earum augmento conqueruntur Principes Germaniæ in novissima Leopoldi I. Imp. capitulatione 203. eas tollendas volunt Elector Palatinus & Brandenburgicus 107. ad annos saltem IV. concessæ, fiunt perpetuæ 256.

Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis pro stola Archiepiscopatûs sui Romani profecturus, à Rege abeundi licentiam impetrare nequit 122. 123. cum Henrico Guilielmi Successore de investituris Ecclesiarum contendit 124. ejus elogium & eruditio 146. prophetandi dono instructus dicitur *ibid.* in sola Christi morte moriendum esse docet *ibid.*

Antichristus is, qui se Universalem Episcopum appellat 18. purus & mixtus 58. ejus potentia abbreviabitur 136. Papa Romanus est Antichristus 69. 85 86 97. 133. 161 173. 181. 151. 198. 234.

Antilogia Papæ, liber Jacobi de Paradiso laudatur 59.

Antonini sententia laudatur (4)

Antonius de Trejo, Legatus Hispanus ad Urbanum VIII. P. R. (7)

Antoniani ante pectus literam T. pictam habent 72. vicatim porcos alunt *ibid.*

Apostatarum ad Ecclesiam Pontif. primaria & solitaria causa est odium paupertatis (23)

Apostoli à Pseudoapostolis XXXIX. signis distinguuntur 101.

Apostolici nomine venit Pont. Rom. 212. quandoque etiam ejus Legatus 206. 212.

Appellatio ad sedem Rom. ab Africano Concilio improbatur 111.

Aqua lustralis orta sub Alexandro I. (17) ejus origo tribuitur Ethnicis 74.

Thomas de Aquino à patribus *Bos mutus* appellatur 253, ob librorum multitudinem, quos scripsit, *Angelicus* 255. S. Theologiæ libertatem spinetis Syllogismorum includens *ibid* eius elogium, & de veritate evangelica testimonium 41.

Archiepiscopus Moguntinus decretum Gregorii VII. executurus, in vitæ periculum cum Legato Apostolico venit 211. 212.

Ariana hæresis omnium pessima 185.

Arnoldus Hot impugnat P. R. superioritatem & Missæ superstitionem 97.

Arnulphus, Aurelianorum Archiepiscopus, Synodi Rhemensis vindex acerrimus, Johannem XV. P. R. proclamat Antichristum 85. 86.

Arnulphus, Rhemorum Archiep. in synodo Rhemensi depositus ob perfidiam Hugoni & Roberto Regibus præstitam 85.

Articuli fidei à quolibet in S. Scriptura probè exercitato examinari possunt 104. argumentis cogentibus non suadentibus probari debent 3.

Avaritia Diaboli filia, Sacerdotibus elocata 219. reprehenditur 270.

Ave Maria cottidiè tribus vicibus orandum (14)

Augustinus non fuit Monachus, nec autor Ordinis Eremitarum, 272. nec sermonum, quos Eremitæ ipsi tribuunt 274.

Augustinus Monachus, Gregorii Papæ in Angliâ Legatus, non cum Evangelio pacis, sed cum Apostolatûs sui vexillo veniens ab Angliæ Episcopis non recipitur, 118. ritus Romanos in Angliam invehere conatur 155.

B.

Baal & Beelphegor Sacerdotes sacra peragunt 219

Babylonia, errorum mater 52.

Bacchanalia ex Gentilismo in Christianitatem introducta 73.

Baldi & Bartoli jocus de donatione Constantini 9.

Barbara agonizantium patrona 227. ejus legendâ impugnavit Henricus de Hassia 228.

Barnabas primùm Romæ Evangelium de Christo docuit 3.

Baronio Schismaticus quis? 206.

Βασιλεῖς χλιδανοὶ apud Sybillas quinam juxta cujusdam Viri docti sententiam? 12. 13.

Goropius Becanus de quæstibus Purgatorii (7)

Thomas Becketus, primùm jus civile in Anglia professus, eiusque Doctor Oxonii creatus 129. Regis posteà Cancellarius & Archiep. Cantuar. 132. à Rege interfect⁹, & à P. R. canonisatus 134.

Bellarmini liber de P. R. potestate in regna mundi indirectâ anathema Romanum sensisset, nisi Papa è vivis excessisset (3)

Benedictus

Benedictus Simplicius Episcopus uxoratus 83.
Beneficiorum pluralitas improbatur 268.
Bernhardus Abbas Claræm. Eugenii P. R. ambitionem gravissimè redarguit 3. 86. seqq. alter sui temporis Elias audit 4.
Bernhardus Morlanensis tres de contemtu mundi conscripsit libros 41.
Bernhardus Geystensis in sceleratam Clericorum vitam invehit 44.
Bibliorum lectio apud Pontificios inusitata, Theologiæ verò Scholasticæ lectio apud eosdem frequentissima (19)
Bibliothecæ Oxoniensis librorum nè centesima quidem pars typis excusa prostat (36.)
Petri Blesensis elogium 157.
Bohemorum literæ ad Sigismundum Imp. pro liberando Husso 183. eorum Epistola atrox ad Concilium Constantinense propter Hussum injustè condemnatum & combustum citatur 186. eorum juramentum pro defendenda doctrina Hussi, *ibid.* mittunt Legatos ad Conc. Basileense cum articulis, quos *Compactata* vocant 191. capita religionis suæ ad Græcos mittunt 194. eorum alii sub una, alii sub utraque vocantur *ibid.*
Boleslavienses quinam 194.
Bona Ecclesiæ data sunt patrimonium Christi, quibus pauperes sustentari debent 193. iis verò abutuntur Clerici ad pascendos equos, meretrices &c. 64. 71. & ad defraudandos laicos 82.
Bonifacius P. R. maximas pecuniarum summas à fidelibus Christi per Indulgentias extorsit 256.
Bonifacius VIII. R. P. à Plessæo Schismatis hæreseos & prophanationis Div. nominis arguitur 96. Regnum Scotiæ sibi & sedi Rom. vendicare studet 136.
Bonifacius IX. P. R. omnes suos Antecessores Simoniâ superat 215.
Bonifacius à Gregorio II. in Germaniam missus & Archiepiscopus Moguntinus constitutus 204. cœlibatum Sacerdotum jussu P. R. in Germaniam introducere non audet 205. Pont. Rom. monet de ritibus Ethnicis Romæ usitatis & Episcoporum fornicationibus *ibid.* à Frisiis interficitur 204. ejusque in rebus divinis imperitia notatur *ibid.*
Radulphus de Borne Monachos suos sub leges vocat, qui eo defuncto statuta ejus Vulcano consecrant 156.
Thomas Bradvvinus omnes sententionarios Pelagianismi arguit 157. ejus elogium 158.
Brigittæ elogium 168. ejus canonisatio & donum prophetandi 169. dicitur Sponsa Christi 170. Romam pro impetranda Ordinis sui confirmatione proficiscitur 171. de Pont. R. & Cardinal. & Episcoporum scelerata vita queritur 173.
Bulla Clementis VI. ad Angelos 99.
Walo Britannus, carmen satyricum scripsit in Monachos sacrilegos 158.

C.

Cælibatus Sacerdotum ex Scripturis S. probari nequit (17) 79. ejus primus in Germania gradus tempore Bonifacii tentatus 205. sensim introductus in Germaniam 212. dogma à Spiritu immundo excogitatum 211. ejus damna innumera 279. 284.
Cajus Caligula sinisttum pedem præbuit osculandum 71.
Calixto-Hussitarum de S. Eucharistia sententia 191.
Camera Apostolica non promovet dignos, sed pecuniosos 36.
Candelarum usus ortum suum debet Ethnicis 73.
Canonizatio Pont. Rom. quid (15) tempore Gregorii M. cepit (16)
Canones Apostolorum sunt supposititii 4. ab aliis Pontif. magnifiunt, ab aliis etiam nihili 5. eorum variæ habentur editiones 5.
Canonum multitudo Ecclesiæ haud proficua 98.
Canonici magis frequentant forum quàm chorum 49. eorum studia & exercitia 34. 272.
Thomæ Cantipratini opus de apibus mysticis extat Mscr. in Bibliotheca G. 213.
Petri Cantoris Parisiensis elogium 94. ejus libri MSCti. habentur in Bibliotheca Oxoniensi 95.
Cardinales Rom. Ecclesiæ sunt superbiæ simulacra 36. sunt Simoniaci & omnis nequitiæ autores *ibid.* ab officio sunt removendi 39. Antichristo tumido adhærent 40. venales habent animas 29. concutiunt Ecclesias 149. ad omnem superbiam & carnis oblectamentum proni 173. 218. 264. Ecclesias & Monasteria depauperant atq; defuncti tot millia ducatorum relinquunt 237. præter eos etiam alii interesse possunt electioni novi P. R. 35. eorum vanitates & diffidia in electione novorum Cardinalium notantur 30. 31. eorum multitudo Ecclesiæ est damnosa 98.
Carmina Petrarchæ Italica 52.

Carolus

Carolus M. damnat Imaginum cultum Div. (16) 195. in earum tamen abolitionem consentire noluit 196. improbat etiam luminaria & thymiamata accendi pro imaginibus *ibid.* primus fertur coronâ ferreâ in Italia coronatus seu redimitus 23.

Carolus IV. Imper. Pont. Rom. insolentiam & Clericorum inertiam reprehendit, eosque corrigere intendit 200.

Casimirus III. Rex Poloniæ jus nuncupandi Episcopos sibi vendicat 167.

Castitas Clericorum coacta nil minus quàm castitas 79. ea inter divitias & delitias servatu difficilis 39.

Catholica Ecclesia quæ (8)

Catholicismus hodiernus ex variis centonibus consarcinatus (8)

Catalla apud Anglos quid 133.

Causidicorum primus in Angliam adventus 128.

Censura Ecclesiastica revocari debet, non verò ad exigenda debita 74.

Michael de Cesena Generalis Minorum hæreseos damnatur à P. R. 56.

Sigismundus Chanzar, vide Sigismundus.

Christus est Ecclesiæ petra & columna (24) noluit, ut personæ Ecclesiasticæ dominarentur 19. nec ipse usus est unquam gladio seu potestate regiâ *ibid.* præter eum nemo Universalis Ecclesiæ Episcopus 18. est Ecclesiæ sponsus & caput 216. in ejus sola morte fiducia ponenda 146. in eum solum omnis salutis spes est collocanda 241. (14) ejus dogmata à Pastoribus solummodo sunt proponenda 238. ejus veritas ubique exulat 248. in eius verbis Ecclesia quærenda (22) non mandavit mendicare 166. ab Episcopis, monachis, & Clericis iterum venditur & crucifigitur 51. 93. 280. is solus potest conferre indulgentias plenarias 103.

Christiani Romæ propiores, eò pejores 89.

Christianismus friget 57.

Christophori Pelargi testimonium de Rigensium erga puriorem doctrinam amore (31)

Classis I. S. Petri, Patrum, Conciliorum, Episcoporum & aliorum veterum 1. Classis II. Urbis Romæ, aliorumque Italiæ testimoniorum 17. III. Continens testes Veritatis ex Hispania ortos 75. IV. Comprehendens Testes Gallicos 81. V. Testium Anglicorum 117. VI. Testium Polonicorum 167. VII. Succiorum 168. VIII. Hungaricorum & Bohemorum 174. IX. Continens Testes veritatis è Germania oriundos 95.

Nicolaus Clemangis floruit tempore Clementis VII. P. R. 105. ejus elogium.

Clementis VI. P. R. excandescentia in Occanum notatur 162. ejusque Bulla ad Angelos 99.

Clerici omnem laicorum substantiam sibi attrahunt 63. non sunt Pastores sed raptores 87. sunt avari, pomposi & incestuosi 67. comessationes amant & alienum invadunt thorum 135. Româ missi cum maiori peccandi audacia redeunt 150. sunt apostatæ 151. de Scriptutis penitùs nil intelligunt 222. in suggestu magis philosophos gentiles, quàm Christum eiusque in fide parastatas allegant 223. plus habent in corde fellis, quàm mellis 231. sunt muti ad laudem Dei, sed garruli ad propriam gloriam 235. sunt Pharisæi & Scribæ 240 verba effutiunt scurrilia, sodomitica &c. 252. à novem vexantur Diabolis 283. rarò ad pænitentiam revertuntur 235. sed propter negligentiam & vitam sceleratam in tartarum labuntur 63. eorum cupiditas non habet fundum 173. principes ex suis castris trudunt 82. jurisdictionem & libertatem à potestatibus secularibus sibi vendicant 82. 133. temporalibus student 160. ex eorum vita scelerata varia in Imperio incommoda oriuntur 200. reditibus abutuntur ad alendas concubinas & meretrices 119. 221. 225. ante tempora Constantini M. non possederunt bona temporalia 251. nullius sunt ordinis 234. omnes tamen in ordinem & statum Mendicantium redigendi 63. filiis & Nepotibus suis conferunt beneficia 95. in regno Galliæ præscriptionem C. annorum sibi acquirunt *ibid.* possunt contrahere matrimonium 10. 79. in Germania usque ad Hildebrandum in conjugio vixerunt 209. potius sacerdotium quàm matrimonium deserendum esse concludunt 210. uxorati tamen ab officio removentur 156.

Clericorum ignorantia & imperitia 45. vita malitiosa & meretricia notatur (17. 18.) 41. 44. 63. 68. 102. 119. 160. 205. 234. eorum concubinatus in jocum abiit 261. eorum vita seculo XII. 16[illegible] modernorum practica 67. 84.

Cœna S. sub utraque celebranda 180. eius sub utraque usus à Polonis desideratur 168. ejus restitutio tribuitur Petro Dresdensi 189. eius mutilatio est sacrilegiū 190. relegato Matthia Janovio Bohemia sub utraque abolitur 192.

Collectarum institutio 36.
Petrus Comestor, unde ita appellatus 93
Communio sub una specie speciosa est novitas, instituto Christi è diametro contraria (11.12.]
Compactata alia Calixtinorum, alia Thaboritorum 191.
Concertationes inter Paulum II. P. R. & Collegium Cardinalium 30.
Concilia Universalia sunt supra Papam, 28. 80. 106.260. seqq. repræsentant totam Ecclesiam 35. possunt cogere Papam 102. eumque deponere 107.112. ejusque sententias rescindere 111. eorum neglectus & omissio ingentia parit Ecclesiæ damna 284. eorum Princeps non est Pont. Rom. 111. eorum tamen potestas est merè humana 104. ipsisque se opponere potest quilibet fidelis, quando ea à veritate Apostolica recedere animadvertit 164. possunt enim errare 80. & multa Concilia in rebus fidei errârunt 35.
Concilium Ancyranum Diaconis permisit Conjugium 10.
Concilium Carthaginense vult Presbyteros vel Clericos ab una Ecclesia excommunicatos, in alia non esse recipiendos 11.
Concilium Constantiense omnes, cujuscunque sunt conditionis & statûs, subjicit Concilio Universali 112. in hoc Johannes Hussus comburitur 186.
Concilium Gangrense damnat Eustathium cum asseclis improbantem Clericorum conjugiū 10.
Concilium Francofurtense imaginum cultum & venerationem damnat 195.
Concilium Milevitanum primatum Papæ non agnoscit 10. atque appellationem ad transmarina rejicit 11.
Concilium Narbonense damnat Waldenses 90.
In Concilio Nicæno cautum, nè excommunicati ab una Ecclesia in altera recipiantur 11.
Concilium Rhemense ab Eugenio P. R. indictum 127.
Concordata Principum in Germania quæ 202. ea tollere studet Pont. Rom. 203. ex inevitabili necessitate cum Pont. R. inita ibid.
Concubina quid 261. Concubinæ cujusdam Canonici Herbipolensis querela ob omissum titulum atque ejus faceta responsio 262. Concubinatus improbatur 275.
Concupiscentia, Diaboli uxor. 38.
Confessiones Religiosorum sunt hypocriticæ 78
Conjugii prohibitio magnum in Ecclesia dedit damnum 210.
Constantini M. donatio ab ipsis Pontificiis exibilatur, 7. 8. per aliquem probum Cæsarem penitus releganda & extirpanda 64.
Controversiæ singulæ eo in loco ubi exortæ, sunt sopiendæ & finiendæ 10.
Convenientia Pont. Rom. cum Flaminibus Romano-Ethnicis monstrata 16. 17.
Conventus Schmalcaldicus (13)
Conventus Clarendonensis ab Henrico II. Angliæ Rege institutus 129. ejus Decreta & Constitutiones recitantur 130. seqq.
Coronæ ferreæ Imperialis origo 23.
Thomæ Corsellis Oratio in Concilio Basileensi habita 106. seqq.
Cultus Divinus ex recepta Gothorum consuetudine in Ecclesiis Hispanicis discrepat à ritu sacro Ecclesiæ Rom. 75. sub Urbano II. P. R. tandem abrogatus 76.
Curia Romana maximâ indiget reformatione 59. 260. semper malè audivit ob avaritiam 58. 65. in aulas Cæsareas migravit 68. manum ære vacuam respuit & cum pauperculis in puncto matrimonii non dispensat 39. abolet electiones & sibi reservat beneficia 36. fovet omnia scandala 47. justitiam non quærit sed pecuniam 135. in ea dives honoratur & pauper contemnitur 47. similis est mari, in quod omnia flumina intrant &c. 216. ejus avaritia & exactiones taxantur 36. 58. 65. 80. 97. 218. ejus officiales sanguisugæ & Harpyiæ 80 216.
Nicolaus de Cusa Legatus P. R. ad Germanos 26. Bohemos ad Ecclesiæ unitatem revocare studet 194. Dietherum Archiep. Mogunt. hortatur, ut Pont. R. sese submittat 207 ejus elogium 26. & querela de Curiæ Rom vitiis 58.
Cypriani locus contra Bellarminum vindicatur 11.

D.

Dagonem Sacerdotes Ecclesiæ Pontif. venerantur 219.
Damasus Papa agnovit Concilii universalis Superioritatem 110. inter eum & Ursinum cruenta de sede Rom. contentio à Prætextato, urbis Præfecto, eoque gentili sedata 17.
Petrus Damianus Cardinalis, varias ob librum de correctione Papæ & Episcoporum passus est persecutiones 25.

Decretorum multitudo Ecclesiæ perniciosa 98.
Denariatus Petri 201.
Diabolus nuptias cum Concupiscentia celebrans novem ex ea progenuit filias, quas novem hominum generibus elocavit 38. per mundanam eloquentiam lucem veritatis obumbrare satagit 169. injungit Clerico concionem ad Prælatos habendam 213. ejus instinctu potestas secularis, & Ecclesiastica in unam personam coaluit 19. ejus literæ ad Episcopum negligentem 39.
Dietherus Archiep. Moguntinus excommunicatur à Pio II. P. R. 206. defenditur à Friderico Electore Palatino 207. appellat ad Concilium Generale ibid. quæritur de expilationibus Pont. Rom. 28.
Dinothus, Abbas Anglicanus, opponit se Legato P. R. Anglis obtrudere volenti ritus Rom. 155.
Discordia inter Acad. Parisiensem & fratres Prædicatorum 100.
Divitiis sedis Rom. crescentibus, decrescit Præsulum pietas 70.
Dogmata Christianæ religionis ex quibus principiis sint probanda 2.
Dolus ubique primas tenet 49.
Dominus nobiscum Clericorum & Episcoporum ars artium & scientiarum scientia 45.
Dominicanorum doctrina contra immaculatam B. Mariæ Virginis conceptionem sentit fulmen Pont. Rom. (8)
Donatio Constantini M. aut Patronis idoneis, aut argumentis idoneis, aut utrisque destituitur 7. de autographo ipsi sunt incerti 8. hujus XII. editiones δὶς δι᾽ὰ πασῶν discrepantes ibid. nec exemplaria Græca in ipsa Vaticana reperta concordant, neque ævi Constantini redolent elegantiam 9. ab ipsis Pontificiis despectui habetur ibid. palea à quibusdam dicitur, quæ tamen multum grani apportavit Ecclesiæ ibid. per Imperatorem penitus est delenda 67. Hieronymi Donati & aliorum jocus de illa 9.
Dorpati Livonorum à Gustavo M. Suecorum Rege erigitur Academia (32) Moscorum aliquoties perpessa tyrannidem ibid.
Johannes Dorscheus collegit testimonia ex ipso Jure Canonico, probantia Synagogam Pontificiam esse heterodoxam 15.

E.

Ecclesia duobus nititur fulcris (34) usq; ad mortem Johannis Apostoli in fidei puritate perstitit 10. ejus caput est Christus 210. non habet duo capita nec duos sponsos, sed unicum caput & sponsum ibid. 180 potest regi sine Papa R. 101. eoque carere in perpetuum 100. est impeccabilis 108. & mater omnium fidelium 109. nullam regulam novit, præter Evangelium, nullumque cultum præter illum, qui Triuni Deo debetur 115. ejus defensio competit Regibus 81. 100. facta est spelunca vespillonum 48. grandem seculo XV. perpessa est cladem 104. malorum in ea existentium causa sunt Episcopi, Prælati & Clerici 234. eam reformari summè necessarium est 59. 105. ejus reformatio sæpissimè tentata (36) tam in capite, quàm in membris reformanda 285. vidua est, 40. quæ ab externis hostibus concutitur, ab internis verò laceratur 62 requirit personas, in quibus est notitia vera & confessio fidei & veritatis 234. ejus apud Pontif. speciosum nomen in unius tandem Pontif. caput & cerebrum resolvitur (1.2.)
Ecclesia Anglicana aliam sortita faciem post Augustini Monachi in Angliam ingressum 178. ad ritus & mores Romanæ Ecclesiæ cogitur 119.
Ecclesia Gallicana defenditur à Plessæo 96. à sede Rom. turbatur 95. nunquam P. R. pro capite Ecclesiæ agnovit 96. ejus status egregiè delineatus 161.
Ecclesiæ Germanicæ tempore Caroli M. quales fuerint (26)
Ecclesia Græca testatur suum cum Bohemis consensum 194.
Ecclesiæ Hierosolymitanæ prima à fidei puritate defectio 5.
Ecclesia Mediolanensis & Ravennatensis de primatu certârunt olim cum sede Romana 22.
Ecclesia Romana tempore Clementis τριχέφαλ(ος) 5. non est sponsa Christi sed meretrix Babylonica 90. 97. recessit à Christo 39. 194. adulterat verbum Dei 39. opes & delitias sectatur 194. aliarum Ecclesiarum magis noverca quàm mater 149. ejus discordia (6. 7. 26.) & à Script. S. & Apostolorum traditionibus apostasia (22) 194. ejusque fœditas 41. & abusus corruptissimè notantur 48. ejus iniquitas major est Græcæ

39. ejus ritus & sacra maximam partem Judaismo-Gentilismum sapiunt 16.36.70.
Ecclesiasticus status propter superbiam ad ruinam tendit 36. ejus discretio maximè ab ipsis Ethnicis inventa & primum usurpata 71. ei non competit dominari, sed servire 136.
Edgari, Angliæ Regis, Oratio de Clericorum luxu & profanis moribus 119.
Eduardi, Angliæ Regis, quem *Sanctum* vocant, visiones 121.
Eduardus I. Angl. R. prohibet collectiones decimarum 136. Dunelmensem privilegiis suis privat ibid. Clericisque possessiones latifundiorum emere non concedit 139.
Eduardus III. R. Angl. negat Pont. R. procurationes esse solvendas 140. Abbatem à P. R. intrusum deponit 141.
Egesippus historiam suam orsus ab Apostolis usque in A. C. CLXX. Irenæo aliquanto senior 5. doctrinam in Ecclesia Romana, & Corinthiaca, & aliis compluribus eandem invenit ibid.
Electio Episcoporum in Germania penes Ecclesiam olim fuit, sed tempore Henrici V. Imper. Pont. Rom eam sibi vendicârunt 265.
Electioni Martini V. P. R. præter Cardinales etiam alii interfuêre ex decreto Concilii Constantiensis 35.
Episcopus Universalis & oecumenicus nemo nisi Christus 18.
Episcopus Florentinus Paschalem II. P. R. pro Anti-Christo habet 69.
Episcopi arma tractantes peccant contra Christi mandatum 39. olim avaritiæ hostes 120. olim ex religione & literis, nunc verò ex ambitione & nummis cognoscuntur 121. jam non Episcopi sed tyranni 85. non pastores sed raptores 87. canes muti, Simoniaci & Giezi sordibus polluti 16. sunt lupi 90. humilitatem Christi non imitantur 18 84. sunt negligentes & voluptuarii 85.161.288. ab apostolica mansuetudine deflexerunt 176. Romam missi cum majori delinquendi audacia revertuntur 150. Ecclesiæ Dei magis præsunt quàm prosunt 231. sunt malorum in ea existentium causa 235. non ipsi sed per substitutos sacra peragunt 241 secularia tractant omissis spiritualibus 120. 253. apud Inferos nunc multi eorum tremunt & commorantur 254. eorum cura & solicitudo hodierna 32 85. 120. 218. eorum cupiditas non habet fundum 173. eorum inscitia, luxus & superbia notatur 32. 45. 58. 85. eorum mores corrupti variè notati 261. eorum vacantiæ in Gallia 100. illis secularia demenda, & solummodo sacra peragere relinquenda 115. 120. eorum nomen & officium est venerabile 58. 115. secularia, arces & urbes adimi debent 115. 120. 200. nil nisi *Dominus vobiscum* cantare possunt 45.
Episcoporum quidam in ipso Episcopatu proprias habuerunt uxores 83. 84. 261.
Episcopi Africani excludunt ad transmarina judicia appellantes 10. 11. 85.
Epistola S. Ulrici ad Nicolaum I scripta à Pontificiis exibilatur 209. à Flacio seorsim edita ac inventa in Bibliotheca oppidi *veteris Aquæ* 210.
Equites Lusitani à voto castitatis perpetuæ eximuntur 78.
Eremitæ originem suam ab Augustino Hipponensium Episcopo deducere nequeunt 256. 273. eorum origo 274.
S. Elisabethæ Abbatissæ elogium 225.
Eucharistia à Sacerdote in peccato mortali sumta, qualis 39.
Eustathius Sebastæ Episcopus, Conjugio sacerdotum infensus, in Concilio Gangrensi anathematizatur 10.
Exactiones Curiæ Romanæ taxantur 97.
Excommunicati ab aliis Ecclesiis nullibi sunt recipiendi 11. in Anglia non tenentur dare vadium ad remanens 130.
Excommunicatio Papalis efficax medium conquirendi regna & principatus 64. 74. olim in Ecclesia formidabilis, jam verò propter abusum in contemtu 98. est causa schismatis Græcorum 97.
Exorbitantiæ Pontif. Rom. 36.
Expectativæ Curiæ Rom. 36. sine numero & modo conceduntur 256.
Guilielmus Eysengrein alium Catalogum veritatis Testium opposuit Flacii Catalogo (35)

F.

Jacobi Fabri & Stapulensis elogium 115.
Fabula de domo Mariæ Virg. è Galilæa ab Angelis in varia loca deportata (15)

Matthias Farinator, in conscribendo libro, cui titulus, *Lumen animæ*, XXX. annos consumsit 226.

Vincentii Ferrarii Itali liber de mundi Fine & calamitatibus seculi sui 56.

Marsilii Ficini elogium 65.

Fides vera nullibi invenitur 49. in populis vacillat 225. 248.

Fiducia in solius Christi merito ponenda 146. in sanctorum meritis improbatur 227.

Filiæ Diaboli ex matre concupiscentiæ prognatæ 38.

Matthias Flacius, Illyricus, edidit librum, cui titulus, *Catalogus testium veritatis*, (34) de quo conqueritur Eysengrein (33) peculiarem conscripsit Tr. de primatu Petri 3. mendæ in ejus catalogo inventæ non ab ipso sed à typothetis profectæ 14. Waldensium historiam fusè persequitur 89. versus Walonis separatim edidit 159. Jacobum Misensem Bohemum pro Germano habet 188. Matthiam Pragensem cum Parisiensi confundit 191. epistolam Ulrici, Episcopi Augustani seorsim evulgavit 209 Thomam Cantipratinum omisit 212.

Flagellatio Pontificiorum novum est inventum Ecclesiæ primitivæ incognita (18) Ethnicismum sapit 78.

Florimundus Ræmundus testis domesticus sceleratæ Clericorum vitæ (29)

Franciscani, vide Monachi Franciscani.

Francisci Lamberti consilium religiosis datum de matrimonio clanculum contrahendo (18)

Franciscus de Reza, primus Theol. Mag. in Acad. Viennensi scripsit commestorium vitiorum 161.

Franciscus Xaverius à P.R. canonisatus (15)

Friderici II. Imp. Epistola de Clericis in ordinem redigendis laudatur 82.

Fridericus III. Imp. primùm *concordata*, ut vocant, cum Pont. Rom. iniit 201.

Fridericus, Elector Palatinus, in prælio capit tres Principes, unde rhythmi &c. 207.

Funebria & ritus Sepulchrales Pontif. ab Ethnicis mutuati 73.

G.

Galliæ regnum non est feudum Sedis Rom. 81. 96. supremum in Ecclesias Gallicanas jus habet 85 96.

Gallicanæ Ecclesiæ turbantur à Pont. R. 93. 96. earum libertas defenditur à Plessæo 96.

Nicolaus Gallicus tempore Rodolphi Imp. floruit 105. scripsit librum, cui titulus, *ignea Sagitta* ibid. ejus elogium 104.

Gothi laudantur ob castitatis studium & impuritatis odium 83. eorum antiquus precandi ritus ab Urbano II. abrogatus 75. 76.

Gomorrhæus, liber Daminiani de spurcissima Clericorum vita conscriptus, ab Alexandro II. P.R. supprimitur 25.

Guilielmus, Episcopus Tyriensis, vixit seculo XII. & descripsit bellum sacrum 16.

Gregorius I. appellat se servum servorum 18. ejus elogium & sententia de titulo Oecumenici 17. 18.

Gregorius II. Cælibatum Sacerdotum primus in Germaniam introducere audet 205. anathemate ferit Leonem III. Imp. 285.

Gregorius VII. conjugio Clericorum infensissimus 210. Imperatoris & Germaniæ hostis abjuratus 201. edicto ejus de cælibatu Clericorum ubivis gentium contradicitur 210. 211.

Gregorius XI. Juris Canonici quærit abolitionem 228.

Robertus Grossetesto, ab Innocentio IV. cujus tyrannidi & avaritiæ sese opposuerat, excommunicatur 151.

Thomas Gualensis sententiam Johann. XXII. P.R. oppugnat 159. ejus elogium 160.

Guarrici, Igniacensis Abbatis elogium 38.

Simon Goulartius, suppresso Flacii nomine, compilator testium veritatis (37)

Guilielmus Rufus Rex Angliæ Jura ecclesiastic[a] spreto Pont. R. sibi tribuit 122. Episcopos Angliæ Pont. R. subesse negat ibid.

H.

Hæreses nullibi quàm in Concilio Universa[li] damnari possunt 112.

Hæretici sæpenumero superant Orthodoxo[s] multitudine (8)

Hallenses Dd. Papam R. hæreticum proclamar[unt] 219.

Harpyiæ non amplius Insulas sed Curiam Romanam incolunt 80. 216.

Thomas Hasselbach, Lector Theol. in Academia Viennensi XXI. annis in Esaiam commentans ad finem primi capitis non pervenit 226.

Helfricus Ulricus Hunnius Apostata à Frat[re] fraternè monitus XII. rationes discessus s[ui] fi[...]

fingit (22.) aſt XIII. diſſimulat, quæ erat *Aes alienum* (23.)
Helinandi Monachi elogium, 58. ejus ſcripta integra deſiderantur *ibid.*
Henricus III Imper. tres Pont. Rom. deponit, ſubſtituto alio digniori 69.
Henricus IV. Imp. ducit Conſtantiam Monacham, Rege Rogerio natam (28.)
Henricus I. Rex Angliæ certat cum Pont. R. de jure Inveſtituræ Epiſc. Angl. 123. Eccleſias Anglicanas ab omni ſedis Rom. jurisdictione liberas pronuntiat 124. ejus elogium & cum Anſelmo de eadem materia certamen *ibid.* renunciat juri Inveſtituræ ex conſilio Anſelmi 125. idque literis & Legatis ad P. R. miſſis confirmat 126. ſed defuncto Anſelmo Radulphum per annulum & baculum paſtoralem inveſtit 127.
Henricus II. R. Angliæ in conventu Clarendonenſi inveſtituram & omnem in Epiſcopos & Clericos jurisdictionem ſibi vendicat 129. 131. decreto ejus nulli Epiſcopo & Archiep. licebat exire regno 130. ſtatutum ejus de Appellationibus 132. excommunicatus à P. R. abſolvi nequit, niſi factâ Clericorum à judiciis ſecularibus exemtione 134.
Henricus IV. R. Angl. exprobrat Gregorio P.R. damnum ex Schiſmate obortum 143. animumque ſuum exponit pacificum 144.
Henricus de Haſſia, IV. annos in quatuor prioribus Geneſeos capitibus explicandis per IV. volumina conſumſit 226. impugnavit doctrinam de meritis operum & Legendam de S Barbara 227.
Hierarchia ſubcœleſtis totalem interitum Eccleſiæ ſub Clemente V. cæpiſſe queritur 106.
Hieromonarchia Papalis improbatur 35.
Hieronymus Pragenſis laudatur à Poggio, ultrò Conſtantiam ſe confert 187. palinodiam retractat & crematur 188. citat judices ſuos ad tribunal Chriſti *ibid.*
Hildebrandus, vide Gregorius VII.
Hildegardis A. C. 1170. claruit 168. queritur de S. literarum contemtu & fœdis Clericorum libidinibus 225.
Homagium à ſubditis Principi ſuo præſtitum non poteſt ſolvi à Pont. Rom. 208.
Huldericus, Epiſc. Auguſtanus, defenſor Conjugii Sacerdotalis 209. ejus Epiſtola ad Nicol. I. eâ de re ſcripta invenitur in Bibliotheca oppidi *Veteris Aquæ* 210.
Humberti de Romania elogium 48.
Johannes Huſſus ob dogmata contra Eccleſiam Pontificiam publicata Romam citatur 180. ejus articuli *ibid.* Conſtantiam venit, incarceratur, tentatur ad palinodiam 181. & comburitur 186.
Huſſitæ in Calixtinos & Thaboritas ob Euchariſtiam diſſecti 191. per probrum ſe *Waldenſes* & *Picarditas* vocari queruntur 196. transactionem inſtituunt 192.
Hyberniæ deſcriptio 161.
Hypocriſis, Monachorum ſponſa 38.

I.

Janſenii Sententia ab Innocentio X. P. R. improbatur, à Mechlinienſi verò Archiep. defenditur (7.)
Jejunium Pontif. ἄτερ γραφῆς (18.) IV. temporum Gentiliſmum ſapit 73. eorum abuſus 268.
Jeſuitarum Antverpienſium in Canonizatione Xaverii pompa (16.)
Imaginum cultus à Carolo M. per decretum prohibitus (16.) 195. ejus promotores Conſtantinus & Irene mater 196. diſſentit ab apoſtolicis doctrinis *ibid.* poſſunt haberi ornatûs vel hiſtoriæ gratiâ *ibid.* earum circumgeſtatio ab Ethnicis ortum traxit 73.
Imperator Rom. non tenetur Pont. Rom. præſtare juramentum fidelitatis 198. eorum ignaviâ crevit Pont. R. malitia 68. eſt Superintendens Paparum 69.
Imperium Romano Germanicum non eſt beneficium Pont. Rom. ſed ipſius Dei 161. ejus majeſtas reliqua omnia regna antecellit 190. jugum pontificium ſentit 201.
Indices expurgatorii ab Italis & Hiſpanis excogitati veritatis teſtificationem ſummoperè impediunt (37.)
Indignorum promotiones taxantur 36. 221. 252.
Indulgentiæ plenariæ à ſolo Chriſto proveniunt 102. papales impugnantur à Luthero 13. 157. à Keiſersbergero 271.
Inſabbatati quinam 89.
Innocentius III. P. R. ſubacto Rege excommunicat Proceres Angliæ 144.

Innocentius IV. P. R. pestis Angliæ 146. manè invenitur extinctus in lecto 151.
Innocentius VI. molestè fert decretum Caroli IV. Imp. de corrigendo Clero 200.
Innocentius VII. adhuc Cardinalis de schismate in Ecclesia tollendo cogitat sed factus P. R. à proposito sese vertit 237. in extollendis suis valdè occupatus 215.
Innocentius VIII. P. R. ad palinodiam cogit Professorem quendam Viennensem 260.
Invectiva Piccolominæi in Paulum II. P. R. 26.
Investitura Episcoporum ad jura regalia pertinet 122. 167. ejus jus Pont. Rom. injusto titulo possidet 125.
Joachimi Abbatis Florensis scripta varia reservantur in Bibliotheca Augustana 39. ejus vaticinia 40.
Johannes X. P. R. decreta Formosi approbat & Stephani VI. improbat 24.
Johannes XII. P. R. adulter deponitur 199.
Johannes XV. P. R. à Galliæ Episcopis pro Antichristo declaratur 86.
Johannes XXII. P. R. à Franciscanis promulgatur hæreticus 56. ejus error de cœcitate animarum separatarum impugnatur 105. 159.
Johannes XXIV. P. R. à Concilio Constantiensi ob varia scelera deponitur 215.
Johannes Episcopus Chiemensis, citat hinc inde Brigittæ revelationes 168. Onus Ecclesiæ conscripsit 217.
Johannes Episcopus Constantinopolitanus ambit axioma Episcopi Universalis seu Oecumenici, 18. cui sese opponunt Pelagius, ejusque successor Gregorius M. ibid.
Johannes Rex Angliæ, subjicit se Pont. R. reclamantibus Angliæ Proceribus 144. regnumq; Papæ facit tributarium 145.
Irenæi testimonium de Ecclesiis primitivis in Germania laudatur (25.)
Irreverentiæ, quæ Christo Romæ exhibetur, descriptio 51.
Italorum mores scelerati deteguntur 249.
Judicium Transmarinum improbatur à Concilio Carthaginensi VI. & Milevitano 10. 11.
Julius II. P. R. excommunicat Ludov. XII. Galliæ Regem 82.
Julius P. R. morti vicinus magis solicitus de Patrimonio Petri conservando quàm Clero emendando 179.
Juramentum fidelitatis à subditis Principi suo præstitum non potest solvi à Pont. R. 208.
Jurisdictionis spiritualis abusus notatur & abrogatur 95.
Jus Civile in Anglia primùm profiteri cæptum 129.
Jus Canonicum quid & à quibus excogitatum 65. ejus vanitates notantur 15. pervertitur à Canonistis 28.
Justificatio nostra coram Deo in solius Dei gratia & misericordia consistit 147. 259.
Justitia regnorum conservatrix exulat 247.

K.

Johannes Kaltenmacher, eò, quòd Concilium supra Papam esse docuerit, palinodiam canere cogitur 260.
Thomas de Kempis justificationem coram Deo in solius Dei misericordia & Christi merito quærit 259.

L.

Lactantius, Christianorum Cicero, Crispi, Constantini filii Præceptor 9.
Leopoldi I. Imp. Capitulatio citatur 203.
Leo X. auri sitientissimus & indulgentiarum hactenus inauditarum præco 256. D. Luthero ansam præbuit reprehendendi intolerabilem earum abusum 259. ejus magnificentia & animus verè regius notatur (3.)
Lex manumortua quæ 139.
Legati sedis Apostolicæ quales? 58. in quolibet regno *perpetuus*, quisnam? 128.
Liberius Papa erravit in fide 35. auxilo Constantis Imper. sedem Rom. occupavit 184.
Liber æterni Evangelii 101. & Parisiensium de hoc libro judicium *ibid.*
Liber Mag. Parisiensium de periculis novissimorum temporum laudatur 101.
Liber ab igne incolumis 75.
Libri in sermonem gallicum translati comburantur 93.
Linguæ Hebr. & Græcæ præstantia, necessitas & utilitas (21)
Lingua Latina olim apud Germanos non adeò omnibus cognita fuit 248.

Lis prærogativam concernens inter Episcopum Mediolanensem, Ravennatensem & inter Rom. oborta 22.
Literæ Carthag. Synodi VI. ad Cælestinum P. R. de excommunicatis in communionem non recipiendis 11.
Literæ Diaboli ad Episcopum negligentem 39.
Literatorum & Literarum sub nomine *Grammatici* miseria & contemtus describitur 128. 221.
Livonia primùm ad Christum conversa (30) Livonorum erga puriorem doctrinam amor & zelus (32) à Sigismundo Augusto ipsi de exercitio Augustanæ Confessionis cautum *ibid.* in ea Poloni Moscique cursum Evangelii multoties tardare conati sunt sed successu irrito (34)
Ignatius Loiola à Pont. R. canonisatus (15)
Lollardi quinam 163. 164.
Longobardorum autoritate vilescente crevit P. Rom. potestas 74.
Luciferi titulus 66.
Ludovicus Bavarus, Imp. contumeliosè à Pont. R. tractatus, defenditur à Marsilio Ficino 65.
Ludovicus XII. Rex Galliæ desiderat Concilium ad reformandū Clerum 82. excommunicatus à Julio II. absolvitur à Concilio Pisano *ibid.*
Luitpoldus Archiep. Moguntinus, jura sua contra Pont. R. ejusque Legatum in Conventu Wormatiensi masculè tuetur 206.
Lupanaria tempore *Peregrini* frequentius visebantur, quàm templa 38. Romæ & in aliis Italiæ urbibus liberè permittuntur 83.
Lupercalia Romanorum 70.
Martini Lutheri zelus in evellendo Papatu hodiè maximam partem evanuit (24) ob id, quòd Monialem duxerit, multa expertus scommata (28) omnium Indulgentiarum valorem annihilavit 257.
Luxuria, Diaboli filia, Sacerdotibus desponsata 219. nulli tamen hominum nupsit, sed omnibus sese prostituit 38.

M.

Majorum erga religionem amor & studium evanuit 35.
Oliverii Malardi elogium 127.
Marlinelot, Decani Monasteriensis judicium de Novatoribus (25)
Malorum in Ecclesia vergentium causa 234 284.
Manuale Curatorum explosis propriis operibus in sola virtute & efficacia passionis Christi salutem æternam ponit 147.
B. Mariæ cultus, ejusque picturæ variæ (13)
Margarethæ Austriacæ responsum Theologis Lovaniensibus de Luthero indocto datum laudatur (26)
Martiani Imp. sententia laudatur 112.
Martius, Marci filius, à Numa constituitur Pontifex Maximus 70.
Matrimonium prævalet cælibatui innumeris reditibus ditato 63.
Matthæus de Cracovia ex adulatione hominum scribit Pont. R. appellari Sponsum & caput Ecclesiæ 216.
Maximilianus I. Imp. Abbati ad Curiam Rom. citato comparere interdicit 203. citationem P. R. extra limites Brabantiæ non agnoscit 204.
Maximini Senioris sententia laudatur (3)
Mercenarius qui 39.
Mediolanensis Ecclesiæ pugna olim cum Rom. de primatu citatur 22.
Mendicantium Monachorum fraudulentia 36. 72. 288. avaritia, opes immodicæ & ἀθεότης 50. 72. sunt falsi prædicatores 165. à prima humilitate aversi 152.
Michael de Causis infensissimus Hussi hostis 182.
Miracula Pontificiorum falsa & fictitia (17. 19.)
Missa non à Christo instituta 92. 97. sed à XIX. Papis consarta (10. 11.) 33. eam Sacerdotes non celebrant ex devotione sed ob lucrum 67. missam mali sacerdotis audire est Christum crucifigere 39. eâ abolitâ sacrificuli sunt lemures & larvæ (10.) ab asinis celebratur 286.
Monachus, homicida notorius à Pont. R. absolvitur & Episcopatui præficitur 175.
Monachus qui 37. præter habitum & tonsuram moderni nil habent commune cum prioribus 37. 113. regulis suis obliteratis rixas movent & aulis curiisque se ingerunt 36. 37. 50. in re amatoria sunt exercitatissimi (28.) plus studio Juris quàm Theologiæ invigilant 129. Griseis legatur avaritia, nigris verò luxuriâ 136. immodicas sibi conquirunt opes 72. magis officiales sunt fisci quàm Christi 138. sunt sacrilegi 158. rari in Choro 173. leges suas præ odio Vulcano consecrant 156. non innocentiâ vitæ sed pecuniæ quantitate æstimandi 230. perversè

vivunt 240. sub dolosæ sanctitatis imagine alios fallunt 243. sunt pejores Sacerdotibus secularibus *ibid.* inhonestas peragunt actiones 250. erigunt muros, sed negligunt mores 267. sunt hypocritæ, non Dei sed Diaboli opera perficiētes 269. aut Angeli aut Diaboli 285. tempore Bernhardi corruptis moribus præditi 88
Monachorum Bernensium historia 281.
Monachi Franciscani Johannem XXII. hæreseos accusant, 55.56.
Monachatus cadaver fœtidum 90. ejus conditio tempore Valentiniani & Valentis miserrima 14.
Monasteria felicia quæ 87. olim devotionis causâ erecta, hodiè sunt Veneris prostibula prædonum latibula, nō verò virtutis tabernacula 36.50.63.114. in quib⁹ stupra, adulteria & fornicationes frequentius patrantur quàm alibi 115. magnificè extruuntur, pietate interim neglectâ 152. in iis abominanda fœtuum homicidia perpetrantur 254. ex iis parentes extrahere possunt liberos suos 267. plena sunt nolarum fatuorum *ibid.*
Monarchia Papalis nec sancta, neque à Christo ullibi stabilita 94.
Moneta Gallica cum inscriptione: *Perdam Babylonem* 82.
Monialium vita impudica 36.
Morientes olim in solius Christi merito fiduciam ponere jubentur 146.147.
Mortuorum apud vivos apparitio est ludibriū 14.
Mutilatio S. cœnæ autoritate Concilii Constantiensis nititur (13)
Georgii Mylii testimonium de Rigensium erga puriorem doctrinam amore (31)

N.

Nicolaus I. P. R. πολυπραγμοσύνην & Monarchiam papalem improbat 19. Clericos tamen ad cælibatum obligat 209.
Novella 127. & 126. mendosè ex vitio typothetæ à Flacio citata corrigitur 14.
Novitatis in doctrina accusatio ab Ecclesia Lutherana est alienissima (24.25.)
Numa, Martium, Marci filium creat Pontificem Maximum 70.
Nuptiæ Diaboli cum concupiscentia 38.

O.

Guilielmus Occam Ludovici Imper. defensor à Pont. R. excommunicatur 162. ejus elogium *ibid.* gravissimè in Clementem VI. invehit, eique Antichristi & hæretici notam inurit *ibid.* Sacra prophanis, orthodoxis ethnica cœcâ præsumptione commiscet 255. Philosophorum placita majoris æstimans aureis Spiritus S. testimoniis 256.
Opera nostra nil faciunt ad consequendam vitam æternam 147.148.159.
Orariorum notatur vanitas 268. multi in manibus gestant oraria, in corde verò Diabolū 269
Ordines varii militum Religiosorum in Hispania 77. à voto perpetuæ castitatis liberātur 78.
Orthodoxi Pontificiis audiunt Novatores (24)
Ottonis Magni Imp. elogium 198. schisma in sede Rom. ortum sustulit 197.
Ottonum Imp. curâ & diligentiâ Pont. R. malitia coercita 68.
Otto, Constantiensis Episcopus à Gregorio VII. excommunicatur ob negatam decreti de cælibatu Cleric. executionem 211.

P.

Marcelli Palingenii judicium de rebus à Pont. Rom. gestis (27)
Pallium Episcopale quid 21. venditur ingenti auri argentique summa atque multis traditur ceremoniis 20.21.256. de eo redimendo conquesti præsules Moguntini 20.208.
Papatûs substantiæ non repugnat vivere in matrimonio 81.
Papa Rom. non est infallibilis (4) 35. errare potest 108.267 à Populo olim est electus 39. in ordinem redigendus 28. canonibus S. Patrum nova addit decreta 15. lanam & linum vendit 21. à vestigiis Patrum & Conciliorum discedit 24. dominatur, cùm servire debeat 161. emungit pecunias in subversionem Ecclesiæ 100 nō est supra Concilium 102.110 seq. à Concilio Universali potest deponi 112.113. Princeps Babylonis 48. filius iniquitatis 133. impudenter sibi potestatem summam arrogat 161.280. est Antichristus 69.151.161.164. non solum vult dici Deus sed etiam credi 161. ubique uncos affectatæ suæ potestatis injicit 167. electionem Episcoporum sibi tribuit 167. à maligno Spiritu patitur se duci 172. pejor Lucifero, injustior Pilato &c. 173. flexis genibus, ut Deus, vult adorari 181. Concordata Principum contemni 202.203. plus solicitus de profanis & flocci ritib⁹, quā de doctrinæ Christi puritate 204. primā vice nō audet Sacerdotibus Germ. adimere

aliquod jus condere in præjudicium maioris juris 229. non competit ei ius gladii temporalis *ibid.* à fide est Apostata 234. à religione cultu Div. & pietate Maiorum longissimè recedit 263. jura investiendi Episcopos & Abbates iniusto titulo possidet 265. seqq. omnia venalia habet 287. ex communicationibus suis omnes Reges sibi subiugat 64. 66. 74. agit contra decreta Concilii Chalcedon. & Patrum 81. pedes deosculandos aliis præbet 71. non est Dominus Episcoporũ, sed unus ex illis 87. Regnũ Galliæ Annatis suis exhausit 100. 54. eius potestas merè humana, non divina 4. 104. de eius iniquitate conqueruntur Reges Galliȩ 81. seqq. eius sententia potest rescindi per Concilium 111. in eius electione præ omnibus pietatis habenda est ratio 29. eius munus est crucem Christi egeni gerere nõ imperaret 161. eius maiestas magis stultitiâ & simplicitate Regum Christianorum, quam religione & vitæ sanctitate confirmatur 179. eius ambitio sub nomine Hominis graphicè descripta 202. eam esse pseudopontificem 40. à nemine posse iudicari falsum 85. eo Ecclesia in perpetuum carere potest 100.
Papæ Rom. sunt indurati, ut cor Pharaonis 40. sunt adulteri, sodomitæ, simoniaci, Cæsaricidæ (6) eorum status quis 42. eorum unica cura in comparandis pecuniis 175. eorum successio valde est intricata 220. cura pastoralis, non Monarchica dictatura ipsis competit 86. olim paupertas & continentia eos commendabat 174.
Paschalis, Episcopus Curiensis, uxoratus 262.
Passio *Iesu Christi* unicum & solitarium vitæ æternæ consequendæ medium 147.
Paschalis II. pro Antichristo habitus 69.
Patrum primitivæ Ecclesiæ apud Pontificios exigua est reverentia (9)
Paulus Gentium Doctor reprehendit Petrum 111.
Paulus II. P. R. à Jacobo Piccolominæo multorum criminum reus dicitur 30. eius cum Collegio Cardinalium concertationes *ibid.*
Petrus Payne mittitur à Bohemis ad Conc. Basil. 190. arbiter constituitur inter Calixtinos & Thaboritas 192.
Peccatorum exuperantia notatur 151.
Nicetas Pectoratus à Leone IX. in numerũ Cardinalium relatus 15.
Pecuniarum extorsiones à P. R. factæ sunt contra Patrum decreta 82.
Pedum osculatio ab Ethnicis inventa in Ecclesiam à P. R. introducta 71.
Alvari Pelagii elogium 78.
Peregrinus non re, sed nomine saltem peregrinus 38.
Peregrinationes devotionis ergo susceptæ nullum habent usum 218.
Petrus, Apostolus, utut caput esse Ecclesiæ, quid hoc ad Pont. R. 2. non habuit primatum in Ecclesia, nec Ecclesiæ Universalis unquam fuit Episcopus 3. est Christi Vicarius pro statu humilitatis, non pro statu gloriæ & maiestatis 111. aliena non invasit, sicuti, eius si Diis placet successores 28. semel curiam ingressus ter Christum abnegavit 37. 101. reprehenditur à Paulo 111. eius patrimoniũ quodnam 289. eum fuisse Romæ & ibi sedem Pontificalem erexisse à Pontificiis nec apodictice nec probabiliter probatur 2. 3.
Francisci Petrarchæ elogium eiusque invectiva in P. Rom. 51. seqq.
Petri, presbyteri Frecensis, elogium 93. plura scripsit, quam legit 94.
Pharisæi quinam 240.
Jacobi Piccolominei elogium 29. eiusque Invectiva in Paulum P. R. 30.
Picardi quinam 194.
Picturæ Missificos obumbrantes 286.
Pietate neglectâ interim magnificè extruuntur templa & monasteria 152.
Pius II. R. P. vide Æneas Sylvius.
Platinæ opera & solicitudo in describenda Pont. Rom. vita 68.
Plegius quid apud Anglos 133.
Piscium usus libidinem excidat (18)
Johannis Pistorii Apostatæ, sesquipedalis titulus (23)
Poenitentia agenda in hoc vita 50.
Poloni restitutionem Calicis in S. coena postulant 167.
Polycarpus ab ipso Johanne Apostolo Ecclesiæ Smyrnensis Episcopus constitutus 6.
Polypragmosyne Ecclesiasticorum 37.
Pontificatus ex D. Bernhardi sententia non est magisterium sed ministerium 86. ad eum pervenire exigua apud plerosque est cura 29. eius obstetrix est Phocas Tyrannus (9)
Pontifex Rom. vestigia Christi sequatur 63. 67. multa iura usurpat, quæ ipsi nõ conveniunt 86.

eius poteſtatis in crementum (2) eius maieſtas & autoritas unde 70. 74. eius primus & ſecundus ambitionis gradus 22. eius ſententia in rebus fidei non eſt expectanda 85 eius ambitio 81. eſt infra Imperatorem 65. curiam ſuam reformare non poteſt, multo minus Eccleſiam tam latè diffuſam 59. ipſi non omne, quod liber, licet. 28.

Pontifices Rom. ſunt Apotactici & Apoſtatici (5) vix grammatices gnari (21) tres uno tempore ſimul fuêre 2;5. de ſucceſſione ſua incertiſſimi 3.220. ſunt Pilati, non Patres ſed latrones 40. aſini ſtolidi 49. eorum electio eſt penes Imper. Rom. 69. in definienda ſententia Janſenii diſſenſus notatur (7) iis cura ſolummodo eſt animarum 86. cur ſervi ſervorum volunt dici 8.

Pontificii ignorant linguas cardinales (21) ſunt veritatis oſores 209 dogmata ſua nec ex S. Scriptura nec ex Patribus poſſunt tutari 210. regni eorum ruina carmine deſcripta & prædicta 282. eorum ſacra & ritus maximam partem ſunt ethnica 16. 70.

Poteſtas papalis non eſt à Deo 98. triplicem ſubit faciem (3)

Poteſtas ſecularis, & Eccceſiaſtica in unam perſonam non Coeunt 19.

Præbendarum multitudo magis obeſt quàm prodeſt 39.

Prælati non ſunt Chriſti miniſtri 85. non prodeſſe ſed præeſſe volunt 162. 231. dominantur in Clero 233. principum Curias incolunt 36. paraſiticam agunt vitam 35. eorum abſentia utilior Eccleſis quàm præſentia 38. eorum præcipua cura 36. 38. eorum vitia, avaritia Simonia & ſuperbia 57. 58. 67. 84. 125. bona temporalia auferenda 115. apud eos omnia ſunt venalia 58.

Præſulatus vi obtinentur & donariis 36.

Prætextati Rom. Præfecti iocus de Epiſcopatu Rom. 17.

Precum vanitas notatur 268. earum in latina lingua recitationis cauſa (18) modus apud Gothos 76.

Presbyteri ab aliis Eccleſiis excommunicati non ſunt alibi recipiendi 11. eorum vita ſcelerata rhythmis deſcripta 44. nullam animarum habent curam 49.

Principes non religionis ſed divitiarum ergò filios ſuos in beneficia eccleſiaſtica & monaſteria trudunt 218.

Principia fidei argumentis cogentibus non ſuadentibus probari debent 3.

Proceſſiones ab Ethnicis inventæ 73.

Purgatorium figmentum cerebri non bene purgati (17) de eo ipſi diſſentiunt *ibid.*

R.

Radolphus Ardens, Vir ſeculi ſui doctiſſimus, ignoratur 84

Ranchinus de Papæ dominatione, luxu & aliis egregiè differit 22

Ravennatenſis Eccleſia de primatu cum Eccleſia Rom. certat 22. Synodus ibi habita Stephani VI. acta condemnat 23

Reformatio Eccleſiæ ſummè neceſſaria eſt 59. 105

Reformationes palliativæ 27

Religio VValdenſium antiquior VValdo 89. articulis XVII. comprehenditur 90

Religioſi nil religionis præter nudum titulum hodie poſſident 37. ſub regula paupertatis facti ſunt delicati 39. eorum vita corrupta 56. hypocriſis & philautia 38. 39. confeſſiones hypocriticæ 78. ſtudium diteſcendi 34. 87. & contentiones notantur 38.

Religionis & pietatis tantus eſt tepor, ut vix illorum ullibi ſit veſtigium 35. 28. 115.

Reliquiarum veneratio VI. ſeculo cepit (16.) Clericorum avaritiæ aptiſſima 72. & inventum Diabolicum 90.

Revelationes jactatæ non niſi impoſituræ (17.)

Rex qui 107. ſubeſt legibus & illis ſpretis poteſt deponi 147.

Thomas Rhedonius, Sacerdotibus, ſi continere non poſſint, matrimonium ſuadet 55. comburitur *ibid.*

Rhythmi de vitiis religioſorum & aliis mundi corruptelis 41. 44. 45. 48. 158.

Richardi I. Regis Angliæ querela de ſcelerata Clericorum vita 135. ejus legatum Monachis deſtinatum *ibid.*

Richardi, Archiepiſcopi Armacani, invectiva in mendicantes 155.

Richardus, Archiepiſc. Cantuarienſis, queritur de Clericorum & Epiſcoporum vita mala 150. Papæ R. mandatis non obtemperat 151.

Riga à Moſcis graviter obſeſta, non expugnata (35) ejus erga puriorem doctrinam amor (31)

Roderici, Epiſcopi Zamorenſis, elogium & querela de moribus Clericorum 34.

Ro-

Roma, cur dicatur caput mundi 20. nova Babylon & Meretrix, quæ sedet super aquas 39. olim Roma, nunc impia Babylonia 52.54. ibi integritati & doctrinæ nullius ferè locus 179. ibi omnia venatia 20.51.281. regnabant cum Innocentiis Albini & Rufini 145. est errorum schola & hæresium templum 54, superbiæ domicilium 55. caput scelerum 47. flagitiorum 217. spoliorum orbis 201.

Romani juramento sese obligant, quod absque præscitũ Imper. non velint eligere Pont. R. 69. eorum vituperium, impuritatis vitium 83.

Antonius de Rosellis scripsit V. libros de Monarchia Papali & Cæsarea 65.

Johannes de Rupescissa vaticinatur de duobus Antichristis & de Ecclesiæ conculcatione 77.

S.

Sacerdotia præter virtutis & innocentiæ ornamenta indignis conferuntur 36.175. solicitudine Parentum filiis nondum natis expetuntur & impetrantur 252.

Sacerdotes in Hispania longa consuetudine in matrimonio vixêre 77. sic & in Germania 156.

Sacerdotes matrimonium ineant, si continere non possunt 55. propter concubinas exactiones patiuntur 36. scorta nutriunt 219. 221. litanias canunt & imagines Sanctorum portant 73. Scripturam S. falsificant 166. Sacrum corpus Domini vendunt 219, 288. non intelligunt Scripturã S. nec eam interpretantur 245. sed fabulas aniles 238. ubi primas desiderant 243. insidiosâ pietate rusticorum bonis insiant 7[illegible]. congerendæ pecuniæ præ omnibus student 175. sunt adulatores Antichristi 166. socii Judæ 219. nomine sacerdotes, conversatione asini 222. lupis similes 251. gratissimum omnium ipsis famula lasciva & succi plena 250. eorum mores mox rhythmis, mox satyris, mox aliis modis notantur 267. ob communionem sub utraque persequuntur 168.

Sacerdotum varii ritus, vestimenta & alia ab Ethnicis excogitata, deinde in ecclesiã invecta 74.

Sacramenta parvi æstimantur 57. pro pecunia quibusvis indifferentur distribuuntur 67. duo à Christo instituta 90. sine devotione accipiuntur 269.

Sacrificia pro defunctis usitata sunt ethnicæ originis 73.

Sanctitas vitæ & morum exulat 151.

Sancti sunt honorandi, non invocandi (14.) eorum varia apud Pontificios officia *ibid.* in Italia & Gallia eorum devotio & veneratio major quàm ipsius Dei (15.) eorum invocatio & idololatria 90.

Johannis Sarisburiensis elogium 148. ejus sermo de corrupto Ecclesiæ statum coram Adriano habitus 149.

Johannis Sarrazin pali nodiam canit 98, 99.

Thomas Sarzanensis, Nicolai de Cusa promotor 27.

Satanæ Epistola ad Ecclesiasticos 66.

Hieronymi Savanarolæ elogium & martyrũ 60.

Saxonum antiquorum in puniendo adulterio severitas 205.

Scandalum magnum ex remotione Clericorum uxoratorum obortum 156.

Schisma Græcorum 97. ob sedem Rom. varia (4) omnium maximum duravit XL. annos (4) 214, 284. Benedicti & Gregorii absumsit ultra XXX. millia hominum 143.

Johannes Scotus, unde *Scotistæ* nomen sortiti, magis Chrysippi, Platonis & Aristotelis placita citat quam SS. Christi Iesu & Apostolorum testimonia 255.

Scortatio gravissimè olim apud Saxonas punit[a] (205.

Scoti Papali favore freti opponunt se Eduardo Regi Angliæ 139.

Scribæ quinam 239.

Scriptura S. per se clara & perspicua 116. in linguam Anglicanam translata 163. ejus apud Pontificios contemtus (21.)

Sidonius Apollinaris, Episcopus uxoratus 83. ejus elogium 84.

Sigismundus Imp. salvum conductum Husso datum solvit 184. consistorium Pragense, quod sub utroque vocant, confirmat 189. edictum promulgat de corrigendo Clero 200.

Sigismundus Chanzar Episcopus Quinqueecclesiarum in bonis suis reliquit ducenta millia ducatorum 175.

Simonia Luciferi filia, Prælatis & aliis religiosis desponsata 41.47.48.57.59.68, 38. mediante auro toleratur 256.

Simplicis Episcopus uxorats 83.

Sodomia Clericorum taxatur 41.

Somnium viridarii quid 106.

Sorboanistarũ Parisiensium consilium de eligendo Patriarcha super Ecclesias gallicanas 102. 103.

Spirituales quinam iuxta stylum Rom. 239.

Stangæ Jesuitæ cruentum consilium (32)

Stephanus, Rex Angliæ, Archiep. Contuariensem excludit atq; quod interdicto eius posthabito ad Concilium Rhemense profectus fuerit, omnibus bonis exuit 127.
Stephani N P.R. crudelitas & acta 24.
Stigandus, Archiep. Cantuar. ab officio remotus 129. eius nequitia & avaritia notatur *ibid.*
Henrici Stromeri Invectiva in Monachos lectionem Bibliorum prohibentes (19) Superbia, Diaboli filia, sacerdotibus nuptui data 219.
Guilielmus svvindurbus & smyth, asseclæ Wiclephi 164. Symmachi querela de sublatâ Victoriæ arâ (5) Syncretismus cum Ecclesia Pontificia non est sperandus (23) Synodus Argentinensis 254. Bambergensis 27. Moguntina 212. Ravennatensis 25. Rhemensis 85. Spirensis 238. 251.
Synodi in Gallia autoritate Regum & Prælatorum absq; præscitu P.R. convocantur 96.
Syrpaxis Pontificiorum notatur (26. 27.) T.
Tabernæ smagis frequentari solitæ, quam templa 38.
Tepor fidei, pietatis & religionis 35.
Tertullianus, presbyter Carthaginēsis, uxoratus 6
Thaboritæ quinam 191. seqq.
Thebulis ob denegatam Infulam Episcopalem primus infecit hæresi Ecclesiam Hierosolymitanam 5.
Theoboldus, Archiep. Contuariensis invito Rege ad Concilium Rhemense profectus proscribitur 127.
Theodoricus, Abbas Romam citatus comparere nequit ob interdictū Maximil. I. Imp. 203. 204.
Theologia Christianorū pura quæ 116. Scholastica in perniciem Scripturæ S. excogitata (20) præfertur Scripturæ S. 289.
Templariis Rex Angliæ legat superbiam 135.
Templa felicia quæ 87. magnificè extruuntur pietate interim neglectâ 132. in iis magis auditur Tullius & Aristoteles quam Biblia 57.
Traditiones Pontificiæ non habent Christum autorem (10) 270.
Transmarina appellatio supervacanea 11.
Transsubstantiatio apud otiosos sine Scripturis S. nata (11)
Johannes Tritenheimius donationē Constantini admisit 20. de clericorū inscitia & incontinentia differit 221.
Nicolai Tudesci, siculi elogium 79.
Typhus fumosus in Ecclesiā nō est inducendus 12
V.
Vacantiæ modus colligendi nummos 36. 100.
Thomas de Valas publicè contra Iohannem P.R. disputat 105. Vandali laudantur 83.
Ubertini Monachi elogium 59.
Udalricus seu Ulricus, vide Huldericus
Verbum Dei in perversum sensum mutatur 57.
Vera dicere de Papa est contra juramentum Episcoporum 207. Polydorus Vergilius Octo scripsit libros de rerum inventoribus 70.
Vexilla festo Paschatos in templis suspensa ethnicismum sapiunt 73.
Vicarii in templis sedentes ignorant Scripturam 57. facti sunt socii Iudæ & præambuli Antichristi 157. eorum usus in Ecclesia nullus 267.
Virtus ubique exulat 23.
Visiones jactatæ nil nisi imposturæ (17.)
Iacobi de Voragine elogium 33.
Urbanus V. Sedem Pontificum Avenione reduxit Italiam 170. 171.
Urbanus VI. primum humilis, post tyrannus 215.
Inter Ursinum & Damasum cruenta de sede Rom. concertatio 17.
Thomas Uriæ miseriam Ecclesiæ deplorat 47 vixit tempore Sigismundi Imp. 48.
W.
Waldensium variæ appellationes 89. eorum religio antiquior Petro Waldo *ibid.* eorum Articuli, quibus à Rom. Ecclesia dissentiunt 90 92. in Synodo Narbonensi damnantur 90. eorum multitudo 91 92.
Walteri, Archiep. Rotomagensis colloquium ultimum cum Richardo I. Angl Rege 135.
Iohannes Wesselus gratias agit Deo, quòd nihil sciat præter Christum & eum crucifixum 257
Iohannes Wicleph, Biblia vertit in ling. Angl. 162. eius elogium *ibid.* non reformidat ignem 163. eius articuli contra Pont. Rom. 164. exilium patitur *ibid.* eius libri in lucem editi 16 in eius cineres anno XLI. post mortem sævitum 164.
Z.
Franciscus Zabarella queritur de celerata iur perversione & iniquæ Papalis potestatis exaltatione 28. optat Curiæ Romanæ reformationem *ibid.* Zacharias P.R. constitutionem fecit de volatilib. quibusdam, de leporum & quormu sylvatorum carne item de lardo non dum infumato aut cocto non edendo 20 monetur à Bonifacio de ritib. ethnicis Rom usitatis & de Episcoporum fornicationib. 2
Zanellus Legatus P.R. in Hispaniam 75.

FINIS.

SERENISSIMO DUCI FRANCISCO VENERIO, & inclyto ſenatui Reipublicæ Venetæ, æternam felicitatem precatur Matthias Flacius Illyricus.

SEMPER profectò ſingulari quodam favore ac amore, ſingularique benevolentia iſtam veſtram feliciſſimam, optimeque conſtitutam Rempub. præ cunctis aliis Imperiis Potentatibusque proſecutus ſum. Cujus mei animi ac Voluntatis erga vos non tantum conſcientiam meam, ſed & ipſum cordium cognitorem Deum, teſtem allegare poſſim. Id verò mihi accidit partim quidem, quòd ſub veſtro Imperio natus educatusque ſum; (juſtum enim, atque etiam à Deo ipſo mandatum eſt, ut noſtros ordinarios Magiſtratus, niſi nimium enormiter ad tyrannidem declinent, non tantum timeamus, ſed etiam ut parentes ex animo amemus, & honoremus:) partim verò, quòd veſtra gubernatio non parum mitior ac juſtior eſt, quam ullius alterius Regis, aut Dominii. Hinc ergo evenit, ut ſemper hactenus optaverim, occaſionem aliquam mihi dari, qua & voluntatem hanc meam erga vos declararem, & vos aliquo officiolo aut munuſculo honorarem. Id autem quum diu deliberans mecum quærerem, non aliud potui invenire, quod vel me magis deceret, vel vobis utilius eſſe poſſet, quàm quo vobis aliquam occaſionem darem, ad cla-

riorem tum veræ pietatis, tum & Antichristi, ejusque impietatum cognitionem perveniendi. Peropportunè igitur, ac planè divinitùs mihi in hac cura ac deliberatione versanti, sese hæc insignis Historia obtulit, *de certaminibus inter Romanos Pontifices & sacrosancta aliquot Concilia; de primatu seu tyrannide Paparum super omnes Christi ecclesias.* Nam cum hodie ob nimiam asperitatem, & impietatem Papalis tyrannidis, multi ea liberari cupiant, graviaque de ea re sint certamina, plerique præsertim politici sapientes, cupiunt scire, quid tandem Veteres de ea ipsa potestate senserint. Quare magna me eos non tantum voluptate, sed & utilitate affecturum confido, si hac brevi narratione, ex vetustis & authenticis monumentis demonstravero: *Primùm*, quàm nihil initio amplius à CHRISTO 300. annis Papa Romanus, præ aliis Episcopis, ut Eugubino, Ostiensi, & similibus, cum quibus eum divus Hieronymus confert & exæquat, potestatis habuerit. *Deinde*, quomodo eum Nicæna synodus cum Alexandrino & Antiocheno, aliarumq; Provinciarum Metropolitanis exæquaverit. *Tertiò*, cum Papæ subinde latius dominari, omnesque CHRISTI Ecclesias sibi subjicere nefariis planè artibus conarentur, quàm graviter ac constanter sint, præcipuè à sacrosancta *sexta Carthaginensi Synodo*, cui divus Augustinus, & alii plus quàm ducenti Episcopi interfuerunt, repulsi ac rejecti. *Quartò*, quomodo nihilominus Papæ in sua indefessa ambitione, & tyrannidis affectatione perrexerint, multisque frustra resistentibus, tandem ea tyrannide, quam nunc impiè ac crudeliter exercent, potiti sint. Hæc omnia si clarè ex authenticis monumentis ostensa à me in hac Historiola fuerint, cui quæso dubium porrò esse poterit, istum Antichristum nullo planè jure, nec humano, nec divino, sed mera violentia ac injuria, Christianitatem tam dura tyrannide hactenus pressisse, & adhuc premere; eoque summo jure, primo quoque tempore eam tollendam, abolendamque esse? Æneas Sylvius, seu Pius secundus Papa, disertè dicit; idque hisce ipsis verbis: *Ante Nicænam synodum unumquemque sibi vixisse, & parvum respectum ad Romanam Ecclesiam esse habitum.* (Epist. 301.) Si annis 300. à CHRISTI resurrectione Ecclesia CHRISTI nō solum esse, sed & florere, neglecto Romano Pontifice potuit;

potuit, (nam illis primis 300. annis Ecclesia planè floruit) quis dubitat, hoc tempore eam, neglecto, imò etiam repudiato isto Antichristo, florere posse? Quis item dubitat, istam Pontificiam tyrannidem à CHSISTO institutam non esse? Si enim CHRISTI mandato ac ordinatione ista Papalis authoritas instituta fuisset, profectò primitiva illa Ecclesia, in tanto flore pietatis ac eruditionis, eam non ignorasset, multò minus neglexisset. Nec tamen tantum Pius iste secundus hoc testatur, sed & omnes vetustissimi Scriptores idẽ satis indicant. Cyprianus certè, qui & ipse Episcopus fuit, quoties ad Romanos Episcopos, aut alioqui de eis scribit, ita loquitur, ut in nullo eos suos Dominos aut Superiores agnoscere videatur: Appellat eos suos *Consacerdotes, Cöepiscopos, Fratres & Collegas.* Hinc igitur, & multò magis ex ipsa Historia, poterit Amplitudo vestra, Eximii ac Prudentissimi Domini, cognoscere, quàm plane nullo divino jure Papa Romanus cæteris Christianis imperet. Nam taceo jam plurimas ejus planè horribiles idolomanias. Quæ cum ita se habeant, meritò etiam impientissimum istum Tyrannum de vestris ac subditorum vestrorum cervicibus excutietis, ejus abominationes abolebitis, veramque ac sinceram CHRISTI pietatem, ex ipsius sacrosanctis Evangeliorum fontibus haustam, instaurabitis. Multa autem sunt, quæ Vos ad hoc hortantur, præter illud severissimum Dei mandatum, quod idololatriam fugere jubet: item detestari ac anathematizare omne aliud Evangelium, præter id, quod CHRISTUS ac Paulus docuit, severiter præcipit. Cogitate, quæso, tantum injurias, quas vel olim ab isto Tyranno perpessi estis; vel ne deinceps patiamini, si sub ejus tyrannide permanseritis, valde profectò verendum est. Nolo jam prolixè commemorare istorum impurissimorum ac impientissimorum Tyrannorum injurias, erga vestram præclarissimam Rempublicam, cum sæpè temerè, sine ulla justa causa, vel bella tristissima aut ipsi contra Vos moverunt, aut ut alii moverent, incitarunt, frigidamque suffuderunt, vel etiam Vos, unà cum omnibus vestris fidis subditis, excommunicaverunt, ne videar malorum vestrorum commemoratione delectari. Liceat mihi, quæso, jam solum illud teterrimum immanissimumque istius

lib 7. Ennead 9. circa finem.

Babyloniæ Meretricis facinus recensere, quod Sabellicus recitat, qui scribit: *Quòd cum sine omni justa causa Papa vestram urbem, omnesque subditos vestros, quia in fide permanebant, ita excommunicasset, ut pium, maximique apud Deum meriti esse affirmaret, si quis Vos jugularet, vestraque omnia raperet: & Vos tandem pacis ac pietatis studio per vestrum Legatum, qui postea Dux fuit, pacem & absolutionem ab eo peteretis, non prius eam Vobis concedere voluerit, quàm Ducem vestrum coëgisse* (proh nefas!) *cum canibus, catena vinctum, sub mensa, se epulante, ossa rodere.* Quod non minus horribile atque abominandum est, quàm cum *Friderico Imperatori cervicem pedibus conculcaret.* Ubi quæso tandem à CHRISTO, aut beato Petro, nefarius iste Antichristus, quorum se *Successorem & Vicarium* jactitat, tale mandatum accepit? Non CHRISTI Vicarii, imò ne Christiani quidem hominis id factum fuit, (nam CHRISTUS, & ejus Apostoli, omnem animam Magistratibus politicis parere severiter mandant, Apostolosque suos imperare prohibent) sed Antichristi potius de quo scriptum est in sacris literis, quòd Potestates, id est, Magistratus conculcabit, & contemnet. Detestandum profectò est, quod postremis hisce temporibus adeò iste Antichristus tyrannidem suam super omnes Christianos aggravaverit & exasperavarit, ut non solum omnium Dominorum, Regnorumque mundi sese Dominum jactet, totiusque mundi opes ad se per fas ac nefas rapiat; sed etiam eam potestatem in animas nostras, quæ CHRITI preciosissimo sanguine redemptæ sunt, sibi vendicet: ut planè diabolica impudentia dist. 40. propalàm asserere ausit, *neminem sibi contradicere debere, etiamsi infinitas animas ad inferos secum in æternum cruciatum manifestè traheret.* Si ipse Lucifer, Diabolorum & inferni Princeps in hanc hominum lucem prodiret, legemque aliquam publicè pro augendo suo imperio condere vellet, quàm quæso tandem aliam, quàm hanc ipsam, humano generi proponeret, quam ejus Vicarius, Romanus Antichristus, toti Ecclesiæ Dei servandam, adorandamque proposuit? Quare *Serenissime Dux*, Amplissimi ac Prudendissimi Senatores, cogitate per CHRISTUM, obsecro aliquando tandem, de excutiendo istius

An-

Antichristi jugo à cervicibus vestris, vestrorumque subditorum: cogitate de abolendis ejus horribilibus idolomaniis, instauranda vera pietate Dei, & inprimis de reprimenda ejus satellitum immani grassatione ac persecutione, qua passim per vestras terras, in vestros, ob veram ac puram CHRISTI religionem sæviunt ac furunt. Tristis illa vexatio optimorum Virorum, vestrorumque fidorum subditorum, quæ ante aliquot annos Justinopoli facta est, scripto publico toti orbi terrarum testata prodiit. Videte ipsi, ac perpendite, quàm talis insontium Christianorum laniena vestram clementiam lenitatemque deceat, & quàm Vobis honorifica sit. Atqui nihil absurdi, aut impii, aut novi docemus; quin potius nihil plane nostrum, aut novum docemus; sed tantum CHRISTI, ejusque Apostolorum auditores sumus, CHRISTIque dogmata, ex sacrosanctis ejus Evangeliis desumpta, sequimur & confitemur. *Communionem corporis & sanguinis CHRISTI sub discretis speciebus sumimus.* Sic enim filius Dei, Dominus JESUS, verus Deus, diserte eam & instituit, & præcepit. Sic & Paulus Corinthiis tradidit, sic & vetus Ecclesia diu in usu habuit: quorum utrumque etiam Constantiensis Synodus testatur. *Conjugium legitimum Sacerdotibus à Deo ordinatum, Ecclesiæ primitivæ usitatum, & à sacrosanctis Nicæno & sexto Conciliis comprobatum, ut tam tetræ infinitæque libidines vitentur, concedimus. CHRISTVM plane nihil in ultima sua Cœna de corpore & sanguine suo, præter communionem instituisse* (quod ipsius Domini & Pauli verba clare testantur) *credimus, & confitemur. CHRISTVM esse unicum mediatorem inter nos & Deum, præterea nullum, eumque æternam nobis redemptionem unico sacrificio invenisse, quam vera fide accipere debeamus, ex sacris literis discimus, & credimus. Solum dilectum Dei filium audiendum esse, & frustra nos Deum traditionibus & mandatis hominum colere, cœlesti omnipotentique illi Patri credimus.* Hæ sunt illæ nostræ horribiles hæreses, (sic enim Christi synceram veritatem Antichristus Romanus impuro ore blasphemat) propter quas Vos pati ab istis Romanis Sodomitis, vestros fidelissimos subditos lacerari & dilaniari, an Vobis vel honestum, vel utile sit, etiam

ad retinendum subjectorum favorem, quem hactenus egregium habuistis, Vos ipsi cogitate. Perpendite etiam Dei iram, quam Vos, si talem persecutionem vel approbetis, vel juvetis, Vobis cumulatis. Conscientia certè omnes eos convincit, qui Deum timentes, sacras literas nostramque religionem pernoverunt, nos nullum dogma, quod ex sacris literis desumptum non sit, habere, vel profiteri. Mementote, Vobis ante paucos annos divinitùs concionatorem constitutum *Franciscum Spiram*, qui quàm horribiliter vociferatus sit Patavii, & alibi, *se in æternum damnatum, propter illam nefariam abnegationem puræ CHRISTI veritatis, quam Citadellæ in patria fecerat*; ac quàm pertinaciter desperaverit, nemo fermè non novit. Nolite, quæso, putare, humanum aut fortuitum quiddam fuisse, tam horribilem desperationem. Non fuit humanum, Judam, post proditum mundi Salvatorē, præ nimio terrore ac desperatione laqueo semetipsum suspēdisse, sed ingenti ac ineffabili Dei ira eò compulsus fuit; tametsi Deus eum simul tā tristi exemplo, Pilato, Scribis, Pontificibus ac omnibus Judęis pœnitentiā prædicare voluit. Atqui Spira nō minus horribiliter, si nō etiā magis, quàm Judas ipse, desperavit: utpote qui tam diu tā horrendè sit vociferatus, neq; voluerit ulli consolationi locū dare, cum plurimi eūm sedulò consolarentur, & sine intermissione semetipsum interficere conatus sit. Omnes optaremus, sicut dives ille ad Abrahamum patrem vociferatur, aliquem ex inferno ad nos redire, nobisque indicare, quæ illic rerum ratio sit, ac propter quæ facta homines bene aut malè in altera vita habeant. Atqui Spiram viventem in inferni cruciatibus existere, omnibusque horribiliter concionari & vociferari, se propter abnegationem ac damnationem agniti Evangelii JESU CHRISTI ad æternum supplicium cum Diabolis adjudicatum, plurimi, præsertim Patavii, coràm audiverunt & viderunt. Nolite putare, illam tantam Dei iram tantùm ad ipsum pertinere: sicut Judæi dicebant ad Judam vociferantem, se justum sanguinem prodidisse, *TU VIDERIS*. Credite mihi, & ad Vos pertinet, qui fertis in vestris ditionibus, ubi CHRISTO portas aperire debuissetis, fidos subditos vestros, metu mortis & crudelium suppliciorum ad tam tetram ac impiam damna-

na-

nationem vocis doctrinæque filii Dei adigi. Neque verò Vos decipiat, aut à veritate ac pietate absterreat, quòd pii multa pro CHRISTO pati coguntur. Experientia enim ipsa nunc discere omnibus licet, afflictionem à domo Domini incipere, sed in impios ac persecutores demum redundare, & multo crudelius grassari. Quis dubitat, summos quosdam Monarchas, eo ipso bello, quo ante annos sex pios persecuti sunt, oppresseruntque, sibimet istam tristem foveam fecisse, in quam postea inciderunt? ac sibimetipsis illo bello præsentium calamitatum causas præbuisse, resque eorum longè in meliori statu futuras fuisse, si miseros CHRISTI confessores non oppressissent? Sed sic solent Sapientes mundi hujus, in suum proprium temporarium & æternum exitium ruere, dum conantur cum Judæis CHRISTUM persequendo, bella, & alias mundi hujus calamitates effugere. Deinde promisit CHRISTUS, se piis adfuturum in afflictionibus, eosq; defensurum & liberaturum. Postremò merces copiosissima promissa est omnibus, qui propter confessionem veritatis aliquid patiuntur. Ea profectò demum vera beatitudo & felicitas Civitatum & Imperiorum est, *habere veram & sinceram Evangelij doctrinam, juxta quam homines Deum verè agnoscere, invocare, & celebrare possunt, & in certa fide ac spe gratiæ Dei & vitæ æternæ placidè ex hac vita emigrare in cœlestem patriam.* Non igitur ulla pericula aut damna, quæ majora videntur, quàm revera sunt, Vos à tanta vestra vestrarumq; felicitate absterreant. Nam si Deus pro Vobis, quis contra Vos? præsertim cum in Esaia suavissimam consolationem proponat: *Ego feci, ego gestabo*, &c. seque planè dulcissimæ matris instar pios protegere ac fovere velle, tam sanctè ac largè polliceatur? Scio quidem, illud consilium valde efficax esse, quod & Pasquillus quidam cognomento Extaticus, & experientia ipsa testatur, Papam cum suo collegio iniisse, eam & esse vel unicam, vel certè præcipuam rationem sustentandæ suæ jam ruentis impietatis ac tyrannidis, ut semper plurimos ex amplissimis potentissimisque familiis, tum in Veneta Repub. tum & in aliis imperiis creet Cardinales, aut magnos Episcopos, eosque Ecclesiasticis bonis ditet. Fore enim, ut per illos singulos paucosque Cardinales

præ-

præcipuas ſenatorii ordinis familias ſibi addictas faventesque habeat,& per eas porrò totum Senatum publicumque regimen in ſua poteſtate detineat, & per Senatum demum omnes tanto dominio ſubjectos,tam multas terras,civitates,ac homines.

Graſsatur quidem hac ratione præcipuè nunc *Antichriſtus Romanus* per univerſum terrarum orbem , ut per aliquot paucorum hominum privatam cupiditatem,temporariaque commoda,publicam utilitatem integrarum provinciarum ac gentium impediat, & dum ipſe paucorum Judarum avaritiam ambitionemque explet,integra regna ſuæ tyrannidi,cupiditati ac impietati ſervire cogat. Sed ſi quenquam ei reſiſtere in hoc quidem mali genere,aut ęquum,aut poſſibile eſt,tum verò inprimis Veſtram Rempublicam , quæ adeò bene, cautè, prudenterque conſtituta eſt , ut multò minùs in ea, quàm in Romana olim,aut ulla alia,vel factionibus , vel ambitioni, vel ulli omnino privatæ cupiditati contra publicum bonum graſſanti locus eſse poſſit. Itaque moneo, hortor, atque obteſtor Vos per Dominum JESUM CHRISTUM , ac veſtram propriam ſalutem, nolite iſtam tam pulchram, tam florentem , tamq; celebrem Rempublicam, nolite etiam veſtras proprias animas, tanta Dei ira, ejus dilectum Filium non audiendo, ſed eum in ipſius membris tam duriter perſequendo, onerare. Aperite portas imperii veſtri Dei Filio, eumque ex animo amplectimini , & oſculamini,ne cùm ſubitò ira ejus exarſerit, veluti ollæ ferreo ſceptro confractæ atque comminutæ,miſerabiliter intereatis. *Beati certè omnes illi erunt , qui confidunt in eo.* Dominus JESUS , cui ſemel nomen in baptiſmo ſacroſancta obligatione dediſtis, cum & omnibus ejus adverſariis ſanctè renunciaſtis, vos in viam rectam reducat, & ab Ægyptiis Romani Pharaonis tenebris,ejusque ferrea tyrannide,Vos Clementer liberet: Amen. Magdeburgi, Calend. Martij, 1554.

HISTORIA DE PRIMATU PAPÆ.

SEXTA Carthaginenſis Synodus circa 420. Domini annum celebrata eſt. Fuerunt in ea congregati Epiſcopi numero 217, inter quos & ipſe divus Auguſtinus, Proſper, Oroſius, & multi alij præſtantes ac celebres Viri. Aurelius porrò Carthaginenſis Epiſcopus, præcipuus Africæ totius Metropolitanus, præſedit. Inſignis autem ac admodum utilis hiſtoria *de Papæ Imperio ſeu poteſtate*, ex ea Synodo, & aliis quibusdam vetuſtis ac authenticis monumentis colligi poteſt, quæ tamèn hactenus (quod ego ſciam) à nemine, ne ſummatim quidem comprehenſa ac expoſita eſt. Quare breviter eam, CHRISTO juvante, recitare tentabo, tametſi optandum profectò vehementer ſit, illam ab aliquo inſigni artifice & prolixè & luculenter conſcribi, atque illuſtrari. Actum enim eſt maxima contentione, vel etiam acerbitate, in hoc Concilio, integro quinquennio, *de primatu Papæ ſuper Africæ & aliarum exterarum provinciarum Eccleſias.* Sed in hac Synodo, tota cauſa tandem beneficio Dei feliciter deciſa eſt, quam ut ordine exponam, quædam paulò altius mihi repetenda ſunt.

Omnino (ut ex omnibus Romanorum Pontificum actionibus & ſcriptis apparet) cupidi jam inde ab initio Papæ fuerunt, potentiam ſeu tyrannidem ſuam quam latiſſimè ſuper Eccleſias extendendi. Juvabat, credo, eos, ſicut ipſam urbem Romam, ipſumque Imperatorem orbi terrarum politicè imperare videbant, ita & omnes Dei Eccleſias ſub ſuo jugo ac imperio ſervientes cernere, & conſuetudine ipſa mundi ita ferente, plerumque majorum civitatum Epiſcopi in majori veneratione habebantur, Metropolitanique vocabantur. Videmus ſanè quotidie, quantopere non tantum Magiſtratus, ſed & incolæ magnarum ac potentium urbium, alios minorum oppidorum cives præ ſe contemnant. Inflabat eos forte & ipſa opinio, rumorque hominum vel verus, vel falſus, quod ibi Paulus ac Petrus ſummi Apoſtoli docuiſſent, quodque ea Eccleſia ſinceriorem doctrinam cæteris ex ipſis fontibus hauſiſſet. Ideoque putabant Papæ, ſe etiam Petri ac Pauli autho-

ritatem & nomen habere debere, & in eadem cum ipsis apud omnes Ecclesias Dei veneratione esse: sicut & adhuc semper se *Apostolos & Apostolicos* vocitant. Quanta certamina divo Paulo cum hujusmodi Petrinis discipulis, de sui Præceptoris nomine tumentibus ac gloriantibus, fuerint, notissimum ex ejus epistolis est. Nusquam enim non rixari cum eis cogitur, & contendit se nullam superioritatem seu primatum Petri agnoscere.

Hoc igitur nefario dominandi studio incitati Episcopi Romani jam inde ab initio, subinde aliquid egerunt, aut saltem moliti sunt, quod ad eorum potentiam augendam facturum videretur; quæ utinam omnia Historiis fideliter comprehensa fuissent. Multa tamen certè ejusmodi accidisse, facile ex iis, quæ notata ab Historicis sunt, quæque ex eorum propriis decretis conjiciuntur, animadverti potest. Taceo enim contentiones Paparum in ipsa electione, ubi sæpè etiam armis inter sese competitores certarunt. Certè sic *Anicetus* divum Polycarpum, virum præclarissimum, cogere voluit, ad recipiendam suam observationem Paschæ, & aliorum quorundam rituum; licet frustra, cum ille ei cedere ac subjici, eumque superiorem agnoscere nollet. Sic postea *Victor* Polycratem, & omnes Asiaticas Ecclesias, adjuncta etiam excommunicatione, ad easdem nugas compellere voluit; sed ab Irenæo, aliisque occidentalibus Episcopis increpitus, à proposito vel invitus desistere coactus est. Eandem ambitionem ipsorum & multæ eorum Epistolæ testantur; tametsi non paucas fictas esse, in Clemente nostri Catalogi ostenderimus, & in fine hujus scripti etiam ostensuri simus. Sed impudentissimæ Paparum gloriationis, audi Lector, unicum jam tantum exemplum. Ad *Innocentium* I. miserat Synodus Milevitana & Carthaginensis, sua decreta contra Pelagianos; sicut & ad alios, præsertim primarum sedium Episcopos, petens ab eis subscriptiones & executiones. Ibi ille modestissimus Nocentius, in responsione usque ad impudentiam, dignitatem potentiamque suæ sedis pestilentiæ deprædicat: *Rectè eos facere*, inquiens, *quòd ad se ea decreta mittant; nam nulla Ecclesiastica negotia, quæ etiam in remotissimis provinciis aguntur, prius finiri debere, quàm Romam ad sanctissimam sedem examinanda & confirmanda mitterentur.* Atqui non hoc consilio, bone Nocenti, ad te miserant illi sua decreta, ut ex tua authoritate, nutu ac confirmatione ea pendere vellent; sed quæ concluserant, ea etiam abs te observari volebant, ut ex ipsorum Epistolis apparet. Et cur tu temetipsum deprædicas & celebras, tibique ipsi tibicinem agis? Alienum te os, ut Sapiens inquit, prædicet, non tuum. Causa in promptu est, quia inanis gloriæ, ampliandæque tuæ tyrannidis cupidus eras, & talem prædicationem tuæ Majestatis illi Patres in Synodis existentes, suis epistolis inserere contra tua vota obliti fuerant. Omnino omnes epistolæ vetustiores ab aliis Episcopis ad Romanos scriptæ, aut prorsus nihil de Papæ imperio, aut certè tenuiter dicunt, exceptis perpaucis; sed Papales responsiones contrà, potissimum in suæ tyrannidis deprædicatione occupantur.

Li-

Licet verò tantis furiis Romani Pontifices agitarentur, ſeduloque ſuum *Plus ultrà* quærerent; tamen uſque ad Nicænum Concilium, nempe uſque ad annum Domini 340. nihil admodum efficere potuerunt, nullaque eximia eorum authoritas in Eccleſia fuit, quod (ut jam brevitatis ſtudio alia teſtimonia taceam) diſertè Pius ſecundus, ſeu Æneas Sylvius, teſtatur, inquiens: *Ante Nicænam ſynodum unusquisque ſibi vivebat, & parvus reſpectus ad Romanam Eccleſiam habebatur.* Epiſt. 301. Verùm in ea Synodo conſtitutum eſt, ut ſingularum provinciarum una aliqua Eccleſia, & unus aliquis Epiſcopus primus ac ſupremus haberetur, qui & *Metropolitanus* vocaretur, quo commodius omnia adminiſtrari poſſent. Quare factus eſt Romanus Epiſcopus primas ſuburbanarum ſeu circumjacentium Eccleſiarum, Carthaginenſis Africanarum, Alexandrinus Ægyptiarum, Antiochenus Syriacarum, Conſtantinopolitanus Græcarum, &c. Non præfert ſanè ea Synodus, aut honeſtius appellat, ne unica quidem literula, Romanum Epiſcopum Alexandrino, aut Antiocheno, aut aliis Metropolitanis. Hic fuit primus gradus Epiſcopo Romano ad altiora (quod dudum ex animo concupiverat) aſcendendi. Hac verò ille qualicunque occaſione non ſegniter uſus eſt; ſed ſtatim Italicas, præſertim Romæ vicinas Eccleſias, ſuo imperio ſubjecit. Poſtea etiam ulterius limites imperii ſui propagare ſummo ſtudio inſtitit; de quibus ſingulis nimis longum eſſet dicere.

Cæterùm hoc Concilium, de quo jam agimus, circiter 80. annis poſt Nicænum eſt celebratum. Præſedit in eo (ut dictum eſt) Aurelius Archiepiſcopus Carthaginenſis, Vir & illis ſanctis Patribus, & ipſis etiam Papis, ut ex eorum Epiſtolis apparet, reverendus. In eo *tres Papæ* ordine ſummo ſtudio id egerunt, cum ſanctis illis Patribus, ut ſibi jurisdictionem in Africanas & alias exteras Eccleſias concederent. Occaſio autem ea erat eis oblata, quòd quidam Africanus ſacerdos nomine Apiarius, Presbyter eccleſiæ Siccenſis, *homo* (ut ei illa ſancta Synodus teſtimonium præbet) *infinitis ſceleribus contaminatiſſimus*, à ſuo Epiſcopo, & etiam ipſa Synodo excommunicatus, ad Papam Romanum, omnium facinoroſorum perpetuum aſylum, confugerat, à quo ſtatim in communionem, ſine aliqua diligentiori examinatione, tanquam innocens receptus, & à ſua accuſatione abſolutus eſt: nec tantum ipſe Papa eum recepit, ſed & ab Africanis eum in communionem recipi præcepit.

Cogitans verò bonus Papa *Zozimus* (nam is tum imperabat) ſe ea occaſione aliquid eximium ad ſtabiliendam ſuam jam diu optatam & tentatam Monarchiam gerere poſſe, miſit ad Synodum Africanam Legatos à latere, quendam nomine Fauſtinum, Epiſcopum Potentinum, præſentibus (ut ex factis ejus apparet) Curtiſanis, probitate, ſapientia, & modeſtia haud ita multum abſimilem: & duos Romanæ eccleſiæ Presbyteros, nomine Philippum & Aſelum, eisque in mandatis tradidit, *ut* ſupra dictum *Apiarium curent, tanquam bonum ac innocentem virum, in communionem quamprimùm à tota Synodo recipi: & ſimul agant cum Synodo, ut Epiſcopis & Sacerdotibus liceat à ſententia ſuorum Metropolitanorum, aut etiam Sy-*

nodi, Romam ad suam Sanctitatem appellare, sibique etiam Legatos à latere in Africam mittere, qui causas appellantium ad sedem Apostolicam ibi cognoscant; vel (ut summatim dicam) *jurisdictionem ac imperium sibi super exteras Ecclesias flagitavit.* Quo autem id facilius impetrare possent, tanquam jam olim debitum Romano Pontifici jus seu privilegium, dedit eis Nicænam synodum falsatam seu corruptam, in qua tale privilegium sibimet Papa suo arbitrio adscripserat. Hæc primùm Zozimus Papa egit.

Illi sancti Viri, Papæ Legati, ad Synodum proficiscuntur, exponunt ibi sua mandata, & cum magna quadam Sanctitatis specie dicunt, *S. Papa Rom. petere, ut Nicænæ Synodi decreta serventur.* Quid hac petitione honestius ac justius videri potest? Patres in Synodo statim petunt sibi literas & commonitorium, memoriale seu instructionem ipsius Pontificis exhiberi. Leguntur literæ, & commonitorium, in quo & suppositititius ille Nicænus canon. Intelligunt Patres, quatuor esse Papæ postulationes. Præcipuè tamen prima de Appellationibus, quæ non obscure totam jurisdictionem in Africanas & alias peregrinas Ecclesias flagitabat, & Nicænæ Synodi decreto confirmata esse dicebatur, eos sua novitate & absurditate obstupefacit. Absurdissimum enim eis esse videbatur, *unum homuncionem omnibus CHRISTI Ecclesiis per orbem terrarum sparsis imperare, easque regere* (quod tam multis Episcopis esset perdifficile) *velle.* Urebat eos etiam non leviter, quòd illum tam scelestum Apiarium, à se justissimè damnatum, tam temerè Papa in communionem recepisset, & absolvisset, ac à se jam etiam recipi mandaret. Deliberant igitur, quid faciendum sit. Justissimam esse petitionem videbant, ut Nicæni Concilii canones serventur. Non meminerant autem, se unquam quicquam tale illius Synodi canonibus legisse: nec tamen poterant, aut audebant, tantum scelus de sanctissimo Papa suspicari, quòd scilicet decreta Nicænæ Synodi ausus fuisset falsare. Quare pacis cupidi pollicentur, se secundum ejus petitionem facturos; sed tamen solùm tamdiu, quoad authentica Nicænorum canonum exemplaria nanciscerentur, quæ sedulò servare vellent. Interea moritur hic Falsator, cum unum tantum annum sedisset.

Hic fuit primus actus hujus tragœdiæ; in quo observandum est primùm, Papam hunc non prætendisse jus divinum, Scripturam, aut CHRISTI ordinationem, qui sedem Romanam omnibus Ecclesiis imperare voluerit, ut postea factum est, & jam in primis fit; non citasse etiam *consuetudinem*, quòd jam per 400. annos ea Ecclesia & sedes aliis omnibus per orbem terrarum Christianis Ecclesiis imperaverit; sed tantū *jus humanum*, id est, decreta Nicænæ Synodi, eaq; ipsa per scelus ac impietatē falsata. Unde apparet, nondum moris fuisse, ut Papa exteris imperaret; eoq; morem seu consuetudinem, seu præscriptionem longi temporis citare non potuisse. Deinde observa inenarrabilem tum ambitionem, & regnandi cupiditatem; tum & audacem, vel temerariam potius impietatem Papæ, quod ausus est Nicænæ

Synodi

Synodi tam ſanctæ (quam alioqui ipſimet Romaniſtæ quatuor Evangeliis authoritate in ſuis decretis æquant) canones, tam nefariè falſare : idque ſcribens ad tantam Synodum, ubi Auguſtinus cum tam multis aliis ſanctiſſimis & doctiſſimis Epiſcopis fuit.

Zozimo ſucceſſit *Bonifacius* I. qui magna contentione & ambitione vix ſedem Romanam contra Eulalium (is enim ſimul, idque à majori parte Cleri & populi, factus erat Papa) obtinuit; qui Eulalius, quanto melior ac modeſtior hoc Malefacio fuerit, inde apparet, quòd cum poſt mortem ſui competitoris ad Papatum concorditer à populo & Clero revocaretur, eam dignitatem ultro contempſit. Unde manifeſtum eſt, & ante eum non jure victum ab altero, ſed illi ſua modeſtia ſponte ceſſiſſe. Hic bonus Malefacius I. in ſui anteceſſoris impia ambitione, petendi jurisdictionem ſuper exteras Eccleſias, & nefario ſcelere corruptorum canonum Nicænæ ſynodi, pervicaciter perſtitit, per eosdemque Legatos, & novas literas, eodem modo à Synodo ſibi imperium tyrannidemque ſuper CHRISTI Eccleſias poſtulavit.

Res denuò tractata eſt in Synodo diu, & maxima altercatione atque labore, urgente nimirum Legato Papæ, ut Nicænæ ſynodi decreta ſerventur, quæ ipſe ajebat Papæ imperium ſuper omnes Eccleſias dare, & reſiſtentibus Patribus, ac negantibus, quicquam tale in ſuis Nicænæ ſynodi exemplaribus inveniri. Teſtatur Synodus in epiſtola ad Bonifacium, longis voluminibus comprehenſas eſſe illas altercationes ſeu diſputationes ; quæ utinam extarent, multa haud dubiè ad lucem veritatis utiliſſima ibi invenirentur. Nam proculdubio multa utrinque dicta & allegata ſunt, multa etiam conſtantius contra Paparum furioſam ambitionem ab illis ſanctis Patribus longo illo certamine declamata. Tandem concluſum eſt, ut petantur authentica Nicænæ ſynodi exemplaria Conſtantinopoli & Alexandria; & ut interea, quoad afferantur, nihilominus Papa ſuum commentitium jus, ſeu jurisdictionem exercere poſſit. In eandem ſententiam & Papæ reſpondent, & infauſtum illum Fauſtinum, Legatum à latere, cum tali reſponſo dimittunt. Ablegat quoque ſancta Synodus proprios Legatos cùm literis, ad Conſtantinopolitanum & Alexandrinum Patriarcham, qui inde authentica exemplaria Nicænæ ſynodi afferrent. Interim Malefacius ille Romanus cum triennium & menſes octo ſua maleficia in ſede Romana exercuiſſet, ad Patres ſuos abiit, ſine pœnitentia. Atq; hic eſt ſecundus hujus tragœdiæ actus.

Malefacio huic I. ſucceſſit *Cœleſtinus* I. per antiphraſin haud dubiè ſic dictus. Hic oneravit eccleſiam prolixo & inutili boatu, & multis aliis vaniſſimis traditionibus; cum antea tantum Epiſtolæ beati Pauli, & Evangelia, cum majori Eccleſiæ Dei ædificatione legerentur. Hic in majorum ſuorum ambitioſa imperandi ſuper Eccleſias CHRISTI cupiditate, nefariaque Decretorum Nicænorum falſificatione pertinaciter perſeveravit, licet ab Africana Synodo veriora exemplaria

Nicænorum canonum, Conſtantinopoli & Alexandria petita, ſuum anteceſſorem Bonifacium, accepiſſe, ac ſceleratam fraudem falſatorum canonum detectam eſſe, probè ſciret. Quare remiſſis iisdem Legatis, nempe infauſto illo Fauſtino, Philippo & Aſello, poſtulationes priorum Paparum longè majori fraude & impudentia pertinaciter urſit. Ii ſcientes jam, fraudem corruptorum canonum, in qua antea fermè ſola ſpem victoriæ repoſuerant, detectam eſſe, ſtatuentesque, nunc tantum audacia & impudentia eſſe pugnandum, ſui novi Papæ cœleſti ſpiritu inflati, aſtutiisque inſtructi, tanto majori vi ac impetu contra ſanctiſſ. Synodi Patres, veluti Anthei quidam inſurgunt; urgent, ut ſceleſtum illum Apiarium in communionem ſine mora recipiant, quem jamdudum ſanctiſs. Pontifex in communionem recepiſſet, & ab omni accuſatione abſolviſſet. Inſtant quoque, ut Romanæ ſedi ſeſe ſubjiciant, juxta priores Paparum petitiones, & ſanctæ Nicænæ Synodi decreta.

Contrà Patres proferunt authentica exemplaria, ab Alexandrina & Conſtantinopolitana Eccleſia per ſuos Legatos allata, Paparumq; Romanorum impiam ambitionem & immane ſcelus falſatæ Synodi redarguunt Dicunt, ſe jam antea illis ipſis Legatis bis, cum prius à Zozimo, deinde à Bonifacio miſſi eadem de cauſa eſſent, indicaſſe, comunia exemplaria longè aliter habere, ac Papa & ipſi ejus Legati aſſererent: & tamen pacis ſtudio conſenſiſſe in eorum petitionem, quoad liquidius exploraretur ex authenticis exemplaribus, an id decretum à Nicæna Synodo conſtitutum eſſet. Ad hæc, ſe jam dudum illa ipſa authentica exemplaria Bonifacio Papæ hujus præceſſori, per eoſdem Innocentium Presbyterum & Marcellum Subdiaconum miſiſſe, qui ea Conſtantinopoli & Alexandria attulerant, indicaſſeque ipſi, neque communes, neque authenticos Conſtantinopolitanæ & Alexandrinæ Eccleſiæ codices ita habere, ſicut ipſe, & ejus anteceſſor Zozimus affirmaverant. Quare ſe maximopere mirari, & Papæ & Legatorum, præſertim ipſius Fauſtini, audaciam & impudentiam, qui adhuc auſint illam ſuam ambitioſam tyrannidis flagitationem urgere, & Nicænis canonibus tam ſceleratè abuti. Negant igitur, ſe Apiarium in gratiam recepturos, niſi ille aut purget ſe manifeſtè de objectis ſibi criminibus, aut confeſſus ea, ſupplex veniam petat. Negant etiam, ſe ullam juriſdictionem aut poteſtatem Papæ in Africanas, aut alias exteras Eccleſias deinceps conceſſuros eſſe. Ibi ſceleratus ille Fauſtinus, aliique Legati à latere, planè Curtiſanem ſi audacia vociferari & poteſtari incipiunt, eos conari ſanctæ ſedis Rom. privilegia imminuere, & Nicænæ Synodi decreta irrita facere. Pugnatur & contenditur integrum triduum acerrimè, hinc ſanctis Patribus Papæ jugum renuentibus, inde Romanenſibus Legatis ſuperbiſſimè & audaciſſimè inſtantibus, ut id omnino accipiant. Tandem ſingulari Dei beneficio improbus ille Apiarius, diffidens, ſe per Legatos Papæ communionem Africanis Eccleſijs extorquere poſſe, & conſcius ſibi reſpondere ad objecta crimina non poſſe, procidens in genua, objecta flagitia confitetur, ſupplexque veniam à Synodo petit. Et ſancta Synodus decernit,

ne

ne cuiquam, vel Sacerdoti, vel Episcopo ex Africa, aut alijs provincijs, Metropolitanos habentibus, ad Papam appellare liceat; sed sit prima cognitio causarum Ecclesiasticarum penes Episcopos & Metropolitanum, secunda penes provinciale Concilium, ultima penes universale: Item, *ne ullum jus deinceps Romano Papæ super Africanas Ecclesias concernatur.* Atque hac ratione illi sancti Patres jugum Papæ suis jam cervicibus imminens, penitus repellunt ac rejiciunt. Ipsi quoque Papæ satis aspera epistola Patres illi respondent, in qua primùm graviter queruntur de maximis molestijs, quas sibi exhibuerit Faustinus, ejus Legatus, instans, ut Apiarium, ab ipso Papa absolutum, in communionem recipiant, & urgens fictitia Romanæ ecclesiæ privilegia, corruptis canonibus subnixa; cum tamen Apiarius tandem omnes illas sibi objectas turpitudines ultro agnoverit, & in Nicænæ Synodi decretis nihil tale reperiatur. Accusant & ipsum Papam non obscurè, quòd tam temerè illum nebulonem à se justissimè excommunicatum & damnatum, in communionē receperit, sicque Ecclesiasticam disciplinam dissolverit. Deinde disputant *de jure*, quòd nulla Synodus ademerit jus Africanis Ecclesijs, finaliter & sine appellatione de suis controversijs pronunciandi; quin potius, ajunt, Nicænam synodum omnes sacerdotes & causas suis Metropolitanis & Synodis subjecisse, sine ulla ulteriore appellatione. Afferunt & rationes, quare singulæ causæ in suis provincijs finiendæ sint, nec ad Romanum sit Pontificem appellandum; quia sit magna commoditas testium & aliarum circumstantiarum, ad cognoscendam causam in eo loco, ubi exorta est. Quæ contrà omnia non tantum sint incommoda, sed & planè desint, si aliò procul, ut Romam, controversiæ judicandæ rejiciantur. Adhæc dicunt, & divinum auxilium tum in judicando, tum in constanter exequendo, non minus Africanis aliarumque gentium Sacerdotibus aut Episcopis, quàm Romanis Papis affuturum. Nec debere ipsum Papam, aut alium quenquam cogitare, sibi quidem affuturum Deum in judicando, alijs verò Christianis non perinde. Negant quoque authentica exemplaria Nicænæ Synodi ita habere, ut ipse cum suis antecessoribus Papis, in suis literis ac Nicænis exemplaribus, ad se jam toties missis, posuerant. Postea monent Papam, ne ullos à se ad ipsum appellantes admittat, ne ullos à se excommunicatos in communionem accipiat; ne ullos Curtisanos aut Legatos à latere in Africam mittat, qui de ulla re ibi judicare præsumant. Monent etiam, ut illum suum impudentem rabulam seu legatum Faustinum, ex Africa protinus revocet. Demum gravi admodum epiphonemate concludunt, ac Papam monent, ne fumosum (recito ipsorum verba) typhum seculi hujus in Ecclesiam Dei inducant, quæ lucem simplicitatis & diem humilitatis Deum videre cupientibus præferat, id est, ne perinde vafris ac sceleratis consilijs pessimisq; artibus in Ecclesia Dei imperium ambitiosè quærat, sicut impij homines in politijs per fas & nefas potentiam, regna, & tyrannides quærere affectareque solent. Piorum enim hominum in Ecclesia officium esse, ut simplici veritati studeant, & humilitate ac modestia inter sese decer-

tent,

tent, omnibusque officijs ac honore sese mutuò præveniant. Atque hic sit tertius actus, tunc quidem non infelix, nec sancto Augustino, alijsque tam multis præclarissim. Viris & Episcopis, qui ei Synodo interfuerunt, indignus.

Ne quis autem putet, immeritò Papis *falsationem Nicænorum Canonum* objectam esse, primum id ipsius sacrosanctæ Carthaginensis Synodi testimonium probat, quod profectò contemni minimè debet. Deinde Paparum & aliorum Romanistarum silentium, quo nimirum fassi sunt, se objectum crimen refellere non posse. Tertiò ipsa propria Romanæ Ecclesiæ exemplaria Conciliorum, quæ ne hodie quidem illum suppositititium Canonem inter Nicæna Decreta numerant, aut ponunt. Quinetiam contrarium Canonem sexto loco ponunt, quem tantopere Carthaginensis Synodi Patres pro se citant.

Eadem porrò prohibitio (ut ad propositum redeam) appellandi ultra mare, id est, ad Papam, fuerat etiam facta paulo antè in *Synodo Milevitana*, ubi itidem Augustinus Synodo interfuit. In hac, aut alia Carthaginensi Synodo etiam illud decretum statutum est, quod distinct. 99. recitatur in hæc verba: *Primæ sedis Episcopus non appelletur* Princeps Sacerdotum, *vel* summus Sacerdos, *aut aliquid aliud hujusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.* Universalis *autem, nec etiam* Romanus Pontifex *appelletur.* Quod admodum belle cum præcedenti Historia convenit.

Ubi nunc sunt Papistici seductores, ut Mameranus, & alii, qui tanta confidentia affirmant, nullam unquam fuisse CHRISTI Ecclesiam, quæ Romana non fuerit, aut Romanæ non obediverit? Num igitur divus Augustinus cum tot sanctissimis Episcopis, eorumq; auditoribus Ecclesia CHRISTI non fuerunt, quia jugum Romani Antichristi tam constanter à sese repulerunt? Mirari autẽ quispiam nõ imeritò profectò possit, tanta ambitionis cupiditate, tantaq; dominandi libidine, aut furore potius incitatos, vel etiã furiatos fuisse tres istos Pontifices, ut non Deũ timuerint, aut saltẽ homines veriti sint, cũ tam impudẽter sibi tyrãnidem in domo Dei flagitare, & tam sacrosanctæ Synodi decreta contra conscientiam falsare, idq; coram tanto Concilio, ad hæc etiã præmoniti à tota Synodo ausi sunt. Sed profectò pleriq; Romani Pontifices tali quadam inexplebili ambitione & regnandi cupiditate arserunt, ut & de ipsis etiam verè dici possit: *Ex uno disce omnes*; id est, plerosque, paucissimis planè exceptis. Ut autem melius & agnoscere & mirari istorum Romanensium nebulonum fraudes possis, audi quæso & hoc. Prædicto infernali Cœlestino successit *Sixtus*, cui *Leo primus*, cujus non pauca scripta adhuc extant. Hujus tempore Chalcedonensis Synodus celebrata est, & in ea damnatus est Eutyches. In eadem & Anatholius Constantinopolitanus Archiepiscopus, volebat sibi subjicere Alexandrinam, Antiochenam, & alias Orientales Ecclesias; id est, supremus & universalis Episcopus, ut nunc se Papa esse jactat, totius Ecclesiæ fieri. Ad eam rem obtinendam citabat Decretum Constantinopolitanæ Synodi, quæ 80. annis ante

Ma-

Macedonium damnaverat, ubi eadem dignitas Constantinopolitano Archiepiscopo erat concessa. Et sanè etiam ea ipsa Chalcedonensis Synodus unanimiter ei talem dignitatem sponte ac ultro concedebat, ut ex XVI. ejus actione clarè apparet. Ob id vel Anatholii, vel Synodi ipsius factum, Deus bone, quantas tragœdias in suis scriptis ciet Leo, clamitans, sacrosanctam Nicænam Synodum constituisse per singulas provincias Metropolitanos Episcopos, quibus omnes alii subjecti essent; & nullus planè imperaret, nisi Synodi vel Provinciales, vel etiam Universales. Pro iis vociferatur, se vitam suam profusurum; ac nequaquam passurum, ut ulla ex parte violentur, aut quisquam omnino Episcopus sibi Metropolitanos Episcopos subjiciat. Neminem enim debere in Ecclesia Dei imperandi cupiditate, & aliorum Episcoporum oppressione, potentiam quærere. Unde apparet sceleratus planè Pontificum Romanorum animus. Hic enim declamitat pro libertate & jure Metropolitanorum. At Antecessores ejus (imò & ipsemet postea, ut mox indicabo) idem planè egerunt, quod tunc Constantinopolitanus agebat, ut scilicet sibi Metropolitanos subjicerent, & per eos omnes Ecclesias; & quidem ipsi Papæ, tanto majore scelere, quòd simul etiam falsaverant Nicænæ Synodi (quam iste Leo, vel Lupus, sacrosanctam esse vult) decreta. Item, quòd invito Concilio id extorquere voluerant, quod Anatholio Synodus libenter concedebat. Iste Papa clamitat, Nicænam Synodum statuisse, ut nullus unus Episcopus præsit, seu imperet Metropolitanis. At illi tres superiores pertinacissimè & contra conscientiam, admisso etiam crimine falsi, asseverant, Nicænam Synodum sibi, id est, Romanis Papis, omnes Metropolitanos cum suis Coepiscopis subjecisse. Ita videmus, quanto furore sint acti Romani Pontifices, & quomodo pro libitu & sua utilitate, jam hoc jam illo modo jura torserint; eosque Conciliorum Canones, quos ab aliis tanquam sacrosanctos observari voluerant, petulanter scientes ac volentes violaverint. Quin & hujus ipsius Leonis Legati, in prædicta Chalcedonensi Synodo, Nicænum Canonem sextum subtili ac planè Romanistica arte falsarant; nam cum illud Decretum, Archiepiscopum Alexandrinum & Antiochenum disertè æquet Romano, aliisque Metropolitanis, illi cum decretum recitandum præsidentibus offerrent, præposuerunt canoni talem summam: *Quod Romanus Episcopus semper primatum habuerit*, quod illi latius accipi voluerant, quam canonis sententia erat; tanquam, si præ omnibus aliis Metropolitanis primatum Romanus Episcopus semper habuisset, cum canon tantum de sua provincia, videlicet Italia loqueretur, & alios Metropolitanos ei nequaquam subjiceret, sed planè æquaret. Sic videmus, Romanistas semper falsandis sacrosanctis Conciliis, & aliis sanctorum Patrum scriptis, assuetos fuisse.

Sed quid sancti ac justi habet immensa regnandi cupiditas? quæ si usquam sese impotenter gessit, tum verò in primis in Romanis Pontificibus. Paulo sanè ante hujus historiæ tempus, tanto furore Romani Papæ inter sese certarant non semel,

ut inter *Damasum* & *Ursacium* adeò atrociter sit de ea pestilentiæ sede pugnatum, ut una sola die 140. homines in uno tantum templo interfecti inventi sint. Acciderunt autem & alibi passim in tota urbe promiscuæ cædes, plurib. diebus. Quot ergo putas verisimile esse homines interfectos, ob illos duos tyrannos? quandoquidem non omnes lethaliter sauciati, statim in ipso loco conflictus moriuntur. Plurimi haud dubiè postea domi mortui sunt. Fuit enim tam atrox inter illos duos nebulones seditio, ut ipsemet Cæsareus Urbis & Palatii præfectus, ex Urbe, metuens periculum, aufugere coactus sit. Testatur hoc Amianus Marcellinus, ejus temporis historicus. Rectè ergo Adrianus IV. dictitare solitus erat, Papas Romulo potius in adipiscenda per parricidium tyrannide, quàm Petro in pascendis ovibus, succedere.

Sed nondum hic finis hujus tristis tragœdiæ, aut execrabilis Paparum ambitionis fuit; verè enim de infagitabili ac immensa eorum cupiditate dici posset Terentianum illud: *Falsus sum, sed non defatigatus: Hac non successit, alia aggrediemur via.* Nam hic idem Leo rugiens statim, postquam vidit Anatholium desiisse ambire tyrannidem, cœpit cogitare, jam tempus esse, ut ipse eam, veluti vacuam quandam possessionem, sibi vendicet. Quare sciens jam obiisse Augustinum, & alios multos Patres, qui sextæ Carthaginensi Synodo, ubi falsarii & ambitiosi Papæ repulsi erant, interfuerant, denuò tentat quasdam tantum Africanas Ecclesiolas; non eas, ubi erat Metropolitanus, quem tentare parum tutum esse sciebat; sed modestè nonnihil, vel timidè potius. Scribit enim ad Episcopos Mauritaniæ, & non amplius, sicut priores Papæ, petit, ut ad se liceat cuiquam *appellare*, aut ut Romæ causæ finiantur; sed tantum dicit, se misisse Sacerdotem quendam in Mauritaniam, qui cognosceret illarum Ecclesiarum statum; eumque sibi quædam retulisse, quæ parum rectè fierent. Debere verò eos omnia *secundum veteres Canones* agere, & præsertim in Episcoporum ordinatione. Quòd si quæ lites aut controversiæ oriantur, eos debere in sua Provincia eas cognoscere, dijudicare & finire; sed tamen & *sibi* de eis aliquid scribere, & ut ipse possit suum suffragium adjicere. Antea voluerant Papæ soli esse domini, & totum jus finiendi ultima sententia causas sibi vendicare. Nunc, cum id non successerit, cupiunt saltem *in aliqua parte* ejus potestatis hærere, donec plus per occasionem rapiant. In alia Epistola ad Thessalonicensem Episcopum scribens, *jubet sibi omnes controversias indicari*, ut ipse de eis statuere & pronunciare possit; ubi paulo plus sibi rapit, quàm in proxima epistola ad Africanos. In eadem epistola objurgat Thessalonicensem Episcopum, quòd nescio quid durius in Atticum, Nicopoleos Metropolitanum Episcopum, quem ipsemet ei antea subjecerat, statuerit; eumque denuò ejus potestate liberat hisce verbis, quæ ex Epistola ipsius Leonis adscribam: *Igitur secundum sanctorum Patrum Canones, spiritu Dei conditos* (intelligit Nicænos) *& totius mundi reverentia consecratos, Metropolitanos singularum provinciarum Episcopos* (*quibus ex delegatione no-*

stra

ſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur) jus traditæ ſibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut à regulis præſtitutis nulla aut negligentia, aut præſumptione diſcedant. Vide & totam Epiſtolam, ſi libet. Hic diſertè Papaiſte indicat, ſe illi Metropolitano ſuum vetus jus ac dignitatem reſtituere, quod ei, aliisque Metropolitanis ſacroſancti Canones Nicæni ante centum & amplius annos tribuerunt, atque ita eum Theſſalonicenſis Epiſcopi jure à ſe conceſſo liberare. Cur igitur antea, & quo jure eundem Metropolitanum ſua dignitate privaverat, & alteri ſubjecerat, atque ita ſacroſanctæ Nicænæ Synodi decreta violaverat, pro quibus tantopere contra Anatholii conatum declamavit? Cur etiam non meminerat hic Leo infernalis, ſuarum declamationum de Anatholio; quòd Epiſcopi non ambitione, ſed humilitate creſcant? quòd CHRISTUS venerit non miniſtrari, ſed miniſtrare? quòd qui velit eſſe ſupremus, ille omnium ſervus eſſe debeat? Hæc enim plenis buccis in Anatholium declamitaverat. Sed nimirum Epiſcopi Romani tantum ideo aliis modeſtiam aut humilitatem ſuaſerunt, ut illi ſoli ſuperbire eò commodius, & inſolenter tyrannizare, aliis ſtulta imperitaque modeſtia ultro eis cedentibus, ac ſeſe ſubjicientibus, poſſent.

Secuti Papæ Africanos Epiſcopos, & præcipuè Metropolitanum Carthaginenſem, eique adhærentes tum Clericos tum Laicos excommunicaverunt, ac pro excommunicatis ab omnibus haberi juſſerunt: & tum duris, tum bonis verbis ac factis denuò ad parendum ſibi ſolicitarunt, & urſerunt. Res ac cauſa hæc haud dubiè variè ſurſum ac deorſum jactata eſt. Sed tamen centum integris annis à ſupradicta ſexta Africana Synodo liberæ fuerunt illæ Eccleſiæ à tyrannide Papæ; tametſi illi, ut eis mos eſt, ſubinde aliquid ſibi juris in eos, quantum per occaſionem potuerunt, uſurparint.

Cæterùm centum annis, poſtquam ſanctiſſ. iſti tyranni tam duriter (ut ſuperius dictum eſt) cum ſua ambitioſa tyrannidis affectatione, impudentique & ſcelerata ſacrorum Nicænæ Synodi Canonum falſatione, à ſancta Africana Synodo repulſi fuerant, obtinuerunt imperium ſuper Epiſcopos Africæ; & *Metropolitanus Carthaginenſis*, qui præcipuæ authoritatis in tota Africa eſſe ſolebat, *ſeſe eis ſubjecit*; proculdubio improbantibus id factum multis bonis ac piis viris, in Africanis Eccleſiis. Is, qui tunc erat Metropolitanus, vocabatur *Eulalius*; Papa verò erat Bonifacius ſecundus. Extant utriusque de ea reſcripta. Triſte omnino eſt, ac permoleſtum, non tantum commemorare, ſed etiam cogitare ſolùm, quàm nefariè & Papa inſultet prædictæ ſacroſanctæ Synodo, & Metropolitanus illam damnet; tametſi eam diſertè non nominent. Fuit ſanè & hic *Malefacius ſecundus*, primo illi (de quo ſuprà diximus) non ita abſimilis; nam & ipſe perinde ut ille, magna ambitione vix obtinuit, ut aliqua pars Cleri & populi ſe in Papam eligeret. & cum circiter menſem illud ſchiſma duraſſet, ac alter, qui à majori parte erat electus, nomine Dioſcorus, vita deceſſiſſet, is Malefacius protinus ira, dolo, ac grandi amaritudine

(ut liber Pontificialis testatur) collecto Concilio Cleri, id egit, ut ille etiam defunctus damnaretur; ipseque eum publico scripto (quòd & in archivo Ecclesiæ tanquam ad æternam rei memoriam collocavit) damnavit. Cæterùm Clerus ei damnationi subscribere noluit, eo quòd & multi cum Dioscoro senserant; & iniquum esse putabant, etiam in manes mortui sævire. Sed hinc istius sanctiss. Papæ levitatem spiritus, & dominandi cupiditatem deprehendere potes. Potes etiam ejusdem tum scientiam, tum probitatem, & ex eo perspicere, quòd congregata Synodo in basilica Petri, & ante ejus suppositititium cadaver, constituit, & jurejurando id decretum confirmavit, unà cum Clero, ut sibi liceat successorem eligere; elegitque Vigilium Diaconum. Sed paulo pòst idem Decretum de consensu totius Cleri damnavit, & coram toto Senatu ac Clero publicè exussit; Vigiliumq; ut renunciaret electioni, coegit. Sic isti Antichristi etiam propria jura ac juramenta sursum ac deorsum jactant, ac pro libitu jam rata jam irrita esse volunt, figunt atque refigunt; nec tamen testibus, eorum Gnathonibus, errare unquam possunt. Hic igitur sanctiss. (si Diis placet) Pater, extorsit Carthaginensi Metropolitano, aliisque quibusdam Africanis Episcopis, consensum in suam monarchiam & damnationem Decreti sextæ Carthaginensis Synodi, de qua suprà prolixius dictum est. Triste autem est, ut prius dixi; vel cogitare solum, quàm diris ac nefariis verbis isti duo nebulones, *Eulalius* & *Bonifacius*, illam sanctiss. Synodum, totque doctissimos ac pientissimos Patres damnent ac proscindant; tametsi eam nominare non ausint; nam Eulalius, Metropolitanus Carthaginensis, in sua Epistola ad Bonifaciū dicit, *se damnare suos Antecessores & Successores, ac omnes planè, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ Privilegia tollere nituntur.* Item dicit, se cum suis Collegis seu Coepiscopis, *anathematizare omnes, qui contra sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam superbiendo, suas erigunt cervices*, & se sequi in omnibus Apostolicam sedem, ejusque prædicare decreta seu traditiones. Dicit, se eos *pro excommunicatis* habiturum, qui non consentiunt per omnia Apostolicæ sedi, id est, Papæ. Obligat se etiam ac obstringit ad servandam istam impiam promissionem seu consensum, hisce verbis: *Quod si in aliquo à professione mea deviare tentavero, horum, quos damnavi, complicem mea sententia me esse profiteor.* Omnino fuit quædam abjuratio & execratio istis, quas jam scelerati pravitatis hæreticæ inquisitores miseris Christianis proponunt, non dissimilis; nisi quòd, qui jam revocant, se potissimùm execrantur, suamque fidem damnant, idque metu periculi; ille verò veritatis ac Ecclesiæ Dei proditor Eulalius, omnes & antecessores, & successores, & tot sanctiss. Patres, inter quos & Augustinum, jam in Domino dormientes, totamque illam sacrosanctam Carthaginensem Synodum, extra omne periculum existens, contra conscientiam damnavit, & impio ore anathematizavit. Cæterùm ipse Papa, utpote choragus & author tanti sceleris, etiam impudentius in illam sacrosanctam Synodum debacchatur; nam in Epistola ad Eulalium, Alexandrinum Archiepiscopum seu Metropolitanum, in qua suum ipsi tri-

triumphum de Ecclesiis Africanis, & de ipsa veritate recenset, sic scribit: *Aurelius enim, præfatæ Carthaginensis Ecclesiæ olim Episcopus (is fuerat Metropolitanus, & totius Africæ primas & in prædicta sexta Synodo præsederat) cum Collegis suis (idest, tota VI. Synodo) instigante diabolo superbire temporibus prædecessorum nostrorum Bonifacii atque Cœlestini* (de quibus suprà) *contra sanctam Romanam Ecclesiam cœpit. Sed videns se modò peccatis Aurelii Eulalius à Romanæ Ecclesiæ communione segregatum, humilians regnovit se, pacem & communionem Romanæ Ecclesiæ petens subscribendo unà cum Collegis suis damnavit Apostolica authoritate omnes SCRIPTVRAS, quæ adversus Romanæ Ecclesiæ privilegia factæ quoquo ingenio fuerunt.* Hortatur præterea illum Alexandrinum Eulalium, ut illum suum triumphum etiam aliis vicinis Episcopis significet, & illam pudendam revocationem Eulalii Carthaginensis omnibus ostentet. Indicat quoque ei, & alios multos Episcopos per Orientem, similiter se ipsi subjicere. Quæ nimirum omnia Alexandrino Episcopo ideo significat, ut & triumphos suos omnibus ambitiosè ostentet, & illum ad subjiciendum se ipsi tanto magis invitet. Nec tamen tunc statim ita tyrannidem suam, ut cupivit Romanus Antichristus, validè obtinere potuit; nam nec iste ipse proditor veritatis Eulalius Carthaginensis Metropolitanus, ei simpliciter summam absolutamque potestatem dat; nec in posterum Constantinopolitani Patriarchæ quievere, qui sibi itidem *universalis* seu *œcumenici Episcopi* nomen rapiebant, nec id solis Romanis concedere volebant. Quare plurimæ eis cum Papis de isto præclaro Antichristi Palladio contentiones fuere, ut ex Conciliorum libro, Papalibusq; Epistolis apparet. *Pelagius* certè acerrimè cum Joanne Constantinopolitano Patriarcha, de hoc titulo contendit; nec tamen tam contendit, quam eum titulum, eamque ambitiosam dignitatem penitus damnat.

Idem agit & *Gregorius magnus*, ejus successor, etiam magis, vehementiusque illam plusquam ethnicam tyrannidis affectationem damnat ac vituperat multis admodum Epistolis, quæ in ejus Registro legi possunt. Sæpe dicit, illam cupiditatem efferendi sese super alios Episcopos, esse idem quod *Luciferi peccatum*, qui reliquis se Angelis æqualem esse contentus non fuit. Sæpe quoque dicit, id esse *Antichristi factum*. Sæpè item dicit, consentire, ut aliquis sit supremus seu universalis Episcopus, esse idem quod *fidem abnegare*. Dicit eum titulum esse *novum*, *stultum*, *superbum*, *perversum*, *scelestum* & *prophanum*. Sæpe etiam repetit, pugnare cum Evangelio, & omnibus Patrum canonibus. Testatur item, nunquam quenquam suorum antecessorum eam dignitatem, potentiam seu titulum habuisse. Vide ejus Epistolarum libro 4. epist. 31. 35. & lib. 6. Epist. 30. & alias.

Ex quibus omnibus testimoniis clarè apparet, re vera Papas usq; ad illa tempora nondum istam tyrannicam potestatem ita firmam ac ratam habuisse, ut nunc habēt; tametsi eam sępissimè haudquaquā dissimulanter affectaverint, ut superius prolixius dictum est. Sedit autem hic Gregorius primus post Bonifacium secundum, qui

Africanas Ecclesias, ut superius diximus, oppresserat, circiter annis sexaginta.

Gregorio magno successit *Sabinus*, cui *Bonifacius tertius*. Is à seditioso & parricida tyranno Phoca impetravit, ut Papa Romanus primatum super omnes Ecclesias & Episcopos haberet. Hoc sese fundatore suæ potentiæ, vel tyrannidis potius, non immeritò Papæ Romani jactare debent, ut simile habeat, seque dignum patella operculum; nam non minimum ab eo, si non longè maximum, stabilimentum suæ dominationis habuerunt. Cœpit sanè tunc eorum regnum egregiè crescere, ut etiamsi multi & in Occidente & in Oriente eis contradicerent, tamen id planè frustra facerent.

Secuta est paulò post *imperij translatio*, qua astutè in suum commodum Papæ abusi sunt. Egregiè etiam sunt abusi simplici ac imperito zelo, incautaque devotione illorum barbaricorum Cæsarum (sic enim eos isti terræ filij Curtisani Papæ vocitant) qui Roman. fraudum parum gnari expertique fuerunt.

Apparet nihilominus, etiam Carolo & Ludovico regnantibus, Papæ majestatem longè minorem fuisse, quàm nunc sit; nam illi Cæsares, quin & multi eorum successores, tum Concilia suo arbitrio indicebant; tum Episcopos creabant & confirmabant, eisque, quod videbatur, imperabant. Quin & ipsos Romanos Pontifices confirmabant, nec erat rata eorum electio; nec licebat eos consecrare, nisi Cæsar annuisset. Atque hæc potestas longo tempore Cæsaribus Germanicis integra inviolataque permansit, licet sæpius Papæ cervicem suam contra Cæsares exerere conarentur. Demum, cum *Henricum IV.* circiter ante annos 450. per proprium ejus filium Papæ cum suis Episcopis & Spiritualibus oppressissent, tum tandem plenum imperium non tantum in omnes ecclesias, sed & ipsum imperium sibi arripuerunt, & asseruerunt, ut ab alijs prolixius explicatum est.

Hic habes breviter comprehensam narrationem certaminum *de tyrannide Papæ*, non quidem eorum, quæ cum Imperatoribus Germanicis acciderunt, quæ quia aliunde rectius cognosci possunt, vix attigi: sed eorum, quæ olim *inter Papas & Concilia*, in primisque *Carthaginense sextum* fuerunt. Ex hac brevi historiola, Christiane Frater, multa cognoscere potes. *Primùm* disces, quòd initio Ecclesiæ & aliquot postea seculis, Papæ nullum tale imperium, aut tyrannidem potius, qualem postea, & præsertim hisce postremis ac infelicissimis temporibus, in Ecclesia Dei habuerint. Quod etiam ex ipsius Pij secundi ore superius clare audisti. *Deinde* animadvertes, quibus & quam præclaris artibus Romani Antichristi ita sese in altum extulerint, evexerintque, ac omnes pios, etiam ipsos Cæsares, pedibus sui calcandos subjecerint; nempe miris fraudibus & planè nefarijs sceleribus falsando & damnando sacrosancta Concilia, confingendo supposititia scripta, excommunicando sinceras Ecclesias, & horribiles turbas ac dissidia in Ecclesia Dei conciendo, quin & nefaria ac plusquam civilia bella movendo, omnia denique justa ac injusta

ſta ſurſum ac deorſum miſcendo atque perturbando. *Tertiò* cogita, ſi jam olim vivente Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, alijsque ſanctis Patribus, iſti Antichriſti tam ſcelerati, tamque audaces fuerunt, in ſua impietate & tyrannide promovenda, quid poſtea eos veriſimile eſt non auſos facere, cum & ipſorum improbitas, & reliquorum Chriſtianorum religionis negligentia & inſcitia, in immenſum creverint? Cogita *denique*, ſi in hac religionis parte iſti impij ſeductores tantum auſi ſunt, quid putes eos etiam in alijs, ut in Purgatorio, Miſſis, Operibus ſupererogationis, Indulgentijs, &c. non auſos eſſe facere, ut modò ex religione, animarumque noſtrarum æterno exitio, quam plurimum lucri habere, & maximum quæſtum facere poſſent?

Abeant jam Papæ cum ſuis Papiſtis & adulatoribus, qui nobis ſemper *Patres patres*, *Concilia concilia* obganniunt; & perpendant, quam ſanctè vel ipſi, vel eorum majores, ſanctos Patres ſanctaque Concilia curent, ſervent & audiant; qui tam ſanctiſſimæ Nicænæ Synodi decreta, auſi ſunt tam pertinaciter, coram tam celebri Carthaginenſi Synodo, etiam præmoniti, ſceleratè falſare; & poſtea illam ſacroſanctam Carthaginenſem Synodum tam horribiliter damnare, & dicere, eam inſtigante diabolo contra Romanam eccleſiam ſuperbiviſſe. Sed Romaniſtæ, ſubtiles homines, bona à malis, miro delectu, ſecernere norunt. Ea igitur ex Concilijs accipiunt, quæ bona ſunt, non quæ mala. Quæ autem eis ſunt quæſo bona? Audi eorum *Gelaſium* de *Concilio Chalcedonenſi* diſputantem. Dicit, eam Synodum non omnino accipiendam, ſed tantum quæ bona in ea ſunt, ut quòd Eutychen damnavit; quæ verò mala, ut quòd Conſtantinopolitano Patriarchæ primatum dederat, ea eſſe omnibus modis reijcienda. Sic ex hac ſexta Carthaginenſi Synodo, multa paſſim in ſuis Decretis & Epiſtolis citant; ſed illam ſuæ tyrannidis damnationem, horribiliter impuro ore deteſtantur & execrantur. Ita videmus, Papis ea omnia inſtigante diabolo acta & facta eſſe, quæ ipſorum culinæ aut ambitioni non proſunt; quæ autem proſunt, ea ex Spiritu Sancto facta & decreta eſſe. Sic ſanè & hiſtoriæ crebrò teſtantur, quòd quamprimum aliquis Cæſar, aut alius Chriſtianus Princeps, Paparum cupiditatibus per omnia ſatisfacere non voluit (ut cum non eſt paſſus vel ſubditos ſuos ab eorum quæſtoribus & procuratoribus expoliari, vel aliquibus Urbibus ſtatim non ceſſit) mox ſit ab eis tanquam *Hæreticus* & *Schiſmatibus* proſcriptus, & excommunicatus. Hæreſis enim ac ſchiſma Papæ omne id eſt, quod ejus cupiditati, libidini & ambitioni adverſatur.

Atque hic ſit quartus Actus hujus Tragœdiæ. Quintus, vel jam eſt, cum CHRISTUS ſpiritu oris ſui Antichriſtum confecit, ejusque fraudes ac idololatrias detexit atque refutavit; aut poſtea erit, cum eum præſentia ſua in extrema die damnatum, & in tartara projectum abolebit.

Sed ne quis putet me hæc confinxiſſe, addam *ipſa Conciliorum & Paparum ſcri-*

ſcripta, *ex libro Conciliorum*; ex quibus potiſſimùm hanc hiſtoriolam bona fide deſumpſi.

INITIUM ACTORUM CONCILII Synodi ſextæ Carthaginenſis ad verbum.

IN hoc Concilio actum eſt, ut Nicænum Concilium ab Epiſcopis Orientalibus peteretur. Cui Synodo interfuit legatio Eccleſiæ Romanæ, Fauſtinus Epiſcopus, Philippus & Aſellus Presbyteri, &c.

CAPITULUM I.

Poſt diem præſtitutam Concilij, ut recordamini, Fratres chariſſimi, multa flagitata ſunt per expectantes Fratres noſtros, qui nunc ad præſentem Synodum Legati advenerunt, quæ geſtis neceſſe eſt conſocientur, &c.

II.

Fauſtinus Epiſcopus plebis Potentinæ, provinciæ Italiæ, Piceni, Legatus Romanæ Eccleſiæ, dixit: *Injuncta nobis ſunt à ſede Apoſtolica, aliqua* per ſcripturam, *aliqua etiam* in mandatis, *cum veſtra beatitudine tractanda, ſicut & geſtis ſuperioribus meminimus*; *hoc eſt*, de Nicænis Canonibus, *ut conſerventur, & conſtitutio eorum & conſuetudo, quia aliqua ordine & canone tenentur, aliqua conſuetudine firmata ſunt. De his ergo primitùs, ſi placet beatitudini veſtræ, hactenus; & poſtea cætera, quæ acta vel inchoata ſunt, inſerta firmabuntur, ut ad ſedem Apoſtolicam Reſcriptis veſtris intimare poſſitis, atque nos vos admonuiſſe apud venerabilem Papam evidenter pateat, licet & capitula actionum jam inſerta ſint geſtis. De ipſis ergo* (ut dictum eſt ſuperius) *quid veſtræ beatitudini placeat, agere debemus. Veniat ergo* commonitorium *in medium, ut ſcirè poſſit veſtra beatitudo, quid in eo contineatur, ut ad ſingula reſpondeatur.*

III.

Aurelius Epiſcopus dixit, proferatur COMMONITORIUM, quod Fratres & Conſacerdotes noſtri in actis nuper allegaverunt; & cætera, quæ acta ſunt, vel quæ agenda ſunt, ſubſequantur. Daniel Notarius recitavit. *Commonitorium fratri Fauſtino, & filijs Philippo & Aſello Presbyteris, Zozimus Epiſcopus. Vobis commiſſa negotia non latent. Vos ita ut noſtra, imò quia noſtra ibi in nobis præſentia eſt, cuncta peragite; maximè cum & hoc noſtrum poſſitis habere mandatum, & verba Canonum, quæ in pleniorem firmitatem huic commonitorio inſeruimus.*

Canon ſuppoſitus à Papis, qui tamen ne hodie quidem vel in Latinis, vel in Græcis Nicænæ Synodi Canonibus habetur; imò planè contrarium habetur.

Ita enim dixerunt dilectiſſ. Fratres in concilio Nicæno, cum de Epiſcoporum

rum appellatione decernerent. Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo dejecerint eũ, & appellasse Episcopus videatur, & confugerit ad beatiss. Ecclesiæ Romanæ Episcopum, & voluerit audiri, & justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quòd si is qui rogat, causam suam iterum audiri deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi Romani, quid velit, & quid existimet; & si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes autoritatem ejus, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit sufficere Episcopos, ut negocio terminum imponant, faciet, quod sapientiss. consilio suo judicaverit.

Hoc Commonitorium, seu Memoriale integrum non est, ut ex sequenti Epistola Synodi ad Bonifacium apparet; sicut nec Epistolæ horum trium Paparum ad Synodum adsunt; quæ omnia fraude Papistarum interversa esse, verisimile est.

IIII.

Et cum recitaret Alipius Episcopus Tagastensis, Legatos provinciæ Numidiæ, dixit: *De hoc jam superioribus etiam literis Concilii nostri rescripsimus, & id nos servaturos profitemur, quod* in Nicæno Concilio *constitutum est. Adhuc tamen me movet, quoniam cum inspiceremus* Græca exemplaria hujus Synodi Nicænæ, *ista ibi nescio qua ratione minimè invenimus. Unde petimus venerationem tuam, sancte* Papa Aureli, *ut quia hoc authenticum* Concilium Nicænum *in urbe dicitur esse Constantinopolitana, aliquos cum scriptis tuæ Sanctitatis mittere digneris; & non solum ad ipsum sanctum fratrem nostrum Constantinopolitanum Episcopum, sed etiam ad Alexandrinum & Antiochenum venerabiles Sacerdotes, qui hoc nobis Concilium substipulatione literarum suarum dirigant, ut omnis postmodum ambiguitas auferatur; quia nos ita, ut frater Faustinus attulit, minimè invenimus. Ista nos tamen tantisper servaturos (ut ante dixi) donec* integra exemplaria *veniant, profitemur. Petendus est autem literis nostris & venerabilis Ecclesiæ Romanæ Episcopus* Bonifacius, *ut ipse quoque dignetur ad memoratas Ecclesias aliquos mittere, qui eadem exemplaria prædicti Nicæni Concilii secundum ejus possint scripta proferre. Nunc autem memorati Concilii Nicæni, qualia exemplaria habemus, his gestis sociemus.*

V.

Faustinus Episcopus Legatus Ecclesiæ Romanæ dixit: *Nec vestra Sanctitas præjudicet Ecclesiæ Romanæ, sive de hoc capitulo, sive de aliis; quia dicere dignatus est frater noster & Coepiscopus Alipius, dubios esse canones, &c.*

VII.

Auguſtinus Eccleſiæ Hipponis Regienſis Legatus, Provinciæ Numidiæ, dixit: *Et hoc nos ſervaturos profitemur, ſalva diligentiore inquiſitione Concilii Nicæni.* Aurelius Epiſcopus dixit: *Si hoc etiam omnium veſtræ charitati placet, reſponſione firmate.* Univerſum Concilium dixit: *Omnia quæ in Nicæno Concilio ſtatuta ſunt, nobis omnibus placent.* Jocundus Epiſcopus Eccleſiæ Sufetulæ Legatus, Provinciæ Bizancenæ, dixit: *Quod conſtitutum eſt in Nicæno Concilio, violari à quoquam nullatenus poteſt, &c.*

Hos duos Articulos hæc Synodus ad verbum accepit ex Nicæna.

VI. Antiqui mores obtineant; Qui apud Aegyptum ſunt, & Libyam, & Pentapolim, Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat ſolicitudinem; quia & urbis Romæ Epiſcopo ſimilis mos eſt. Similiter autem & circa Antiochiam, & in cæteris Provinciis Privilegia propria reſerventur Metropolitanis Eccleſiis. Omnino autem manifeſtum eſt illud, quia ſi quis præter conſilium Metropolitani factus fuerit Epiſcopus, hunc Concilium magnum definivit non debere eſſe Epiſcopum. Si verò communi omnium decreto rationabili ſecundum Canonem Eccleſiaſticum comprobato, duo aut tres propter proprias inimicitias contradixerint, obtineat ſententia plurimorum.

VII. Hieroſolymitana conſuetudo antiqua ſervetur, ut Eliæ Epiſcopus honoretur, & habeat ordinem honoris, ſalva tamen Metropolitana dignitate ejuſdem Provinciæ.

EX SYNODO CARTHAGINENSI.

EPISTOLA AB OMNI CONCILIO AFRICANO AD Bonifacium urbis Romæ Epiſcopum, per Fauſtinum Epiſcopum, Philippum & Aſellum Presbyteros, Legatos Eccleſiæ Romanæ, directa.

DOmino beatiſſimo & honorabili Fratri Bonifacio, Aurelius Valentinus primæ ſedis Provinciæ Numidiæ, & cæteri, qui præſentes adfuimus, numero 217. ex omni Concilio Africæ. Quoniam Domino placuit, ut de his, quæ nobiſcum egerunt ſancti Fratres noſtri, Coepiſcopus Fauſtinus, & Compresbyteri Philippus & Aſellus, non beatæ memoriæ Epiſcopo Zozimo (à quo ad nos mandata & literas attulerunt) ſed tuæ venerationi (qui in ejus locum divinitùs eſt conſtitutus) humilitas noſtras ſubſcriberet: Ea breviter inſinuare debemus, quæ utrorumque concordia terminata ſunt; non ea, quæ prolixis geſtorum voluminibus continentur, in quibus (ſalva quidem charitate, non tamen ſine parvo altercationis labore) demo-

morati ſumus, ea geſtis delibantes, quæ nunc ad cauſam pertinent. Quanquam & ille (ſi adhuc eſſet in corpore) hoc acciperet gratius, quod videret pacatius terminatum, Domine Frater. Apiarius Presbyter (de cujus & ordinatione & excommunicatione fuerunt exortum non ſolum Siccenſi, verùm étiam toti Africanæ Eccleſiæ, non leve ſcandalum) de omnibus erratis ſuis veniam petens, communioni eſt reſtitutus. Prior autem Coepiſcopus noſter Siccenſis, Urbanus, quod in eo corrigendum viſum eſt, ſine ulla dubitatione correxit. Quia verò paci & quieti Eccleſiæ non tantum ad præſens, ſed etiam in poſterum proſpiciendum fuit, (quoniam talia multa præceſſerant, ut vel ſimilia, vel etiam graviora deinceps præcaveri oporteret) placuit nobis, ut de Siccenſi Eccleſia, retento ſcilicet honore gradus ſui Presbyterii, removeretur Apiarius; & accepto Epiſtolio, ubicunque alibi vellet, & poſſet, Presbyterii munere fungeretur. Quod eidem ipſi per literas proprias poſtulanti, ſine difficultate conceſſimus. Sanè priusquam hæc cauſa iſto termino clauderetur, inter alia quæ diuturnis diſceptationibus verſabamus; quia rogatio ipſa poſcebat, ut apud acta Eccleſiaſtica à Fratribus noſtris Fauſtino Coepiſcopo & Philippo atque Aſello cum Presbyteris quæreremus, ut promerent, quicquid eis nobiſcum fuiſſet injunctum agendum, nonnulla quidem ſine ullo ſcripto proſecuti ſunt verbis: Sed cum id potius flagitaremus, quod in literis ferrēt, COMMONITORIUM protulerunt. Quod recitatum nobis, etiam geſtis, quæ ſecum ad vos deferunt, eſt alligatum. In eis quatuor quidem nobiſcum agenda mandata ſunt; unum, de appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem; alterum, ne ad comitatum Epiſcopi importunè navigent; tertium, de tractandis Presbyterorum & Diaconorum cauſis apud finitimos Epiſcopos, ſi â ſuis excommunicati perperam fuerint; quartum, de Urbano Epiſcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, niſi ea quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Quorum omnium de primo & tertio, id eſt, ut Romam liceat Epiſcopis provocare, & ut Cleriorum cauſæ apud ſuarum Provinciarū Epiſcopos finiantur, jam priore anno etiam literis noſtris ad eundem venerabilis memoriæ Zozimum Epiſcopum datis inſinuari curavimus, ut ea ſervare ſine ulla ejus injuria pauliſper ſineremus, uſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilii Nicæni, & nunc de tua poſcimus Sanctitate, ut quemadmodum ea apud Nicæam â Patribus acta vel conſtituta ſunt, ſi ea à nobis facis cuſtodiri, & ibi apud vos iſta, quæ in commonitorio attulerunt, facias exerceri; id eſt, ſi Epiſcopus acccuſatus fuerit, & judicaverint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo dejecerint eum, & appellaſſe videatur, & confugerit ad beatiſſimum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, & voluerit audiri, & juſtum putaverit, ut renovetur examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quòd ſi is, qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum, ut è latere ſuo Presbyterum mittat, erit

in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet, & ſi decreverit, mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes authoritatem ejus, à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio; ſi verò crediderit ſufficere Epiſcopos, ut negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo ſuo conſilio judicaverit. Item de Presbyteris & Diaconis: Si Epiſcopus quis iracundus (quod eſſe non debet) citò aut aſperè commoveatur adverſus Presbyterum, ſive Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit, providendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem; habeat poteſtatem ejectus, ut finitimos interpellet Epiſcopos, & cauſa ejus audiatur, & diligentius tractetur; quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille Epiſcopus, qui aut juſtè aut injuſtè eum rejecit, patienter accipiat, ut negocium diſcutiatur; ut aut probetur ejus, aut emendetur ſententia. Hæc utique usque ad adventum veriſſimorum exemplarium Nicæni Concilii inſerta geſtis ſunt, quæ ſi ibi (quemadmodum ipſo quod apud nos Fratres ex Apoſtolicæ ſede directi commonitorio allegaverunt) continerentur, eoque ordine vel apud vos in Italia cuſtodirentur, nullo modo nos talia (qualia commemorare jam nolumus) vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Sed credimus, adjuvante Miſericordia Domini Dei noſtri, quòd tua Sanctitate Romanæ Eccleſiæ præſidente, non ſumus jam iſtum Typhum paſſuri, & ſervabuntur erga nos ea, quæ nobis etiam non diſſerentibus cuſtodiri debeant, cum fraterna charitate, quæ ſecundum ſapientiam atque juſtitiam, quàm tibi donavit Altiſſimus, etiam ipſe proſpicis eſſe ſervanda, ſi fortè aliter habent Canones Concilii Nicæni. Quamvis enim plurimos Codices legerimus, ſed nusquam in Nicæno Concilio in latinis Codicibus legimus, quemadmodũ in ſupradicto cõmonitorio inde directa ſunt; tamen quia hic in nullo Codice Græco ea potuimus invenire, ex Orientalibus Eccleſiis, ubi perhibentur eadem Decreta poſſe etiam authentica reperiri, magis nobis deſideramus afferri. Pro qua re tuam quoq; Venerationem obſecramus, ut ſcribere etiam ipſe digneris ad illarum Partium Sacerdotes; hoc eſt, Eccleſiæ Antiochenæ, Alexandrinæ & Conſtantinopolitanæ & aliis; ſi etiam tuæ placuerit Sanctitati, ut inde ad nos iidem Canones apud Nicæam civitatem à Patribus conſtituti veniant, te potiſſimum hoc beneficium cunctis Occidentalibus Eccleſiis in Domini adjutorio conferente. Quis enim dubitet, Exemplaria eſſe veriſſima Concilii in Græcia Nicænæ Synodi congregatæ, quæ de tam diverſis locis, & de nobilibus Græcis Eccleſiis allata & comparata concordant? quod donec fiat, hæc, quæ in Commonitorio ſuprà dicto nobis allegata ſunt, de Appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem, & de Clericorum cauſis apud ſuarum Provinciarum Epiſcopos terminandis, nos usque ad probationem ſervaturos eſſe profitemur, & Beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam in Dei voluntate confidimus. Cætera verò, quæ in noſtra Synodo geſta vel firmata ſunt, quoniam ſupradicti Fratres noſtri Fauſtinus Coepiſcopus, Philippus, & Aſellus Compresbyteri ſecum ferunt, ſi dignatus fueris, tuæ nota fa-

cient

cient ſanctitati. Et alia manu: Dominus noſter te nobis annis plurimis cuſtodiat, beatiſſime Frater. Subſcripſerunt quoque Alipius, Auguſtinus, Poſidius, Marinus, & cæteri Epiſcopi 217.

EPISTOLA AFRICANI CONCILII AD PAPAM *Cœleſtinum, urbis Romæ Epiſcopum.*

DOmino dilectiſſimo, & honorabili Fratri, Cœleſtino, Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus, Servus Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Januarius, Optatus, Celtitius, Donatus, Theaſius, Vincentius, Fortunatianus, & cæteri, qui in univerſali Africano Concilio Carthaginis affuimus. OPTAREMUS, ſi, quemadmodum Sanctitas tua de adventu Apiarii lætatos vos fuiſſe, miſſis per Compresbyterum noſtrum Leonem literis intimavit, ita nos quoque de ejus purgatione hæc ſcripta cum lætitia mitteremus. Eſſet profectò & noſtra & veſtra modò alacritas certior; nec feſtinata, nec præpopera videretur, quæ adhuc tam de audiendo, quàm de audito præceſſerat. Adveniente ſanè ad nos ſancto Fratre & Coepiſcopo noſtro Fauſtino, Concilium congregavimus, & credidimus, ideo cum illò miſſum, quoniam ſicut per ejus operam Presbytero antea redditus fuerat, ita nunc poſſet de tantis criminibus à Tabracenis objectis, eo laborante purgari, cujus tanta ac tam immania flagitia decurſus noſtri Concilii examen evenit, ut & memorati Patrocinium potius, quàm judicium, ac defenſoris magis operam, quàm diſceptatoris juſtitiam ſuperarent. Nam primùm quantum obſtiterit omni congregationi Fauſtinus, diverſas injurias ingerendo, quaſi Eccleſiæ Romanæ aſſerens Privilegia, & volens eum à nobis in communionem ſuſcipi, quem tua Sanctitas (credens appellâſſe, quod probare non potuit) communioni reddiderat, quod minimè tamen licuit; quod etiam geſtorum ex lectione melius cognoſces. Triduano tamen laborioſiſſimo agitato judicio, cum diverſa eidem objecta affliċtiſſimi quærceremus, vel moras Coëpiſcopi noſtri Fauſtini, vel tergiverſationes ipſius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus judex juſtus, fortis, & longanimis, magno impendio reſecavit. Tetriore quippe ac putidiore obſtinatione compreſſa, qua tantum lividum cœnum impudentia negationis volebat obruere, Deo noſtro ejus conſcientiam coarctante, & occulta, quæ in illius corde tanquam involuta criminum jam damnabat, etiam hominibus publicante, repentè in confeſſionem cunctorum abjecto flagitiorum doloſus negator erupit, & tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus ſe ipſe convicit, atque ipſam quoq; noſtram ſpem, qua eum & credebamus, & optabamus, de tam pudendis maculis poſſe purgari, convertit in gemitus: niſi quoniam iſtam noſtram mœſtitiam uno tantum ſolatio mitigavit, quod & nos labore diuturnioris quæſtionis abſolvit, & ſuis vulneribus qualemcunque medelam, etſi invita (ac ſua conſcientia reluctante) confeſſione providit, Domine Frater. Præfato itaque debitæ ſalutationis offi-

cio, impendiò deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes, non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultrà velitis excipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facilè advertet Venerabilitas tua. Nam etſi de inferioribus Clericis vel Laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Epiſcopis voluit obſervari, ne in ſua Provincia communione ſuſpenſi, à tua Sanctitate, vel feſtinatò, præproperè, vel indebitè videantur communioni reſtitui? Presbyterorum quoque & ſequentium Clericorum improba refugia (ſicut te dignum eſt) repellat Sanctitas tua; quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & Decreta Nicæna ſive inferioris gradus Clericos, ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. Prudentiſſimè enim juſtiſſimeque viderunt, quæcunque negocia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda; nec unicuique Provinciæ gratiam S. Spiritus defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſimè teneatur, maximè, quia unicuique conceſſum eſt, ſi judicio offenſus fuerit cognitorum, ad Concilia ſuæ Provinciæ, vel etiam univerſale provocare. Niſi fortè quisquam eſt, qui credat, unicuilibet poſſe Deum noſtrum examinis inſpirare juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare; aut quomodo ipſum *transmarinum judicium* ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt? Nam ut aliqui tanquam à tuæ Sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo conſtitutum, quia Illud, quod pridem per eundem Coëpiſcopum noſtrum Fauſtinum tanquam ex parte Nicæni Concilii exinde transmiſiſtis, in Conciliis verioribus (quæ accipiuntur Nicæni) à ſancto Cyrillo, Coëpiſcopo noſtro Alexandrinæ Eccleſiæ, & à venerabili Attico Conſtantinopolitano Antiſtite ex authentico miſſis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa ſunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Epiſcopo prædeceſſori veſtro à nobis transmiſſa ſunt; in quibus tale aliquid non potuimus reperire, executores etiam Clericos veſtros, quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere; ne fumoſum typhum ſeculi in Eccleſiam Christi (quæ lucem ſimplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert) videamur inducere; nam de fratre noſtro Fauſtino (amoto jam pro ſuis nefandis nequitiis de Christi Eccleſia dolendo Apiario) ſecuti ſumus, quod eum (probitate ac moderatione ſuæ Sanctitatis salva) fraterna Charitate ulterius in Africa minimè sustinere patiatur. Et alia manu: Dominus noſter Sanctitatem veſtram ævo longiore orantem pro nobis cuſtodiat, Domine Frater.

Canon porrò Nicænus VI. quem ſancta Carthaginenſis Synodus contra Papam in præcedenti Epiſtola tantoperè urget, ſic in Chalcedonenſi Synodo ab ipſis Papæ Romani Legatis proponitur: *Teneat Ægyptus, ut* Epiſcopus Alexandriæ *omnium*

mnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia constitutus est Episcopus, & in cæteris provincijs, primatus habeant Ecclesiæ civitatum ampliorum. Hic clarè videmus, Nicænam Synodum primum in hoc Canone primatum in singulis provincijs suo Metropolitano dare, omnesque Episcopos ac Sacerdotes ei suæ provinciæ subijcere. Deinde, omnes Metropolitanos Episcopos, Alexandrinum, Romanum, Antiochenum, & aliarum provinciarum, inter sese planè exæquare, ita ut nullus alteri imperare in ulla planè re possit, aut debeat. Demum, ne ullius (ut ita dicam) subditi, ad alium Metropolitanum appellare possint. Atque hoc modo etiam sexta Carthaginensis Synodus prædictum Canonem in præcedenti Epistola intelligit, citat, & urget.

Cæterùm ex hisce, quæ præcesserunt, scriptis potissimum sumpta est Historia certaminum Papatum, cum Concilio Africano, de eorum primatu seu tyrannide. Primùm, quàm scelestissimis artibus illi sanctæ Synodo assensum in suum imperium extorquere sint conati; deinde, quàm constanter sint ab illa cum sua ethnica tyrannidis affectatione repulsi. Quæ omnia non tantum vivente, sed & præsente, inspectante & agente Augustino acta sunt. Jam autem sequuntur duo Scripta, ex quibus intelliges, quomodo Romani Antichristi centum annis, postquam tam turpiter in prædicta Synodo repulsi fuerant, tandem & tyrannidem jam olim affectatam, aliqua ex parte occupaverint, & prædictam sacrosanctam Synodum impiè damnaverint.

EPISTOLA EVLALII, CARTHAGINENSIS METROPOLITANI, *qua unà cum alijs quibusdam suis Cöepiscopis anathematizat sextam Carthaginensem Synodum, (licet eam clarè non nominet) quæ negaverat Papæ omnem jurisdictionem seu potestatem super Africanas, & alias exteras Ecclesias, seq; ei solenniter subijcit.*

PRima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deviare; & quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* & hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede Apostolica extra maculam semper est catholica servata religio. De qua spe & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes constituta: *Anathematizamus omnes, qui contra sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam superbiendo suas erigunt cervices, sequentes in omnibus Apostolicam sedem, & prædicantes ejus omnia constituta. Et per omnia spero, ut in una communione vobiscum, quam* sedes Apostolica *prædicat, esse merear, in qua est integra & vera Christianæ religionis & perfecta soliditas; promittens*

tens sequestratos à communione Ecclesiæ catholicæ, *id est, non consentientes sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliqua professione mea deviare tentavero, his, quos damnavi, complicem mea sententia me esse profiteor.* Hanc autem professionem meam manu mea subscripsi, & Bonifacio sancto & venerabili Papæ urbis Romæ direxi, damnans & *Antecessores & Successores meos*, & omnes, qui sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ privilegia cassare nituntur. Hinc enim supernæ misericordiæ documentum perdocetur, quando & mundani Principes causas fidei cum Reipublicæ ordinatione conjungunt; & Ecclesiarum Præsules, quod ad dispensationem suam pertinet, officij memores exequuntur. Talibus enim indigebat post discordiæ procellas religio Christiana Rectoribus, qui compressis provida dispensatione turbinibus, diu peregrinatam pacem depulsa tempestate reducerent, ut in futura pòst sæcula ad propositi sui exempla tendentes, sibi asscribendum indubitanter ostenderent, quicquid Domino placitum posteris pro sua imitatione fecissent. Benedicamus Dominum, Fratres charissimi, nostris hoc diebus fuisse concessum; & totis orationum & curarum viribus adnitamur, ut quæ Dei ope bene cœpta sunt, ipso adjuvante per omnia compleantur. Sperandum enim est, ut ad compagem corporis sui reliqua, quæ adhuc divisa sunt, membra festinent, & à potioribus minora non discrepent. Ad quod cum me Dilectio tua Christianæ studio charitatis hortetur, debet, quod invitat, sequi; & quod amandum suadet, amplecti. Similem enim jam fidei curam gerentes, per religiosam patientiam par etiam præmium de boni operis speramus affectu. Neque enim difficultatibus est cedendum. Non enim fatigatur asperis fides, nec ad cœlorum ardua per proclive tenditur, nec remunerationem citra laboris exercitium quis meretur. Unde ne facientes bona deficiamus, specialiter admonemur, etiam

Psalm. 106. v. 3. testante Psalmista: *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.* Quia non initium laboris remunerationem præmij consuevit invenire, sed terminus. Ergo studium solicitudinis assumentes, quibus est una in communione societas & credulitas, quemadmodum de unitate sedis Apostolicæ, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ, pariter exultamus in Domino; ita de reliquorum quoq; (sicut affectione admones) redintegratione lætemur, & curemus præmium, ut fidem integritatemque nostram immaculatam ab omni contagione servemus. Nosti enim, Frater charissime ac sanctissime, quia Ecclesiastica servant vincula concordiam, quæ nos ab Hæreticorum tueatur insidijs, per quam etiam Canonum custoditur integritas; his in robore suo omni circumspectione servatis, remedia sperantibus conservantur. Habet enim Ecclesiasticarum ordo regularum, & ipsius forma justitiæ, ut medicina rationabilis benignè & fideliter sperantibus non negetur: nec quisquam est ita ab humanitate discretus, quem non à rigore districtionis inclinet cauta simplicitas. Sed ut cautè hoc cæterasque querelas aut errores alicujus ævi valeas expedire, dilectissime Frater, personam meam te in hoc oportet induere

sci

ſcientem in hujusmodi cauſis,ſicut prædictum eſt, quid cavendum ſit, & ita ante omnia prævidendum, ut à te non ambigas rationem diſpenſationis hujus Deo eſſe reddendam.Ita tamen,ut eos,qui vobis fuerint communione ſociati,vel per vos ſedi Apoſtolicæ, veſtra nobis ſcripta declarent; quibus etiam & quam continentiam libellorum obtulerint,inſeratur. Sic quoque humilitatem debemus tenere in mente,ut inde ordinis noſtri dignitatem ſervemus in honore,quatenus in nobis nec humilitas timenda, nec ratio ſit ſuperba.Omnipotens Deus, Chariſſime,ſua te protectione cuſtodiat, atque ad cœleſtis remunerationem patriæ multiplici animarum fructu perducat.Deus te incolumem cuſtodiat, reverendiſſime Frater; Amen.

EPISTOLA BONIFACII II. PAPÆ AD EVLALIVM PAtriarcham Alexandrinum, qua ſextam Carthaginenſem Synodum damnat ac deteſtatur, licet eam non nominet, & de ſubjectione Eulalii Carthaginenſis Metropolitani inſolenter triumphat.

Bonifacius Epiſcopus Romanus,Eulalio Coëpiſcopo ſalutem.Olim & ab initio tantam percepimus â beato Petro Apoſtolorum Principe, fiduciam, ut habeamus authoritatem univerſali Eccleſiæ, auxiliante Domino,ſubvenire; & quicquid nocivum eſt, authoritate Apoſtolica corrigere & emendare. Adhoc enim divinæ diſpoſitionis proviſio gradus diverſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent,una concordiæ fieret ex diverſitate contextio,& rectè officiorum generaretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim diverſitas alia poterit ratione ſubſiſtere,niſi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo ſervaret. Quia verò quæque creatura in una eademque qualitate gubernari vel vivere non poteſt, cæleſtium militiarũ exempla nos inſtruunt;quia dum ſint Angeli,ſint Archangeli,liquet, quia nõ æquales ſunt,ſed in poteſtate & ordine,ſicut noſtis, differt alter ab altero.Si ergo inter hos,qui ſine peccatis ſunt,conſtet,iſtam eſſe diſtinctionẽ; quis hominum abnuat,libenter ſe illorum diſpoſitioni ſubmittere? Hinc enim pax & charitas mutuâ ſe vice complectuntur,& manet firma concordia, ac in altera & Deo placita dilectione ſinceritas.Quia igitur unumquodque ſalubriter tunc completur officium, cum fuerit unus, ad quem poſſit recurri, præpoſitus, vota noſtra charitatem tuam latêre nolumus; ne qui particeps fuit ſolicitudinis, gaudiorum fructus reddatur extorris.Et ideo *Carthaginenſem Eccleſiam ad communionem noſtram rediiſſe*,(Domino propitiante) tradentibus ſignificamus alloquiis;& mandatorum,quæ Legatis noſtris dedimus, ſeriem in omnibus fuiſſe completam. De qua parte,ut ad dilectionem tuam plenius perfectè gaudium perveniret, libelli *Eulalij,Fratris & Conſacerdotis noſtri Carthaginenſis Epiſcopi*,& Juſtini, clementiſſimi Principis Orientis, ſa-

crarum literarum exemplaria pariter credidimus destinanda, indicantes nihilominus, per Orientis partes plurimos Episcopos sic fecisse. Superest, ut à nobis competentibus precibus Divinitas exorata concedat, quatenus de aliarum quoque Ecclesiarum redintegratione gratulemur. Ea verò, quæ significare curavimus, in eorum Sacerdotum, qui Fraternitati tuæ vicini sunt, curabis perferre notitiam, ut & ipsi de effectu tantæ rei gratias nobiscum cœlestis misericordiæ beneficiis referre non cessent. *Aurelius* enim, præfatæ Carthaginensis Ecclesiæ olim Episcopus cum Collegis suis, instigante Diabolo, superbire temporibus Prædecessorum nostrorum Bonifacii atque Cælestini contra Romanam Ecclesiam cœpit. Sed videns se modò peccatis Aurelii *Eulalius* à Romanæ Ecclesiæ communione segregatum, *humilians recognovit se, pacem & communionem Romanæ Ecclesiæ petens, subscribendo unà cum Collegis suis, damnavit Apostolica authoritate omnes scripturas, quæ adversus Romanæ Ecclesiæ PRIVILEGIA factæ quoquo ingenio fuerunt, &c.*

Hæc sunt, Christiane Lector, præcipua scripta, unde præcedentem Historiam desumpsi; nam omnia apponere, nimis molestum & mihi & tibi fuisset. Quæ si diligenter ac candidè perpendisti, ac cum Historia contulisti, facile haud dubiè vidisti, me bona fide rem gestam narrasse; nisi quòd illi sancti Patres paulò mitioribus verbis omnia, quàm ego, expresserunt. Ut, non dicunt illi quidem clarè, admissum esse à Papis crimen falsi, ut ego; sed tamen dicunt, nulla planè exemplaria, nec authentica, nec quæ vulgò habeantur, sic, ut Papæ affirmant, habere, sed contrarium ostendere, eoque se eorum flagitationi minimè assentiri velle. Quod idem planè est, ac crimen falsi exprobrare. In causa autē fuit, quòd olim Patres usi sunt *lenioribus verbis*, quòd semper meliora de Romanis Episcopis sperarunt. Quòd si scivissent, eos in istam, quam nos nunc gementes cernimus, summam regiminis tyrannidem, doctrinæ ac religionis impietatem, & vitæ plus quàm Sodomiticam turpitudinem declinaturos, proculdubio & illi durius eos tractassent. Nunc autem piorum patientia toties læsa, meritò in furorem vertitur. Omnino turpiter est ista Babylonia Meretrix abusa piorum nimia modestia, ac sanè semper ea illis sedulò inculcavit, ut sint modesti humiles, obedientes, simplices, non altum sapientes; quo scilicet ipsa tantò facilius, ac commodius crescere ac extollere, & Christianorum cervices pedibus superbè conculcare, nemine repugnante, posset. Cui, quæso, non est Papæ, ejusque Curtisanorum cantilena nota, Christianos homines debere in simplicitate sua ambulare, & simpliciter credere, quicquid Romana sedes eis proponat; eam procul dubio ipsos non decepturam. Quòd si deceperit, ipsos quidem excusatos esse, illam verò Deo suorum factorum rationem reddituram. Quæ omnia nimirum eò spectarunt, ne quisquam pius unquam auderet caput nonnihil sublevare, ac depulsa illius inanis nominis sedis Apostolicæ nebula, aliquantò diligentius intueri, & ex sacris aliisque Scriptoribus cognoscere, an omnia ita sese haberent, sicut Romanistæ affirmant.

Hæ

Hac igitur, non tam agnina simplicitate, quàm asinina quadam stoliditate, ac servili humilitate Christianorum, ita abusi sunt Romani Pontifices, ut non sint veriti, nobis (ut vulgò dicitu) *quid* pro *quo* obtrudere, commentitiisque & suppositititiis scriptis turpissimè omnes deludere, manifestissimaq; mēdacia nobis pro divina veritate colēda proponere. *De fictitia Constantini donatione* multi hactenus scripserūt; qua tamen ista Babylonia Meretrix planè regium, imò & plus quam regium splendorem ac potentiam sibi rapuit. Sic & *Clementis* illa longa *Epistola ad Jacobum*, ubi tota fermè Papistica abominatio, præcipuè autem jus successionis, fundata est, egregiè Papæ ad stabiliendam suam Tyrannidem & impietatem sunt abusi; quam tamen suppositititiam, adulterinamque esse, ac longo postea tempore ab aliquo impuro Curtisano, & Historiæ veteris egregiè imperito (cautius enim alioquin profectò mentitus fuisset) consarcinatam, ex eo apparet, quòd nec Hieronymus in vita Clementis ejus mentionem facit; nec ii ritus adhuc tunc in usu fuerunt, quorum ea mentionem facit; & denique quod Iacobus ille integris annis septem ante Petrum, teste Josepho, Hieronymo, Eusebio & aliis, mortuus est. Quomodo ergo potuit illi mortem & novissima verba, seu testamentum Petri perscribere? nisi fortè ei in purgatorium aut campos Elysios eam Epistolam misit. Quòd si ea Epistola serò aliquando tandem conficta est, igitur & aliæ plurimæ primorum Paparum Epistolæ commentitiæ sunt, quæ illam subinde citant. Talia mendacia, ac vel suppositititia, vel falsata scripta, haud dubiè plurima sunt, si modò quis diligenter veritatis vestigia perquireret. Ego sanè nō dubito, etiam illos verissimè disputare, qui *negant, Petrum Romæ omnino fuisse*, aut certè tam diu (ut Papistæ mentiuntur) ibi in triplici corona præsedisse; nam & Paulus, cum tam multas Epistolas Romam, & Roma (eo tempore, quo vulgares Historiæ Petrum Romæ fuisse, ac tanquam Episcopum supremum sedisse testantur) scripserit, tanquam multorum etiam vulgarium homuncionum mentionem fecerit, nunquam tamen vel syllaba Petri, tanti viri meminit. Quis quæso credat, hoc accidere potuisse, si Petrus tunc Romæ fuisset? Adhæc, ne ipsi quidem Papistæ quicquam certi de eo affirmare possunt. Ajunt enim, Papam Romæ annis 25. fuisse; & tamen simul alios duos Papas, eo vivente, fuisse, Linum & Cletum. Item alii affirmant, illos Petro successisse, & Clementem fuisse quartum à Petro. Alii, ut etiam illa suprà dicta Clementis Epistola, dicunt, Clementem statim Petrò mortuo factum Papam. Item alii dicunt, Petrum eodem loco cum Paulo, ac eodem genere supplicij affectum; alii planè diversa tradunt. Denique ego omnibus omnium mortalium Historijs de Petro, illam ad Galatas secundo à Paulo scriptam, Gal. 2. v. 7. præfero. Ibi enim ille primum affirmat disertè, Petro esse *concreditum Apostolatum* seu *Episcopatū inter Judæos*, sibi verò *inter Gentes*, seu super Gentiles. Deinde narrat, Petrum usque ad Concilium Hierosolymitanum (quod circiter 18. annos post ascensionem CHRISTI, & septimo commentitii Papatus Petri, celebratum est) potissimum Judæis prædicasse, & de postero tempore sanctissimum datarum dextera-

 rum

rum fœdus secum iniisse, quòd ipse quidem velit prædicare Judæis; Paulus verò debeat concionari Gentibus. Ubi habes brevissimè & verissimè comprehensam Historiam Petri, quæ indicat, ei & à CHRISTO potissimum super & inter Judæos Apostolatum, Episcopatum, seu Papatum, concreditum mandatumque esse; & eum tum ante Hierosolymitanam Synodum, tum postea potissimum Judæos docuisse, eoque potissimum ibi sedisse, aut stetisse, ubi plurimi Judæi fuerunt, id est, in Syria, & aliis Orientalibus partibus; nam Romæ non ita multi fuerunt; quandoquidem & nondum fuerant sic dissipati, sicut postea in eversione Hierosolymæ; & Claudius eos Româ penitus expulerat.

Quod autem quidam Historici affirmant, *Petrum Romæ tam diu sedisse*, mihi maximè verisimile est, Paparum fraude eorum scripta falsata esse, qui inde fermè ab initio tyrannidem in domo Domini sedulò affectarunt, & omnibus malis artibus ardenter quæsierunt. Adhæc etiam usitatum est in Historiis, ut, cum unus aliquis initio à verò aberravit, tunc & omnes sequentes cæcum ducem, cæci & ipsi, id est, negligentes veritatis inquisitores, eum temerè sequantur. Plane enim veluti grues, sese mutuò Historici ducunt & sequuntur. Et quoniam in disputationem de sede ac Papatu Petri incidimus, cur non considerant stulti ac impij Pseudoprophetæ Antichristi, Apostolos nullam certam ac fixam sedem habuisse, ut postea nunc Episcopi ac Pastores, sed quam latissimè per mundum vagatos, id tantum agentes, ut in singulis locis primũ, utcunq; fundamentum Christianæ religionis jacerẽt, & mediocriter Ecclesiam constituerent; postea mox, creatis per suffragia Presbyteris, eis illam commendarent, & aliò properarent? Quod & ex Historia Actorum Apostolicorum
Marc. 16. v. 15. clarissimè patet, & ex mandato ipsis à CHRISTO dato. Dixit enim eis Dominus: *Ite per universum orbem.* Non dixit: *Considete singuli in singulis urbibus.* Item: *Vos mihi testimonium præbebitis per universum orbem.* Idem etiam ipsum nomen Apostolus, ablegatus, seu nuncius, affirmat, quòd scilicet non fuerint singularum civitatum præfecti, sed nuncij, vagantes ac discurrentes per totum mundum, & bonum nuncium de reconciliato per CHRISTI meritum Deo, omnibus hominibus indi-
Esa. 52. v. 7. cantes. Quare & Spiritus S. per Prophetam dicit: *Ecce quàm pulchri pedes annun-*
Psalm. 19. v. 5. *ciantium pacem.* Non dicit: *Ecce quam pulchræ sedes, seu tribunalia.* Ideo & Psalmus prædicit, *exiturum sonum eorum in omnem terram, & in fines orbis terrarum perventurum.* Considerunt quidem aliquandiu alicubi, ut Paulus Antiochiæ circiter quadriennium, Ephesi triennio, & Corinthi biennium, & sæpè etiam post abitum eodem recurrit, eo quòd ibi magnam messem habuit; non tamen propterea Ephesus aut Corinthus, Pauli sedes fuit, aut aliæ civitates aliorum. Hanc igitur proprietatem Apostolorum (qua etiam præter alias à secutis Pastoribus & Doctoribus distinguuntur) si perpenderent indoctiss. & scelestiss. Romanistæ, mox viderent, quo jure de sua cariosa, aut fumosa Apostolorum sede glorientur; nam etiamsi maximè Petrus Romam venisset, tamen non venit eò, ut ibi sedem aut solium suæ Majesta-

tis

tis poneret; ſed tantum,ut eam Eccleſiam inviſeret,& corrigeret,ſi quid correctionis fortè indigeret; & mox eo perfecto,aliò docendi cauſa commigraret; ſicut & Nicephorus præter alios de eo ſcribit. Sed de hac re alibi prolixius.

Hinc igitur potes,Chriſtiane Frater, animadvertere,quàm præclaris mendaciorum fundamentis tota iſta ſuperba moles tyrannidis & impietatis Antichriſti Romani ſubnixa firmataque ſit. Quare tuum eſt, jam deliberare, an potiùs per mendacia ac impoſturas non tam hominum, quàm ipſius Diaboli, & ejus Antichriſti Romani,ad æternum exitium; quàm per ſimplicem CHRISTI veritatem, ad æternam ſalutem,properare ac pervenire exoptes.

Dominus JESUS liberet omnes ſuos â mendaciis & homicidiis Diaboli, & ejus An .chriſti;Amen.

MATTHIÆ FLACII

LIBER

DE PRIMATU PETRI, AC PER hunc Pontificis Romani in Ecclesia Christi commentitio.

I. JOANNIS 2. v. 22.

Antichristus est is, qui negat JESUM esse Christum. Id Papa facit, nam adimit Domino JESU regnum & sacerdotium, quæ Meschiæ officia sunt. Sacerdotiū ei adimit, dum alios Doctores vult audiri, alios pro eo in terra substituit Sacrificulos, & in cœlo mediatores. Regnum ei abrogat, dū hic in terris ipse vult esse caput Ecclesiæ, in cœlo verò alios pro eo opitulatores, nempe Petrum, Mariam, Franciscum, &c comminiscitur.

ANTE annos mille centum & triginta celebratum est *Concilium Carthaginense VI.* cui ducenti & decem & septem Episcopi, ac inter alios Augustinus quoque interfuerunt. Ab ea Synodo petijt Papa per Legatos & literas, ut liceret Sacerdotibus illinc ad se appellare. Item, ut ipse possit Presbyterum à latere eò mittere, qui de controversijs cognoscat, sibique referat. Ac omnino jurisdictionem supra Africanas Ecclesias sibi concedi voluit. Id ut sibi deberi probaret, affirmavit, à Nicæna Synodo sic decretum esse. Atque ita crimen falsi patravit. Ad eam petitionem primùm respondit Synodus Africana, cùm alia quædam, tum etiam, quòd nihil tale in usitatis decretorum Nicænæ Synodi exemplaribus legatur. Quare petierunt rem differri, quoad authentica Exemplaria Constantinopoli, Antiochia, & Alexandria peterentur. Allatis inde Exemplaribus, vanitas Papæ manifestè deprehensa & refutata est. Quare in posteriori responso pia ac gravi Epistola penitus Papæ petitionem negarunt, affirmaveruntque, nihil tale in authenticis Exemplaribus, quale ipse citat, inveniri; nec justum esse, alias Ecclesias Papæ subjici, cum & illis Christus suo Spiritu adsit. Sed adscribam locum ex Epistola Synodi: *Decreta Nicæna* inferioris gradus Clericos, *sive* ipsos Episcopos *suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, justissimeq; viderunt, quæcunq; negocia in suis locis, ubi orta sunt, finienda. Nec unicuiq; provinciæ gratiam spiritus sancti defuturam, qua æquitas à CHRISTI Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur. Maximè, quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum*, ac Concilia suæ Provinciæ, *vel etiam* Universales *provocare. Nisi forte quisquam est qui credat, uni alicui* (scilicet Papæ) *posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam*

tiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo transmarinum judicium *ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexum, vel propter senectutis infirmitatem, vel etiam multis alijs incurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam ut aliqui, tanquam à tuæ Sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum. Quia illud, quod pridem per eundem Episcopum nostrum* Faustinum, *tanquam ex parte Nicæni Concilij, exinde transmisistis, in Concilijs verioribus, quæ accipiuntur à sancto* Cyrillo, *Coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili* Attico *Constantinopolitano Antistite,* ex Authentico *missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ* Bonifacio *præcessori vestro, à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Exequutores etiam vestros quibusque petentibus nolite mittere. Nolite concedere, ut* FUMOSUM TYPHUM SECULI *in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Hactenus Synodus.

Magnum scelus, idque non immeritò, existimatur esse *crimen falsi*, etiam cum à quovis tantum in profanis causis coram uno Judice admittitur. Cogita igitur, pie Lector, quàm præclarum facinus fuerit, cum id Papa, scilicet (si Dijs placet) per totum orbem terrarum, Vicarius CHRISTI triumphantis, in rebus Ecclesiasticis, idque coram tanta Synodo, patraverit. Atque ita unica suæ fraudis sagena tam multos Sacerdotes, Episcopos, totasque CHRISTI Ecclesias suæ tyrannidi subjicere voluerit. Cogita etiam, si jam ante mille centum & triginta annos tales ambitiosi, injusti, falsatores librorum & Synodorum Papæ fuerint, quantum nobis hactenus, crescente subinde eorum multiplici malitia & astutia, aliorumque Christianorum tum inscitia, tum & religionis negligentia, impietatis & injustitiæ per sua Decreta, & Decretales, & extra justitiam vagantes, nugas, Agendas, lugendas, tam varias Sanctiones & Bullas, & mille occultas practicas in Ecclesiam invehere potuerint. Ut admodum parvæ autoritatis esse pijs debeant commentitia *Donatio Constantini*, & similia multa; quorum quædam (haud dubiè adulterina) etiam ex non malis authoribus, vel pro tyrannide, vel pro impietate Pontificia stabilienda nunc citantur. Talis est etiam illa prolixa *Epistola Clementis ad Jacobum Justum*, fratrem Domini, Hierosolymorum Episcopum, *de morte Petri, deq; sui substitutione*, multisq; alijs parū sanis, & quædam aliæ. Constat enim ex Josepho, Hieronymo, Ecclesiastica historia Platinæ, & alijs historicis, Jacobum Fratrem Domini, cognomento *Justum*, anno septimo Neronis interfectum; septem scilicet aut amplius annis ante mortem Petri, qui decimoquarto Neronis occisus est. O Papistas mendaces, parum memores! Ejusdem farinæ sunt & *Apost. Canones, Dionysij scripta*, quatenus illi primò tribuuntur, aliaque plurima religionis Antichristi columina, Atque omnium istorum, ut ea prædictum Concilium appellat, FUMORUM, quos impia

impia Papæ fraus & violentia in Ecclesiam invexit, Spiritus sanctus & Ecclesia, secundum impudentem vanitatem Pseudoprophetarum Antichristi, autor & inventrix esse cogitur.

Talibus igitur artibus cum tam longo tempore Romanus Antichristus instructus fuerit, ac simplicitatem Ecclesiæ oppugnaverit, non est mirum (præsertim connivente Deo ob nostra peccata, ut à Daniele jam olim prædictũ fuit) eum adeò in Ecclesia CHRISTI crevisse, & omnium etiam ipsa corda sibi subjecisse, ut jam ab ipso Deo, veluti propria manu in eam sedem collocatus esse videatur. Hunc Antichristum Dominus Jesus *in Templo Dei sedentem*, ac ibi omnia sacra vendentem, & profanantem, ex Temploque Dei meram latronum speluncam facientem, flagello Verbi sui nunc ejecit. Quem quoniam multi restitutum cupiunt, eique non pauci januas & fenestras patefaciunt, asperaque viarum complanant, oportet nos, quantumvis pusillos, infantes & lactentes, excipiendo Regem nostrum, Dominum JESUM, filium David, ejusque Regnum lætis acclamationibus celebrando, infernalem istum lupum à grege Domini absterrere & fugare. Dominus JESUS novit, per balbutiem infantium & lactentium suam potentiam augere & stabilire. Per talem imbecillitatem virtus ejus potissimũm crescere augerique solet.

Hanc igitur ob causam scriptum hoc edere volui, quod *in tria capita* dividetur. In *primo* CHRISTO juvante probabo, Petrum non habuisse primatum in Ecclesia CHRISTI, aut jus aliquod supra alios Apostolos; multo minus utrumque gladium super orbem terrarum. In *secundo* probabo, quòd etiamsi maximè habuisset primatum Petrus, tamen Papa propterea non haberet. In *postremo* probabo, nec possibile esse, nec etiam utile Ecclesiæ, ut sit unus aliquis universalis Episcopus.

Caput. I. Quòd igitur Petrus non habuerit *primatum in Ecclesia*, nec fuerit *universalis Ecclesiæ Episcopus*, his sequentibus rationibus probo.

I. Quia Paulus aliquoties in Epistola ad Galatas clarè testatur, se quidem esse *Apostolum gentium*, Petrum verò *Judæorum*; ejusque Apostolatum inter Judæos, Gal. 2. v. 7. 8. *suum* inter incircumcisos esse. Verba ejus cap. 2. hæc sunt: *Cognoscentes, quod* MIHI sit concreditum *Evangelium præputÿ, sicut PETRO CIRCUMCISIONIS*; *nam qui in Petro efficax fuit ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuit in me erga gentes.* v. 9. Ibidem paulo pòst: *Jacobus, Cephas & Johannes, qui videbantur esse columnæ, dextras dederunt mihi ac Banabæ societatis, ut* nos in gentes, *ipsi verò* in circumcisionem *Apostolatu fungerentur.* Primùm divinam Ordinationem, deinde sanctissimam dextrarum pactionem statuisse ait, ut alter sit *Judæorum*, alter *Gentilium Apostolus.* Hæc profectò clarissimè, ac sine omni ambiguitate ostendunt, Petrum non esse summum Episcopum in tota Ecclesia; nam si Christus eum *universalem Apostolum* supra omnes gentes constituisset, obsecro quomodo vel ipsemet, vel Paulus, ausus fuisset ejus functionẽ decimo octavo demum post passionem CHRISTI anno, tantopere coarctare, idque tam sancto pacto? Sed superius clarè testatus est

tus eſt Paulus, Petro divinitùs eas metas circumſcriptas, ut ſit circumciſorum Apoſtolus. Ita ex his locis Pauli animadvertimus, Petrum divino, & humano jure *particularem*, & non univerſalem *Epiſcopum* conſtitutum. Item quàm latè ſe extendat illud Joan. *Paſce oves meas.* Nec hoc jus, hancque functionum diſtinctionem irritam facit, quod aliquando per occaſionem & Paulus Judæis, & Petrus Gentilibus eſt concionatus. De jure enim hic, non *de facto* diſputamus. Jam, ſi Petrus eſt Judæorum Apoſtolus, non Gentilium, quid ad nos ejus Apoſtolatus, qui ex Ethnicis converſi ſumus? Multo verò minus Papa, etiamſi eſſet ſucceſſor ejus, haberet jus ſuper Eccleſias ex Ethnicis converſas. His adde, quòd & in Eccleſiaſticis cantilenis, Paulus, non Petrus, *Apoſtolus gentium* canitur. Non habuit igitur Petrus primatum ſuper omnes Eccleſias, nec utrumque gladium; multo minus Papa habet, qui ſe ejus ſucceſſorem mentitur. Joh. 21. 16.

II. Quia Chriſtus aliquoties contendentibus Apoſtolis de primatu, negavit eos debere imperare & regnare. Inquit enim: *Reges Gentium dominantur eis; vos autem non ſic.* Nec tantum eos non vult dominari, ſed etiam vult eos ſervire & ſubjectos eſſe, cum inquit: *Qui vult eſſe maximus, ſit minimus.* Et quidem proponit *Se eis* pro exemplo, qui venerit in terram, non ut alii ei ſerviant, ſed *ut ipſe aliis miniſtret*, idque ſumma & duriſſima ſervitute; ac negat planè ſe eſſe conſtitum Judicem; prohibetque ſerveriter, præter ſe quenquam Magiſtrum, Patrem aut Dominum appellari. Conſonat huic ſententiæ & Pauli doctrina 1. Cor. 3. v. 9. & 4. v. 1. qui dicit, Petrum & Paulum & omnes Apoſtolos, *eſſe Eccleſiæ*, & non eſſe Eccleſiam ipſorum; eos eſſe tantum Miniſtros quosdam Evangelii Chriſti, per quorum prædicationem homines ad Chriſtum convertuntur. Sic & Petrus docet in primæ cap. 5. v. 3. *Non dominantes; ſed forma facti gregis.* Non conſtituit igitur Chriſtus Petrum dominum ſuper Eccleſiam & omnes Chriſtianos; multo minus Antichriſtum Romanum, cui omnes Chriſtiani ſub pœna æterni exitii obedire cogantur.

III. Quia Petrus haud dubiè functione ſibi à Chriſto mandata, verè & integrè functus eſt; fuit enim fidelis ac bonus Chriſti miniſter, ac ſincerè oves Chriſti pavit. Jam conſtat eum neque voluiſſe dominari Apoſtolis & Clero, ſed ſe cæteris Presbyteris exæquaſſe; multo minus gladium & politicam functionem ſibi uſurpaſſe, ac Reges & Cæſares ſibi ſubjectos (ut Papa facit) contendiſſe; quin potius mandaſſe Chriſtianis omnibus, ut ſint ſuis Magiſtratibus ſubjecti. 1. Pet. 2 v. 13. Si igitur Petrus integrè ſua functione functus eſt, neque tamen vel ſuperioritatem ſuper Apoſtolos uſurpavit, imò etiam patienter Pauli objurgationem, tanquam inferior, tulit; vel politicam gubernationem ſibi rapuit, ſequitur neceſſariò, quòd illa non pertinuerint ad Petri officium. Multo ergo minus iſte *Perſonatus Petri ſucceſſor* iſtam poteſtatem ſibi arrogare debet, & utrumque gladium, tanquam Tyrannus, rapere.

IV. In Evangeliſtis clarè teſtatur Chriſtus, ſe eſſe *Sponſum*, Apoſtolos verò

esse *Sponsi ministros.* At jus spirituale dicit, Petrum fuisse, & jam Papam esse Sponsum Ecclesiæ. Quàm casta igitur sit ista Papistica sponsa, quæ duos Sponsos habet, non difficile est divinare. Res profectò ipsa indicat, eam revera Sponsi Christi oblitam; post Antichristum, ut scriptura loquitur, scortatam esse. Perpende superstitiones, abusus & idololatrias Papæ, quibus multipliciter homines à merito Christi ad hominum merita & nugas abducuntur, & id verum esse deprehendes.

V. Papa contendit, *de necessitate salutis* esse, credere, quòd ipse habeat supremam dignitatem super omnes Ecclesiasticos & politicos Magistratus. Jam non est dubium, quin, cùm Apostolus Paulus tam multa etiam de infimis virtutibus ac personis in Ecclesia doceat, haud dubiè & de Papatu aliquid docuisset, si esset tam necessaria res ad salutem, quàm eam Antichristus esse contendit. Certè cum toties de sua, Petri, aliorumque Apostolorum vocatione disserat, necessariò aliquando & de Petri Primatu aliquid dixisset, si tunc Petri primatus in rerum natura fuisset.

VI. Actor. 8. v. 14. scriptum est, quòd Apostoli *miserint Joannem & Petrum* in Samariam. Non mittit inferior superiorem, sed contra. Quare sequitur, Petrum non fuisse super omnes Apostolos dominum, sed singulis Apostolis æqualem, toto autem Concilio inferiorem. Nec valet sophisma Ekii, Senatus solet mittere præcipuos ex suo Ordine; nam certè nullus Senatus mittit suum Principem, Regem aut Cæsarem.

VII. Illud verò in primis observandum est, quòd, postquam Christus dixerat ad Petrum, *Tu es Petrus*, &c. (ubi Papistæ Petro primatum datum contendunt) sæpius orta est inter Apostolos dubitatio & contentio de primatu, quis nam primus inter eos esse in posterum debeat, ut semel Luc. 22. v. 23. jam in ultima cœna. Quæ profectò dubitatio & contentio orta non fuisset, si Christus semel *unum* reliquis omnibus præfecisset. Adhæc & CHRISTus eis respondisset, se jam *unum Petrum* semel cæteris præposuisse, ei reliquos omnes obtemperare debere, nec de re à se penitus conclusa adhuc litigare. Verùm ille ibidem, Luc 22. v. 27. seqq. contrarium respondet, neminem illorum debere *alteri præferri*; verùm omnes sibi mutuò, ac omnibus aliis Christianis, promptè inservire. Sed adscribam & verba Evangelistæ; *Orta est autem & contentio inter eos,* quis eorum videretur esse major. *Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas,* benefici *vocantur. Vos autẽ non sic. Sed qui major est inter vos, fiat æqualis juniori; & qui Princeps est, æqualis ministranti. Nam uter major est, qui accumbit, an qui ministrat? Non ne qui accumbit? At ego in medio vestrum sum, ut qui ministrat.* Hinc igitur manifestè apparet, tum Petro ante passionem non fuisse datum primatum; tum etiam CHRISTUM planè noluisse constitui superioritatem inter Apostolos, & penitus istam Antichristi ambitionem damnasse.

VIII. CHRISTus dicit ad Discipulos Joannis 20. v. 21. *Sicut me misit vivens pater, ita & ego mitto vos.* Certo certius est, CHRISTUM non missum à Patre, ut constituat

ſtituat Regna ac Politias, nec habuiſſe gladium politicum. Negat enim, ſuum regnum eſſe *de hoc mundo*, aut ſe hîc conſtitutum judicem. Igitur nec ullus Apoſtolorum aut CHRISTI Vicarius, debet ſibi quicquam tale uſurpare, quod ipſi CHRISTO à Patre demandatum non fuit. Ad hæc, eodem jure dicit *ſe ſingulos mittere*; nulli igitur dat aliquam prærogativam.

IX. Quod attinet ad locum Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, &c. haud dubiè veriſſima eſt interpretatio Pauli, Auguſtini in multis locis, Hieronymi, Lyrani ſuper hunc locum, & Eſaiæ, ac ipſius Petri, qui dicunt, *Petra erat Chriſtus*. Supra Chriſtum enim, qui eſt firma Petra, non ſupra Petrum, ædificata eſt Eccleſia; qui etiam poſt aſcenſionem Chriſti perniciosè nutavit; & eodem 16. Matth. v. 23. paulo poſt, *Satanas* appellatus ſit. Non poteſt *aliud fundamentum ædificii Eccleſiæ* poni, teſte Spiritu ſancto, *præter Chriſtum*. Quid igitur nobis ſeductores iſti ſuos Antichriſtos ſubſtituunt pro fundamento Eccleſiæ, in locum Chriſti? Illi ne ſe quidem, ſuamque domum piè regunt, quomodo igitur Eccleſiam Dei piè adminiſtrabunt? Locum Lyræ adſcribam: *Et ſuper hanc Petram, id eſt, Chriſtum. Et* paulo pòſt: *Ex quo patet, quod* Eccleſia *non conſiſtit in hominibus, ratione poteſtatis, vel dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſecularis. Quia multi Principes, & ſummi Pontifices, & alii inferiores inventi ſunt* Apoſtatæ à fide; *propter quod Eccleſia conſiſtit in illis Perſonis, in quibus eſt notitia vera, & confeſſio fidei & veritatis*. Hactenus Lyra. Quod porrò ſequitur eodem loco, *Tibi dabo claves*: rectè Patres explicant, quod ad Petrum ſermo dirigatur, tanquam omnium Apoſtolorum perſonam gerentem; quod etiam ex eo apparet, quod *Jus clavium* hic promiſſum, Johannis 20. v. 23. omnibus Apoſtolis ex æquo datur.

X. Iſta quæſtio dudum à Paulo definita eſt; nam Pſeudapoſtoli quidam, inimicique gratuitæ juſtitiæ Chriſti, tempore Apoſtolorum omnes Eccleſias piè à Paulo inſtitutas, hoc potiſſimum telo inſtructi perturbabant: *Petrus & Jacobus ſunt ſupremi Apoſtoli; illi cum Domino IESU multum verſati, & ab eo tanquam* Principes Apoſtolorum *plurimi facti ſunt. Illis potius credendum eſt, quam Paulo, qui eis nullo modo par eſt. Nos porrò ſumus illorum diſcipuli, jam rectà ab eis venimus: ſic illi ſervant & docent, credite nobis &c.* Contra hos ſeductores, juſtitiæque Chriſti ſubverſores, acerrimè pugnat Paulus in Galat. & Corinth. contendens, ſe nullam prorſus ſuperioritatem vel Petri vel aliorum agnoſcere, ſe docere ſine Petri ordinatione aut permiſſione; ſe *nihil ab eo didiciſſe aut accepiſſe*; ſe adeò non agnoſcere eum ſuperiorem, ut etiam in faciem coram plurimis auſus ſit eum objurgare; neque *ſe* neque *Petrum* eſſe, *Dominum Eccleſiæ*, nec pro ea crucifixum, nec illam eſſe in nomine Petri & Pauli baptizatam, ſed omnes Apoſtolos ex æquo eſſe Eccleſiæ Miniſtros, *Eccleſiam* verò *eſſe Chriſti*, Chriſtum *autem Dei*. Vide duo prima capita ad Galatas, & tria prima prioris ad Corinthios. Cũ ergo quæſtio iſta de primatu & ſuperio-

ritate Petri jam dudum à Spiritu ſancto per electum Chriſti organum Paulum ſit definita, quid neceſſe eſt, nos adhuc de ea dubitare?

Caput II. Hactenus de prima propoſitione, quod ſcilicet Petrus non habuerit ſuper alios Apoſtolos, & ſuper omnes Eccleſias primatum. Jam Deo volente, aliquod rationibus oſtendam, quod ut maximè Petrus habuiſſet primatum, tamen non propterea Papa haberet; nam ſi I. maximè laus aliqua, & quaſi prærogativa Petro Matth. 16. data fuiſſet, contigiſſet ei id ob illam eximiam fidem & confeſſionem, quam ibi Petrus fecit. Quid autē hoc ad impium & impurum Papam? Ego ſane non video, quænam ratio conſequentiæ ſit. Fortaſſis Petrus Romæ necatus eſt. Igitur ſceleratus quiſpiam nebulo ibidem ſuam tyrannidem & turpiſſimas libidines exercens, eſt idem, quod Petrus? Ubi obſecro habent Papiſtæ teſtimonium verbi divini, quòd Pontifices erunt idem, quod Petrus?

II. Non conſtat planè, *Petrum fuiſſe Romæ*; nam quod Papiſtæ ſcribunt, Petrum Romæ 25. annis docuiſſe, cum uſque ad 18. Ieroſolymis docuerit, item in Ponto, ut aliqui tradunt, 5. annis fuerit, & Antiochiæ 7. ad hæc etiam cum Babylone ſcripſerit ſuam Epiſtolam, propalam falſum eſt; inde enim efficeretur, ut longè ultra Neronis mortem vixiſſet, à quo tamen interfectus dicitur. Demonſtratio item certa eſt, Petrum Romæ non fuiſſe, quòd Paulus Romam & Româ ſcribens, ac tam multos mediocres Chriſtianos ſalutans & nominans, nusquam tamen vel unico verbo Petri tanti Viri mentionem faciat. Verùm accipe, Chriſtiane Frater, authenticam Hiſtoriam de Petri primatu, quam latè is Chriſti ordinatione patuerit, & ubi eum Petrus potiſſimum exercuerit. Paulus Gal.
v.7. 2. ſic inquit: I. *Nam mihi, qui videbantur eſſe in precio, nihil contulerunt; imò contrà, cum vidiſſent mihi concreditum fuiſſe* Evangelium præputij, *quemadmo-*
v.8. *dum Petro* circumciſionis. II. *Nam qui efficax fuit* in Petro ad Apoſtolatum cir-
v.9. cumciſionis, *efficax fuit & in me erga Gentes.* III. *Cumque cognoviſſent gratiam mihi datam, Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui videbantur eſſe columnæ, dextras dederunt mihi ac Barnabæ ſocietatis, ut* nos in Gentes, ipſi *verò in* circumciſionem Apo-
v.10. ſtolatu *fungerentur*; *tantum ut pauperum memores eſſemus. In quo & diligens fui, ut hoc ipſum facerem.* Hic habes integram Petri Hiſtoriam, à fide digno (ut opinor) Hiſtorico deſcriptam. Primùm enim teſtatur hic *Paulus* diſertè, ſibi eſſe concreditum ſeu demandatum *Apoſtolatum inter Gentes*; Petro verò *inter circumciſos*, id eſt, Judæos. Hic habes ordinationem divinam de Petri primatu, quòd ſit Apoſtolus non Gentium, ſed Judæorum. Deinde Narrat Paulus, ubi Petrus ante illud fœdus, cujus in recitato Pauli textu fit mentio, id eſt, ante decimum octavum à Chriſto paſſo annum docuerit, nempe *inter Judæos*, qui tunc nondum ita erant diſperſi, præſertim per Occidentales provincias, ſicut jam. Nondum enim Hieruſalem capta ac deſtructa fuerat. Quare neceſſe eſt, Petrum præcipue in Judæa, & circumviciniis Aſiaticis regionibus docuiſſe. Tertiò narrat Paulus, ubi potiſſimum poſt hoc tem-

pus

pus reliquos 20. annos Petrus docens exegerit; nempe itidem *inter circumcisos*, seu Judæos. Dicit enim Gentium Apostolus Paulus, Petrum secum sanctissimum dexterarum fœdus iniisse, quòd ipse Paulus debeat in posterum potissimùm concionari Ethnicis, Petrus verò Judæis. Jam tu cogita, Christiane Lector, quàm bene Papisticæ Historiæ cum ista Paulina conveniant. Certè si Petrus 25. annis Romæ, nempe à secundo Claudii usque ad ultimum Neronis annum, Papa fuisset, ubi præcipuè ei, & fermè solum cum Gentilibus res fuisset, tum omnia essent propalàm ac manifestè falsa, quæ Paulus superius de eo asseruit. Sed esto sanè, quod fuerit Petrus Romæ aliquando ad paucos menses, aut etiam annos; quid tum postea? num statim ibi ponenda est ejus sedes, & successio Paparum? Cur non alibi potius, ubi itidem longo tempore fuit, ut in Ponto, Antiochiæ, Hierosolymæ, &c. Verùm hic sese egregiè Papistarum aut inscitia, aut etiam malitia prodit. Cur enim non perpendunt, Apostolos nullas certas sedes habuisse, quibus affixi, hærerent, sicut olim Pontifices Judaici, aut nunc Christiani Episcopi ac Pastores? Cur non perpendunt verba mandati Apostolis traditi: ITE PER UNIVERSUM ORBEM. Item: *Eritis mihi testes usque ad fines terræ.* Quibus verbis eis profectò non mandatur, ut in uno aliquo loco considеant, aut certam sedem sibi ponant; sed ut quàm latissimè vagentur, & spargant seu disseminent Evangelium CHRISTI. Hinc etiam *Apostoli*, id est, *missi*, seu *ablegati* dicuntur. Ideo etiam Psalmus inquit: *In omnem terram exivit sonus eorum, & usque ad fines orbis terræ verba eorum.* Ideo & Propheta & Paulus dicunt: *Ecce quàm pulchri sunt pedes annunciantium pacem, & evangelizantium bona*, &c. Atque eadem ratio vocationis etiam ipsius Christi fuit. Quare etiam si Apostoli aliquamdiu alicubi propter uberem messem consederunt, ut Paulus Antiochiæ circiter quadriennium, Ephesi triennium, Corinthi biennium, eoque etiam postea sæpe recurrerunt; tamen non propterea illa loca eorum *sedes* dictæ sunt. Sicut non dicitur Antiochia, Ephesus, aut Corinthus Pauli sedes; sicut nec aliorum Apostolorum; nec ipsius *Domini sedes* nominantur, aut celebrantur. Nusquam dicitur sedes Christi, Andreæ, Philippi, Joannis, Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, &c. Atque hanc verissimam sententiam de *incertis Apostolorum sedibus*, etiam Historia probat; nam nec Paulus, nec Petrus scribitur eo animo Romam venisse, ut ibi suam sedem poneret; sed Rom. 1. scribit, se iturum *in Hispaniam*, & in transitu Romanos invisurum. Acta verò testantur, illum eò vinctum Hierosolyma adductum, ibique biennium esse captivum detentū. Post quod tempus plures scribunt, eum in Hispaniam profectū, & denuò post multos annos captum, Romā adductum, ibiq; supplicio affectum. Unde meridiana luce clarius apparet, nunquam cogitasse aut voluisse Paulum Romæ suā sedem ponere. Sic & *de Petro* ipsimet Papistæ scribunt, eum Romā profectum esse, non ut ibi suam sedem aut solium poneret, aut ut triplicem co-

Mar.16.v.15.
Act.1.8.
Ps.19.5.
Esa.52.7.
Rom.10.15.

ronam ibi Papaliter gestaret; sed tantùm, ut Simonem magum expugnaret. Quare etiam refert Nicephorus, mox Petrum unà cum Simone Româ pulsum esse, ac aliquandiu Alexandrinæ Ecclesiæ post id tempus præfuisse; postea passim per varia loca oberrasse, & demum sub ultimos Neronis annos denuò Romam venisse ibique passum esse. Unde itidem clarissimè apparet, Petrum nusquam certam sedem posuisse, licet diu in multis locis fuerit. Quare manifestissimum est, Apostolos nullas plane certas sedes habuisse, sed jussos esse, quàm latissimè, sicut ablegatos quosdam nuncios, Christum omnibus hominibus evangelizare. Verùm mirari quispiam non immeritò possit, unde tandem istam *cariosam Petri sedem* Papistæ commenti sint. Nam Christi dictum, IN CATHEDRA MOSIS, nullam planè cum Papi-
Matth. 23. 2. starum Petri sede cognationem habet, nec ullo modo locum significat; nam Moses nec Hierosolymæ, nec usquam in Judæa unquã fuit, multo minus docuit. Non significat etiam *ordinariam successionem*, nam Sacerdotes Judaici non Mosis, sed Aaronis successores fuerunt. Sed significat *doctrinam Mosis*, seu *libros Mosis rectè intellectos*. Quod etiam ex eo apparet, quod de eisdem Pontificibus & Pharisæis, quos in cathedra Mosis docentes audire jubet, alibi eorũ *fermentum* sedulò vitare ac cavere man-
Luc. 16. 29. dat. Unde apparet, Christũ præcipere, ipsam doctrinam Mosis audire, eique obedire, non Pharisæos & Scribas. Hinc igitur luce meridiana clarius patet, quàm temere & inaniter Papistæ de Apostolica sede Petri glorientur.

III. Sed etiamsi constaret, eum Romæ docuisse, ac per locum *Successio* valere deberet, cur is, qui Hierosolymis sedet, ubi Petrus & Christus docuit, non habet eandem authoritatem, quam Christus aut Petrus? Cur item *Antiochenus Patriarcha* non habet jus Petri, cum ibi Petrus amplius 7. annos docuerit, & ea quoque *sedes Apostolica* à Veteribus appelletur? Cur item nullus Ponticus Episcopus, aut Babylonius, ejus *Successor* dicitur, cum & in illis locis sederit? Non video sanè, quæ sit causa, cur Papa sit ejus successor potius, quàm illi Episcopi & Patriarchæ. Cupio hic audire Romanistarum rationes, ex Verbo Dei sumptas; cur ipsi potius, quàm alij succedere Petro debeant.

IV. Verum nusquam in Scripturis promittitur *idem jus*, vel *eadem laus posteris Petri* vel *aliorum Sanctorum*, quæ aliquando Petro tribuitur. Christus dicit quidem *se orasse pro Petro*; sed non dicit, *se orasse pro Papis*, ne deficiat eorum fides. Quorum (ut taceam impios errores) plusquam Epicurea vita indicat, eos nihil minus
Hebr. 3. 5. quàm Deum, æternam vitam, & resurrectionem credere. Mosi Deus eximium testimonium præbet, quòd sit *fidelis in tota domo Domini*. Num autem & ejus successores ei similes fuerunt? aut perinde leges sacrorum populo ferre, novaq; dogmata dare debuerunt? Samuel, David & Daniel sunt magni viri, & amplis laudibus in scripturis à Deo ornantur, nec fides eorum defecit. At eorum successores eis nul-
Joh. 3. 8. lo modo similes fuerunt. Spiritus spirat, ubi vult; revelat Deus ea pastoribus & piscatoribus, & pusillo ac contempto gregi suo, quæ non revelat summis ac ordinariis

rijs Sacerdotibus & Gubernatoribus. Nullus Propheta ac Apostolus eandem certitudinem Spiritus ac veritatis, donorumque amplitudinem successoribus testamento relinquit. Valde igitur hoc loco illud præclarum *Hieronymi* dictum observandum est, quod dist. 40. recitatur: *Non est facile in loco Petri & Pauli stare, & tenere cathedram regnantium cum Christo; quia hinc dicitur: Non* sanctorum filij *sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.* Apparet hanc esse veterem quandam regulam, doctisq; jam olim in Ecclesia usitatam, & non à B. Hieronymo excogitatam. Proinde tanto pluris facienda est, & Papistarum cupiditati, superstitioni & ambitioni tanto fidentius opponenda.

V. Primi Patres primatum nulli Episcopo dare voluerunt, ut superius citavi Synodum Africanam. Ex eo quoque clarissimè apparet, esse novum mendacium, Papam jure divino primatum habere; quòd Papa petens ab Africana Synodo subjectionem, non divinum, sed humanum tantum jus citaverit. Profectò enim, si divino jure eam dignitatem se nancisci posse sperasset, id potius, quàm humanam citasset. Item Nicæna Synodus statuit, ut Episcopus Romanus *tantùm suburbanarum Ecclesiarum curam* haberet, alij verò aliarum. Hieronymus ad Euagrium dicit, omnium Episcoporum esse *eandem prorsus potestatem.* Vide ejus Epist. Gregorius Papa in Registro multum disputat, *neminem debere esse universalem Episcopum.* Magnis convicijs hunc titulum insectatur. Dicit esse *novum, stultum, superbum, perversum, scelestum, prophanum*; in quem *consentire* idem sit, quod *fidem abnegare.* Dicit hoc factum, si quis se supra cæteros Episcopos efferre velit, consimillimum esse *facto Diaboli*, qui non fuerit contentus, se cæteris angelis æqualem esse, eamque collationem prolixè in pluribus Epistolis tractat. Sæpius repetit, id *pugnare cum Evangelio, & omnibus Canonibus.* Negat suos præcessores, vel alios Episcopos, unquam eam potestatem sibi usurpasse; & affirmat, eum, qui primus sibi id nomen usurpaverit, fore *præcursorem Antichristi.* Augustinus quoque libro 3. de Baptismo contra Donatist. cap. 3. recitat hæc Cypriani verba: *Neq; enim quisquam nostrûm se* Episcopum Episcoporum *constituit, aut tyrannico more ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit.* Pius item secundus Epistola 301. clarè hæc verba ponit: *Ante Nicænum Concilium sibi quisque vivebat, & ad Romanam Ecclesiam parvus habebatur respectus.* Quibus verbis clarè affirmat iste Papa, primatum Pontificis Romani supra alias Ecclesias, ante Nicænam Synodum in usu non fuisse. Hic enim primùm ei tantum suburbanæ Ecclesiæ subjectæ sunt. Sed brevitatis gratia nolo plura ex Patribus & Conciliis testimonia recitare. Ex his enim facilè animadverti potest, quòd Episcopus Romanus antiquitus nondum istam tyrannidis suæ arcem occupaverat, quam jam tenet.

VI. Ecclesia CHRISTI latè ac longè per orbem terrarum sparsa est, quæ profectò non est subjecta Papæ. Imo non dubito, in iis etiam locis Ecclesiam esse, ubi planè ignoretur ista nostri orbis calamitas, Antichristus. Restiterunt primatui Papæ diu

pæ diu Ravennas, Mediolanensis & Aquilegiensis Ecclesia: Quin ne Græcæ quidem Ecclesiæ, Asiaticæ, Rudenicæ, Moscouiticæ, Valachicæ, & aliæ, quæ vicinæ sunt, etiam hodierna die, Papam audiunt. Num igitur obsecro propterea non sunt Christi Ecclesiæ, quia Papæ pedes non osculantur? Non opinor etiam ipsos Papisticos Pseudoprophetas tam vesanos, & impudentes (licet sint impudentissimi) esse, ut hoc affirmare ausint.

VII. Adhæc, nec ritè eliguntur Papæ, ut ne Romani quidem Pontificis jura obtinere possint. Nam ut taceam, quòd vetustissima ac receptissima consuetudo fuit, cujus & Actor. 6. mentio fit, ut cùm alii Episcopi, tum & Romanus *à plebe & Clero* communibus suffragijs eligeretur; item postea ab ipsismet Antichristis decretum sit, ut *ab Imperatore confirmentur* (quæ jam omnia abolita & mutata sunt, solique Cardinales, quem volunt, eligunt) illud tantum moneo, esse distinct. 27. cap. Siquis. *Quod si quis Papa eligatur pecunia vel gratia humana, is non* Apostolicus, *sed* Apostaticus *habendus sit.* Notum autem est ex Historijs, & totius Romanæ Curiæ moribus, jam multis seculis Papas non ob insignem eorum eruditionem, probitatem ac pietatem electos, sed tantum vel per largitiones, ac humanos favores, vel per fraudes aliquas, vel etiam per violentiam. Ante mille ducentos annos *Damasius* Papatum obtinuit contra Ursinum, non tam suffragijs, quàm cruentis armis; & sic sæpe postea accidit; eoque factum est, ut sæpe duo, nonnunquam & tres Papæ fuerint, ac inter se atrocia bella gesserint. Ac sanè de plerisque Antichristis jam longo tempore id dici potest, quod de sanctissimo illo Apostatico, Iubilei primo autore, Bonifacio VIII. vulgò dicitur: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis.* Sunt igitur, fueruntque isti lupi Romani, jam longo tempore non Episcopi Romani, multo minus Petri, aut Apostolici, sed meri Apostatici & Antichristi.

VIII. Si Petrus paulo pòst, quàm audit, *Tu es Petrus* (ubi Papistæ dicunt, eum constitutum esse supremum) quia amicè quædam, parum pia, Christo suadebat, appellatur à Domino *Satan*; quanto magis Papæ, ut maximè Petri jus obtinere deberent, tamen Petri esse desinerent, & fierent *Satanæ* coram Deo; qui jam amplius per mille annos tanta scelera patrarunt, orbem terrarum suis Cœlibatibus polluerunt, infinitum Christi sanguinem fuderunt, tam horribiles idololatrias aut excogitaverunt, aut certè confirmarunt? Deniq; jam insuper agnitam religionis Christi veritatem tam furiosè persequuntur?

Caput III. Hactenus juvante Christo probavi, neque Petrum habuisse primatum super Apostolos, & omnes Ecclesias; neque etiamsi Petrus habuisset, propterea Papam habere. Deinceps aliquot rationibus probabo, *quòd non expediret, unum hominem toti Ecclesiæ præfici*, etiam probum.

I. Quia Ecclesia est, quod constat per orbem terrarum, dispersa juxta illud:
Ps. 19. 5. *Usque ad fines orbis terrarum sonus eorum.* Impossibile autem est, unum hominem (etiamsi donis Petrum aut Paulum superaret) causas, controversias, dissidia, schismata

mata & hæreſes, quæ in omnibus finibus orbis terrarum exoriuntur, cognoſcere. Quam citò obſecro, vel litteræ tantum ab extrema India Romam usque perferrentur, & eò reſponſum, per tam longa maris terrarumque ſpacia, per tam varias linguas, perque tam varia aquarum tempeſtatum, ferarum, & latronum pericula. Impoſſibile etiam eſſet, eum tantam molem varietatis & magnitudinis negotiorum dijudicare. Impoſſibile item exequi. Planè impoſſibile eſſet unquam, vel literas tantum ex omnibus orbis terrarum partibus in unum aliquem locum afferri, ne dicam maturè afferri. Eademque difficultas in reſcribendo eſſet. Nullus unquam Coſmographus orbem terrarum pernovit; ne dicam, ut ſinguli Papæ ſingula majora negocia, quæ per totum mundum accidunt, cognoſcere poſſint. Moſi tanto viro impoſſibile eſt, unicum populum regere. Non nimis magnam orbis terrarum Partem rexit Papa; & tamen quàm multæ cauſæ vel penitus indiſcuſſæ, vel certè non ſatis rectè diſcuſſæ tantũ ideo ſũnt, quia aut non potuit altera pars alteram appellantem, usque Romam ſectari; aut non potuit ſatis exacta cognitio haberi circumſtantiarum negotii, ex tam longinquis locis, in quibus litis cauſa orta eſt. Rectè monent Patres in citato à principio textu Concilii, non poſſe teſtes, qui ad cognitionem neceſſarii ſunt, ex tam longinquis locis Romam usque, propter varias circumſtantias, adduci. Adhæc etiam, ſi longinquitas nihil difficultatis afferret, tamen tantæ multitudini maximorum negociorum unus homo planè ſufficere non poſſet; ut maximè concederemus hoc Papiſtis, quod, quicquid Papa dijudicat, ſit id planè cœleſte oraculum. Quare & hodierna die Papæ fermè tantùm voluptatibus vacant, negocia verò harpyis illis Curtiſanis committuntur; qui (ut res teſtatur) tantum eò intenti ſunt, quinam quamplurimum rapere, & orbem terrarum expilare, exugere, & deglubere poſſint. Si ergo Chriſtus totius orbis terrarum curam uni alicui Alaoſcopo, ſive Romano, ſive Colocutano mandavit, eique utrumq; gladium ſuper mundum dedit, rem impoſſibilem inſtituit.

II. Quia impoſſibile eſt, hominem, etiam verè pium, in tanta potentia & opibus non corrumpi & inſoleſcere; quod exempla Davidis, hominis ſecundum cor Dei; item Salomonis, Deo dilecti, & mortalium ſapientiſſimi, indicant. Quare deprecatur Salomon opes, *ne fortè* (inquit) *ſaturer, ac deficiam; & dicam, quis eſt Dominus?* Prov. 30. 9. Atque ob hanc cauſam voluit Deus, ne politicos quidem ſui populi Gubernatores, ſibi opes ac potentiam augere; ut in multis locis prohibet, ne multiplicent equos, currus, & pecunias. Sed non eſt neceſſe, nos multum divinare, Papas futuros fuiſſe inſolentes, ſi divinitùs toti orbi terrarum præpoſiti fuiſſent. Ipſimet enim id admodum pulchrè nobis ſuarum actionum experientiâ confirmarunt, cùm quidem tantum parti cuidam orbis imperarent. Primùm enim ubi viderunt, ſe ſtulta Regum & Populorum devotione vel ſuperſtitione potiùs abuti, & creſcere poſſe, cœperunt id malis artibus, id eſt, injuſtis Decretis, impiis Indulgentiarum, & oſſium, veſtiumque cultibus, item variis titulorum & Privile-

giorum donationibus,astutè quærere. Deinde,cùm id viderunt succedere, adeò insolentes facti sunt, ut quo suis Reges, sibi in aliquo, quantumvis justo, resistentes, tanquam *Hæreticos* & *Schismaticos* excommunicare,subditorum obedientiâ rescisso obligationis juramento privare,eisque bella movere veriti non fuerint; atque ita innumera civilia inter Christianos bella moverint, Christianorumque sanguine orbem terrarum contaminaverint. Denique tandem eò usque eorum diabolica insolentia progressa est, ut Christi decreta rescindere ausi sint; Reges & Cæsares in sua verba jurare,sibique inauditâ superbiâ pedes osculari coëgerint, eorumque cervices pedibus calcare non sint veriti. Quare cum planè impossibile sit,unum hominem in tantam potentiam evectum, ut scilicet ipse habeat *jus utriusque gladii* per universum orbem,non insolescere, & corrumpi,non esset utile verè religioni, unum hominem Ecclesiæ præfici.

Matth. 28. 20. Psalm. 145.18. Joh.14. 18. III. Quia Christus ipse vult regere Ecclesiam, vult nobiscum esse usque ad finem seculi, & propè adesse omnibus invocantibus eum. *Non relinquit nos orphanos.* Dat nobis instituta,quæ,teste Psalmo,sunt nobis Conciliariorum vice. Excitat pios Doctores. Mittit etiam in corda suorum Spiritum sanctum,qui eis est concionator, & verus Christi in Ecclesia Vicarius.Is & omnes simul, & singulos seorsim docet,consolatur,gemit pro eis coram Deo; & planè ad omne bonum opus,omnemque veritatem instituit, præcipuè ad precationem.Clamat enim ad Deum in
Rom. 8, 15. cordibus piorum, *Abba pater.*

IV. Objiciat aliquis: *At hic in terris oportet habere* Ecclesiam visibile caput, *etiamsi Christus adsit invisibiliter.* Respondeo,non esse necesse; quia Christus etiam
Matth. 18. 20. invisibilis, tam bene Ecclesiæ suæ adest, ac si adesset visibilis. Ipse enim certò pollicetur, quòd ubi duo in nomine ejus convenerint, ipse sit adfuturus; & quicquid
Joh. 16.23. petierint,sit eis daturus. Ait Apostolis,prodesse eis, ut ex eorum conspectu *recedat,*
Joh. 16.7. *ac pro se eis* Spiritum sanctum *mittat.* Legimus in sacris literis, quàm ægrè tulerit Deus olim,populum Israeliticum sibi Regem præfecisse; dicit enim,*eos se repudiasse,ne supra eos regnet*; & revera ita erat. Dum enim in suos visibiles Reges, eorumque potentiam & sapientiam respiciebant, omnipotentis Dei obliviscebantur. Sic planè & nobis accidit in Papatu; dum enim inanem pompam & splendorem,vanissimasque Bullas,Indulgentias, & tam multiplices sanctitates gemmei Papæ, & purpuratorum ejus Cardinalium & Episcoporum,respiciebamus, facilè pauperis, absentisque (ut tunc opinabamur) Christi obliviscebamur. Longè profectò plus remissionem peccatorum, & regnum cœlorum à Papa (quod mihi, qui itidem serius Papista fui, probè constat) quàm à Christo quæsivimus.

V. Quia longè aliter Deus Ecclesiam regit, quàm Politiæ reguntur; regit enim eam non humana sapientia,sed verbo & Spiritu sancto,qui spirat,ubi vult.Plerumq,Deus in magnis Ecclesiæ difficultatibus præteritis ordinariis,magniq; nominis Gubernatoribus,excitat aliquos piscatores,Pastores,aut alioqui vilis cõditionis homi-

homines, ut Apostolos, Mosen, Amos, Davidem. Atque ita de stercore erigit pauperes aliquos, eos suo spiritu aliisque donis ornat, per os eorum loquitur, pios confutat & prosternit. Atque ita impias doctrinas & superstitiones abolet, lucem Evangelii illustrat, Ecclesiamque instaurat. Tales eximii Viri ingentibus donis divinitùs ornati sunt, veluti superiores quidam Episcopi, super alios ministros in Ecclesia; quos plerique pij audiunt, seque eis subjiciunt; non quia sunt in aliquo superiori gradu, sed quia omnes animadvertunt, eos majoribus donis à Deo ornatos; sentiuntque Spiritum Patris per os eorum loquentem, ac veritatem clara scriptura probantem, cui omnes pii in timore Dei ultrò cedunt. Tales, ut ita dicam, Papæ subinde aliqui sunt in Ecclesia; fuerunt olim tales, non tantum viri infimæ conditionis, sed etiam mulieres Prophetæ. Tales fuerunt inter Apostolos *Iacobus, Ioannes & Petrus*, quos Paulus *columnas* appellat. In primis verò ipse *Paulus*, vas Dei electissimum, qui plus omnibus aliis laboravit. Talis fuit suo tempore *Augustinus, Athanasius*, & nostro tempore *Lutherus*, & alii viri eruditione ac pietate præstantes. Ac semper omnino sunt non tantum in tota Ecclesia, sed etiam in singulis Ecclesiolis alii tanquam *oculi & caput* in corpore, alii verò tanquam *manus & pedes*, non humana voluntate, sed quia Deus ita variis donis suam Ecclesiam distinguit & ornat ad ejus ædificationem. Habent autem hanc regulam Majores, ut si minori revelatum sit, illi taceant. Quare neque possibile, neque necesse est, neque utile, neque pietati consentaneum, esse aliquam supremam personam, quæ omnes Ecclesias Christi, tam latè ac longè dispersas, regere debeat, ac insuper & politicum gladium sibi vindicet.

Hactenus *tres propositiones*, quas superius proposui, Christo juvante probavi. Quarum *prima* est, quòd Petrus primatum non habuit, nec præesse cæteris Apostolis jussus est; multò verò minus utrumque gladium supra orbem terrarum accepit. *Secunda*, quòd etiamsi Petrus talem aliquam potestatem habuisset, qualem Papistæ mentiuntur, tamen non propterea Papa eam haberet. *Postrema*, quod neq; necesse sit, neq; utile, neq; pium, unum aliquem hominem universę Ecclesiæ præfici, multò autem minus utrumque ei gladium super orbem terrarum tradi. Sed inter alia argumenta nobis illud firmissimum esse debet, quod verissimè & clarissimè hoc tempore à plurimis probatum est, Papam docere & defendere impiam doctrinā, & esse ipsissimum *Antichristum*, cujus rei rationes hic repetam. JOHANNES primæ secundo definit, Antichristum esse eum, qui *negat Jesum Christum*. Id planè Papa facit, non verbis, sed re; nam *Meschias* Hebraicè, Græcè *Christus*, est persona divinitus missa, ut sit populi Dei perpetuus Sacerdos & Rex. Sacerdotis porrò officium est, docere, orare & sacrificare; sed Regis est, regere & defendere. Adimit ergo Papa Christo Sacerdotium, nam non solum dilectum filium vult audiri, sed magis se suosque Pseudapostolos, aliud Evangelium adferentes. Item, quia multos alios Mediatores in cœlo nobis pro Christo substituit, qui pro nobis coram Patre interce-

1. Joh. 2. 22.

dant, neglecto Christo, servero judice. Item, quia infinitos Sacrificulos pro Christo substituit, qui generi humano Deum placent, ad quos dicit, à Christo per Petrum sacerdotium translatum esse; denique, quia per merita suorum Spiritualium Sanctorumque nos salvari vult. Regnum porrò Christo aufert, quia in terris vult ipse *caput* esse *Ecclesiæ*; in cœlo verò alios opitulatores & servatores nobis constituit, ad quos in miseriis nos confugere jubet. Negat ergo Papa, JESUM esse Christum.

II. DANIEL c. 12. Antichristum pluribus notis insignit. Primùm inquit, *Faciet quicquid volet*. Facit sanè Papa, quod ei libet, non tantum in temporalibus rebus, ubi Monarchas creat & deponit, subditosque juramento solvit, &c. sed etiam in spiritualibus; ut de altera Eucharistiæ parte, de Conjugio Sacerdotum, de libertate Christiana in adiaphoris. Confitetur id ipsemet dist. 40. *Si Papa infinitas animas secum in infernum traheret, tamen nemo debet ei dicere, Quid facis?* Et glossa inquit: *Papæ est pro ratione voluntas.* Secundò dicit, quod *se elevabit supra Deum.* Id fecit, ut ex præcedentibus apparet. Item, quia vult se audiri plus, quàm Deum; blasphemansque vociferatur, scripturam esse fontem omnium hæresium & schismatum, ambiguam, obscuram, &c. se verò errare non posse. *Tertiò* dicit, quòd ei prosperè succedet, donec finiatur ira Dei. Oppressit Papa, ut voluit, sua tyrannide & impietate tum Politias plurimas, tum & innumeras Ecclesias. *Quartò* dicit, eum *non curaturum Deum suorum Patrum.* Hoc de Papa verè dici, superius in loco Johannis clarè probavimus; non curat enim beneficia Christi, & novam religionem excogitat. *Quintò* dicit, *non curaturum amorem mulierum*; quod Papa fecit tum præcipiendo suis Cœlibatum, tum per suas Sodomiticas libidines. *Sextò* dicit, quòd *colet Deum Maozim*, idque auro & argento. Quod fecit, dum totam pietatem in eo collocat, ut multa magnaque Templa splendidè extructa, omnigenis preciosis ornamentis niteant, cantuque reboent. *Septimò* dicit, fore *ut ditet suos socios.* Id Papa fecit.

2. Thes. 2. 4. III. PAULUS 2. Thessalon. 2 *quinque notas Antichristi*, præter prædictas, ponit. 1. Quòd *in templo Dei sedebit.* Hoc facit Papa, se Christi vicarium fingendo, & in conscientiis hominum regnando. Si enim se Christi hostem profiteretur, ut Mahometes, esset extra Ecclesiã. 2. Quod ait, *jam mysteriũ agi*, id opinor eò spectare, quod

v. 9. Episcopus Romanus paulò pòst cœpit caput efferre supra alios. Quòd dicit, Antichristum venturum *cum signis mendacibus*: quod Papa, teste experientia, fecit.

v. 11. 4. Quòd mittet Deus *efficaciam illusionis*; quod in Papatu manifestè accidit. Omnia enim longè firmius credidimus Papæ, quàm Deo. 5. Quintam sic Ambrosius super hunc locum exprimit: *Antichristus apparebit, cum Romani regni defectio fiet, & reddet Romanis libertatem, sub suo tamen nomine.* Hoc accidit ante DCC. annos, cum Romanum imperium ruebat, & à Papa non tanquam Cæsare Dictatore, Consule aut Senatore, sed ut à Papa Romano nonnihil instauratum est. Tunc enim Papa suam potentiam & impietatem per orbem propagavit. Sic APOC. 13. læsa bestia

1. Tim. 4. 1. ab alia simili agni bestia honoratur. Idem S. Paulus ait 1. Tim. 4. 1. *Postremis tempori-*

poribus discedent quidam à fide; Papa negat esse aliam fidem, præter historicam. *Attendent spiritibus impostoribus*: Papa omnia visionibus spirituum, & animarum probat. *Prohibebunt conjugium & ciborum usum*. Horum utrumque de Papa verissimum & notissimum est. Constat ergo ex hisce signis, Papam esse illum ipsum verum Antichristum, de quo Scripturæ vaticinatæ sunt. Regula est jam passim receptissima: *Per peccatum, abnegationem & persequutionem, commodissimè pœnam vitari*. Eam, ut spero, clarè Deus etiam in hac vita refutabit. Sed si in hac vita id prætermiserit, faciet profectò in altera vita tantô cumulatius. Quicunque ergo vult æternum exitium effugere, æternaque beatitudine cum Christo frui, ille Antichristum ex animo & detestetur, & fugiat.

v. 3.

MATTHIÆ FLACII

VERA DEMONSTRATIO, QUOD ELEctio Præſulum & Epiſcoporum non ad Eccleſiaſticos ſolum, ſed & ad Laicos, ut vocant, pertineat; quodq; hi hoc jure electionis inde usq; à Chriſti temporibus per annos 1300. uſi ſint.

VAticinatur divinus Propheta Daniel, fore ut Antichriſtus, ſumma Eccleſiæ pernicies, hac potiſſimùm ratione ſit aucturu & confirmaturus Regnum ſuum, quòd ſociis opitulatoribusque ſui daturus eſt, & diſtributurus regiones & opes, iisque magnos honore cumulaturus. Viguit quidem hoc malum ubique locorum, graſſatusque eſt hac arte & modo ille perditiſſimus Tyrannus multis jam ſeculis; ſed tamen nunquam tam manifeſtè ac potenter, velut his noſtris, ultimisque temporibus; nam olim etiam aliis fulcris regnũ Papæ (ut abuſibus & ſuperſtitionibus variis fuit ſuſtentatum, quod homines exiſtimarunt, & crediderunt, eam demum eſſe veram Religionem, quâ æterna beatitudo ſit comparanda; ſeque cultum Deo acceptiſſimum præſtare, ſi uni Antichriſto Romano eſſent longè addictiſſimi, ejusqu Regnum pro ſua quisque virili conſtabilirent. Jam verò Dei beneficio vident plerique, totum Papatum meris impoſturis & perinicioſis erroribus eſſe refertum quodque nulla omnino ſpes ſalutis in ea religione hominibus ſit relicta. Sciunt et jam, quòd Papa ſit ipſiſſimus Antichriſtus, & capitalis Dei hoſtis. Nihilominus tamen (ò auri execrandam famem) adulantur & colludunt ei, ad pedes ejus ſe abjiciunt, ut modò ab ipſo Epiſcopatus, Præpoſituras, Canonicatus, Abbatias, & ſimil impetrare poſſint.

Quare Papa hoc jam fermè unico adminiculo regnum ſuum adhuc ſuſtenta quòd paſſim multis induſtriis ac idoneis ad res agendas, aut alioqui potentibus viris aliqua loca, Abbatias, Prælaturas, Epiſcopatus & alias dignitates elargitur; habe que in ea re æmulos & incitatores filios, ex meretrice ſua Babylonica progenitos, Sacrificulos nimirum impios, Monachos, aliosque hujus farinæ homines ſimili pietate inſignes. Hi enim cum probè videant, omne ſuum robur, omnemque autoritatem ac dignitatem in eo ſolo ſubſiſtere, ut cultus ipſorum impius, & regnum Antichriſti maneat ſalvum, & conſervetur integrum, graviter dant operam, ut quamprimùm aliquo vel Epiſcopo, vel Abbate, vel Prælato, aut ſimili Ordinis Magnate o bantur, alium ſibi commodum in illius locum ſubſtituant. Eligunt enim non eum qui ad propagationem gloriæ divinæ, ut publicæ ſive communis utilitatis maxim

sit idoneus; sed qui velit ac possit ipsorum tum idolomaniam, tum vitæ spurcitiem tueri ac promovere; imò qui & ipsis, & Deo ipsorũ Romano Antichristo, omnia libentissimè polliceatur, totum ipsis sese devoveat, juret, & ad omnem impietatem, utut ipsis visum fuerit, arctissimè devinciat, obstringatque, non sine etiam fidejussione ac juramento cognatorum. Quapropter, ut hac quoque in parte regnum Antichristi, quod verè est regnum tenebrarum, luce divinæ veritatis labefactetur, conabor, Deo auxiliante, in hoc libello demonstrare, quòd *electio Episcoporum* non tantum ad omnes pios *Clericos* aut *Spirituales*, sed omni quoque jure *ad Laicos* spectet & pertineat. Probabo autem id primum ex Verbo Dei; deinde ex scriptis Patrum; tum ex Conciliis, *Legibus* Imperialibus, & Decretis Pontificiis, nec non ex ipsis Historiis, & multo usu longissimaque consuetudine.

Quod igitur totius ipsius Ecclesiæ, non verò paucorum quorundam sit, jus & potestas eligendi veros ac sinceros Ministros Verbi ac Sacramentorum, sive sunt Sacerdotes, sive etiam Episcopi, abundè satis ostendit ex verbo Dei D. Martinus Lutherus (piæ memoriæ) in libello, cui titulum fecit, *De instituendis ministris ad Bohemos.* Item, ad Germanum quempiam, cujus inscriptio hæc est: das die Kirche macht habe / ꝛc. id est, *Quòd Ecclesia potestatem habeat eligendi & deponendi Ministros*; item in Genesi, Tomo latino 2. fol. 276. & in Genesi, tomo Germanico 2. fol. 242. Attamen & ego testimonia quædam veritatis illustrandæ gratia adscribam.

I. In confesso est, Claves nõ soli Petro, neq; tantũ Apostolis, verùm toti Ecclesiæ Dei esse traditas. Quod quidẽ partim per se, ac ex ipsis verbis Domini, partim etiã ex Patrum & vetustorũ interpretum scriptis, super dictũ (*Tibi dabo claves regni cœlorũ*, Matth. 16.) est manifestum; siquidẽ ipsi hoc dictũ intelligũt & interpretantur de tota Ecclesia, non de uno Petro. Sic enim scribit Augustinus super Joannẽ tractatu 124. c. 21. *Sed*, inquiens, *quando ei dictum est*: Tibi dabo claves regni cœlorum; *&*, Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit & solutum in cælis; *universam significabat Ecclesiam, quæ in hoc seculo diversis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibus quatitur, & non cadit; quoniam fundata est supra petram, unde &* Petrus *nomen accepit: Non enim à Petro petra, sed* Petrus *à petra*, &c. Item: *Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro; id est, potestatem ligandi, solvendique peccata.* Idem de agone Christiani, cap. 31. *Nec eos audiamus*, inquit, *qui negant, Ecclesiam Dei omnia peccata dimittere.* Itaque miseri dum in Petro *petram* non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Quin & Dominus ipse paulo pòst, nempe Matth. 18. istud dictum de clavibus, transfert ad totam Ecclesiam, & omnes pios, & non ad Palam, aut solos Spirituales, cum inquit: *Si peccaverit in te frater tuus, abi & redargue eum solus ipse solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum; sin verò non audierit, adhibe tecum adhuc unum, aut duos, ut in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum.*

Quod

Quòd si non audierit eos, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis: quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo; & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in cœlo. Rursum dico vobis: si duo ex vobis consenserint in terra, de quacunque re, quam petierint, continget illis à Patre meo, qui est in cœlis. Ubi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Jam verò continent sive complectuntur claves omnem legitimam vim atq; potestatem Ecclesiastici regiminis, sive agendi aliquid, sive omittendi. Quod negari nec potest, nec solet. Quare & hæc potestas vi clavium Ecclesiæ est concessa & attributa, ut ei liceat vel eligere idoneos ministros, sive ii vocentur Diaconi, sive Pastores, sive Episcopi; vel ab officio removere eos, qui vel in doctrina, vel in vita deprehenduntur impuri, aut minus idonei.

II. Christus ubique præcipit suis discipulis, ut suam tantum vocem audiant, & ab aliena sese avertant, eamq; sedulò vitent. Item, ut sibi à Pseudoprophetis & Pharisæorum fermento caveant. Item Paulus, ut eos detestemur, imò & diris devoveamus, qui aliud Evangelium docent. In quibus dictis omnibus cùm mandet Christus ut Christiani auditores sibi fideles concionatores seu ministros Ecclesiæ quærant, & malos fugiant, dat certè Ecclesiæ suæ potestatem & mandatum, ut pios & idoneos Doctores vocet, improbos verò & non idoneos rejiciat.

III. Paulus 1. *Corinth.* 3. dicit, Omnes concionatores esse Ecclesiæ ministros, non Dominos. Ecclesiam dicit esse *columnam veritatis*, Ecclesię vult dici de controversiis. Ejus igitur est summum judicium, tribunal aut potestas. Penes eam igitur meritò & vocatio ministrorum est. Item 1. Pet. 5. *Non veluti dominium exercentes adversus Cleros; sed sic, ut sitis exemplaria gregis.* Habet itaque Ecclesia potestatem eligendi, suscipiendi, itemque repudiandi, cum sunt inepti, aut etiam mali.

IV. Legitur id etiam in praxi seu usu fuisse tempore Apostolorum; scribit enim Lucas Act. 14. Presbyteros Ecclesiæ suffragiis Christianorum electos, & non à solo Petro vel Paulo fuisse præconstitutos, quos ipsi voluissent, ut Pontifices recentiores factitarunt. Ad eundem modum & Cyprianus ostendit, tum Josephum, tum Matthiam Apostolum Act. 1. tum septem illos Diaconos Act. 6. suffragio & consensu universi cœtus ad ministerium fuisse vocatos. Sed desino in tanta luce Evangelii, quæ hoc tempore est plura testimonia sacrarum literarum, præferre, ne & lectorem & scriptum copia nimium onerem. HACTENUS de testimoniis sacræ Scripturæ. Nunc porrò etiam quædam *Patrum* & *Conciliorum* afferemus, ex quibus liquidò cernatur, etiam post Apostolorum tempora id moris in Ecclesia fuisse servatum, & solenni indubitatoque usu confirmatum.

Anacletus Episcopus Romanus, qui subitò Christi tempora est consecutus, scribit: *quòd Dominus electionem Episcoporum commendaverit Sacerdotibus & piorum cœtui.* Idem prorsus testimonium repetitur deinde distinct. 79. Can. elect. Verba

Decr. p. 1. dist. 79. c. 11.

ba ejus hæc ſunt: *Cum Dominus electionem ſummorum Sacerdotum ſibi ſervaverit, eorum tamen electiones bonis ſacerdotibus & ſpiritualibus POPULIS conceſſit.*

Præterea quarta Cypriani Epiſtola, non tantum ejus, ſed & aliorum compluriumnomine eſt ſcripta: imò fere ceu à toto aliquo concilio; & agitur in ea propè nihil aliud, quàm de Epiſcoporum electione, & quales ij eſſe debeant, firmiter autem Patres illi concludunt, electionem eſſe totius Eccleſiæ, ſive totius cœtus piorum, pertinentis ad eligendos Doctores aut Epiſcopos: quemadmodum in ea epiſtola porrò videre licet. Locus Cypriani de hac re in ſequentibus prolixè citabitur. Sic & in tertia Epiſtola aliquoties indicat Cyprianus, ſeipſum ſuffragio & conſenſu totius Carthaginenſis Eccleſiæ creatum eſſe Epiſcopum.

Ad hæc, ſacroſancta illa, omniumque celeberrima, Nicæna nimirum Synodus, etiam teſtatur electionem Epiſcoporum pertinere ad populum ſive Laicos. Scribit enim ea Synodus epiſtolam quandam ad Eccleſiam in Egypto, ut teſtatur Theodoretus, in qua hæc verba leguntur: *Dignum eſt vos poteſtatem habere & eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi qui Clero ſunt digni, & abſolutè facere omnia ſecundum legem ac ſanctiones Eccleſiæ. Si quem verò contigerit requieſcere in Eccleſia, tunc provehi in honorem defuncti eos, qui nuper aſſumpti ſunt, ſolummodò ſi videantur digni, & Populus eos elegerit, condecernente ſimul & deſignante maximè Alexandriæ civitatis Epiſcopo.*

Sic & non minus celebris Synodus Conſtantinopoli ſub Theodoſio magno coacta, teſtimonium præbet de electione Laicorum; nam ſcribit ea quandam epiſtolam ad Damaſum Papam ad Ambroſium & alios Epiſcopos, qui unà erant in Synodo Romæ ut teſtatur, Tripartita Hiſtoria lib. 9. cap. 14. In ea epiſtola hæc verba extant: *Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum ordinavimus* Nectarium *coram univerſali Concilio, cum communi concordia, ſub aſpectu etiam Deo amabilis Imperatoris Theodoſii, univerſique Cleri, cuncta decernente pariter civitate. In ſeniore autem, & verè Apoſtolica Eccleſia Antiochiæ Syriæ, in qua primùm venerabile Chriſtianorum appellatum eſt nomen, reverendiſſimum & Deo amabilem Epiſcopum* Flavianum, *de univerſa Provincia & Orientali diœceſi concurrentes regulariter ordinarunt, OMNI Eccleſia pariter decernente*, &c.

Nazianzenus quoque in funebri Oratione, quam fecit in obitum patris ſui, multa diſſerit de Laicorum electione, quemadmodum ibi videre licet. Sic & apud Chryſoſtomum quædam reperias *l.4. de Sacerdotio*; cujus certè teſtimonium, ut Patris ſanctiſſimi, meritò magnifieri debet.

Papa item Cæleſtinus, ejus nominis primus, in hunc modum ſcribit: *Nullus invitis detur Epiſcopus: Cleri, Plebis, & ordinis conſenſus requiratur.* Item in Concilio quarto Carthaginenſi, cui etiam interfuit D. Auguſtinus, hæc verba, Can. 1. Concilii, & diſtnict. 23. leguntur: *Cum in hiſce omnibus examinatus fuerit inventus*

Decr. p. 1. diſt. 63. cap. 26.

plenè instructus, tunc cum omni consensu Clericorum, & Laicorum, *& conventu totius provinciæ Episcoporum, maximeq; Metropolitani vel authoritate, vel præsentia, ordinetur Episcopus, suscepto in nomine Domini nostri Jesu Christi Episcopatu.* Celebrata est hæc Synodus circiter annum Domini 400.

Ita Augustinus quoque quando scribit, quomodo sibi substituerit ac designaverit Eradium, qui defuncto sibi succederet Episcopus, prolixis verbis testatur, hoc esse receptum probatumque jus & consuetudinem, ut tota Ecclesia sibi eligat Episcopum, aut in ipsum consentiat.

Scribit item Hieronymus *ad Rusticum Monachum*, quòd populus potestatem habeat eligendi Clericos aut Sacerdotes; sicut porrò ista ibi plenius videre licet, & legere.

Item Paulus Diaconus scribit de electione Ambrosii, quòd ab universo cœtu vocatus fuerit ad munus Episcopale. Et ipse quidem Ambrosius *Epistola* 82. scribit, electionem & vocationem, quæ fit à tota Ecclesia, verè & certò esse divinam vocationem ad munus Episcopi.

Papa quoque Gelasius scribit *Dist.* 63. electionem Episcopi esse totius Ecclesiæ; & quòd necesse sit, ut tota Ecclesia conveniat, & sibi idoneum Episcopum eligat. Vixit verò hic Gelasius circiter annum Christi 500.

Hanc Canonum sententiam etiam Bonifacius, hoc nomine tertius, comprobavit annis (ni fallor) 600. à Christi temporibus, ut scribunt Sabellicus & Platina.

Item Stephanus Papa, ibidem loci, *Dist.* 63, scribit: electionem non solùm ad Spirituales, verum etiam ad Laicos pertinere.

Leo etiam, hujus nominis primus, ita scribit: *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Comprovincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati.* Distinct. 62. c. 1.

Habetur eodem loco: *Cum ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem* Cleri plebisque consensus *concorditer postulaverit; uti, si in aliam fortè personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is, alteri præponatur, qui majoribus & studiis iuvatur, & meritis; tantum; ut nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa, quàm convenit, cui non licuit habere, quem voluit.* dist. 63. Rectè hic indicat Leo, non solum esse justum, ut plebis consensus in electione Episcopi accedat; sed etiam causam ostendit, quare id rectum, utile & necessarium esse videatur, quia nempe is multo cum majori fructu doceat, qui de communi consensu electus est, quàm qui invitis obtrusus.

Rursum idem Leo distinct. 63. c. 27 *Vota civium*, inquit, *testimonia populorum honoratorum arbitrium, electio Clericorum, in ordinationibus Sacerdotum constituantur. Et* infra: *Per pacem & quietem Sacerdotes, qui futuri sunt, postulentur; teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis.*

bis. Hic Papa etiam Leo Magnus fuit dictus, eo quòd omnium ferè Pontificum post D. Gregorium fuerit doctissimus; quam ob causam meritò quoq; adversarii maximi facere deberent tanti viri testimonium & decretum, in causa de jure electionis.

Gregorius Pontifex cognomento *Magnus*, hujus nominis primus, sæpe numero facit mentionem electionis Laicorum; & docet, ut Episcopi hoc pacto eligantur. Addam igitur quædam dicta ex ipsius epistolis Libro 3. ad Episcopum Agnellum: *Relatio Cleri simul & populi Terracinæ degentis, nos valde lætificat ob hoc, quòd de tua Fraternitate bona testatur. Et quia defuncto Petro Pontifice suo, te sibi Cardinalem postulant constitui Sacerdotem, eorum necessariò complenda prævidimus desideria.* Idem, Ordini & plebi consistenti Terracinæ: *Dilectionis vestræ desideria, insinuata nobis quàm obtulistis petitio reseravit; electionemque vestram valde laudavimus, quia Agnellum fratrem & Coepiscopum nostrum probatum jam meritis, Cardinalem vobis constitui, deprecamini Sacerdotem, &c.* Ex ejusdem ad Scholasticum, judicem Campaniæ: *Salutantes hortamur magnitudinem vestram, ut convocantes priores vel plebem civitatis, de electione alterius Sacerdotis cogitetis, qui dignus possit cum Christi solatio ad Sacerdotium promoveri.* Et paulo pòst: *Sin autem aptam non invenitis, in quam possitis consentire personam, saltem tres Viros rectos ac sapientes eligite, quos ad hanc urbem Generalitatis vice mittatis, quorum & judicio plebs tota consentiat.* Idem, ordini & plebi consistenti Albano: *Probabilib. desideriis nihil attulimus tarditatis, fratrem namque & Episcopum nostrum, hominem bonum, vobis ordinavimus Sacerdotem.* Idem Magno Presbytero Ecclesiæ Mediolanensis: *Admone* Clerum & Populum, *ut ad eligendum nullatenus dissentiant Sacerdotem, sed uno consensu talem sibi eligant, &c.*

In Concilio item Toletano hic Canon legitur: *Sed nec ille deinceps Sacerdos* (id est, Episcopus) *erit, quem nec Clerus nec Populus propriæ civitatis elegit, nec autoritas Metropolitani, aut Comprovincialium Sacerdotum assensus exquisivit*, distinct. 51.

Item Concilium Cabilonense (quod circiter annum Christi 650. fuit) similiter scribit, electionem etiam ad Laicos, vel universam plebem pertinere; hæc enim sunt ipsius verba Can. 10. *Si quis Episcopus de quacunque civitate fuerit defunctus, non ab alio nisi à Comprovincialibus, Clero & Civibus suis, alterius habeatur electio. Sin autem aliter fiet, ejus ordinatio irrita habeatur.* Idem Papa Hadrianus in Epistolis suis ad Regem Carolum Magnum, aliquoties mentionem facit *Canonum Olitanorum*, quod fortassis particulare seu Provinciale fuit Concilium, in quo etiam comprobatur Populi electio. Adscribam itaque quædam ipsius Hadriani verba: *Ideo Apostolica prævidimus authoritate, ut Canones in Decretis eorum consistant: & quando à nobis ordinantur, olitana consuetudine proclametur*: Plebs & Clerus Ecclesiæ illius simul consistens, *elegerunt sibi Episco-*

Error, nam olitanus adjectivè vetustus.

pum,&c. Et paulo pòst: *Quia nunquam nos in ulla electione nobis subjecta ingessimus, nec in genere habemus, sed neque vestram excellentiam optamus in talia recumbere: sed qualis* à Clero & Plebe cunctoque Populo *electus* Canonicè *fuerit, si nihil sit, quod sacro obsistat ordini, solita traditione ordinamus. Nos quippe, cum subscriptione decreti* à cuncto populo roborati *electum suscipientes, & ne videremur viduatam proprio pastore morari Ecclesiam*,&c. Significat hic Pontifex clarè, quòd nequaquam se velit ingerere in electionem eorum, qui sibi essent subjecti, sed integram potius ac liberam eam relinquere Clero & Populo suæ civitatis, eumque citra moram ordinare, quem ipsi electuri sunt, & ad se cum testimonio Plebis de electione missuri. Addit etiam insuper, se, cum aliquem ordinat, curare, ut olitana consuetudine proclametur: *Præsentem hunc N. in Episcopum sibi elegit Clerus & omnis Plebs loci illius &c.* Hic verò Papa vixit ante annos 780.

HINCMARUS Archiepiscopus Remensis in Gallia, vir cumprimis eruditus & pius, vixit tempore Caroli Magni, & deinceps. Ejus Epistolæ complures reperiuntur, scriptæ in membranis, de electione Episcoporum, quarum aliquas meo *Catalogo testium veritatis* inserui. Quamprimùm enim Episcopus aliquis in sua diœcesi decessit, illicò scripsit ad Populum & Clerum ejus loci, quo sibi alium eligerent Episcopum, semper adjiciens, illud & æquitatis & consuetudinis in Ecclesia postulare rationem. Ex ejus itaque scriptis etiam quædam loca huc adscribam. In Epistola quadam ad Carolum Regem ita scribit: *Domino glorioso sit semper laus & vita. VII. Idus Jun. circa horam secundam, venerunt tres Clerici, & duo Laici, Sylvanectensis Ecclesiæ, ad exiguitatem meam, innotescentes, eandem Ecclesiam, fratre & Consacerdote nostro Erpoino defuncto, viduatam esse pastore; ferentes etiam ipsius Ecclesiæ* tam Cleri quàm Plebis petitionem, *ut eis pastor secundum sacras regulas tribuatur. Quos interrogavi, si verbum haberent de* pace Cleri ac plebis Ecclesiæ illius *ex aliqua designata persona. Qui responderunt, se non aliam petitionem ex parte sociorum suorum afferre, nisi ut apud solidam misericordiam vestram, liberam illis ac regularem electionem obtinere satagerem, quatenus secundum sacras literas illuc Canonico Visitatore directo, ab omnibus Ecclesiæ ipsius alumnis valeat eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Idem ex Epistola ad Episcopum Hadebertum Sylvanectensem scripta: *Dilecto fratre ac venerabili Consacerdote nostro Hodone, Episcopo Ecclesiæ Belvacensis, defuncto, hortor ac moneo dilectionem tuam, frater charissime, ut ejusdem Ecclesiæ officio Visitatoris, consensu Domini nostri Ludovici Regis, nostræ humilitatis Metropolitana delegatione suscepto, ad eandem Ecclesiam quantocyus studeas properare, & assiduis hortationibus* Clerum, plebemque ejusdem Ecclesiæ *publicè admonere festines, ut remoto privato studio* uno eodemque consensu *talem sibi præficiendum expetant, & eligant Sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis Canonibus nullatenus respuatur.* Formã *autem* electionis, *qualiter & qualem eligere debeant, tuæ diligentiæ transmitto, quam publicè coram omnibus tua solertia relegi faciat, ne de igno-*

ignorantia se quilibet excusare valeat. Quæ electio non tantum à civitatis Clericis *erit agenda, verùm de omnibus monasteriis ipsius parochiæ, & de rusticarum parochiarum Presbyteris occurrant Vicarii, commorantium secum concordia vota ferentes; sed &* Laici, Nobiles ac cives *adesse debebunt. Quoniam* ab omnibus *debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Hæc clausula in multis admodum ejus epistolis reperitur; plerunque enim ita scribit: *Quæ quidem electio non tantum à civitatis Clericis erit agenda? verùm & de omnibus monasteriis ipsius parochiæ.* Item: *Omnes Presbyteri rusticarum parochiarum adesse debebunt, adferentes secum consensum & vota sui populi. Adesse quoq; debent* Laici, Nobiles & cives. *Ab omnibus enim eligi debet, cui omnes obedire debent.*

Leo, ejus nominis quartus, Papa Romæ fuit anno Domini 450. Is Consilium Romæ coëgit, in quo 42. Canones constituit, qui summatim enumerantur in Vitis Pontificum, à Luitprando Diacono (ut opinor) descriptis, quas ego in vetusto Codice, ex membranis confecto, conscriptas habeo. Summa verò quinti Canonis hæc est: *Quintò confirmavit, quòd Cœlestinus & Magnus Leo de Episcopis instituerant, videlicet, ut non conveniat Episcopum consecrari, nisi à* Clericis & populo *fuerit postulatus. Quia nulla ratio sinit, ut aliter consecrati inter Episcopos habeantur. Et cum in eadem Ecclesia dignus non invenitur, tunc primùm aliquis de altera Ecclesia deligatur; & quamvis necessitas eveniat, tamen invidiose nullo modo consecretur.* Leo IV.

Idem & Nicolaus primus, circa annum Domini 870. decrevit, vel potius suo tempore fuisse in usu affirmavit; nam Guilhelmus, Bibliothecarius Lateranensis, cujus Blondus sæpe meminit, sic in Appendice ad Damasum in Nicolai hujus vita scribit: *Item sancimus, ut Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post Electionem* Ducis, Cleri & Populi, *per Epistolam Apostolicæ sedis Præsulis acceperis consecrandi licentiam.* Idem Hadrianus tertius Synodum quandam habuit, in qua determinavit electionem liberam esse, & simul ad Spirituales ac Laicos pertinere debere; quemadmodum id Platina in vita illius contestatur. Gratianus initio *Dist.* 63. decretum quoddam Hadriani ponit, contra Laicorum electionem, quod decretum in quibusdã glossis huic Adriano III. attribuitur. Verùm nostra hæc tum præcedentia, tum sequentia testimonia perspicuè ostendunt, illud neq; primo, neq; secundo, neque etiam tertio adscribi posse, sed merum esse commentum atque mendacium. Nicolaus I. Adrianus III.

Paschalis item Papa, hujus nominis secundus, Lugduni Galliæ egit Concilium, ubi inter cæteros quosdam etiam hunc Canonem ad incudem revocavit: *Quod nimirum Episcopus non debeat à solis eligi Sacerdotibus, sed etiam* à plebe ejus loci; ut testis est Aventinus lib. 6 Estque id factum ante annos (ni fallor) 450. Ad eundem modum & Crantzius scribit in sua Metropoli, etiam Calixtum Papam post Paschalem in quodam Concilio decrevisse, ut electio conjunctim permittatur libera Clericis atque Laicis. Paschalis II. Calixtus.

Eugenius item tertius, præcise ante annos 400. Bullam quandam de Archiepiſcopo Madeburgenſi perſcripſit ad alios quosdam complures Epiſcopos Germaniæ, quæquidem eſt inſerta in Hiſtoriam Otthonis Friſingenſis, in cujus 2. lib. de geſtis Friderici, cap. 8. hæc verba leguntur: *Cum enim translationes Epiſcoporum ſine manifeſtæ neceſſitatis & utilitatis indicio, divinæ legis oraculum non permittat, cum etiam multo amplior quàm in aliis electionibus* Cleri & populi, *eas debeat prævenire concordia in facienda translatione, & venerabili fratre noſtro Guicmano Epiſcopo Cicenſi, nihil horum eſt*, &c. Clarè hic audimus, cùm in electione, tum translatione alicujus Epiſcopi, ex una Diœceſi in aliam, neceſſariò requiri electionem vel conſenſum Cleri, & plebis. Mandat etiam in fine, ut Eccleſiæ Madeburgenſi, id eſt, Clericis & populo (quemadmodum ipſe paulo antè ſignificavit) liberrima concedatur electio. Eſtq; hic Epiſcopus factus, deinde Madeburgenſis Archiepiſcopus, proculdubio per liberam illam, & à Pontifice mandatam, Laicorum ſimul & Clericorum electionem. Diligenter etiam & hoc eſt obſervandum, quod hæc Bulla Papæ tempore Gratiani, Decretorum collectoris, ſcripta ſit; ut mirum videri queat, quòd adeò contra communem morem ac uſum, contra ſententiam Pontificis, & clara ac perſpicua teſtimonia, quæ ipſemet recenſet, conſultò in alteram partem inclinarit atque decreverit, ſeu in ſuo decreto concluſerit.

Hæc ſatis nunc ſint, teſtimonii loco, quòd nòn ſolùm ex Scriptura ſacra, & Patrum ſcriptis, ſed etiam de ſententia Pontificum & Conciliorum ſanctionibus conſtet, Electionem Epiſcoporum ad totum Clericorum ac Sacerdotum cœtum, ſimulq; etiam ad Plebem loci illius, ſive ii fuerint nobiles ſive ignobiles, maximè verò ad univerſum Populum Metropolis in ea diœceſi pertinere. Nunc porrò etiam *Imperiales quasdam Conſtitutiones* & *teſtimonia* adducam.

Imperatores electionem confirmantes.

Antiquiores *Imperatores* ſæpius hujusmodi electionem confirmarunt, vel potius juſtam uſitatamq; eſſe conteſtati ſunt, ut clarè patet ex Imperialibus Conſtitutionibus. In Codice Juſtiniani expreſſe hæc verba habentur: *Si quenquam vel in hac Regia urbe, vel in cæteris Provinciis, quæ toto orbe terrarum diffuſæ ſunt, ad Epiſcopatus gradum provehi Deo autore contigerit, puris Hominum mentibus, nuda electionis conſcientia*, ſincero Omnium judicio *proferatur*. Item: *Decreto facto, cum jurejurando omnium poſſeſſorum in ea civitate conſiſtentium, electione facienda à Deo amabili Epiſcopo & venerabili Clero, & Aliis in civitate bonæ opinioni* ſtudentibus orthodoxis. Ibidem: *Ita enim eos præcipimus ordinari, ut Reverendiſſimorum Epiſcoporum, nec non Clericorum & honoratorum poſſeſſorum & curialium decreto conſtituatur*. Sic & in *Novellis* definitur in hæc verba: *Sequentes igitur ea, quæ ſacris ſunt definita Canonibus, pragmaticam legem facimus, per quam ſancimus, ut quoties opus fuerit ordinare Epiſcopum, coëant in unum* Clerici & Primates civitatis, *cui Epiſcopus ordinandus eſt, & propoſitis Evangeliis de tribus perſonis decreta faciant*; *& quisque eorum juret per ſacra eloquia, idque ipſis decretis inſerant, quòd neque per largitio-*

gitionem, neque promissionem, aut amicitiam, aut gratiam, aut quamcunque aliam affectionem, sed quòd sciant, ipsos rectæ & catholicæ fidei ac honestæ vitæ esse, & supra 35. ætatis annum, hosce elegerint.

Item in Codice: *Sequentes doctrinam sanctorum Apostolorum, de eo quòd debeant eligi integerrimi & incorruptissimi Sacerdotes, qui quidem ea re maxime constituuntur, in suis precibus benevolentiam Dei clementissimi Rebuspub. acquirant, præsenti constitutione sancimus: Quoties* Sacerdotalem sedem *in civitate quapiam vacare contigerit, ut suffragia ferantur ab Incolentibus eam civitatem, de tribus qui in recta fide, ac vitæ sanctimonia, aliisque optimis in rebus spectari & probati sunt, ut ex iis, qui maximè idoneus erit, in Episcopatum cooptetur.* Hic liquidò apparet, in primitiva Ecclesia & usitatum & comprobatum fuisse, ut etiam Laici eligerent Episcopos ac Pastores, unà cum Clericis.

Carolus Magnus, primus Imperator Germanus, & Autor Romani Imperij in Germania, ac multorum Episcopatuum fundator, inter alias complures leges de Ecclesiis, & hanc de Episcoporum electione, non sine summo suorum Episcoporum atque Procerum consensu condidit: *Ne scilicet eam soli usurpent Sacerdotes sive Clerici, sed Laici quoq;.* Verba autem ejus hæc sunt: *Sacrorum quoq; Canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbemus, ut scilicet Episcopi* per electionem Cleri & Populi, *secundum statuta Canonum de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis, usque quaque prodesse valeant. Præcipimus etiam omnibus ditioni nostræ subjectis, ut nullus Privilegia Ecclesiarum, Monasteriorum, aut Ecclesias diripere prætentet. Quia sicut à sanctis Patribus instructi sumus, gravissimum hoc peccatum esse dignoscitur.* Reperitur autem hæc Caroli Magni modò recitata constitutio in Ansegiso Abbate; item, in amplo ipsius Edicto; item, in *Defensione libertatis Gallicarum Ecclesiarum*, editionis ultimæ Duarenninæ; nec non Distinct. 63. Canonum sacrorum. Debebat etiam ea Caroli Magni Constitutio meritò apud Ecclesiasticos in precio tanto haberi majore, quanto ea habuit autorē præstantiorem, potentiorem, sapientiorem, atq; pietate præditum magis insigni, qui & primus fuit Germanorum Imperator, imò ἔξαρχος Romani Imperii apud Germanos; & denique qui tam multas Episcoporū, Abbatum & Prælatorum sedes partim constituit, partim jam constitutas tum opibus ac reditibus auxit, tum Privilegiis ac immunitatibus communivit. Carolus M.

Extat etiam Donatio quædam Ludovici Cæsaris, qui filius fuit Caroli Magni, inserta Decreto, distinct. 63. in qua expresſè statuitur, eum debere esse ac haberi Episcopum Romanum, quem *Omnes Romani*, id est, universus Populus Romanus *uno consensu elegerint.* Est igitur & hoc illustre testimonium Ludovici Cæsaris, ejus nominis primi, qui secutus Patrem suum Carolum Magnum, statuit, electionem Episcopi simul spectare ad Laicos & Clericos. Atque hic Imperator est alio nomi- Ludovicus I.

nomine nuncupatus *Pius*; qui & ipſe ampliſſimè Monaſteriorum & Epiſcopatuum reditus auxit, additis inſuper compluribus immunitatum Privilegiis. Quam ob cauſam certè meritò conſtitutio ipſius in Epiſcoporum & Abbatum electione valere deberet.

Ludovicus II. Porrò ſcribit Platina in vita Hadriani ſecundi, Cæſarem Ludovicum ſecundum, circiter annum Chriſti 870. in hanc ſententiam ad Romanos, ubi Hadrianum ſecundum ſuffragiis populi ac Clericorum elegiſſent, ſcripſiſſe. Adſcribam Platinæ locum: *Supervenere à Ludovico Imperatore literæ, quibus Romanos admodum laudat, quod ſummum Pontificem ſanctè & integrè creaſſent, non expectato aliorum voto, qui fortè ea in re, ob ignorationem perſonarum, minus judicij habuiſſent. Qui enim poſſe fieri dicebat, ut peregrinus & hoſpes dignoſcere poſſet in aliena Repub. quia potiſſimum cæteris præferendus ſit? Id maxime* ad cives *pertinere; & ad eos præſertim, qui cum inquilinis familiariter vixere.* Perſpicua certè & manifeſta eſt & hæc Cæſaris ſententia, cui & cauſæ graves ſunt additæ, quòd & quare ſtatuat, electionem, qua eligendus eſt Epiſcopus, præcipuè ad Cives pertinere.

Otho I. Similiter ſcribit idem Platina, in vita Leonis VIII. de Cæſare Othone primo. Verba ejus hæc ſunt: *Leo VIII. Protoſcriniarius, à* Clero Populoque Romano, *pulſo Johanne, Pontifex creatur; nam cum* Johannes *flagitioſe & intemperanter viveret, inſtarentque Romani apud Imperatorem, ut alterum Pontificem abrogato Johanne crearet; reſpondit*, electionem ad Populum & Clerum pertinere, eligerent, quem maximè idoneum putarent, ſe eum ſtatim approbaturum. *Unde cum Leonem elegiſſent, quem ipſe confirmaverat; deinde mutata ſententia, abrogato eodem, Benedictum ſuffeciſſent; iratus Ottho, eos vi & armis compulit, dedito etiam Benedicto, Leonem ſuſcipere.* Perſpicuum eſt & hoc teſtimonium Otthonis Imperatoris, hujus nominis primi, quo oſtenditur, electionem jure & verè eſſe totius plebis, omniumve civium, & Clericorum ſive Sacerdotum ordinis. Confirmavitq; hoc præſtantiſſimus Imperator non verbis ſolùm, ſed opere quoque, ac facto. Cum enim data ſibi eſſet poteſtas elegendi, aut conſtituendi Romanum aliquem Epiſcopum, Cives ipſos (ut modo dictum eſt) cohortatus eſt, ut omnino ipſimet eum, quem maximè probarent, eligerent; licet plurimum ipſius intereſſe videbatur, talem illic eſſe Epiſcopum, qui optimo ſemper erga eum eſſet animo, & fide ſumma. Fuit autem & hic Ottho maximè celebris ac illuſtris Imperator; nam & Romanum Imperium inſtauravit ac auxit plurimùm, in bellis multa præclara geſſit, ſapientia & pietate multùm excelluit, Prælaturas etiam atque Epiſcopatus in Germania non paucos conſtituit, in quorum numero & Magdeburgenſis eſt Archiepiſcopatus; pleroſque verò cumulatè auxit opibus, & Privilegiis confirmavit. Quare & hujus tam conſtans ſententia ac voluntas, quam ipſe prorſus divinam eſſe cenſuit, & ut divinum mandatum veneratus eſt, meritò in univerſo Imperio Romano, cum primis verò in Archiepiſcopatu Madeburgenſi, & aliis ab ipſo conſtitutis magnifieri, imò

& ir-

& irrefragabiliter servari debebat. Proculdubio etiam idem habent & volunt *fundationes ipsius ac Privilegia*, si modò non (quod verendum est) sunt adulterata; velut de secundo Episcopo Madeburgensi, Gislero scilicet, in Vita ipsius legitur, quod multa Privilegia partim corruperit & depravaverit, partim etiam combusserit, prout commodum ipsi visum fuit.

Recensui igitur *quatuor potentissimorum piissimorumque Cæsarum de Electione Episcoporum sententias*, quæ profectò hoc etiam nomine plurimum momenti habere deberent, quòd Episcopatus maxima ferè ex parte ab illis fundati, amplissimisque reditibus sunt locupletati; ut ita vel ipsa æquitate postulante, ipsorum tam pia voluntas atque constitutiones suum habere deberent locum, ut nimirum etiamnum solum à Sacrificulis, iisque perpaucis, sed conjunctim ab universo cum Clero tum Populo, eoque tam nobili, quàm ignobili, fieret electio. Verùm ut hæc testimonia pro jure electionis Episcoporum veluti in compendium redigam, adscribam prolixum locum Nic. Cusani Cardinalis, *ex secundo libro De concordantia Catholica*; ubi ille eandem rem agit, citatis compendio pluribus testimoniis Veterum. *Ex quo patet, quòd si invitis daretur* Episcopus, *quoniam contra magnam Synodum est, quæ per electionis viam statuit esse providendum, quod tunc reprobari posset sic datus. Et hoc probat textus* 61. *dist.* nullus invitis detur Episcopus; *ubi istud Capitulum jam suprapositum proximè per Cælestinum definitur, qui dicit, quòd Clerici facultatem habeant renitendi, si se contrà hujusmodi decretum viderint prægravari; & quos sibi ingeri ex transverso viderint, non timeant refutare. Facit c. obitum.* e. dist. & ad idem 63. distinct. si fortè. *ubi dicit textus, quod in duobus in discordia electis, Metropolitani judicio detur unus, qui petitus sit, & nullus detur invitis, ne plebs invita Episcopum non optatum contemnat. Et facit ad hoc bene* 33. q. 2. de ineptis; *quia si unum corpus Spirituale constitui debet ex Episcopo & plebe, tunc consensus necessarius videtur, ut ibi de matrimonio carnali dicitur, quoniam non dubium inter Episcopum & Ecclesiam matrimonium est.* 3. q. 2. audimus, *cum similibus. Et propterea dicit textus*, 1. q. 1. ordinationes; *quòd ordinationes, quæ non fiunt communi consensu Clericorum, vel Presbyterorum, secundum Canonicas sanctiones, & ab iis, ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, falsas esse judicamus, quoniam, qui aliter ordinantur, non per ostium, id est, Christum intrant, sed (ut ipsa veritas testatur) fures sunt, & latrones. Et ratio hujus est, quoniam consensus de essentia matrimonii est, ut superius habetur; diversitas enim ordinum præpositorum & subjectorum, pro conservatione Reip. ordinata est; ut dum reverentiam exhibent minores potioribus, & potiores minoribus dilectionem, vera concordia ex diversitate contexeretur; & rectè officiorum generaretur administratio. ut* 89. *distinction. ad hoc.* 45. distinct. licet. *Igitur ex concordia subsistit Ecclesia. Quare invitis Præses non rectè præponitur, de quo pulchre* 83. dist. esto. *Sed oportet quòd ille, qui præest, ab omnibus, quibus præest, constituatur tacite vel expresse; sin autem aliter præsumptum fuerit, viribus carere dubium non est, quia irri-*

tum est 66. distinct. Archiepiscopus, *qui est textus Anitij Papæ, qui dicit alibi*: Oportet, qui omnibus præesse debet, ab omnibus eligatur. *Et quod ille textus* Archiepiscopus, *qui loquitur de ordinatione, intelligatur de electione, patet in originali, & in Panormia Iuonis, qui dicit*: Oportet autem, ut ille, qui omnibus præesse videtur, ab omnibus illis eligatur & ordinetur. *Verbum* Oportet, *est verbum necessitatis*. 50. *distinct*. Domino sancto 1. aliter non posse 3. q. 6. dudum quod pro præmissis. &c. Episcopo 8. q. 1. est notandum. *Idem etiam optime probat* c. Metropolitano. 63. dist. &c. Valentinus. *Ordinatio enim sæpe idem est quod* electio: 61. distinct. Sacerdotibus: *Per consensum enim eligentium & electi, hoc matrimonium constituitur*; *ut not.* in ca. cum inter Canonicas, de elec. & 63 dist. quanto. in glos. *Electio autem consensui æqui paratur, sic est textus in c.* Episcopos. 63. distinct. *hoc est, matrimonium quod inter eligentes & electũ contrahitur; ut not. in* c. 1. de translat. c. 1. secundũ Inno. *per eligentes inter Ecclesiam & electum contrahitur* : *ut notatur* in cap. 1. de transla. *De hoc etiam* in cap. obeuntibus 63. distinct. *Et quia omnis cura reformationis stat in hoc, ut Præsides, Rectores & Gubernatores boni constituantur; quoniam, si quæ lex animata esse debet in terris, bona non est, quale periculum subjectis immineat, facile scire quisq; potest. Unde in constituendis Rectoribus Ecclesiasticis, qui invitis dari non debent, divina præcepta sunt, ut per electionem procedatur. Et ut paucis contentemur allegationibus, ita scribit sanctus Cyprianus in Epistola de Martiale & Basilide, ubi dicit*, quod plebs in sua potestate habet eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi: *Quod & ipsum* (dicit) *videmus de divina autoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit*: Prende Aaron fratrem tuum, & Eleazar filium ejus, & pones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam ejus, & indue Eleazar filium ejus; & Aaron appositus morietur illic. *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordines Sacerdotales, non nisi sub Populi adsistentis conscientia fieri oportere; ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuit examinata. Quod postea secundum divina mysteria servatur in Actibus Apostolorum, quando de ordinando in locum Judæ Petrus ad Plebem loquitur*: Surrexit Petrus (*inquit*) in medio Fratrum discentium, fuit autem turba in unum. *Nec hoc in Episcoporum tantum, & Sacerdotum, sed in Diaconorum ordinibus observasse Apostolos, animadvertimus; de quo & ipso in Actibus Apostolorum scriptum est*: Et concocaverunt (*inquit*) illi duodecim totam plebem discipulorum. *Quod utique idcirco tam diligenter & cautè, convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel sacerdotalem locum indignus obreperet*. Hæc ille.

Et Act. 6. super illo tex. glos. dicunt, quod consensum multitudinis quæsiverunt 12. *Apostoli omnium fidelium, qui discipuli vocabantur; & hoc, ut exemplum darent,*

quo-

quoniam hic ordo servandus est in ordinandis. Eligere debet populus, & ordinare Episcopus. De eodem loquitur sanctus Hieron. & habetur 8.*q.* 1. *licet &c. si ergo.ubi de hoc &* 21. *dist. in novo; ubi Anacletus Papa dicit, de voluntate Apostolorum, Petrum præsidem factum; & quòd Apostoli elegerunt* 72. *discipulos. Ubi licet legatur in Epistola Clementis, Petrum misisse Episcopos per Gallias, & alias partes; & ita etiam Clementi præcepisse, ut ipse ad illas partes mitteret, quò ipse non misisset; & sic omnes Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, à sede Apostolica regressi sunt. Ita intelligo textum* 22. *dist. c.* 1. *qui fuit Nicolai Papæ, qui penè octingentis annis fuit post Christum; licet manifestum sit, quod non in omnes partes mundi de Roma missi sint Episcopi; jam enim erant multi Episcopi per mundum, antequam Petrus venit Romam, ut est manifestum; quia Antiochiæ & Hierosolymis (& etiam ex illa Epistola Clementis apparet, qui scribit Jacobo Hierosolymorum, ut ipse per Orientem mittat) tamen hoc non concludit, Papam solum à principio Patriarchas sive Primates constituisse, ut quidam dicunt* ADULATORES, *quoniam tota Ecclesia, sive Apostoli, qui totam Ecclesiam repræsentant propinquius quàm solus Petrus, Primates constituerunt.* 99. *distinct. nulli. qui textus dicit: Apostoli eorumque Successores, neq; concludit, Ecclesiis aliquando fuisse prævisum sine electione, quia tunc non fuerunt Ecclesiæ, sed missi fuerunt ad ædificandas Ecclesias; & ideo electio locum habere non potuit, quia Ecclesia eligens tunc defecit. Unde illi missi, gerentes figuram Christi, secundi Adæ, ex costa sua, scilicet divini verbi, sibi Evam ædificarunt, quam desponsaverant, & sic Evæ genitæ post hæc non dabatur nisi Sponsus desideratus. Sic hodie non dubium est, Papam ad partes infidelium prædicatores mittere posse, ad modũ Petri vel Clemẽtis, ut hæc probat textus Nulli, suprà allegatus*

Et ita intelligit Hostien. in Summa de offic. legat. ubi dum de his, quæ sedi Apostolicæ dicuntur reservata, dicit, erectiones cathedralium ad eum spectare; & ideo dicitur, ab Ecclesia Rom. omnes dignitates originem sumpsisse. 22. distinct. c. 1. Hæc ille. *Ecce ergo patet, electiones de divino jure esse, præsertim quòd invito non detur Populo Episcopatus; & consequenter est contra omnem rationem, dare non expetitum. Unde Leo Papa* 62. *dist.* Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sint electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprovincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. *Ecce tria requirit, ad hoc quòd præses rationabiliter constituatur;* electionem Cleri, consensum plebis, & judicium Metropolitani, *& de hoc infinita (ut ita dicam) jura sunt.*

Si igitur Ecclesia reformari debet, necessarium est, divina & naturalia jura, & Canonum sanctiones circa materiam electionum repeti, & amplius servari. Unde Siricius Papa, de qualitate ordinandorum & eligendorum, in Epistola ad Orthodoxos per diversas Provincias, scribit: Cogitantibus nobis metum divini judicij, Fratres charissimi, & post hanc vitam unumquemque prout gesserit recepturum, quid veniat in querelam, tacere non licuit, sed nos loqui necessitas imperavit, dicit Propheta: Exalta ut tuba vocem tuam; & cui omnium Ecclesiarum cura est, si dissimulem, audiam Dominum dicentem: Rejicitis mandata Dei, ut traditio-

tiones veſtras ſtatuatis. Quid enim aliud eſt, rejicere mandata Dei, quàm privato judicio & humano conſilio novis rebus conſtituendis liberius delectari? Perlatum itaque eſt ad conſcientiam Apoſtolicæ ſedis, contra Eccleſiaſticum canonem præſumi, & quod ita ſunt à Majoribus ordinata, ut ne vel levi ſuſurro debeant violari, proprias quaſdam novas obſervationes inducere, & prætermiſſo fundamento ſuper arenam conſtituere velle, Domino dicente: Non transfer terminos, quos poſuerunt Patres tui. Quod & ſanctus quoque, Apoſtolus, novi & veteris Teſtamenti prædicator monet, in quo locutus eſt Chriſtus: State (inquit) & tenete traditiones veſtras, quas didiciſtis ſive per verbum, ſive per epiſtolam. *Et infrà*: De quo chariſſimi, mihi ante veſtram ſinceritatem hujusmodi literæ cucurrerunt, multo Fratrum & Sacerdotum conſenſu, ut hac noſtra ſubſcriptione firmata Eccleſiaſticorum Canonum diſpoſitio, quæ apud Niceam tractata & confirmata eſt, ſuo merito fundatiſſima permaneret. *Hæc ille.*

Ecce quòd contra mandatum Dei eſt, rejicere Canones. Unde licet Romanus Pontifex aliquando pro neceſſitate vel utilitate Eccleſiæ, laxare poſſet præcepta Canonica; quæ nullatenus mutilanda ſunt, his caſibus ceſſantibus, ut hoc Iuo & Gelaſius dicunt, 1. *q.* 7. *c. & ſi Gelaſius &c. quod pro remedio; tamen omnia jura electionis tollere penitus, & ſuæ diſpoſitioni reſervare Eccleſiaſticarum rerum diſpoſitionem, puto Papam non poſſe, quoniam electio divini & humani juris eſt; & præceptum Dei eſt, cui Papa obedire tenetur, qui terminos Patrũ transferre non debent, faciunt ea, quæ notantur* 14. diſtinct. ſicut. & 1. q. 7. niſi rigor. & 25. q. 1. ſunt quidam. *quoniam in totum tollere non poteſt; contra quod ex cauſis prætactis diſpenſat. Et quia per tacitum conſenſum totius Eccleſiæ, Romani Pontifices reſervationibus factis uſi ſunt, nec ſunt dati Epiſcopi repudiati & reprobati, ſicut tamen meo judicio reprobari poterant; tunc in conſenſum tranſivit taciturnitas, quod ſufficit pro titulo eorum, qui præfecti ſunt; taciturnitas pro conſenſu habetur, ut tractatur in regula,* Qui tacet. *Et hoc caſu, quando non opponitur, ut notat* gloſ. antiq. cap. noſſe. 63. diſtinct. *qui dicit*, In publico negocio qui ſe non opponit, cum poſſit, conſentire intelligitur. *Et ca. eligendo paſtorem, intelligitur contrahere ſponſalia Eccleſiæ. Unde cum Eccleſia non reclamaverit,* intelligitur conſentire; velut ſi pater contrahat ſponſalia filiæ ſuæ, ſi tacet, conſentire intelligitur. *Hæc ibi.*

Et idem Archi. 25. diſt. Epiſcopus ſine. Sic in propoſito, ſi Papa ſupplet locum patris, & dat ſponſum, & etiam tacet, & recipit, conſenſus intelligitur. *Ita dicit Lau. c. Epiſcopus.* 24. *diſt. ubi cum textus diceret, quòd Epiſcopus ſine Concilio Clericorum ſuorum, Clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & teſtimonium quærat, dicit Lau.* conniventia, *id eſt,* conſenſus: *quem eo ipſo dicuntur habere, quod ſciunt, & non contradicunt. ſ.* fo. ma. l. 2. ff. voluntatem, *& hoc probat textus, cum Adrianus* 63. diſtinct. conjuncta gloſ. ſuper verbo Ad ſalutandum, *qui dicit*: Argumentum eſſe eos conſenſiſſe electioni, ex quo interfuerunt, & eum ſalutaverunt,

& non

& non reclamaverunt; & eo quòd qui salutat alium, videtur consentire ei. 24. *q.* 1. *omnes.*

Nunc autem exorbitantia ob varias læsiones, displicere incipit, & oritur contradictio; quare puto Papam amplius non posse generaliter reservare electiva beneficia, nisi ei expreße indulgeretur per hoc sacrum Concilium, attenta contradictione exorta. Papa enim invitis Episcopum dare non potest, ut probat text. in novo. 21. *dist. ubi dicitur,* Petrum voluntate Apostolorum præpositum, *& glos. arguit ex textu,* Papam Episcopum dare non debere, nisi volentibus. 22. dist. sacro inter beatos 8. q. 1. licet. &c. *audaciter faciunt, quæ suprà ponuntur. Et dicit Archi. post Joan. de Deo. C. in novo. quod* Petrus *ante resurrectionem electus fuit in principem, per Christum; sed distulit confirmationem post resurrectionem, ut discipuli, quibus praeesse deberet, præberent assensum, in typum electionis faciendæ, quum nemo invitis dari debeat.* 61. distinct. nullus.

Unde videtur irrita esse, nisi consensus *interveniat,* per c. obeuntibus. 63. dist. ubi text. *Quod illud quod absque eorum consensu ac conniventia factum fuerit, irritum esse, & ad idem 66 dist. Archiepiscopus, hoc bene probatur, & ad hoc glos. super verbo Conniventia, in c. obeuntibus. quæ dicit argumentum ex tex. quod si: Quod aliquorum Consensu fieri debet, eorum dissensu dissolvitur factum. l.* 1. *dist. qui in aliquo.* 30. *q.* 2. *si verum 62. dist. nulla ratio.* 1. *q.* 1. *ordinationes.* 10. *q.* 2. *casellas.* 12. *q.* 2. *alienationes, &c. sive* 15. *q.* 7. *Episcopus nullius.* 23. *q.* 5 *quod ideo, & c. manifestum.* 20. *q.* 2. *puella. Et posset una ratio fortis assignari, cur* consensus *ex alio fundamento sit neceßarius. Manifestum est, scientiam legis ex ore Sacerdotum requiri: Malachiæ* 2. *ac insuper ex falsa doctrina, quæ ex ignorantia vel malitia Sacerdotis seminaretur, populum non excusari. Unde si non deberet populi consensus intervenire in præside, injuste puniretur ex ignorantia vel malitia Sacerdotis, juxta præmissa: quum ad ejus præsidentiam eorum consensus nunquam intervenit, nihil enim potest tunc ipsi populo imputari. Quare salus publica exigit, per electionem & consensum præsides fieri.*

HACTENUS testimonia satis multa tum ex sacra Scriptura, tum ex Patrum monumentis, itemque ex Conciliorum & Pontificum Decretis, nec non & Cæsarum sententiis & constitutionibus adduxi, ostendens, electionem omni jure esse non solùm Clericorum, sed simul quoq; Laicorum, cum nobilium tum ignobilium. Nunc porrò (Deo juvante) etiam alia quædam adjungam, quibus demonstrabo, idipsum multo etiam tempore fieri fuisse solitum; ut clarè pateat, quòd non solùm divino ac humano jure electio Episcoporum pertineat ad Laicos, sed quòd ipsa possessione quoque ipsoque facto multis admodum seculis eam occupaverint, & extra controversiam usurpaverint.

Quod ergo populus Apostolorum temporibus vota suffragiaque sua in eligendo aliquo Sacerdote aut Episcopo Clero conjunxerit, suprà ex Apostolorum a-

ctis est demonstratum. Quod item post Apostolorum tempora idem mos in primitiva Ecclesia sit servatus, testimoniis Cypriani supra ostendimus.

Deinde quòd electio 400. imò & 500. & 600. annis post Christum sit facta à Laicis, prolixè supra ex Hieronymo, Ambrosio, Paulo Diacono, Papa Leone, Cœlestino, Gelasio & Bonifacio audivimus. Quod denique etiam deinceps 700. ac 800. annis post Christum ita acciderit, suprà ex Epistolis Hadriani Pontificis ad Imperatorem Carolum Magnum cognovimus.

Habentur etiamnum Epistolæ quædam Hatonis, Abbatis cujusdam Fuldensis, descriptæ in membranis, in quibus ad Leonem Papam scribit, quod celebris ille Rabanus Maurus, Archiepiscopus Moguntiæ, etiam Laicorum & Clericórum unanimi consensu sit creatus Episcopus, tempore Caroli Magni.

In Platina, aliisque Vitarum papalium Scriptoribus, de compluribus Pontificibus legitur, quòd à toto Clero, totoque Populo Romano sint electi; quos hic enumerare nimis longum foret, & non necesse. Ante annos autem circiter 300. electio Pontificum *in solos Cardinales* est translata. Quod ergo juris fuit plebi Romanæ in eligendo suo Episcopo, hoc proculdubio est & aliis.

D. Gregorius per literas mandat Joanni suo Subdiacono, ut eat ac exploret, utrum omnes cives Mediolanenses unanimiter sibi elegissent Episcopum Constantinum, nec ne; nisi enim ita esset, non esse eum ordinandum; distinct. 63. Eodem etiam loco Decreti, similiter decernunt Gelasius, Stephanus, Nicolaus, Pelagius, & de compluribus designatis Episcopis scribunt, non esse eos ordinandos, nisi prius legitimè sint electi à tota plebe.

Rationem verò aut formam hujus consuetudinis significat Isidorus in lib. Officiorum, qualis nempe ea suis temporibus, hoc est, ante annos 700. fuerit, hisce verbis, Canone 20. distinct. 63. *Si in plebibus Archiepiscopi obierint, aut pro aliquo reatu exinde ejecti fuerint, Archidiaconus quàm citius proficiscatur illuc, & cum* Clericis & populis *ipsius plebis electionem faciat, quatenus dignus pastor domui Dei constituatur; & dum ordinatur ejus providentia, ipsa plebs custodiatur.* Suprà etiam ubi de jure electionis est actum, recitata est sententia Epistolarum. Hincmari Archiepiscopi Remensis; verùm eæ huc quoque ad usum aut consuetudinem electionis pertinent.

Præterea possunt alia complura testimonia *veterum Agendorum & Pontificalium* huc adscribi, quorum usus ante nostra tempora fuit in Germania; ex quibus liquidò perspici potest, electionem Episcoporum & Sacerdotum fuisse penes populum sive Laicos. Sed verba aliqua huc bona fide adscribam, quæ etiam, sicut & Hincmari, Cathalogo meo inserta sunt. *Dominis Patribus N. venerabilibus scilicet Episcopis diœceseos metropolitanæ, Clerus, Ordo & Plebs, huic sanctæ Ecclesiæ specialiter obsequentes. Vestræ Paternitati est cognitum, quantum temporis est, ex quo accidentibus variis eventibus hæc sancta Ecclesia Metropolis nostro sit viduata pastore, ac destituta*

tuta Rectore. Quod non solùm ad nostrum, verùm ad vestrum ac omnis diœceseos detrimentum pertinere dignoscitur, cum totius Provinciæ sollicitudinem Metropolitano constet esse commissam. Propterea eligimus hujus diœceseos, hujus Ecclesiæ Presbyterum, nomine N. nobis sufficientissimè cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apostolica & Ecclesiastica disciplina imbutum, fide Catholicum, natura prudentem, docibilem, patientem moribus, temperatum vita, castum & sobrium, humilem, affabilem, misericordem, literatum, in lege Dei sic instructum, in Scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatum, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque Orthodoxorum & Canonum ac Decretorum, sedis Apostolicæ Præsulum constitutiones, sano sensu Ecclesiasticas regulas intelligentem, sanoque sermone docentem ac servantem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, & cum modestia corripientem eos, qui resistunt; & si qui sanæ doctrinæ adversantur, eis resistere & redarguere prævalentem, hospitalem, modestum, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum, in gradibus singulis secundum traditionem Ecclesiasticam ministrantem; ad omne opus bonum & satisfactionem, omni poscenti rationem de ea quæ in illo est spe, paratum. Quem nobis quantocyus petimus ordinari Pontificem, quatenus autore Domino regulariter nobis præesse valeat, & prodesse, & nos sub ejus regimine salubriter Domino militare possimus. Quia integritas Præsidentium, salus est subditorum: & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctinæ. Ut autem omnium nostrorum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic decreto Canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis laborantes subscripsimus.

Item Subscriptio Episcoporum in electionem Episcopi.

Ille illius Ecclesiæ Archiepiscopus, in electionem Domini N. Ecclesiæ illius Episcopi subscripsi. Isti, in ordinationem illius Ecclesiæ Episcopi, ipso consentiente ordinati consenserunt, quod præsens inscriptio manifestat. Et paulo pòst sequitur rubrica: *Tunc advocatur in basilicam Presbyteri à dextris ejus, & Diaconi à sinistris. Ipse verò inclinato capite, in medio eorum incedit, usque dum veniat ante altare; tunc exuatur casula, & induat eum Pontifex planeta, & legat brevem hunc modum continentem:* Cives, *inquit*, nostri elegerunt sibi hunc Pastorem. Oremus itaq; Deum pro hoc viro, ut Deus omnipotens infundat in eum gratiam Spiritus sui, ut dignus habeatur ad Cathedram Episcopatus regendam. *Et respondetur à Schola:* Christe audi nos; & cantatur Litania, &c.

Ex eisdem Pontificalibus, quòd etiam Sacerdotes à Plebe eligi oportuit.

Et alloquatur populum sequentibus verbis, pro ordinando Presbytero: Quemadmodum dilectissimi Fratres, rectori navis & navigio deferendis eadem est vel securitatis ratio, vel timoris; ita communis eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Nec frustra à Patribus reminiscemur institutum, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, CONSULATUR ET POPULUS; quia de actu, & de conservatione præsentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, scitur

tur à paucis; & necesse est, ut facilius quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuit ordinando. Fratrum nostrorum & Presbyterorum N. conservatio, quantum mihi videtur, probata, ac Deo placita est, & digna (ut arbitror) Ecclesiastici honoris augmento; ne unum fortasse vel paucos aut decipiat assensio, aut fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum moribus aut actibus noveritis, quid de meritis consentiatis, Deo teste consulimus. Debet hanc fidem charitas vestra habere, quam secundum præceptum Evangelii & Deo exhibere debetis, & proximo; ut hic testimonium sacerdotii magis pro merito, quàm affectione aliqua tribuatis. Et qui devotionem omnium expectamus, intelligere tacentes non possumus. Scimus tamen, quòd est acceptabilis Deo, aderit per Spiritum sanctum consensus unus omnium animorum: & ideo electionem vestram debetis publica voce profiteri. Illis autem profitentibus, dicat eis Episcopus, qui ad Presbyterii gradum provehendi sunt, &c.

Rubrica ex veteri Pontificali Maguntino, de Ordinatione Episcopi.

Ita quoque examinatus & plenè instructus cum consensu Clericorum & Laicorum, ac conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitani authoritate aut præsentia ordinetur. Nullus invitis detur Episcopus: Cleri, Plebis, & Ordinis consensus & desiderium requiratur. His ita peractis, duo Episcopi cooperatores ordinis sacri reducunt electum in sacrarium. Et paulo post sequitur sermo Metropolitani ad plebem & Clerum. *Servanda est, dilectissimi Fratres, in excessu Sacerdotum lex, & antiqua Ecclesiæ consuetudo, ut decedentibus aliis, quique dignissimi subrogentur, per quorum doctrinam fides catholica & religio Christiana subsistat, ne in ovile Domini prædo violentus irrumpat, & dispersas absque pastore oves fur nocturnus invadat. Recepto itaque dispensatione Dei Sacerdote nostro, sollicite vobis agendum est, ut in locum defuncti talis successor præparetur Ecclesiæ, cujus pervigili cura, & instanti sollicitudine ordo Ecclesiæ & credentium fides in Dei timore melius convalescat, qui (præcipiente Apostolo) in omni doctrina formam boni operis ipse præbeat; cuique habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina, virtus sit, qua nos ut pastor bonus instruat, exemplo patientiæ doceat, doctrina religionis instituat, & in omni opere bono confirmet charitatis exemplo. Secundum igitur voluntatem Domini in locum sanctæ memoriæ illius, nomine Ill. virum, venerabilem testimonio Presbyterum,* & totius Cleri consilio, civium & consistentium, *credimus eligendum, virum (ut nostis) natalibus nobilem, moribus clarum, religione probum, fide stabilem, misericordia abundantem, humilem, castum, pacificum, patientem, charitatem habentem, tenacem in cunctis, quæ in Sacerdote eligenda sunt, bonis operibus exuberantē. Hunc ergo, dilectissimi Fratres, testimonio boni operis electum, dignissimum sacerdotio consonantibus laudibus clamate, & dicite:* Dignus est.

Id certè evidens testimoninm est, quod præbent ipsi Pontificales libri (quos re postulante exhibere possum.) ejusmodi praxin & morem viguisse in Ecclesia; vel eam fuisse rationem eligendi, & ordinandi sive inautorandi Presbyteros.

Ha-

Habeo insuper *Agendam*, temporibus Ottonis tertii conscriptam aut compositam (facit enim aliquoties ejus mentionem) quæ eandem rationem eligendi & consecrandi Episcopi comprobat; ut nullum prorsus sit dubium, quin summi illi & celeberrimi Imperatores Ottones, à quibus Madeburgensis Archiepiscopatus aliique complures fundati sunt, ubique hunc ordinem servandum sanciverint.

Platina quidem persæpè meminit in suis Pontificum vitis, omnino oportuisse designari Episcopum tam Romanum, quàm alios etiam à Laicis.

Sunt præterea & alii non pauci Madeburgenses Archiepiscopi conjunctis votis cùm Clericorum tum Laicorum ejecti; sicuti in Chronico Magdeburgensi & Vitis Episcoporum disertè dicitur de Henrico, Notkero, Nordberto & Conrado; quod tum ex Crantzio, tum ex Vitis Episcoporum, tum denique & ex historia civitatis Madeburgensis patet. Cum primis verò notandum est, quod, cum non posset convenire inter cives *de electione Nordberti*, Primores populi & Sacerdotum coacti sint Spiram ire, ibique coram Cæsare & Legatis Pontificiis electionem facere consentientibus sententiis. Inde enim liquidissimè apparet, plebem omnino habuisse jus & potestatem eligendi Episcopum. Præter hos quatuor autem Episcopos Madeburgenses, significat Chronicon, tres alios Episcopos cùm à Clericis, tum à Laicis fuisse electos; qui tamen alias ob causas non sunt admissi ad gubernationem.

Ad hæc testatur *Chronicon Madeburgense*, statim initio tertium Episcopum Dageno nomine, à Cæsare quidem fuisse datum & constitutum; sed non præter consensum & suffragia tum Clericorum, tum Laicorum Unde animadverti potest, Laicos statim initiò habuisse potestatem ac jus vel eligendi, approbandique Episcopum, vel etiam repudiandi; sicut suprà quoque dictum est, eam fuisse mentem & voluntatem Ottonis Cæsaris, & ejus Episcopatus fundatoris, quod electio Episcoporum etiam ad Laicos pertineat.

Supra jam significatum est, Eugenium tertium ante annos 400. Bullam scripsisse, de Guicmano Archiepiscopo Madeburgensi, qui in ordine fuit 16. Episcopus, quòd omnino necesse sit, etiam Laicos adhiberi ad electionem Episcopi. Quod quidem illustre testimonium est, cives Madeburgenses ac alios, & habuisse semper potestatem suum eligendi Episcopum, & usos quoque ea potestate fuisse inde usque à tertio Episcopo Dageno ad decimum sextum; hoc est, quatuordecim ipsos continenter elegisse Episcopos. Id inquam clarum est testimonium, ex historia desumptum; sine dubio verò etiam porrò hanc habuerunt potestatem. Mortuus autem est hic decimus sextus Archiepiscopus, anno Domini 1193. ut certò inde constet, populum ejus civitatis tanto tempore retinuisse eam potestatem designandi Episcopum. Quæ verò deinceps fuerit ratio electionis Madeburgensis, scire non possum; conjectari tamen haud obscurè licet, quòd circa annum Domini 1200. *Canonici* ipsis hanc potestatem sensim imminuere incœperint, pòst etiam violentius eos illa spoliaverint. Excrevit enim, & subinde majores vires assumpsit tyrannis Papæ & suo-

 rum,

rum, adverſus miſeram Plebem & Laicos. Attamen adhuc anno Domini 1368. licitum illis fuit, & conceſſum, intercedere pro aliquo, & admonere Canonicos; imò & apud ipſum Pontificem ſcriptis ſuis promovere Epiſcopum; ſicut & antea uſitatum fuerat, eligentes ad Pontificem ſcribere de Epiſcopo deſignato. Quod verò hæc ipſorum poteſtas etiam tum adhuc apud Canonicos aliquid authoritatis habuerit, apparet ex electione Friderici Epiſcopi, qui electus fuit Anno Domini 1368. ut in Chronico Madeburgenſi porrò videre licet. His ſimilia etiam in *Chronico Halberſtadenſi*, & aliorum Epiſcopatuum leguntur de multis Epiſcopis, qui etiam ſimul electi fuere à Clericis & Laicis. Aventinus quoque de compluribus Epiſcopis Ratisbonenſibus ſcriptum reliquit, quòd & ipſi tum à Laicis, tum à Clericis fuerint electi. Vide quoque Friſing. lib. ſecundo, capite vigeſimo octavo. Similiter & in aliis Hiſtoricis, de Epiſcopis aliorum locorum copiosè leguntur teſtimonia.

Urbanus Papa, qui ante annos 450. ſede Pontificia potitus eſt, celebrat *Ivonem*, quem inter cœtera dicit legitimo ordine, canonicè, ſimulque tum à Laicis, tum à Clericis fuiſſe electum. Fuit hic Juo inſignis Theologus & Canoniſta, adeò quidem, ut ipſe peculiare & proprium Decretum nomine *Panormiam*, ante Gratianum ſcripſerit, quod & typis fuit excuſum. Jam verò ſi electio non etiam jure pertinuiſſet ad Laicos, nequaquam tantopere de Laicorum electione fuiſſet gloriatus, multo verò minus Papa ipſum hoc nomine collaudaſſet. Quia verò hic de Juone incidit mentio, illud etiam digniſſimum obſervatu videtur, quod ſcriptum ipſe reliquit Epiſtola c. 11. quod non ſolùm Carolus Magnus, & filius ipſius Ludovicus, ſed multæ etiam Synodi illorum temporum, decreverint & ſanciverint, *electionem Epiſcoporum ſimul pertinere ad totum populum.* Quod ſanè præclarum eſt teſtimonium.

Habeo etiam librum quendam *Epiſtolarum Petri Cluniacenſis Abbatis*, qui vixit ante annos 450. qui aliquoties meminit Laicorum electionis, tanquam moris perveteris & boni, ſuoque tempore uſitatiſſimi; ſcribit enim ad Innocentium Papam, quo cum optima ſibi interceſſerat notitia, commendans ipſi quendam Eliam nomine, qui futurus erat Epiſcopus Aurelianenſis; petitque, ut Pontifex eum velit ordinare; & inter alias cauſas hanc quoque affert, quod *à Clericis & Laicis ſuæ diœceſeos* ſit electus. Interrogatus item hic Petrus à D. Bernhardo, *num Henricus quiſpiam nomine, habendus ſibi ſit legitimus Epiſcopus?* reſpondit: *Omnino, cum legitimè vocatus ſit à ſuo Clero & Laicis, &c.*

Suprà audivimus, *Bullam Eugenii*, quæ præcisè ante annos 400. ſcripta eſt, adeò magnificè & ſplendidè de electione Laicorum diſſerentem, ac ſi tunc temporis id jus prorſus non fuiſſet vocatum in dubium, aut etiam declinare cœpiſſet, ſed potius in ſummo vigore floruiſſet; ut ita nullum prorſus dubium relinquatur, quin etiam deinceps diutiſſimè ea duraverit ratio ac conſuetudo electionis.

Gregorius 9. ſcribit in ſuo *Decretali de elect. & el. p. cap. Maſſana*, usque ad ſua

ſua tempora defluxiſſe hunc morem eligendi; *Epiſcopos etiam à Laicis eligi*; tametſi ipſe eum morem improbare videatur. Vixit autem ante annos 300. Ejusdem integra Epiſtola ad Archiepiſcopum Bremenſem & Epiſcopum Werdenſem, in quodam Chronico extat; ubi narrat, quendam eſſe ad Epiſcopatum Suerinenſem, *votis tam Cleri quàm populi concurrentibus in eundem*, illumque jubet confirmari. Unde itidem conſuetudo electionis Laicorum apparet.

Scribit etiam Aventinus, adhuc ante annos 300. *plebem Ratisbonenſem ſibi elegiſſe Epiſcopum.* Si itaque cives Ratisbonenſes, etiam tum temporis adhuc hoc jure uſi ſunt, prorſus non eſt dubitandum, etiam alias civitates, in quibus fuerunt Cathedræ Epiſcopales, ſimilem poteſtatem habuiſſe. Quare nullum prorſus eſt dubium, quin electio ante annos 300. & deinceps quoque aliquandiu, à Laicis citra omnem controverſiam ſit factitata. Quo verò tempore Antichriſtus, unà cum impuris ſuis Sacrificulis, reliquis Chriſtianis, qui Laici vulgò vocãtur, hoc jus nefariè ademerit, non equidem habeo, quod certò affirmem. Aventinus putat, ſub Imperatore *Friderico* hujus nominis *ſecundo*, hoc eſt, intra annos 300. (cum Papa, nulla habita prorſus ratione æquitatis, ipſius Dei & omnis honeſtatis, pium illum Cæſarem excuteret & opprimeret, teſtantibus id ferè omnibus Hiſtoricis) hoc malum primùm cœpiſſe, & ingruiſſe.

Oſtendi itaq; hactenus de plurimarum Hiſtoriarum & teſtium ſententia, quòd Electio inde usque à Chriſti temporibus, probè ad hæc noſtra (demptis ſcilicet proximis 250. vel ut plurimum 300. annis) non tantum ad Clericos, ſed & ad Laicos pertinuerit, & apud utrosque ſimul in uſu fuerit. Quocirca etiamnum jure & meritò, imo & neceſſariò ita fieri debere, omnes verè pios firmiter ſtatuere exiſtimo; neque etiam video, quid tandem Papiſtæ huic ſententiæ opponerent; nam & Scriptura ſacra, & Patrum monumenta, itemq; Concilia, Pontifices & Cæſares, adhæc inveterata quoque Eccleſiæ Dei conſuetudo ſeu uſus perquàm diuturnus, utpote qui ultra 1300. annos permanſit intemeratus, noſtras tuentur in hoc negocio partes; quod nimirum electio Epiſcoporum planè ad Eccleſiam, hoc eſt, ad totum cujusque loci populum pertineat. Jam verò Canonicorum factio, cunctis non ſolum Laicis, ſed & Sacerdotibus prorſus eam poteſtatem eripuit, ſibique ſoli (quæ ſane numero eſt perexigua) fraudulenter rapuit, præter omne (quod memoravimus) tam divinum jus quam humanum. Sæpe multumque vociferantur Papiſtæ, maximè verò ipſorũ Spirituales, contra nos audiendos eſſe Patres, Concilia, Canones, traditiones Apoſtolicas, diuturnas conſuetudines, &c. Egregiè ſcilicet cùm hac in re, tum in aliis quoq; religionis partibus compluribus, priſtinos ritus obſervant. Sed omnino meritò etiam hac in re vetus illa & diuturna conſuetudo reſtituenda eſſet; ac contrà deteſtanda hæc & pernicioſa Papiſticæ tyrannidis novitas, qua vehementer Germaniam oppreſſit, prorſus abroganda. Quid igitur impuriſ-

ſimi illi Sacrificuli opponerent, præter violentiam, peſſimæque fidei præſcriptionem ducentorum, aut ad ſummum trecentorum annorum, ex eo quo hac poteſtate Laicos, ſpreto Deo, & Eccleſiæ antiquæ uſu, omnique æquitate, exuerunt, non video; tamenſi & ipſis hæc ipſorum poſſeſſio, imò detentio totius aut rapina, ſæpe eſt interpolata. Modò enim Papa violenta manu eam ad ſe rapuit, modò etiam Canonici appetiverunt. Interdum quoque res eſt transactionibus compoſita, ita ut Papa uno ea frueretur ſemeſtri, Canonici verò altero; veluti nunc fit. Unde ſunt *menſes* (quos vocant) *Papales*, niſi quòd interdum Papa ipſorum electiones & poſtulationes, ſimul ſub prætextu alicujus confictæ cauſæ, irritas faciat, & Epiſcopatum, in quem vult, ſuo arbitrio transferat, indeque argentum cudat?

Sed ad infringendam hanc præſcriptionem, *primùm* ſciendum eſt, quòd haud bona fide in hujus poteſtatis poſſeſſionem ſacrificuli irruperint; ſed quemadmodum alioquin Papa, per fas atque nefas, Cæſares, Reges & Principes, quin & totum Imperium Romanum, & (quod magis eſt) univerſum Chriſtianum orbem, ſola vi & malignis fabricis ac doctis dolis oppreſſit, pedibus proculcavit, deſpoliavit, deglubit, & inſtar ſtrigarum exuxit; ita etiam ſtrenuè eum ſecuti ſunt ejusdem farinæ Epiſcopi, Præſules, Canonici, & reliquum boni iſtius Ulyſſis remigium, ſicut teſtatur amarulentũ, cebroq; ab ipſis uſurpatum dicterium: *Mundus vult vexari aut decipi, ideò vexãdus quoq; eſt, & decipiendus.* Unde animadverti poteſt, hanc ipſorũ poſſeſſionẽ non juſtiore titulo, & fide meliore cœpiſſe, quàm cũ fur aut prędo alteri bona ſua ſuffuratur, aut per vim eripit. *Deinde* nec citra contradictionẽ quidem aliorũ, hujus poteſtatis poſſeſſionem continuarunt, velut ſuprà indicatum eſt; quod nimirum Papa (ſicut & politici tyranni) perpetuò cum ipſis ea de re dimicaverit, & contenderit; quodque etiam cives jam intra 300. annos poteſtatem habuerunt literis & authoritate ſua intercedere atque commonefacere, de eo qui ipſis maximè probaretur; idque tum apud Canonicos, tum & apud Papam. *Tertio*: licet *Canonici* juſto titulo bonaque fide ſoli poſſediſſent jus electionis, attamen adeò turpiter ea ſunt abuſi, eligendo nimirum pueros, aut alioquin homines ad Eccleſiaſtica & civilia munera prorſus ineptos; itemque aliorum favorem, aut ſanctum denarium, quod dicitur, largitionesque occupando (quemadmodum id non paucis exemplis comprobari poteſt) ut meritò hæc illis tandem poteſtas adimeretur, juxta regulam Juris: *Privilegio ſuo qui abutitur, is jure illud amiſerit.* *Quartò*: Nec poteſt valere ulla in hujusmodi negotiis præſcriptio, quæ inſurgit contra jus divinum. Jure enim ac meritò uni Deo cedunt omnes homines; & per juſtitiam ac voluntatem ordinationis divinæ meritò derogatur omnibus aliis legibus & juribus, ſive eæ ſint de præſcriptionibus, ſive de rebus aliis quibuscunque, quamprimùm ſcilicet error quispiam hominibus innoteſcit. Suprà autem demonſtratum eſt, eam poteſtatem eligendi Paſtores ac Epiſcopos traditam eſſe Eccleſiæ, una cum clavibus, ab ipſo Chriſto, tanquam dilectæ ipſius Sponſæ. Quamobrem nulla hic eſt prorſus admittenda

præ-

præſcriptio, nec ſi vel centies mille annos duraſſet; alioqui enim omnes Idolomaniæ vetuſtæ, ipſeque Ethnicismus ac Judaismus, & denique Mahometiſmus rectè tolerarentur. Ac in ejusmodi rebus ad religionem ſpectantibus plurimùm ponderis habet id, quod dici ſolet: Tauſent Jar unrecht / war nie kein Stund recht: *Error annorum centum, non valet momentum*, juxta regulas: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit: &c. Quod initio vitioſum eſt, tractu temporis non poteſt convaleſcere.* Hæ ſint itaque, quas memoravimus, cauſæ ſeu fundamenta ſpiritualia, quæ electionem etiam ad Laicos pertinere evincant. Nunc porrò & *politicas quasdam, & communem utilitatem concernentes*, attamen & ipſas perquàm graves *cauſas* recenſebimus; quandoquidem jam tales eliguntur Epiſcopi, Præſules & Abbates, qui non ſolùm Eccleſiaſtico, ſed & Politico regimini præficiuntur. I. enim, ſæpenumero uni Abbati Principi, aut uni Epiſcopo complures Comites, Barones, Nobiles, Civitates, Caſtella & Pagi, imò nonnunquàm ceu feudi domino Principes etiam ſubjecti reperiuntur; & tamen ejusmodi vel Abbas à tribus aut quatuor vix unius æſtimandis aſſis, ac prorſus omnium rerum ignaris Monachis; vel Epiſcopus à ſex ſeptemve ignavis Canonicis eligitur, quorum induſtria magis in Bacchi poculis, & Veneris cupidine, aliisque turpitudinibus, quàm in magni momenti negociis, ſive ea religionem ſpectent, ſive etiam res politicas, valere conſpicitur. Quo verò jure, quave æquitate id quæſo probari poteſt, quòd tam pauci inepti atque futiles, imò & omni genere ſcelerum perditiſſimi homunciones, pro libitu ſuo, toti regioni totque Proceribus, Nobilibus ac Civitatibus Dominum aliquem præficiant? Eſtque in hoc argumento aliquanto diligentius conſiderandum, quod ejusmodi Monachi tantam ſibi autoritatem ac poteſtatem arrogantes, perpauci ſunt numero, & ut plurimùm aſinis ipſis rudentibus rudiores, ac in nullis propè bonis rebus aut artibus (excepto interdum vix uno aut altero Canonicorum) exercitati. Item conſiderandum & illud, quod plerique eorum ſunt ignobiles, & obſcuro genere nati. Item & hoc, quòd cum nec uxores, neque liberos, aliosve ſui generis ſecum habeant, veriſimile non eſt, ipſis commune ejus regionis bonum curæ eſſe. Denique conſiderandum eſt, quod interdum Romæ, vel in alia quavis ditione commorari ſoleant; ſicut interdum accidit, ut in tribus aut quatuor vel etiam pluribus locis ſuos opulentiſſimos Canonicatus habeant. Ideo vel pecunia ſeſe expugnari patiuntur, vel alioqui gratificantur Magnatibus; vel, prout ſuus aliquis uſus utilitasque poſtulat, eligunt pro animi ſui libidine, neglecto interim ejus loci publico commodo; freti nimirum aliis ſuis Canonicatibus, poſſeſſionibus & fundis illis longè potioribus; nec ignari, quàm facilè ſeſe publicis damnis ac periculis, ſi ibi res malè cedat, ſubtrahere poſſint; ut ita admodum crebrò electio fiat à peregrinis, alioque loco procreatis, alibi etiam habitantibus, ac meliora ſibi aliunde pollicentibus; eoque non admodum curantibus, idoneumne, an verò minus, eligant; & ſua tantum privata & remota, non publicum bonum ſpectantibus. Econtrà verò poſſeſſor dominii dire-

cti, sive is sit Princeps aut Comes, Nobilis aut Consul, sive alioquin Civis locuples, necessariò dat operam, ut idoneum & provinciæ suæ utilem eligat. Aliàs enim detrimentũ etiam in se, suam conjugẽ & liberos, suos amicos & facultates ac bona exundaturum. Ad hæc, & loci seu regionis conditiones magis habet perspectas, &c.

II. Non minori quoque cura & hoc perpendendum est, quòd cum hac nostra tempestate Canonici, tum propter genus religionis, tum etiam propter tetras libidines, ac planè beluinam tyrannicamque vitam, omnibus prope hominibus sint exosi, præsertim bonis, & honestatem amplectentibus, eoque ferè in multiplici discrimine versentur; quòd inquam, illi vicissim mutua odia atque inimicitias adversus incolas Episcopatuum suscipiant & alant; maximeque id studio habent, ut tales eligant Abbates & Episcopos, qui ipsis tantum possint esse commodi, toti verò provinciæ prorsus adversi. Quare electi arctissimè sese illis pactionibus, fideiussionibus, & sacrosanctis etiam juramentis obstringere coguntur, quòd omnia ad ipsorũ libitum agere & administrare velint; nec solum eos in tanta vitæ spurcitie, imanitateq; & impietate contra quemvis tuendo ac defendendo, sed universos quoq; subditos ad idolomanias quasvis cogendo, vel alioqui præter æquitatẽ ac justitiæ normam regendo, aut potius excarnificando & premendo; cum omni jure tales electores non suum privatum commodum, sed publicum totius provinciȩ bonũ in eligendo spectare deberent. Quo ergo jure tota aliqua regio electionem gubernatoris, & quidem pastoris animarum suarum, infensissimis suis hostibus concrederet? Certè ista immanis tyrannis nec Turcis quidem aut Scythis probari unquam posset. Quapropter, tametsi alioqui rectum, æquum ac utile esset, tam paucos, nihilique homines tantam usurpare potestatem; tamen extrema nunc flagitat necessitas, ut conditiones tum temporum tum personarum aliquanto exactius perspiciantur, ceterq; hic abusus è medio tollatur; nam (si verum fateri licet) eligendi facultas, constituendiq; regioni alicui Dominum, nunc penes admodum paucos, eosq; regionis ejus capitales & atrocissimos hostes, ut antè demonstratum est, consistit.

III. Res quoq; ipsa ita geritur, ut quandoquidem egregij illi electores tres nimirum, aut ad summum quatuor Monachi, itẽmq; sex vel septem Canonici, plerunque sunt de grege Pontificio, nunquã verè pium ac Evangelicæ sinceritatis studiosum Principem aut Dominum designent; vel ut maximè sic res aliqua cadat, omnibus tamen viribus eum cogant, ut reclamante sua ipsius cõscientia, sceleratam ipsorũ vitam & idololatriam comprobet; quin & jurejurando promittat, se omnia ipsorũ vota ac cupiditates omni studio ac cura velle tolerare ac promovere, denique & semetipsum contra conscientiam impuro cœlibatui dedere. Adde, quòd & alio magis horribili juramẽto, agnito Antichristo Romano, cogatur sese, in contumeliã prorsus Domini sui JESU Christi, & verbi ejus sacrosancti obstringere. Quod quidem jusiurandum & pactum Pontificium, ingens damnum, atq; adeo prȩsens exitium toti Imperio Romano ac inclytæ Germaniæ affert. Semper enim fuit Papa infensissimus Germanorum hostis, ac modò huic, modò illi ipsorum hosti sese socium adjun-

xit, vel ipsos etiam plerunq; civilibus bellis in mutuam perniciem commiscuit: atq; ita in ministerio & opera suorum conjuratorum omnis generis flagitiis atq; cædibus innumeris Germaniam contaminavit, & pervastavit, maxime his sexcentis jam annis, quibus Papa propriè Antichristus fuit, & re ipsa talem sese præstitit.

IV. & ultimo; id quoque summopere cogitandum est, quod certè nulla vel æquitatis aut juris specie unquam probari potest; quòd nimirum, uti supra est indicatum, tribus aut quatuor vilissimis Monachis, itemque sex septemve impurissimis Canonicis permittatur, tam augusta potestas eligendi Principem, aut attribuendi Electorem toti Imperio, qui reliquis Principibus, Electoribus, Regibus atque Cæsaribus assideat, omniumque regni secretorum simul sit conscius, &c. Solent etiam aliquando vel molitoris cujuspiam, aut holitoris filium eligere; veluti nunc quendam notum, qui turpissimè antea se gessit, & sciens ac volens perjurium admisit, sanctè promittens, se profecturum vel in Africam aut Asiam, vel Tyrum versus aut Sidonem, & nescio quo, ibique homines Christianam doctrinam docturum, eosque conversurum esse; quod tamen tali impostori nunquam, ne per somnium quidem venit in mentem. Ejusmodi inquam hominem, non solùm â nobilitate generis, sed etiam à communi honestate remotissimum, quin & perjurio contaminatissimum, manipulus ille trium, quatuor, sex, septemve helluonum & libidinosissimorum Sacrificulorum, Principem creare solet, aut etiam Imperij Romani Electorem, vel invitis ac insciis omnibus Imperij Principibus & Proceribus; quæ certè res nequaquam est nobilissimæ Germanorum genti, præsertim in religionis veræ luce, diutius toleranda.

Estque hoc in loco id quoq; non minus attenta mente dispiciendum, quòd hac nostra ætate inclyta Germania tota vireat numero ac flore nobilissimorum Principum atque Comitum; qui tametsi ad gubernacula Reip. sint maximè idonei, nec non & celebritate vetustateque generis commendatissimi; tamen vel propter familiæ suæ amplitudinem, vel etiam propter alias quasdam res adversas, minus diffusa habent territoria, eoque contractius, quàm alioqui dignitas & augusta Principum conditio requirebat, agere coguntur. Hi inquam, ab ejusmodi præclaris Electoribus turpiter plerunque negliguntur atque contemnuntur. Quo fit, ut vel sordidius privatam vitam degere, vel etiam aliorum, atque adeò exterorum potentum aulas, quacunque tandem etiam licet ratione, penè serviliter sectari habeant necesse; cum tamen ipsorum Majores non parum pecuniæ aut regionum ad ejusmodi Episcopatus & Monasteria constituenda comportaverint, contulerintque labefactantes interim ea ratione suam ipsorum posteritatem, & reditus suos non parum imminuentes. Taceo jam, quòd talium Heroum opera, consilioq; qui multo rectius Episcopatibus præessent, amplissimæ regiones carere coguntur, quodque contrà peregrini Reges ac Principes eos sibi obstrictos habent.

Has causas, licet politicas, tamen & ipsas longè gravissimas, quemadmodum & superiores illas, altiùs perpendent, majori doctrina atque prudentia instructi,

præ-

præsertim autem Principes, & alii illustri genere nati, neque enim ullum mihi dubium est, quin totum hoc negotium ex sacris Literis, Jure Civili Canonicoque, Conciliis & Historiis splendide declarari, magnificeque corroborari, imo & aliunde compluribus in hujus sententiæ demonstrationem congestis testimoniis ac fundamentis stabiliri possit.

Extat porrò celeberrima in utroque Jure regula: *Quod omnium interest, ab omnibus approbari debet.* Quæ regula si uspiam alibi, certè plurimum in Romano Imperio ponderis habere debet, in quo nimirũ tot Principes, tot Proceres, tot Urbes, quasi mutua quadam conjunctione, veluti plurima unius corporis membra, sub uno capite Cæsare constituta simul agunt, in medium sua conferunt consilia, opes & gubernationem illius adjuvant; ubi etiam nullum penitus nunc locum habet servitus aliqua ac tyrannis, truculentiaque Cyclopica, Scythica aut Turcica. Maximè verò tam æquabilis lex in Ecclesia Dei, rebusque ad Religionem pertinentibus valere debebat, ubi minimè omnium barbaries, tyrannis ac immanitas admitti aut tolerari debet; idque vel maximè hanc ob causam, quòd universi Dei filij, uniusque corporis Christi membra, & quoad religionem, perinde liberi sumus. Cum hac regula quoque conveniunt illa fundamenta, & causæ, quæ suprà in recitatis à nobis tum ipsorum Pontificum, tum ex ipsorum Pontificalibus descriptis textibus fuerunt agitatæ & adhibitæ, cujusmodi videlicet sunt: *Ab omnibus eligi debet, cui omnes obedire debent*; *Commune est periculum navigio, vehendis & nauclero, ideo etiam in commune debent consilia conferre. De omnium enim æterno exitio aut salute agitur, dum Episcopus aut Pastor gregis Domini quæritur.*

Hæc, quod Deus novit, bono, simplici ac pio studio significare volui primùm quidem, ut Deo parêrem; deinde, ut veritatem illustrarem; ac denique, ut si quis fortè Heros Germanicus, aut etiam plures cultores veritatis, publicique boni amantes, permoverentur hac tenui commonefactione, propter gloriam nominis divini, & communem omnium salutem, ad hujus negotij patrocinium alacriter suscipiendum, illudque cùm in publicis Imperij Comitiis, tum alibi, flagitante nimirum id sum̃a omnium provinciarum necessitudine, promovendum. Neq; verò quidquam addubito, quin, si res isthæc seriò & conjunctis agetur viribus, in Comitiis Imperialibus, obtineri possit, ut electio Laicis, quam & olim optimo jure habuerunt, restitueretur. Quod si verò non prorsus, sed aliqua duntaxat ex parte id obtineri posset, futurum tamen esset, ut id quoque ingens commodum toti regioni ac Ecclesiæ Dei afferret. *Primùm* enim hac ratione tetra & horribilis Antichristi idolatria penè funditùs aboletur; nam hoc pacto unà cum electione & Papæ confirmatio, & tot nefanda perjuria ac impiæ obligationes ruerent, & collaberentur. Quem enim tota provincia eligeret, eum etiam invito & fremente Pontifice retineret ac foveret, derivata tamen confirmatione ad totum Romanum Imperium. *Deinde*, hoc velut medio quodam, cùm Imperium ipsum, tum & Germania penitus à tyrannide Papistica exolveretur, ac liberaretur; nec esset opus, toties petere Romam, Antichristo adulari & jurare, itaque nefariè prorsus se illi obstringere; neque etiam necesse esset, tantam vim pecuniæ illi, aliisque impurissimis ministris obtrudere, atque ita dulcissimam patriam enervare, & præsidijs omnibus exuere. *Tertiò* & ultimò, quandoquidem plerunque Laici bonis & piis Principibus favere solent, proculdubio maximè eos eligerent, qui futuri essent pij & salutares Gubernatores. OMNIPOTENS, æternus Deus, clementer afflictissimam suam Ecclesiam ab Antichristi, tum spirituali, tum corporali tyrannide liberet, propter filium suum dilectum; Amen.

FINIS.

ÆNEÆ SYLVII,

postea

PII II. PONTIFICIS ROMANI,

COMMENTARIORUM

HISTORICORUM

LIBRI III.

De

CONCILIO BASILEENSI,

BONA FIDE AC DILIGENTIA

CONSCRIPTI;

Nuncque secundò

IUXTA EDITIONEM COLONIENSEM

Anni 1535.

EDITI.

CATTOPOLI, Anno M.DC.LXVII.

BAPTISTA PLATINA DE VITIS PONTIFICUM, IN NICOL. V. pag. 273. edit. Colon. 1551.

E*Vgenius IV. Thomam Sarzanum* (qui ſub nomine Nicolai V. poſteà ſucceſſit in Pontificatu) *cum Iohanne Carragialla, qui poſteà S. Angeli Cardinalis eſt habitus, in Germaniam mittit* ad tollendum Baſileenſe Concilium Neutralitatemque; Neutrales *enim ideò Germani ſunt dicti, quòd neque Felicis neque Eugenii dictis obtemperarent. Quas ob res Eccleſia Dei multas & maximas calamitates incurrebat, cum imminutione Majeſtatis Pontificiæ. Hac autem de re pluribus in Conventibus apud Fredericum, Romanorum Regem, fuit diſceptatum,* Ænea Picolhomineo, *qui deinceps* Pontifex *fuit, quiq; tum* Regis Secretarius *erat, ad tantam rem tamq; neceſſariam longis orationibus omnes adhortante. Difficile quidem erat, removere Germanos ab opinione ſua, falſa præſertim. Difficile item videbatur perſuadere* Eugenii Oratoribus, *ut poſtulatis Germanorum obtemperarent. Tandem verò delinita orationibus* nimiâ Oratorum ſeveritate, & *caſtigatis Germanorum poſtulatis, ſchiſma & neutralitatem, rem quidem Romanæ rei pernicioſiſſimam, ſuſtulerunt, ſi ſtare promiſſis Germani voluiſſent.*

IDEM IN VITA PII II. pag. 286.

ÆNeas Sylvius non admodum Eugenio gratus Baſileam proficiſcens, magno ſemper in honore apud omnes eſt habitus; fuit enim *Scriba* in Synodo illa celeberrima, & *literarum Apoſtolicarum Abbreviator*; *Duodecimvir*, qui *Magiſtratus* in tanto Conventu *cenſorius* habebatur; nihil enim publicè per quempiam agi poterat, niſi horum graviſſima autoritas interveniſſet; & ſi qui admiſſi ad conſultandum de rebus conciliaribus minimè idonei habiti ſunt, horum juſſu Senatu movebantur. Erant in eo Concilio *quatuor Conventus*, qui *Deputationes* more aulico vocabantur, apud quos de *Fide*, de *Pace*, de *Reformatione*, de *Communibus* agebatur.

ORTUINUS GRATIUS, DAVENTRIENSIS, PROFESSOR COLONienſis, in Faſcicul. rer. expetend & fugiend. fol. 34. edit. Col. 1535.

SAnctiſſimum Baſileenſe Concilium omnibus Romanæ Curiæ abuſibus ac gravaminibus inimicum fuit, omneſque in Eccleſia Dei defectus ita damnavit, ac poſt tergum abjecit, ut ſi Concilii illius Decreta, in hunc uſque diem ſervata fuiſſent, nunquam tot periculoſis errorum fluctibus per univerſum immerſi fuiſſemus.

ÆNEÆ

ÆNEÆ SYLVII PICCOLOMINEI SENENSIS,

IN COMMENTARIOS SUOS *De* GESTIS BASILEENSIS CONCILII,

PRÆFATIO.

NEſcio quæ mea calamitas eſt, quibuſve urgeor fatis, ne me hiſtoriæ furari ſciam, tempuſque meum utilius conſumere. Statui ſæpius ab iis me Poëtarum & Oraculorum lenociniis ſequeſtrare , & aliquod ſequi exercitium, unde aliquid tandem figerem, quo eſſet mihi tuta ſenectus à tegete & baculo ; ne ſicut aves feræque indies viverem. Nec deerant ſtudia, quibus ſi fortè verſari voluiſſem, & opes cogere, & amicos parare potuiſſem. Idque non mea ſolùm ſponte mihi ſuadebam, ſed accedebant etiam neceſſarii, quorum illæ aſſiduæ voces erant. *Quid agis tandem Ænea! téne quamdiu vivis Poëtica poſſidebit? Iſtuc ætatis non erubeſcis nihil habere agri, nihil pecuniarum? An neſcis, quia vigeſimo grandem, trigeſimo cautum, quadrageſimoque divitem anno eſſe oportet? Qui has metas præterierit, fruſtra conari.* Monebant igitur, ut venientis & jam propediem inſtantis quadrageſimi anni cogitatum haberem, priuſque aliquid tenere curarem, quàm id ætatis ingrederer. Dedi ſæpius manus, facturumque me, quod ſuaſum erat,

ſpopondi; abjeci Oratorios Codices, abjeci hiſtorias, omneiſque hujuſmodi literas, ut meæ ſalutis inimicas pepuli. At ſicut aviculæ quædam ignem candelæ dimittere nequeunt, in eoque priuſquam fugiant, aduruntur; ſic ego ad meum malum, & ubi mihi pereundum eſt, redeo: Nec aliud mihi (ut video) hoc ſtudium, quàm mors adimet. Sed poſtquam ſic fata trahunt, nec quod vellem id poſſum, conjungenda eſt cum poteſtate voluntas. Objicitur paupertas, ſed eſt tàm pauperi quàm diviti uſque ad mortem vivendum. Ac miſera in ſenibus paupertas, miſerior quippe illiteratis. Sanum habere corpus & mentem integram, non minus pauperi datur quàm diviti. Hæc ſi teneam, nil ultra expoſco. Frui paratis, & valido mihi maximus atque optimus Deus donet, & precor integra cum mente, nec turpem ſenectam degere, nec cithara carentem. Et quoniam ſic animo ſedet, ad Commmentarios noſtros revertamur, ac *Baſileenſis Geſta Concilii* ex ordine inſtitutoque referamus.

COMMENTARIORUM ÆNEÆ SYLVII PICOLOMINEI *De* GESTIS BASILEENSIS CONCILII,

LIBER I.

APud Hetruſcos pleriſque in locis, quoniam flumina ſic tenuia ſunt, ut frumentariam molam nequeant rapere, ingenteis ducunt foveas, quibus fluviorum curſum morantur, biduanaſque aut triduanas colligunt aquas: Quæ poſteà impetuoſius exeuntes, & molam trahunt, & frumenti omnem quantitatem facilè terunt; haud ſecus mihi videntur Patres hujuſmodi facere, qui tanquam nihil habeant adverſus Eugenium faciendum, diutius ſilent, materiam tacitè colligentes, exin' una in die, uno quoque impetu rem perficiunt: Sed quorſum hæc, forſitan quæritur? Nempe, ne quis me arguat negligentiæ, qui plus ſolito, pluſque debito ſiluerim; nec enim ſcribere potui, cùm nihil fieret. Nunc verò cùm res actæ ſint, & relatu & cognitione digniſſimæ, accuſationem (ſi qua paratur) ſcriptis præveniam, nec patiar me argui negligentiæ, quamvis potero nimiæ forſitan audaciæ reprehendi, qui rem arduam & grandem, ſtilo inopi & arido ſim complexus. In qua re nec mihi poſtulabo ignoſci, qui ſponte erro, & venuſtatem ſcio reprehenſionis à M. quondam Catone profectæ in Aulum Albinum, qui cum Lucio Lucullo Conſul fuit. Is Albinus res Romanas oratione Græca ſcriptitavit, in ejus hiſtoria primò ſcriptum erat, ad hanc ſententiam: *Neminem ſuccenſere ſibi convenire, ſi quid in illis libris parum compoſitè, aut minus eleganter ſcriptum foret*; *nam ſum* (inquit) *homo Romanus, natus in Latio, & eloquium Græcum à nobis alieniſſimum eſt*; ideoque veniam, gratiamque malæ exiſtimationis, ſi quid eſſet erratum, poſtulavit. Eaque cùm legiſſet M. Cato: *Ne tu* (inquit) *Aule nimium nugator es, cur maluiſti culpam deprecari, quàm culpa carere! Nam petere veniam ſolemus, aut cùm imprudentes erravimus, aut cùm noxam imperio compellentis admiſimus. Te* (inquit) *oro, quis perpulit, ut id committeres, quod priuſquam faceres, peteres, ut ignoſceretur.* Quod ne mihi quoque poſſit accidere ſine petitione veniæ, rem aggrediar.

Frequens atque insigne Franconiæ oppidum *Norimberga* est, & tàm superis quàm inferis Teuthonibus commune, ibique paucis effluxis mensibus, Oratores Alberti Romanorum Regis, & aliorum Alemaniæ Principum convenerunt, tùm propter alias communis patriæ causas, tùm maximè, ut eam, quæ inter Concilium & Papam vigebat, discordiam sopirent. Illuc & Oratores sacri Concilii accesserunt, & jussu Papæ, vir magnâ hominum opinione sanctissimus Cardinalis Crucifer cum plerisque collegis pervenit. Utque illic perfici res nequivit, Conventus ipse Francofordiam ad Calendas Martias tunc proximas translatus est, quòd eo in loco Electores Imperii facilius conventuri judicabantur. Interim Oratores Cæsarei, Electorumque Basileam petiêrunt, & contractâ cum Oratoribus aliorum Principum, qui Basileæ degebant, intelligentiâ, ac vocato præstantissimo viro, Cardinali S. Petri, qui per id temporis exitum rerum Constantiæ morabatur, maximè hortati sunt Patres Concilii, ut pacem amplecterentur, quam ipsi offerrent. Erat petitio Principum (ut verius dicam) Oratorum, ut sacro Concilio videbatur, ardua, utque ipsi putabant, facilis; petebant namque ut Patres in alium se locum reciperent, Conciliumque transferrent. Quod unum semper Eugenius visus est, quæsivisse, ut sic vel Patres Concilii dissiparet, vel libertatem eis adimeret. Visum tamen est sanctæ Synodo, nec negandum esse, quod Principes poscerent, nec quod Eugenius cuperet, permittendum. Ideoque sic cautè mutatio loci promissa est, ut omnibus obviatum periculis videretur. Nequaquam tamen Oratoribus Principum accepta responsio fuit, qui sic transferri Concilium postulabant, ut magis dissolutio quàm translatio diceretur vel crederetur: Ob quam causam inter disputatos Concilii & ipsos Oratores, pluribus diebus disceptatum est, plurimumque de concordia practicatum; interque ipsas rerum difficultates *Patavienfis* & *Augustensis Episcopi*, Oratores Cæsarei & admodum nobiles, ad ipsum Regem abierunt, & cum iis collega Johannes Eich, Jurisconsultus plurimæ lectionis, abscessit: Prius tamen multum rogati multumque stimulati Baronem magnanimum & apprimè insignem, Conradum Winspergensem ex mandato Regio Protectorem sacro Concilio, & omnium Patrum Defensorem dederunt. Qua ex re, ut alienatum ab Eugenio adversarii, sic Patres sacri Concilii optimam erga se fore mentem Cæsaris cognoverunt; quia nec Protectorem misisset, nisi legitimum Concilium reputasset, nec rursus Concilium esse in Basilea putavisset, si Eugenio fidem habuisset. Post illum ergò recessum, reliqui Oratores, Alberti Augusti, qui Basileæ remanserant, Episcopus Lubicensis, vir recti consilii, ac Georgius tàm literatâ quàm armatâ insignis militiâ, cum aliis Principum nuntiis novam concordiæ schedulam concluserunt, juvante admodum & inter sæpiusculas dissensiones arbitrante Cardinali S. Petri, coram quo omnia peragebant; quam schedulam & sacrum Concilium, ut insufficientem, &, sicuti postmodum relatum est, Eugenius ut erroneam respuit. Nec diu post Responsio Synodalis conclusa est, ipsisque Oratoribus in generali concione reddita, cum jam propediem

Protector Concilii Conradus à Winsperg.

pediem

pediem instaret Conventus Francfordiæ celebrandus, qui tamen propter pestem ibi grassantem, ad urbem Metropolim, Moguntiam, haud amplius unius diei viâ distantem, translatus fuerat. Visum est igitur Oratoribus Principum eò pergere, si forsitan pacis illic medium aliquod invenirent, quo Papam Concilio reunirent. *Oratores Principum.* Ex Oratoribus Cæsaris, Lubicensis & Georgius miles; ex Gallicis Archiepiscopus Turonensis & Trecensis Episcopus ac Collegæ alii, præter Lugdunensem Archiepiscopum; Ex Castellanis tantum Concensis Episcopus, (nondum enim delitiæ Hispaniarum Burgensis ex legatione ad Cæsarem erat reversus) ex Arragonensibus nemo. Postea tamen relatum est, Episcopum Albigaunensem & Franciscum Barbavariam, qui ex Mediolanensibus ibi fuerunt, Regis quoque Aragonum habuisse mandatum. Cardinalis autem sancti Petri paucis ante diebus, sive quòd pestem timuit, jam paulatim crescentem, sive quòd desperatâ pace in Basilea remanere non audebat, in Nidou, quod est Svvitzerorum oppidum, se receperat. Ut tamen ire Oratores Moguntiam accepit, in spem iterum pacis erectus, ex eo flumine quod Solodorum in duas dividit partes, in Rhenum venit, eoque Moguntiam vectus est. Fuit conventus ipse admodum celeber. Præsentes namque *Moguntinensis, Coloniensis, Trevirensis, Archiepiscopi*, sacrique Romani Imperii Electores, ac Coëlectorum omnium Nuncii adfuerunt: Ultimi verò omnium *Pataviensis & Augustensis Episcopi*, *Abbas Scotorum Viennensium* & *Johannes de Eich Doctor* comparuere, qui cum Lubicensi & Georgio Cæsareum locum tenebant, præcipuus tamen illo in conventu fautor Concilii habitus est, *Coloniensis Archiepiscopus*, qui summo studio summoque nisu rem bene dirigere conatus, se non minus virtute animi, quàm genere atque opibus præstantem ostendit, eumque Moguntinus est imitatus. *Theodoricus à Morsa, Coloniensis Archiepiscopus.* *Rabanus* verò *Trevirensis* aliquando rigidiorem se præbuit. Censuit & sancta Synodus suos quoque ad ipsum Conventum Oratores fore mittendos; missique sunt *Patriarcha Aquileiensis* cum authoritate Legati de latere; *Episcopi Vicensis* & *Argensis*, Theologi, *Johannes*, *Segovius* & *Thomas de Corsellis*, Juris periti, *Johannes de Backenstein*, Auditor Cameræ, & *Hugo Metensis Archidiaconus* qui postea processum adversus Eugenium habitum, publicè retulit; iisque adjuncti sunt *Johannes*, *Prior Trajectensis*, & *Nicolaus Aucupis Nortmannus*, qui etiam usque in hunc diem non redierunt. *Oratores Concilii.* Data quoque his est, præter spem adversariorum, facultas omnimoda, ut quicquid hi agerent promitterentque pro bono Universalis Ecclesiæ, & honore sacri Concilii, id ratum firmumque haberetur; qui & recepti Moguntiæ honorificè & legatione sua liberè uti permissi sunt. Nemo illic erat, qui Eugenii Nuntium se vocitaret. *Tarentinus*, in quem paulò ante lata erat sententia, cum Collegis suis in remotis agebat, nec venire Moguntiam audebat, sive quia congredi cum Legatis consiliaribus, verebatur, sive quia mandatum illuc eundi nondum susceperat. Confluxerant tamen illuc plurimi fautores Eugenii, tàm ex Concilio, quàm ex Florentia, locisque aliis. Fuerunt in sancta Synodo quàm plures alii viri in-

corporati, juratique, quorum ſemper animus à rebus, quæ Baſileæ gerebantur, viſus eſt alienus; quique, licèt laboraturos pro honore & ſtatu ſacri Concilii jurejurando ſe aſtrinxiſſent, hi nihilominus in omni negotio *Eugenio* magis quàm *ſacro Concilio* favebant, quorum poſteà *Sectam* Wilhelmus, Conſtantienſis Juriſconſultus *Griſeam* appellavit. Ex his quàm plures Moguntiam perrexerunt, Eugenium ſi qua in parte quirent, defenſuri. Hercules tamen omnium Eugenianorum *Nicolaus Cuſanus* exiſtimatus eſt, homo & priſcarum literarum eruditiſſimus, & multarum rerum uſu perdoctus, cujuſque dolendum ſit tàm nobile ingenium ad illa ſchiſmatis ſtudia divertiſſe, ut legatione ad Græcos vigore falſi Decreti, fungeretur. Hic omne ſtudium ſuum, omnemque conatum in defenſione Eugenii collocaverat, atque (ut eſt verſuti & callidi conſilii) nunc una, nunc alia impedimenta texebat. Poſt varios tamen, multiplicesque tractatus viſum eſt Electoribus imperii, aliisque Germanorum Principum Oratoribus, *Decreta ſacri Baſileenſis Concilii*, in ſua natione recipere, atque obſervari mandare. Super *Decreto* verò *Suſpenſionis* deliberationem ſuſpendentes, ne illo ſuſcepto, deſperata pax cum Eugenio videretur. Interim tamen duo miſſi ab Oratoribus Papæ Moguntiam pervenerunt, junctique hominibus ſuæ factionis, turbare omnia ſatagebant; illud quoque ſperare auſi, ut ſuſcepta ſemel Decreta refutarentur: Quod ubi non ſucceſſit, ad ultimum deſperationis refugium declinantes, inaudito Papâ, non eſſe talia peragenda, proteſtati ſunt; ſed fruſtra omnes eorum conatus fuere. Receptis namque Decretis, Oratores Conciliares ex licentia Conventus Baſileam reverterunt, ſoluſque ibi ſine mandato Vicenſis Epiſcopus, ad paucos dies, rogatu Oratorum Principum, manſit. Receſſerunt quoque Moguntinus, Colonienſis & Trevirenſis Archiepiſcopi, dimiſſis ibi Conſiliariis, qui cum aliis Principum Oratoribus de pace tranſigerent.

Nicolaus Cuſanus Eugenii defenſor.

Decreta Concilii recepta in Imperio.

Eugenianorum conatus.

Dum hæc Moguntiæ fiunt inter Theologos, qui Baſileæ remanſerant, haud parva hæſitatio ſuborta eſt, *dicine poſſet hæreticus Eugenius*, qui tàm rebelliter Eccleſiæ Mandata contemneret, eamque ob cauſam congregati ad invicem, diutius inter ſe diſputarunt; aliis negativam, aliis affirmativam ſententiam defendentibus, ſcientes hanc fuiſſe veterem & Socraticam rationem contra alterius opinionem diſſerendi; nam ita facillimè, quid veriſimilimum eſſet, inveniri poſſe Socrates arbitrabatur. Inter diſputandum autem triplex emerſit opinio; alii namque *hæreticum Eugenium* affirmabant; alii non ſolùm hæreticum, verùm etiam *relapſum*; tertii verò nec relapſum eum, nec hæreticum fateri volebant. Erat inter ipſos Theologos & authoritate & ſcientiæ copiâ præcipuus *Ebrunenſis Epiſcopus*, Sereniſſimi & Potentiſſimi Regis Caſtellæ Orator. Erat & *Abbas* quidam *Scotus*, qui tanquam acerrimi pugiles & in theatro pugnantes, adverſarios quoslibet proſternebant; quorum argumentationibus aut acquieſcebant alii, aut cedebant, eorumque ſtudio gravior tandem ſententia vicit, ut *hæreticus* atque *relapſus Eugenius* diceretur. Octo inter ipſos Theologos *Concluſiunculis* approbatis, quas *Veritates* appellitarunt, earum copiam

Diſputatio, an Eugenius hæreticus cenſendus eſſet.

Opinio Theologorum triplex.

copiam in orbem divulgantes; quæ res circa medium mensis Aprilis initium suscepit, industriâ quidem ac solertiâ *Nicolai* cujusdam *Burgundionis*, *ex Ordine Prædicatorum*, viri acuti & longè majoris animi, quàm corporis, qui nec Deputationum, nec Congregationum aures unquam personare omisit, donec res capta & consummata est. Ne illud asserere dubitarim, rem hanc intactam remansisse, nisi istius homuncionis diligentia Patres excitasset; quem si quis videat, nunquam tanti existimet; sed non sunt homines ex aspectu dijudicandi. Reversis verò Oratoribus ex Moguntia, habitâque certitudine de receptione Decretorum, visum Patribus est, *Conclusiunculas Magistrorum* diligentius, maturiusque discutere, vocatique sunt ex jussu Deputationum, Magistri omnes ac Doctores humani ac divini juris, in Capitulum majoris ecclesiæ, cum Prælatis *Eugenianam hæresim* publicè discussuri. Quæ res *Mediolanensi Antistiti* magnæ molestiæ fuit, timenti, ne disputatio hæc privationem Eugenii secum traheret, quam ipse (ut dicebat) timore schismatis, semper impedierat. Ea propter vocare alios, excitare torpentes, currere animatos, omnique studio niti, ut res ipsa turbaretur; & quamvis ex Oratoribus ducalibus unicus ipse Basileæ superesset, egregiè tamen vices aliorum implebat; ex animo namque laboranti nihil videtur esse difficile. Itaque nec plus quicquam tres simul egissent, quàm solus ipse peregit; absentes namque suarum partium, ut potuit literis, præsentes autem verbis in defensionem Eugenii animavit. Ventum est tamen ad locum Capituli; frequens quoque habita congregatio est, venerant enim omnes aut dicendi aut audiendi studio illecti; sexque omninò diebus, & ante prandium, & ante cœnam, protracta res disputando est. Medius erat inter omnes primoque loco ut *Judex Fidei*, totiusque disputationis moderator & arbiter *Ludovicus Cardinalis & Archiepiscopus Arelatensis* prælatus, cùm multis virtutibus insignis, tùm præcipuè fortis & constans. *Nicolaus* verò *amici*, qui & ipse procurator fidei est, & inter Theologos Parrhisienses apprimè clarus, quod quisque sentiret, interrogabat. Suffragia quoque Scriba publicus, *Johannes Dienlisist*, annotabat, plurimaque illic egregiè disputata, & prudenter examinata fuêre, de quibus si facere verba voluerim, vereor, ne me aliqui vitio mentis tantum opus ingressum judicent, quia res est à mea professione meoque studio remotissima; famulabor tamen mihi ipsi, nec me intra pomæria sacrorum eloquiorum ingressum, introspexisse in ædem Deæ, â qua mares absterrentur, existimabo. Atque ut de re ipsa dicere incipiam, *Conclusiones Theologorum*, tanquam *disputationis fundamenta*, ipso in exordio ponam; nec ego iisdem utar verbis, quibus illi, sententiam retulisse sat erit. Conclusiones hujusmodi fuerunt.

Nicolaus Burgundio, Prædicator.

Ludovicus Cardinalis, arbiter.

1. *Veritas est Catholicæ fidei*, sacrum Generale Concilium supra Papam *& alium quemvis potestatem habere.*
2. *Generale Concilium legitimè congregatum, sine ipsius consensu, nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus, ex authoritate sua potest Romanus Pontifex, idq; veritatis ejusdem est.*

3. *Qui pertinaciter his veritatibus se opponit,* hæreticus *est censendus.*
4. *His veritatibus Eugenius Papa IV. oppugnavit, cùm primò ex plenitudine potestatis Apostolicæ Basileense Concilium dissolvere, sive transferre attentavit.*
5. *Errores his veritatibus repugnantes, monitus tandem per sacrum Concilium, Eugenius revocavit.*
6. *Dissolutio, sive translatio per Eugenium secundò attentata, prædictis est obvia veritatibus, inexcusabilemq́; circa fidem, errorem continet.*
7. *Eugenius iteratò dissolvere seu transferre Concilium tentans, in revocatos errores prolabitur.*
8. *Commonitus per Synodum Eugenius*, ut dissolutionem sive translationem secundò attentatam revocaret, *post declaratam contumaciam in rebellione persistens, Ferrariæq́; Conciliabulum erigens, seipsum pertinacem declarat.*

Hujusmodi (sicuti arbitror) fuere conclusiones, quibus in Capitulo coram Patribus iterum atque iterum lectis, rogati sunt omnes viritim sententiam dicere, pedibusque ferè omnes in conclusiones ibant. *Panormitanus* tamen *Archiepiscopus*, vir inter omnes scientiâ eminens, plurima in adversum disputavit. Plurima etiam Prælatorum decus *Burgensis*, Episcopus ac Eleemosynarius Regis Aragonum, non minus eloquentiâ quàm doctrinâ præclarus, non tamen prioribus hi se conclusionibus opponebant, sed illis tantùm, quibus Eugenius tangebatur; argutèque ut est subtilissimus, adversus posteriores conclusiones *Panormitanus* disseruit, ostendereque summo studio nitebatur, *Eugenium non esse relapsum*, magnaque illi cum tribus viris, Argensi Episcopo, Johanne Segovio, ac Francisco de Fuxe Theologis concertatio fuit. *Articulos Fidei* trifariam dividebat, *strictè*, ut in Symbolo; *largè*, ut in Declarationibus per Ecclesiam factis; *largissimè* autem, ut in his, quæ ex prædictis resultant; Eugeniumque nullo istorum modorum violasse fidem, in prima dissolutione, quam fecit, quia nec in Symbolo, nec in Ecclesiæ determinationibus haberetur, *Papam non posse Concilia dissolvere*; nec id sibi videri ex determinationibus anteà factis, resultare, sed potiùs ex Decretis Constantiensis Concilii, hunc casum, tanquam omissum, dispositioni Papæ reservari, cùm in Capitulo frequens locus futuri Concilii per Papam, approbante Concilio, eligatur, & de hoc nihil omninò sit dictum. Quòd si forsitan in prima dissolutione peccasset Eugenius, excusatum tamen haberi debere, qui de consilio Cardinalium egisset Romanam Ecclesiam repræsentantium, cujus tantam esse authoritatem, dixit, ut ejus judicium toti orbi præponeretur, idque glossam singularem astruere; nec inveniri unquam sacrum Concilium adversus Eugenium, tanquam hæreticum processisse, idque signum esse, quia non putarit eum à fide devium. Nec apud se momentum habere quod diceretur *de adhæsione, erroribusque revocatis*; egisse se totum adhæsionis textum, Papamque non revocasse dissolutionem, ut fidei contrariam, sed ut scandala parturientem. Ultimam quoque dissolutionem nihil habere hujusmodi, quoniam similiter ex consilio Cardinalium

Panormitani oratio.

Articuli fidei trifariam divisi.

Cardinales, Romanam Ecclesiam repræsentantes.

dinalium dissolvisset, & propter unionem Græcorum fiendam, ac ne cogeretur in criminali causa per procuratorem respondere, cùm personaliter malâ valetudine impeditus venire non posset. Sicque cùm ex prima dissolutione non fuisset in errorem fidei lapsus, persuaderi sibi non posse, Eugenium nunc dici relapsum, qui nec primâ nec secundâ dissolutione fidem violârit.

Fuit oratio Panormitani apud omnes magis laudata quàm probata; id tamen habuit efficaciæ, ut postea verbum *relapsum* ex Conclusionibus tolleretur, ejusque loco poneretur *prolapsum*. Nec Panormitanus ipse omninò ab hęresi Eugenium audebat excusare, plusque in prima quàm in secunda dissolutione vim faciebat, non tamen sine responsione recessit. Assurgens namque *Johannes Segovius, Theologiæ peritissimus*, reverenter, submisseque (ut tanto Prælato conveniebat) respondit: *Fateri se*, inquit, *quod de* articulis fidei trifariam divisis, *Panormitanus dixisset; idq; ad suam causam facere, quia, si ea pro articulis fidei tenenda essent, quæ ex determinationibus Ecclesiæ resultarent, manifestum foret, conclusiones, de quibus agitur, ex determinationibus Ecclesiæ, hoc est, Constantiensis Concilii, redundare; quia si ibi Concilio generali Papa subjicitur, quis est, qui Papam habere imperium in Concilium (quod est suum superius) dicat? stareq; Eugenium debuisse, quia* Concilium, *quod* supra se *est, eo invito dissolvere non poterat, quem articulum sine dubio violavit; & si omninò dici quis velit, in prima dissolutione hunc articulum non esse læsum, quia nondum facta esset declaratio, sciat ille, qui sic opinatur Romanum Pontificem non solùm* explicita fidei, *sed* implicita *quoque scire oportere, qui* Vicarius Christi *&* caput omnium *existens, docere atque instruere cunctos habet. At si omninò hoc effugiat, ex illo capite convincetur, quia diutius in* dissolutione sua *post declarationem Concilii perstitit, nec determinationi acquievit, ideoq; si* dissolvendo *forsitan non erravit in fide, utique in* permanendo *erravit, idq; bellissimè ex dicto Clementis, sæpe per Panormitanum allegati, concluditur dicentis:* Quia qui rebelliter vivit, & bona agere negligit, potius Diaboli quàm Christi membrum esse ostenditur, & magis infidelis quàm fidelis esse monstratur. *Sicq; non obediens Ecclesiæ Eugenius,* infidelis *dici haud absurdè potest. Nec verum id fore, quòd Papa in fide non fuisset impetitus; etenim in responsione, tàm illa quæ incipit,* Cogitanti, *quàm alia, quæ,* Sperant, *Oratoribus Papæ deditis, apertè illa verba reperiri,* hic articulus fidem concernit, malumusque mori, quàm per ignaviam cedere; *quo dicto satis admonuisse Synodum, patere, quia* Papa contra fidem *veniret: Ideoq; cùm postea adhærendo revocasset Eugenius dissolutionem,* errorem *quoque* fidei *in ea contentum, revocasse videtur, scandala quoque, de quibus mentio fieret, propter errorem fidei esse suborta;* quòd *aliqui* subesse Concilio Papam *dicerent, negarent aliqui, ipsamq; doctrinæ diversitatem scandala secum trahere. Expressè quoque in* adhæsione Papæ *revocari assertiones nomine Papæ factas contra Concilii authoritatem; & licèt in hujusmodi revocationibus non esset servatus stilus & ordo judiciorum, sufficere tamen in rebus talibus, quòd actum esset, cùm* Concilium contra Papam *ageret, quo in casu sola*

Orationi Panormitani respondet Iohannes Segovius.

esset veritas observanda. Nec esse Concilium juri positivo *subjectum, ut servare terminos, & judicialem sequi strepitum debeat.* Glossam *autem illam* singularem, *quæ Romanam Ecclesiam orbi præponeret, se omninò contemnere, beneq;* singularem *esse, quæ tàm fatua diceret, indignumq; fore, ut illam quispiam sequeretur, mirariq; se de Panormitano & aliis nostrorum temporum Doctoribus, qui dum se* glossarum *extollere putant* authoritatem, *ipsam deprimunt, cùm* singularitatem *adjiciunt,* singularis *enim est* glossa, *quæ* sola *est. Sed quis non pluris faciat* glossam in omnibus locis *idem sentientem, semperq; constanter loqutam, quàm uno tantùm in loco aliquid asserentem, quod sine dubio possit per errorem videri assertum? Quantum verò* ad veritatem *habere se* Hieronymum, *Doctorem gravissimum, glossæ illi contrarium, qui* orbem *etiam quo ad authoritatem,* urbe ipsa, *id est,* Roma, majorem esse *non ambigit.* Nec ista finire Segovius sine interpellatione potuit; sæpe namque Panormitanus verba ipsius interrupit; & nunc unum, nunc aliud dictum confutari satagebat. Surrexit *Argensis* etiam *Episcopus*, vir non solùm eloquens, sed etiam animi plenus, acriterque Panormitani dicta & argumenta disturbavit; plus tamen inter eos processum est, quàm disputandi modus exigeret, neque enim à probris abstinuerunt. Veniam tamen Argensis posteà petiit, licèt forsitan minus errasset, ut fit, quia semper inferiores oportet succumbere. Dixerat fortè Argensis, *Romanum Pontificem* ministrum Ecclesiæ *fore*; idque ferre Panormitanus non poterat, tantumque eâ die seipsum & scientiam suam, quæ utique maxima est, deseruit, ut Papam *Ecclesiæ dominum* asseverare non vereretur. Cui Segovius: *Vide quid agis Panormitane,* (inquit) *honoratior titulus Romani Pontificis ille est, quo* Servum servorum *se* Dei *appellat; id enim ex eo est sumptum, quod Christus discipulis ait, cùm quærerent, quis* eorum esset major *futurus? Scis enim respondisse illum:* Quia Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic, *& reliqua, ubi* dominatum *omninò prohibuit. Et* Petrus, *qui & ipse Vicarius Christi primus fuit*, pascite (*inquit*) qui in vobis est, gregem Dei providentes, non coactè, sed spontaneè. *Et paulò post:* Neque ut dominantes in Clero. *Quòd si filius Dei Christus, non* ministrari, *sed* ministrare *venit, quo pacto ejus Vicarius dominabitur, aut dici* Dominus (*sicut vis Panormitane*) *poterit? Cùm non sit discipulus supra magistrum, neque servus supra dominum suum*: Neque vocemini magistri, *inquit Dominus,* quia magister vester unus est Christus; & qui major est vestrum, erit minister vester. Hac responsione inquietato paululum Panormitano, recessum est. Sequenti die *generalis congregatio* fuit, & post prandium ad Capitulum omnes redierunt; rogatusque sententiam *Lugdunensis Archiepiscopus*, Orator Regius, vir inter omnes & probitate vitæ, & scientiæ copiâ eminentissimus, postquam *hæreticum* esse *Eugenium*, pluribus rationibus comprobavit, amarè conquestus est, illorum ignaviam plurimum detestatus, qui talem hominem Romano Pontificio præfecissent, omnesque astantium animos commovit, ut secum *calamitates universalis Ecclesiæ* deplorarent. At *Burgensis Episcopus*, Orator Hispanus, & inter Præla-

Oratio Argensis Episcopi.

Oratio Lugdunensis Archiepiscopi contra Eugenium.

Oratio Burgensis Episcopi.

tos

tos apprimè doctus, *Conclusiones* bifariam divisit, aliasque *generales*, aliasque *personales* appellans; egregièq; circa 3. primas locutus est, nullatenus se de ipsis dubitare asseverans, nisi quòd illa sibi adjectio dubia videretur, quæ *fidei* faceret mentionem. Plurimumque illic immorari voluit, *ut sacrum Concilium supra Papam esse* ostenderet; idque postquam jure divino humanoque probavit, Physicâ etiam ratione asseruit; adductoque in testem summo omnium Philosophorum Aristotele, dicebat, in Regno benè instituto illud inprimis desiderari, ut plus *Regnum* posset quàm *Rex*; si contra reperiretur, id non Regnum, sed *Tyrannidem* dici debere. Sic etiam sibi de Ecclesia videri; quòd eam plus suo Principe, id est, Papa, posse oporteret, quem sermonem sic ornatè, sic suaviter disputavit, sic doctè atque verificè, ut omnes ab ejus ore avidè dependerent, jam non (ut in aliis fit) orationis finem, sed longam continuationem desiderantes, ipsumque unicum esse scientiæ speculum prædicarent. Ut verò alias ingressus est conclusiones, opponereque hic se voluit, visus est aliquantisper à seipso discedere, Burgensemque esse desinere. Nec enim ille in verbis lepos, nec illa in oratione gravitas, aut in vultu hilaritas apparebat; ac si se ipse potuisset cernere, admirationem forsitan habuisset. Quis enim vim quandam ac potestatem veritatis tunc non viderit, quæ homini pro se loquenti, sententias & verba suggessit? Adversus se autem prædicanti, etiam ipsam, quæ innata erat, surripuit eloquentiam. Illud tamen Panormitanus ac Burgensis modestiæ ostenderunt, quia etsi veritates fidei esse non faterentur, in eo tamen non suæ sententiæ acquiescendum dicebant, qui sacris literis non essent imbuti, sed Theologorum. *Eleemosynarius* verò *Aragonum Regis*, ut est consilio callidus, nequaquam directè ad conclusiones disputabat, sed furtim quædam argumenta collegerat, quibus nunc hic, nunc illic præstaret impedimentum. Adversus quos & *Abbas Scotiæ*, vir subtilis ingenii, plurima disputavit, & *Thomas de Corsellis*, inter sacrarum literarum Doctores insignis, quo nemo plura ex Decretis sacri Concilii dictavit, vir juxta doctrinam mirabilis & amabilis sed modestâ quadam verecundiâ semper intuens terram, & velut latenti similis, pro conclusionibus latè & clarè disseruit. *Nimis (ut video) rem protraherem, si quid singuli dixerint, explicare pergam, fiamq; lectoribus tædiosus, hoc modo procedens. Utilius (sicuti mihi videtur) argumenta exponam, quibus ratæ conclusiones fuerunt; nec ego* de quinque posterioribus *sermonem habebo, quæ solùm videntur* in facto *consistere, dum* Eugenii personam *respiciunt, solùm* tres primas *mea disputatio complectetur. Subjiciam igitur aliqua probationi accommoda, non quæ ipse cogitarim, aut meo studio ex obscurissimis scripturarum tenebris elucubraverim, sed quæ ego in disputatione Patrum audita memoriæ commendavi. Quantum ergò illic haurire mea parvitas quivit, ejus authoritatis est* prima conclusio, *ut eâ probatâ, reliquæ veniant. In* prima *igitur vis major, eaq; primitus dissertanda est, duoq; circa ipsam investigatu examinatuq; digna se offerunt. Alterum :* Nunquid generale Concilium authoritatem habeat supra Romanum Pontificem? *Alterum:* An id credere Fides Catholica jubeat?

Concilium supra Papam.

Oratio Thomæ de Corsellis, quòd Papa Concilio subsit.

quæ duo si deduxerim, nihil est quod postmodum dubitare possimus. Quòd autem Papa Concilio generali subesse *debeat, egregiè ratio per Burgensem Episcopum deducta superius probat; est enim* Papa in Ecclesia *tanquam* in Regno Rex! *Regem autem plus posse quàm totum Regnum, absurdum est. Ergò nec Papa plus posse debet, quàm Ecclesia. Sed sicut nonnunquam Reges malè administrantes, & tyrannidem exercentes, à toto Regno excluduntur ejiciunturq́; Sic etiam per Ecclesiam, hoc est,* per generalia Concilia Romanos Pontifices posse deponi, *non est ambigendum. Neque hic ego illos audio, qui tàm latam Regibus attribuunt potestatem, ut eos* teneri legibus *nullatenus velint; genus est enim adulatorum, qui aliter garriunt quàm ipsi sentiant. Etenim licèt dicatur* in sinu Principes ἐπιείκειαν semper fore, *id ego intelligo, cùm ratio suadet à verbis legis esse recedendum.* Rex *enim ille dicitur, qui est speculator ac procurator publici commodi, cui est cordi utilitas subditorum, qui quæcunque agit, refert ad eorum, quibus præest, commoditatem; quòd si secus fecerit, non* Rex, *sed* Tyrannus *dicendus est, cujus est proprium vacare proprio emolumento. Hoc enim differt* Rex à Tyranno, *quòd alter eorum, quos regit, commodis invigilat, alter suis intentus est. Quod ut manifestius fiat, subjicienda causa est, quæ Reges ab initio introduxit; & quidem, ut Cicero* in Officiis ait: Certum est, fuisse aliquod tempus, quo sine Regibus vivebatur. *At postquam* jure gentium *possessiones cœperunt dividi, non alia de causa* Reges *sunt instituti, nisi justitiæ fruendæ; nam cùm premeretur initio multitudo ab his, qui majores opes habebant, ad unum aliquem virum confugiebant, virtute præstantem, qui prohiberet injuria tenuiores, æquitatem constituendo, summos cum infimis pari jure pertinerent; cùmq́; adhuc regnantibus Regibus debiliores nonnunquam opprimerentur, leges constitui placuit, quæ ad judicandum non odio aut gratiâ ducerentur, sed tales inopi, quales potenti præstarent aures, quo fit, ut leges non solùm populum, sed Regem quoque obligare sciamus. At si Regem contemnere leges, rapere bona subditorum, violare virgines, stuprare matronas, omniaq́; suæ libidini & temeritati committere videamus; nunquid congregatis Regni Proceribus, illo summoto, alius sublimabitur, qui & benè gubernare juret & legibus obtemperare? Nempe, ut ratio suadet, sic etiam usus edocet. Idemq́; fieri in* Ecclesia, *hoc est,* in Concilio, *quod in Regno consentaneum esse videtur. Sicq́; satis apparet, quòd diximus,* Papam subesse Concilio. *Illud tamen negari non debet, quia* major *est* Papa quolibet alio Christiano; *& sicuti Regi quilibet Baro de Regno subjicitur, sic Romano Pontifici singuli ecclesiæ Prælati parere tenentur. Sed his præteritis, cum Burgensi Episcopo, viro non minus docto, quàm eloquenti* ad divina eloquia *transeamus. Fundamento autem rei quam petimus, verba sunt Redemptoris nostri Jesu Christi, cùm in pluribus locis, tùm ibi, cùm Petrum alloquitur, dicens:* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *A quibus verbis, ideò placuit exordiri, quòd aliqui verba hæc ad extollendam Romani Pontificis authoritatem solent adducere, sed (ut statim patebit) alius est verborum Christi sensus, quàm aliqui opinentur. Ait ergò:* Et portæ inferi non

Discrimen inter Regem & Tyrannum.

non prævalebunt adversus eam. *Magna quippe promissio, magna etiam verba Domini; etenim quid dici grandius potuit, quàm* portas inferi adversus Ecclesiam *prævalere non posse!* Portæ *utique* inferi (*ut inquit Hieronymus*) peccata significant. *At si peccata expugnare Ecclesiam nequeunt, certè non maligni spiritus, qui nullam penitus in humanum genus, nisi per peccata vim habent, aliquid adversus Ecclesiam possunt. Eamq; ob causam cùm apud Job. dicatur:* Nulla potestas super terram est, quæ potestati maligni spiritus comparetur, *restat potestatem Ecclesiæ omnibus potestatibus esse majorem. Possumus etiam ex hoc dicto aliter quoque argumentari, quia* si portæ inferi, *id est*, peccata, *adversus Ecclesiam nihil queant*, Ecclesia *ipsa* impeccabilis *esse monstratur; quod quidem de* Summo Pontifice, *quia homo & mortalis est, nemo dixerit, cùm scriptum sit:* Quia septies in die cadit justus. *At si* Ecclesia immaculata *est, quia nec peccato potest deturpari, quis est, qui* peccatorem hominem impeccabili Ecclesiæ præferat? *Nec illis præstemus aures, qui verba illa Christi Jesu dicentis:* Oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, *nolunt* ad Ecclesiam *referri, quoniam sicut Augustinus in expositione Psalmorum inquit:* Quædam dicuntur, quæ si propriè *ad Apostolum Petrum* pertinere videantur, non tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur *ad Ecclesiam*, cujus ipse cognoscitur in figura gestasse personam. *Unde alibi in quæstionibus Novi & Veteris Testamenti, de his quoque verbis:* Rogavi pro te Petre, *quid* ambigitur? Nunquid pro Petro rogabat, pro Jacobo & Johanne non rogabat, ut de cæteris taceam? Manifestum est, *in Petro* omnes contineri; quia & alio loco apud Johannem dicit: Ego pro his rogo, quos mihi dedisti, & volo, ut ubi ego sum, & isti sint mecum. *Quo fit, ut* Ecclesiam *frequentissimè per Petrum intelligamus. Idq; hoc fieri in loco non ambigimus, aliter verò stare veritatis verba non possent, cùm paulo post Petri fides ad tempus, Christum negando defecerit. At* fides Ecclesiæ, *cujus personam Petrus gestabat, semper intemerata permansit. De* Romanis *verò* Pontificibus *liceret exempla admodum multa referre, si tempus sineret; quoniam aut* hæretici, *aut* aliis imbuti vitiis *sunt reperti. Nec nos fugit* Marcellinum *jussu Cæsareo idolis thurificasse; alium verò, quod majus & horribilius est*, diabolicâ fraude Romanum Pontificatum *ascendisse. Nobis tamen illud Pauli ad Hebræos sufficit testimonium, qui* omnem Pontificem infirmitate, *id est, pravitate peccandi circumdatum esse, dicit, Ecclesiam autem impeccabilem permanere, etiam alia ipsius Christi testimonia comprobant. Apud Matthæum ait:* Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. *Quæ verba non solùm Apostolis, (ipsi enim usque ad sæculi finem non permanserunt) sed etiam successoribus dicta fuerunt, nec tunc voluit Christus significare, se Deum per omnia fusum, quomodo etiam in peccatoribus deprehenditur, sed speciale quoddam donū gratiæ ostendere per assistentiam suam, quâ sanctam Ecclesiam in Apostolis eorumq; successoribus consistentem, servaret immaculatam. Alibi quoque:* Ego rogabo (*inquit*) & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest capere, quia

non

non videt eum, nescit eum; vos autem eum cognoscetis, quia apud vos manebit. *Quæ verba cùm discipulis Jesu dicta sunt, ad successores quoque & sic Ecclesiæ dicta intelliguntur, ac si in æternum Spiritus veritatis in Ecclesia est. Nemo negare debet Ecclesiam permanere incorruptam. Ex ea quoque authoritate, quâ dicitur* Sponsus Ecclesiæ Christus, *quis non videt incontaminandam fore Ecclesiam?* Sponsus *namq;* & Sponsa (*ut Apostolus inquit*) duo sunt in carne una, carnem autem suam, *ut idem subjicit,* nemo odio habet. *Eoq; fit, ut Christus Ecclesiam odire non possit, quoniam Sponsa est, eademq; caro cum ipso, ac se odire non potest, ergò non peccat Ecclesia; nam si peccaret, odio haberetur:* Peccatores *namq;, ut alibi dicitur,* Deus odio habet. *Quæ authoritates, ut invicem connecti queant, fateri cum Apostolo debemus,* Ecclesiam Dei non habere maculam neque rugam. *Qui etiam ad Timotheum scribens,* Ecclesiam *ipsam* columnam, & firmamentum veritatis *fore asseverat. Unde in Canticis Sponsus:* Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. *Exterrere aliquos hæc verba possent, dum fore* impeccabilem Ecclesiam *astruo; nam cùm in Ecclesia contineantur omnes, qui Christiano censentur nomine, quiq; in communi credentia articulorum fidei & sacramentorum participatione conveniunt, vereor, ne qui me* omnes homines *impeccabiles dixisse opinentur, quæ sententia tantum à mea abest, ut ejus oppositum verum putem; existimo enim, quia nullus sit in Ecclesia impeccabilis, mortali carne vestitus. Nec ista inter se pugnant, habet enim hoc Ecclesia, ut licèt singula membra peccare possint, totum tamen corpus non possit. Semper enim in Ecclesia viri sunt aliqui boni, qui licèt humanæ fragilitati subditi sint, virtutis tamen perfectæ perfecto funguntur munere, domitisque carnalibus desideriis, hostiam se Deo placentem exhibent. Nec vulgari nonnullorum opinioni consentio, qui tempore Dominicæ passionis* solam Virginem *ajunt in fide perstitisse. Unde audent aliqui dicere, sic extenuari fidem posse, ut ad unam solam aniculam revertatur. Quorum sententiam, ne dicam insaniam, apertè mihi videtur Paulus explodere, cùm ad Romanos ait:* An nescitis in Helia, quid dicit scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversus Israel: Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. *Sed quid dicit illi responsum divinum?* Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Bahal. *Etenim quid aliud ibi responsum divinum indicat, quàm fatuam esse illorum opinionem, qui ad tàm paucos redigi Ecclesiam arbitrantur? Oportet utique nos credere verbis Christi, quæ omnia illis repugnant, qui solam Virginem perseverasse in fide prædicant; ait namq; ad Patrem Jesus:* Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. *Et:* Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. *Ecce quia orat Christus, ne Apostoli cadant: Orans autem Christus, absque dubio auditur; alibi enim dicit:* Scio, quia me audis. *Sed quo pacto auditur, si omnes, pro quibus orat, ut isti rabulæ dictitant, in passionis tempore deviarunt?*

Exem-

Exemplum : *Quo pacto Jesus matrem suam charissimam, in cruce pendens,* Johanni *commendasset, si is aut jam erat, aut statim futurus erat alienus à fide? Centurio præterea nunquid è vestigio clamat?* Verè filius Dei erat iste! Judæi *quoque illo in tempore, qui Hierosolymis longè aberant, & dici fideles poterant, & in sua fide salvari, cùm (sicut Apostolus ait) ad Evangelium homines obligentur, postquam eis innotuit. Relinquamus igitur istos, & quod est verosimilius, teneamus fuisse, esseq; semper in ecclesia non parvum bonorum hominum numerum indicemus; ab illisq; ut à parte digniori,* sanctam & immaculatam *denominemus* ecclesiam, *quæ tàm malos quàm bonos complectitur. Ecclesia namque* sagenæ missæ in mari *comparatur ex omni genere piscium congreganti. Et rursus*: Homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit servos suos vocare invitatos ad nuptias. *Et subdit:* Et congregaverunt bonos & malos, quotquot invenerunt. *Erronea enim est illorum opinio, qui solos bonos contineri intra ecclesiam dicunt; quæ si vera esset, omnia confunderet, nec ubi ecclesia foret, scire possemus. Cùm autem (sicut scriptura dicit)* nemo sciat, utrum sit dignus odio vel amore, *approbatior veriorq; illorum sententia est, qui omnes fideles intra ecclesiam recipiunt, quorum licèt pars magna voluptatibus & avaritiæ serviat, aliqui tamen semper sunt à peccatis mundi mortalibus, quæ pars ut dignior, denominationem dedit ecclesiæ, ut* sancta *diceretur; quod tàm frequens factum est, ut in Symbolo decenter decantare præcipiamur.* Unam sanctam Catholicam & Apostolicam ecclesiam, *quem articulum octavum, Synodum Constantinopolitanam aliis adjecisse ferunt. Quare si* sancta *est* ecclesia, impeccabilis *quoque est, ut ad institutum redeam.* Sanctum *enim (ut Macrobio, Trebatium referenti placet) interdum est idem quod* sacrum, *idemq; quod* religiosum, *interdum verò idem est quod* incorruptum. *Unde & illud*: Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ. Descendam; *non enim sacro aut religioso ejus anima tenebatur, quàm* sanctam, *hoc est,* incorruptam *voluit ostendere. Eoq; modo* sanctam *prædicamus* ecclesiam, *quam Petrus Apostolus* immaculatam *dicebat, sicut in famosa Clementis epistola legimus. Ad hoc etiam tendit, quod dicitur apud Paulum,* caput ecclesiæ *fore* Christum; *nam si ecclesia peccaret tota, nequaquam suo capiti conveniret Christo, qui nulla unquam ex parte corruptus exstitit. Hoc itidem apud Matthæum significare voluit Christus, cùm domum illam collaudat, quæ fuerat supra* firmam petram ædificata, *cui nec venti potuerunt officere, nec pluviæ.* In domo Dei *(inquit Apostolus)* quæ est ecclesia ædificata supra firmā petram, quæ *(sicut idem Apost. prædicat)* erat Christus. *Ecclesiam ergò supra Christum fundatam, quis est tàm demens, aut tàm sui oblitus, ut peccato subditam esse velit? quiq; non potius cum Propheta exclamet?* Domine, dilexi decorem domus tuæ! *Hinc illa Johannis aurea sententia, cui etiam aureum os fuisse prædicant, qui ait:* Non cessat impugnari Ecclesia, non cessat insidias pati, sed in nomine Christi semper superat, semper vincit; & quamvis alii insidientur, quamvis repercutiant eam fluctus, fundamentum tamen, quod supra petram est, non quassatur. *Hilarius quoque:* Proprium esse solet ecclesiæ *(inquit)* ut tunc vincat, cùm læ-

ditur; tunc intelligat, cùm arguitur; tunc secura sit, cùm deseritur; tunc obtineat, cùm superata videtur. *Multis (ut mihi videtur) rationibus ac testibus probatum est*, ecclesiam non errare, *quod de* Romanis Pontificibus *non asseritur*, *quæ ratio haud ineptè* Summum Pontificem ecclesiæ subjicit. *Conveniens enim est, ut perfectioribus minus perfecti subdantur. Sunt tamen alia testimonia, aliæq; rationes, de quibus etiam hoc in loco aggrediar dicere.* Si authoritas quæritur, (*inquit Hieronymus*) *libenter enim in ejus sententiis, tamquam in agro fertili versor*, orbis major est urbe. *Quid tum obsecro Hieronyme, magnus est Papa, quia Romanæ præest ecclesiæ? Magna ejus est authoritas, major tamen est universalis ecclesia, quæ non urbem unam duntaxat, sed totum complectitur orbem. Ex hinc si* mater omnium fidelium est ecclesia, *Romanum etiam Pontificem* in filium *habet. Aliàs verò* (*sicut beatissimus prædicat* Augustinus) nunquam habebit Deum Patrem, qui ecclesiam noluerit recognoscere in matrem. Quod Anacletus *intelligens, universalem ecclesiam* (*ut Canonistæ sciunt*) matrem suam *appellat. Et* Calixtus, *sicut* filius, *ait*, venit facere voluntatem patris, sic & nos implere voluntatem matris nostræ, quæ est ecclesia. *Unde apparet tanto superiorem esse Ecclesiam Romano Pontifice, quanto est matre inferior filius. Supra etiam diximus*, ecclesiam Christi Jesu sponsam fore. *Papam verò Vicarium esse scimus. At nemo sic Vicarium suum instituit, ut ejus sponsam illi subjiciat. Quinimò plus arbitrii in rebus arduis habere creditur sponsa, quàm Vicarius, cùm illa unum cum sponso corpus existat, Vicarius non idem cum Domino. Nec Pauli ad Romanos verba præteribo*: Omnis (*inquit ille*) anima potestatibus sublimioribus subdita sit, *nec excipit animam Papæ. Quare cùm nullus alius mortalium supra Papam sit, necessarium videtur, ut illum* ecclesiæ subjiciamus. *Nec ideò se putet exemptum, quòd ei dictum à Christo fuerit.* Quodcunque ligaveris *& reliqua; in eo namq; (ut pòst dicemus) personam ferebat ecclesiæ. Cui etiam dictum reperimus*: Quæcunque ligaveritis super terram, ligata erunt & in cœlis. *Ulterius, si omnis potestas à Christo concessa, ut ad Corinthios scribit Apostolus*: Data est in ædificationem ecclesiæ, & non in destructionem. *Cur non ecclesia Summum Pontificem clavibus abutentem, & omnia destruentem, corripere possit? Adde & aliud argumentum: Homo in hac vita minor est angelis. Legimus namq; apud Matthæum de Johanne Baptista*: Quia qui minor est regno cœlorum, major est illo. *Alibi tamen dixerat veritas*: Quòd inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista. *Sed perge ulterius: Angelis credere homines (exemplo Zachariæ) coguntur, ne, sicut ille, cæcitatis incurrant vitium, non credentes. Quid plus, Romanus Pontifex homo est, ergò angelis minor, & angelis præstare tenetur fidem. At angeli ab ecclesia discunt, ejusq; doctrinæ reverenter acquiescunt, ut apud Ephesios inquit Apostolus. Ergò & Summus Pontifex idem tenetur efficere, & qui minor est angelis, minor est ecclesia, quæ illis est major; cujus nempe tanta est authoritas, ut rectè, per Augustinum* soli *æquiparetur; quoniam sicut cætera lumina sol unus evincit, sic*

omnes

omnes authoritates ecclesia superat. Unde ejusdem Augustini legitur dictum: Evangelio non crederem, nisi me authoritas ecclesiæ commoveret, *quæ nusquam de Romano Pontifice dicta reperiuntur, qui cùm vicem gerat ecclesiæ, ejusq; administrator existat, nequaquam putandus est aut Domino major, aut æqualis. Maximè tamen Romanum Pontificem subjectum esse ecclesiæ, verba ipsius Christi Salvatoris, & Domini nostri ostendunt; cùm, sicuti post dicemus, Petrum futurum Papam, ad ecclesiam remittit, inquiens:* Dic ecclesiæ. *Ad cujus authoritatem etiam illa pertinent verba:* Qui vos audit, me audit, *non solùm Apostolis, sed eorum quoque successoribus & toti ecclesiæ dicta. Quo fit, ut si ecclesiam Romanus Pontifex non audiat, Christum quoque non audiat, & tanquam Ethnicus & Publicanus haberi debeat; quia (ut etiam asserit Augustinus)* cùm excommunicat ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus, & cùm solvit, solvitur. *Quo dicto, tàm Papa quàm alii continentur, ex eo tamen illorum maximè vesania confutatur, qui dari per Synodum generalem remissionem plenariam, inficiantur: Cùm Synodus (ut posteà ostendemus) universalem ecclesiam repræsentet: Illos tamen hæreticorum loco habendos censeo; quoniam si hæreticus est, qui Romanæ ecclesiæ primatum aufert, ut Constantiensis Concilii Decreta demonstrant, quanto magis hæreticus erit, qui ecclesiæ detrahit authoritati, in qua Romana & omnes aliæ continentur. Opinio (sicut jam liquet) omnium mortuorum est, si opinio vocari debet, quæ idoneis confirmat authoritatibus, quia* Romanus Pontifex universali ecclesiæ subjectus *existit, neque hoc viventes negare audent. Illud autem apud aliquos revocatur in dubium,* an id quoque de generali Concilio credi oporteat. *Sunt enim aliqui, sive avidi gloriæ, sive quòd adulando præmia exspectant, qui peregrinas quasdam, & omninò novas prædicare doctrinas cœperunt, ipsumq; Summum Pontificem ex jurisdictione sacri Concilii demere non verentur. Excœcavit namq; illos ambitio, à qua non solùm hoc modernum, sed omnia usque in hanc diem schismata suborta reperiuntur; namq; ut olim pestiferam illam bestiam, quæ per* Arrium *primò quasi de infernis extulerat caput, cupiditas Episcopatus induxit; sic hodiernam hæresim illi præcipuè nutriunt, quos jam* mendicare *suppudet, quorum* alius *clamat, subditorum facta judicari à Papa,* Romanum *verò* Pontificem solius Dei reservari arbitrio. *Alius dicit, quia* primam sedem nemo judicabit, *quod neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo valeat judicari.* Alius *asserit,* ejectionem Summorum Pontificum sibi Dominum reservasse. *Alius verò asserere non veretur,* Romanum Pontificem, quamvis animas catervatim secum ad inferos trahat, nullius reprehensioni fore subjectum. *Nec considerant miseri, quia quæ prædicant tantopere verba, aut ipsorum* Summorum Pontificum *sunt, suas fimbrias extendentium, aut illorum, qui eis adulabantur. Et quia hujusmodi dicta solutionem habent, recurrunt statim ad* Evangelium, *& verba Christi, non prout Spiritus sancti sensus exposcit, sed suopte ingenio interpretantur; plurimum illud extollunt, quia Petro dictum sit* : Tu vocabere Cephas, *per quod eum caput ecclesiæ faciunt:* Tibi

Detorsio dictorum SS. ad Romanum Pontificem contra expositiones Patrum.

Tibi dabo claves Regni cœlorum. *Et:* Quodcunque ligaveris super terram. *Et:* Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. *Et:* Pasce oves meas. *Et:* Duc in altum rete. *Et:* Noli timere, jam ex hoc eris homines capiens; *quodq; soli Petro, tanquam Apost. Principi, Christus mandaverit pro se & ipso staterem dare, & quia Petrus traxit ad terram rete plenum piscibus magnis, & quòd solus Petrus ad Christi defensionem gladium evaginavit. Quæ omnia hi homines miro modo sublimant, expositionibus SS. Doctorum omninò posthabitis, quas si, ut par esset, considerarent, manifestè cognoscerent, quia ex authoritatibus supradictis* Romanus Pontifex *non conjunctim, sed separatim omnibus præest. Sed his modo præteritis, quia responsio per infrascripta patebit; quid nos à Doctissimis viris de hac quæstione audiverimus, hora exposcit, ut in medium afferamus. Illudq; in primis cupio notum, quia* Romanum Papam *omnes qui aliquo numero sunt,* Concilio subjiciunt. *Ad cujus rei probationem omnia ferè repetunt, quæ superius de Ecclesia recitavimus; competere namq;* generali Concilio *omnia putant, quæ* Ecclesiæ. *Primoq; huc trahunt illud Evangelicum:* Dic Ecclesiæ, *quo in loco scire convenit, quia,* Petro, *summo futuro Pontifici, Christus loquebatur, instruens eum, quid esset facturus circa fratris correctionem. Ait igitur,* si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus es fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum testium, vel trium stet omne verbum; quod si non audierit, dic ecclesiæ. *Quid igitur hîc per* ecclesiam *intelligemus, an fidelium multitudinem, ubique gentium dissipatam?* Jugum meum *(inquit Dominus,)* suave est, & onus meum leve; *at quomodo* leve, *si præcipit Christus, quod factu est impossibile? Quo enim pacto potuisset Petrus Ecclesiam alioqui dispersam, singulosq; Christicolas hostiatim per civitates & oppida vestigare? Alius est profectò verborum hujusmodi sensus; aliterq; interpretationem fieri oportet, quæ ut ritè à nobis fiat, duplicis personæ, quam Petrus gestavit, meminisse nos convenit,* Summi Pontificis, *&* hominis privati. *Dum in Petro* privatum hominem *cognoscimus, haud inepta est illorum expositio, qui per ecclesiam, Prælatum ecclesiæ recipiunt. Docuit enim nos Christus, ut ad Episcopos nostros recurramus, vel ad ipsum Romanum Pontificem, cùm fratres adversus nos haberemus peccantes. At cùm in Petro* Romanum Pontificem *suscipimus, ridenda magis quàm probanda hujusmodi expositio est; nec enim ad Papam, id est, ad se ipsum, vel ad Prælatum alium, hoc est, ad suum inferiorem, remittendus est Papa; fit namq; hujusmodi remissio, ut qui Papam non veretur, alium vereatur. Verùm, cùm in ecclesia nemo sit eminentior Papa, exploratum est, quia, qui Romanum Papam non veretur, alium non verebitur. Ut igitur verus & sanus maneat intellectus, vim verbis facere non oportet, planus est & perlucidus horum verborum sensus, nec suppletione, nec alteratione hic textus indiget evangelicus. Videndum nobis est, quid hoc verbum* ecclesia *significet, quod bis tantùm in ore Christi fuisse reperimus,* hîc *scilicet, & cùm Petro dixit:* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Ecclesia ergò* convocationem *significat multitudinis.* Dic ecclesiæ, *id est,*

est, multitudini fidelium congregatæ; *qui cùm non soleant, nisi in generali Concilio convenire, bellissima interpretatio erit.* Dic ecclesiæ, *id est*, dic Concilio generali; *libenterq́; hoc in passu audire vellem, si qui sint, qui propriè magis exponi hæc verba*, in Prælato *existiment*, *quàm* in Concilio, *cùm singularem hominem pro multitudine ponant, quod si admitti in sacra scriptura debeat, nihil posthac firmum reperiemus. Cæterùm, si de nostro sensu quisquis miretur, scrutari eum veteres volo codices; inveniet enim, quia nec nova, nec peregrina, nec mea est interpretatio, sed sanctorum Patrum, veterumq́; Doctorum, qui primi ecclesiam illuminarunt; ut testimonio est* Gregorius Papa, *non minus sanctimonia vitæ, quàm literarum peritia memorabilis; cujus ad Constantinopolitanum Episcopum hæc in registro verba leguntur*: Et nos quidem (*inquit*) in quibus talis, tantaque per ausum nefarium culpa committitur, servamus, quod veritas præcipit, dicens: Si peccaverit in te frater tuus, & *reliqua. Post subdit*: Si in mea correptione despicior, restat, ut ecclesiam debeam adhibere. *Quæ verba satis manifestè* ecclesiam *pro* generali Concilio *suscipiunt. Nec enim diffusam undique ecclesiam, sed in unum collectam, id est*, generale Concilium, *adhibiturum se Gregorius promittebat. Quod enim ubique diffusum est, adhiberi non possit, nisi congregaretur.* Nicolaus *etiam* Papa *Regem Lotarium de concubinatu redarguens.* Quod, si non egeris (*inquit*) præcave, ne hoc sanctæ Ecclesiæ dicamus. *Quo dicto, non se iturum per orbem, omnesq́; viritim certionaturum, Nicolaus dicebat, sed convocaturum* ecclesiam, *id est*, generale Concilium, *ibiq́; Lotharii crimen publicaturum, ut qui Romani jussa Pontificis contempsisset, generalis Concilii reverentiam pertimesceret. Possem in hanc sententiam infinitos penè citare testes, qui omnes idem saperent, sed unum pro omnibus, & præ omnibus sufficere debet* Constantiensis Concilii *testimonium; eo namq́; in loco, ubi* adversus Petrum de Luna *fertur sententia, de eo his verbis habetur mentio*, eaque in generali Concilio locum habere *dicuntur. Quibus ex verbis plus illud habemus, quia non solùm Papa in correptione fratris ad Concilium remittitur, ubi per se non potest, sed etiam ubi de ipsius Papæ correptione agitur, ad* Concilium *est recurrendum. Unde apparet, verissimam esse interpretationem nostram, quæ nobis* ecclesiam in generali Concilio *exponit. Hinc est, quòd in Actibus Apostolorum congregationes, quæ tunc fiebant, appellabantur* ecclesiæ. *In* Concilio *quoque* Nicæno, & *in aliis, cùm aliquis excommunicaretur, semper ferè subjungitur.* Hunc excommunicat Catholica & Apostolica Ecclesia. *Atque ex hoc introductus est ille* Conciliorum titulus, *quo sacrum generale Concilium*, universalem ecclesiam *repræsentare dicimus. Unde &* leges Concilii (*ut Canonistæ volunt*) & *benè volunt*, leges Ecclesiæ *nuncupantur. Nec enim alibi* ecclesia, *quàm in* generali Concilio *promulgat, nisi &* leges ecclesiæ *appellemus*, Romanorum Pontificum Constitutiones; *quod minus proprium est, quàm in Concilio: Ubi, licèt non omnes Ecclesiasticæ personæ conveniant, plurimæ tamen interesse solent; & in illis, quæ veniunt, tota residet potestas ecclesiæ. Unde in* Actibus Apostolorum *legimus*; Quia placuit Apostolis & Senioribus cum omni

Interpretatio verborum: Dic Ecclesiæ.

omni Ecclesia. *Etenim licèt illic, non essent cuncti fideles, quòd eorum pars magna hinc Antiochiæ moram traheret*, tota *tamen* ecclesia *dicitur, quia potestas in Concilio residebat ecclesiæ. Pariq; ratione edita per* Nicæum Concilium, *tanquam per Catholicam ecclesiam ordinata suscipimus, licèt non omnes Episcopi Nicææ fuerint. Nec ego minoris authoritatis* Constantiense Concilium *existimaverim, quàm* Nicænum; *licèt illic major Episcoporum numerus convenisset, quo tempore impletum erat illud Propheticum*: Quia in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Hodie verò si minores habentur Synodi, minor quoque & arctior Christiana Religio facta est, non tamen propterea minor est authoritas. Sed ne longius evagemur, illud nobis sat est, quòd per* ecclesiam, Concilium *intelligimus* generale. *Ut ergò ad institutum redeamus, Redemptorem nostrum Petro dicentem, audiamus*: Si peccaverit in te frater tuus, *usque ibi*: Dic ecclesiæ; Conciliumque *per* ecclesiam *sumamus. Quis hîc major erit, is ne, qui remittitur ad Concilium, an Concilium ipsum, ad quod Petrus remittitur? Remittit veritas Summum Pontificem ad generale Concilium. Cur hoc? Nempe, ut non dedignentur Romani Papæ aliquam in terris potestatem supra se recognoscere, quam & in rebus prægravibus consulant, & illius determinationibus acquiescant, unde &* Petrus *alio nomine Simon est appellatus, quod ut Rabano placet in Homiliis, Hebraicâ linguâ interpretatur*, obediens, *ut intelligerent omnes, etiam in Romano Pontifice necessariam esse obedientiam. Sufficere nobis* Constantiense Concilium *posset, cujus non minor authoritas fuit, quàm illorum quatuor, quæ Doctor illustris Gregorius, ut quatuor Evangelia venerari se dicit, sed libet in hac re paululum immorari, nullumq; omninò locum adversariorum temeritati relinquere, qui dum unius hominis libidinem sustinere conantur, dumq; privatum bonum communi antevertunt, incredibile est, quantas errorum nebulas excitent, adversus quos, cùm multi alii, tum præcipuè* Zacharias, Chalcedonensis Episcopus, *vir & re, & nomine excellens, armatus venit; qui cùm in Chalcedonensi sancta & magna Synodo,* Romani Pontificis sententia *sibi objiceretur*, Nicolai Papæ, *& aliorum* Patriarcharum Principem *esse* Canonem *replicavit. At* Zosimus Papa *sic de Statutis generalium Conciliorum ait.* Contra Statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem sedis potest authoritas. *Nec de Statutis Patrum, aut in urbibus, aut in heremis dissgregatorum loquitur: Illa enim Papam non ligant; sed de his, quæ in generalibus Conciliis per Patres eduntur. Quod (ut clarius liqueat)* Leonis Papæ, *omnium Romanorum Pontificum eloquentissimi, subjicienda sunt verba, qui* editionem Nicæni Concilii nulla unquam ex parte solubilem fore, *ad Anatholium scribit, quasi seipsum, & sic summum Patriarcham excludens. Damasi verò clarior in hanc sententiam est authoritas, ad Aurelium Episcopum scribentis, sicut in libro Conciliorum narrat Isidorus, cujus dignissima de autho-*

Papa libidini servientes, privatum bonum publico anteponunt.

ritate Synodali hæc verba leguntur : Quoniam blaſphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur , qui contra eoſdem ſanctos Canones , non neceſſitate compulſi , ſed libenter (ut præfixum eſt ,) aliquid , aut protervè agunt, aut aliquid præſumunt , aut facere volentibus , ſponte conſentiunt. *Cujus blaſphemiæ , an Gabriel , qui ſe dictitat* Eugenium , *ſit hodie particeps , illi dijudicent , qui eum audiunt aſſerentem , tantum à ſe abeſſe , ut* generalibus Conciliis *debeat obedire , ut ſe tunc maximè dicat mereri , cùm Concilii Decreta contemnit. Sed addit Damaſus.* Idcircò norma ſanctorum Canonum, qui ſunt Spiritu Dei , & totius mundi reverentiâ conſecrati , fideliter à nobis eſt ſcienda , & diligenter tractanda , ne quo modo ſanctorum Patrum Statuta abſque inevitabili neceſſitate , quod abſit , tranſgrediamur. *Hodiè tamen paſſim in omnibus literis Apoſtolicis* non obſtantiæ *reperiuntur , quas nulla induxit alia neceſſitas , quàm pecuniæ cumulandæ , ſed de his ipſi viderint, qui talia ſtruunt. Nos iterum ad Damaſum redeamus ; in Epiſtolis namque Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi , mentio invenitur cujuſdam Epiſtolæ , quam ipſe Damaſus ſcripſiſſe fertur Judicibus à Capuana Synodo deputatis , ubi oſtendit , ſui officii non eſſe , in cauſis manum apponere , in quibus Synodus prævenisſet , quo dicto illos manifeſtè redarguit , qui Summum Pontificem ,* Concilii Principem *dicunt ; quod ſi verum eſſet , potuiſſet utique Damaſus cauſam Bonoſii Epiſcopi ad ſe recipere terminandam , quamvis per Concilium prius cœptam. Sed quoniam* Synodus major eſt Papa , *prohibitum ſe Damaſus novit. Unde* Hilarius Papa , *ſciens* Synodum ſupra Papam fore , *ut Canoniſtas non fugit , Decreta ſua per Concilium voluit approbari. Neque in hac ſententia Doctorum omnium Doctor* Auguſtinus *deſideratur , qui ſic in epiſtola , quam ad Glorium & Eleuſium , ac Felicem Grammaticum ſcribit , caſum enarrat. Accuſabatur* Cecilianus Epiſcopus *per Donatum , & alios quoſdam.* Melchiades Papa , *cum quibuſdam Epiſcopis Cecilianum abſolvit , & in Epiſcopatu confirmavit. Illi hac ſententiâ irritati , ſciſſionem in Africæ partibus induxerunt. Increpat eos Auguſtinus , qui cùm aliud haberent remedium adverſus Papæ ſententiam , ſchiſma potius elegiſſent ; in eoſque per hunc modum invehitur.* Ecce putemus illos Epiſcopos , qui Romæ judicarunt , non bonos judices fuiſſe. *Reſtabat adhuc plenarium eccleſiæ univerſalis judicium , ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari , ut ſi , malè judicaſſe , convicti eſſent , eorum ſententiæ ſolverentur. Unde apparet , non ſolùm* Papæ ſolius , *ſed* Papæ *etiam ,* cum adjunctis Epiſcopis , *ſententiam* per Concilium *poſſe reſcindi ; plenarium ergò univerſalis eccleſiæ judicium nuſquam alibi , quàm* in Concilio *reperitur. Nec aliquem moveat , quòd*

Hilarius Papa Synodo ſe ſubjiciens.

Augu-

Augustinus de solis Episcopis *mentionem facere videatur*; *nam si textus epistolæ perlegatur*, Romanus Pontifex cum Episcopis *judicasse invenietur*. *Ex* Conciliis *etiam* Africanis *prohibiti sunt* Romani Pontifices, *ne* Appellationes illorum *audirent*, *qui à* Synodo *appellassent*; *quæ omnia* superioritatem Conciliorum *ostendunt*. *Idq; in Actibus Apostolorum liquidius demonstratur*; *ubi Petrus per congregationem Apostolorum reprehenditur, quòd ad Cornelium gentilem introisset, tanquam non liceret eum magni aliquid facere sine scitu Concilii*, *& tamen tàm sibi quàm aliis dictum fuerat:* Ite, & baptizate, *& reliqua*. *Plus tamen illud videtur urgere, quod* ad Galatas *scribit gentium Doctor* Paulus, *ubi se ideò* restitisse Petro in faciem *dicit*, *quòd* ad veritatem Evangelii non ambularet; *cujus verba, si rectè intelliguntur, nil aliud per* veritatem Evangelii *suscipiunt, quàm* Canonem Concilii inter Apostolos editum, *quoniam sic discipuli in unum congregati determinassent*; *unde ostendit Paulus, quia oportebat Petrum generali Concilio obedire*. *Cœterùm, ne ulterius hæc disputatio nos teneat, subjicienda est* Constantiensis Concilii determinatio, *quod volens ambiguitatem hujusmodi reserare, certamq; vivendi legem elargiri, solenni decreto declaravit*, omnes homines cujuscunque status aut conditionis, etiam si Papatus existerent, statutis & ordinationibus sacrorum generalium Conciliorum obedire teneri. *Et quamvis ibi quædam* restrictio *sit*, *dum dicitur*, in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem ecclesiæ in capite, & in membris, *notanda tamen est ampliativa clausula*, *quæ subjungitur* & in pertinentibus ad ea; *quæ adjectio adeò prægnans, ut omnia, quæ cogitari possunt, in ventre claudat, nec immeritò*; *cùm enim ait Apostolis Dominus:* Euntes; docete omnes gentes. *Non dixit* in tribus tantùm, *sed* docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. *Et alibi*, non istuc aut illuc, *sed*: Quæcunque ligaveritis, *inquit*. *Quæ omnia pro authoritate ecclesiæ, generaliumq; Conciliorum deducuntur*; *ad quam extollendam illa etiam veniunt*: Qui vos audit, me audit. *Et*: Vobis datum est nosse mysterium Dei. *Et*: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo. *Et*: Quæcunque petieritis. *Et*: Pater sancte, serva illos, quos dedisti mihi. *Et*: Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. *Et ex Paulo*: Dei adjutores sumus *Et*: Qui nos fecit idoneos ministros Novi Testamenti. *Et*: Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, *& reliqua*. *In quibus omnibus locis, & Christus, & Apostolus de authoritate plurium locuti sunt*; *quæ omnia ad universalis ecclesiæ præeminentiam afferuntur*. *Sed cùm ipsa nihil sparsim statuere aut ordinare queat, necessariò dicendum est*, supremam illam ecclesiæ potestatem in generalibus Conciliis, *dum tamen illa conveniunt*, *residere*. *Ideoq; observatum est in primitiva ecclesia, ut ardua negotia non nisi in generalibus Conciliis sive* Congregationibus *expedirentur*. *Idem quoque posteà factum reperimus*; *cùm enim divisæ forent ecclesiæ, & aliter atque aliter de fide Christi sentirent*, generalia Concilia *habita sunt*, *&* in Nicæno, *Arriana*, in Constantinopolitano, *Macedoniana*; in Ephesino, *Nestoriana*; in Chalcedonensi *verò Eutychianæ hæreses condemnatæ reperiuntur*;

Petrus reprehensus per congregatos Apostolos.

riuntur; quòd ad rem tantam judicium Romani Pontificis *non existimabant sufficere, longeq; vim habere majorẽ* Concilii, *quàm* Romani Papæ *sententiam arbitrabantur, quòd* istum *ut* hominem *posse*; illud *autem, in quo tot simul homines, Spiritu S. directore convenirent*, errare non posse, *dijudicarent. Pulcherrimaq; ad propositum* Marciani Cæsaris *verba narrantur in hunc modum*: Verè impius atque sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid retractandum relinquit; extremæ quippe dementiæ est, in meridie & perspicuo die commentitum lumen quærere; quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit. *Constare jam omnibus arbitror*, Romanum Pontificem subesse Concilio. *Subdubitare tamen aliqui solent*; an etiam deponi per Concilium possit, *quia etsi probatum est*, Papam subesse Concilio, *non tamen fateri volunt, idcircò posse deponi*; *de qua re non erit extra propositum pauca dissertare, inprimisq; de nostris Rabulis aliqua dicere, qui pro defensione Romani Pontificis adhuc instant, unoque victi prælio aliud instaurant, ut qui pertinaciâ magis quàm ignorantiâ contendunt, hi hoc etiam loco repeti volunt, quæ superius* de Romani Pontificis, *seu* Patriarchæ *retulimus* eminentia; *utq; sunt nonnulli magis verbosi quàm eloquentes, plurimum in eo commorantur, quod Petro veritas dicit*: Tibi dabo claves Regni cœlorum. *Et*: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; *quasi per illa verba* Princeps *fieret* aliorum. *Iterumq; illud amplificant, dum dicitur*: Pasce oves meas, *& quod aliis minimè dictum inveniunt*; *& quia dicitur*, Petrum *fuisse* verticem, *&* os collegii Apostolorum, *ideoq; rectè dictum censent*, quia nemo judicabit primam sedem, *omnesq; cum Bonifacio sentiunt, qui ait*: Nulla ex causa posse judicari, nisi deprehendatur à fide devius, etiam si catervatim innumerabiles populos secum in tartarum ducat perpetuò cruciandos; *quasi non posset aliis aperire cœlum, si alius illud sibi claudere quiret; nec rursus alios pascere, si iste indigeret pastu. Nos autem his in rebus nihil momenti ponimus, nihil omninò difficultatis meminimus; namq; quod in sermone Natalis Petri & Pauli Augustinus in hunc modum ait*: Dominus Jesus Discipulos suos ante passionem suam (sicut nostis) elegit, quos *fratres* appellavit, inter hos penè ubique Petrus solus totius Ecclesiæ gestabat personam, & propterea audire meruit: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Has enim claves non ille ut homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ. *Et alibi de agone Christiano*: Huic enim (*inquit*) ecclesiæ, claves regni cœlorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt. Et cùm ei dicit, ad omnes dicit. *Amas me, pasce oves meas. Et* Ambrosius *in principio Pastoralis*: Quas oves, & quem gregem, *ait*, non solus tunc suscepit beatus Apostolus Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & nos cum illo eas suscepimus omnes. *Quibus ex dictis Rabularum nostrorum fundamenta concutiuntur, ac penitus evertuntur, quoniam si personam ecclesiæ Petrus ferebat, non Petro, sed* ecclesiæ *potius vim illorum verborum asscribere demus. Quæ autem* Bonifacius *asserit, quo pacto subsistere queant, non video, atque ut mox dicemus, longè à veritate videntur, nisi aliter atque sonant, intelligantur. Magnum*

Pontificis per Concilium depositio legitima.

(*D*) *tamen*

Papa caput ecclesiæ ministerialiter.

tamen alicui fortasse potest videri, quòd dicitur, Pontificem Romanum caput *esse* militantis ecclesiæ; *namque ut in corpore humano nunquam suadent Medici propter aliquam ægritudinem caput abscindi, quamvis & ulcerosum sit, & quamvis morbo infectum. Sic in hoc mystico ecclesiæ corpore semper videtur caput esse custodiendum, & quamvis criminosum sit, nihilominus tolerandum. Sed converte hoc argumentum, si posset humano corpori, uno submoto capite, aliud inveniri, sicut in ecclesiastico cernimus; numquid sæpissimè ob varias ægritudines* capita *mutarentur. Præterea si sic volumus agere, ut sic se* caput ecclesiasticum *ad suum habeat corpus, sicut humanum ad suum, necessarium erit, ut extincto capite, corpus etiam extinguatur, ut in humanis corporibus cernimus; sic in absurdum venies, quòd* mortuo Papâ, mortuam *etiam* ecclesiam *confiteberis; quod quantum à veritate absit, nos non latet. Quicquid tamen dicant aliqui,* ego *cum illis non sentio, qui* Romanum Pontificem caput Ecclesiæ *dicunt, nisi forsitan* ministeriale; *nam legimus:* Quia Christus est ecclesiæ caput, non Papa. *Et illud est verum caput immutabile, perpetuum & æternum,* Romanus *autem* Pontifex *nihil plus est, quàm veri capitis locum tenens;* ecclesia *verò* ipsius Christi corpus, *cujus etiam ipse Papa membrum, Vicarius autem Jesu Christi, non in destructionem, sed in ædificationem corporis ejusdem Christi, quod est ecclesia. Quo fit, ut si* damnosus *&* destructor *reperiatur, deponi & abjici queat, non enim id agit, propter quod est institutus. Et oportet nos (sicut* Leo *inquit) Evangelici meminisse mandati, ut si nos* oculus, *aut* pes, *aut* dextera scandalizaverit manus, *à compage corporis auferatur, quoniam & alibi inquit Dominus:* Quia omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur:. *Et iterum dicitur nobis:* Auferte malum de vobis ipsis. *Justum est enim & valde justum, ut in epistola Clementis ad Jacobum fratrem Domini scribitur,* separari eum, qui salvari vult, ab eo qui non vult. *Sed ut clarius & apertius rem aperiamus, referendum est, quod apud Johannem Dominus dicit.* Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est, *inquit Dominus,* & vos estis palmites; omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet. *Verba sunt ad Apostolos dicta, inter quos etiam Petrus erat, quem etiam auferri vult, non afferentem fructum.* Hieronymus *quoque super Matthæi verbis,* sal infatuatum ad nihilum prodest, nisi projiciatur foras, & concutietur à porcis, *sic in persona Petri & Pauli inquit:* Non est facile stare in loco Petri & Pauli, & tenere Cathedram jam cum Christo regnantem. *Infatuatum sal,* id est, stultus Prælatus, insipidus in prædicando, & fatuus in delinquendo, ad nihilum prodest, nisi ut mittatur foras, id est, deponatur, & conculcetur à porcis, id est, à Dœmonibus, qui dominantur malo Prælato, tanquam pecori suo. *En clarum est Hieronymi testimonium,* projiciatur foras, *id est,* deponatur, *exponit & loquitur* de Prælato, *qui Petri locum tenet, & sic de* Romano Pontifice, *quem in*

prædi-

prædicando insipidum, *& fatuum in deliquendo*, *ex gradu suæ dignitatis deponendum affirmat*; *nec* (*ut aliqui delirant*) *propter solam hæresim.* *Apud* Isidorum *autem* Ispalensem, *in libro Conciliorum epistola quædam Clementis*, *Successoris Petri*, *ad Jacobum fratrem Domini*, *reperitur inserta*, *ubi Clemens beati Petri ad se verba referens*, *sic ait*: Si enim mundialibus viris fueris occupatus; & teipsum decipies, & eos qui te audient, non enim poteris, quæ ad salutem pertinent, plenius singulis quibuscunque distinguere, & ex eo fiet, & tu tanquam qui non docueris, quæ ad salutem hominum pertinent, *deponaris*, & discipuli per ignorantiam pereant. *Alibi tamen pro* deponaris, *invenitur* puniaris, *quæ duo verba*, *si benè intelligantur*, *non multum inter se differunt*; depositio *namque* punitionis *loco fit*. *Nec hîc objiciat quispiam*, *hanc epistolam non esse putandam Clementis*, *cùm scripta dicatur ad Jacobum*, *qui* (*sicut scholastica tradit historia*) *prius obiit*, *quàm Petrus occideretur*: *Potuit namque Clemens vivum Jacobum existimare*, *cùm scripsit*, *qui magno terrarum & maris spacio inter se distabant.* *Nec facilè Christianorum nuntii Romam veniebant.* *Præterea* hujus epistolæ *in pluribus Decretorum locis*, *tanquam* veræ, *fit mentio*, *ideoq;ue non erit abs re etiam ipsius epistolæ alia verba referre*, *ait enim*: Quia rebelliter vivit, & discere atque bona agere recusat, magis Diaboli, quàm Christi membrum esse, ostenditur, & potius infidelis, quàm fidelis esse monstratur. *Super quibus verbis*, Glossa, *quæ singularis per Panormitanum dicitur*, *& plurimum approbatur*, *ait*: Quòd si notorium sit quodcunque Romani Pontificis crimen, ex quo scandalizatur ecclesia, quod potest de illo Papa accusari, si sit incorrigibilis. Si accusari, ergò & puniri, ac exigente delicto, deponi, aliàs frustrà accusaretur. *Nullus jam superest æmulis nostris defensioni locus*, *quin* Papa deponi *queat*. *Quod licèt deductum sit*, *non tamen adhuc liquet*, an per Concilium, *quam provinciam nunc ingredimur*, *illudque nobis initio fatebuntur adversantes*, *quoniam* ab ecclesia Romanus Pontifex *potest* deponi. *Quia cùm sit Papa Vicarius ecclesiæ*, *nemo dubitat*, *quin Dominus Vicarios suos ad nutum suum possit destituere*; *nec dubium est*, *verius dici Papam*, Ecclesiæ Vicarium, *quàm Christi.* *At si* ecclesia *potest Romanum Patriarcham destituere*, *ergò &* Concilium *potest*; *namque*, (*ut supra ostensum est*,) universalis ecclesia *nihil statuit*, *nihil ordinat*, *nihil decernit*, *nisi cùm est in* generalibus Conciliis *congregata*, *tuncque* (*licèt non adsint omnes*) *sat est*, *quia vocati sunt omnes*, *quos ratio exigit interesse.* *Sed hîc quoque*, *ut fit*, ex dubio dubium *oritur*; *nam cùm* ecclesia *tàm* Laicos *quàm* Clericos *complectatur*, cur soli Clerici Concilia gerant, *quærendum videtur*; *nec enim videmus* Laicos *interesse*, *aut vocem habere in Conciliis*; *possetque aliquis arbitrari*, *quia quod dicitur*, *ecclesiam non errare*, *id ad utrumque statum*, *atque utrumque sexum referri*; *ut errantibus Clericis*, *Laici maneant*, *rursusq; viris errantibus*, *fœmellarum aliquæ in fide & veritate persi-*

 stant,

ſtant; ſed eſt erroneum ſic opinari, debemus namq; duplicem conſiderare eccleſiam *alteram quæ* Laicos cum Clericis *in ſe habet*; *alteram quæ* ſolos Clericos, *& ad* ſecundam *pertinet* docere, curare, illuminare, dirigere, corrigere, paſcere & perficere primam, *quia ſupremum in terris tribunal apud Clericos, non apud Laicos exiſtit; quod tàm ex Veteri Teſtamento, quàm ex Novo comprobatur; in Deuteronomio namque ſic ſcribitur*: Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & judicium intra portas urbis tuæ videris verba variare, ſurge, & aſcende in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quærens ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies, quodcunque dixerint, qui præſunt, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad ſiniſtram; qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat coram Domino Deo tuo, & decreto judicis, morte moriatur homo ille, & auferes malum de medio Iſrael, cunctus populus audiens timebit, ut nullus deinde intumeſcat ſuperbiâ. *Ecce ergò, quia in veteri Teſtamento ſupremum tribunal apud Sacerdotes fuiſſe monſtratur; quod etiam apud Matthæum teſtatur Dominus, dum ait Sacerdotibus Judæorum, quòd ipſi eſſent* Duces aliorum, *& ad eos ſpectaret*, ſedere in Cathedra Moſi, & docere populum, *quodq; in eis eſſet* clavis ſcientiæ. *Ex quibus verbis oſtenditur, ſupremum & maximum tribunal Judæorum in Synagoga fuiſſe, quæ res ſatis nos admonet, idem quoque in Novo Teſtamento debere ſervari, cùm Vetus fuerit typus Novi; & quæ non inveniuntur mutata, ſtare non prohibentur. Sunt tamen & hujuſmodi rei in Evangelica lege evidentiſſima teſtimonia, idq; præcipuè ex Chriſti geſtis poteſt comprehendi, qui omnia verba ſignificantia poteſtatem, ad Apoſtolos, Diſcipuloſque direxit, quos fuiſſe omnes Presbyteros conſtat, ut eſt illud*: Venite ad me, & faciam piſcatores vos hominum; *ubi* piſcatoribus *Sacerdotes, & Laici* piſcibus *æquiparantur. Diſcipulos quoque* operarios in meſſem ſuam, *id eſt, in eccleſiam conſtituit, & dedit illis authoritatem docendi & inſtruendi; unde apud Lucam mittens eos, dicit*: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Apud Matthæum verò inquit*: Euntes, docete omnes gentes. *Et alibi ad populum*: Omnia quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite, *de Scribis loquens. Taceo illud, quod eſt omnibus majus*: Quæcunque ligaveritis, *& reliqua; nam id quoque ſolis Sacerdotibus dictum reperitur; voluit enim Chriſtus oſtendere, quia ſicut in Veteri Teſtamento Sacerdotum fuit ſuprema poteſtas, ſic etiam in Novo ſervari deberet; ideoq; non ineptè Apoſtolus Paulus* Magiſtrum Gentium *ſe vocitat. Nec exiſtimet aliquis, id tunc illis tantùm fuiſſe dictum, qui perfecti erant, & quorum lux omnibus lucebat; namq; & ſucceſſoribus dicebatur, quicquid Apoſtolis & Diſcipulis dicebatur, quod authoritatem ſonaret, ſicut Ambroſius ſuper verbo*: Paſce oves meas; *& Auguſtinus de verbo*: Tibi dabo claves, *quos ſupra retulimus. Clarius tamen ad Epheſios Paulus*: Et ipſe dedit (*inquit*) quoſdam

quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus in unitate fidei omnes, &c. *Quibus in verbis ostendit Paulus, Jesum Christum, superna repetentem, ecclesiæ suæ voluisse consulere, ne in viam erroris declinaret, per nequitiam hominum seducta; constituisseq;* directorium quoddam, *ad quod foret in dubiis casibus recurrendum, idque ex Sacerdotibus ordinasse, Apostolis, Prophetis, Evangelistis, Pastoribus & Doctoribus; nec eos solùm, qui tunc erant, sed eorum etiam successores, quando dicitur:* Donec occurramus ei, *id est, in fine sæculi. Unde apud Matthæum dicitur:* Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. *Et Augustinus supra Matthæum, dum scribitur:* Tibi dabo claves, &c. *dicit, per illa verba datam esse* judiciariam potestatem, *non solùm* Petro, *sed* toti ecclesiæ, *in Episcopis & Presbyteris. Sciendum est enim (ut Clemens asserit in epistola supradicta)* Episcopos *vicem* Apostolorum *gerere, & reliquorum Discipulorum vicem tenere* Presbyteros; *sic enim prædicasse Petrum, qui à Domino didicisset, ait. Unde apparet, ecclesiæ potestatem omnimodam* in Sacerdotibus *consistere, eorumq; determinationi, & mandatis ex jussu Domini omnes homines teneri parere, quia ab eo sit dictum:* Quæcunque modò dixerint vobis, facite. *Quibus ex verbis, illud mihi consequens videtur, ut sicut* universalis ecclesia, *quæ omnes complectitur, nequit errare; sic etiam errore omni careat, quæ solos continet Clericos, quoniam si illa tenetur huic auscultare atque obedire, sequeretur, ut hâc errante, illa erraret, quod tamen nequaquam admittimus. Dicimus ergò* universali ecclesiæ, *quæ omnes Christi fideles amplectitur, potestatem omnimodam fore concessam;* Romanum Pontificem *illi subjectum, posse per ipsam benè regentem deponi, abjici, excommunicari. Rursus adjicimus, quia quæcunque illa universalis ecclesia potest, hæc etiam* Clericorum *potest, & in hac potestatis supremæ exercitium inveniri; & cùm* illa ab hac *dirigatur, illumінetur, pascatur, nefas est dicere,* hanc *fore errori subjectam; tunc enim non benè providisset ecclesiæ, sponsæ suæ. Jesus Christus, nec utile directorium instituisset, quod est omninò absurdum; veritasq; illa manet, quia* Clericorum ecclesia *errori nequaquam subjicitur. Ipsi autem* Clerici soli *habent* in Conciliis judicare; *quoniam in eis est, (ut supra diximus) clavis scientiæ, & ad eos spectat docere populum, & sedere in Cathedra Mosi. Iterum quoque sciendum est, quoniam Sacerdotes per orbem dispersi, non statuunt* Canones, *nec judicant, nisi quilibet plebem suam; tuncq; Papa omnibus major, & ipse est Sacerdos, qui ministrat coram Domino, in eoq; plenitudo potestatis existit. Ubi verò in Spiritu sancto congregantur Episcopi & Sacerdotes,* Concilium celebrantes, *licèt non omnes assint, quia tamen legitimè vocatio facta est, jam non in* Papa, *sed* in Concilio *plenitudo potestatis consistit, statimq; ut incipit* Concilium esse, *incipit* Papa superiorem habere. *Nec scio, quando ex plenitudine potestatis possit (stante Concilio) quicquam statuere, cùm jam cesset in eo ipsa plenitudo. Sed (ut in proposito maneamus) illud omninò concludimus, quia, quod* ecclesiæ universali *permissum, id quoque* ecclesiæ

Concilium deponens Papam.

Concilium habet potestatem superiorem, non Papa.

Clericorum *permittitur; & quod permittitur* ecclesiæ Clericorum, *id etiam* generale Concilium *habet commissum sibi. Quo fit, ut si universalis ecclesia, prout nemo potest negare, Romanum Pontificem deponere potest*, generale *quoque* Concilium *potest. Possumus hanc sententiam evidentioribus firmare testimoniis.* Glossa *est, quam suis in scriptis mirificè Panormitanus extollit, cujus sententia est*, generale Concilium *esse* judicem Papæ, in omnibus casibus, in quibus ille potest judicari; *sed est* Canon Synodi Constantinopolitanæ octavæ, *illius magnæ & memorabilis, & quam Gregorius inter quatuor venerari se more quatuor Evangeliorum, dicit, in hæc verba:* Porrò, si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit de sancta Romanorum ecclesia, quævis ambiguitas, & controversia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentiâ, de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere; non tamen audacter sententiam dicere contra Seniores Romæ Summos Pontifices. *Ecce ut sacrum illud Concilium Constantinopolitanum, & ab omnibus approbatum,* Seniores Romæ Pontifices judicio Synodali supponit, *nec aliquem moveat, quia non exprimitur* depositio, *dicitur enim* quævis ambiguitas; *si enim* de quavis ambiguitate *cognoscit Synodus, ergò videbit*, utrum Papa sit deponendus; *quia id etiam potest in ambiguitatem venire. At ne longius exempla petamus,* Johannes XXIII. *quem & major Christianæ Religionis pars, & ipsa Constantiensis Synodus pro Romano Pontifice venerata est, per Concilium à* Pontificio *ejectus fuit. Nec hæresis in eo condemnata est ulla, sed quoniam scandalizabat Ecclesiam aliis criminibus, sancta Synodus eum Papatu abdicandum censuit; perpetuis exinde temporibus exemplo tali proficiens, ut cessaret illorum opinio, qui tantùm* hæresim *facere locum depositioni asserunt.*

Johannes XXIII. depositus per Concilium.

Unum *tamen hîc non est omittendum, quod quidam, & boni (ut mihi videntur) & docti, ut reputantur, disputando solent tueri; adferunt enim* generalia Concilia, *nullius esse penitus efficaciæ, nulliusq; omninò momenti, nisi* Romanus Pontifex illa indixerit, *ejusq; authoritas perseveraverit in eisdem. Unde* Paschasium, *Siciliensem Episcopum, & sanctissimi Leonis Papæ Nuntium, in magna Synodo Chalcedonensi increpasse apud Deoscorum, quod ausus esset facere sine authoritate Sedis Apostolicæ Concilium in Ephesò, quod nunquam ritè factum esset, neque fieri licuit. In omnibus namque Synodis apocrypharii Apostolici decretas sententias, primò propter summam authoritatem ejusdem sanctæ sedis confirmabant & subscribebant; quia aliter nullum habebant robur, ut credit Isidorus.* Adducunt *&* aliud *ejusdem Synodi Chalcedonensis testimonium; ubi, cùm facta esset mentio* Ephesini Concilii, *omnes Episcopi damnaverunt, illud* Concilium non dicere debemus, *quoniam nec Apostolica authoritate coarctum est, neque ritè peractum. Ex quibus authoritatibus mirum in modum se putant armatos, qui fieri sine consensu Papæ Concilia negant.*

Concilia sine authoritate Papæ congregari possunt.

*Quorum sententia, si (ut ipsi volunt) inviolata persistat, ruinam ecclesiæ secum trahit. Quid enim remedii erit, si cri*minosus Papa *perturbet ecclesiam; si animas perdat, si pervertat exemplo malo populos; si denique contraria fidei prædicet, hæreticisq; dogmatibus imbuat subditos. Nullumne*

Papa Concilia refugientes, ejusque causa.

lumne hic parabimus obstaculum. Sinemusne cum ipso cuncta ruere? Quis est, qui Romanum Pontificem existimet ad sui emendationem Concilium congregare? Nempe, ut peccant homines, sic etiam impune peccare volunt. At ego dum veteres lego historias, dum Actus perspicio Apostolorum, hunc equidem usum non invenio, ut soli Papæ Concilia congregaverint; primumque omnium Conciliorum, *ubi Matthias substitutus est Judæ, non jussu Petri, sed jussu Christi congregatum invenio, qui Apostolis præcepit, ne ab Hierosolymis discederent, sed promissionem Patris expectarent.* Secundum, *de* electione Diaconorum, *non solùm Petrus, sed etiam duodecim Apostoli congregarunt, quia scriptum est:* Convocantes duodecim multitudinem. *Tertium,* de sublatione circumcisionis, & aliorum legalium, *communis inspiratio congregavit; scribitur enim:* Convenerunt Apostoli & Seniores. *Quartum verò, ubi quædam legalia permissa sunt, videtur per Jacobum fratrem Domini coadunatum; & sic discurrendo per omnia, nihil in primitiva ecclesia reperietur, per quod authoritas hæc congregandi Concilia solis Romanis Pontificibus pateat. Nec pòst,* tempore M. Constantini, *& aliorum Augustorum ad congreganda Concilia, quæsitus est magnoperè assensus Romani Papæ, ideoq;* Chalcedonensis Synodus *sic de se ait*: Sancta & magna universalis Synodus, quæ secundùm gratiam Dei, & sanctiones piissimorum, Christianissimorumque Imperatorum Valentiniani & Martiani Augustorum congregata est apud Chalcedonem Metropolin Bithyniæ provinciæ; *nec de Romano Pontifice efficit Synodus mentionem, quamvis ejus illic consensus fuerit. In hac re tamen distinguendum putarem, nec absolutè negarem Papæ consensum necessarium, nec absolutè requirerem, imò nunquam eo volente refutarem; discerem tamen, quia ad congreganda Concilia requirendus sit Papæ consensus, ne summa illius sedis authoritas & dignitas videatur contemni. Si tamen* ille resistat, *congregariq; Concilium omninò nolit,* Concilium congregari posse *putabo, eoq; modo intelligo verba Concilii Chalcedonensis; Dioscorus enim Concilium in Epheso congregans, Apostolicam Sedem contempserat, quod nullatenus licuit. Prætereà si aliqui Prælati (invito Papa) vellent Concilium facere, existimo habendum respectum ad summam Sedis Apostolicæ dignitatem, ut non sit ei paucorum Prælatorum judicium anteponendum. Ubi verò communiter inspiratio est prælatorum, unius hominis judicium cedat oportet, etiamsi Petri Successor existat. Nec illud semper video observatum, ut sine authoritate Papæ Concilium non sit habitum. Nec enim* Pisanum Concilium *Papæ alicujus authoritate & consensu congregatum; cùm & Gregorius illud abominaretur, &* Benedictus *execraretur. Idem quoque* de Constantiensi Concilio *dici potest, quod authoritate Johannis convenit, qui, quantum ad Hispanos, Papa non fuit; unde etiam consensus ejus ad congregandum Constantiense Concilium nihil operatus fuisset. Sed* dicunt aliqui, *qui Cardinales fuerunt Pisis, qui pars sunt Apostolicæ Sedis, etiam authoritatem fuisse Apostolicam; quod quàm verum sit, facilè potest percipi, quia plus est solus Papa, quàm omnes Cardinales. Ille est enim Vicarius Christi, illeq; Petri Successor, non Cardinales, in illoq; plenitudo residet potestatis, & ad eum* ligare & solvere *pertinet; utcunque est, mihi non consonat, idcircò*

Concilium invito Papa indici potest.

Pisanum Concilium, Papa refragante, indictum.

negari

negari Concilium, si Papa, quotiescunque Papa dissentit, nisi ejus spreta sit authoritas. Cur igitur in generali Concilio alia exigitur potestas, in quo est præsens divina majestas. Illud autem plus quàm fatuum est dicere, ut, postquam semel consensus Papæ fuerit, si revocetur, cessare Concilium; *quoniam non est amplius arbitrii Papæ revocare consensum; necessariumq; habet Concilio parere, cujus ipse pars,* majori parti cedere *habet. Et si se à consensu majoris partis segregat, ab* unitate ecclesiæ recedens, schismaticum *sese facit. Longius forsitan, quàm res exposceret, videor mihi digressus, multaq; præter intentionem contexisse; fit tamen sæpius, ut verbum ex verbo fluat. At, si rectè pensitemus, nihil abs re dictum; omnia namq; eò tendunt, ut* Romanum Pontificem generali Concilio subjiciant, *quod prima conclusio Theologorum habuit. Quæ, quoniam ex superioribus dictis satis explicata videtur, jam tempus est,* ut ad secundum *vela tendamus, quam primis adhuc spirantibus ventis, facilè absolvemus; namq; si verum est, ut est,* Papam subesse Concilio, *quo pacto poterit ipse* Papa invitum Concilium dissolvere, mutare aut transferre? *Quoque vultu dicemus, quia jus habeat in suum superiorem, qui est inferior? Quomodo corrigere Papam sancta Synodus poterit, si* solvi Synodus vel invita per Papam *potest? Sit Papa libidini serviens; sit auri & pecuniæ cupidus; sit bellorum ac tumultuum avidus; sit hostis ecclesiæ & Christiano infestissimus nomini, quo pacto illum redarguere Concilium poterit, si illi facultas pateat dissolvendi? Nempe, ut agi de sua correptione in Concilio Romanus Pontifex audiet, mox ad dissolutionis remedium properabit; quoniam, sicut pulchrè Macrobius inquit:* Cui plus licet quàm par est, plus vult quàm licet; *at si* dissolvendo vel transferendo *potest se* Romanus Pontifex à correptione Concilii eximere, *jam sequitur, ut supra eum Concilium non sit; aut igitur negandum est, quod supra probavimus, Papam subesse Concilio; aut dissolvere invitum Concilium negandum est Papæ; nam ut vera est prima conclusio, utique sic falsæ sunt, quæ eum impedire possunt omnes conclusiones. Maneat igitur &* secunda conclusio Theologorum, *quam licet aliqui in certis admittant casibus, in certis excludant; ego illam ubique recipio, nec unquam, aut ullo pacto dissolutionem Concilii Papæ concedo, nisi etiam concedat Concilium:* Habeat Papa quascunque causas, quascunque rationes, omnia cassa, omnia vana sunt, nolente Concilio; *namq; si causæ dissolvendæ sunt, non Papa de illis, sed Concilium judicabit, ejusque, non Papæ judicio stabit; nam si admittimus ex certis causis,* invitum Concilium *posse* Papam dissolvere, *id est,* Papam judicem Concilii facere, *quod esset primæ conclusioni omninò contrarium. Ex illis duobus, quæ supra posui, declarandis,* alterum *jam est* absolutum, alterum è *vestigio trutinabimus; probatum namq; est, &* Concilium supra Romanos *esse* Pontifices, & ab iis invitum non posse dissolvi. *Videndum est modò,* an ita credere, ex fide sit, *quæ res* tertiam *intuetur* conclusionem. *Fuerunt autem plurimi, licèt conclusiones has duas faterentur veras; dubitare tamen se dicerent,* an id esset Fidei Catholicæ veritas. *Est igitur secunda pars nobis confirmanda, videndumq; est,* an ex fide sit, Papam subesse Concilio, *quo probato,* ex fide etiam esse *patebit,* quia

Papa Concilio non parens, schismaticum *se efficit.*

quia Papa non poteſt invitum Concilium diſſolvere, *quam conſequentiam nemo ex diſputantibus refutabit. Quærendum ergò in primis eſt, quid* ipſa fides ſit,*ut ſic facilius,quid ad eam pertineat,cognoſcamus. Atque ut Tullianam prætereamus definitionem,qui ait,*fidem *eſſe* dictorum, conventorum conſtantiam & veritatem, *atque ideò* fidem *appellari,*quòd fiat, quod dictum; *nihil enim de vero Deo ſentit.* Fides, (*ut Theologi definiunt*) *eſt firma adhæſio rebus creditis ex authoritate dicentis. Si igitur credimus (ut ſupra dictum)* Romanum Papam ſubeſſe Concilio, *certè aliqua authoritas ad id credendum nos impellit,ſicq́; fides illius eſt qui hoc credit; ſed non quærimus,*utrum ex fide tantùm,ſed utrum ex fide catholica ſit.*Rurſus ergò quærendum eſt,quid ſit* Fides Catholica. *Eſtq́;* Catholica *Græcum verbum,quod Latinè* univerſale *ſignificat.Catholica ergò fides,id eſt,*univerſalis fides;*nec ideò dicitur* univerſalis, *quòd* univerſi *eam habeant,ſed quòd* univerſi eam habere *tenentur. Nec enim incarnatum Deum omnes credunt,credere tamen omnibus eſt debitum. Nec ideò deſinit* fides noſtra *eſſe* catholica,*licèt quàm plurimi adverſentur eidem. Quid enim (inquit Apoſtolus ad Romanos)* ſi quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas ipſorum,fidem Dei evacavit? Abſit. Eſt autem Deus verax,omnis homo mendax. *Credere igitur* Papam ſubeſſe Concilio,*non minus erit fidei catholicæ,quamvis aliqui aliter ſentiant. Id enim credere omnes aſtringimur,ſiquidem ex codice Evangelico ſumitur;namq́; non ſolùm,quæ* in Symbolo *ſunt annotata,nos ligant,ſed omnia quoque, quæ* ſacris *continentur* ſcripturis, *& maximè* in Evangelio, *&* Paulo, *ex quibus nec unum apicem nobis negare permittitur. At ea,quæ dicimus de* ſuperioritate Concilii generalis, *ex dictis Chriſti Jeſu noſtri Redemptoris, atque ex Magiſtri gentium colliguntur epiſtolis.Ergò ad credendum omnes aſtringunt. Quòd autem iſta ex Evangelio recipiantur,teſtimonio eſt* Conſtantienſe Concilium, *quod authoritatem ſuam ſuper illis verbis:*Dic eccleſiæ,*&:*Ubi duo vel tres,*&:* quæcunque ligaveritis, *& hujuſmodi fundatam vult. Cæterùm,ſi hæc ab Evangelio deſcendit veritas,utique catholicæ fidei veritas eſt,omneſq́; ſub pœna damnationis æternæ obligatos facit. Plus etiam (ſi licet) dico:*Omnia *equidem,quæ* generale Concilium *definit,ſub ſimili pœna tenemur credere,idq́; pulcherrimè videtur Auguſtinus aſtruere; ait enim,*quòd Evangelio non crederet, niſi authoritas Eccleſiæ ſe commoveret; Eccleſiamque *pro* Concilio *nominavit; nec enim Eccleſia ubique diffuſa, ſed in Concilio congregata, de receptione Evangeliorum ſtatuit. Eoq́; fit,ut,quemadmodum ſtrinxit nos Concilium ad credulitatem illorum,ſic & alia nobis credenda offerre poſſit. Unde* Martinus IV.*dum adhuc Conſtantiæ degeret,ſacro approbante Concilio,literas ſub plumbea bulla emiſit,quæ articulos enumerat,ſuper quibus interrogari deberent, qui* in ſuſpicionem hæreſis *incidiſſent, inter quos etiam illum ponit,* num credat ſacrum generale Concilium poteſtatem habere immediatè à Deo, ejuſque ordinationes ab omnibus Chriſti fidelibus eſſe recipiendas,*quòd ſi negaret,*hæreticus *haberetur. Quare cùm magna & ſancta Conſtantienſis Synodus veritatem illam prædicaverit de* ſuperioritate Concilii

Fides Catholica quid ſit.

generalis, *quid obstat quo minus hanc veritatem esse Catholicæ fidei fateamur. Ecclesia quippe Catholica, Constantiæ congregata, illam fidem recepit, id est, sic credidit, ex authoritate dicentis,* Christi *scilicet, & aliorum Sanctorum. Ad hoc etiam perpulchrè faciunt verba Synodi Chalcedonensis in hunc modum:* Non licet illum, qui condemnatus est ab omni Synodo, Episcopum nominare, definitio omnibus placet, hæc est definitio Patrum, qui præter ista sapit, hæreticus est. *Et iterum:* Regula est, ut ab electa Synodo non liceat appellare, hæc est fides Patrum, qui præter ista sapit, hæreticus est. *En amplissimum magnæ & sanctissimæ Synodi testimonium,* hæreticum *dicit, qui aliter sapit, quàm sapiat Concilium. At* hæreticus *nemo est, nisi qui catholicam fidem respuit; ergò catholica fides fuit, credere, quod ab delecta Synodo non liceat appellare. Verùm quo pacto id* fidei *erat* catholicæ? *nempe quia sancta Synodus Evangelica & sacra scripta pervolvens, eandem conclusionem ex verbis Christi, aliorumq́; SS. Patrum recepit. At sicut* Chalcedonensis Synodus, *ex sacra scriptura resumpsit; sic hoc, quod disputamus* Constantiense Concilium *excerpsit. Et sicut illud* catholicæ fidei *est, sic etiam istud, & præter utrumque sentiens, hæreticus est.* Delirare *illi prætereà mihi videntur, qui has veritates fassi,* veritates fidei *non fatentur; namq́; si* veritates *sunt, unde obsecro* veritates *sunt? Nempe non ex Grammatico, minusq́; ex Logico aut Astrologico; à Physico quoque aliena hæc sunt. Nec alius quàm Theologus veritatem mihi fatebitur istam, cui necessitatem sacra scriptura imponit; qui nec Christo* incredulus, *nec Apostolo* rebellis *erit. Est igitur* ex fide *catholica hæc veritas, eamq́; omnes amplecti debent, cui qui resistit pertinaciter,* hæreticus, *ut tertia conclusio asserit, censendus est. Nec durum alicui videatur* hęreticum *dici, qui* generalis Concilii potestati *derogat; quæ tàm multis testimoniis, authoritatibusq́; firmatur, cùm etiam* hæreticus *habeatur, qui Romanæ Ecclesiæ primatum aufert; qui unus ex Græcorum damnatis erroribus. Refert enim noster Panormitanus* Hieronymum *dicentem, quia qui aliter* scripturam intelligit, quàm Spiritus S. sensus efflagitat, licèt ab Ecclesia non recesserit, tamen *hæreticus* appellari potest. *Ex quo sequitur, ut qui ex verbis Christi, cùm ait Petro:* Dic Ecclesiæ, *non intelligit per* Ecclesiam generale Concilium, *aliter intelligit quàm Spiritus S. sensus exposcit, sicq́; possit* hæreticus *notari. Quòd autem sensus Spiritus S. alius sit, quàm ille putet,* Constantiensis *declarat* Synodus, *quæ per Spiritum S. directa, verba illa:* Dic Ecclesiæ, *de* Concilio generali *est interpretata.* Hisce igitur & aliis majoribus rationibus admodum multis, visæ Theologis tres sunt supradictæ conclusiones veræ, & per ipsas etiam reliquas approbarunt, studio maximè ac diligentiâ Fratris *Nicolai Gallici*, ex ordine Prædicatorum, viri & ingenio, & solicitudine admodum præstantis; cui nimirum hujusce rei expeditionem attribuo, quem si quis (ut supra diximus) videat, nequaquam tanti efficiat; sed pretiosiora nonnunquam sunt parvi corporis vascula, ut lapilli, gemmæque testantur, & illo, de quo apud Statium:

Panormitanus notatus.

Nicolai Gallici elogium.

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Satisfactum jam arbitror (quantum ingenioli mei suppetunt vires) his quæ pro-

promisimus; nec aliquem modò existimo de tribus primis conclusiones Theologorum intercesserint, referre est animus; sunt enim plurima digna relatu, & quæ posteris forsitan aliquando proderunt. Ut igitur res est à Theologis comprobata, *Examen Deputationum* successit, quarum tres sine magno negotio cum Theologis consenserunt. Quarta verò, cui de communibus nomen est, admissis tribus primis conclusionibus, de reliquis titubare videbatur; obexque ibi maximus erat *Georgius Vicensis Episcopus*, cui noviter ex Moguntia redeunti, qui nec in disputatione capitulari fuerat, persuaderi non poterat, *absque nova vocatione* Eugenium *declarari posse* hæreticum, favebatque sibi plurimum *Amodeus Lugdunensis Archiepiscopus*, non quòd ita sentiret; palàm namque in disputatione capitulari *Eugenium hæreticum* atque *relapsum* prædicaverat, sed quia timebat depositionem Papæ nimium festinari. Erantque illa in Deputatione complures, qui non modò nunc, sed semper Eugenii partibus faverant. Hęc Deputatio, ne secundùm veterem Concilii consuetudinem, à tribus Deputationibus concluderetur, omnem deliberationem suspendit; plus enim suspendendo, quàm denegando præstabat impedimenti, remque sic ad longum trahebat. Ea de causa missi sunt aliarum Deputationum Nuntii, quorum hortatu Deputatio de communibus suspensionem super tribus conclusionibus revocavit. Jamq; aderat, (ut placuit veteribus) Veneri sacratus dies, in quo solet ex consuetudine generalis congregatio haberi, fierique conclusio negotiorum extrema. Interim tamen *Mediolanensis & Panormitanus Archipontifices*, quique cum eis, vel *Regis Arragonum*, vel *Ducis Mediolani Cooratores* erant, magnoperè ad impediendum se armabant; omnesque suæ partis homines hortabantur, ut præsenti, fortique animo resisterent, omnesque qui pestem in municipiis fugerant, missis nuntiis ac literis revocabant. Vocatus est *Cardinalis Terraconensis*, qui tunc Solodori moram trahebat. Vocatus est *Ludovicus Protonotarius de Roma*, qui balnea petierat, non tantum valetudinis causa, quantum ne contra mentem suam tueri Eugenium cogeretur. Vocati sunt alii complures *Episcopi Arragonum*, qui omnes pridie quàm fieret congregatio, remearant, præter Cardinalem, qui post congregationem rediit. Ut igitur *ad generalem* deventum est *concionem*, è vestigio *Principum Oratores* affuerunt, & quasi factâ conspiratione in unam sententiam consonarunt, conclusionem pro viribus impedituri. Primus igitur *Burgensis Episcopus*, inter omnes consilio & facundiâ præstans, differri conclusionem, exspectarique alios Principum Oratores, ex Moguntia propediem redituros suadebat. Post eum *Panormitanus Archipræsul*, vir summo ingenio & scientiæ copia præditus, primusque inter sui Regis Oratores hujusmodi ferè orationem exorsus est. *Præceptum se* (inquit) *à Prophetis habere sine intermissione clamandi, qui ajunt:* Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. *Quòd si unquam in re quapiam fuit clamandum, hæc præcipuè, quæ in manibus esset, clamore indigeret, & vociferatione, cum ageretur de Statu universalis Ecclesiæ, aut præservando, aut penitus prosternendo: Se*

Oratio Panormitani.

verò in ea rè tantùm clamâsse, ut minimè dubitaret, impletum à se illud Davidicum fore, quo ait: Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ. *Velle tamen & nunc, & quoties opus ingrueret, sine ulla clamitare requie, & maximè modò in negotio perdifficili, & omnium maximo, in quo petebat* sacrum Concilium *sibi & aliis Principum Oratoribus benignas præbere aures*: Addens in omni re, *quæ ab aliquo postulantur*, quatuor *esse* consideranda, *quæ nunc quoque rogabat Patres, ut animadverterent*, quis peteret, quid peteret, cur peteret, & quis demum effectus ex petito denegato, vel concesso *proveniret. Ad* primum *dicebat, clarissimos Reges, & potentissimos Principes cum suis Prælatis esse potentes; Regem Castellæ, Regem Arragonum, Ducem Mediolani, eorundemq; Principum Episcopos*, meritaque tàm Regum præfatorum, quàm Ducis Mediolani, erga Ecclesiam *numerabat. Nec continere se potuit, cùm de* Prælatis *mentio incidit, quin aliquantisper calefieret, diceretq; apud se, fore* majorem Prælatorum partem; *namq; si Episcopi & Abbates tunc computarentur, nemini dubium esse, quin major pars differri præsentem rem vellet. Cumq; totius potestas Concilii* in Episcopis *resideret, haud ferendum esse, ut eis spretis, quod* majori parti inferiorum *placeret, id concluderetur; Apostolis namq; & eorum successoribus, qui Episcopi sunt, datas fuisse à Domino claves, dicebat, triaq;* Synodorum *genera inveniri*, Episcopalem, Provincialem, Generalem, *nullamq; sine Episcopis fieri Synodum, indignumq; sibi videri morem hunc præsentis Concilii, ubi non qua quisque dignitate polleret, sed quàm multas secum haberet voces, pensitaretur*; Episcopos *tamen juxta famosam Clementis epistolam* columnas *esse*, & claves cœli, inferiores *verò cum eis* non decisivam, consultivam tantùm *habere* vocem, *futurumq; hac vice scandalum, si sine Episcopis res fidei terminum sumeret. In quo non solùm* Episcopi, *sed etiam* sæculi Principes *admitti deberent. Et cùm ipsi* nomine Principum suorum *cuperent ad examen præsentis rei admitti, velleq; maturius singula cognoscere, haud dignam esse rem querebatur*, se contemni. Post multaque hanc in sententiam dicta, ad secundam suæ orationis partem transivit, *quid esset, quo peteretur* exponens. *Non aurum aut argentum, non lapides pretiosos, non Provincias aut Regna, non rem denique factu difficilem, otium tantùm sacri Concilii exposci, ut quiescerent Patres in processu Papæ, inq; conclusione rerum, quæ agerentur; neque id diu, sed usque ad reditum Oratorum ex Moguntia, quos brevi venturos certò sciret, rem parvam & sine magno rogatu concedendam; tùm quia nihil periculi secum ferret, tùm quòd ipsis Oratoribus Principum Moguntiæ existentibus injuriosum esset, non expectari, cùm non suas ob commoditates, sed rei publicæ tantùm causa, & pro bono pacis abessent; nec oblitum se fore, quòd ipsis abeuntibus, nomine omnium supplicassent, ne quid in eorum absentia, in rebus*, Eugenium *concernentibus, innovaretur; moxq;* tertiam orationis partem, *subjiciens quamobrem* dilatio *peteretur, absolvit, quia non propter privatam alicujus utilitatem, sed propter commune bonum, non ad perturbandam, sed ad rem melius examinandam, ut omnia cum pace & tranquillitate transirent, utq; tanto res esset firmior & stabilior,*

quanto

quanto plurium foret consensu probatior; sicque ad ultimum venit, rogitans Patres, *ut utramque partem secuturos effectus mente conciperent, sive concederent, sive negarent, quod posceretur. Etenim si negabitis* (inquit) *petitiunculam Principum, omnes indignabuntur, omnes hanc repulsam molestissimè ferent*, dicent, *in re parva à vestro cœtu se fore spretos; non obedient vobis, non recipient vestra mandata, frustra leges efficietis, nisi Principes exsequantur, in vanumq; omnes editiones vestræ transibunt, tolerandumq; hoc putarem, nisi etiam majora timerem. Quid enim si illi* Eugenio *se conjungant, qui non solùm vestra beneficia, sed vitam quoque vobis eripere cupit? Heu quas strages, quasq; occisiones oculi mentis intuentur meæ! Utinam vana sit opinio mea! At, si facilem petitionibus Principum assensum præstabitis, obligatos se vobis illi existimabunt, præcepta vestra recipient; quicquid ab eis petieritis, obtinebitur; adversarium vestrum relinquent, illum vituperabunt, illum obominabuntur; vos extollent, vos magnifacient, vobis se totos dabunt, sequeturq; optimus ille, quem quæritis, fructus reformationis & tranquillitatis Ecclesiæ*; sicque ex omnibus capitibus rogabat supersederi, tandem verò, nisi exaudiantur Principum Oratores, habere se (inquit) scriptam protestationem, quam legi coram juberet.

Finitis Panormitani verbis, Ludovicus Romanus Protonotarius, totius humani juris gnarus, assurrexit, cujus tanta memoria fuit, ut nulli veterum cedere putaretur, sive Simonidem, sive Theodacten, sive illum, qui à Pyrrho missus ad Senatum venit, Cyneam sive Carneadem Seriphium, Metrodorum, Hortensium, sive qui horum ultimus fuit, Lucium Senecam, de divinitate memoriæ commendemus; erat enim memor omnium, quæ ipse unquam aut legisset, aut audisset, nec oblitus erat eorum aliquid, quæ ipse vidisset. Nec ut cæteri Jurisconsulti principia legum in disputando allegabat, sed quasi Codicem legeret, sic textum memoriter referebat. Vir non Roma tantùm, sed cœlo dignus; & cui nemo mortalium comparandus videretur; non admirationi, sed stupori futurus omnibus populis, si (ut æquum videbatur) ætatis tempora duplicasset. Sed invidit fortuna Italiæ; nec tantum scientiarum lumen crescere passa est. Immisit pestiferum morbum; virumque vix trigesimum egressum ætatis annum, abstulit; nec plus horis sex & triginta finit ægrotare, visusque non transitus ille hominis, sed furtum. Quis enim virum adeò juvenem, adeò robustum, tàm brevi morulâ expirare putasset? Sed fuit mors damnosior morte cujusvis Regis; quippe quòd Regi hæres succedit in Regno; viro autem adeò docto nullus superest in literis hæres. Sed dum Cardinalari vir benè meritus manet, apud Carthusiam tumulatur. Is ergò laudatis Panormitani dictis, venisse se pridie ex balneis dicebat, rem sibi novam videri, quæ tunc in medium deduceretur; cupere in ea audire se alios, & audiri ab aliis, suique Principis nomine interesse discussioni eos, qui Moguntiæ fuissent, expectandos esse, & ad rei examen admittendos, qui & Prælati essent maximi precii, & potentissimorum Principum Oratores; nec abhorrere se, quod Panormitanus dixisset, *de vocibus inferiorum*, nec à veritate sibi alienum videri,

Ludovici Protonotarii elogium, ejusque ob præmaturum obitum deploratio.

deri, *solos Episcopos decisivam vocem habere in Conciliis*; & licèt aliqui suum Achillem in hac disputatione arbitrarentur, quod Actuum 15. scribitur, se tamen nihil exinde moveri, nec momentum in eo facere, quamvis dicatur: *Visum est Spiritui S. & nobis*; ubi & Apostoli & Seniores fuerunt; per quod videtur, alios cum Apostolis habuisse vocem decidentem; dicebat enim, non esse argumentum ex Gestis Apostolorum sumendum, quorum exempla miranda essent magis quàm imitanda; nec ibi petere, quòd Apostoli vocassent Seniores ex debito, solumque narrari eos interfuisse, ex quo nihil inferretur; videri autem sibi inferiores in Basileensi Concilio tantùm ex gratia fore ad decidendum admissos cum Episcopis; quia potuissent Episcopi authoritatem suam aliis communicare, in his tamen quæ contrariæ forent, uno contradicente, nihil fieri posse; adducebatque virum maximæ authoritatis Cancen. Episcopum in testem, qui nullam incorporationem inferioris populi æquo animo sustinuisset; ideoque nec alios inferiores, nec seipsum, qui nondum esset Prælatus, vocem habere decidentem in Concilio. Quare cùm esset res magna, quæ tractaretur, & Prælati tunc contradicerent, rogabat Concilium, ut Oratores Principum ex Moguntia exspectando faceret de necessitate virtutem. Fuit ejus oratio eò molnstior, quò plures erant suis contacti verbis, maximeque in eo sibi est adclamatum, quòd dixerat, *Apostolos non esse imitandos*; id enim, quasi blasphemiam omnes impugnarunt. Mirari tamen hîc aliquis possit, quòd vir tantus, & tanta scientia fretus, non plura dixerit, nec adduxerit meliora; sed est ignoscendum memoriæ hominis, qui nec libens, nec lætus in hac re loquebatur, quique nihil magis cuperet, quàm quod peteret non impetrare. *Cathumensis* exinde, ac *Bosianus Episcopi*, qui & ipsi Regii Oratores erant, paucis habitis verbis in sententiam Panormitani declinarunt. Vicem autem magni & potentissimi Ducis Mediolani solus tunc Archiepiscopus Mediolanensis gerebat, vir & literis & consilio promptus. *Albiganensis* enim Episcopus, & *Franciscus Barbavaria* nondum ex Moguntia repedaverant. Is ergò (ut est Hieronymianus, & illius facundissimi Doctoris imitator) adductis Magistri sui plerisq; authoritatibus, supersederi magnoperè suadebat, omnem præcipitationem inimicam consilio, omnemque festinantiam detestatus, maximèque vultu & gestibus rem præsentem abominari se ostendebat; tandemque nisi exaudiretur & suo & principalium suorum nomine, protestari in adversum se dixit. Mox secuti *Dertusensis & Gerundensis Episcopi*, ac *Segobricensis*, electus Abbas montis Arragonum, & nonnulli alii ejusdem dignitatis homines, Panormitani sententiam comprobaverunt. *Parmensis* verò *Episcopus* ad Mediolanum accessit. *Eleemosynarius* quoque, qui posteà Basileensem fugiens pestem, Zofingen confugit, ibique in oppido Zuitzerorum intra Lucernam & Basileam obiit, vir in omni hominum numero recipiendus; & *Martinus Devera*, doctus & constans, ambo Regis Arragonum Oratores, collegæ sui Panormitani, dictis se confirmarunt. Tunc alii Arragonenses & Cathelani ferè omnes, quisque pro se loqui volentes (factâ præfatiunculâ) Regis se sui votis annuere dicebant; videbaturque res astutiâ præordinata, ut vel sic tempus redimerent, conclusionemque differrent.

Ubi

Ubi autem complures ſunt auditi, & Cathalanorum longus ordo finivit, *Ludovicus Cardinalis Arelatenſis*, vir omnium conſtantiſſimus, & ad gubernationem generalium Conciliorum natus, Oratorum omnium qui locuti fuerunt, verba reſumpſit; verſuſque primitus ad Caſtellanos, plurima de ipſorum erga S. Concilium devotione diſſeruit; ſimiliterq; de Cathalanis ac Lombardis. Poſt rem ingreſſus, *negotium* (inquit) *iſtud*, Reverend. Patres, *novum non eſt, nec hodie aut pridie inchoatum. Jam plures hebdomadæ ſunt, quibus concluſiones hujuſmodi inter Magiſtros diſputatæ, & Moguntiam aliasq; in orbis partes deſtinatæ ſunt; poſt in Capitulo hujus eccleſiæ iterum ſex continuis diebus viritim, & maturè diſcuſſæ; ex hinc non ſine magno intervallo in ſacris Deputationibus approbatæ; & ſicut veritas non quærit angulos, omnia palàm & publicè geſta ſunt. Nec poteſt aliquis ignorantiam prætendere; nec* Prælati *aut* Principes *contemti ſunt, omnes qui aderant Baſileæ, vocavimus; omnes ut intereſſent ſumus hortati; & quoniã de magno illo & potentiſſimo Rege Caſtellæ mentio facta eſt, quis eſt, qui neſciat Regis ipſius Oratores interfuiſſe*, Burgenſem & Ebrunenſem *Epiſc. viros prudentiſſimos, tum ſcientiæ atque eloquentiæ copiâ præſtantiſſimos? Tu quoq;* Panormitane, *qui Regis Arragonum ſereniſſimi vicem geris, bis in Capitulo affuiſti, bis egregiè atque acerrimè diſputaſti; bis, quod ſentires in hac re, aperuiſti. Quid eſt, quod amplius expectari deſideras? Ex territorio Ducis Mediolani* Archiep. Mediol. *affuit, qui licèt Orator non ſit, qualis tamen quantusq; Prælatus habeatur, non ignoratis.* Cumque ita dixiſſet, commotus aliquantiſper Archiep. *haud melius* (inquit) *præſidentis locum tu tenes*, Arelatenſis, *quàm ego Oratoris Ducalis.* At Cardinalis ut eſt patientiſſimus injuriarum: *Hoc eſt* (ait) *quod mox volebam; namq; ſi Orator eſt Archiepiſcopus, nulla omninò ſupereſt ſuo Duci querela, qui Oratorem ſuum in rerum diſcuſſione habuit. Taceo de reliquis Principibus, quoniam nec ipſi conqueruntur.* Rex tamen Chriſtianiſſimus Lugdunenſem inter diſputantes virum maximum & graviſſimum habuit. Cæteri verò Principes, cur hac in re debeant expectari, non video, qui Concilium ad ea, quæ ſunt fidei, congregatum ſcientes, nequaquam abſurdum putant, dubia fidei in Concilio declarari, ad quæ ſi voluiſſent adeſſe, jam dudum veniſſent. Quanquã nec illud eſt omninò verũ quod Panormitanus dicit, ſeculares Principes admitti debere ad rem fidei, ſi ad decidendum intelligit; & licèt Martianus Imp. dicat: *Nos a. ad fidem confirmandam volumus intereſſe Synodo*, quæ verba totiens Panormitanus in mediũ producit. Subjungendum tamen eſt quod ille ſubjungit; ait enim: *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam exercendam volumus ſynodo intereſſe*, ut eo vel maximè dicto metum adimeret eis, qui ejus præſentiam violaturam Concilium arbitrabantur, quod ſi noſtri hodie Principes facerent, jam utique res eſſet, quam quærimus, expedita. At moderni aliqui Principes, cùm nequeant per ſe minari, qui abſunt, per Oratores inferunt metum; ſed viderit de his Deus. Res autem præſens, cur tanta diſcuſſione indigeat (*ut aliqui volunt*) non intelligo; etenim, ſi ritè memini, ſæpe hoc idem, quod concluſiones ſonant, Panormitanus hoc in loco aſſeruit, ſæpè etiam Ludovicus. Si quis eorum cõtradicere pergat, eveniet ei, quod Didymo, quo nemo (ut Quintilian⁹ ait) plura ſcripſit; qui cùm hiſtoriæ cuidam, tanquam varæ repugnaret,

Ludovici Cardinalis Arelatenſis oratio.

oblatus est liber ejus, qui eam continebat, sic & si duo viri, quamvis doctissimi atque eruditissimi sint, suis tamen scriptis poterunt confutari. Sunt prætereà Epistolæ Synodales, & Decreta hujus Concilii, hujusmodi referta conclusionibus. Quid igitur est, quod queat difficultari? Quid est, quod impugnari possit? An nunc ponemus in dubium, quod est toties prædicatum, asservatum, decretum? Verùm, ajunt Oratores, abesse principum, qui Episcopi sunt, & quorum præsentia authoritatem majorem redderet. Sed absunt, non solùm qui Moguntiam perrexerunt, imò & alii penè infiniti, per orbem omninò dispersi, quos si exspectare omnes oporteat, nihil unquam poterit expediri. Vocati sunt omnes ad Concilium, venire potuerunt, si volebant, qui assunt, iis est commissa potestas, hique tractare negotia debent. At si dicitur, hos rei publicæ causa abfuisse, nempe eos nos non misimus, potiusque invito quàm volente Concilio, illuc iverunt; quòd si etiam à Concilio missi fuissent, non tamen ita ligatæ essent manus nostræ, quin reformare possemus Ecclesiam; aliter verò nihil unquam in Concilio fieri posset; cùm enim semper sint per Concilium missi aliqui, semper essent expectandi aliqui, ideoque aut nihil agere oporteret, aut nullos extra destinare Prælatos. Quòd autem Prælati, & præsertim Episcopi contemnantur, id est à vero remotissimum; namque ut cernitis, ii primi sedent, primi loquuntur, primique ad omnia vocitantur; & si scitè veraciterque loquantur, facilè inferiorum omnium ad se trahunt sententiam. Nec forsan absonum fuerit dicere, *nullam unquam fuisse Synodum, quæ magis quàm ista potestatem Episcoporum ampliaverit*; etenim quid hodie erant Episcopi, nisi umbræ quædam? Quid plus illis restabat quàm baculus & mitra? Nunquid pastores sine ovibus dici poterant, cùm nihil in subditos statuere possent? Nempe cùm esset in Ecclesia primitiva Episcoporum summa potestas, hodie ad id venerant, ut *solo habitu* & *redditibus* superarent Presbyteros: At nos eos in statu reposuimus pristino; nos beneficiorum collationem ad eos reduximus; nos eis confirmationem electionum restituimus; nos causas subditor. eisdem reddidimus audiendas; nos eos, qui jam nō erant Episcopi, fecimus Episcopos. Quid est quòd Episcopi ab hac se Synodo contemni asserant? Quidve unquam molestum eis, aut injuriosum fecimus? At dicit Panormitanus, quia cùm sint *plurimi Episcopi secum, pauci verò contra, non est à multitudine inferiorum habenda conclusio*; meminerit tamen ipse Panormitanus, quoniam non est novus hic procedendi modus, ordinem procedendi ipsum, sibi Concilium ab initio dedit, nec unquam posteà immutavit; tibique hoc aliàs, Panormitane, placuit, cùm multitudo te sequeretur, nunc, quia non sequitur, displicet. Sed non sunt Decreta Conciliorum, ut voluntates hominum, mutabilia. Scias prætereà, quia illi ipsi Episcopi, qui verbo tecum sentiunt, mente non sentiunt, nec illud in angulis dicunt, quod publicè dicunt. Timent, quod eis domi dixisti, displicere se regi, nisi tuam sequerentur sententiam. Timent vim Principis, spoliariq; temporalibus formidant; neq; (ut in Conciliis fas est) liberam habent vocem, quanquam & ipsi, si veri essent

Epi-

Episcopi, si veri animarum Pastores fuissent, animam ponere pro suis ovibus, non dubitarent, nec largiri Ecclesiæ, matri suæ, suum sanguinem vererentur. Sed est hodie, proh dolor! rarus in terris Prælatus, qui temporalia spiritualibus non præponat, quorum amore detenti, Principibus magis quàm Deo placere student, ad Deum quidem in angulis, Principes verò in publico confitentur, de quibus in Evangelio Dominus: *Omnis ergò* (inquit) *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Et è converso non confitebitur illum coram Patre suo Dominus, qui veritus est coram hominibus Dominum confiteri. Nec etiam illud verum est, quod ait Panormitanus, plures Episcopos secum fore; sunt enim plures hîc Procuratores Episcoporum, quos ipse non dinumerat, quia secum non sapiunt. Neque in Concilio (ut ipse ait) *dignitas Patrum*, sed *ratio* spectanda est; nec aliquid est, quod in singulis rebus spectari magis quàm veritatem conveniat. Nec ego cujusvis Episcopi mendacium, quamvis ditissimi, veritati pręponam, pauperis Presbyteri. Nec dedignari Episcopus debet, si aliquando ignarus & rudis sequacem non habeat multitudinem; & si vox inopis Sacerdotis, docti tamen & acuti, suæ præponitur; habitat namque sæpius in sordido palliolo, quàm in pictis vestibus, sapientia. Nec vos rogo, Episcopi, tantoperè inferiores contemnite; primus enim, qui pro Christo obiit, quique viam aliis ad martyrium aperuit, non Episcopus, sed tantùm Levita fuit. Quod verò Ludovicus & ipse Panormitanus astruunt de vocibus Episcoporum, id nescio unde habeant, neque id unquam solutum invenio; ipsi, sicubi repererunt me, ut commoneant obsecro. Atque (ut veterum Conciliorum referamus exempla) in omnibus illis interfuisse minores cum Episcopis inveniemus; & licèt Ludovicus Apostolorum exempla nobis interdixerit, ego illorum potissimùm in Actibus sisto. Quid enim est, quod magis sequi nos deceat, quàm Ecclesiæ primitivæ doctrinam & consuetudinem? Dicitur ergò in Actibus Apostolorum quinto decimo: *Visum est Spiritui S. & Nobis*, quod verbum Nobis, ad eos quippe refertur, qui fuerant anteà nominati, Apostolos & Seniores. Nobis ergò Apostolis scilicet & Senioribus. Neque hoc verbum *(visum est,)* consultationem illic, sed decisionem significat. Unde apparet, alios quàm Episcopos habuisse vocem decidentem. Alibi quoque in eisdem Actibus, cùm essent Apostoli magnum aliquid tractaturi, nequaquam ausi sunt per se definire, sed vocaverunt *Duodecim* multitudinem. Dicit autem Ludovicus, non patere illic, quòd Apostoli ex necessitate vocassent alios. At ego ad eum dico, *unde tu scis*, quia *non ex necessitate* vocarunt? Sed cùm utrumque incertum sit, nihil prohibet imitari Apostolos, quia cùm omnia ad nostram doctrinam scripta sint, apparet, voluisse Apostolos nobis exemplum dare, ut in rebus arduis inferiores admitteremus; ideoque in Conciliis posteà celebratis, reperimus interfuisse Presbyteros. Atque in Concilio Nicæno, quod est omnium famosissimum, Athanasius nunc tantummodò Presbyter fuit, ipseque ferè solus argumentationes disturbavit Arrianas; fuerunt & alii Presbyteri; & cùm

ſcribitur de trecentis & duo de viginti Epiſcopis, non tamen negatur de inferioribus, quos ideò puto obmiſſos, quòd eſſent penè innumerabiles, fitq;(ut ſcitis) denominatio plerumque à magis dignis. In Synodo verò Chalcedonenſi, quæ & ipſa ex quatuor prioribus cenſetur, ſexcenti ſacerdotes fuiſſe dicuntur, quæ appellatio tàm Presbyteris eſt quàm Epiſcopis communis. In aliis verò Conciliis ſæpe omiſſo nomine Epiſcoporum Sacerdotumque, ſola fit mentio *Patrum*, qui idem ſignificant, quod in Actibus Apoſtolorum *Seniores*. Habemus etiam eccleſiaſticæ teſtimonium hiſtoriæ, Romæ adverſus *Novatianos*, qui ſe ſuperbo nomine *Catharos* appellabant, Concilium fuiſſe congregatum ſexaginta Epiſcoporum, & totidem Sacerdotum, & aliorum Diaconorum; cumque Paulus Antiochenus Epiſcopus, qui fuit Galieno imperante, Chriſtum *communis naturæ hominem* prædicaret, Concilium adverſus eum in Antiochia convenit; ad quod venerunt Epiſcopi ex Cęſarea Cappadociæ, ex Ponto, ex Aſia, ex Hieroſolymis, & multi alii Epiſcopi & Presbyteri ac Diaconi; & dicitur propter hoc pluries celebratum eſſe Concilium, ultimumque in eodem loco Aureliano imperante; ubi Paulus damnatus eſt ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt Eccleſiiis Chriſti, nec ullus magis eluſit atque confudit Paulum, quàm Malchion, Presbyter Antiochenus, qui oratoriam artem in Antiochia docuerat. Sed quid ego in hac re diutius immoror? Concilii Toletani V. hæc ſunt verba: *Poſt ingreſſum omnium Epiſcoporum, atque conſeſſum, vocentur deinde Presbyteri, quos cauſa probaverit introire, nullus ſe inter eos ingerat Diaconorum; poſt hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe, & coronâ factâ de ſedibus Epiſcoporum, Presbyteri à tergo eorum reſideant, quos tamen ſeſſuros ſecum Metropolitanus elegerit, qui utique & cum eo judicare vel definire aliquid poſſunt.* Nec aliquis *Concilium* illud *provinciale* tantùm aſſeveret fuiſſe; ipſum enim Concilium de ſe loquens: *Quoniam* (inquit) *generale Concilium agimus*; fueruntque ibi Epiſcopi ſexaginta ex Hiſpaniis Galliiſque. Sed movent forſitan *Panormitanum* & *Ludovicum* Chalcedonenſis Concilii verba, ubi Epiſcopi de Conſtantinopolitana quadam congregatione, quæ *Flavianum*, & quoſdam alios depoſuerat, dicunt; nam milites magis eos depoſuerunt quàm nos, quia quicquid egimus, terrore compulſi fecimus, ipſi primi ſubſcripſerunt Clerici; quare clamant *Synodus Epiſcoporum* eſt, non *Clericorum*. Quæ verba ſi ſanè intelligantur, inferiores nequaquam excludunt, duo namque ibi queruntur Epiſcopi; alterum, quod in Conſtantinopoli non erat libertas; alterum, quòd primi ſubſcripſerant Clerici, quorum utrumque mali exempli fuit. Quare nimirum, ſi illud negatur fuiſſe *Concilium*, at dicitur *Synodus Epiſcoporum*, non Clericorum; nempe hoc non excludit omnes inferiores, ſed eos tantùm, qui ſolius primæ tonſuræ ſunt Clerici, quos etiam nos excludimus, ſervantes, quod Toletanum præcepit Concilium, *duodecim viros ad examen incorporandorum* ſtatuentes. Prætereà non dicitur ibi, quòd illa ſint verba Concilii, ſed Epiſcoporum, quòd illic *aliqui*, ut hîc Panormitanus & Ludovicus loquebantur. Sed ne per devia longius peregrinemur, habemus *ad tutelam inferiorum* apertiſſima teſtimonia. Maximus ille quidem, & omnium Theologorum Ariſtoteles Auguſtinus Epiſcopus, ſuper lite-

ram Matthæi Evangelistæ, dum ait Christum dixisse Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum*. Nimirum (ait) per illa verba, *judiciariam potestatem* datam esse *non solùm Petro*, sed *aliis etiam Apostolis*, & *toti Ecclesiæ* in Episcopis & Presbyteris. Si ergò judiciariam potestatem habent Presbyteri in Ecclesia, quid eos prohibet in Conciliis vocem habere terminativam? Augustino autem etiam consonat elegantissimus Doctor Hieronymus, cujus super epistolâ Pauli ad Titum hæc sunt verba: *Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, & Ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum Concilio Ecclesiæ gubernabantur; est enim* Presbyter, *qui &* Episcopus. Unde Episcopi cognoscere debent, se magis consuetudine, quàm dispensatione dominicæ veritatis, Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere. Alibi autem idem Hieronymus in ea, quæ est ad Damasum de gradibus Ecclesiasticis epistola in Episcopis *Dominum*, in Presbyteris *Apostolos* representari dicit. Atque ubi rationem Hieronymus nullam afferret, videte, quid homini tribuam, ipsa authoritate me frangeret. Sed hoc etiam ex Paulo colligimus ad Titum, qui tantam in *Episcopos* & *Presbyteros* convenientiam facit, ut ipsos *Presbyteros* appellet *Episcopos*. Ex quibus lucidè constat, non esse Presbyteros à conventu Episcoporum, ac determinatione rerum arcendos; & si (prout Hieronymo placet) Episcopi sunt *solâ consuetudine* prælati Presbyteris, utique fieri potest, ut consuetudinem contraria tollat consuetudo; at si Presbyteri debent Ecclesiam Dei cum Episcopis in commune regere, satis notum est, quòd ad eos quoque decidere res spectat Ecclesiæ dubias. Unde est Apostoli Pauli clarissimum testimonium; namque si (ut ipse ad Ephesios inquit) *Christus instituit Apostolos, Prophetas, Pastores, & Doctores ad onus ministerii, ædificationem Ecclesiæ*, usque quo sibi occurramus, hac ratione, ut non sit fluctuatio in diversitate doctrinæ, quis dubitat aliis quoque cum Apostolis Ecclesiæ gubernationem esse concessam? Taceant (obsecro) si nostri Satrapæ, nec plus sapere velint quàm sapere oporteat. Constantiensis Concilii recens memoria extat, ubi & plurimi ex nobis fuerunt; & ego etiam, qui nondum Cardinalis nec Episcopus, sed tantùm Doctor eram, interfui, vidique sine difficultate inferiores cum Episcopis ad decisionem rerum admitti arduarum: Nec pudere nos debet, maximam illam & sanctissimam Synodum imitari, quæ & *Pisanum Concilium*, & illud amplissimum *Lateranense* secuta fuit, in quibus judicasse cum Episcopis Presbyteros, non est ambiguum. Præterea si Abbates (ut in omnibus Conciliis observatum videmus) vocem habent decisivam, qui tamen non fuerunt à Christo instituti; cur non Presbyteri, quorum ordinem Christus per Discipulos instituit? Ex hinc si soli Episcopi vocem habeant, id demum fiet, quod nationi placebit Italicæ, quæ sola nationes alias in numero Episcoporum aut superat, aut æquat. Utcunque est, opus Dei hac vice fuisse autumo, ut inferiores ad decidendum reciperentur; revelavit enim ea nunc Dominus parvulis, quæ sapientibus abscondit. En horum *inferiorum* zelum, constantiam, rectitudinem, magnanimitatem videtis. Ubi nunc Concilium, si soli Episcopi, solique Cardinales vocem habuissent? Ubi nunc Conciliorum Authoritas? Ubi fides Catholica? ubi Decreta? ubi

Reformatio? Nempe omnia libidini Eugenii ac temeritati jam diu commiſſa fuiſſent; victorque nefandiſſimi propoſiti ſui ille fuiſſet, niſi quos modò ſpernitis inferiores ſibi reſtitiſſent. Hi ſunt, qui privationem ab Eugenio factam contempſerunt. Hi ſunt, qui minas, qui ſpolia, qui perſecutiones ipſius flecti fecerunt. Hi ſunt, qui capti, qui incarcerati, qui fuſtibus cæſi pro veritate Concilii non timuerunt. Hi ſunt, qui (licèt dati prædæ quòd Eugenium ferrent) remanere tamen in S. Concilio voluerunt. Hi ſunt, qui famem, qui bellum, qui peſtem ſæviſſimam non formidarunt. Quid tandem eſt, quod hi homines pro juſtitia S. Concilii non æquo animo tulerint? Audire potuiſtis, medias inter tribulationes *inferiores* iſtos, altâ voce dicentes: *Etſi omnes devaſtatori Eccleſiæ obediunt Eugenio, & diſcedunt unuſquiſque à veritate fidei & ſanctorum Patrum inſtitutionibus, & conſentiunt mandatis Eugenii, nos quidem, & fratres noſtri conſtantes erimus, & pro veritate fidei, & ſanctorum Patrum traditionibus mori non dubitamus*; quod & verè fecerunt; nec enim aut minis territi, aut ſpoliis mutati ſunt; nec eos metus, nec ſpes ulla, à ſancto propoſito divertit. Quod utrum Cardinales effecerint (ut meo de ordine loquar) vos cernite. Epiſcopi autem, quos ſolos Panormitanus habere vult vocem, videtis, quàm pauci nobiscum ſunt; & illi ipſi, qui præſentes adſunt, haudquaquam virtute valent irrumpere iniquitatem, extimeſcunt terrenam faciem potentis, & ponunt ſcandalum in agilitate ſua. Audiſtis hodie vota Prælatorum; audiſtis, quòd omnes voluntati Regis dixerunt ſe acquieſcere, nullus Dei. At ipſi *inferiores*, ipſi ſunt, qui juſtitiam, qui veritatem, qui denique ipſum Deum præ oculis habuerunt, habendaque his gratia eſt, quòd tales ſe Dei Eccleſiæ præſtiterunt. Sed quid ego *inferiorum* defendo cauſam? Ipſos quoque Epiſcopos volunt nonnulli à noſtro conſortio excludere, qui ſine poſſeſſione Eccleſiæ ſunt, quos vocitant *Titulares*, neſcientes miſeri, quia, dum iſtos repellunt, ipſum quoque Petrum & alios Apoſtolos damnant, quos diu ſine magna plebe fuiſſe conſtat. Nec unquam aut tota Roma Petro, aut tota Hieroſolyma Jacobo paruit; quo tempore non *plebs*, ſed *plebeculæ* in Chriſto credebant; etenim per immortalem Deum quid eſt quod ab his Epiſcopis requiramus? Non habent populum; at hoc ſine culpa ipſorum eſt. Non habent redditus, ſed non pecunia facit Epiſcopum; & *beati* ſunt (ut inquit Dominus) *pauperes ſpiritu*. Nec divites prima Eccleſia vidit Epiſcopos; nec ſuis expulſos ſedibus Dionyſium Mediolanenſem, Euſebium Vercellenſem, aut Hilarium Pictavienſem, vetera Concilia reſpuiſſent, quamvis & pauperes & exules, & ſine plebe manerent. At ſi verum fateri volumus aptiores pauperes quàm abundantes, judicio ſunt faciendo, quòd horum divitiæ timorem, illorum paupertas libertatem afferunt. Nec illi pauperes Tyrannidem timent, ut noſtri divites, qui umbris, delitiis, otio ac deſidiæ dediti, negare potius Chriſtum volunt, quàm aſſuetis carere voluptatibus; quoſque non populus, ſed redditus facit Epiſcopos; quique amantes divitias, omnes pauperes exiſtimant infelices. Sed nihil melius intervenire ſapienti poteſt (*ut Cicero ait*) quàm fortuna exigua. Unde &

Veritas

Veritas in Evangelio dicit, quia facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare regnum cœlorum. Sed (ut ad Panormitani verba maturius explicanda descendam) omittere statui duo illa, quæ in prima orationis fronte proposuit: *Qui petant, & cur petant?* Fatemur namque maximos esse, potentes, & de Ecclesia (ut ipse asseruit) optimè meritos; nec dubitamus sincerâ eos intentione ad petendum moveri. Utrum autem parum sit, quod petitur, & an effectus (*quos ipse dixit*) resultare debeant, inquirendum est. *Supersessio* (inquit) *petitur, dilatio ad paucos dies poscitur*. Res levis, res modica, res concessu admissioneque facilis. Attendat hic tamen Panormitanus aliquantisper, *dilationem* in *re fidei* postulat. Jam declaratæ sunt veritates, jam discussæ, jam ordinatæ, paululum si supersedeatur, longissima fiet mora; sæpe enim momenti transitus, anni est transitus. Multa nobis hîc exempla suppetunt. Hannibal apud Cannas victoriam potitus, si è vestigio Urbem petisset, omnium judicio cepisset Romam; quia tamen in crastinum distulit, restituto Romanis vigore, exclusus est, & audire meruit:

Vincere scis Hannibal, uti victoria nescis.

Galli quoque *Senones*, Româ captâ, Capitolium obsidentes, dum tenacius aurum exposcunt, moramque in paciscendo trahunt, à Camillo invasi turpiter expelluntur. Sed quid ego vetera evolvo, cùm nostra nobis exempla sufficiant? Scitis vos ipsi, quoties hæ vobis *dilationes* nocuerint; quotiesque mora paucorum dierum, longissimum traxit spatium, qui jam octavum annum *in dilationibus* agitis; semper dilationes ex dilationibus vidistis emergere. Illud tamen considerare cupio Panormitanum, quia conclusione hac die turbatâ, vix scio an unquam amplius haberi queat, multa possint oriri impedimenta, multa nasci obstacula. Nec ipse Panormitanus dicit (hac morâ obtentâ) velle se cum Collegis hujusmodi conclusionibus adhærere, mandatumqe ad id habere se negat; & quod est magis ponderandum, Oratores ex Moguntia reversuros, talia posse afferre dicit, propter quæ Conclusiones hujusmodi omittantur, quasi aliquid esse possit veritate præstantius, & propter quod à veritate discedamus; quæ res manifestissimè ostendit, quia non moram ad examinandas melius sed ad impugnandas validius, conclusiones exposcunt. Hæc circa effectus, quos ipse commemorat, re negatâ sive concessâ emersuros, cum Panormitano convenio. Nec video cur Principes hanc dilationem tantoperè quærant. Nullæ super hac petitione sunt literæ Principum. Nemo est qui noviter ab his veniat, nec ipsorum interest, nisi ut res fidei terminetur. Illa autem perniciosa conclusio est, quam Panormitanus retulit, & ab illis religiosissimis Principibus, minimè expectanda, dum ait: *Si ipsis complaceamus, eos nobiscum futuros; si minus ad Eugenium defecturos, nobiscum omninò rebellaturos.* Mirum verbum, mira conclusio, & prorsus indigna, quæ à tanto viro dici debuerit; Constantiensis Decreta Concilii sunt, omnes homines, cujuscunque status aut conditionis existant, statutis & ordinationibus generalium alligari Conciliorum. Ad id Panormitani verba non sonant; non enim

Concilio Principes, ſed Principibus vult obedire Concilium. Heu tempora! heu mores! heu Reverend. Patres, quo ſumus jam miſeriarum redacti! Quo pacto unquam obtinebimus Papam Chriſti Vicarium, & alium in terris Chriſtum, Chriſtianorum ſubeſſe Concilio; ſi Concilium ipſum mundanis debet obedire Principibus? Ne obſecro talia de Principibus illis ſperate, ne credite illos matrem ſuam ſuppeditaturos Eccleſiam. Non putate eos tantoperè à veritate alienari, ut juſtitiam ſupprimi velint. Concluſiones, de quibus agitur, veriſſimæ ſunt, probatiſſimæ ſunt, ſanctiſſimæ ſunt, ſi eas reſpuant Principes, non nobis, ſed S. Scripturæ, & ipſi Chriſto ſe opponent, quod nec eos credere, nec Panormitanum dicere decebat. Duriſſima enim (ut pace tua dicam Panormitane) verba fudiſti; nec aliud viſus eſt quærere, quàm Patribus iſtis timorem incutere; niſi enim Principibus pareamus, pericula & diſcrimina admodum magna commemoras. Vos autem reverendiſſimi Patres, eos nequaquam timebitis, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Nec veritatem relinquetis, etiamſi oporteat veſtrum ſanguinem Eccleſiæ elargiri; nec enim remiſſiores aut tepidiores pro Matre noſtra Eccleſia & fide Catholica eſſe nos decet, quàm Martyres illos Dei ſanctiſſimos, qui Eccleſiam in ſuo ſanguine fundarunt. Etenim cur nobis mori pro Chriſto ſit grave, qui tàm diram, tamque acerbam pro nobis ſuſtulit mortem? Qui cùm eſſet immortalis atque impaſſibilis Deus, mortalem induit hominem; & (ut nos redimeret) crucis ſubire tormentum non formidavit. *Ponite ante oculos veſtros ipſum Apoſtolorum Principem Petrum, ponite Paulum, Andream, Jacobum, Bartholomæum: Et, ne de ſolis loquamur Epiſcopis, quid Stephanus, quid Laurentius, quid Sebaſtianus, quid Fabianus? Alii cruci affixi, alii trũcati capite, alii lapidibus obruti, alii exuſti carbonibus, alii aliis tormentis & duriſſimis cruciatibus excarnificati, pro Chriſto obierunt. Hos, obſecro, imitemur, nec ſi volumus Epiſcopi eſſe, & in honore ſuccedere, martyrium formidemus. Heu noſtrum effœminatum animum! Heu puſillanimum populum! Illi olim mortem contemnendo, gentilem mundum, & idolorum cultorem* Chriſtianum *fecerunt. Nos ignaviâ noſtrâ, & nimiâ vitæ cupiditate, Chriſtianam Religionem ex orbe toto ad angulum redegimus; & timeo, ne hoc, quod reſtat modicum, puſillanimitate amittamus, ſi* Principibus (*ut Panormitano placet*) defenſionem & regimen Eccleſiæ *committamus. Sed eſtote vos viri fortes, ac robuſti in hoc tribulationum tempore, nec mortem pro Eccleſia repudiate, quam pro Roma Curtius, pro Thebis Menotheus, pro Athenis Codrus, libenti & cupido animo tulit. Excitare enim nos non ſolùm Martyres poſſunt, ſed ipſi etiam gentiles, ut mortis timorem abjiciamus. Quid Theramenes ille* Athenienſis, *quàm læto animo, quamq; ridenti vultu venenum bibit? Quid* Socrates *ſanctiſſimus ille Philoſophorum, nunquid aut gemens, aut plorans ſorbillavit aconitum? Sperabant illi, quod nobis eſt quidem exploratiſſimum, non quippe moriendo mori, ſed vitam præſentem, cum meliore commutare. Erubeſcere profectò ipſi debemus, tot exemplis commoniti, tot literis imbuti, tàm pretioſo Chriſti ſanguine redempti, tantoperè mortem fugere. Non duos aut tres tantùm homines, ſed* legiones (*ſcribit Cato*) *ſæpe*

alacres

alacres in eum locum profectas, unde redituras se minimè arbitrarentur; pariq; animo Lacedæmonii in Thermopylis occiderunt, de quibus Simonides:

Dic hospes Spartanos, te hic vidisse jacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Nec credite Lacedæmonios *non ex proposito ad mortem ivisse, quibus Dux Leonida:* Pergite (*ait*) animo forti Lacedæmonii, hodie fortasse apud inferos cœnabimus. *At ego* (Optimi Patres) *non ad inferos, ut ille, sed ad ipsos cœlites, & infinita paradisi gaudia vos invito, si mortem pro veritate sustinere potestis, vosq; his* Principum minis, *si minæ sunt ullæ, objicere. Vos ad illam æternam gloriam accerso, ubi nihil unquam deest, nihil à suo statu tollitur, aut declinat; ubi omnia bona atque perpetua exuberant; ubi nemo eget, nemo invidet, nemo furatur, nemo rapit, nemo proscribit, nemo jugulat, nemo moritur, ubi omnes felices, omnes unanimes, omnes immortales, omnes sunt semper æquales, ubi quod unius est, omnium est, & quod omnium, singulorum. Quæ si præsenti animo considerabimus, nimirum Panormitano respondebimus omnes, quod Cyrenensis Theodorus respondisse traditur, Lysimacho Regi crucem minitanti, qui:* Istis quæso (*inquit*) ista horribilia minitari, Purpuratis tuis; Theodori quidem nihil interest, humi ne, an sublimé putrescat. *Sic & nos* Principibus, *si qui minentur, nec enim suos timebimus cruciatus. Quid ad nos vita longior? Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ perfecto functus est munere; & si claræ mortes pro patria oppetitæ, non solùm* gloriosæ *Rhetoribus, sed etiam* beatæ *videri solent, quid de his dicemus, quæ pro patria omnium patriarum* Ecclesia *sustinentur? Nimium est, quod æmuli nostri,* Reverendissimi Patres, *sibi de vobis suadent; vos enim timidos, ignavos, desides, ac vecordes arbitrantur, vobisque ideò Principes objectant, quòd vos famem, sitim, exilium, mortemque pro Ecclesia non judicant sublaturos. Sed non erit vobis (ut existimo) durum, pro vita æterna facere, quod pro divitiis transitoriis faciunt* Nautæ, *qui se ventis & mari committunt, incredibilesque procellas perferunt. Pernoctãt venatores in nive, in montib. in sylvis, & uri se frigoribus patiuntur, nec aliud eis est præmium, quàm vilis fera. Quid vobis (obsecro) faciendum, quibus laborum merces est paradisus? Pudet me nostræ ignaviæ, cùm lego fœminas, & ipsas quidem juvenculas, cœlum martyrio rapere; nos autem solo mortis nomine exterreri.* Undecim millia virginum, *qui nostram alluit urbem, ad martyrium Rhenus evexit.* In India, (*ut inquit Cicero*) *cùm est vir aliquis mortuus, mulieres, quæ ejus fuerunt, in certamen judiciumq; veniunt, quam plurimum ille dilexerit (plures enim singulis solent esse nuptæ) quæ est victrix, læta, prosequentibus suis, unà cum viro in rogum imponitur. Illa victa, mœsta discedit, ut quæ mori, quàm vivere præoptasset. Quem animum nos hodie pro Christo sumentes,* Panormitano *haud secus respondebimus, quàm Philippo* Lacedæmonii, *qui cùm per literas minitaretur, omnia se prohibiturum, quæ ipsi molirentur, quæsierunt, num esset etiam mori prohibiturus. Namq; ut estis viri præstantes, sic virtute vestra utemini, quæ semper libera est, & semper invicta. Cognoscitis enim, quia data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, quia interrogabit opera vestra,*

& co-

& cogitationes scisćitabitur, cui (ut rationem reddatis bonam) curabitis, judicantes rectè, & custodientes legem justitiæ, & in omnibus non secundùm hominum, sed secundùm Dei voluntatem ambulabitis. Cumq; Oratores *ubique* Eugeniani *novam doctrinam prædicent*, Romanum Pontificem supra universalem Ecclesiam extollentes, *ne ignorantium animæ capiantur*, Conclusiones tres primas *publicare non omittetis, Apostolum Paulum imitati, qui Petro ad veritatem Evangelii non ambulanti, neque ad horam cessit.* Cæteras *verò quæ ipsum solum respiciunt Eugenium, ne* Panormitanus, *neve alii* Principum Oratores *plus debito clament, in præsentiarum differetis.*

Oratores Eugenii novam doctrinam prædicantes.

Hîc cùm *Arelatensis* fecisset loquendi finem, omnes in eum affixis vultibus, admirationem stupore prodebant: Deinde laudare; hic memoriam, ille doctrinam, hunc esse unum, qui longissimè præsideret, qui & confutare objecta nosset, & (ut Præsidentem decet) impenetrabilem se convitiis exhiberet. At *Cathelani*, quoniam *negari* sibi *dilationem* viderant, ne *Concordata duodecim virorum* legerentur, strepitu ac vociferatione obstabant; magno conatu studentes, ut lecturam Concordatorum *protestatio*, quam Panormitanus effecerat, præcederet. Nec res sine violentia fuit, cùm nec mandata Præsidentis reciperentur, nec ordo in rebus agendis solitus custodiretur; erat namque ubique clamor, ubique strepitus, ubique jurgia effundebantur. Nunc *Panormitano*, nunc *Ludovico* sermo erat; nulli tamen sine festinantia loqui licuit. Episcopi cum Episcopis, inferiores cum inferioribus verbales habebant rixas, omniaque contentionibus & probris insonabant. Quæ cùm vidisset *Ludovicus, Patriarcha Aquileiensis*, vir non minus animi constantiâ, quàm generis (qui Dux est) nobilitate præstantissimus, ex quo zelo, quem ad Ecclesiam gerit universalem, versus ad Panormitanum & Ludovicum Protonotarium: *Ne credite* (inquit) *rem sic abire, Germanorum nescitis mores, nempe, si sic proceditur, nequaquam fas erit integris hanc provinciam exire capitibus.* Quo verbo, veluti cœlesti fulmine tacti, Panormitanus, Ludovicus ac Mediolanensis, uno impetu assurgentes: *Libertas* (inquiunt) *nobis eripitur? En quid est, quod frangenda nobis capita Patriarcha minatur?* Versique ad Johannem Comitem de Tierstein, qui tunc locum Protectoris tenebat, scisćitati ab eo sunt, *an protegere Concilium vellet, omnesq; in libertate tutari.* Aderant etiam Cives ex Senatu Urbano, provisuri, ne quid scandali oriretur, servaverunt enim semper hunc morem Cives, ut in omni negotio adesse curarent, quod pariturum dissensiones arbitrarentur, illud præcipuè adcaventes, ne qui tumultus fierent, neve aliæ quàm verbales rixæ; miraque adeò sapientia sunt, ut nemo usque hodie querelam adversus eos habuerit violatæ per eos fidei. Servarunt enim, dum fuere præsidentes Eugenii, quod publica fides continuit; & rursus Concilio nulla in parte defuerunt. Quare si usquam sunt cives quippiam de universali Ecclesia benè meriti, ea profectò laus Basiliensium fuerit. Hi ergò cum Johanne Comite præsentes in Conventu Patrum, signum servandæ libertatis dederunt. Comes autem, tametsi rerum novitate permotus; nec enim arbitrari poterat, tàm multas esse inter prudentes

Conturbatio Concilii.

Ludovici Patriarchæ sermo.

Dux de Teck in Suevia.

Basileensium civium laus.

dentes

denteis homines contentiones, per interpretem tamen respondit, *bono ut animo essent omnes, quoniam Imperialem salvum conductum ad unguem servari faceret. Nec Patriarcham, nec alium quenquam, aut violare libertatem, aut auferre securitatem promissam à Cæsare, ausurum. Rogare tamen se* (inquit) *Patriarcham, ut verba revocaret sua, utq; nihil deinceps tale admitteret.* At illustris ille pater, omnique negotio sui generis præsagium ostendens, nihil turbatus, nihilque irritatus, *Johanni de Bachenstein*, Auditori Cameræ, viro & gravi & facundo, & cujus opera in multis legationibus Concilium sæpe est usum, utiliter intentionem suam explicandam commisit. Is mentem Patriarchæ illam fuisse asseruit, ut non alicui comminaretur, aut Conciliarem perturbaret libertatem, sed ut commoneret Patres ad constantiam, utque recordarentur promissæ toti mundo reformationis, neve unum hodie, aliud cras dicerent; quoniam si sic agerent, periculum esset, ne laici reformationem sperantes, in clerum delusi surgerent. Ideoque monere, ut periculum patres præcaverent, nec sic Concilium re infecta desererent, petereq; ipsum veniam, si dicendo, vel in Concilium, vel in Panormitanum, vel in alium quempiam deliquisset. Quo facto, verum esse ostendit, quod vulgò dicitur, Nobilitatis sororem fore humilitatem, quæ duo illo in homine pulcherrimè apparuerunt. Nequaquam tamen patriarchalis humilitas clamores extinxit, sed quoties legendi *Concordati* fiebat mentio, toties major strepitus ac vociferatio impedientium extollebatur. Eamque ob causam venerandæ authoritatis *Amodeus Lugdunensis Archiepiscopus, Galliarumq; Primas*, Zelo fidei tactus, quam tunc impediri supprimique cernebat. *Habeo* (inquit) *reverendissimi patres, non parvam loquendi occasionem; septem nanque, aut eo plus annis, apud vos sum, nec unquam rem sicuti nunc, miraculo similem vidi. Nunc autem stupenda cerno miraculorum signa parum ne est claudos ambulare, mutos loqui, & pauperes evangelizare? Unde (obsecro) tam repens mutatio? Unde tam citò, qui domi jacebant, surrexerunt? Quis auditum surdis, quis mutis sermonem præbuit? Quis evangelizare pauperes docuit? Video hic novam turbam, pluribusq; invisam mensibus. Novos aspicio prælatos, qui usque in hanc diem tacuerunt, nunc loquaces sunt facti; nunquid hoc est miraculo simile? Utinam tamen ad veritatem defendendam, non ad Justitiam impugnandam venissent! Illud autem majus omni miraculo videtur, quoniam viros omnium doctissimos,* Conclusiones nostras *impugnare video, quæ certæ & verissimæ sunt, & ab illis, qui eas nunc reprobant, aliàs approbatæ. Nec vos fugit*, Ludovicum Protonotarium *has veritates Lovanii ac Coloniæ prædicasse, easq; illinc universalis studii authoritate firmatas reportasse. Quare si ipse nunc mutatus est, veritas tamen non est mutata. Ideoq; vos rogo, obtestorque, ne aures his præbeatis, qui quamvis doctissimi sunt, eam tamen, quæ omnes virtutes decorat, constantiam non habent.* Quo finiente, ilicò Ludovicus assurgens: *Verum est* (ait) *illas me apportasse veritates; vos tamen eas* fidei veritates *nuncupatis, quæ adjectio mihi subdubia est.* Cumque hoc dixisset, quærebat Arelatensis, ut *Concordatum viro-*

Amodei, Lugd. Archiepiscopi Sermo.

rorum duodecim legeretur, pluresque sibi in auribus sibilabant, ne sententia flecteretur.

Panormitanus verò, ut cæptum est legi *Concordatum*, assurgentibus secum Collegis & aliis Arragonensibus altissimè clamans, quoniam planè & moratè loquens exaudiebatur nemo. *Vos* (ait) *Patres nostras contemnitis preces, Reges & Principes contemnitis, prælatos contemnitis, at cavete, nedum omnes despicitis, ab omnibus despiciamini, vultis concludere, sed vestrum non est concludere. Nos prælatorum major pars sumus, nos Concilium facimus, ad nos concludere spectat. Egoque nomine prælatorum supersedendum esse concludo.* Quo verbo tantus exortus est clamor, quantus solet in præliis tubarum clangor, & equorum fremitus audiri, cùm signis collatis, duo invicem concurrunt exercitus. Alii quod Panormitanus effecisset, execrantur, alii probant, faciuntque diversa studia, diversas contentiones. Tumque *Nicolaus Amici* ex Parrhisiensi schola Theologus, cui id ex officio videbatur incumbere; *Appello à tua ista conclusione* (inquit) *Panormitane; ad præsens; sedensq; pro tribunali, Concilium nec aliquid censendum esse, quod fecisti, affirmo, probareq;, si expediat præsto sum.* Videbatur jam pars obstantium, meliori esse loco. Ipsi enim jam concluserant. Pro parte verò alia, nec conclusum erat, nec concludi posse inter tam multos clamores sperabatur. Inter tot tamen strepitus, turbulentasque vociferationes non defuit spectato & optimo Viro *Johanni Segovio*, ex Gymnasio Salamantino Theologo, audientia, quoniam & illum Conciliares avidi audiebant, quasi ex suis unum, & alii virtutem hominis, summamque bonitatem etiam inviti venerabantur, tanta est enim virtuti innata authoritas, ut etiam in hoste colatur; verumque illud Vergilianum in eo fuit:

Tum pietate gravem, ac meritis si forte virum, quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant:

Omnes namque (ut assurrexit Johannes) silentium tenuerunt. Ille autem postquam desiderari sua verba cognovit, sic exorsus est. *Cogit me*, (inquit) *Viri Patres, Zelus domus Dei, ut loquar, vellemque hodie aut cæcus fuissem, ne ista quæ fiunt cernerem, aut surdus, ne quæ dicuntur, audirem. Quis enim vel tam saxeus, vel tam ferreus esse potest, ut à lachrymis temperet, cum sic* authoritas Ecclesiæ *laceratur, cum sic nobis & huic sacro concilio libertas eripitur, cumq; nullus jam videatur locus veritati relictus? ô bone Jesu, cur sic tuam dereliquisti sponsam? Aspice jam tandem populum tuum, juva nos, si justa petimus, venimus huc, necessitati Ecclesiæ consulturi. Nil nobis exposcimus, studium nostrum est ut veritas elucescat. Veritates in sacris deputationibus approbatas nunc concludere sperabamus. Adsunt* Principum Oratores, *differri conclusionem exposcunt; nos autem memores eorum, quæ ad Valentinianum imperatorem scribit Ambrosius, in hunc modũ:* At certè si vel divinarum seriem scripturarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa inquam fidei solere Episcopos de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?

Oratio Segoviensis.

Ex-

Ex urgentissimis causis petitionem non admittimus. Eos tamen (ut libuit) longissimè sermocinantes, benignè & patienter audivimus: Nunc si nostrum velit aliquis loqui, interrumpitur, impeditur, perturbatur. Quæ ista honestas, quæ modestia, quæ gravitas? licet ne sic in Concilio facere? Ubi nunc Toletani Decretum Concilii? ubi nostra Decreta, nedum tumultus, sed confabulationes minimas prohibentia? Dicunt, quia contemnimus eos, *& ipsi sunt, qui non solum contemnant Concilium, sed colaphizant. Minimum verbum contra eos loquutus est Patriarcha, idque non mala intentione; & statim* de libertate fracta *queruntur, se autem, cum vim Concilio faciunt, cum loqui Præsidentem prohibent, cùm legi ordinationes impediunt, non judicant libertati contraire, ajunt se esse* Concilium, *& tamen* Concilio supplicant. *Hac ego nequaquam intelligo*, si sunt Concilium, *cur supplicant sibi? aut* si non sunt Concilium, *cur ipsum Concilium loqui non patiuntur? cur responsum ejus, à quo petitur, non expectant? Nimia est hæc violentia. At certè nimia est patientia nostra, qui tales excessus in facie sustinemus Ecclesiæ; nos utiq; non ipsi.* Nos *sumus quibus est* ablata libertas. *Sed ajunt*, quia non debent inferiores aliquid judicare, & quia non licet nobis cum minori Episcoporum parte aliquid agere, quamvis Concilii major pars simus. *Quod si verum esset, plurima ex vestris Decretis ruerent; illud præsertim quod* de provincialibus & Episcopalibus synodis *promulgastis. Quod cùm non placeret prælatis*, Cardinalis Sancti Angeli, *tunc præsidens, vix quinq; associatus Episcopis cum majori parte inferiorum conclusit, licet Episcopi admodum multi obstarent, quod tamen decretum & vos reputatis validum, & una cum aliis Eugenius in adhæsione recepit; sic & in omnibus fere Decretis contigit, quæ pompam aut ambitionem Episcoporum refrenant. Habetis præterea in adventu* Alexandri Abbatis Virgiliacensis, *qui primus omnium huc venit incepisse Concilium, quamvis nullus adhuc comparuisset Episcopus; idq; fatetur in adhæsione Eugenius. Id ergò quod isti ajunt, nil aliud est, quàm funditùs hoc Concilium evertere; sed est satis huic parti ab Arelatensi responsum. Illud tamen ab* Episcopis *cupio impetratum, ut si fateri nos velint, eos* Apostolis succedere, & claves Regni cælorum habere, *fateantur etiam ipsi, quod per Apostolum dicitur, Christum superna repetentem*, alios Apostolos, alios Evangelistas, & alios pastores, atque Doctores *instituisse* ad opus ministerii, in ædificationem Ecclesiæ; *namque sicut Episcopi Apostolis succedunt, ita & nos* Theologi *succedimus* Doctoribus & Presbyteri Pastoribus, *atque aliis alii, voluitque Salvator noster per istos in communi Ecclesiam gubernari. Unde apparet vanum esse, quod isti prædicant, de* inferiorum exclusione. *Illud verò me magis angit, illudq; mihi molestissimum est, quod singularis ingenii, & admirandæ doctrinæ* Panormitanus, *sine ullo Deputationum discussu conclusit, sine duodecim virorum examine, sine scrutinio, sine ullo ritu cõclusit. Quod nisi oculi mei essent judices, nunquã alteri referenti de tanto viro existimassem. Nec adhuc scio, an mihi satis credam, ita est mihi res visa horribilis. Nec enim video, conclusio sua qua subsistat authoritate, nisi forsitan sui Regis,*

quem ait sic velle, vos tamen Patres, cavete, ne talem consuetudinem introducatis; quia periculosior esset, quàm pernitiosum illud Decretum, *quod vos soletis* parvum *appellare. Illud enim* Legati Apostolici *& alii complices in Deputationibus proposuerunt, votorumq; certum numerum habuerunt, scientes, qui secum, & qui contra se forent. Hoc autem in confusione sit, quod si transeat impunitum, majora admodum scandala suscitabit quàm illud; fietque ut in omni negotio,* pauculi discrepantes prælati, *unum habeant, qui pro eis concludat. Scitis præterea quia* solius præsidentis *est* concludere, *solumq; uno in casu ad alios successivè conclusio devoluitur, quando qui præsunt juxta voluntatem quatuor aut trium Deputationum, & Concordata virorum duodecim, nolunt concludere; quod an modo contingat, vos cernitis, & ipse etiam qui conclusit, optimè noscit, Panormitanus; qui licet differendam veritatem multis (ut sibi videtur) rationibus astruat: ego vos rogo patres* amplissimi, *ut Apostolum imitemini qui (sicut Arelatensis pulchre retulit) neq; ad unam horam Petro cessit, veritatem Evangelii deferenti; succurrendum est subito in facto fidei, nec ulla res majus discrimen ex negligentia, quam fides patitur. Hæreses namq; nisi in ipso ortu extirpentur, haud facile tandem adultæ tolluntur. Quare (obsecro) succurrite festinanter, ferte citò auxilium, date vela, impellite remos. Quid hic aut* prælatos *expectemus aut* Principes? *Quærenda non est alia potestas, ubi præsens est divina Majestas. Prædicant ubique terrarum hæreses* Eugeniani, *nec illis aliquis dicit, ut supersedeant. Vobis autem qui veritatem publicare intenditis, mille susurrant, ut sileatis, magnum est hoc vestræ bonitatis indicium.* Benedictum *olim* sanctissimum Monachorum patrem; *ajunt Monasterium quoddam sanctorum virorum visitantem, infinitas dæmonum vidisse catervas qui cum sanctis patribus confligantes, bona, quæ illi patrabant opera, perturbare conabantur; mox* nundinas *in permultis mercibus, multisq; contractibus frequentes adeuntem unicum duntaxat Dæmonem, eumq; tristem & otiosum in specula quadam constitutum aspexisse, miratumq; Benedictum, quod* locum Sanctum, & orationi deditum *dæmonibus plenum,* locum *autem* Prophanum *& perjuriis, aliisq; delictis occupatum, ab uno tantum dæmone custoditum invenisset, adjurasse dæmonem, ut sibi causam proderet, illumque respondisse:* Locum sanctum expugnatione Dæmonum indigere; qui autem sua sponte peccarent, his non esse opus fraude diabolica. *Quod mihi videtur* Eugenianis *contingere; vos autem in conflictu estis; tantùm rogo, ut ad victoriam festinetis, nec curetis has Principum minas, hasq; hominum adversantium contumelias.* Quia beati estis (*inquit Dominus*) cùm maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *En quid nobis (oro) tantoperè objiciuntur Principes, an non potens est Dominus Deus noster eripere nos de camino ignis ardentis, & de manu Principum liberare? Ne obsecro* patres, *ne obsecro* fratres, *minorem habete in Christo Iesu fiduciam, quàm Sedrach, Misach, & Abdenago, qui senem Nabuchodonosor Regem minimè timuerunt. Sciantque ipsi Prin-*

Principes, quia dominator excelsus in regnum hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud. Est desuper Deus cuncta perspiciens. Est, est, inquam in medio nostrum, quid trepidatis? Estote viriles, & præbete vos murum pro Ecclesia Dei. Ne sinite (obsecro) fidem sub vestris manibus deperire. Adest Deus omnipotens, adest, qui vos protegat, nolite timere, qui corpus tantummmodo quærunt occidere, facite judicium & justitiam, ac confidite, quia non tradet vos Dominus in manus calumniantium. Iterum dico vobis: estote viriles, Ecclesiamque matrem vestram, defendite. Tibi autem præsidens *dico, quia oportet te magis Deo, quàm Principibus complacere. Quare si hinc sine conclusione abeas rationem te hujus rei in districto Dei judicio redditurum scito*, nec plura loquutus resedit.

Interea complures gravissimi viri Panormitanum exhortabantur, ut sua conclusione discederet. Instabatque magnopere *Burgensis Episcopus*, ut si posset, inter discordes patres concordiam sereret, & qua ipse sibi perpetuo fruitur, elargiri pacem aliis satagebat. Sed neque Patribus Conciliaribus sine conclusione discedere, neque Panormitano mutare sententiam cordi erat. Nec minus cessurum sibi Concilium Panormitanus opinabatur, quam si ipse *Concilii locum* teneret, *Concilium* verò suum. Quam inter contentionem paululum nactus audientiæ *Lugdunensis* conclusionē Panormitani nullius esse momenti, nec revocatione indigere, quod foret omninò nulla, dixit; utilē tamen sibi videri dilationē, si forsitan uti Burgēsis dixerat, agi de concordia patrū posset. Fuitq; ipsius oratio haud gratia Collegis Panormitani, qui, ut audiverunt, vili pendi suam conclusionē, illico assumentes, asseverabant illam valere, seq; Conciliū facere; fiebatq; continuò major strepitus, nec audiri lectio ulla poterat. Maximusq; illa die omniū bonorū virorū timor fuit, ne plus impedientes possent, quàm ipsū Concilium; resq; magno in periculo videbatur, ne perseverantes adversarii usque ad noctem verba protelarent, quod unum moliri videbantur, ut ea saltem die vincerent. Juvit tamen Deus Ecclesiam suam, nec plus *Eugenium* in Concilio, quàm *ipsum Concilium* posse voluit. Erant turbata omnia, nec (ut solebant) suis subselliis prælati insidebant, sed ut quenque trahebat affectio. Illi *Arelatensem* isti *Panormitanum* adibant, & quasi Principē quique suum, aut exercitus Imperatorē, adhortabantur. Jamque in vesperum dies ferebatur; Cùm assurgentes ex locis suis *Lausanensis Episcopus*, vir inter omnes oculatus, & prudens; *Nicolausq; Grossetanus*, plus Concilio, quàm sibi prospiciens, Arelatensem petierunt, territantes ipsū si sine conclusione assurgeret. Nuncque *Franciscus de Fuxe*, nunc *Andreas Hispanus*, professione minores, & gradu Theologi auribus Arelatensis imminebant, intantumque illū premebant, ut nec animū resumere paterentur. *Laurentius* quoque *Rocella* infestus Arelatensi: *Quid dormis nunc præsidens?* ait, *ubi animus tuus? ubi versutiæ tuæ? Quid times, quid somnias?* Ille autem (ut agnovit rē in periculo esse) nec rectā conclusioni viā patere, utendum astu censuit, utque tumultum aliquantisper, componeret: *Habeo* (inquit) *Sanctissimi Patres, novas ex Francia literas, quæ mihi auditu stupenda enarrant, incredibiles illic novitates sunt, eas si au-*

res mihi præstatis benignas, mox vobis exponam. Quare & silentium subitum impetravit, & artificio miro attentos animos audientium reddidit; utque liberum sibi dicendi campum patere vidit, sine fabula, sine ulla historia fuit, literarũ sibi missarum seriem reseravit; exinde (prout Oratoria exigit insinuatio) pedetentim ad causam rediens, *Eugenianos Nuntios* implesse Galliam dixit, qui *novam doctrinam* prædicantes, authoritatem Romani pontificis supra generalia Concilia *magnifacerent*, quibus (nisi citò occurreretur) fore ut pluribus fidem facerent; idcirco oportuisse Sacrũ Concilium, de remedio cogitare, necessarioq; jam veritates, de quibus ageretur examinatas, ut per eas Eugenianorum temeritas refunderetur, quæ licet essent numero bis quatuor, non tamen fuisset intentio Patrum omnes concludere, sed tantum priores tres; prout se (inquit) in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti concludere. Atque his dictis lætus alacerq; consurgens, ab omnibus suæ partis hominibus summè probatus & laudatus recessit. Et alii quidem eum, alii vestimentorum fimbrias deosculabantur, secutiq; ipsum com plurimi, prudentiã ejus magnopere commendabant, qui licet origine esset Gallicus, Italos tamen hac die sũma homines astutia superasset. Cõmunis tamen omnium opinio fuit, hoc Spiritus sancti magis, quam ipsius Arelatensis opus fuisse. Cæteri verò alterius factionis homines, qui mente alienati, inclinatisq; capitibus domũ quisq; suam perrexerunt; nec insimul recedens, nec se invicem salutantes, ut eos victos cujus libet vultus ostenderet, plus quoq; in vulgus de Panormitano relatũ est, illum scilicet, postquam domũ venit, in cubiculum se recepisse, secumq; de Rege suo questum, quod eum adversus veritatẽ pugnare cõpelleret, & suam famam, suamq; animã ire perditum mediasque inter lachrymas obdormivisse, nec usque ad vesperas præ mæstitia sumpsisse cibum, ut qui nec ignorans, nec volens veritatem oppugnasset.

Eadem die reversus est *Cardinalis Serraconensis*, vir & animo, & consilio quàm corpore major; scientia vero literarum admodũ tritus, qui eo tempore quã Armeniaci advenerunt ad duas dietas sequestraverat. Cumq; is generali congregationi interesse non potuisset, subitò ad eum *Cathelani*, *Lombardiq;* perrexerunt, diversa cum eo consilia trutinantes. Aliis namq; deferendum Concilium videbatur, aliis persistendum, omniq; nisu resistendum, ne quid ulterius adversus Eugeniũ fieret; eaq; inter eos sententia mansit. Die autem Sabbati, quæ fuit Aprilis quinta & vigesima, *Lugdunensis Archiepiscopus*, & *Burgensis Episcopus*, accersitis in Capitulo majoris Ecclesiæ Prælatis, multa de pace exorditi sunt, fiendasq; illo die Deputationes Burgensis Episcopus suadebat, quibus Lugdunensis facultatem componendi committeret. Quibus responsum est, ut ipsi judicarunt, duriter; ut alii æstimarunt, suaviter Justè tamen dixerunt, namq;. Patres Concilii nullam esse ante concordiam posse, quàm adversarii errati sui veniam peterent, sicque finem fecerunt. Sequenti Dominica idem Burgensis cum aliis ex Lombardis, & Cathelanis Germanicam adiit nationem, exinde Senatum urbanum, & utrobique *de perhibendo schismate* sermonem fecit. Natio (ut postea intellexi) retulit se ad ea quæ Deputationes deliberarent

Eugeniani adierunt Senatum & Germanos.

rent. Senatus urbani, ut sunt homines præmaturi, & qui nihil sine consilio faciunt diligenti, *rem illam ad se minimè pertinere*, dixerunt, *sed ad* Concilium, *cujus patres prudentissimi forent, nec ignorare, quid in rem esset fidei, Christianæ, si quid instaret periculi, id esse Concilio, non consulatui suo monstrandum; credere se, majores Concilii, ubi essent præmoniti, nihil mali admissuros; ad senatum verò urbanum nihil aliud pertinere, quàm tutari patres, & fidem civitatis publicam custodire.* Eoque responso Burgensem dimiserunt. Interea Patres Concilii, formam Decreti superioribus conclusionibus conscripserant, eamq; in sacris Deputationibus approbaverant. Sola cōmunium deputatio limandum magis decretū censuit. Jamq; *Principū Oratores* ex Moguntino Conventu redierant omnes, habitisq; inter se consiliis, impedire Decretū statuerāt. Nona igitur Majidie, quæ & ipsa, ut Judæi servarunt, Sabbati, ut gētiles Saturni, ut nos, virginis fuit, ad *generalem contionem* deventum est, quæ admodum frequens, fuit utraq; parte ad conflictum, se exhibente. Ipsi autem Principum Oratores vocati per *Lubicensem Episcopum & Conradum de VVynsperg, protectorem* in choro ecclesiæ detinebantur, ibiq; *de pace* (si qua posset haberi) agitabatur, plusq; ibi morati sunt, quàm alicujus ferret opinio, quæ res pręter spem omni bene gerendæ rei occasionem attulit. Erat tantummodo illa die *formæ Decreti* concludenda ideoque ut vidit Arelatensis concionem esse plenissimam, viros duodecim concordasse, maximāq; omnium cum silentio expectationem fore haud expectandam esse turbationē censuit; legiq; è vestigio *Concordata publica* jussit inter quæ illud etiam erat, ut posset ipse Arelatensis, quando sibi videretur sessionem indicere. Quibus lectis, rogatus à Promotoribus, ex more conclusit, *Oratoribus Principū* adhuc in choro persistentibus. Qui ut rem gestam intellexerunt, turbati admodum, colloquia dimiserunt, Lubicensi omnia imputantes, qui eos ex industria tenuisset in choro, verbaq; protelasset. Ingressiq, concionē totū templum quærimoniis impleverunt. Primus tamen omniū & suo, & prætectoris nomine, *Lubicensis* de conclusione cōquestus est, eamq; ut Conciliū revocaret, minus libenter, quam efficaciter postulavit. Id si concederetur, tractaturā se pacem, & protectorē inter Concilium Oratores Principū pollicitus. *Turonensis* autē *Archiepiscopus*, videri sibi dicebat, usq; ad sessionē liberā esse dicendi omnibus facultatē adversus eā, quæ promulgari deberet legē, cum tunc Canones consecrarētur, tuncq; reciperent animām, cum infulati Episcopi post lecturā Decreti in sessione placere sibi respondissent; secus verò inanē esse interrogationē, quæ à promotoribus in sessione fieret, ea de causa, cùm nōdum essent conclusiones in sessione approbatæ, impune se circa eas pauca locuturū; rē esse grandem, arduāq;, nec tam brevi spatio cōprehensibilem, se solū nunc earū habuisse notitiā; quia tamen Archiepiscopus esset, oportere, eum rem bene nosse, ut domum rediens, & informare Regem & instruere subditos, quiret velleque se atque *Collegas* ante confessum fiendum, & audiri alios, & audire ab aliis; nec videri sibi ante relationem gestorum, quæ Oratores Principum Moguntiæ egissent sessionem hanc fiendam, quæ forsitan talia forent, ut Patrum possent intentio-

Utrorumque responsum.

Decreti forma conscribitur & approbatur.

Episcopus Concensis

tionem mutare. *Concensis* verò *Episcopus* Orator Regis Castellæ, qui & ipse nuper ex Moguntia revenerat, vir plura intelligens, quàm explicare sciat, graviter questus est contemni Prælatos; *nec fuisse rem magnam* (ait) *si expectati fuissent, qui Moguntiam non voluptatis, sed necessitatis causa, & cum gravibus periculis & sumptibus petiissent*, postque quasi subridens: *Ah demens* (inquit) *ego qui expectari Prælatos ex Moguntia volo, cum nec etiam ex choro hujus Ecclesiæ expectatæ sint. Facilè ergò* (*ut libet*) *si quid hinc scandali, si quid mali evenerit, neq; nos Oratores Castellæ, inculpandi sumus, neque serenissimo Regi nostro quisquam jure imputaverit.*

Archiepiscopus Mediolanensis.

Mediolanensis quoque Archiepiscopus quod ejus rei periculosissimum exitum judicabat, in authorem Arelatensem acerbissimè convitiatus est. Ipsum esse, qui copistarum, pædaggorumque gregem nutriret, remque cum eis *fidei* concluderet, *alium* eum *Catilinam* vocitans, ad quē desperati & perditi omnes confugerent; illorumq; ipsũ esse Principem, & cum illis ecclesiam regere; nec in re omnium maxima magnis Prælatis, & magnorum Principũ Oratoribus auscultare. *Albigaunensis* quoque vir nobilissimus, & ex Cæsarum sanguine descendens, quamvis nunquam animũ à Concilio alienasset, ne tamē ab aliis Oratorũ Principibus videretur discrepare, haud absimilem querimoniã habuit de neglectu prælatorũ. Exhinc ad *Panormitanũ* oratio defluxit, qui ut vim dicendi majorem habuit, sic etiam concitatiorem ostendit animum. In exordio suæ orationis Panormitanus, non ut Oratores præcipiunt benevolentiam, sed odium captare ab auditoribus visus est. Dicebat enim, Salvatorem nostrum signa in Evangelio quatuor ostendisse, quibus bonos cognosceremus à reprobis, quoniam *qui est ex Deo* (inquit) *verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, Rursus quoque: *qui male agit, odit lucem*. Alibi etiam: *A fructibus eorum cognoscetis eos. Et non potest arbor bona malos fructus facere*, quæ omnia in Patres Cõcilii retorquebat, qui *verba Dei*, id est, *verba pacis*, quæ ipsi Oratores proferrent, non audirent, quiq; lucem fugisset, oratoribus absentibus, & clanculũ concludentes, quodq; in sua deputatione diem festũ non celebrassent, sed feriata die conclusissent, & quod in præcedenti conclusione *non ratione*, sed *deceptione* vicissent. De *fructibus* dicebat, ut ipsi patres meditarentur, quoniam si fructus eorũ non essent boni, ipsi etiam boni non essent, se autem videre in foribus Concilium aliud, ubi timeret ne hujusmodi conclusiones revocarentur, tanquam malæ fructus arboris. Ideòque non esse sic repente in rebus maximis procedendum, velleq; se ad huc plenius ante sessionem audiri tam suo, qui Archiepiscopus esset, quàm sui Principis nomine, qui non tantum unius, sed pluriũ regnorũ Rex haberetur, se quoq; ante hac & verbis & scriptis, ac etiã factis authoritatē sacri Concilii magnificasse, vereriq; ne per tales modos authoritas ipsa conculcaretur. Ignosciq; sibi tandē petiit, si Patres Concilii offenderet, quoniam eum sic eloqui dolor mœrorque cogeret.

Voluisset *Abbas Vergiliacensis* ad ea responsũ dare, quæ Panormitanus de sua deputatione tetigerat. Arelatensi autē, prius dicere omnes, placuit, qui ex adverso erãt inter quos ultimo loco legistarũ Homerus fuit *Ludovicus Protonotarius*, qui licet in

vitus

vitus loqueretur, ubi tamẽ acceperat, retinere verba nesciebat, & cupiens doctus videri, bonũ se fore obliviscebatur. Is ergò, debere Conciliũ advertere, dicebat, *ne invitis Prælatis materiam fidei agitaret, ne scandalũ sequeretur, quod rẽ invalidã aliqui dicerent; namq; licèt Christus duodecim Apostolos, & septuaginta Discipulos elegisset, in editione tamen Symboli soli* Apostoli *interfuissent, quasi exemplum darent, rem fidei* ad solos Apostolos, *& sic* ad solos Episcopos *pertinere, nec esse in materia fidei cum festinantia procedendum, quæ limpidissima esse debet, cùm exigat Petrus probationem fidei* pretiosiorem *esse* auro, quod per ignem probatur; *quòd si spretis Episcopis, huic rei daretur terminus, qui* columnæ & claves cœli *dicuntur, non posset benè probata fides videri, nec benè examinata*; *fassusq; tandem*, inferiores cum Episcopis *definire posse, minorem Episcoporum partem, cum majori inferiorum parte aliquid posse terminare, negavit*. Exinde transiens ad ipsam *fidei materiam*, dixit, veritates illas, de quibus erat quæstio, articulos fidei fore, si veritates essent fidei; cumque articulos fidei quisque teneretur credere, has quoque omnes teneri credere, ait, ideoque velle se instrui, & maturius edoceri in re, quam esset pro fide crediturus, nec decere id sibi denegare Concilium, quod promptissimum esse deberet, juxta normam Apostoli, cuique poscenti de ea, quæ in eo est, fide reddere rationem.

Postquam verò dicendi finem omnes fecerunt, *Arelatensis* se ipsum colligens, orationem multifariam habuit, nunc iis, nunc illis respondens; *Imperialiumq;* primò *Nuntiorum* desideria laudavit, qui pacem & concordiam tractare se obtulissent; *revocari* autem, quod esset conclusum, nec necessitatem urgere, nec honestatem pati. *Oratorum* verò *Franciæ* petitionem justissimam esse respondit, quòd *informari de re fidei* poscerent, eorumque precibus Concilium annuiturum, missurumque ex Magistris aliquos, qui eos domi edocerent. Rem verò jam esse conclusam, nec amplius revocari posse in dubium; sessionem verò non ad roborandum, sed ad honestandum tantummodò actum fieri. Quod autem *Concensis* tantoperè quereretur, id sibi non esse admirationi; non enim sciret Concensis rerum processum, qui absens fuisset, quem melius instructum, minimè dicturum talia arbitraretur, quoniam vir justus nihil postularet injustum; protestationem autem ipsius nihil mali habere, quod nec Regi suo, nec sibi imputari vellet, sed quid ex conclusionibus factis proveniret scandali; non tamen id esse formidandum, ut ex bonis operibus mala suboriantur. *Mediolanensi* verò, quòd eum nimis turbatum videbat, nimiumque commotum, nihil respondit, ne fortè ex gravibus verbis graviora suscitarentur. *Panormitanum* verò ad ultimum reservabat. *Ludovico* verò Protonotario instructionem petenti, per verba ad Turonensem dicta, voluit satisfactum, in tamen intactum non prætermisit, quod de *Apostolis* & *Symbolo* dixerat Ludovicus; etenim quamvis soli Apostoli in Symboli editione nominentur; id tamen non constare, ait, *an soli in edendo fuerint*, fierique id sæpe, ut soli Principes adnotentur rerum authores gestarum, quamvis alios coadjutores habuerint; idque in præliis patere, quæ licèt omnium

militum gerantur manibus, paucis tamen asscribi solent, ut hac nostra ætate Imperatori omnium præstantissimo Nicolao Picenino, quem continuus tot victoriarum cursus illustrat, cuncta, quæ suus exercitus vel feliciter agit, vel prudenter, asscribunt. Tametsi alii sæpe & Concilii inventores, & propositi executores fuerint, scireque Ludovicum debere, articulos fidei non solùm esse, qui Symbolo continentur, sed omnes quoque generalium Conciliorum factas circa fidem declarationes. Nec ignorare ipsum, aliquos esse ipsius Symboli, quo nunc in ecclesiis utimur, articulos, non ab Apostolis, sed postmodum in generalibus Conciliis additos, portionemque illam, *de processione Spiritus S.* mentionem habentem, Lugdunense Concilium adjecisse, in quo judicasse cum Episcopis inferiores, non esset ambiguum; cumque rem ipsam in proxima congregatione dilucidasset, haud amplius circa eam fore immorandum. Sicque ad *Panormitanum* descendens, verba ejus repetiit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Idque benè sumptum ex Evangelio, in Concilium autem non benè flexum, dixit; se namque firmiter credere, quod veteres existimarunt *Spiritum S. in medio esse Conciliorum*, ideoque verba Concilii, verba esse Spiritus S. quæ si aliqui respuerent, ex Deo se utique fore negarent. Nec Concilium lucem odire, quòd palam omnia & in publico faceret, & cujus congregationes omnibus essent apertæ, nec ut aliquæ adversariorum conventiculæ, istos admitterent, illos excluderent. Rem quæ nunc in manibus esset, duobus jam mensibus inceptam agitari, primò in schola Theologorum latè diffuseque disputatas esse conclusiones, pòst, Moguntiam, & in alias orbis partes transmissas; exinde vocatos in Capitulo majoris ecclesiæ Patres, viginti circiter & centum numero fuisse, illic inter alios etiam ipsum, qui nunc conquereretur, Panormitanum, suoque more acutè, diserteque disputasse, nec ulli dicendi locum defuisse. Rursus quoque in Deputationibus dixisse omnes liberrimè, quæ voluissent. In ea verò Deputatione, ubi Panormitanus esset, triduo rem fuisse discussam. Pòst, *duodecim viros* concordasse, mox *generalem Congregationem* conclusisse; nullam rem unquam, aut maturius, aut diligentius, fuisse expeditam, nec aliquid aut dolo, aut clàm factum. Quòd autem *die festo* Deputatio sedisset, id nihil mali habere, nec novum esse, cùm & sæpè dominicis diebus, & aliis in festivitatibus sessum esset, ubi res indigeret celeritate, & maximè, quia res fidei non habet ferias, se verò in superiori congregatione, neque dolose, aut fraudulenter, ut Panormitanus dixisset, sed publicè requirentibus Promotoribus, & via (ut ajunt) regia. Nec esse ulli justam de se querimoniam, qui assumptus ad præsidentiam jurasset, se semper conclusurum, ubi aut quatuor, aut tres Deputationes concurrerent. Cumque in pluribus causis *Papam tangentibus*, conclusisset, non videre se nunc, cur in *re fidei* non concluderet, quia & Cardinalis esset, & ideò rubeum galerum gestaret, quoniam etiam sanguinem ad tutelam fidei deberet effundere, nec se nunc aliquid adversus Papam fecisse, qui dimissis quinque conclusionibus, *Eugenium tangentibus*, solas tres generales conclusisset; quod nisi fecisset, habituros Patres in eum justissi-

mam

mam querimoniam, qui ejus fidem ſequuti, eum Præſidentem legiſſent, à quo nunc in *re fidei*, & in re maximè neceſſaria defererentur. Verſuſque ad multitudinem, *bono animo eſſe Patres* rogavit; quia nunquam eos dimitteret, etiamſi oporteret mori eum, dediſſe ſe ſuam Concilio fidem, illamque velle obſervare, nec eum ex ſuo propoſito, aut minas, aut preces cujuſpiam poſſe dejicere; paratum ſe ad omnia fore, quæ S. ſibi Concilium præciperet, nec unquam mandatis ſe Deputationum aliquo pacto defuturum. Quòd autem Panormitanus *Concilii authoritatem* magnificaſſet, gratias ſibi habendas ait; ſcire tamen eum debere, authoritatem S. Concilii tantam eſſe, ut & nullius laudibus creſcere, & nullius vituperatione minui poſſit, atque his peroratis, *formam Decreti* legi juſſit. *Panormitanus* verò, & qui eum ſequebantur, cæterique *proteſtationem quandam* prius legi contendebant; diuque hinc atque hinc vociferatum eſt. Obtinuit tamen demum *Arelatenſis*, lectaq; forma Decreti, uſque ad verbum *decernimus*, aſſurgens *Panormitanus*, nihil paſſus eſt ulterius audiri; indecorumque eſſe clamabat, *Epiſcopus Cathavienſis*, ſolum Arelatenſem cum paucis, & titularibus Epiſcopis rem concludere. Clamabant & omnes, qui Panormitano favebant. *Cardinalis* quoque *Terraconenſis*, qui uſque ad eam horam ſiluerat, graviter ſuos caſtigabat, qui veluti dormientes & ſomnolenti *proteſtationem* non legerent, familiaribuſque illicò uni ex ſuis, ut proteſtationem perlegeret, mandavit. At ſicut antea lecturam Concordatorum adverſarii perturbabant, ſic nunc Patres Concilii adverſariorum proteſtationi locum non dimittebant. Quod ubi *Albiganenſis* perpendit, ſcripturam ſibi lecturæ afferri præcepit; jamque ſonare vox cœperat, cùm ſubitò Arelatenſis admonitu Patriarchæ aſſurrexit, cum multitudine Patrum receſſurus. Quæ res apprimè Cardinali Terraconenſi, Panormitanoque placebat, ſperantibus, ſe cum ſuis in eccleſia remanſuros. Revocare concluſionem Arelatenſis, & aliam facere, jamque ſuos ut remanerent, adhortabantur. Erat in concione, ſuoque loco *Georgius Protonotarius de Bardaxina*, paulò inferius ſedens, quàm ſuus avunculus, Cardinalis Terraconenſis, ætate admodum juvenis, prudentiâ verò ſenex, & humanitate pernobilis, qui ut vidit Arelatenſem ſurgere, ipſe quoque recedendum ſibi ſtatuerat, vocantique ſe avunculo, & ut maneret, præcipienti: *Abſit à me* (inquit, Pater) *ut veſtro in conventiculo maneam, aut aliquid agam, quod jurejurando à me præſtito ſit adverſum*. Quo dicto, & præſtantem virtutem, generoſitatemque ſuam patefecit, & noſtros eorum quæ facturi fuerant, remanentes admonuit. Vox ejus, vox Spiritus ſancti fuit; vox plus quàm credi poſſet neceſſaria; niſi enim vox ejus ſic ſonaſſet, abiſſent forſitan Conciliares; alii in eccleſia remanentes, contrariam habuiſſent concluſionem, eamque validam aſſeveraſſent, quòd ultimam concluſionem dicerent inſpiciendam, nec unquam, aut aliquibus, in majori, ut mihi videtur, in ſimili diſcrimine Concilium fuit. At plerique viri admoniti voce Protonotarii, antiquorumque Conciliorum, & ſimilium caſuum reminiſcentes abſcedentem jam multitudinem, partim nutibus, partim vocibus revocarunt, ipſiſque ut ſederent, Arelatenſis & Patriarchæ in-

clamitarunt, ne vacuam adverſariis, & quietam dimitterent Eccleſiam; unde & ſubitò multitudo reſedit, & fores obſeratæ fuerunt. Intereà *Matthæus Albigaunenſis Epiſcopus*, proteſtationem nulli alteri, quàm ſibi legebat; nec enim præ ſtrepitu poterat audiri. Quo finiente, tàm Longobardi, quàm Cathelani *proteſtationi* adhæſerunt. *Cardinalis* quoque *Terraconenſis* adhærere ſe illi diſſenſioni, dicens, admirationem ſui reddidit, & ſubridentibus aliquibus. *Quid irridetis me* (ait) *inſani? Oratores mei Regis à vobis diſſentiunt? Quid mirum eſt, ſi me* (inquam) *ipſorum conſentire diſſenſioni?* Atque cum hiſce ſermonibus & ipſe, & omnes ferè Arragonenſes, Longobardique, & Caſtellani diſceſſerunt. Cæteri omnes reſtiterunt; & licèt hora eſſet admodum tarda; jam enim duæ poſt meridiem effluxerant horæ, videns Arelatenſis quietum eſſe Conventum, *privatarum* (ut moris eſt) *perſonarum* legi *negotia* juſſit; quibus finitis, *publica* quoque iterari præcepit; iterumque & legi *Concluſiones*, & formam *Decreti* voluit. Remanſerant in Congregatione *Oratores Imperii* cum *Oratoribus Franciæ*, invicemque de rebus geſtis confabulabantur, nec quid legeretur magnoperè advertebant. Audivit tamen verbum de concluſionibus *Turonenſis*, verſuſque ad Lubicenſem: *En* (inquit) *res iterum fidei agitur, abeamus hinc, obſecro, ne ſcandalum ſimus aliis, neve à cæteris Oratoribus diſſentire dicamur.* Cui Lubicenſis: *Mane* (inquit) *Pater, mane hìc. Nunquid veriſſimæ hujuſmodi concluſiones ſunt? Quid tu hìc timeas pro veritate fuiſſe?* Nec iſta à multis audita ſunt; ſubmiſſa namque inter ſeſe voce ſermones ferebant. Audivi tamen ego, qui ad pedes eorum ſedens, quæ ipſi dicerent, verba, cupidè obſervabam. *Arelatenſis* autem lectis omnibus, quæ neceſſaria reputavit, petentibus Promotoribus concluſit, & facto fine, concionem dimiſit.

Proteſtatio lecta.

Concilii negotia leguntur & publicantur.

Æneas Sylvius de ſua in audiendo diligentia.

Bis igitur (ſicuti monſtratum eſt) magnis in difficultatibus concluſit Arelatenſis, quoniam nec materia, nec forma potuit ſine concertatione concludi, fuitque utraque miraculoſa concluſio, & præter ſpem omnium, vel Arelatenſis induſtriâ, vel Spiritus S. munere habita. Ideoque relatum eſt poſteà, *Panormitanum*, cùm ex eccleſia abiret, verſum ad ſuos, Italica, noſtraque lingua dixiſſe, & *dua*, volens ſignificare, quoniam aut *bis* pars ſua ſuccubuiſſet, aut *bis* fuiſſet decepta. Id namque non ſine indignatione pronuntiavit. Poſt hæc deliberatum eſt *inter Longobardos & Arragonenſes* aliquantiſper *à Deputationibus abſtinere*; quod nec diu, nec omnes ſervarunt, pluribus tamen diebus tranquilliores habitæ ſunt Deputationes, nec uſque ad quintam & decimam Maji lucem, relatu dignum eſt quicquam actum; quæſitaque interim concordia inter Patres, nuſquam potuit reperiri. Ut ergò illuxit Veneris dies, quæ fuit Idibus Maji, vocatus eſt in concionem *Nicolaus Amici*, promotor fidei, quæ acta eſſent ſuperioribus diebus, ſuccinctè repetiit; utque indicere ſeſſionem Arelatenſis poſſet, explicavit. Quare cùm eſſet periculi plena in rebus fidei dilatio, in craſtinum ſeſſionem indici poſtulavit, requirens & Cardinalem ipſum ob dignitatem ſuam, qui cardo Eccleſiæ diceretur, & reliquos Epiſcopos, quoniam

Diſcordia Patrum.

ſic

ſic in conſecratione promitterent, ne nunc in tanto negotio deforent Eccleſiæ, neve fidem opprimi paterentur. Alios verò minores ſub juramento præſtito requiſivit. Iterum ergò ob hæc verba concertatum eſt. *Arelatenſis* namque ut requiſitus fuerat, Seſſionem indixit, utque omnes adeſſent cum ornamentis, eſt exhortatus. *Lubicenſis* autem aſſurgens, ſuo & Protectoris nomine proteſtatus eſt, *ſe Seſſioni ſecundæ minimè aſſentiri*, ſi qua in parte intelligentiæ, per Oratores Principum Moguntiæ habitæ derogaret. Ejuſque proteſtationi acceſſit *Georgius* miles, Coambaſiator ejus. *Protector* * vero *Cæſareus*, ut ſe nominari per Lubicenſem cognovit, miratus aliquantiſper quid eſſet, ac per interpretem certior factus. *Nequaquam ſe* (inquit) *Lubicenſis proteſtationi acquieſcere ac cedere, nec ſe Actorum Moguntinorum aliquid noſſe; ſe miſſum per Imperatorem ad ſacrum Concilium, habere ſua mandata, quorum rectè recordaretur, illisq; obediturum ſe eſſe.* Poſt quem *Concenſis* proteſtationis ſolitæ tenorem repetiit, atque exinde ad *Panormitanum* ſermo deſcendit; cujus antequam verba refero, nemo, ut admiretur, cupio, quòd toties cadat in meum Panormitanus calamum; neceſſarium enim habeo, rem, ut geſtum eſt, ſic narrare; & evenit in hujuſmodi rebus haud ſecus, quàm in bellicis actibus. Ut enim ibi, qui viribus corporis aliis præſtant, & qui plura faciunt, pluries nominantur, velut in bello Troico Achilles & Hector; ſic in hujuſmodi ſpiritualibus præliis, qui plurimum eloquentia ac ſcientia pollent, plus aliis agunt, pluſque ut nominentur, oportet. Erat namque alterius partis princeps *Panormitanus*; alterius *Arelatenſis*; ſed illum non quippe voluntas, ſed ſola neceſſitas principem fecerat, eumque obedire Principi ſuo oportebat; ubi tamen veritas eſſet, non ignorabat, nec libenter ei reſiſtebat, ſæpiuſque illum *Ego* in ſua Bibliotheca de ſuo Principe vidi conqueſtum, qui aliorum monita ſequeretur. Is ergò (ut locum dicendi habuit) mirari ſe ſupra modum, ait, quia Procurator fidei Prælatos ad Seſſionem requireret, quod eſſet à ſuo officio alienum, nec debere illum Præſidentis vicem uſurpare; iterumque de contemptu Prælatorum conqueſtus addidit, *rem præſentem ſtatum Apoſtolicæ Sedis tangere*, eamque cauſam debere priuſquam Seſſio fieret, ſedem ipſam audiri. Nec curandum eſſe, quod id *Conſtantienſe Concilium* videretur decreviſſe, quod modò ageretur, quia Conſtantiæ non fuiſſet auditus Johannes, nec alius *pro ipſa ſede* locutus; quo verbo omnia illius magnæ & ſanctæ Conſtantienſis Synodi, Decreta revocare in dubium, & parvi facere videbatur. Ideoque tumultus pergrandis, & clamor omnium factus eſt, una voce dicentium: *Sanctam eſſe Conſtantienſem Synodum*, ejuſque fore *intemerandam authoritatem*. Ille tamen adhuc inſtans magno elatoque animo, rem ipſam ſine Oratoribus Principum perfici nequaquam poſſe, aſſeruit, oportereque in re fidei Principes audiri. Rurſuſque Oratores ipſos conſentire non poſſe, quòd in Moguntina Dieta nihil ſe recepturos promiſiſſent, ex his, quæ durante pacis tractatu, per eos incepto, vel Papa contra Concilium, vel Concilium contra Papam feciſſet; nec ſe dubitare, quin tres primæ concluſiones *hæreticum Eugenium*

* *Conradus à Winſperg. Baro.*

declararent, quoniam notorium foret primis duabus Eugenium pertinaciter contraire; eapropter cùm nondum esset *Sessio* celebrata, & liceret ante *Sessionem* cuique volenti dicere, rogare se iterum atque iterum dixit, ne *Sessio* adhuc fieret. Cui *Arelatensis* nil dubii fore respondit, quin ex officio suo Promotor fidei ad rem fidei Prælatos accerseret, & maximè, quia sic *Deputatio fidei* & *ipsum totum Concilium* sibi mandasset. Ad *materiam Prælatorum* ait, quia Episcoporum absque ullo dubio maxima esset authoritas; in Conciliis tamen introductum esse, *non* nomine Episcoporum, *sed* Concilii *fieri conclusionem*; *Universalem Ecclesiam certas sibi leges in hoc Concilio dixisse, quæ usque hoc temporis inviolatæ manerent; nec gravem Episcopis inferiorum præsentiam esse debere, cùm & sub pallio sordido sapientia, & sub pretiosis vestibus sæpe dementia delitesceret. Debere quoque illius* Domitii *Episcopos meminisse, qui (ut Hieronymus refert:)* Cur te habeam (*inquit*) ut Principem, si me non habes ut Senatorem? *Oportet namque ut Episcopi Presbyteros habeant, ut Presbyteros, si sibi ab iis, ut Episcopis honorem cupiunt exhiberi, nec exspectari Principes ad hujusmodi rei decisionem debere, quia non hîc Principum, sed Christi nomine congregata esset Ecclesia, quæ potestatem à Deo, non à Principibus recepisset, ad quam tutandam, non minus inferiores, quàm ipsos Episcopos cerneret animatos, cùm illos non solùm bona temporalia, sed vitam quoque ad defensionem Ecclesiæ daturos, cognosceret. Episcopos verò* aliquos ne quid *temporalitatis amitterent, libertatem Ecclesiæ Principibus vendituros, eosque Judices & Dominos supra Concilium erecturos. De* Gestis *verò* Moguntiæ *nihilum se curare, quia (ut ajunt) sine hospite computassent. Illud autem quomodo stare posset, se minimè intelligere, quòd* neque Concilio, neque Papæ obedituros se *statuissent, quoniam aut* illi *parcendum esset, aut* isti, *tertium nullum esse tribunal Dei, cui foret obediendum in his, quæ vel fidem, vel animarum salutem respicerent. Nec passuram tandem* Ecclesiam, *ut* Judicio Principum *res suæ, resque fidei terminentur; nec enim Spiritum sanctum Principibus, sed ipsos Principes illi subesse, seque pro hac conclusione, nec fortunarum amissionem, nec Martyrii pœnam formidaturum. Quod autem* Panormitanus *tàm* acerrimum Eugenii defensorem *se exhiberet, id sibi stupori esse, quoniam nemo illius errata magis, quàm Panormitanus, alias publicasset, cujus maximè operâ, & suasu, & Decretum monitorium adversus Eugenium fuisset, & suspensio admissa. Unde ista mutatio nunc esset, se penitus ignorare, cùm nec vitam Eugenius mutasset, nec stare in tanto schismate Ecclesia posset. Rogare tamen* Panormitanum, *ut benè adverteret*, an ex conscientia loqueretur; *Conclusiones enim quæ modò decretari deberent, fore admodum generales, nullamque Summi Pontificis mentionem habere, in eisque veritatem fidei contineri: Si contra eas sentiret* Eugenius, Papam corrigi, *æquius esse, quàm veritatem omitti.* Sicque facto fine, admoniti omnes sunt, die crastino ad Sessionem venire. Rogavit quoque Protector

Eugenius incorrigibilis.

tector sacrum Concilium, ne qui familiares afferre arma in Sessionem permitterentur, quia paratus esset Salvum Conductum Imperatoris servare, & cum Senatu civitatis quoscunque rixantes ab injuriis prohibere.

Ut Sabbathi dies illuxit, quæ fuit Maji sexta & decima, omnes ad horam venerunt, quibus Sessio cordi erat. *Ludovicus* quoque *Lausanensis Episcopus*, magni consilii, magnique animi Pater, Missam incepit. *Oratores* autem *Principum* adhuc tentaturi aliquid, in Chorum Ecclesiæ venerant, mittentesque Lubicensem, ac Concensem Episcopos, virumque non contemnendæ peritiæ, Decanum Turonensem, intersuturos se Sessioni, offerebant, si quatuor adhuc mensibus *Eugenii Depositio* differretur. Qui cùm gratum responsum ab Arelatensi, & quibusdam aliis Primoribus habuissent, reversi ad suos, mutatum esse propositum invenerunt. Jam enim solam primam conclusionem decretari volebant: Sicque iterum Arelatensem interpellarunt. Quibus responsum est, *vim maximam in duabus reliquis esse conclusionibus, easque præcipuè velle Concilium decernere. Si nollent Oratores adesse, scirent concordiam à se fore interruptam, quòd noluissent, quod obtulerant, observare.* Quo responso, & illi discesserunt, & Sessio celebrari occepit, nullus tamen Arragonensium Prælatorum interfuit, nullusque omninò ex tota Hispania. Ex Italia soli, *Grossitanus Episcopus*, & *Abbas de Dona*, qui pro eorum constantia, & firmissima ad bonum universalis Ecclesiæ voluntatem mutari proposito non potuerunt. Doctores autem, & cæteri inferiores magno in numero *Arragonenses* fuerunt; & omnes ferè, qui aderant, ex Italia, Hispaniaque (nec enim inferiores, sicuti Prælati, Principes timuerunt) maximaque tunc Arragonensium & Cathalanorum virtus in inferioribus emicuit, qui sese minimè necessitati Ecclesiæ denegarunt. Ex duabus aliis nationibus Mitrati fuerunt solùm viginti. Alii verò domi latebant, *fidem in corde*, sed *non in ore* habentes. Cogitarat Arelatensis, quod erat futurum, plurimasque Sanctorum Reliquias tota urbe perquiri jussit, ac per Sacerdotum manus in Sessione portatas, absentium Episcoporum locum tenere, quæ res maximè devotionem adauxit, in tantum, ut vocato postmodum de more Spiritu sancto, nemo lachrymas continuerit; erat namque per totam Ecclesiam tenerrimus ac suavis fletus bonorum virorum, qui lachrymantes divinum auxilium implorabant, quique Matri Ecclesiæ, ut opem ferret, magnum Deum deprecabantur. Inter alios quoque Magnificus ille Baro Imperialis, Protector, uberrimas Ecclesiæ lachrymas præstabat, & inter flendum haud modicam tali actu consolationem recipiebat. Erat autem concio ipsa frequentissima, etsi enim Episcopi haud multi erant, plena tamen omnia fuerunt subsellia Procuratoribus Episcoporum, Archidiaconis, Præpositis, Prioribus, Presbyteris, ac divini & humani juris Doctoribus, quos aut

quadrin-

quadringentos, aut certè plures esse dijudicavi; quos inter nullum unquam probrum, nulla rixa, nulla unquam contentio fuit; sed alter alterum in professione fidei hortabatur, unanimisque omnium esse consensus ad defendendam ecclesiam ostendebatur; Decretum verò *Massiliensis Episcopus*, apprimè nobilis, legit, cui cum Albigaunensi Episcopo tanta familiaritas ac fraternitas fuit, ut *gemini* dicerentur; nam & domi, forisque semper simul cernebantur. Quæ res eò mirabilior videbatur, quò ipsi in factis ecclesiæ discordantiores ostendebantur, cùm & Albigaunensis adversus Decretum protestationem legisset, & Massiliensis Decretum, atque una ex domo lector utriusque exisset; sed erat (ut quidam putant) in uno veritas, in altero simulatio. Brevis lectio Decreti fuit, nam & ipsum breve erat; fuit tamen ejus lectura attentè audita, nec ullum verbum incassum cecidit, factoque fine, *Te Deum laudamus*, ex una parte cantatum est, ex altera responsum est, *Te Dominum confitemur*. Sicque alternatim summa cum lætitia, & omni alacritate finitus est hymnus, & *sessio* dissoluta, quæ fuit in numero aliarum *tertia & trigesima*, quæ si (ut diximus) & quieta fuit, & ultra omnes pacifica, nihil mirandum est; ea namque in die celebrata est, quæ ipsius pacis & quietis Matri Mariæ Virgini est dedicata; nec enim sua in die, aut seditiosum aliquid, aut turbulentum geri Beata Virgo in suo præsertim Templo admisisset. Vidimus namq; aliàs cum Decretum electionis locum publicari deberet, quia futura erat prægrandis discordia, Virginem ipsam bis impedivisse, quo minus in suo die publicaretur, fuitque res illa Marti dimissa. At nunc quia pacifica res fuit, non solùm in Sabbatho Sessionem fieri permisit, sed miraculosè etiam voluit, ut generalis concio pro re ipsa concludenda in Sabbatho haberetur.

Sessio Concilii XXIII.

Ultima Sessio cum consensu Oratorum.

Ea quæ secuta est Veneris die secunda & vigesima Maji, *Oratores Principum*, præter omnem spem generali congregationi, & actibus conciliaribus, se miscuerunt, eo vel saltem facto prætéritæ sessioni præstantes assensum, in qua celebranda, si Patres errassent, nequaquam fas erat Oratores Principum cum eisdem Patribus Concilium celebrare; sed existimati sunt remorsu conscientiæ tacti, jam abhorrere, quod egerant, quod de Oratoribus Cæsareis ac Gallicis nequaquam fuit obscurum. *Lubecensis* namque *Episcopus* id sibi absentiæ causa præstitisse dixit, quoniam jussu Cæsareo ad pacem fuisset destinatus, ex qua re non decuisset eum alicui negotio interesse, unde ille perturbaretur, cum quo pax esset pertractanda; se tamen sessionem præhabitam plurimum commendare, decretumque in eadem promulgatum *optimum* se ac *sanctissimum* credere; veritates quoque in ea contentas, apud se semper indubitatas fuisse, eisque & nunc, & usque ad mortem velle adhærere: *Turonensis* autem *Archiepiscopus*, plurium literarum, & ornatæ Prælatus eloquentiæ, pro se ac suis collegis loquens: *Audisse se* (inquit) *inter aliquos sibi esse detractum, quòd in sessione illa sanctissima Regem suum non honorassent, quem maximè tueri fidem, ac exaltare deceret, qui ideò esset præ cæteris Regibus nomen sortitus* Christianissimum, *habere se tamen non illegitimam excusationem, quando eos, qui essent ad pacem missi, nihil omninò*

Archiepiscopi Turonensis sermo.

omninò agere conveniret, quò suam impedirent legationem. Duo *quoque* injustitiæ *fore* genera, *quibus aut fienda non fierent, aut fierent non fienda.* Primumque *non semper obligare, quòd oporteret temporis, loci, personarumq; rationem haberi*; ultimum *verò semper tenere; neque in eo se incidisse, qui nihil turpitudinis admisissent. Circa* primũ *tamẽ posse aliquibus videri se errasse, quòd in veneranda sessione non affuissent, sed esse quoq; hîc, quod responderent, quia si sessionem talem adissent, inutiles postmodum tractatui pacis cum Eugenio se reddidissent; ideoq; licèt desiderassent tàm sancto negotio interesse, secutos se tamen fuisse exinde exemplum Pauli, qui licèt* cuperet dissolvi & esse cum Christo, *adhuc tamen, ut magis prodesset Ecclesiæ, differebat; sicq; se non fecisse, quoniam nec idcircò abfuissent, quia de conclusionibus dubitarent, quas veras, sanctasq; reputarent, & quibus usque ad martyrium adhærerent; sed ne tractatui pacis, pro qua venissent, redderentur inepti, se tamen quod suis non fecissent in personis, domesticorum implevisse, quos omnes honorare sessionem jussissent. Voluissent tunc Prælati alicujus esse loco, nec enim non castigati transissent, qui se post digitum latere arbitrabantur. Etenim per Deum excelsum, quid est quod pacis tractatui officiat declaratio veritatis? Aut si officit, cur pari loco non habeatur, qui declarat, & qui declaranti consentit? En quid amplius testibus non indigemus? Ecce quòd ipsi Principum Oratores*, inimicum veritatis Eugenium *esse dicunt. Sed transeo ista; sat enim posteà* Eugenius *cognoscere se* Turonensem inimicum *sibi, ad ipsum Regem Franciæ scripsit. Solum restat, ut pariter Lubecensis expediat.*

Arelatensis verò, postquam finem Turonensis fecit, gratias egit Deo, qui sic suam tueretur Ecclesiam, quique post nubilum serenitatem quoque præberet; laudatisque Imperatoris erga Ecclesiam, & ipsius Regis Franciæ beneficiis, ipsos etiam *Lubecensem* & *Turonensem* magnificè commendavit, qui & in Concilio sæpè & proximis diebus in Moguntia authoritatem defendissent; præcipuè tamen præsentem actũ laudibus extulit, qui & publicè veritatem confessi fuissent, & ab Ecclesiæ fide se *minimè* sequestrassent; ingressusque rei gestæ narrationẽ *fuisse se Pisis ac Constantiæ*, inquit, *nec unquam sessionem vidisse, aut quietiorem, aut devotiorem, tum propter lachrymas omnium, qui in tanta rei persecutione plorabant; tum propter* Sanctorum reliquias, *quæ in manibus Sacerdotum advectæ, & devotionem & authoritatem rei majorem addebant*; necessariumque *illud fuisse* Decretum *asseruit*, ad reprimendam Romanorum Pontificum ambitionem, *qui se* supra universalem Ecclesiam extollentes, omnia pro libidine sua *se posse, arbitrabantur, ne posthac Ecclesiam unus homo, nunc Bononiam, nunc Florentiam; rursus Bononiam, mox Ferrariam, & deinde iterum Florentiam* (ut Eugenius attentavit) *traduceret*; utque deinceps *Romani Pontifices* paululum animum *à temporalium solicitudine rerum* retraherent, qui, ut ipse vidisset, *nequaquam* de spiritualibus *cogitarent*; ideoque quo esset sanctior, quoque necessarior illa Sessio, eò laudabiliorem, & omnibus Patribus gratiorem ipsorum adhæsionem fuisse, propterea quod actum esset, nec minus propter absentiam, nec

Arelatensis laus de Oratoribus.

plus *propter adhæsionem* valuisse: Atque iis dictis, & ipse assurrexit, & Congregatio dissoluta est. Nunc *depositionem*, quo pacto transierit, qui secuturus est liber exponet.

COMMENTARIORUM ÆNEÆ SYLVII, SENENSIS, DE GESTIS Concilii Basileensis, libri primi contra Eugenium & Eugenianos.

FINIS.

ÆNEÆ SYLVII PICCOLOMINEI SENENSIS,

De

GESTIS BASILEENSIS CONCILII

COMMENTARIORUM

LIBER II.

Eugenii malitiosi depositio.

APprehendit Dominus arma & scutum, & exurrexit in adjutorium Ecclesiæ, eaque sic adjuta, gaudens exultat in Deo suo, qui eam vestimentis salutis induit; & quasi Sponsam decoratam coronâ, & ornatam monilibus, justitiæ indumentis circumdedit eam. Traditum est superioribus Commentariis, *quo statu nostra demum ætate* Ecclesia *fuerit*, quam *Eugenius*, paulò ante Papa, ut ventus arundinem, exagitavit. Verum est tamen, quod ore aureo Johannes prædixit, quia non cessat Ecclesia impugnari, non cessat insidias pati, sed in nomine Christi semper superat, semper vincit; & quamvis alii insidientur, quamvis repercutiant eam fluctus, fundamentum tamen, quod supra petram est, non quassatur. Quocirca mentita est iniquitas Gabrieli, & perdidit eũ Dominus in malitia sua; quo Synodali sententiâ, ex Apostolica Sede præcipitato, factus est Dominus in refugium Ecclesiæ, gregique suo Pastorem largitus est, qui derelicta (ut spes optima est) visitabit, dispersa quæret, confractum sanabit, carnesque pinguium non comedet, & id quod stat, sapienter enutriet. Quam rem (ut omnes Christicolæ planè intelligant) enarrandus est mihi in eo, qui sequitur libro, *Electionis ordo*, quo nunc *Amodeus Sabaudiæ Dux* sapientissimus, in Romanum Pontificem sit assumptus. Deposito igitur (sicut jam monstravimus) ex Romano Pontificio Gabriele Condulmario, vocatisque ipso die *prioribus Patrum* in capitulari loco majoris ecclesiæ, *an expediret ilicò novum creari Pontificem, an in tempus differri*, consultatum est. Quibus festinanda electio Pontificis videbatur, plenum periculis, dictæ congregationi hujusmodi, sine capite gubernari, morbum esse, in totâ Urbe pestiferum, qui non solùm pueritiam & juventutem, sed viros etiam fortes ætate, & aridos senes, quibus innoxia pestis esse solet, depopularetur; eamque luem primò ex advenis ad pauperes Urbis, & inde ad divites, deniqueetiam ad ipsos Concilii Patres advolasse, prædicare, augere

Amadæi Sabaudi electio.

augere timorem, & omnia (ſicut fit) plus vero extollere. Decretum nequaquam obſtare, quo cautum eſſet ſaxaginta diebus poſt vocationem ſuperſederi; id namque intelligi, cùm extra locum Concilii ſedes vacaret; nec exſpectandum eſſe, ut Principes per Gabrielem ſuaſi obſiſterent; quibus ſcribenda unico nuntio foret, & Gabrielis depoſitio, & alterius aſſumptio. Alii verò, quibus ſuperſedendum eſſe videbatur, nec carere Concilium capite, quod Chriſtus erat, aſſeverabant; nec Rectorem deſiderare, quod per Præſidentes & alios Officiales gubernaretur. Peſtis autem in tali re mentionem non eſſe habendam, quoniam nec timenda mors eſſet viris fortibus, nec pro fide Chriſti pugnantibus injici metus tormenti poſſit; eum tamen, qui modò in urbe graſſaretur, morbum, jam jam facto judicio, ſperandum eſſe commiteſcere, qui propter neglectam juſtitiam creditus fuerat invaleſcere. Principibus verò in re tàm ardua, invitis potius quàm neglectis utendum eſſe, nec verendum fore, quin eo caſu fortes fortuna ſit adjutura. Re igitur inter omnes diligenter trutinatâ, licèt quot homines, tot ſententiæ forent, & ſuus cuique mos eſſet, conſtare tamen inter omnes videbatur, utilius eſſe ſtatim eligere, differre honeſtius. Eam ob cauſam *Johannes Segovius*, ſummâ ſcientiâ vir: *Diverſis hinc atque hinc Patres* (inquit) *rationibus trahor, ut tamen maturius rem ex animo colligo, ea mihi demum ſententia ſtat, ut electionem feſtinam humani, dilationem verò bimeſtrem divini, conſilii putem; mihi enim non videtur, ſic factum legibus reſcindi poſſe, Decretique noſtri non ſolùm verba, ſed mentem quoque ſervandam cenſeo. Quapropter ſi mihi creditis, honeſtatem potius periculoſam ſequemini, quàm utilitatem ſecuturam, licèt revera ſecerni utilitas ab honeſtate non queat.* Vicit igitur inter Patres *dilationis ſententia*, duobuſque menſibus expectandum eſſe, decreverunt. Interim miſſi ad Principes Nuntii, *Depoſitionem Romani Pontificis in Synodo factam*, ubique gentium publicarunt. Corruptus tamen intereà cœli tractus, & lethifer annus nequaquam purgabatur, ſed creſcente indies tabidâ lue, linquebant plurimi dulces animas, aut ægra trahebant corpora. Quare orta eſt ſubita trepidatio Patribus, nec quid agerent, ſatis conſultum habebant, neque tutum ſe transferre putabant, neque manere, qui tamen permanendum duxerunt, alios quoque tenuerunt, ut qui famem & hoſtiles inſidias ſuperaverant in terra, peſtis perſequutione non viderentur deficere; quia tamen non omnes teneri poterant, cautè proviſum eſt, ne per cujuſquam receſſum diſſolvi Concilium videretur; utque ſolidius res firmarentur, lecti ſunt ad hujuſmodi curam nonnulli Patres, quos *de Stabilimento* appellavere, quorum poſteà in longum tempus poteſtas duravit. Cumque jam ſteriles exueret Sirius agros, omneſque arerent herbæ, latius undique graſſata eſt peſtis, & ferveſcens dietim morbus, incredibile eſt, quantas animas Orco dimiſerit. Horribile viſum erat, horatim funera per vicos exportari, ſemperque aut *Dominicum corpus*, aut *Unctionis extremæ Sacramentum*, in viarum compitis eſſe, & ubique planctum, *Peſtis Baſileenſis ſævitia.*

(I) 2 ubique

ubique gemitum exaudiri. Nulla expers luctus in tota urbe domus patebat, nullibi aut risus cerni, aut jocus poterat; illic matronæ viros, illic viri uxores deflebant. Ibat per urbem omnem uterque sexus; & illi natos, illi parentes, alii fratres, alii amicos desiderabant. Ut tamen pavidior quisque fuit, sic alter alterum sermone vitabat; & alii quidem domi manebant, alii verò per urbem euntes, narium & oris spiracula, captatis adversus pestem odoribus, claudebant. Cadebat sine numero urbana plebecula, utque in primo autumni frigore sylvarum folia concidunt; sic juventutis corpora expirabant; tantaque morbi vis fuit, ut aliquem nunc in platea lætum & validum cernens, post horam decimam humatum fore audires; jamque tot erant morientium funera, ut sepulturæ loca deforent. Quapropter exaratis omnibus cæmiteriis, foveas in Parochiis peramplas fecerunt, ubi pluribus congestis cadaveribus, terram superinduxerunt. Quam ob causam ita exterriti Patres erant, ut nullus jam in eorum facie sanguis rubesceret; permaximè tamen inopina, & subita mors *Ludovici Protonotarii* cunctos exterruit, quem (sicuti supra retulimus) virum robustum, ætate florentem, & utriusque Juris scientia eminentissimum, paucissimis horis invidiosus oppressit morbus. Cecidit & paulò pòst *Ludovicus Patriarcha Equileiensis*, vir grandævus, & in adversitatibus enutritus, nec quem optaverat diem Electionis Papæ potuit cernere; in eo tamen partem consolationis recepit, quoniam prius depositum Gabrielem vidit, quàm moreretur; lætusque (ut anteà prædixit) tale nuntium in orbem portavit alium. Hic septem diebus ægrotavit; & (ut quidam volunt) incuriâ magis suâ, quàm vi morbi defunctus est; fuitque ejus obitus omnibus Patribus amarissimus; jamque *duas Concilii columnas* prostratas esse dicebant, *Protonotarium* & *Patriarcham*; quoniam *jure* alter, *facto* alter veritatem Synodi defendissent. Delatus est hic feretro super cervices hominum Patriarchali habitu vestitus, faciem ostentans similem dormienti, usque ad Carthusiam, quem omnis Patrum lachymans secuta est turba; ibique ante altare sepultus jacet. Per idem temporis diem clausit in terra Suitzerorum vir summa doctrina, *Eleemosynarius Regis Arragonum*; in Argentina paulò pòst *Ebronensis Episcopus*; in Spira, *Abbas Vergiliacensis*; & inter Budam & Viennam Austriæ *Johannes Lubecensis Episcopus*. · Sed ii ultimi etiam illud commemorandum in morte gesserunt; namque ubi adesse migrationis horam sensere, compluribus ad se viris gravibus accersitis, coram ipso Christi corpore, quem statim sumpturi, & ante cujus tribunal intra paucas horas compariturі erant: *Vos omnes qui adestis*, dixerunt, *orate Deum, ut illos concordet, qui Gabrielem pro Summo Pontifice recognoscunt*; *quia in eo statu salvari non possunt*, seque in fide Basileensis Concilii morituros professi, absque ulla excusatione, dormientibus similes, ad Dominum migraverunt. In Bohemia quoque Legatus S. Concilii *Constantiensis Episcopus*.

ſcopus, virtutis exemplar deceſſit. Erat & intra Concilium & extra ubique timor & tremor. Fuerat in Concilio per plures annos *Abbas de Dona*, Cumanæ Diœceſis, vir mundo pauper, Deo autem dives; quem nec preces ullæ, neque minæ ullæ unquam à recto propoſito flexerunt; mendicareque potius in veritate Patrum voluit, quàm in mendacio æmulorum abundare. Quapropter dimiſſis Dominis, qui ſibi victum præbebant, in peſte permanſit, quâ etiam ipſe tactus, migravit ad Patres, unamque tantùm vaccam teſtatus, ſuo Monaſterio legavit. Ex Camera Areſatenſi percuſſus *Henricus Capellanus*, triduò expiravit. Ex officio Scriptorum Bullarum octo defuncti ſunt, inter quos etiam vir ſummâ bonitate *Arnoldus Kempenick*, tunc Reſcribendarius deceſſit. Ex Scriptoribus ſacræ Pœnitentiariæ, aut totidem, aut plures ceciderunt; omniſque ordo Patrum confoſſus fuit. Ex Doctoribus magnus defecit numerus. Qui verò ægritudinem incidebant, admodum pauci liberabantur. Unus tamen inter alios *Æneas Sylvius Senenſis*, morbo percuſſus, divinâ adjutus evaſit gratiâ; hic enim ſepulto amico ſuo Juliano Romano, quem tenerè adamavit, ſequenti nocte ulcus perſenſit, triduoque morti vicinus jacuit, deſperantibuſque domeſticis ſuis inunctus eſt, totaque urbe ab amicis pro mortuo deploratus. Ut tamen divinæ pietati collibuit, ſpatium vitæ longioris recepit. Sed heu rerum humanarum inſtabilis ordo! heu fallax promiſſio mundi! Æneas, qui ſuo in corpore mori non potuit, in alieno eſt mortuus; parvo namque poſt tempore ex Tridento rediens, *Johannem Pinanum*, ex Rothomagenſi civitate oriundum, venenoſa febre & incuriâ medicorum extinctum reperit; quo nuntio ita turbatus fuit, & ita mente alienatus, ut animæ ſuæ dimidium ſibi ſubtractum eſſe oſtenderit. Neque deinceps ille ſibi ad res Conciliares ardor, aut ad literarum ſtudia vigor manſerit, vixque animulam, quâ nunc ſpirat, retinuiſſe ſe diceret. Fuit autem Johannes honeſtis parentibus natus, literis ingenuis eruditus, experientiâ rerum perdoctus, ingenio vigil, & animo vaſtus. Apud Cardinalem Arelatenſem literas primus obſignabat; in re conciliari ſic diligens & exactus erat, ut eum inter primos locent, quorum obitus ſacro Concilio oneroſi fuerunt; cum Ænea verò non tantùm ſocius, ſed alter Æneas erat. Ferenda tamen fuit omnibus illa fortuna; nec quiſque impune præteriit, quin aut ſuum, aut alterius indoluerit caſum. Illis autem diebus, quibus fervidior erat peſtis, quibuſque dietim plus quàm centum funera apparebant, magnæ apud Arelatenſem habitæ preces ſunt, ut vicinum aliquod in rus ſecederet; eratque omnium domeſticorum aut familiarium ejus vox eadem. *Quid agis ſpectate Pater? Fuge hunc ſaltem lunæ defectum, ſalva tuum caput, quo ſalvo, ſalvamur omnes, quo etiam pereunte, omnes perimus, quòd ſi te peſtis opprimat, ad quem confugiemus? Quis nos reget, quis ductor hujus fidelis exercitus erit? Jam tuam Cameram irrepſit virus, jam Secretarius tuus, jamq; Cubicularius tuus mortem obiit. Conſidera diſcrimen, & ſalva teipſum & nos.*

Sed neque illum preces, neque Domesticorum funera flectere potuerunt, volentem potius cum vitæ periculo salvare Concilium, quàm cum periculo Concilii salvare vitam. Sciebat enim, quoniam se recedente, pauci remansissent, facileque committi fraus in ejus absentia potuisset. Quocirca sicut in re bellica milites omnia discrimina subeunt, cùm medios inter hostes Imperatores conspiciunt; sic *Patres Concilii* pestem horruerunt fugere, cùm Præsidentem in eodem periculo secum permanere viderunt. Quæ res opinionem illorum evertit, qui Patres in Basilea commorantes, non fidei veritatem, sed propria quærere commoda, garriebant. Nullum est in terra commodum, quod permutare cum vita mortales soleant; illi namque, qui mundo serviunt, omnibus rebus anteponunt: Et illi quidem (ut est in Cicerone) nihil habentes in vita jucundius vitâ, ducere vitam cum virtute non possunt. Hi autem nostri murum inexpugnabilem pro Dono Dei se exhibentes, superatis omnibus, quas Gabriel struxit, insidiis; superatis etiam difficultatibus, quas sterilis annus produxit; ad extremum quoque vivendi cupiditate posthabitâ, periculum superavere, veritatemque sacri Concilii usque in hoc tempus incommutabilibus animis defendere non dubitarunt. Transactis autem post depositionem Gabrielis, diebus Decreti, visum est Patribus *ad electionem Pontificis* intendendum, habitisque inter Primates *de modo procedendi* sermonibus, avisatum est, & tandem in Deputationibus, & in plenaria Congregatione conclusum, *duos & triginta Patres ex corpore Concilii assumi debere*, omnes in Diaconatus ordine constitutos, qui suscepti jurejurando, per sanctam Synodum ordinato, unà cum Cardinali Arelatensi intrantes Conclave, Romanum Papam eligerent. Deputationi tamen, cui *de communibus* nomen est, soli quatuor & viginti ad celebrandam electionem, recipiendi cum Cardinali videbantur, eosque in Sacerdotio requirebat. Obtinuit tamen (ut semper fit) quod tribus placuit; quapropter Decretum super re factum est. Intereà Domus Conclavis sine intermissione parabatur. Quâ perfectâ, ad nominationem XXXII. qui cum Cardinali Papam eligerent, circa ipsum Octobris principium ventum est; fuitque res primo ingressu apprimè difficilis; & aliis quidem uno, aliis alio modo nominare Electores placebat. Aperuit tamen denique *Gulielmus Archidiaconus Metensis*, vir & naturali sensu, & acquisito memorabilis, cujusque supra in relatione processus Papæ meminimus, viam unam, quæ primò per *Deputationem Fidei* approbata, & per alios rejecta, ab omnibus tamen maturius pensantibus, recepta est. Ajebat enim gravissimus ille Doctor, *tres* esse in Concilio *Patres*, quibus res ista committi posset, quorumque fidem totum Concilium crederet sequuturum. Tres autem viros hos fore dicebat, *Thomam Abbatem de Dunduno*, Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Candidæ Casæ, vulgò *de Græcia*, nuncupatum; *Johannem de Segovia*, Archidiaconum de Villa Visiosa in

Ecclesia

Ecclesia Onatensi; ac *Thomam de Corcellis*, Canonicum Ambianensem, in sacra Theologia Magistros. Quibus sobriè laudatis, quoniam vice virtutis essent, hos primum tres fore ex Electoribus Romani Pontificis statuebat; iis quoque committi electionem reliquorum novem & viginti, quos clam omnibus inter se nominarent, nec ante diem publicarent, quæ introitum Conclavis immediatè foret præcessura. Quare *in Deputatione fidei* approbata missi ad alias Deputationes, fuit *Franciscus de Fuxe*, *Theologus*, ac *Æneas Senensis*, qui rem aliis suaderent, sed suspicantibus aliis fraudem esse, frustra omnis suasio fuit. Quoniam tamen nulla per alios expeditior aut securior via demonstrabatur, stetit *Deputatio fidei* semper in sententia; interjectisque nonnullis diebus, iterum Franciscum atque Æneam prædictos ad Deputationes alias destinavit, eo addito, ut si placeret Deputationibus aliis, virum alium sibi tres Patres coassumerent. Hoc autem ideò factum est, ne maxima omnium Germanica natio, nullum se inter tres viros habuisse, conqueri posset; *Abbatem* namque illum *de Scotia* videri potius Gallicum, quàm Germani nonnulli submurmurabant, fuisseque in hoc tàm grandi negotio non insularem, sed mediterraneum hominem, qui alios nosset, assumendum, quæ adjectio animos ferè omnium placavit; ac post multas rei discussiones, in hac sententia consonatum est. Nominati & electi sunt tres viri supradicti pro tribus ex Electoribus Romani Episcopi; hisque plenaria facultas commissa est, eligendi si vellent, & assumendi secum unum, duos, aut tres alios, prout eis videretur; qui assumpti & electi, similem & eandem secum potestatem haberent, facultate, mandato, vice, & authoritate sacri Concilii nominandi, & eligendi restantes Electores, ipsius futuri Summi Pontificis, & etiam alios Officiales pro Conclavi necessarios; ita quod nullus per eos eligendus, aut nominandus, *electus* & *nominatus* censeretur, nisi à majori parte ipsorum eligentium nominatus, electusque foret; injunctumque eis est, ut reciperent, & nominarent ipsos restantes Electores, ex toto corpore Concilii, habendo respectum ad Nationes & Deputationes in Concilio existentes, quantum fieri posset. Receptumque à præfatis tribus juramentum est, quo stricti sunt, viros idoneos, & timorem Dei habentes, nominare, electosque per ipsos usque ad publicationem eorundem in generali Congregatione aut jussione, jussu Concilii faciendam, nemini revelare; sed ipsam Electionem, sic per eos celebrandam sub eorum sigillis in loco securo, & sub fida custodia, usque ad ipsam diem publicationis tenere. Quæ res tertio Idus Octobris in generali Congregatione peracta est, mirumque omnibus visum est, ac miraculo simile, rem tantam, tàm necessariam, tamque optatam, *tribus* duntaxat *viris* potuisse committi. Fecit tamen omnia virtus, omnemque fraudis suspicionem probata *Triumvirorum* bonitas procul extrusit. Re autem hac conclusa, videbatur *Cardinalis*

Arela-

Arelatensis præter opinionem omnium expeditionem differre; & alii quidem (ut est multitudo ad detrahendum prona) eam mordebant, alii contra ipsius intentionem properari electionem studebant. Quam rem (ut ille intellexit) præter consuetudinem suam, quam nunquã hactenus maledicta curare perpendimus, hujusmodi rerum querimoniam Deputationibus fecit; tantumque dicendo effecit, ut se penitus expurgato, eos, qui sibi detraxerant, in odium ac contemptum adduxerit, fidemque erga Concilium suam probabiliorem reddiderit. Dumque ista geruntur, jam fama in orbem ierat, cessasse apud Basilienses pestem, electionemq; Papæ accelerari. Quapropter ad spectaculum tantæ rei ex diversis Regionibus complurimi advolarunt, inter quos etiam plerique insignes Prælati profecti sunt; cumque jam plenius solito Concilium esset, & omnes ferè rediissent, quos pestis fugaverat, volentes *tres viri* commissionem per Concilium factam exequi, coassumpto sibi *Christiano de Gregregino*, Præposito Ecclesiæ S.Petri, in Brumia Olomuceæ Diœcesis, ex umbilico nationis Germanicæ oriundo, in Theologia Magistro, & recti judicii, & constantis animi viro, quinto Calendas Novembris in domo Fratrum Minorum convenientes, nominationem sibi commissam peregerunt, eamque juxta mandatum Concilii obsignatam custodiverunt. Prius tamen quàm id ageretur, viros expertos ex singulis nationibus in colloquiis habuerunt, quorum relatu, & mores hominum persenserunt, & qualis quisque in sua patria haberetur, subtili indagine didicerunt. Complures quoque ad eos suopte ingenio decurrebant, quibus vel laudare amicum, vel reprobare inimicum studio fuit, quos illi veritatis cupidi, & ne in tanta re fallerentur, anxii, libenter audiebant; nullumque eos in S.Concilio perpetratum latuit malum, & multa etiam foris acta senserunt. Quò fit, ut nullum magis hodie de moribus hominum, quàm *triumvirale judicium* exspectetur. Hi ergò quarto Calendas Novembris ex jussu Concilii, relaturi, quid egerant, in Congregationem venerunt, quo loci jam omnes (ut ajunt) incorporatorum cœtus confluxerat, nec illa die ex his, qui poterant, quisquam defuit; & quoniam nulli unquam *tres viri* se aperuerant, quantò secretior res erat, tantò desideratior omnis videbatur. Confabulari autem omnes invicem, multa de *tribus viris* dicere, multa etiam de *nominatione* vaticinari, & alii istum, & alii illum Electorem futurum contendere, & ut affectio & verisimilitudo trahebat, quemque sic ratiocinari. Quia tamen nihil certi habebant, mira omnibus erat audiendi cupiditas; & alii quidem festivas induerunt vestes, alii servitores novos conduxerant, alii etiam domum amicis commendaverant, qui se futuros in numero Electorum arbitrabantur. Fit enim nescio quomodo, ut se quisq; supra virtutem æstimet suam, quorum ambitio magis posteà irridetur, quàm impleatur. *Cardinalis* autem *Arelatensis* in tanta re anxius, & pluribus occupatus negotiis, aliquantò tardius venit quàm tempus exegit, expectationemque sui non sine admiratione omnibus præbuit; qui tamen ut ad subsellia resedit, morâ suâ primitus excusatâ: *Hodie* (inquit) *magna res agitur, in nominatione, quæ statim aperietur, status Ecclesiæ pendet; si tres viri, quibus rem commisistis, bene egerint, fateor*

quippe

quippe tardiusculè me venisse; si autem malè, nimis cito assum. Quæ verba, & trementi voce, & ore pallido, atque ex abundantia cordis pronuntiavit; qùi sic locutus, aspectu tristis, animo turbatus & oculis minax cunctis terrori erat; tantumque mentis mœrorem ostendit, ut plurimi conlachrymati sunt, qui ejus in fronte statum suum condiscunt. Verebatur namque optimus ille Pater, ne *tres Viri*, spretis majoribus Prælatis, plures ex inferioribus accepissent; quæ res eò erat suspectior, quoniam nunquam scire aliquid de mente Triumvirorum potuerat: Qui ut corrugatam tunc Cardinalis frontem inspexerunt, quasi post corruscantem aërem ad sustinendam procellam se paraverunt. Timor tamen omnibus fuit, ne illo iterum die scinderetur Ecclesia, periculosiorque illo tumultus formidabatur, quem loci alias electio peperit. jam enim, ut quisque mente conceperat, sic aut laudationi, aut vituperationi Triumvirorum, se accingebant. Quibus cognitis, visum est *tribus Viris*, ante aperturam tabularum, parumper sermocinari, & animos audientium prius placare, quàm læderentur, nominationisque suæ tunc causas aperire, cum audiri possent, sciētes, quia post vulnus inflictum nemo benignus est auditor. Locutus pauca prius est *Abbas Scotus*, Triumvir, & post eum *Johannes Segovius*. Ut igitur nulli se spretos crederent, qui forent omissi, præfatiunculam istiusmodi præmiserunt: *Cogitatum se maximum habuisse, quos Viros intra conclave reciperent, quosq; extra dimitterent, opusque sibi visum fuisse non minus extra quam intus Viros habere sensatos, qui & conclave tuerentur, & fieri novitates in synodo prohiberent; idq; ex Platonis, summi Philosophi, præceptis se dedicisse, qui* Rectores civitatum *sic curare totum reipublicæ corpus jubet, ne dum partem aliquam tueantur, reliquas deserant. Quæ res etiam eos commonuerit, Electores quoque sic per provincias numerare, ne honoratæ aliæ, neglectæ aliæ viderentur. In electis verò magnam curam habuisse, ne vel Episcopum sine plebe, vel Abbatem sine Monasterio sumerent. In omnibus autem per se nominatis, aut bonitatem singularem, aut nobilitatem cum bonitate, aut summam scientiam cum bonitate & nobilitate se invenisse; Et in Episcopis quidem cum Cardinali, qui Episcopus esset, numerorum esse Apostolis æquatum; Abbates septem Theologos quinq;, inter luminatos ac Doctores novem, omnes autem, in Presbyteratus ordine constitutos. Alios quoq;* Officiales *à se nominatos, & dignitatibus esse, & virtutibus insignitos.* Vice Camerarium *quidem* unum; Custodes Conclavis octo; ceremoniarum clericos duos, Promotores duos; Procuratorem; Fiscalem unum; Soldanum unum, *quam circa nominationem habuisse se, & ad Deputationes, ut injunctum sibi fuerat, oculum.* Quibus dictis aliquantisper multitudinem placaverunt, factoque miro inter omnes silentio, aperta sunt Nominationis tabulæ, quas Johannes Segovius legit, fuitque omissus in illis Nationum ordo; onerosum enim Triumviris putatum est Nationem Nationi præferre; ideoque ut quisque prior, aut Prælaturâ, aut dignitate fuit, sic prius est nominatus. Ego autem nequaquam timebo Nationū servare ordinem, qui Constantiæ fuit servatus, nec mihi invidiam timeo,

Numerus Electorum ex vario ordine.

(K) quia

quia nec præpositis gratiam, nec postpositis injuriam faciam, ordinem namq; istum neque nobilitas neq; majoritas, sed tempus peperit; quia, ut quæq; natio Verbum Dei prius suscepit, sic prior habetur, nec aut laudi est mihi aut vituperio, dummodo Christianus sum, Majorum meorum, vel matutina, vel vespertina conversio; nec plus habet in Evangelio, qui manè ad veniam venit, quàm qui vesperi; Nationem tamen Italicam etiam sedes beati Petri, & Romanum imperiū facit priorem; Servabimus ergo ordinem Nationum facilioremq; legentibus præstabimus intellectū. Illud tamen prius sciendum est. Cardinalem Aerlatensem, non *nominationis triumviralis* gratia, sed *jure proprio* ad Electionem venisse; ideoq; primū eum extra Nationum ordinem pono, eundemq; locū cæteri Cardinales habuissent, si qui aut reintegrati Ecclesiæ, aut *Eugeniana labe minimè commaculati* in tempore advenissent Primus itaq; omnium Electorum, *Cardinalis* fuit *Arelatensis*, Vir & constantiæ insuperabilis, & prudentiæ incomparabilis, cujus virtuti haud asscribere titubaverim quæcunq; in Concilio gesta sunt, quia nec sine illo Prælati perseverassent, nec alicujus Principis umbra protexisset. Sed pergo ad *Nominationem*. Ex *Italica Natione* recepti sunt Episcopi, *Gulielmus Vercellensis*, Vir & Concilio notus, & in patriâ dilectus, & origine quidem Gallicus, dignitate verò Italicus, & in quo prædecessoris odor sui Eusebii adhuc spirat; *Georgius Augustensis*, ex clarissima Salutiarum familia genus ducēs, ac non solum sanguine sed animi quoq; generositate, & virtutibus nobilis; *Johannes Eporgiensis*, & literis & probitate clarus, ac senilem prudentiam in ætate adhuc juvenili ostendens; *Ludovicus Taurinensis*, claris ortus Parentibus & scientia juris eminens, & moribus ubiq; honestis excultus. Abbates *Aleranius*, S. Benigni Eructuariensis, vir tam moribus quàm ætate gravissimus cui ex nobilissima domo de Carrecto origo est, quæ tātæ olim sublimitatis fuit, ut Imperatores quoque habere meruerit. Et huic quidam Germanus est *Matthæus Albigaunensis Episcopus*, cujus in omni re prudentiā per plures annos sacrū Conciliū demiratū est. Et horū sanè, qui alterū videt utrūq; videt; sic est uterq;, & habitu corporis & vidēdi consuetudine assimilis. *Jacobus de Secusia*, & annis & prudentia antiquus. Doctores Frater *Iohannes de Monte Comito*, præceptor domus S. Antonii de Roversio; cujus in toto Ordine S. Antonii magna æstimatio est; quiq; post magnum Abbatem secundus habetur, & hic in Italia beneficium habet, in Gallia parentes. Frater *Bartholomæus de Proavis* Præceptor domus de Clavacro ejusdem Ordinis, Vir bonitatem non minus, quàm doctrinâ amabilis; cumque iis Viris ad eligendum Romanū Pontificem Italicorum natio est admissa. Ex *Natione Gallica*, quæ & ipsa secunda est, cujusq; in Ecclesiam Dei permaxima extant beneficia, nominati sunt ex Archipontificali dignitate, *Johannes Tarantasiensis*, Vir vita præstans & omnis inimicus ambitionis, quiq; invitus ad tantam dignitatem vocatus fuit. Ex Pontificali *Franciscus Sebensis*, antiquus Romanæ curiæ Officialis, vir ut parvi eloquii, sic magnæ intelligentiæ, & cujus judicium in omni re ardua sit præponendum. *Bernardus Aquensis*, juris

Electores

Itali.

Galli.

jurisconsultus admodum oculatus subtilisq; quia tamen ob notissima corporis impedimenta, infestâq; sibi podagram, hic se excusavit, *Ludovicus Massiliensis* in ejus locum suffectus est, Vir animo vastus, & ab omni simulatione alienus, quem talem puta, qualem audis, nusquam *fallax*, *nusquam* deceptor; & hic *sententiam in Gabrielem latam* publicè legit, cum ille ex Romano dejectus Pontificio fuit. Ex Abbatiali *Raimundus Conchensis*, scientiam juris Pontificii apprimè callens, multâque in rebus conciliaribus experientiâ tritus; quique pro S. Synodo compluribus legationibus functus est. Ex gradu Theologico *Nicolaus Tibout Normannus*, Vir quondam negotiosæ, nunc autem nimium senescens otiosæ virtutis, *Iohannes de valle Britto* & patriam virtutem, & ingenium ostendens, *Thomas* verò *Corcellis* triumvir fuit Ex jurisconsultis *Guilielmus Hugonis*, *Archidiaconus Metensis*, Vir nec prudentia ulli prædictorum, nec scientiâ inferior. Hi omnes cum Cardinali Arelatensi ex tota Gallia ad electionem Romani Papæ vocati sunt. Ex *Natione Germanica*, quæ omnium est amplissima, recepti sunt ex Episcopali præeminentia, *Fridericus Basiliensis*, nobilitate generis, & humanitate in omnes eximius. Ex Abbatiali, *Conradus de Luzella*, *Cistercienfis Ordinis*, vir ut Monachum decet, & à pompâ seculi & ab omni superbia remotus, ac *Thomas de Scotia*, Triumvir. Ex Doctorali *Detzelaus*, *Archidiaconus Cracoviensis*, Polonus genere, conversatione verò suavis & doctus, *Iohannes VViler*, Decanus Basiliensis, Vir mansuetus, & sciens plura quàm prædictus, *Hericus de Iudæis*, in splendida urbe Coloniensi natus, humanitate ac doctrina patriā redolens, *Iacobus de Salburga*, *Canonicus Ratisbonensis*, vir neque precibus neque minis commutabilis, *Christianus* autem (ut suprà diximus) jam in consortio Trirumvirorum erat assumptus. Ex *Natione Hispanica*, quæ & ipsa vastissimos habet ac pernobiles campos, quatuor Christianis Regibus, & uno Infideli regnata: hi sunt ad Electionem magni Pastoris accersiti. Pontifices octo, *Dertusensis*, consilii utilis, & animi stabilis, totaque conversatione perlepidus, Hic in eâ sessione quæ lata est in Gabrielem depositionis sententia, præsedit, nec post, quamvis plurimi pestem fugerent, de recessu habuit mentionē, fidusq; semper & Arelatensis comes, & Ecclesiæ filius, *Georgius Viçensis*, summa doctrinâ & gravitate, quo nemo pluribus, nemoque gravioribus apud Principes Concilii causa Legationibus usus est, quas cum magnis vitæ periculis magnisque peregit sumptibus, qui etiam illud singulare fecit. Is enim, ut vidit Principes Gabrielis causam tueri, & Oratoribus suis præfinita loqui præcipere Eugenianis, legatione Regis sui, quā tunc apud Synodū gerebat, se abdicavit, ne cum aliis Principum Nuntiis dicere adversus cōscientiā cogeretur. quod si alii fecissent Episcopi, nequaquā authoritatē Ecclesiæ Principes, cum sua neutralitate parvi pendissent, sed omnium malorū quæ in Ecclesiam irruerunt, partem maximam ipsimet induxerunt sacerdotes. *Ludovicus Visensis*, vir & amicus amico, & conversatione perplacidus hic Orator Johannis Portugaliæ Regis præstantissimi in Concilio fuit, quo vita functo etiam in Concilio mansit, tribusq; ipsius in Cōcilii honorificētissimis legationibus functus est. Ivit ad

Germani.

Hispani.

Ludovicus Visensis Regis Portugaliæ Orator. ejusq; Legationes diversæ.

Græciam cum viro prudentissimo Ludovico Lausanensi, quem & viarum, & periculi, & honoris habuit comitem. Ivit Coloniam, & ad Ducem Burgundiæ potentissimum collega Ludovici Protonotarii; & ambo quidem in reditu per quendam ex Comitibus Palatinis Rheni capti sunt, & jussu Gabrielis in custodiam mancipati. Qua in re virum se priscæ virtutis Visensis ostendit; namque cum libertas sibi abeundi, dimisso collega, fieret, *nunquam se*, inquit, *carceres egressurum, nisi cum socio*. Ivit & in eas Galliæ partes, quibus Britannia hodie nomen est, Ducisque illius excellentissimi animum ad Concilium flexit.

Abbates & Doctores admissi. *Abbates* recepti sunt *Petrus S. Cucuphatis*, vir solers & Monasteriorum gubernationi aptissimus; ac *Antonius Arularu*, & aspectu, & alloquio gratus. *Doctores, Bernardus Buscho, Canonicus Ilardensis* judicii non minus recti quàm firmi; & *Raimundus Albioli, Canonicus Tirasonensis*, sensum habens, & mores ætati convenientissimos; *Johannes* quoque *Segovius*, Triumvir ex hac natione electioni interfuit. Hi quoque ex quatuor Nationibus nominati ad eligendum Papam fuerunt.

Anglici absentes. *Anglici* verò idcirco recepti non sunt, quia non aderant nec alii assumi poterant quàm præsentes. *Officiales* autem circa conclave necessarii vocati sunt: *Lodovicus Episcopus Lausanensis, Vice camerarius*, vir summi exercitii, summæque vigilantiæ, & ad officium sibi commissum non solum aptus, sed necessarius; cujus in negotiis singulis diligentia, in sacro Concilio & in omnibus rebus bonitas in tota Christianitate perspecta est.

Custodes Conclavis. Custodes conclavis *Parcenallus, Bellicensis* Episcopus non minus re bonus quàm aspectu. *Nicolaus Grossetanus* genere nobilis & fidelitate insignis, quem & pro servitio Ecclesiæ & pro defensione fidei spoliari beneficiis non piguit, veritatem cum paupertate, quam mendacium cum divitiis eligentem. *Iohannes S. Michaelis de Clausa*, Thaurinensis diœcesis, præstanti ingenio. Et *Franciscus Abundantia*, tam scientiâ, & virtute, quàm temporalibus bonis abundans. Monasteriorum Abbates, *Franciscus de Fuxe*, Theologus, professione minor, eloquentia magnus. *Guilielmus de Constantia*, Canonicus Spirensis antiquus pontificii juris interpres. *Iohannes de Turicella*, Decanus Segobricensis, jurisconsultus; ac *Theodoricus Nagel*, Canonicus Rigensis probitate cognitus.

Clerici Ceremoniarũ. Clerici, gratia Ceremoniarum, *Æneas de Piccolominibus Senensis* Canonicus Tridentinus, ac *Michael Brunout*, Canonicus Beluacensis, in eo exercitio longo tempore tritus.

Promotores. Promotores, qui antea in Concilio per plures annos negotia promoverant, viri docti, & constantes, *Hugo Gerardi*, & *Iohannes Slitzenrode*, Procurator fiscalis, qui antea fuerat vir exercitatus; *Robertus Magnani*; Soldanus verò *Petrus de Atro*, qui etiam ab initio nascentis Concilii eo in officio laudabiliter se habuerat. Hi fuerunt viri conscripti ex nominatione triumvirali, quâ per Johannem Segovium lectâ (ut antea diximus) exhilaratus est Cardinalis animus, qui usque ad illam horam trepidus stupidusque permanserat, nec persuaderi sibi poterat nominationem istiusmodi fieri.

Cardinalis Arelatensis animum recipit. Ut autem vidit Episcopos, & Abbates in magno numero assumptos, & Nationes quæ in Concilio erant, æquis portionibus honoratos, & a-

& animi ſimul vigorem, & frontis recepit colorem. Factusque, lætus ſereno vultu Concionem quoque exhilaravit, quæ illo mæſtitiam oſtendente, non triſtis eſſe non poterat. Habuit ergo Cardinalis de nominatione facta magnifica verba, triumque Patrum virtutem magnopere commendavit, qui & in Concilio ſe ſemper bene habuiſſent, & nunc optimè, poſteaque Concionem dimiſit: Eaque die occupati omnes fuerunt ad præparandos in Conclavi neceſſarios convictus. Serò autem ſinguli Electores ad Cardinalis domum vocati, de Cameris dividendis, intra Conclave ſermonem intra ſe habuerunt; & quoniam Camerarum magna differentia erat, videbatur Prælatis diviſionem ſecundum dignitates fiendam; atque ut quisque dignior & antiquior eſſet, ſic prior locum ſibi aſſumeret. Nec ferendum eſſe dicebant ut Cardinalis, & Archiepiſcopus cum Doctoribus veniret ad ſortem: quo caſu ridiculum eſſet, ſi Cardinalem infra, & Doctorem ſupra locari contingeret. Cumque Prælati eſſent numero plures, omnesque uno ore loquerentur, deſperata res videbatur de ſortibus cogitare; utcunque tamen res iret, viſum Doctoribus eſt, etiam pro ſe verba facere, dicebant igitur priſcas conſuetudines non debere reſcindi, in omni Conclavi obſervatum, ut Cameræ per ſortem dividerentur, neque id inter Cardinales tantum, ſed etiam inter Cardinales & alios fuiſſe; Conſtantiæ Cardinales admodum multos, non tamen reſpuiſſe cum Epiſcopis & Doctoribus ſortem ſubire; Prælatos autem nimium ſibi ipſis favere qui cum eſſent numero plures, ſententiam magis vocibus, quàm rationibus obtinerent: ſi ſine ſorte fiat electio camerarum, timendam eſſe colluſionem, inter Electores quoque timendum ſchiſma, ne ſtantes infra, & rigentes frigore, locatis ſupra invideant. Quibus rationibus Cardinalis evictus, in ſententiam Doctorum conſenſit, ac poſt eum Vir bonus *Epiſcopus Dertuſenſis* prophetatus eſt; *ſi quis enim eſt* (ait) *cui nocitura ſors ſit, ego ille ſum, quem ultimum ſors efficiet, ne tamen aut priſcas conſuetudines evertamus, aut invidioſi Doctoribus, ſimus, utilius putarem ſortibus tranſigi*, ejusque in ſententiam concluſum eſt. Eademque ipſa hora miſſi ſunt ad Conclave, ex omni ſtatu Electorum, cum Cardinali Arelatenſi, qui ſortes ſuper cameras ex concilio Vicecamerarii jacerent. Scripta igitur ſunt Electorum nomina ſingulatim per ſchedulas, qui omnes clauſæ ac permixtæ, in quodam birreto reconditæ ſunt, atque exinde ad primam, digrioremque Cameram ventum eſt, ubi tunc Cardinalis Arelatenſis manum jaciens in birretum, ſchedulam, quæ ſibi ſorte obvenit, recipiens, legit, eamque Vicecamerarius in fronte ipſius cameræ confixit, ſicque ſucceſſivè per ordinem factum eſt, ut intraturi ſequenti die Electores Conclave, eam ſibi cellam noſcerent aſſignatam, ubi ſuo nomini obviarent, fuitque primus omnium Decanus Baſilienſis, ultimus verò (ut vaticinatus extiterat) Dertuſenſis Epiſcopus, miraque in re hac diſtributio ſortis fuit, aut potius divina diſpenſatio, quæ Conſilia hominum reprobans, *Doctorem* primum, Epiſcopum autem poſtremum fecit, cùm ſtatuiſſent ante Prælati Cellulus ſibi digniores

Camerarũ diviſio per ſortes.

asſcribere; id tamen in utroque bonitatis eſt viſum, ut neq; Decanus ex primo loco ſuperbierit; neq; ex ultimo Dertulſenſis Epiſcopus condoluerit; ſed illum indigne ſe credere, iſtum digne locatum humilitas faciebat. Sequenti autem die, quæ fuit Veneris III. Calendas Novembris habita eſt *Generalis Congregatio*, concluſæq; ſunt proximarum Deputationum deliberationes. Seſſioque mox ſecuta eſt, divina autem Officia Cardinalis Arelatenſis celebravit, quo nemo ceremonias novit melius. Sermonem autem ad Electores poſt Evangelium decantatum, *Marcus* inſignis memoriæ Theologus habuit, qui enumeratis depoſiti Gabrielis criminibus, ſuadere electoribus nitebatur, ut virum aſſumerent, qui contraria imitaretur prioribus, quique omnia evitans *Gabrielis vitia* ut ille *calumnius odioſus* fuit, ſic ſe iſte aſſumendus juſtitia præſtaret *acceptum*; & ut ille *rapax* ſic iſte *continens* eſſe ſtuderet. Erat Templum ubique populo plenum; ſtabant inter columnas ſuperiores nobiles Urbis Matronæ, reſpectumq; in concionem habentes, ordinem rerum non ſine devotione conſiderabant. Aderat *Iohannes de Tierſtein*, Comes qui loco Imperialis Protectoris, cathedram adimplebat. Aderat *Conſulatus urbanus*, & alii complures Nobiles, rem inſolitam conſpecturi; ſervabaturque inter omnes ſilentium. Extra Eccleſiam quoque cives in armis erant, ſi quod ſcandalum pararetur, perhibituri. Tantuſque ad ſpectaculum ejus rei confluxerat populus, ut neque in templo neque in plateis recipi poſſet, magnaque undique intra Eccleſiam haberetur preſſura. Ut igitur Cardinalis Arelatenſis intra Miſſarum ſolennia communicaſſet, vocati ſunt ad Altare communicaturi, etiam ſecundum ordinem Electores; tumque Archiepiſcopus Tarantaſienſis, & decem alii Epiſcopi communicarunt poſt autem ſeptem Abbates; exinde quinque Theologi ac demum juriſconſulti novem, qui accedentes Altare genibus flexis, & lacrymis ubertim fuſis, ſacratiſsimæ ſuſceperunt Euchariſtiæ Sacramentum. Erat que venerandum ſpectaculum, tot eximios Antiſtites, totque præclaros Patres, nudam ante dominicum Sacramentum oſtentantes caniciem cernere, & alios quidem orantes, alios verò illachrymantes conſpicere. Devotionem autẽ maximè Cardinalis adaugebat, qui Pontificalibus indutus veſtibus nudato & calvo capite dominicum corpus quibusq; miniſtrabat, Confeſsionemq; in re tali ſolitam ſingulis repetebat, ac ſecutus piiſsima Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti veſtigia, quẽlibet deoſculabatur, hortatus plurimũ, ut quantum quisque poſſet, pura animâ ſuſciperet Dominum. Quam rem ſic ordinatè, ſic ſolenniter, ſic devotè peregit, ut ex videntibus nemo tenuerit lachrymas, niſi qui pectus habuit, aut ſaxeum, aut ferreum. Poſt hæc finita miſſa, & Congregatione generali peracta, prælati omnes infulas, & veſtimenta ſeſsioni accommoda ſuſceperunt. Invocata altis vocibus omnes Patres Spiritus ſancti gratia, peractisque Litaniis, & orationibus, ac omni ſolennitate Seſsionis impleta, *Ludovicus*, *Epiſcopus Lauſanenſis*, ambonem aſcendit, triaque illicque per ordinem legit. Primo *reſponſionem ſynodalem, ac famoſum* *Gabri-*

Criminu Eugenii Papæ.

Miſerarum cantus & Euchariſtiæ celebratio.

Gabrielis libellum, cui principium est *Moyses*. Secundo *limitationem quandam circa Decretum, de electionibus* dudum in synodo editum. Tertiò verò *Nominationem triumviralem*, quam ex certa scienta sacrum Concilium approbavit. Quibus lectis, interrogati Patres, *utrum placeret*. Responsum est ab omnibus, *placet*. Exhinc requisivit Lausanensis *jurisjurandi formam* ab Electoribus præstandam, publice legi. Electoresque juxta Concilii ordinationem jurare. Primus igitur Cardinalis Arelatensis, aperto Decretorum libro, *formam juramenti* cunctis audientibus legit, moxq; requisitus, ut ita juraret. *Ego* (inquit) *Reverendissimi Patres, coram Domino meo Iesu Christo, cujus modò sacratissimum corpus indignus peccator manducavi, cuiq; in tremendo, & magno finali judicio de omnibus per me factis, rationem sum redditurus, promitto, juro & voveo, quoniam in hoc electionis negotio, ad quod nunc volente Concilio mittimur, nil aliud quæram, quàm populi Christiani salutem, & universalis Ecclesiæ bonum. Idque mihi curæ erit studere, ne authoritas generalium Conciliorum vilipendatur, fides Catholica expugnetur. neve Patres in Concilio persistentes opprimi possint, hoc quæram, hoc solicitabo, ad hoc viribus totis incumbam, nihil in hac re, aut mei, aut meorum amicorum causa faciam sed solum Deum & Ecclesiæ suæ utilitatem respiciam, hoc animo, hac mente, hoc denique corde conciliare suspicio juramentum.* Fuitque ejus sermo, & vivax, & terrificus, omniumque astantium commovit animos. Post eum autem Electores alii suo ordine juraverunt. Quæ res electioni pòst factæ maximam præbuit authoritatem. Quis enim non illum summo Pontificio dignum putet, qui tot Sacerdotum Episcoruumque judicio sit comprobatus? Præsertim cum illi antea suscepto dominico corpore jussijurandū præstiterint, nullum se electuros, nisi quem sciverint tantæ idoneum dignitati. In eadem etiam sessione, & *Vicecamerarius*, & *Custodes Conclavis*, & *Clerici ceremoniarum* & *Promotores* jurejurando promiserunt officium suum sine fraude exercere. Quibus Pactis omnibus, hora jam post meridiem tertia adhuc populo jejunante cantatum est undique: *Te Deum laudamus*, & Organis respondentibus alternatim, usque ad finem completus est hymnus. Quo facto, egressi sunt *pueri* in stolis albis admodum multi longum *Processionis* ordinem facientes, quos secuta *pars Cleri urbani est*; & post veneranda incorporatorum multitudo cum Doctoribus, & Universitatum Oratoribus, qui longis honestisque vestibus orantes incedebant. Exinde Sacerdotes urbani, excolendas sanctorum reliquias in ulnis gestantes proficiscebantur. Mox verò *Ludovicus Lausanensis* crucem argenteam ante se habens, sequentibus quatuor Clericis incedebat. Post verò *Cardinalis Arelatensis* adhuc & mitra, & auratis refulgens vestibus, devoto & desideranti populo benedicens. Exinde *infulati Episcopi & Abbates* ad processionem ornati, innumerabili populo subsequenti procedebant, sicque aliis orantibus, aliis

Iuramentum Electorum.

Processio ad Conclave.

suspi-

suspirantibus, usque ad ostium Conclavis est progressum, armatis hinc atque inde propter custodiam Conclavis existentibus. Ut verò *ad Conclave* ventum est receptis Electoribus dimissi sunt cæteri. Intromissi sunt etiam Dominorum servitores concessi. Non tamen ostium conclavis statim est clausum, sed usque ad nonam ante medium noctis horam familiaribus patuit, res deferentibus opportunas, permissique usque id temporis sunt amici ad amicos accedere. Cardinalis autem sic processionaliter ingressus sequentibus Electoribus, in Sacello quod celebrandis Missis paratum erat, ante ipsum Christi vexillum genibus flexis, & nudo capite orationibus Deo porrectis, & domui, & habitatoribus benedixit; sicque positis pluvialibus & mitris, illuc se quisque recepit, ubi nomen suum recognovit. Cùm verò jam noctis venissent tenebræ, ingressus Protector cum quibusdam civibus, & ut quisque locatus esset, visurus, & voluptatem magnam ex tanto ordine suscipiens, post eum verò intravit Lausanensis Vicecamerarius, & ipsum secudi sunt Custodes conclavis. Aliqui ex iis singulas Cameras diligenter rimati, & personarum, & rerum examen habuerunt, excussuri extra conclave, si quid contra leges reperissent nihilque præter ordinem invenientes, abierunt. Et hora (ut dictum est) nona, tam intra, quàm extra, obserata est janua, & undique admoti pessuli cum catenis tenacibus. Sed quoniam *de Conclavi* sermo est, necessarium existimo ipsius *formam* conscribere. Domus erat in medio urbis, apud plateam cathedralis Ecclesiæ, loco edito & patenti, quam nobiles quondam in usum struxerant chorearum & supra & infra perlatas habentem aulas, & superiorem sanè quoniam igne poterat calefieri hyeme, inferiorem æstati deputa erant. Hîc igitur Conclave haberi posse est visum, ut esset domus orationis, ubi fuerat lasciviæ campus, & succederent mores ubi vitia triũpharãt. Cõstructa ergò illic sunt & supra & infra mansiunculæ opportunæ, quarum numerus æquatus est Electoribus, una super adjuncta, quæ Ceremoniarum Clericis deserviret. Fuit autem structura earum admodum facilis nec enim aut saxo, aut robore ligneo parietes instruxerunt medios, sed positis in columnarum morem ex abiete sudibus cortinas simplices, visuque penetrabiles pro parietibus texuerunt. Camerarum forma plerumque quadrata fuit, perbrevis tamen, & angusti vix lecti uniusque mensæ capax, luce autem omnes fere carebant, exceptis admodum paucis, qua spiracula quædam in angulis conclavis habuerunt. In mediis verò cellulis perpetua mansit obscuritas, nec sine candelâ aut legere, aut esse potuit quisquam; noxque una iis fuit dierum septem, ac Cameræ inferiores plus etiam incommodi habuerunt, quia in solo positæ frigidissimo loca piscibus magis, quam humanis apta corporibus præbuerunt. Quocirca omnes qui eas inhabitaverunt, zeumaticum morbum ex humore nimio contraxerunt, & tanquam alter alterum irrideret, tussientes invicem respondebant, nec illi frigori ullum erat remedium, vestes enim & villosæ pelles magis gravabant, quàm calefacerent. Ignem verò habere loci angustia, nec periculum, nec fumus permittebat. Murus

con-

Cardinalis benedictio.

Conclavis forma.

conclavis & grossus undique, & altus fuit. Omnesque fenestræ clausæ fuerunt, parvis admodum foraminibus ad commune lumen dimissis. Exterius verò etiam cancelli circa conclave fuerunt; nec appropinquare muro aliquis poterat, nisi armati custodes, qui die, noctuque intra ipsos cancellos excubabant. In media verò parte ipsius Conclavis in modum fenestræ ostiolum fuit, & hoc quidem duabus exterius clavibus, una interius claudebatur; & illorum quidem alteram Vicecamerarius, alteram Protector custodivit. Istam verò Cardinalis Arelatensis habuit; nec illi unquam tradidit, nisi Ceremoniarum Clerico Æneæ, cùm aut admittendi cibaria, aut emittendi cœnarum reliquias fuerat tempus; bis namque ante prandium, & totiens post prandium reserabatur ostiolum; & bis quidem recipiebantur fercula, bis autem remittebantur fragmenta. Quibus in rebus hic modus observabatur. Erant (ut anteà diximus) in conclavi familiares, qui Dominis suis Electoribus serviebant, Doctoribus singuli, Prælatis bini; extra verò ut quisque potuit, sic habuit servitores. Et illi quidem, qui extra remanserunt, cibaria comparabant, qui horis indictis, in *lignea capsa* depicta, quam *cornutam* appellant, usque ad Conclavis ostium deferebantur; & ne suspicio veneni esset, degustare tàm pocula, quàm cibaria cogebantur. Exinde per custodes Conclavis examen fiebat, ne vel litera, vel aliud quidvis præter eorum scitum intromitterentur. Quare omnia in manu Vicecamerarii præsentabantur; & ille extendens ad ostiolum manus præsentabat Æneæ, Ceremoniarum Clerico, cui soli cum socio licebat adhærere fenestræ. Itaque nec qui extra erant, mandare aliquid in conclave poterant, nisi per Vicecamerarium; nec qui intra, dictare aliquid foris, nisi per Clericum. Et oportebat omnia altâ voce & Latinâ dicere, ut qui Protectoris erat interpres, intelligeret, quæ mandarentur. Cùm verò emittendi reliquias cœnarum hora advenerat, vocabantur per Clericum Ceremoniarum familiares cum cornutis; qui venientes ad cancellos interiores, ipsi Clerico omnia assignabant, & ipse extra fenestram Vicecamerario contradebat; mittebantur etiam extrà paropsides, & alia mensarum ornamenta, quæ lavacro indigebant; & ea etiam perquirebantur, ne quid ab intra emitteretur literarum; fueruntque aliquæ deprehensæ, quæ stultitiam magis famliarium, quàm rem proderent. Nonnulli etiam in ipsis vasorum fundis sculpentes literas, commovere amicos tentaverunt; sed inventis omnibus, nec grave aliquid, nec quod ab Electoribus proveniret, compertum est. Ut verò perquisita singula erant, quæ extrà mittebantur, quicquid cœnarum supererat, pauperibus Christi dabatur; qua ex re plus quàm ducenti vitam trahebant. Quocirca cùm omnibus longissima videretur Conclavis mora, solis hujusmodi pauperibus est visa brevissima. Illud etiam Custodes Conclavis libenter observabant, ne ad Electorum escam diversæ species cibariorum deferrentur; & oportebat quidem, aut carnibus tantùm, aut piscibus vesci; aut si neque hoc, neque illud placebat, ovis & caseo. Rursusque qui carnibus utebatur, una specie contentari debebat; nec qui bovem habuit, uti etiam ove potuit. Id quoque in

Autor hujus operis Clericus Ceremoniarum.

(L) piscibus

piſcibus fuit; nec enim cui murena eſt intromiſſa, offerri quoque anguilla potuit. Si quis autem in legem commiſit, partem alteram in oſtio perdidit. Idque cum prima die familiares incautè commiſiſſent, & Dominis ſuis quaſi nuptias celebrantibus dubiam afferrent cænam, omnes in oſtio ſpoliati ſunt, nec plus una ſpecie intromiſſum eſt. Quos inter *Cracovienſis* etiam *Archidiaconus* diminutionẽ tulit; cui cùm oves & arietinæ carnes afferrentur, ſubtractæ aviculæ ſunt, orante in porta famulo, ut quod plus eſſet, id Domino dimitteretur; ſperabat namque ex ariete partem, ex ovibus autem partem non ſperabat; Dominus tamen aviculas præoptaſſet. Ideoque cum ſpolium ſenſit, ubique conqueſtus eſt, publiceque teſtatus, nunquam ſe diem, poſtquam Sacerdos fuit, tuliſſe pejorem; ac cùm rogaretur, ne admirationem haberet, quoniam id idem obtigiſſet Cardinali: *Proh* (inquit) *Cardinalem mihi æquiparas, hominem Gallicum, parcum, eventrem, aut (ut verius loquar) non hominem? Ego apud eum meo infortunio ſum locatus; omnia, quæ facit, per luſtris mihi cortina indicat, nec adhuc aut bibere eum, aut comedere vidi; & quod mihi moleſtius eſt, inſomnes noctes, inſomnesq; dies ducit (quanquam nulla eſt apud nos dies) aut legit ſemper, aut negotiatur; nulla ei minor quàm ventris eſt cura; mihi nihil cum eo commune eſt. Ego* Polonus *ſum, ille* Gallicus; *mihi ardet, illi friget ſtomachus; illi ſanitas, mihi mors jejunium eſt. Ego ni multum comedam, & multum dormiam, citò deficiam. Illi è contrario omnia ſunt. Jejunent Gallici, & Poloni comedant.* Quo dicto, cunctos in riſum vertit; & quoniam de hoc faceto & hilari homine fecimus mentionem, id quoque non præteribo. Ea namque infelicitas ejus fuit, ut famulus ejus, qui extra manſit, ſemper ad oſtium veniret ultimus cum cibariis, ex qua re ortum in oſtio proverbium fuerat, *ultimum eſſe, qui prior eſuriret.* Fuit autem hæc lex de cibariis antiquitus aliter inſtituta; primis enim tribus diebus nulla erat cibariorum apud veteres limitatio; quartâ die ad unam ſpeciem redigebantur; nonâ verò ſublatis aliis, ſolùm *panis & aqua* Electoribus tradebatur. Clemens autem uti clementia cupiens, rigorem legis in modum, qui nunc ſervatur, moderatus eſt. Id quoque inter Electores ſervatum extitit; patentibus namque pranſitatum & cœnitatum eſt, ut ſic oculis omnium teſtibus factis, luxuriæ modus fieret. Et cibaria quippe inter ſe miſſitare non licebat, vinum licebat; rigiduſque hujuſmodi legum non ſolùm obſervator, ſed cuſtos etiam fuit Johannes Segovius, qui non aliter violare alienas leges exhorruit, quàm ſuas proprias, apud Romanos Arrius Reſtio, de quo illud memoriale fertur, eum foris, quoad vixit, poſtea non cœnaſſe, ne teſtis fieret contemptæ legis, quam ipſe bono publico pertuliſſet. Sed (ut eò redeam, quò ſum digreſſus) Electores, poſtquam obſeratum oſtium fuit, ac poſtquam aliquantiſper in ſuis convenerant manſiunculis, egreſſi ad viſitandum ſe invicem ſunt, atque ut quiſque in ſua Camera eſſet, proſpiciebant. Quibus in locis non aliter ſe viciſſim recipiebant, ac ſi ex longa peregrinatione rediſſent. Eaque viſitatione ad magnam noctis partem producta, tandem ad quietem eſt itum; horaq; poſt medium noctis tertia ad matutinas ſinguli

Frugalitas victus Polono intolerabilis.

expet-

experrecti sunt; orantesque usque ad quintam, exinde Missarum officio se tradiderunt, & alii quidem in suis cellulis, alii verò in communibus altaribus celebrabant. Episcopi namq; altaria plerumq; portalitia apud se traduxerant. Clerici verò ceremoniarum diversis in locis intra ipsum Conclave 5. altaria erexerāt, ut possent complurimi celebrare. Ut verò dies illuxit, universi ad communem Missam venerunt; quâ completâ, & decantato hymno, quo Spiritus S. evocatur, habitis in Concilio Patribus, *de modis in Conclavi observandis*, consultatum in medio est; isque comuni consilio receptus est ordo. Statutum est singulis noctibus, quatuor supra, & quatuor infra ex Servitoribus assumi vigiles, qui noctes inter se partientes, curam haberent, ne vel ignis, vel alia quævis res nocumento esse posset. Cui rei nemo vigilantius incubuit, quàm Rubinus Antiquus, Cardinalis de Cypro nobilissimi familiaris; cujus excubatione nequaquam dubitaverim pleraque evitata fuisse discrimina. Exinde cautum erat, ut post mediam noctis horam inter quartam & quintam evigilatio per omnes fieret; tumque usque ad septimam, ut cuique animo esset, aut oraret, aut celebraret; postea verò ad communem Missam omnes accederent. Quâ peractâ, & Spiritus almi efflagitato patrocinio, consilium miretur; utque in eo *Scrutinium* fieret; & eo finito, *prandium* haberetur; ac deinde, ut quemque voluptas traheret, sic vel legeret, vel quiesceret, usque ad horam post meridiem tertiam; quo tempore iterum intrantes Concilium, illorum merita in examen ducerent, qui præcedenti scrutinio nominati fuissent, maturè inter sese consulerent, quo nunc Ecclesiæ modo ferri auxilium posset. Dimisso verò Concilio, hora circiter post meridiem septima cœnaretur, ac pòst horis tribus ad quietem se cuncti redigerent. Eoque modo tàm diem, quàm noctem partiti sunt. Omittam illam sanctissimam vitam beatam, & omni stricta religione mundiorem; ubinam gentium talis Patrum chorus, ubi tantum scientiæ lumen, ubi prudentia, ubi bonitas est, quæ horum Patrum æquari virtutibus queat? O integerrimam fraternitatem! O verum orbis terræ Senatum! Quàm pulchra, quàm suavis, quàm devota res fuit, hîc celebrantes Episcopos, illic orantes Abbates, alibi verò Doctores divinas legentes historias, audire; & unum ad lumen candelæ scribentem cernere; alium verò grande aliquid meditantem intueri? Quid est quòd aliqui in Hispaniis locum quendam tantoperè laudant nomine Guadalupum? Carthusiam Gallici in Delphinatu sive Sabaudia commendant. Potuitne unquam religio hac excellentior inveniri? Ac ego existimo illis in locis irriguos magis fontes & splendidas cellas, aliaque ædificia esse admirationi, quàm homines. In nostro verò Conventu cætera contemnenda, viri dumtaxat admirandi fuerunt. Quorum modestiam nemo potuit satis contemplari, nullæ illic rixæ, nullæ contentiones; omnia in amicitia, omnia in dilectione fiebant. Illic cùm exeuntem cellam, aut Christianum, aut alium quempiam ex antiquioribus vidisses, non alium certè videre

putasses, quàm vel magnum Antonium, vel Paulum simplicem; & illum sanè Hilarioni, illum Paphnutio, illum verò Amoni æquiparasses. Plus etiam hoc in loco quàm in Antoniana solitudine reperisses, siquidem Hieronymo etiam & Augustino obviasses, quorum literæ in Conclavi fuerunt, in eremo non fuerunt. Custodiebatur inter Dominos magna charitas, inter famulos bona dilectio, inter utrosque optimum silentium. Et isti in Dominos obedientes, illi in servitores benigni erant; nulla superbia, nullus livor, nulla simultas vigebat; suus cuique status placebat; nihil secretum, nihil occultum fuit, omnia scire vicinum oportuit, quæ fecit vicinus. Sed neque mihi tacendi *familiares* videntur, quorum numerus fuit duo & quinquaginta. Itaque omnes animæ, quæ ingressæ sunt Conclave, tres de nonaginta dinumeratæ sunt, fueruntque inter servitores complures & docti & ornati viri. Erant cum Cardinali Arelatensi, Stephanus de Plonerii, & Petrus de Tridia, Doctores, & Archidiaconi; cum Archiepiscopo Tarantasiensi, Antonius Pioceti, Jurisconsultus, qui Auditor etiam Rotæ aliquando fuit. Cum Basiliensi Episcopo Officialis suus, vir non minus doctus quàm facetus. Fuerunt & alii complures, & docti, & egregii viri. Quapropter facilè potest quis Dominorum excellentiam recognoscere, ubi virtutes familiarium non ignorat. Sed jam tempus admonet, ut *scrutiniorum seriem* referamus & modum. Eo ergò in loco, ubi & Cardinalis & Vicensis Episcopi cella fuit, atque aliæ novem, hinc atque hinc sedilia posuerunt. In summo loco Ara erat sacra, & ante ipsam pulvinar Cardinali stratum, ad cujus dextram sedebat Archiepiscopus Tarantasiensis, & ad sinistram Dertusensis Antistites, & successivè hinc & inde gradatim reliqui Electores assidebant. Ante ipsum verò Cardinalem scabellum, & supra scabellum ex argento pelvis stabat. Huc auditâ Missâ, & decantato Spiritus S. hymno, singuli Electores venerunt, & eorum quilibet schedulam suam jecit in pelvim; easque postmodum singillatim Cardinalis recepit, & legit; atque ut ipse legerat, quatuor ex Electoribus lectionem ipsius scribebant. Scriptio autem schedularum hujusmodi erat. *Ego Georgius Vicensis Episcopus, eligo in Romanum Pontificem illum, vel illum*; poteratque unum vel duos uno in scrutinio nominare, & inscribebat se quilibet Electorum nomine proprio, ut sic in electione schedularum se ipsum quisque recognosceret, posseque contradicere, si aliter, quàm ipse diceret, scripsisset, quæ res excludebat omnem dolum. Ut autem omnes schedulæ lectæ erant, & nominationes eorum conscriptæ, fiebat per scrutationes numeri ad numerum collatio; & nisi in unum aliquem duas schedularum partes reperiebant concurrere, easdem igne cremabant. Igitur primo scrutinio confecto, compertum est, plurimos esse in Papam nominatos, nullum tamen habere voces sufficientes; septemque & decem eo ipso die ex diversis nationibus ad Pontificatum fuisse vocatos constat; unus tamen omnes superavit, vir præstantissimus, *Amedeus, Dux Sabaudiæ*, Decanus Militum S. Mauritii de Riparia Gebennensis Diœcesis, quem jam cœlibem ac religiose viventem, sexdecim Electores primo scrutinio dignum, qui guber-

Ministrantium numerus.

Scrutiniorum modus.

Vota eligentium.

gubernaret Ecclesiam, censuerunt. Exinde horâ post meridiem tertiâ, habita est in in Concilio Electorum de Nominatis diligens inquisitio; atque ut quisque opinatus est, aut extulit nominatos aut depressit. Ea tamen habita est Amedei relatio, ut in sequenti scrutinio, quod celebratum est quarto Nonas Novembris, ipse Amedeus unam de viginti, ac deinde in tertio unam & viginti, & rursus in quarto unam & viginti voces habuerit; quia tamen nullus adhuc duas habere partes compertus erat in omni scrutinio, exustæ sunt schedulæ. Cumque ad electionem Summi Pontificis una duntaxat vox desideraretur, multiplicari orationes, & augeri devotiones placuit, ut dignaretur Deus in unum concorditer vota dirigere, qui pastoralem curam super dominicum gregem susciperet dignè; & quia proximior aliis Amedeus Romano Pontificio videbatur, habiti sunt in communi sermones multi de vita & moribus ejus; & alii; *Non esse homini laico citò imponendas manus*, dicebant, *quod videretur omnibus* monstri simile, Principem seculi *ad Romanum Pontificium accersiri, quæ res nimium Ecclesiasticis derogaret viris, quasi nullum haberent tantæ dignitati idoneum.* Alii hominem, qui fuerit *conjugatus*, cuique *proles* essent, *ineptum Sacerdotio* existimabant. Alii, *Rom. Episc. Legis Doctorem esse oportere*, asseverabant, *multisque literis præpollentem.* Quæ verba ut audiverunt, alii mox assurgentes, longè aliter dixerunt; & Amedeum quidem, *etsi Doctor non foret, peritum tamen & doctum esse; qui cùm aliàs in juventute sua literarum studiis insudasset, non titulos, sed scientiam quæsivisset; eumq́ & divinum officium optimè nosse, & Horas Canonicas observare, septiesq́ dietim Domino dicere laudes.* Quòd si *de vita*, inquit alius, *hujus Principis edoceri vultis, jam me (obsecro) audite, qui eum & intus, & in cute novi; nempe hic homo ab ineunte ætate, ac lacteis (ut ajunt) annis, magis religiosè vixit, quàm secularitter, parentibus quidem obediens, & pædagogis obsequiosus; semper autem Dei timore imbutus, nec unquam, aut vanitati, aut lasciviæ operam dedit, nec unquam puer de domo Sabaudiæ natus, tantam præ se indolem, aut spem tulit. Quibus ex rebus, qui eum intuebantur, magnum sibi aliquod portendebant. Nec fefellit opinio, siquidem vir postquam adolevit, animum semper ad alta levans, apud inclytæ memoriæ* Sigismundum Cæsarem *forensi certamine Gebennensem evicit Comitatum, moxq́ deinde familiam suam honoribus cumulans, Ducales suscepit infulas. Ac si scire cupitis ejus* regimen, & quale, & quantum *fuit, illud primum cognoscite, virum hunc post obitum patris jam annis circiter quadraginta regnasse, cujus tempore regina virtutum* justitia *floruit; audiens enim per se ipsum* subditos, *nunquam vel inopes opprimi, vel circumveniri imbecilles permisit. Ipse pupillis tutor, ipse viduis advocatus, ipse pauperibus protector fiebat; nusquam in territorio suo, aut rapinis locus, aut latrociniis patuit; divites & pauperes æquali jure apud se habebat, nec terricolis onerosum, nec advenis importunum se exhibens; nulla que in patria* gravis exactio pecuniarum *fuit, satis se divitem existimans, si patricolas abundare cognosceret, sciens, quia boni pastoris esset non deglubere oves suas, sed tondere. In eo tamen præcipuè solers exhibuit studium, ut & pace*

Æneæ Sylvii oratio pro Felicis electione.

Officium boni Principis.

ſubditi ejus fruerentur, & nulli ſibi finitimi cauſam ſuccenſendi haberent. Quibus artibus non ſolùm paternum dominium tranquillè gubernavit, ſed alia quoque ſponte ad eum venientia ſuperadjecit: Nulli unquam intulit bellum, illato verò reſiſtens, ſemper de pace magis quàm de vindicta cogitavit, & hoſtes ſingulos beneficio potius vincere, quàm gladio ſtuduit. Uxorem unicam *duxit, eamq;* virginem nobilem, *& formæ, & pudicitiæ admirabilis;* familiam *omnem* ſuam *non ſolùm manus, ſed oculos etiam abſtinentes habere voluit; fuit in ejus domo ſumma honeſtas, ſumma obſervantia morum, & in ſeculari palatio clauſtralis obſervabatur religio. At ubi thori conſors* vitam *commigravit* in aliam, *ubi Ducatum ejus firmatum, & ad poſteriores ſine controverſia venturum perſpexit, animum, qui ſemper religioſus & Deo dicatus fuerat, patefecit, & qualem in corde geſtaret voluntatem, demonſtravit; contempto namq; ſæculi faſtu, omniq; pompâ mundiali deſpectâ, vocatis ſecum chariſſimis amicis,* in eremum *conceſſit; ubi conſtructo* miræ devotionis & artis monaſterio, *in ſervitium Dei ſe relegavit, & tollens crucem ſuam, ſequutus eſt Chriſtum. Quo loci per plures annos converſatus, ſingularis ſanctimoniæ dedit odorem; veſtes quidem non alias induens, niſi quæ poſſent frigus arcere, epulasq; non alias ſumens, niſi quibus pelli fames valet; vigilansq; ad plurimam noctem, nullam unquam divini officii horam neglexit; cumq; ibi pulcherrimum* Deo & B. Mauritio ſacellum *conſtruxiſſet, & honorificum Sacerdotum Collegium ordinaſſet, diebus illic ſingulis tres* Miſſas, *duas quidem legi, unam autem decantari audivit; tantusque illo in Monaſterio ſervatus eſt rigor diſciplinæ, tanta honeſtas, tanta religio, ut nuſquam ſub cœlo putem aut ſanctiorem, aut devotiorem inveniri locum. Quocirca non noviter (ut quidam antè ſentire ſunt viſi) hic Princeps ad Eccleſiam venit, qui natus Chriſtianus ex progenitoribus jam mille annis & ultra Chriſtianis, nunc Deo in Monaſterio ſervit. Id autem quod* de uxore *dicitur,* nihili pendo, *cùm non ſolùm* qui uxorem habuit, *ſed* uxorem adhuc habens, *queat aſſumi. Cur enim diſputāt Doctores,* an uxoratus electus in Papam uxori ſolvere debitum teneatur, *niſi quoniam etiam* conjugatus recipi poſſit? *fuerùntq; (ut ſcitis) etiam* in matrimonio Pontifices, *nec Petrus Apoſtolorum Princeps uxore caruit. Quid iſta modò objicimus? fortaſſe* non eſſet pejus, Sacerdotes quamplures uxorari; quonim multi ſalvarentur in ſacerdotio conjugato, qui ſterili in Presbyteratu damnantur. *Sed de hoc aliàs. Illud autem mihi riſu magis, quàm reſponſo dignum videtur, quod* de filiis *eſt objectum; etenim cur* filii, *præſertim* natu grandes, *Pontifici patri ſint impedimento? Nunquid ait ſcriptura?* Væ ſoli, quoniam ſi ceciderit, non habet ſublevantem ſe? *hoc imputari Principi modò non poterit; ſunt enim illi* filii duo, *& formâ, & ingenio admodum præſtantes, quorum alter* Princeps Pedemontenſium, *alter* Comes eſt Gebennenſium. *Hi patriam Sabaudiæ, abſente patre, gubernabunt, indigentiq; ſibi auxilia ſubminiſtrabunt. Jam enim regere ac præeſſe populis didicerunt. En quid* mali hoc eſt, habere Romanum Antiſtitem potentes filios, *qui patrem contra tyrannos juvare queant? Proh* Reverendiſſimi Patres, *ſanè quò magis hujus perverſi temporis procellam intueor, quò magis anguſtias*

Vxoratus Papa, duorumq; filiorum Pater. Vxor Pontificatui non obeſt.

animo

animo evolvo, quibus Eccleſia in hac noſtra tempeſtate percutitur, eò magis non utile tantùm, ſed neceſſarium eſſe arbitror, hunc ipſum eligi Principem; exiſtimaboq́ miſericordiam Domini ſuper nos factam, ſi eum videro hujus cymbæ ſuſcepiſſe gubernabulum. Conſiderate (oro) pauliſper, quibus in terminis ſumus, quibus anguſtiis premimur, quibus periculis agitamur. Quis Principum eſt huic S. Concilio obediens? Alii nec Concilium hîc eſſe fatentur, nec mandata noſtra ſuſcipiunt. Alii verbo hîc eſſe Concilium dicunt, facto apud Florentiam fore oſtendunt. Quamvis enim verbis & literis Eccleſiam hîc eſſe non negent, promotiones tamen apud Gabrielem depoſitum procurant. Hic eſt ſtatus Eccleſiæ, his procellis navis illiditur; ſurrexerunt filii impii adverſus matrem, qui nec ſuſcepti lactis, nec materni laboris memores, eam ſpernunt, eam lacerant, eam colaphizant. Quid hîc faciendum eſt? Nudumne hominem eligemus, qui noſtris Principibus magis deriſui, quàm venerationi habeatur? Non ſunt hodie ſecula, quæ virtutem reſpiciant. Probitas (ut eſt apud Satyricum) laudatur & alget; pauper locutus eſt, & dicunt: Quis eſt hic? Bona eſt quidem virtus, ſed multum intereſt ad noſtrum propoſitum, an in potente ſit, an in paupere. Vobis eligendus eſt Gubernator, qui non ſolùm Conſiliis, ſed etiam viribus navim regat; validus ventus eſt, niſi & conſilium bonum ſit, & brachia fortia, frangetur malus, & periclitabuntur omnes. Exinde recens ante oculos eſt, quia virtutem imponentem nihili pendunt Principes. Nunquid maxima virtus hîc oſtenſa eſt, qui nullum timentes aut vitæ, aut honorum periculum pro veritate Chriſti tamdiu pugnaſtis? Debuerant Principes terram deoſculari, ubi greſſus veſtri fuiſſent; quia tamen potentes Prælati, ac famoſi Cardinales à nobis defecerunt, videtis quid Principes fecerint. Aſpicit tamen ex alto maximus atque optimus Deus talia, hiſque (ut puto) reſiſtet inſolentiis. Sæpius ego illorum opinioni aſſenſus fueram, qui expedire dicebant, temporale dominium ab Eccleſia ſecerni. Opinabar namque & Sacerdotes Domini ad divina myſteria reddi expeditiores, & Principes ſæculi erga Clerum fieri obedientiores. Nunc autem didici, quoniam ridiculoſa eſt ſine potentia virtus, nec aliud eſt Romanus Pontifex ſine patrimonio Eccleſiæ, quàm Regum & Principum ſervus. Quod prævidens divina pietas Romanam Eccleſiam dotari per Conſtantinum, & locupletari voluit, ut qui ſpreto ſpirituali gladio, adverſus fidem & bonos mores tumultuarentur, potenti brachio poſſent compeſci. At cùm hodie terræ Eccleſiæ, partim per Gabrielem, partim per alios occupentur tyrannos, providendum nobis eſt, ut virum talem eligamus, qui & recuperare patrimonium queat Eccleſiæ, & in quo Chriſti Vicarius non contemnatur, cujuſque potentiæ clypeo eorum contumacia conteratur, qui rationem contemnunt & veritatem. Ad quas res nemo (ut mihi videtur) aptior eſt Amedeo Duce Sabaudiæ, qui alterum in Italia, alterum verò in Gallia pedem habet, cui omnes ferè Chriſtianorum Principes, aut ſanguine attinent, aut amicitiâ favent; cujusq́ quanta ſit virtus, jam ſupra retulimus. Quid igitur hunc hæreamus eligere? Nemo eſt, quem magis dari ſibi adverſum Gabriel, quàm iſtum timeat. Pereat igitur eo gladio, quo putavit. Nemo eſt, qui magis pacare Eccle-

Iuvenalis dictum.

ſiam,

ſiam, quàm iſte poſſit. Quæritis in Pontifice devotionem? *nemo eſt eo devotior. Quæritis* prudentiam? *jam intelligitis ex anteacta vita, quis ſit. Quæritis* juſtitiam? *populus ejus eſt teſtimonio*; *ſive* potentiam, *ſive* virtutem *efflagitatis, hîc omnia ſunt, quid moramini? Agite (obſecro) bonis omnibus hunc eligite: Hic fidem augebit, hic mores reformabit, hic authoritatem Eccleſiæ conſervabit, hic adverſarios reprimet, hic pacem Chriſtiano populo condonabit. Non audiſtis eos, qui* de futuris *prædicant, has* fluctuationes Eccleſiæ *prænuntiantes, annum qui jam inſtat quadrageſimum, his terminum tribulationis aſſignare? Nunquid jam dudum audiſtis*, Papam his temporibus eligi debere, *qui conſolaturus Sion, omnia ponat in pace? Et quis erit (obſecro) ille, qui talia queat implere, niſi iſtum aſſumamus? Credite mihi, ſcripturas impleri oportet, & trahet (ut ſpero) animos veſtros, etiamſi nolimus, Deus; tamen vos, quod rectum & ſanctum eſt, volentes potius agite.* Hæc cùm ille dixiſſet, maxima Electorum pars ſibi favendo arriſit, eamque habuerunt verba ejus efficaciam, ut ſequenti ſcrutinio perfecta res ſit. Nonis enim Novembris, dum Clerus civitatis circa Conclave cum Reliquiis Sanctorum ſtaret, & proceſſio Prælatorum Spiritus S. gratiam invocaret, horam circiter ante meridiem decimam, aperto ſcrutinio, & factâ collatione (ut moris eſt) numeri ad numerum, compertum eſt, *Amedeum Ducem Sabaudiæ, religioſiſſimum Principem, juxta Decretum Concilii, in Papam fore electum*, ſexque & viginti voces in eum concurrere. Quapropter ſubito inter omnes coorta lætitia eſt, omneſque rem geſtam ampliſſimis verbis collaudarunt. Quocirca vocatis Notariis, & intromiſſis teſtibus, confectum eſt de ipſa Electione chirographum. Quâre ſic peractâ, remiſſis teſtibus, horam circiter poſt meridiem primam, ad eas feneſtras, quæ in plateam verſæ erant, factus eſt impetus, omneſque valvæ ſecuribus infractæ, atque illinc miranti populo novitatem, *Crux argentea* eſt oſtenſa. Erat jam tota civitas in platea, omniſque multitudo in feneſtram tendebat oculos, *electum* ſibi nominari deſiderans. Tunc *Cardinalis Arelatenſis* facto ſigno crucis, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. electi Pontificis nomen publicavit*, & oratione præmiſsâ, populo benedixit. Poſtque horâ jam tertiâ Prælati cum pluvialibus & mitris, ac Clerus urbis cum Reliquiis ad cancellos Conclavis venientes, Electores ſimiliter exornatos ad majorem eccleſiam reduxerunt; ubi gratiarum actionibus magnis Deo exhibitis, iterum populo, qui erat innumerabilis, publicata per Cardinalem electio eſt; ac deinde cum maxima omnium jucunditate hymnus lætitiæ, & organis, & humanis vocibus eſt decantatus, & congregatio diſſoluta. Quocira laudent omnes populi Deum, quia Paſtorem habemus, qualem ipſe dedit amandum bonis, & malis timendum.

Amedæus Dux Sabaudiæ, eligitur in Pontificem & publicè & proclamatur.

COMMENTARIORUM ÆNEÆ SYLVII, SENENSIS, DE GESTIS Concilii Baſileenſis, libri ſecundi

FINIS.

ÆNEÆ

ÆNEÆ SYLVII COMMENTARIORUM CONCILII BASILIENSIS Liber III. ad Iohannem de Segovia, Theologiæ Magistrum.

COronationem summi Pontificis vario rumore notam esse Tibi, tuisque Collegis arbitror. Quia tamen varia apud vos conficta esse opinor, quæ inter se non cohæreant, dignum ipse putavi meis literis satisfacere veritati, vobisque ibidem sitientibus harum rerum narrationem efficere veridicam, remque (ut gesta est) ad unguem referre; atque (ut brevior sim) jam incipio. *Romanorum Pontifices coronari in generalibus Conciliis raro auditum est*, tu tamen & *Alexandrum* Pisis, & *Martinum* Constantiæ coronatum audisti, sed præcedet hujus coronatio tantò illas, quanto & *Felix* illos nobilitate anteit. Ita enim judicium eorum est, qui & illas, & hanc contemplati sunt. Referam igitur Ego de hac sed paucis; non enim *ut historicus* scribo, sed *ut servus Domini*, res gestas epistolari genere doceo. Transeo electionem de hoc Principe authoritate hujus synodi factam, quam alio loco (*secundo libro*) non paucis verbis scripsi, prætereo Legationem sibi missam, & consensū per eum præstitum, de quibus tu plane instructus es. Pergo *ad Coronationem*, quæ novo Calendas Augusti celebrata est in Civitate hac Basiliensi. Ipse autem Dominus noster triginta ante diebus, octavo Calendas Julii, ingressus erat; cujus introitus suum habere tractatum meretur: sednō omnia uno in tempore scribi possunt. Locus est ante cathedralem Ecclesiam latè patens, ubi spectacula populo fiunt; illic sublimis tumulus constructus est, & super illum Altare, excelso in angulo; desuper pretiosi panni, ne vel pluvia, vel sol noceret. Prospectus exinde in omnem plateam fuit; huc Clerus, & universa Nobilitas, ipseque coronandus pontifex conscendit. Existimati sunt hominum circiter duo millia tribunal conscendisse. Venerat præcedenti die Ludovicus *Sabaudiæ Dux*, ipsius Romani Pontificis generatus; Vir comis aspectu, & affatu placidus, consilio & animo justo; statura illi mediocris, & oculi peralbi. Cum ipso autem summo pontifice *alter generatus* profectus erat *Philippus Comes Gebennensis*, summa virtute, & honesto corpore, honestisque moribus adolescens; sociusque illi *Ludovicus Marchio Saluciarum* fuit, quo in homine nescias formam vel eloquentiam magis admirere Magna præterea tam Ducem ipsum, quàm etiam sumum Pontificem tota Sabaudiæ sequuta Nobilitas erat, sui Principis visura coronationem; contenderantque ita (ut fit) singuli spectabiliores venire. Itaque fuit magnus virorum, magnusque equo-

Descriptio Coronationis Papæ Felicis.

rum apparatus, quorum numerus ad quatuor millia dijudicatus est. Ex Alemania *Marchio de Rœtelen*, juvenili ætate decorus, flavos vento crines fatigans; *Conradus de VVinsperg*, Romani Imperii hæreditarius Camerarius, annis & sensu senex; *Comes de Tierstein*, cui nemo forma comparandus juveni viroque fuit, nec adhuc senem senex æqualẽ habet. Oratores Argentinenses, Bernenses, Friburgenses, Solodorensesque omnis circumvicina Nobilitas confluxit. Tantaque forensis populi multitudo concurrit, ut nulla capi platea posset; ac si jocari licet, quicquid vini erat, sit bibitum. Capita hominum ad quinquaginta millia credita sunt. Civitas verò mille robustos juvenes in armis habuit, ne quid rixarum fieret, prohibituros, aciem non minus timendam, quàm admirandam. Horũ alii tribunal alii Palatiũ observavêre. Tecta omnia domorũ, fenestrasq; & arbores viri fæminęq; obsederãt. Platea verò sic populo plena fuit, ut nec sinapis grano dedisset locum. Quibus omnibus expectantibus, advenit in ipso diei ortu *Felix* electus, veneranda canicie, decorus aspectu, & facie totâ prudentiam præ se ferens singularem. Statura, hominis (ut filiorum) communis, forma egregia, quantum senio datur, pilus albus, cutisque, sermo paucus & moratus. Ante ipsum Prælati infulati, & Clerus urbanus cum Reliquiis introierant. Locatus ille in prȩeminenti sede est; cæterisq; considentibus, & facto ubique silentio, ceremoniæ inchoatæ sunt, quarum sic peritum se Felix ostendit, ut nihilo monitoris eguerit. Putassetque nemo patrem illum secularibus negotiis quadraginta, aut eò plus annis versatum, tantum unquam otii potuisse habere, ut ritum Ecclesiæ sic imbiberit. Castigabat itaque Ipse per se aliorum errata, nec aliquid vel minimum extra ordinẽ fieri ferebat. Celebravitq; Missam suã, & cantãdo, & legendo, plus quàm dici posset solenniter, nihil omittẽs, nihil pervertens. Mira res omnibus, & spectaculo digna videbatur, Patrem illic grandævũ celebrare, illic prolem insignem celebranti servire; quasi enim novellæ olivarum circum altare *duo Nati* officiose, attenteque (quantum laicis permittitur) ministrabant, meritoque dici hunc Felicem omnes ajebant, qui post exactam laudabiliter in seculo vitam, post administratum feliciter Ducatum, generosamque sobolem educatam, ad regimen universalis Ecclesiæ accersitus à Deo esset. Vidisses plurimos præ lætitia lachrymantes benedicentesque Dominum, quoad tantum spectaculum vivere eos permisisset, qui rẽ suis oculis intuerentur, antea nec visã nec auditã ulli. Fuit tamen inter hæc (ut sæpe accidit) res una, quæ risum movit. Moris est, ut inter ipsa solennia precationes pontifici fiant, quas primus Diaconorum Cardinalium inchoat, Scriniariique & Judices subsequuntur, hic autem loco Judicum Advocati respondêrunt, cantantique Ludovico Cardinali S. Susannæ, viro maximo, & ceremoniarum apprime gnaro (qui Presbyter pro Diacono fuit) responsuri Advocati & Scriniarii cantum adeò dissonum emiserunt, ut non solum risum, sed & lachrymas ab oculis omnium excusserint. Nec major de ulla re octo post diebus, quam de illorum cantu sermo sit habitus. Quod etsi aliqui sibi dedecori existimaverunt, Ego, quemadmo-

Missam celebrat Papa, eique duo Filii ministrant.

Cantores missæ insuaves, inter quos ipse Sylvius.

admodum inter illos fui, nihil mihi ignominiæ putavi, inſcitiam cantus, quam rem nemo unquam non levis perfectè aggreſſus eſt. Ideoque & ſequenti die, cum apud Prædicatores idem Officium exigeretur, cantitare meũ carmen non erubui. Ut igitur finita Miſſa eſt, ſummusque ipſe Pontifex conſecratus, ſacer Tiaras triplici corona inſignis, compluribus gemmis, prælucidus, allatus eſt. Spectanteque univerſa multitudine, & animum comprimente, *Ludovicus Cardinalis* (cui id officii, quod Hoſtienſi Epiſcopo debetur, Synodus commiſerat) quaſi fructum ſuorum laborum jam colligens *Coronam* ipſam excellentis pretii, quam plurimi *ad triginta millia aureorum* cenſuerunt, felici *capiti Felicis* impoſuit, moxque per univerſos acclamatum eſt, ut *Vita Papæ* eſſet; poſtmodumque *plenariæ Indulgentiæ*, quas nunquam antea populus ille habuerat, conceſſæ ſunt. Completiſque coronationis ſolenniis, ex tribunali in progreſſionem eſt itum, omnesque in equis per ordinem progreſſi ſunt, qui hujusmodi eſt habitus. Primi omnium *Laici*, & vulgaris turba famulantium. Secundo *Nobilium* diſtinctæ familiæ. Tertio *Nobiles ipſi & Milites*. Quarto loco *Barones, Comites, & Marchiones*. Quinto, *Dux ipſe* conſilio ſuorum comitatus, aureis veſtibus in terram demiſſis. Inter hos, ut potuit, ex pompare nixus eſt quilibet. Hic qui oſtro & auro tecti, hic ſaga militum gemmis & argẽto onuſta, hic tubę, tibicineſq; & minorum cohors pręludens, variæ veſtes, varia ornamenta, ut nulli ſat vidiſſe ſit viſum. Poſt *hos urbanus Clerus* in pedes Reliquias SS. vectitans, & *puerorum* cantantium candidus ordo. His ſuccedebat *Umbraculum rubei croceique coloris* & apud illud *Scutiferi*, quos honoris vocant, locati erant, rubeos geſtantes pileos. Juxta hos fuiſſent Præfecti navales, ſi qui adfuiſſent, ſed loco illorum *Heremitæ Ripalliæ*, quos *Milites ſancti Mauritii* vocitant, ſuffecti ſunt, viri graves, & ævo præmaturi, qui Felicis Papæ, & ſeculi & religionis fuerant Comites, & qualis habitus illius antea fuiſſet, in ſuis habitibus præmonſtrabant, plurimumque reverentiæ videbãtur mereri. Illinc *Prioribus quibusdã* pluvialia ſine mitrâ gerentibus locus fuit. Mox ſucceſſere *Scriniarii & Advocati*, pluvialia ex transverſo geſtitantes, habitum cantui, quem habuerant, valde conformem. Idem geſtamen debitum erat his, qui ſequebantur, *Judicibus*, quod minimè obſervatum eſt in Curia Promotorum, habuerunt autem cappas, & pileos, tanquam Prælati. Hos ſecuti ſunt *Abbates*, & inde *Epiſcopi*, ornati pluvialibus, infulatique equis inſidentes faleratis. Hoc in ordine præterivimus duodecim equos, qui ante umbraculum candore nivali, quales Rheſus ad Trojam duxit, rubeo tamen tegmine veſtiti collotenus, procedebant. Secundum, *Epiſcopos*, Salvatoris noſtri Domini Jeſu intra magna luminaria corpus deferebatur, cujus conducendi cura Johanni Epiſcopo Argenſi Theologo non minus utilis, quàm laudatæ doctrinæ, tanquam Sacriſtæ, commiſſa erat. Sequenti in ordine *duo Cardinales, duoque Epiſcopi Dertuſenſis Vicenſisque*, qui Diaconorum Cardinalium tenebant locum. Ultimo in loco *ſummus ipſe Paſtor*, aureo tectus papilione triplicem geſtans coronam, populoque benedicens, unus omnium oculis deſideratus,

Coronæ Papalis pretium 30000. aureorum.

Pompa Papalis proceſſio.

Papæ equum ducit Marchio de Rœtelen.

tus, incessu maturo procedebat, Marchione de Rætelen & Conrado de Winsperg equum ejus ductantibus. Post eum *Thesaurarius, Clericique Cameræ*, & qui pecunias in populum jaciebat, ornatu decenti veniebant. Simul quoque *Principum*, qui aderant *Oratores*, magnaque & confusa populi multitudo: Sicque per plurimos civitatis recessus est itum, donec *Iudæi* illum expectantes, nova & fallaci spe ducti, *legem Mosaicam obtulerunt*, quam ipse laudans, ritum damnavit eorum. Exinde verò in *Cœnobium Prædicatorum* ventum est, ubi *Fratres cum Priore* obviam procedentes, Papamque ante altare statuentes, claves Cænobii sibi dederunt. Moxque finito lætitiæ cantico, hora jam post meridiem tertia magis ad quietem, quàm ad prandium, quamvis adhuc jejunus foret, dimissus est Felix. Altera die illuc ad Missam omnes convenere, qua finita, consummatisque nonnullis, quæ restaverant, Cęremoniis, prælatis omnibus qui interfuere, 2. argentei numi & 1. aureus traditus est, atque exinde tota multitudo ad convivium convocata, ubi nec lex Orchia, nec Tannia, nec Licinia locum habuit, nullaque alia sumptuaria, quibus vel pretium eduliorum vel obsoniorum copia præscribitur. Cœnitatum est, ut libuit, laute, sumptuoseque pransitatum quoque: dubium est enim, prandium an cœna fuerit, horis circiter quatuor, homines plus mille cænati feruntur. *Pincernæ* summo pontifici pulcherrima proles, *duo filii* fuerunt, *Architriclinus* Marchio Salutiarum. Ad horam tertiam post meridiem cessatum est. In hora verò quinta, eodem ordine quo itum erat, reditum est, ductusque Papa ad virginis templum, quod est Basiliæ præcipuum, in Palatium per posticum ad quietem rediit. Hæc de coronatione Domini nòstri sanctissimi Felicis quinti, volui ut scires: Tu nunc ista quibus vis communica, daque operam, ut patrem hunc quem tanti facio, quam primum repetas, feliciaque de vestro conventu nobis reportes. Vale, ex Basilea. Idibus Augusti. Anno Domini, millesimo quadringentesimo quadragesimo.

Iudæi offerunt Papæ Legis Mosaicæ volumen.

COMMENTARIORUM ÆNEÆ SYLVII, SENENSIS DE GESTIS Concilii Basiliensis libri tertii

F I N I S.

INDEX

RERUM IN HAC ÆNEÆ SYLVII DE Concilii Basileensis Historia præcipuè memorabilium.

ABbas de Dona, Italus, Eugenii adversarius, Concilii Basileensis Pater, 73. obiit peste Basileæ, unicam vaccam relinquens monasterio suo 69
Abbas Scotorum Wiennensium disputator in Con. Basil. acerrimus, 8. 13. mittitur Moguntiam 7
Abbas Vergiliacensis respondere tentat Panormitano, 56. obiit Spiræ 68. primus fuit omnium Basileæ 51
Abbates à Christo non sunt instituti 43
Adulatores Rom. Pontif. ——— uno prælio victi aliud instaurant, 25. aliter garriunt, quàm sentiunt 13. privatum bonum publico præponunt 22
Æneæ Sylvii in conscribenda hac de gestis Conc. Basil. historia causarum potissima 3. peste percussus triduo morti vicinus jacet, ac tandem desperantibus omnibus domesticis revalescit, 69. mittitur cum Francisco Fuxe ad alias deputationes, 71. constituitur in electione novi Pontificis ceremoniarum Clericus, 76. 81. ejus oratio pro Felicis electione habita, 85.
Ætatis ratio habenda 3
Albertus Rom. Rex celebrat comitia Imperii Norinbergæ 6
Albinus Consul Romanus res Romanas linguâ græca scriptitavit 5
Aleranius, Abbas S. Benigni Eructuariensis, Elector ex natione Italica in electione novi Pont. R. 74 ejus Frater germanus Matthæus, Episc. Albigaunensis *ibid.*
Alexander V. in Conc. Pisano in Rom. P. coronatus 89
Amedeus, Dux Sabaudiæ Decanus militum S. Mauritii de Riparia, 84. votis in electione ad Pontif. Rom. reliquos omnes nominatos superat 85. de ejus vita & moribus inter Patres sermo *ibid.* ab aliis aptus, ab aliis ineptus ad sedem Rom. judicatur, *ibid.* ejus encomium & virtutum enumeratio, 87. statura & qualitates 90. primus inter Sabaudiæ Comites Ducis titulum sortitus, 85. XL. annis Ducatui præfuit, *ibid.* ejus justitia & pacis studium *ibid.* uxor unica 86. & Filii duo, *ibid.* qui interfuerunt coronationi Parentis 8, 9. ——— celebranti missam servierunt, 90. ex contemptu seculi ingressus eremum 86 construit ibi Monasterium & Sacellum D. Mauritio sacrum *ibid.* unanimi omnium Electorum voto & arbitrio Pont. Rom eligitur, & electus à Cardinale Arelat. populo nominatur, 88 ejus coronatio nono Calend. Augusti Basileæ à Ludovico Cardinale Arelat 91. ejus coronæ pretium 3000. aureorum *ibid.*
Amodeus, Lugdunensis Archiepiscopus, & Galliarum Primas Eugenium palam pro hæretico proclamans, ejus tamen timet depositionem, 12. 35. ejus Oratio 49
Andreas, Hispanus Theologus, in Conc. Basileensi Cardinalem Arelatensem sui admonet officii 53
Anglici ob absentiam à novi P. R. electione exclusi 76
Antonius, Abbas Arularis, ex natione Hispanica Elector novi Pont. Rom. 76.
Antonius Pioceti, Ictus & Rotæ aliquando Auditor, è domo nunc Cardinalis Arelat 84
Apostoli magis mirandi, quàm imitandi ex mente Ludovici Romani Protonotarii 38
Aquarum inopia ingens apud Hetruscos 5

Archiepiscopus Arelatensis, vide Ludovicus.
Archiepiscopus Lugdunensis, v. Amodeus.
Archiepiscopus Mediolanensis, Eugenii defensor 9. in Arelatensem acerbissimè convitiatur, 56
Archiepiscopus Tarantasiensis, vide Johannes Arch.
Archiepiscopus Turonensis, Orator Concilii ad Conventum Moguntinum missus 7. excusat suam â Sessione XXXIII. absentiam 64. de ejus inimicitia erga se apud Galliæ Regem Eugenius querulatur 65. ejus Oratio 55.
Arnoldus Kempenich, Rescribendarius, Basileæ peste occisus 69
Arrius Restio Rom. tulit legem de non cœnando foris, 82.
Articulos fidei trifariam posse dividi 10. ab omnibus esse credendos 57
Athanasius, Presbyter interfuit Concilio Nicæno 41
Augustinus, Theologorum Aristoteles 42. ejus sententiæ hinc inde citantur, 18. 23. 28. 33.

B.

Bartholomæus de Proavis, Frater & Præceptor domus de Clavacro, ex natione Italica inter Electores futuri Pont. Rom. numeratus 74.
Basileensis Senatus elogium ob servatam omnibus fidem 48. omnia facit consilio prudenti & sagaci 55
Bernhardus Buscho, Canonicus Ilardensis, ex natione Hisp. Elector novi P. R. 76
Bernhardus Episcopus Aquensis, ex natione Gallica inter Electores novi P. R. nominatus, in ejus locum ob notissima corporis impedimenta suffectus Episcopus Massiliensis, 74. 75
Bonifacii Pont. R. sententia, de Pont. Rom. â nemine condemnando, etiamsi catervatim innumerabiles in Tartarum trahat, refellitur, 25
Bullarum Scriptores Basileæ octo peste intereunt 69
Burgensis Episcopus, delitiæ Hispanorum, Legatus ad Imperat. Rom. 7. Concilium supra Papam esse probat 13. conclusionem Concilii de deponendo Eugenio suadet 35. ad concordiam hortatur, 53

C.

Cam[illegible]ræ pro Electoribus paratæ inter eos per sortem distribuuntur, 77. earum obseratio 81. & reseratio 88
Cardinalis Crucifer jussu Papæ Noribergam ad Comitia Imperialia sese confert 6.
Cardinalis S. Petri, rerum exitum Constantiæ expectans, ob pestem in Nidou Helvetiorum se recepit. 6
Cæremoniarum Clerici duo in electione novi P. R. constituuntur 73
Cardinalis Terraconensis, Solodori revocatur 35. Eugenii Patronus, 60. somnolentiam suorum improbat 59. ob adventum Armeniacorum ad duas dietas se sequestrarat 54
Cardinales omnes præter Arelatensem excluduntur à novi. P. R. electione 74. repræsentant Ecclesiam Romanam 10
Carthusia Gallorum 83
Cathelani stant à parte Eugenii 48. 54. Concilium dissolvendum suadent, 38. protestantur contra decretum Concilii 60.
Cathari iidem, qui Novatiani, in Concilio Rom. damnati 42
Christus duram & acerbam mortem pro nobis sustulit 46. non ministrari, sed ministrare venit 12. est caput Ecclesiæ & Petra, supra quam Ecclesia ædificata 15
Christianus de Gregregino, Præpositus Ecclesiæ Olmucensis ad D. Petri, à Triumviris in societatem muneris assumptus, 71. & ipse Elector ex natione German. 75
Christiano homini nec laudi nec vituperio est seu matutina seu vespertina Majorum suorum ad Christum conversio 74.
Cibaria pro Electoribus quomodo, & per quem tradebantur Electoribus 81. eorum numerus & qualitas, mos vetus cibandi Electores R. P. 82.
Clerici etiam ad Concilia vocandi 42. cur soli ex sententia Thomæ de Corsellis vocentur, & in iis res fidei judicent, 27. eorum multi salvarentur in Sacerdotio conjugato, qui in sterili Presbyteratu damnantur 86
Cœna Felicis V. Pont. Rom. qualis? 92
Comitia Noribergæ incepta Francofurtum transferuntur 6
Concilium *Primum*, non jussu Petri, sed jussu Christi; *Secundum* nomine omnium Apostolorum, non verò solius Petri; *Tertium* nomine Apostolorum

lorum & Seniorum est congregatum 31. generale est supra Papam, nec à Papa potest dissolvi 13. 32. repræsentat totam Ecclesiam 19. potest indici sine autoritate & consensu Rom. Pont. 30 si major pars Prælatorum consentiat 31. solet judicare de rebus fidei, & recedentes à fide damnare 19. in eo non dignitas Patrum, sed veritas prævaleat, 41. huic subjecti sunt omnes homines 24. 45. potest deponere Papam 27. 29

Concilium Basileense Eugenius omnibus viribus dissolvere quæsivit 6. ejus Protector Conradus Baro à Winsperg *ibid.* mittit Oratores suos ad conventum Imperii, Moguntiæ indictum 7. turbatur à Cathelanis & Lombardis 48. 53. ejus scopus duplex, videlicet ambitionis R. P. repressio, atque eorundem à rebus secularibus ad spiritualia retractio, 65. ejus Patres eligunt Amedeum Ducem Sabaudiæ in P. R 88. eumque nono Calend. Augusti ibidem coronant 91

Concilium Constantiense, Papam Concilio subjecit. 21. ejus Decreta in dubium à Panormitano vocantur, ob quod haud exiguus exoritur tumultus 61

Concilium Chalcedonense Valentiniani & Martiani Impp. autoritate indictum & congregatum 31

Concilium Lugdunense Symbolo Apostolico adjecit portionem illam, quæ agit de processione Spiritus S. 58.

Concilium Pisanum invito Papà congregatum 31

Conciliis etiam interesse debent, & semper interfuere alii præter Episcopos 41. ab iis abesse debet omnis tumultus & contemptus 51

Conclave pro Electoribus novi P. R. paratur in domo, quæ vocatur Domus ad Muscam, vulgò zur Mücken 80. ejus descriptio, conditio & qualitas *ibid.* summa circa ejus custodiam cura & diligentia 81

Conclusiones bifariam posse dividi 13. sunt verissimæ 46. Theologorum quænam? 9

Concordiam suadet Episcopus Burgensis Patribus in Conc. Basil. 53. quæ nuspiam potuit reperiri 61.

Conradus Baro à Winsperg Protector Conc. Basil. ab Imperatore datus 6. arma à Familiaribus Patrum in Sessionem afferenda inhibet 63. lacrymas pro pace & salute Ecclesiæ fundit, *ibid.* interest coronationi Felicis V. 90

Conradus, Abbas de Luzella, Ordin. Cistert. ex natione Germanica Elector futuri Pont. Rom. 75

Consultatio Patrum de Cameris dividendis, quæ sortibus committitur, 77

Convivium peractâ Felicis V. coronatione, nec prandium fuit, nec cœna 92

Coronationis Felicis V. descriptio, ejus Pompa & processio 91

Credenda sunt omnia, quæ in S. Literis continentur 33

Custodes octo ad conclave Electorum novi P. R. nominantur 73

D.

Damasus Papa agnovit superioritatem Concilii supra Papam 22. 23

Decanus Turonensis, Vir non contemnendæ peritiæ 62

Decretum pro deponendo Eugenio conscribitur & approbatur 55. à Longobardis & Cathelanis rejicitur, 60. publicatur 59. 60. & ab Oratoribus maximè Cæsareis & Gallicis confirmatur 60

Deliberatio Patrum in Conc. Basil. an Pontif. R. electio differenda, an verò cum ea properandum 67

Detzelaus Polonus, Archidiaconus Cracoviensis, ex natione German. Elector novi Pontif. R. 75. ejus famulus spoliatur ferculis contra legem apportatis 82. ejus querela de spolio *ibid.* & inde natum proverbium *ibid.*

Deus potentior omnibus Principibus, 53. & magis illis timendus 46. 53

Discrimen inter Regem & Tyrannum 14

Distributio Camerarum sortibus committitur, 77. id quod etiam Constantiæ observatum *ibid.*

Doctores Juris Div & Hum. ultra 400. interfuêre Sessioni XXXIII. Conc. Basil. 64. eorum magnus peste defecit numerus 69

Domus, in qua Cameræ pro Electoribus novi P. R. parabantur, vocabatur domus ad muscam, vulgò zu der Mücken/ à Nobilibus olim extructa ad Choreas, in ea habendas, 80

Donatistæ movent schisma in Africa propter Cecilianum à Melchiade Papa absolutum 23

E

Ecclesia quid 16. 21 supra Petram, quæ est Christus,

 ædi-

ædificata, 17. est mater omnium fidelium 18. supra Papam est, eumque, cùm Clavibus Christi abutitur, deponere potest 18. universalis errare non potest, 17. ejus sponsus & caput est Christus, 16. ejus proprium est vincere, dum læditur, 17. ejus commodum magis quærunt inferiores ex Prælatis, quàm Episcopi & superiores, in ea boni & mali inveniuntur 17

Ecclesiam Romanam esse Orbis Caput, dicere est fatuum 12

Electores & Principes Imperii in Comitiis Moguntinis approbant Decretum Patrum Conc. Basil de non transferendo Concilio, 7

Electio novi Pont. R. an differenda, an verò cum ea properandum, in diversas in Senatu itur sententias, 66. in duos menses differtur, 67 atque transacto illo tempore ad electionem descenditur, 70. in ejus electione requiritur unanime omnium votum 85

Electores novi Pont. Rom nominandi vel XXIV. vel XXXII. eorum nomina publicantur, 74. *seq.* erant XII. Episcopi, VII. Abbates, VIII. Theologi & IX. Doctores, omnes tamen Presbyteri. 73. S. cœna utuntur 78. juramentum præstant Episcopo Lausanensi, 79. ingrediuntur conclave quisque suum, 80. in quo dies 7. commorantur, 81. suos habebant famulos, 80 Electorum virtutes recensentur & laudantur, 83. 84. eorum vota & schedulæ colliguntur in pelvi, 84. eorum formula eligendi Pont. Rom. *ibid.*

Eleemosynarius Regis Arragoniæ indirectè conclusiones aggreditur 13. obiit in Helvetia, 3 8 68.

Eligentium novum Pont Rom. Triumviris ad hoc opus delectis committitur, 71

Episcopus Albigaunensis, Orator Regis Arragoniæ & Ducis Mediolanensium in Conventu Moguntino, 7. ex Cæsarum sanguine natus, 56. ejus frater Aleranius Abbas Eructuariensis, 74. ejus cum Ludovico, Episc. Massil. amicitia, 64. queritur contemni Prælatos, 56 defendit Eugenium, atque protestationem Eugenianorum publicè legit 60. 64

Episcopus Aquensis, vide Bernhardus Ep Aq.

Episcopus Argensis mittitur à Concilio ad Conventum Moguntinum, 7 Rom. Pontif. pronunciat Ministrum Ecclesiæ 12

Episcopus Augustensis & Pataviensis, Oratores Cæsarei in Conc. Basil. ad Imp. proficiscuntur, 6. ex natione Italica Elector novi Pontif. Rom. 74

Episcopus Basileensis, ex natione Germanica Elector novi Pont. R., 75.

Episcopus Bellicensis Custos conclavis Electorum primus 75

Episcopus Burgensis, Vide Burgensis.

Episcopus Cathaviensis, Eugenianorum partes defendit 59

Episcopus Concensis Orator Regis Castellæ ad Conventum Moguntinum, 7. queritur contemni Prælatos, 56. protestationem repetit 61

Episcopus Constantiensis, Legatus Concilii ad Bohemos 68. in Bohemia moritur 69

Episcopus Dertusensis, ex natione Hispan Elector novi Pont. R. nominatus, 75 Sessioni, in qua Eugenius deponebatur, prædedit *ibid.* fidus Arelatensis comes & Ecclesiæ filius, *ibid.* ultimus ut sibi vaticinatus, in distributione camerarum, 77

Episcopus Ebrunensis, Regis Castellæ Orator disputator acerrimus, 8. cujus sententia Eugenius hæreticus atque relapsus, *ibid.* diem suum obiit Argentorati 68

Episcopus Eporgiensis, ex natione Italica Elector novi P. R. 74

Episcopus Grossetanus ex solis Italiæ Episcopis decreto Concilii assentit, 53 63 alter conclavis Electorum novi P. R. Custos, 75 beneficiis ab Eugenio ob veritatem spoliatus *ibid.*

Episcopus Lausanensis, hortatur Arelatensem, ne sine conclusione surgat, 53. Missam incipit, 63. Vicecamerarius, in electione novi Pont. Rom. nominatus, 76 in Græciam cum Episcopo Visensi abiit, *ibid.* juramentum sumit ab Electoribus, 79. ambonem ascendens in congregatione tria per ordinem legit *ibid.* argenteam gerens crucem in processione *ibid.*

Episcopus Lubecensis, Orator Cæsareus in conventu Moguntino, atque ejus locum tenens, 7. de conclusione Concilii queritur, ac nomine Protectoris protestatur, 55. 61. se tandem excusat, 64. obiit inter Budam & Viennam 68

Episcopus Massiliensis, decretum Concilii approbat, illudque legit, 64. familiariter cum Albigaunensi vivit, *ib.* in locum Ep. Aquensis, ex natione Gallica inter Electores novi P. R. cooptatus 75. publicè legit sententiam in Gabrielem latam *ibid.*

Epis-

Episcopus Metensis, Legatus Concil. Basil. ad Conv Moguntinum 7
Episcopus Pataviensis Orator Cæsareus in Concil. Basil ad Imper. proficiscitur 6
Episcopus Selbensis antiquus Rom. Curiæ Officialis, ex natione Gallica, Elector novi P. R. 74
Episcopus Tarentinus, Legatus Eugenii non audet Moguntiam venire, sed in remotis agit, 7
Episcopus Taurinensis, claris ortus parentibus, ex natione Italica Elector novi Pont. Rom. 74
Episcopus Trecensis, Orator Regis Galliæ ad conventum Moguntinum 7
Episcopus Vercellensis, ex natione Italica Elector novi Pont. R. 74
Episcopus Vicensis, Legatus Conc. Basil. ad conventum Moguntinum, 7. putat, absque nova vocatione Eugenium non posse declarari Hæreticum, 35. ex natione Hispan. Elector novi P. R. 75
Episcopus Visensis, Regis Portugalliæ Orator, ex natione Hispan. Elector novi Pont. Rom. nominatus, 75. in Græciam abiit cum Episcopo Lausannensi, 76. itemque ad Ducem Burgundiæ cum Ludovico Protonotario *ibid.* jussu Gabrielis à Comite Palatino unà cum Ludovico in carcerem conjectus, liberarique ex eo noluit, nisi simul cum Ludovico, tandem etiam legationem subiit nomine Concilii ad Ducem Britanniæ, *ibid.*
Episcopus ab universa Synodo condemnatus, axioma Episcopi perdidit 34
Episcopi veri quinam, 40. 41 nascentis & ad finem vergentis Ecclesiæ quales, 44. moderni temporalia Spiritualibus præferunt, 41. soline an ad Concilium vocandi, 41. timent potestates terræ magis quàm Deum 44. libertatem Ecclesiæ vendunt, ne quid temporalitatis amittant, 40. 44 62. in causa fidei de Imperatoribus Christianis judicare solent, 50. sine Presbyteris esse nequeunt 43. iis solis ex mente Ludovici Protonotarii competit in Conciliis vox decisiva, 38. iis solis non convenit ex sententia Cardinalis Arelatensis 41.
Episcoporum ex Italia vix unus, atque ex Hispania nullus commodum Ecclesiæ quærit 63
Epistolæ Clementis citantur 26. 28
Equitum 4000. interfuerunt coronationi Felicis V. 96
Ethnicorum exempla, pro libertate patriæ mortem constanti animo perferentium 46.
Eugenius Papa, 6 perfidum ejus consilium ad dissolvendum Conc. Bas. *ibid.* schedulam ab Oratoribus Principum conscriptam respuit *ibid.* Ecclesiam ut ventus arundinem exagitat 66. Concilium mox Bononiam, nunc Florentiam, rursus Bonon. mox Ferrariam, & iterum Florentiam pro libidine indicit 65. an hæreticus sit, disputatur 11. quod sit, concluditur, & deponitur à sede Apostolica 66. ejus abrogatio per nuncios ubiq; gentium publicatur 67. à Panormitano aliisque Prælatis defenditur 11
Eugeniana hæresis certis thesibus comprehensa 9
Eugenianorum conatus frustrà, 7. sunt perjuri, 8. advolant ad Conventum Moguntinum *ibid* deprædicant ejus autoritatem supra Concilium per totam Galliam 48. 52. 54

F.

Felix V. alias Amedeus, Dux Sabaudiæ, in R. P. eligitur, & coronatur, vide Amedeus.
Festinatio consiliis damnosa 67
Fides quid 33. Catholica quid *ibid.*
Fiscalis unus in electione novi Pont. R. electus 73
Fletus tenerrimus exoritur ob concordiam Prælatorum in Sessione XXXIII. congregatorum, 63. & in coronatione Felicis V. 90
Fœminas in India cum Maritis suis mori usitatum est 47
Formula juramenti ab Electoribus præstiti, 79. eorumque formula eligendi novum Pont. Rom. 84
Franciscus, Abbas Abundantiæ, quartus conclavis in electione novi P. R. Custos, 75
Franciscus Barbavaria, Orator Regis Arragonum & Ducis Mediolanensis ad Conv. Moguntinum 7
Franciscus, vide Episc. Seb.
Franciscus de Fuxe, Theologus ex ordine Minorum, Arelatensem officii sui admonet 53. mittitur cum Æneo Sylvio ad alias, Deputationes 71. quintus conclavis Electorum novi P. R. Custos 76. cum Panormitano disputat 10
Francofurtum, locus Electorum conventibus vali-

dè opportunus 6. comitia illic instituta ob pestem transferuntur Moguntiam *ibid.*
Fridericus, vide Episc. Basil.

G.

Gabriel, vide Eugenius.
Georgius, ex clarissima Salutiarum familia oriundus, vide Episc. August.
Georgius, vide Episc. Vicensis
Georgius, Miles, Orator Cæsareus, & locum Imperatoris tenens in Conventu Moguntino, 6. protestatur adversus conclusionem Concilii, 61
Georgius, Protonotarius de Bardaxina laudatur, 59
Glossa, quâ Ecclesia Romana orbi præfertur, est fatua & singularis, 12
Gregorii M. expositio: *Dic Ecclesia*, 21
Guadalupum Hispaniæ, 83
Guilielmus, vide Episc. Vercell.
Guilielmus Hugo, Archidiaconus Metensis, Jurisconsultus, tribus censet viris committendum esse Electorum delectum, 70. ipse inter Electores novi P.R. nominatus, 75
Guilielmus, vide Constantia, Canonicus Spirensis, sextus Conclavis Electorum novi P. R. Custos, 76
Guilielmus, Jurisconsultus Constantiensis, Eugenianorum sectam appellat Griseam, 8

H.

Hæreticus quis, 34. eorum condemnatio olim Conciliis Universalibus commissa, non verò Pont. Rom. 24
Henricus Capellanus ex Camera Arelatensi, peste percussus, triduo expiravit, 69
Henricus de Judæis, ex natione German. Elector novi Pont. Rom. 75
Hetrusci fluviorum defectu laborant, 5
Hieronymi sententia, quòd orbis authoritas major sit urbe Roma, 12
Hilarius Papa Decreta sua per Synodum petit approbari, 23
Hispanorum Prælatorum nullus interfuit Sessioni XXXIII. multi tamen ex inferiori ordine, 63
Historia de Benedicto, 52
Hominum ultra 50000. interfuerunt coronationi Felicis V. 90
Hugo, vide Episc. Met.
Hugo Gerardi, Promotor in electione novi Rom. Pont. 76

I.

Jacobus de Saltzburga, Canonicus Ratisbonensis, ex natione Germanica Elector novi Pontificis Romani, 75
Jacobus, Abbas de Secusia, Elector ex natione Italica, 74
Injustitiæ duo sunt genera, 65
Johannes, Comes de Thierstein, locum Protectoris tenens, 48. interest coronationi Felicis, 90
Johannes, Archiepiscopus Tarantasiensis, ex natione Gallica Electorum novi P. R. post Arelatensem primus, 74
Johannes XXIII. non ob hæresin, sed propter alia scelera à Constantiensi Synodo remotus, 30
Johannes, vide Episc. Eporg.
Johannes, Abbas S. Michaelis de Clausa, tertius Electorum novi Pont. Rom. Custos, 76
Johannes, vide Episc. Arg.
Johannes, vide Episc. Lubec.
Johannes Segovius, Theologus Salamantinus, respondet Panormitano, 11. ejus oratio, *ibid.* 50. mittitur cum aliis ad Conventum Moguntinum, 7. unus ex Triumviris, 70. tabulas Electorum novi Rom. Pont. legit, 73. ipse ex Electorum numero, 76. electionem differendam suadet, 67.
Johannes de Eich, Jurisconsultus, tempore Concilii Basileensis clarissimus, 6. 7
Johannes de Bachenstein, Auditor Cameræ mittitur cum aliis à Concilio ad Conventum Moguntinum, 7. excusat Patriarcham Aquilejensem, 49
Johannes, Prior Trajectensis, adjungitur Oratoribus Moguntiam abeuntibus, 7
Johannes de monte Comito, Frater & Præceptor Ord. S. Antonii, ex natione Italica Elector novi Pont. Rom. 74
Johannes de Valle, Brito, Theologus, ex natione Gallica Elector, 75
Johannes Wyler, Decanus Basileensis, ex natione Germanica Elector, 75. primus in distributione Camerarum, 77
Johannes de Turicella. Decanus Segobricensis, septimus

primus Conclavis eligentium novum Rom. Pont. Custos, 76
Johannes Slitzenrodt, alter Promotorum in electione novi R.P. 76
Johannes Dienlifist, Scriba publicus, 9
Johannes Pinanus, Cardinalis Arelatensis Secretarius, venenosa febre & incuria medicorum extinctus, 69
Italia numero Episcoporum cæteras nationes superat, 43
Judæi novo Pontifici Romano offerunt Legem Mosaicam, 92
Julianus Romanus, Æneæ Sylvii amicissimus peste obiit, 69
Juramentum præstant Electores novi P.R. 79. ejus formula recitatur, *ibid.* idem faciunt reliqui Officiales, *ibid.*

L.

Laurentius Rocella, Arelatensi infensus, 53
Leonis Papæ sententia est, Decretum Concilii Nicæni à nemine posse improbari, 22
Leonidæ, Ducis Spartanorum, ad suos oratio citatur, 47
Lex de non cœnando foris, 82
Legum institutio, 14
Loca Scripturæ S. exponuntur, Matth. XVI. Tu es Petrus, &c. 14. c. XVIII Dic Ecclesiæ, &c. 21. c. XXIIX. Ego vobiscum sum &c. 15. Luc. XXII. Oravi pro te, &c 15. Joh. XX. Quodcunque ligaveritis, &c. 18. Act. XV. Visum est Spiritui S. & nobis, &c. 41. Eph. IV. Alios dedit Apostolos, &c. 51. de horum detorsione queritur, 19
Lombardi favent Eugenio, 48. 54. Concilium dissolvendum suadent, 38
Lotharius de concubinatu reprehenditur à Nicolao Papa, 21
Ludovicus, Archiepiscopus & Cardinalis Arelatensis, Judex Fidei, & Concilii Præses, 9. primus omnium inter Electores novi Pontificis Romani, 74. oratione quadam suadet publicationem Decreti, 53. multis argumentis probat, Eugenium esse hæreticum, 62. piissima fraude Italis imponit, 53. reprehenditur ob favorem erga literatos, 56. Concilii Hector, 61. cujus concordata ut Præses Concilii publicari jubet, 58. querulationibus Oratorum respondet, 57. & aliorum calumnias à se amolitur, *ibid.* Symbolum Apostolicum non à solis Apostolis conscriptum esse probat, 58. Turonensem & Lubecensem publicè laudat, 65 è Basilea propter pestem, licèt ab amicis instigatus, non fugit, 69. solicitus de electione Triumvirorum, 75. quorum extollit sapientiam, 77. Cameras per sortem inter Electores distribuit, *ibid.* Missâ celebratâ, S. Eucharistiam Electoribus exhibet, 78. processione mitra & auratis refulgens vestibus, populo benedicit, 79. coronam imponit Felici, 91
Ludovicus, Patriarcha Aquileiensis, mittitur ad Conventum Moguntinum cum autoritate Legati de latere, 7. minatur Panormitano, 48. excusatur & à Johanne de Bachenstein, 49. 51. moritur peste, 68
Ludovicus, Dux Sabaudiæ, Amedei filius, ejus qualitates & statura, 89. interest parentis coronationi, *ibid.* ipsique cùm Missam celebraret, servit, 90
Ludovicus, vide Episc. Lausann. Massil. Taurin. Vicens.
Ludovicus, Marchio Salutiarum, interest coronationi Felicis V. 89
Ludovicus, Cardinalis S. Susannæ, in coronatione Felicis V. officium sacrum peragit, 90
Ludovicus Romanus, Protonotarius, revocatur à Concilio ex balneo, quò se contulerat, 35. vult Apostolos magis esse mirandos, quàm imitandos, 38. res fidei solis Episcopis dijudicandas esse censet, 57. fatetur tamen, inferiores cum Episcopis definire posse, *ibid.* jussu Gabrielis à Comite Palatino unà cum Episcopo Vicensi in carcerem conjectus, demum dimittitur, 76. ejus elogium & vituperium, 37. peste obiit annum vix XXX. egressus, 37. 68

M.

Malchon, Presbyter interfuit Concilio Antiocheno, 43
Marcellinus Papa, Idololatra, 15
Marchio Rotelensis interest coronationi Felicis V. 90
Marcus, Theologus, concionem habuit ad Electores, de novo P.R. eligendo, ejusque qualitatibus, 78
Mariam B. Virginem, tempore Passionis Christi,

solam

solam in fide perstitisse ; erroneum est asserere, 16
Martinus IV P.R. coronatur in Concilio Constantiensi, 33. 89. & cum illius approbatione emittit bullas *ibid.*
Martinus Devera, Regis Arragonum Orator astipulatur Panormitano, 38
Martyrum cruciatus varii, 46
Michaël Brunout, Canonicus Belnacensis, alter Ceremoniarum Clericus, in electione novi Pontificis Romani, 76
Moguntiam transfertur Conventus Francofurti indictus, 7.
Molendi consuetudo apud Hetruscos, 5
Mortem non esse fugiendam pro salute Ecclesiæ, 46 exemplo Martyrum, præcipuè ex sexu fœmineo, 47

N.

Nationem nationi præferre, onerosum & grave, 78. Constantiæ tamen illud fuit observatum, *ibid.* illa tamen præferenda, quæ prius Evangelium professa est, 74. Italia reliquis præferenda, tùm ob Sedem Apostolicam, cùm ob Imperium Romanum, *ibid.*
Nicolaus Cusanus, Eugenii defensor, 8
Nicolaus, vide Episc Grosset.
Nicolaus Tibout, Normannus, Theologus, & ex natione Gallica Elector, 75
Nicolaus Picenninus, Dux belli felicissimus, 58
Nicolaus Aucupis, Normannus, mittitur cum Oratoribus ad Conventum Moguntinum, 7
Nicolaus Gallicus, ex Ordine Prædicatorum, laudatur, 34
Nicolaus Amici, Procurator Fidei, Theologus Parisiensis, Panormitano contra icit, 9. 50. in crastinum indici sessionem petit, 60
Nicolai Burgundionis diligentia & sagacitas, 9
Nobilitatis genuina soror est humilitas, 49
Noriberga, insigne Franconiæ oppidum, 6

O.

Officiales ad novi Pontificis Romani electionem à Triumviris eliguntur, 73
Oratores Principum in Concilio Basileensi, 7. petunt transferri Concilium, 6. quærunt reconciliare Patres cum Eugenio, 6. reversi è Conventu Moguntino, Decretum Concilii revocari postulant, 35. 55. quærulantur de neglectu Prælatorum, 56. depositionem quatuor adhuc mensibus differri volunt, 63. ultimæ Sessioni assentiunt, atque Eugenium veritatis esse hostem, fatentur, 64. 65. multi eorum intersunt coronationi Felicis V. Oratores à Concilio mittuntur ad Conventum Moguntinum, 7. revertuntur, 9

P.

Panormitani Oratio pro Eugenio, magis laudata, quàm probata, 11. in secunda petit differri Decretum Concilii, 35. quod à multis etiam desideratur, *ibid.* sine XII. virorum examine concludit, 51. adversus veritatem se pugnare jussu Regis sui, cum animæ interitu, querulatur, 54. verba Christi in Patres Concilii detorquet, 56. Eugenianorum Achilles, 61. Constantiensis Synodi Decreta in dubium vocare videtur, 61. Sessioni indicendæ contrarius, 62
Papa Romanus non est supra Concilium, nec illud dissolvere potest, 13. 32. Ecclesiæ est minister, non dominus, 2. potest errare, 14. non audiens Ecclesiam, habendus pro ethnico & publicano, 19. non est Ecclesiæ caput, nisi ministerialiter, sed ejus membrum, 26. verius Ecclesiæ dici potest Vicarius, quàm Christi, 27. ejus Constitutiones minus propriè leges Ecclesiæ vocantur, 21. ejus Decreta per Concilium possunt rescindi, 23. potest deponi per Concilium, 25. talis eligendus, qui patrimonium adversus quosvis tutari queat, 87. cur fugiat Concilia, 30 non parens Concilio, schismaticus est, 32. Papam corripere æquius est quàm veritatem amittere, 62 à nemine eum posse judicari, sententia est ex ore bestiæ prolata, ejusque probationes aniles, 19. eum propter solam hæresin deponi posse, qui dicunt, delirare omnibus sanæ mentis videntur, 27.
Paschasius, Episcopus Siciliensis, & Leonis Papæ ad Concilium Chalcedonense Legatus, reprehendit Dioscorum, quòd Apostolicam Sedem contemserat, 30
Pastoris boni officium, 85
Patrum in Concilio Basileensi dissensus, & in duas dissentientes partes divisio, 67. qui ad conservandum illud eligebantur, dicti sunt Patres de Stabilimento, 67

Paulus

Paulus Episcopus Antiochenus, damnatus ob negatam Christi Deitatem, 42
Pauperum CC. ex reliquiis ciborum pro Electoribus præparatorum cottidiè alebantur, 81
Pestis ingens tempore Concilii Basileæ grassatur, 67. tempore æstatis crudelior, 68
Petra, supra quam Ecclesia ædificata, est Christus, 17
Petrus à Paulo reprehensus, quòd Concilio Universali non paruerit, 24. ejus nomine Matt. XVI. intelligi omnes Apostolos, multis probatur argumentis, 15
Petrus, Abbas S. Cucuphalis, ex natione Hispan. Elector novi Pont. Rom. 76
Petrus de Atro, Soldanus ad electionem novi P. R. 76
Petrus de Tridia D. & Archidiaconus, 84
Philippus, Comes Gebennensis, Amedei filius, interest coronationi parentis, atque in sacro officio ipsi servit, 89. 90
Platonis sententia de Rectoribus civitatum citatur, 73
Polonis jejunium mors, Gallis verò vita, 82
Pontifice Romano defuncto, Sedes per LX. dies vacat, 67. in ejus electione requiritur unanime omnium Electorum votum, 85. rarò in Conciliis generalibus solet coronari, 89
Pontificatui Romano non obstat uxor, cùm non solùm qui uxorem habuit, sed etiam, qui adhuc habet, assumi queat, 86
Pontifices fuerunt uxorati, 86
Porcellanus, Episcopus Bellicensis, primus Conclavis in electione P. R. custos, 76
Presbyteri iidem qui Episcopi, 43. teste Augustino, judiciariam habent in Ecclesia potestatem, *ibid.* atque in Conciliis vocem decisivam, 41. possunt Conciliis interesse, *ibid.* multa propter veritatem ab Eugenio passi, 44
Principum Germaniæ Conventus Noribergæ institutus, ob dissidium inter Papam & Patres Concilii, Francofurtum transfertur, 6 dehinc ob pestem, Moguntiam, 7 eorum Oratores in Concilio, *ibid.* parum reverentiæ & obedientiæ præstant Concilio, 51. 87
Procuratores duo ad electionem novi P. R. constituti, 73
Promotores duo in Electione P. R. electi, 73
Protestatio Panormitani & asseclarum, 60
Pueri stolas albas amicti processionis in coronatione Felicis V. initium faciunt, 79

R.

Rabanus, Archiepiscopus Trevirensis, interest Conventui Moguntino, 7 discedit inde, 8
Raimundus Albioli, Canonicus Tirasonensis, ex natione Hisp. Elector novi R. P. 76
Rebelliter vivens, potius Diaboli, quàm Christi, est membrum, 11
Rex quis, 14. suis etiam tenentur legibus, iis abutentes, deponi solent, *ibid.*
Regnum plus potest, quàm Rex, 13. & contrarium defendentes errant, 14
Reliquiæ Sanctorum in ulnis à Sacerdotibus gestantur, 63
Res magni momenti cum judicio & tempore est tractanda, 67
Robertus Magnani, Procurator Fiscalis in Concilio Basileensi, 76
Rubinus Antiquus, Cardinalis de Cypro familiaris, præficitur periculo ignis, 83

S.

Sacerdotis nomine veniunt Episcopi & Presbyteri, 42
Sanctum interdum idem, quod *sacrum*, seu *religiosum*, interdum, quod *incorruptum*, 17
Sapientiæ sedes ubi, 41
Scribarum Bullarum VIII. ex S. Pœnitentiæ verò Scribis, aut totidem, aut plures peste pereunt, 69
Scriniariorum in coronatione Felicis V. dissonus cantus notatur, 90
Scrutiniorum modus in colligendis votis Electorum novi P. R. observatus 84
Secta Eugenianorum vocatur Grisea, 8
Seculo moderno virtutes parvi æstimantur, 87
Servientium Electoribus numerus, 84
Sessio XXXIII celebratur absentibus Prælatis Hispanis & Italis, 63. quorum subsellia supplebant alii, *ibid.* finitur cum lætitia & hymno D. Ambrosii & Augustini, 64
Soldanus unus in Electione novi P. R. 73
Spiritus S est in medio Conciliorum, 58. Principes tenentur obedire, 46. 58. 62
Stephanus Protomartyr, 41

Stephanus Plonerii, Doctor & Archidiaconus, 84
Sylvester II. ope Diaboli ad Sedem Romanam pervenit, 15
Symbolum Apostolicum communiter quidem tribui Apostolis, sed non solis, 57. portionem illam de processione Spiritus S. adjecit Concil. Lugd. 58. reliqua maximam partem addidêre Synodi, *ibid.*
Synodus Constantinopolitana subjicit Pontificem Romanum judicio Synodali, 30.
Synodorum tria sunt genera, 36.

T.

Theodori Cyrenensis sententia, 47
Theodoricus de Mörsa, Archiepiscopus Coloniensis, acerrimus Concilii Basileensis defensor, interest Conventui Moguntino, 7. discedit inde, 8
Theodoricus Nagel, Canonicus Rigensis, octavus Conclavis in electione novi Pontificis Romani custos, 76
Theologi Scholastici extollentes Pontificem Romanum, Scripturæ S. dicta in alienum detorquent sensum, 19
Theologorum in Concilio Basileensi disputatio, an Eugenius pro hæretico sit declarandus, eorum hac de disquisitione dissensus, *ibid.*
Thomas de Corsellis sacrarum Literarum Doctor, 7. unus ex Triumviris eligentibus Electores, 71. ipse Elector ex natione Gallica, 75. mittitur cum aliis ad Conventum Moguntinum, 7. ejus oratio, qua multis probat, Papam esse infra Concilium, 18 absque eo posse deponi, 13. *seqq.*
Thomas, Abbas de Dunduno, Triumvir delectu[s] ad nominandos Electores novi Pontificis Ro[mani], 70. & ipse Elector ex natione Germanic[a], 75
Triumviri, per quos Electores erant nominandi recommendantur à Guilielmo, Archidiacon[o] Metensi, 70. juramento stringuntur ad officium 79. eorum laus, 71. assumunt in societatem mu[ne]ris Christianum, Præpositum Olmucensem 72. causas nominationis ante aperturam schedularum exponunt, 73. laudantur ob egregiam in denominatione adhibitam sapientiam & discretionem, 77
Tyrannus quomodo à Rege differat, 14

V.

Venatorum præmium est vilis fera, 47
Veritatis vis magna est, 46. illa non deserenda, etiam cum periculo vitæ, *ibid.*
Vicecamerarius unus ad Conclave Electorum delectus, 73
Viri docti mors damnosior morte cujusvis Regis, 46
Virtus hodierno seculo alget, 87

Z.

Zacharias, Episcopus Chalcedonensis, in Synode ibi habita, non agnoscit superioritatem Pontificis Romani, in alios Episcopos & Patriarchas, 22
Zosimi Papæ sententia de Statutis Patrum, 22

FINIS.

Rerum & Verborum in hac de Concilio Carthaginensi, Primatu Petri & Electione Episcoporum Historia præcipuè memorabilum

INDEX.

Abjurationis formula, qualis ab hæreticæ pravitatis Inquisitoribus proponi solet 10
Adhoratio ad Principes Germaniæ, ut jus eligendi Episcopos sibi nefariè ablatum, iterum vindicent 80
Adriani IV. egregium dictum 18
Adulatores Pontif. Rom. dicunt, Patriarchas à principio per Papam esse ordinatos 67
Æneæ Sylvii de Papæ Primatu post Nicenam demum Synodum constituto sententia 2. 11
Afflictionem à domo Domini incipere 7
Africanæ Ecclesiæ quamdiu â tyrannide Papæ fuerint liberæ 19. subjectæ ejus tyrannidi 31
Africani Episcopi excommunicati 19
Agenda vetera & Pontificalia in Germania olim usitata 70. testantur Episcoporum & sacerdotum electionem fuisse penes populum *ibid.* temporibus Ottonis III. conscripta 73
Alaoscopos 49
Alipius Episcopus Tagastensis 25
Ambrosius ab universo cætu ad munus Episcopale fuit vocatus 58
Anacletus Episcopus Romanus 56
Anatolii Constantinopolit. Archiepiscopi ambitio 16
Aniceti contra Polycarpum violentia 10
Anitii Papæ decreto, is, qui omnibus præesse debet, ab omnibus etiam eligi debet 66
Antichristus quis 38. 51. 54
Antichristus nostri orbis calamitas 47. Spiritu oris Christi conficiendus 23. tum appariturus, cum Rom. Regni defectio fiet 52. in templo Dei sedens flagello verbi ejus jam ejectus 40. 54 ecclesiæ violenter rapuit, jus eligendi Episcopos 75
Antichristi arrogantia & contumacia in S. literis prædicta 4. ejus notæ ex Daniele & Paulo 52. ejus Palladium titulus videlicet Universalis seu Oecumenici 21. potissima ejus ratio, quâ nunc per Universum terrarum Orbem grassatur 8. tyrannide ejus Christianitatem contra omne jus premi. 3. 4. 80
Antichristum esse ipsissimum Papam Rom. 51, 52. 80
Antichristi Rom. quomodo & tyrannidem jam olim affectatam tandem occupaverint, & Carth. Synodum damnaverint 31
Antiochia quoq; sedes Apostolica veteribus dicta 46
Apiarius presbyter à Concilio excommunicatus 11. à Papa absolutus 11. 14. 15. 27. 29
Apocalypsis locus 52
Apostaticus, pro Apostolico 48
Apostoli unde dicti 45. nomen quid innuat 36. Ecclesiæ tantum ministri ex æquo omnes, non Domini 41. 42. 43. consensum multitudinis requirunt in eligendo Clero 66
Apostolorum proprietas 36. eorum Canones sunt commentitii 39
Apostolis datum à Christo mandatum, ut quàm latissimè vagentur spargendo Evangelio, nec certo alicui & uni loco hæreant 45. 48. ipsis Christus prohibuit dominium in alios 41
Apostolos nullam certam ac fixam sedem habuisse 36. 45. 46
Appellare à Metropolitano suo ad alium nemini licere 31
Appellatio ultra mare ad Papam, & Milevitana & Carthag Synodo interdicta 16. 17. 29. 30
Asellus presbyter 11. 14
Atticus Constantinopol Episcopus 30. Nicopoleos Metropolitanus 18
Audientia roganti non neganda 27
Aventinus 74
Augustinus interfuit Africano Concilio 2. 9. 13. 16. 57. & Milevitano 16. 26. 38
Augustini sententia de Episcopo Episcoporum 47. de Clavibus Regni cœlorum 55. de Electione Episcoporum 58. ejusque obitus 16
Aurelius Valentinus, Carthag. seu Numidiæ Episcopus 9. 11. 21. 24. 26. Rom. Ecclesiæ adversarius 34

B.

Babylonica meretrix 34. nimiâ piorum modestia quomodo abusa *ibid.* ejus facinus 4

Barbaricorum superstitione egregiè abusi Papæ 22. & Germanic. potestas longè major ante HenricumIV.22
Beatitudo civitatum & Imperiorum vera quæ 7
Bonifacius I.qui & Malefacius 13
Bonifacius II. in Ecclesias Africanas primatum sortitus 19. ejus ad Eulalium Alexandrinum epistola 20. item alia, Synodum VI. Carthag. damnans 33, ejus ambitio, & in competitorem Dioscorum injuria 19 20
Bonifacius III 22. approbat Canones Cœlestini & Gelasii de Episcop. electione 58
Bonifacius VII. Jubilæi Autor 48. in eum scomma, multis etiam aliis Papis conveniens *ibid.*

C

Cabilonensis Concilii decreto Episcopus consensu Cleri & civium eligendus 59
Cæsares & Concilia suo arbitrio indicere 22. & Episcopi creari & Rom. Pontifices confirmari soliti, 22. 62. 64
Calistus Papa approbat Paschalis II. decretum 61
Canon à Papis suppositus Nicænæ Synodi actis 24. 25
Canones Olitani probant Electionem Episcoporum arbitrio populi factam 59
Canonici nefariè jus Electionis sibi solis vendicant 75. in Bacchi poculis & Veneris Schola probè exercitati, in S. literis peregrini 77. omnibus ob tetras libidines exosi 78. in eligendo Episcopo plus suum quærunt commodum, quam Ecclesiæ 78
CarolusMagnus, Primus Imperator Germanorum, ac multorum in Germania Episcopatuum Fundator 63. ejus de Electione Episcoporum decretum *ibid.*
Carthaginensi Patriarchæ primatus à Chalced. Synodo tributus 23
Carthaginensis Ecclesia per Eulalium Metropolit. Romanæ subjecta 31. 32
Carthagiensis Synodus IV. toti Ecclesiæ tribuit Episcoporum Electionem 57
Carthaginensis VI. Synodus quando celebrata 9. 11. 38. à Bonifacio II. & Eulalio damnata 20. 21. 32. 33. ejus initium 24. & decreta contra Papæ arrogantiam 16 & Epistolæ ad Bonifacium Episcopum Rom. 26. & ad Cœlestinum Papam 29. huic quoque interfuit D. Augustinus 2. 28
Carthaginensis Synodi decreta cōtra Pelagianos 10.
In Cathedra Mosis & c Christi dictum nihil ad cariosam Petri sive Papistarum sedem facere 46
Causæ singulæ in suis provinciis finiendæ 15
Cœlestini Papæ decretum de Electione Episcoporum à tota Ecclesia peragenda 57
Calibatus Pontificius 48
Celticius Episcopus 29
Chalcedonense Concilium 16. 17. quatenus à Gelasio approbatum 23
Christus perpetus Sacerdos & Rex 51. Petra 43. unicus Mediator noster 5. ejus unicum Sacrificium *ibid.* Christi pauperis facile fuisse oblivisci præ Papæ fastu & præstigiis 50. ejus & Apostolorum vocationis eadem ratio 45. non habuit certam & fixam sedem *ibid.* gloriam suam auget per balbutientium imbecillitatem 40 non venit ut constitueret regna & politias 42. 43. ejus verus in his terris vicarius est Spiritus S 50. ejus vicario non competit gladius politicus 43. ipsi Papa Rom. adimit Sacerdotium & Regnum 51
Christianæ religionis summa capita 5
Christianorum asininâ stoliditate potius, quam agninâ simplicitate, Papatum adeò crevisse 35
Christianos cur subinde ad simpliciter credendum Papistæ exhortari soleant 34
Chronicon *Magdeburgense* 73
Chrysostomi sententia de Electione Episcoporum 57
Civitatum vera felicitas quæ 7. majorum civitatum Episcopos & Magistratus minoribus præferri 9
Clavium jus omnibus Apostolis ex æquo datum 43. non soli Petro 55. earum nomine venit potestas ecclesiastici regiminis toti Ecclesiæ conveniens 55. 56
Clemens, quartus à Petro Papa 35. ejus Epistola ad Jacobum fratrem Domini commentitia 35. 39. citatur 67
Clericorum causæ apud suarum provinciarum Episcopos terminandæ 28
Cletus & Linus duo Papæ, vivente Petro 35
Cœlestinus primus 13 infernalis 16
Communio sub utraque specie; præter hanc Christus nihil instituit in Cæna sua *ibid.* à Communione in sua Provincia suspensi non possunt nec debent à Papa restitui 29. 30

Conci-

Concilia Cæsarum arbitrio indici solita 11. eorum autoritas frustrà objicitur à Papistis, qui & Nicænam falsare & Carthaginensem damuare sunt ausi 23. eorum canones pro libidine à Pontifice R. vel approbantur, vel improbantur, & cur *ibid.*
Concordantia Catholica 65
Conjugium etiam Sacerdotibus divinitus mandatum 5
Constantiensis Synodus 5
Constantini donatio ficta 35.39
Constantinopolitana Synodus 16. electionem Episcoporum toti Ecclesiæ adjudicat 57
Constantinopolitanorum Patriarcharum cum Rom. Episcopis de Universalis sive Oecumenici nomine contentio 21
Constantinus, nisi unamini civium Mediolanensium consensu in Episcopum fuerit electus, ex decreto Gregor. M. non debet ordinari 70
Controversiæ singulæ eo loco, ubi ortæ sunt, disceptandæ, à Synodo constitututum 15
Curtisani harpyiæ 49. terræ filii 22. Africano Concilio abrogati 15. eorum cantidena, de simplicitate Christianis amplectenda, &c 34
Cyprianus consensu totius Ecclesiæ Carthaginensis creatur Episcopus 57. Rom. Episcopos, non Dominos, sed Coepiscopos & collegas agnoscit 3. ejus sententia de Episcopo Episcoporum 47. & de Electione Episcoporum 66
Cyrillus Alexand. Episcopus 30

D

Dagenus, tertius Magdeburg. Episcopus, ab Imperatore cum consensu cleri & populi datus & constitutus 73
Damasi & Ursacii de sede Rom. contentio 18.48
Danielis de Antichristo prophetia 52.54
Davidis corruptio 49
Dei ira piorum persecutione vel admittitur, vel cumulatur 6. frustra colitur traditionibus & mandatis hominum 5. vilis conditionis homines sibi in Ecclesia ferè deligit 50.51
Dionysii scripta fictitia 39
Dioscorus etiam mortuus à Bonifacio II. damnatus 19. 20
Donatus Episcopus 29

E

Ecclesia Christi latè per orbem terrarum sparsa 47. 48. 49. ex quibus constet hominibus 47. Pontificia duobus Sponsis nupta 42. est Antichristi scortum *ibid.* Romana & totius orbis eadem 36. ejus fundamentum est Christus, non Petrus 43. non opus habet capite visibili 50. ibi est, ubi nostri orbis calamitas Antichristus ignoretur 47. aliter à Deo regitur, quam Politiæ 50. trecentis annis post Christi resurrectionem Rom. Pontif. neglecto, floruit 3. variis donis à Deo ornatur 51. ejus privilegia nemo sibi rapere debet 63
Ecclesiæ præesse, ac eam tueri, Christum velle 50. ei unum hominem præfici, etiamsi probum, non expedire 48. *seqq.* eam nunqnam fuisse, quæ Romana etiam non fuerit, impiè asseritur 16. esse reformandam secundum jus Div. 67. in ea neminem debere imperandi cupiditate potentiam quærere 15. piorum in ea officium *ibid.*
Eckii Sophisma 41
Electio Episcoporum ut & Pastorum penes totam est Ecclesiam 55. & ita per 800. annos fuit 70.
Episcopus legitimus qui 74. nullus ex sententia Cypriani & Augustini Episcopus Episcoporum constituendus 47. nullus ex sententia Synodi Carthaginensis princeps Sacerdotum aut Summus Sacerdos dicendus 18. non sit iracundus 48
Episcopi majorum civitatum in majore honore haberi soliti 9. in Papatu Dei, sed Pontif. R. gloriam 54. 55 eorum eadē est potestas ex D. Hieronymi sententia 47. eorum electio penes totam Ecclesiam fuit per 800. annos 70. nec trium aut ad summum sex Monachorum seu Canonicorū arbitrio committenda, 77. eos creare & confirmare, eisque imperare, Cæsarum, non Paparum munus est 22. 62. imo totius Ecclesiæ 55. eos non ambitione, sed humilitate crescere 19. in ipsorum electione magis spectatur privata utilitas, quàm publica 77
Epistola Synodi Nicænæ ad Ecclesiam in Ægypto 57. Constantinop. Synodi ad Damasum &c. *ibid.*
Epistolæ ad Rom. Pont. scriptæ vel parum, vel nihil habent de Paparū Primatu 10. an per eas liceat provocare ad Episcopum Rom. 28
Evangelium omne, præter id, quod Christus & Paulus docuit, detestandum 3. ejus doctrina sincera est vera Imperiorum & civitatum felicitas 7
Eucharistiæ verus usus 5
Eugenii III. Bulla, requirens consensum Cleri & plebis in electione & translatione Episcopi 62. 73

Eulalius, Alexand. Patriarcha 20. 33
Eulalius, Metropolitanus Carthag primus Rom. Episcopo sese subjecit 19. 31. 33. veritatis & Ecclesiæ Dei proditor 20. 21. ejus contra Synodum Carthag. epistola 31. & in eandem improbitas 20
Eulalius Papa Rom. electus cedit Bonifacio 13
Eutyches in Concilio Chalced. damnatus 16. 23

F.

Falsi crimen, magnum scelus 39
Faustinus, Episcopus Potentinus II. Legatus à latere ad Concilium Carthag. 13. 14. 26. ipsi Africa interdictum 15
Fidei rectæ regula custodienda 30
Flavianus Episcopus Antiochenus à tota Ecclesia electus 57
Fortunatianus Episcopus 29
Fortunatus Episcopus 29
Franciscus Spira divinitus ante paucos annos toti Italiæ, præsertim autem Venetis, concionator constitutus, 6. ejus desperatio non fortuita *ibid.*
Friderici Imp. cervix à Pont. Rom. calcata 4
Friderici II. tempore jus eligendi Episcopos toti Ecclesiæ ablatum 75
Fumi 39

G.

Gelasii sententia de Concilio Chalcedonensi 23. item Electione Episcoporum 58
Gislerus secundus Magdeb. Episcopus privilegia Ecclesiæ ab Ottone I. data partim corrumpit, partim comburit 65
Gladium utrumque sibi Papa, contra Petri institutum sibi rapit 41. 49. 50
Gratianus contra Bullam Eugenii III. suo tempore scriptam in alteram partem in clinat 62
Gregorii Magni sententia de Universalis Episcopi titulo 47. item de Electione Episcoporum communi Ecclesiæ arbitrio peragenda 59. ejus Pontificatus diuturnus 21. 22. tyrannidem in Ecclesiam affectatam damnant *ibid.*
Gregorii IX. tempore ad Electionem Episcoporum requirebatur consensus populi 74. 75. ejus ad Archiepisc. Brem. & Episc. Verdensem epistola 75
Guicmanus, Episcopus Cicensis, postea Archiepiscopus Magdeburg 62

H.

Hadrianus Papa ex decreto Canonum Olitanorum electionem Episcopi toti Ecclesiæ tribuit 59
Hadrianus II. suffragiis Cleri & populi electus 64
Hæreticus quis Papæ 23
Henricus IV. Imperator à Pontificibus Rom. oppressus 22
D. Hieronymi dictum 47. & Epistola de Electione Cleri aut Sacerdotis à tota plebe peragenda 58
Hierosolymitanum Concilium 35
Hincmarus, Archiepiscopus Rhemensis, ejus Epistolæ, quibus Episcoporum electionem ad totam Ecclesiam pertinere scribit 60
Historicorum, sese mutuò veluti grues ducentium & sequentium, mos improbandus 36
Historiolæ hujus de Primatu Papæ summarium 21. 23
Hominem etiam pium in tanta potentia & opibus, quanta est Paparum, non corrumpi impossibile 49
Humilitate Christianorum plusque servili quomodo Pont. Rom. sint abusi 34

I

Jacobus frater Domini 7. ante Petrum mortuus 35. 39
Januarius Episcopus 29
Idololatria Dei mandato fugienda 3
Jesum esse Christum negare Antichristum quid 51
Imperatores olim Episcoporum electionem confirmabant 62 non Episcop. Germaniæ solùm, verum etiam ipsius Episcopi Rom. 64
Imperii translatione astutè in suum commodum abusi, eorum vera felicitas quæ 7
Innocentius, Nocentius 10
Innocentii I. impudentissima arrogantia 10
Jocundus Sufetulæ Ecclesiæ legatus 26
Johannes Pont Rom. flagitiose & intemperanter vivens pellitur 64
Irenæus Victoris Pont. Rom. arrogantiæ obstitit 10
Isidori sententia de electione novi Episcopi 70
Jubilæi autor Bonifacius VIII. 48
Judæ desperatio non fortuita 6
Judæi Româ à Claudio expulsi 35
Jura etiam propria figere ac refigere pro libidine Antichristos Rom. 20. Contra Jus Div. nulla datur & valet præscriptio 76. 77
Jus Canonicum probat Electionem Episcoporum

toti

toti Ecclesiæ competere 57. seq Justinianæum item Episcoporum electionem toti Ecclesiæ tribuit 61. 63
Jus eligendi Episcopos & Pastores penes totam Ecclesiam est 55. tempore Friderici II. Ecclesia hoc jure privata fuit 75. hoc, spreto Ecclesiæ antiquæ usu, modò Papa, modò Magistratus, modò Canonici sibi vendicant 76. ab Imperii statibus in Comitiis meritò repetendum 80
Justinus Imperator 33
Justinopoli facta ante paucos annos piorum persecutio 5
Jvonis panormia 66. 74

L

Laboris termino, non initio, præmium deberi 32
Legati à latere, ne mittantur à Papa Carthag. Synodo cautum 30
Laici ab electione Episcoporum non sunt excludendi 55. seqq. tempore Friderici II. exclusi 75
Leo infernalis 19. Primus Sixti successor 16. ejus præclara in Anatolium sententia 19
Leo IIX. à Clero & populo Rom. electus, ab Ottone I. Imperatore confirmatur, & rejectus restituitur 64
Leonis IV. decreto nullus Episcopus consecrandus, nisi à Clero & populo sit postulatus 61. 67
Leonis I. astuta ambitio, qua paulatim ad primatum occupandum aspirat 18. ejusdem de Episcoporum superioritate 17. nec non de Episcoporum & præprimis summi Sacerdotis electione sententia 48
Linus & Cletus duo Papæ vivente Petro 35
Literæ Ludovici II. Imperat. testantes Electionem Episcopi Rom. maximè ad cives pertinere 64
Lucifer diabolorum & inferni princeps 4. ejus peccatum in Episcopis primatum affectantibus 21
Ludovici Pii Imper. decreto, nullus haberi debet pro Episcopo Rom. nisi à tota Ecclesia Rom. fuerit electus 63
Lutherus 51. 55

M

Macedonius Constantinop. Synodo damnatus 16. 17
Magdeburgensis Episcopatus ab Ottone I. fundatus, multisque privilegiis ornatus, 64. à Gislero verò, secundo Episcopo iisdem orbatur 65
Magdeburgenses cives olim jus habebant eligendi Episcopum, quod postea Canonici sibi vendicârunt, 73. 74. de Electione Nordberti concertantes, consentientibus tandem sententiis coram Cæsare & Legatis Pontif. Spiræ electionem faciunt 73
Magistratus ordinarii & Deî mandato timendi, amandi & honorandi 1. illis ex Christi & Apostolorum mandato parendum 4
Mameranus, Papisticus seductor 16
Malefacius pro Bonifacio 13. 19
Maozim Deus 52
Martinus Episcopus 29
Matthiæ Flacii erga Venetorum Remp. amor 1
Menses papales qui 76
Messias quid 51. ejus officium 38
Metropolitani qui 9. in Nicæna Synodo primum constituti 11. cæteris Episcopis præfecti 17. 115 primatus in singulis provinciis datus 31. sunt inter se æquales ibid.
Milevitana Synodus 10. in illa interdicta appellatio ad Papam ultra mare 15
Mosis Cathedra quid 46. ejus successores valde ei dissimiles ibid.

N

Nazianzeni sententia de Electione Episcoporū 57
Nectarius consensu totius Ecclesiæ Constantinop. eligitur Episcopus 57
Nicænus canon VI. contra Papam 30. à Papistis falsatus 17. 19. & alius substitutus 24. 25. cujus falsatio meritò illis objicitur 16
Nicænæ Synodi decreta falsata 12. 14. 15. 23. 31. 38. 39 Hujus decreta authentica è Constantinopoli, Antiochia & Alexandria petita 16. 28. æquantur Evangelio à Papistis 13. ejus decreto electio Episcoporum competit toti Ecclesiæ 57. ante hanc Synodum parvus admodum in Papam & Ecclesiam Rom. respectus 12
Nicolai I. decreto Episcopus consecrari nequit, nisi post electionem Ducis Cleri & populi 61
Nicolai Cusani lib. II. de Concordantia Catholica 65
Nicolai Lyrani expositio super hoc: *Et super hanc Petram* &c. 43
Nocentius pro Innocentio 10

O

Oecumenici vocabulum è Gregorio M. damnatum 21

Opibus nimiis corrumpi etiam pios 49

Optatus Episopus 29

Otto I. Imperator Leonem VIII. à Rom Ecclesia electum confirmat, 64. fundavit Ecclesiam Magdeburg 64. & imperium Rom. valdè adauxit. 64

Ottonis Frisingensis Historia 62

P

Palatinus Episcopus 29

Papa Rom. consensu cleri & plebis debet eligi 64. 70. est lupus infernalis 29. effert se supra Deum & quomodo 52. non Christi sed Antichristi Vicarius 4. imò ipsissimus Antichristus 2. 3 4. 50. 52. 53. omnium facinorosorum perpetuum Asylum II. mentitur se Petri esse successorem 41. Christo adimit regnum & Sacerdotium 38. 51. 52. primatum super omnes Ecclesias à Phoca primùm sortitus 22. in Nicæna Synodo aliarum Provinciarum Metropolitanis exæquatus 2. infensissimus Germanorum hostis 78. ob varias exorbitantias non amplius potest reservare beneficia electiva 69

Papæ primatus à sexta Synodo Carthagin. rejectus 2. de ejus primatu integro quinquennio actum in Synodo Carthag. 9. ejus primatui restitúerunt multæ Ecclesiæ 47. 48. ejus primatum in Ecclesia credere, non est de necessitate salutis 42. Satellitum ejus horrenda persecutio 5. ejus Majestas tempore Caroli M. & Ludovici longè minor fuit, quam nunc 22. ejus Idolomaniæ 42. & libidines Sodomiticæ 52. ejus cantilena frequentissima de Christianorum simplicitate 34. ejus fastus oblivio pauperis Christi 50. ejus collatio ad Antichristi imaginem à Daniele depictam 52. electio ejus ante annos circiter 300. in solos Cardinales translata 70

Papæ non contradicendum, etiamsi infinitas animas secum ad inferos traheret, decretis ipsius cautum 4. jus ei in Africanas Ecclesias Synodi decreto interdictum 14. 15. non magis ei, quàm aliis Christianis affuturum Deum & Sp. S. in judicando, Carthaginensi Synodo assertum 15

Papam Rom. initiò 309. à Christo annis nihil potestatis habuisse præ infimis Episcopis 2. nullo jure Christianis imperare 3. non jure, sed mendacio sibi primatum arrogare 27. non magis Petri successorem, quàm Antiochenos aut Ponticos &c. Episcopos 46. unum totius orbis Præsidem esse impossibile 48. 49. in templo Dei ut Antichristum sedere &c. 52. non solùm in opes, verùm etiam in animas potestatem ac tyrannidem sibi vendicare 4. ad ipsum appellare interdictum in Synodo Carthag. 15

Papæ ab initio dominationis ac tyrannidis dilatandæ cupidi 9. 10. imperii translatione & superstitione barbaricorum Cæsarum egregiè in suum commodum abusi 22. eorum judicio quinam hæretici & Schismatici 23. ad modestiam & humilitatem alios adhortantur, ut commodius sibi arripere imperium possent 34. stultâ regum ac populorum devotione egregiè abusi 49

Paparum Rom. in Remp Venetorum injuriæ 3. eorum electio olim ab ipsis Imperatoribus solita 48. & in electione contentio 10. & qualis priscis nec nō insolentia ex successuum planè temporibus, 48. diabolica 10. 49. 50. ambitio & tyrannidis affectatio 31. malæ artes 49. Epicureismus 46. primorum Epistolæ plurimæ fictitiæ 35. eorum ante Nicenum concilium auctoritas nulla 11. 12. sedes nihil cum Cathedra Mosis habet commune 46. successio non ideò Romæ ponenda, etiamsi ibi Petrus aliquandiu fuisset 45

Papas Romuli potius, quàm Petri esse successores 18. eos non ritè eligi 48. initio Ecclesiæ & aliquot postea seculis nullum imperium ut nunc, habuisse in Ecclesias Dei 22. 21. oppresso demum Henrico IV. tantam sibi potentiam arrogasse *ibid.* & instar strigarum Imperium Rom. exsuxisse 76. hodiè voluptarios 49. & conciliorum decreta alia pro libidine approbare, alia improbare 23

Papalis autoritas Christi ordinationi è diametro adversa 3. ejus tyrannidis asperitas & impietas 2. 3

Papatus meris imposturis refertus omnibus innotuit 54. ejus à ruina præcipua sustentandi ratio 7. 54

Papistæ mendaciorum parùm memores 39. gloriantur temerè & inaniter de Apostolica sede Petri 46.

Papistica abominatio in Clementis ad Jacobum epistola præcipuè fundata 35

Paschæ diversa observatio 10

Pa-

Paschalis II. decreto Episcopus non debet eligi à solis Sacerdotibus, sed etiam à plebe ejus loci 61
Pasquillus Extaticus 7
Pastorum electio & remotio totius Ecclesiæ opus est 56
Patres olim lenioribus verbis ad Rom. Episcopos in scribendo usi fuere 34. ab eorum constitutis nullatenus recedendum 30
Paulus Gentium Apostolus 35. 40 41. 44. electum Christi organum 44. 51. quamdiu consederit certis in locis 36. & Romæ 45. & alibi *ibid.*
Pauli locus explicatus 52.53. ejus de Petri Apostolatu testimonium 35. nec non cum Discipulis Petrinis controversia 10. 43. ut & de Antichristi notis locus 52
Pedum oscula 50
Pelagii cum Johanne Constantinop. Patriarcha contentio 21
Petrus à petra, & non petra à Petro nomen accepit 55. quoto Neronis anno sit occisus 39. cum Paulo eodem loco & supplicii genere affectus 35. à Paulo coram plurimis in faciem objurgationem æquo animo tulit 41. ubi potissimum docuerit 44. 45. Romam venit ad expugnandum Simonem Magum 45 cum quo simul Româ pulsus 46 judæorum tantùm est Apostolus 40. 44. 45. pro Ecclesiæ fundamento non habendus 43. sed pro fideli ac bono Christi ministro 41. personam omnium Apostolorum gessit 43. nullo tamen jure nec divino nec humano Ecclesiæ particularis, taceo Universalis Ecclesiæ Episcopus est constitutus 40. 41. sed singulis Apostolis æqualis, toto autem concilio inferior 42. prolatâ illa sententia: *Tu est Petrus*, &c. à Christo appellatur Satan 48. atque etiamsi Primatum habuisset, quid hoc ad Papam Rom. 44
Petrus, Abbas Cluniacensis aliquoties meminit populi consensus in electione Episcoporum 74
Petri historia in Epistola ad Galatas verissimè comprehensa 35.44. ejus primatus tempore D. Pauli nullus 10. 35.36. 42. qui quàm latè patuerit, testatur historia 44
Petro inter Judæos & non inter Gentes Episcopatus est concreditus 35.36
Petrum fuisse Romæ incertum 44. & XXV. annis docuisse incertius 44. ibi non fuisse, nec Papatu functum esse certa demonstratio 35. 36. 44. 45. posito Romæ eum fuisse non regni constituendi, sed Simonem Magum vincendi ergò Romam venisse credendum est 45. 46. non habuisse primatum in Ecclesia, aut jus supra reliquos Apostolos 41. sed post ascensionem Christi perniciosè nutasse constat 43
Petro vivente adhuc alios duos Papas fuisse Romæ, asserunt ipsi Papistæ 35
Petrinorum discipulorum arrogantia à Paulo repressa 10.43
Philippus Rom. Ecclesiæ Presbyter 11.14
Phocas Imperator parricida 22
Pii secundi, de Primatu Papæ Rom. ante Synodum Nicenam nullo adhuc, sententia 2.47
Piorum hominum in Ecclesia officium quodnam 15. 115. multa pro Christo patientibus Christus præsens est 7
Polycarpus Anicetum non agnoscit superiorem 10
Populus ab electione Episcoporum non est excludendus 55. tempore Friderici II. hoc Privilegio est privatus 75
Portæ imperii Christo adventanti aperiendæ 6. 8
Potentia nimiâ corrumpi etiam pios 29
Præscriptio contra jus Div. non habet locum 76. 77
Presbyteri olim suffragiis totius Ecclesiæ eligebantur 56. *seqq.* non sunt Ecclesiæ Domini, sed ministri 56. de Primatu inter Apostolos etiam orta est contentio 42
Provinciis singulis non defuturam Sp. S. gratiam, ut appellare ad Papam Rom. non sit opus 30
Pseudoprophetæ jussu Christi sunt fugiendi 56

Q

Quid pro quo obtrudere 35

R

Rabanus Maurus unanimi Clericorum & Laicorum consensu eligitur Archiepiscopus Moguntinus 70
Ratisbonenses cives sibi eligunt Episcopum 75
Religionis nostræ articuli præcipui, quos Papistæ insimulant hæreseos 5
Regis officium 51. regem sibi præfecisse populum Israel, cur Deus ægre tulerit 50
Revocantium abjurationis formula 20.21
Romanæ Ecclesiæ parvus respectus ante Nicenam

Syno-

Synodum 2. 11. 12. 47. 48. ejus autoritas unde primum parta 9. ejus primatus ab Eulalio Carthag. Metropolitano assertus 31
Romano Episcopo primus gradus ad altiora adscendendi datus 11. ex decreto Nicænæ Synodi cura suburbanarum tantùm Ecclesiarum ei est demandata 11. 14
Romani Pontifices quanto furore & regnandi libidine acti 16. 17. jura jam hoc, jam illo modo torserint 17. 20, aliis modestiam & humilitatem suadere soliti, ut ipsi commodius superbire & tyrannizare possent 19. eos confirmandi potestas olim fuit penes Cæsarem 22. 48. 62. 64
Romanistæ falsandis sacros. Conciliis & aliis S. Patrum scriptis semper fuêre assueti 17
Romani, pulso Johanne Pontifice, eligunt Leonem VIII. cui abrogato iterum surrogant Benedictum 64
Rubrica ex veteri pontificali Moguntino de ordinatione & electione Episcopi 72

S

Sabellici locus 4
Sabinus Gregorii I. Successor 22
Sacerdotis officium 51. Mosaici, non Mosis, sed Aaronis successores 66.
Sacerdotes omnes & causas suis Metropolitanis subjiciendas, Nicæna Synodo decretum 15, eorum conjugia 5
Salomonis corruptio 49
Salus prima, rectæ fidei regulam custodire 30
Sanctorum filii qui 46. 47
Sapientes hujus mundi in suum proprium exitium ruere 7
Schisma Papæ quid 23
Sedes Apostolica etiam Antiochia veteribus dicta 46 nulla neque Christi, neque Apostolorum dicta 45
Servus Dei Episcopus 29
Sextæ Synodi Canones suppressi 39
Simonis Magi expugnandi, non regni constituendi gratiâ Petrum Romam venisse 45. 46
Simpliciter credendum, cur subinde à Papistis inculcari solitum 34
Sirici Papæ Epistola 67
Sixtus Papa Cælestini successor 16
Sodomitæ Romani 5
Spiritus S. verus Christi Vicarius in Ecclesia 50. Spiritus spirat, ubi vult 46
Stephanus Papa electionem Episcoporum ad totam Ecclesiam pertinere scribit 58
Synodi Carthaginensis decreta cur ad Innocentium missa 10 Nicænæ, Constantinop. & Carthag. IV. sententia de electione Episcoporum & Clericorum 57

T

Terentius, Theasius & Tutus Episcopi 29
Toletani concilii decreto nullus eligendo Sacerdos sine Cleri & populi voluntate 59
Typhus fumosus hujus seculi 15. 28. 31. 39

V

Venetorum Magistratus & gubernatio qualis 18. eorum Dux à Papa Rom. sub mensa cum canibus ossa rodere coactus 4. eorum Resp. sæpe injuriis à Papis Rom. impetita 5. 6. eorum Reip. etiam excutienda Rom. Antichristi tyrannis *ibid.* ad eos præcipuè pertinere horribile Francisci Spiræ desperationis exemplum 6. propter Veritatis confessionem aliquid patientibus copiosissima merces promissa 7.
Victoris Papæ contra Polycratem violentia 10
Vigilius Bonifacii II. successor electus, mox repudiatur 20
Vincentius Episcopus 29
Universalis Episcopi appellatio etiam Synodo Carthag. prohibita 16. à Gregorio M. damnata 21. 47
Urbanus Papa laudat Electionem Ivonis à Clero & populo factam 74
Urbanus Siccensis Episcopus 27
Ursacii & Damasi de Sede Rom. contentio 18
Ursinus à Papatu Damasi viribus repulsus 48

Z

Zozimus Papa 11. ejus mors 12

FINIS.